# INSTITUTIONES
# THEOLOGICÆ.

*QUAS*

AD USUM SEMINARIORUM

E PROPRIIS SUIS PRÆLECTIONIBUS CONTRAXIT

# PETRUS COLLET

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

ATQUE CL. TOURNELII OPERUM CONTINUATOR,

PLURIBUS ADNOTATIONIBUS, ROMANORUM PONTIFICUM CONSTITUTIONIBUS, SELECTIS ADDITIONIBUS, NEC NON INDICIBUS AB EDITORE NOVISSIME ILLUSTRATÆ.

## TOMUS PRIMUS.

OPUS AD JURIS ROMANI, ET GALLICI NORMAM EXACTUM.

*Audi fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Proverb. cap. 4. ỳ. 10. 11. 12.

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCLVII.

APUD LUDOVICUM GORINUM BIBLIOPOLAM PRO ÆDE S. FRANCISCI.

*SUPERIORUM PERMISSU.*



# CAROLO ANGELO FRANCISCO
# ISNARDO
DE CASTELLO HAVART MARCHIONI CADRALII ETC.

LUDOVICUS GORINUS
S. P. D.

QUUM qui mihi auctores fuere, ut *Institutiones Theologicas V. C.* PETRI COLLETI *typis nostratibus edendas curarem, iidem me magnopere hortarentur, ut eas viro alicui primario consecrarem, cujus nomine recenti editioni publicus conciliaretur favor*; TU *statim menti meæ occurristi*, MARCHIO PRÆCLARISSIME, *quippe quod iis dotibus* TE *omnes ornatissimum esse sciant, quæ in Patrono gratiosissimo, atque optimo requirantur. Ac primum quæ sit tui generis antiquitas, & claritudo, ut ne replicentur vetustissimi Asten-*

*sis*

*quingentos e fundamentis excitarunt ; vel deinceps tum eosdem Eremitas, tum sacras ædes alias Astæ, Sinfredi, alibi, & Casanovense monasterium reditibus, aut supellectili auxerunt, vel Caramaniæ refectis Abbatis ædibus fanum quoque præcipua ex parte ab se restitutum ornarunt ; vel Salutiis denique sacrarum virginum* ANNUNCIATIONIS *monasterium, redemto solo, primum condidere. Neque* TE *præterire certe poterat,* INCLYTE MARCHIO, JOANNES BAPTISTA ISNARDUS *ille, Propatruus* AVI TUI AMPLISSIMI, *nostra memoria Episcopus Monregalensis, cujus ut summam in diœcesi administranda vigilantiam, & sollicitudinem, ita eximiam quoque in pauperes benignitatem, inque augendum* DEI *cultum magnificentiam tunc demum silebit posteritas, quum aut exeisa penitus fuerint & Episcopalis ad* D. DALMATIUM *villa, & Seminarium Monregalense, & Sinfredana ædes pulcherrima ad medium collem, quo esset populo opportunior, illo ingentem pecuniam conferente posita, & Franciscanorum Patrum cœnobium haud longe a Sinfredi castro a majoribus primo constitutum, ejusque impensa renovatum ; aut omnes omnino literæ rerum gestarum testes interierint. Hisce præclaris adeo exemplis, velut quibusdam stimulis excitatus, vel a puero scilicet condidicisti nihil prius religione, nihil antiquius umquam esse oportere. Atque illud profecto in caussa fuit, quamobrem, quum sensim adolesceres, tametsi incredibili sciendi cupiditate flagrares, eorum tamen dumtaxat consuetudine utereris, illos tantum aut visitares, aut domum tuam admitteres, quorum tibi maxime perspecta esset probitas ; illos anxie devitares, quos eruditionem aliunde quam a purioribus vere sapientiæ fontibus hausisse suspicarere. Qui vero doctorum, idem etiam librorum delectus fuit. neque* TE *umquam delectarunt inanes illæ fabulæ, aut otiosorum deliramenta, quæ nihil ad mentem excolendam valent : quodcumque optimis præceptis, institutisque conditum non sit, illud ultro respuis, atque fastidis. Jam vero non tam profanis Scriptoribus, qui ceteroquin utiles*

*les ſint, quam aut ſacris, aut ſacra tractantibus exornas elegantiſſimam bibliothecam tuam: quodque mihi etiam dulce eſt gratumque meminiſſe, non paucos in eam id genus libros ex mea quoque taberna qualicumque coëmtos retuliſti. Nunc autem, quum mihi hæc oblata occaſio ſit, ut quod primum opus me accurante Taurinenſibus typis excuſum vulgetur, illud peculiari quodam nomine tuum ſit, ac tutelæ tuæ commendatum, gratulor mihi vehementiſſime. nihil enim poterat optatius umquam, honorificentiuſque contingere, quam ſi ullam apud* TE *quoquo modo inirem gratiam, qui ſis optimates inter & generis claritate, & tua virtute, & liberalium diſciplinarum ſtudio, & religione ſpectatiſſimus. Eo quoque fiet, ſpero, ut pro ſingulari tua, tuæque ſtirpis propria, excelſi animi magnitudine, proniſſimaque ad bene de omnibus merendum voluntate me quantumvis tenuem, humilemque, velis tamen perpetuo eſſe in tua clientela, & fide. Quod reliquum eſt,* DEUM OP. MAX. *ſupplex etiam atque etiam oro, ut* TE *tanti heredem nominis,* MARCHIO PRÆCLARISSIME, *& patriæ, & tuis quam diutiſſime ſoſpitem, atque incolumem ſervet. Vale.*

# PRÆFATIO.

PRODEUNT tandem aliquando, Lector benevole, quas crebris dignatus es votis expetere, Theologicæ nostræ Institutiones ad usum juventutis in Seminariis erudiendæ. Et ego quidem necessitatem compendii hujus senseram jam dudum. Non me fugiebat Prælectiones, quas feci publici juris, prolixiores esse, & arduas nimis, quam ut vel a junioribus Clericis sine expositione intelligi, vel a Magistris per breve Seminarii curriculum, ut decet, exponi possent: verum penes me non erat, ut malo huic quantocumque mederer. Optarat scilicet Eminentissimus Regni Administer, quem quia vivum colui sincerissime, mortuum sincerissime luxi, diuque lugebo, optarat, & ut in eum eram affectus, jusserat optando, ut, quæ Doctissimi Tournelii laboribus deerant, hæc eadem forma perficere conarer. Tentavi pro modulo: aspirasti conatibus nostris, Lector benignissime, & aspirando moram injecisti. Dum enim editiones secundis, ac tertiis curis ingemino, totumque per annos plures vitæ tempus studia inter, gravesque morbos, & virium refectionem lance prope æquali dispertio, en celeri cursu profluit decennium totum, antequam sextum, & ultimum fusioris Theologiæ volumen in publicum emittere licuerit. Nunc ubi totum opus ad exitum vergit, & jam respirare libet, victus, ne dicam illectus repetitis plurimorum querelis successi oneri, & labore supra cogitationem aspero volumina sex eximiæ molis triplici brevis staturæ tomo conclusi. Eadem, qua semper, dicendi methodo usus sum, sed ordine Tractatuum multo feliciori, cum pene omnes in Opere præsenti ita dispositi sint, ut ab uno ad alium molliter, ac sensim fiat progressus.

Cæteris præit Tractatus de Actibus humanis, moralis Theologiæ basis, & fundamentum. Eumdem proxime excipit gemina de Actuum humanorum regulis dissertatio, quarum prior (eamque ob argumenti gravitatem brevitati conjunctam, quoties sine fastidio fieri poterit, juvenes edoceri velim), Conscientiam dirigit, posterior Leges investigat. Mens erat Tractatui de Legibus Tractatum de Præceptis Dei, & Ecclesiæ subnectere continenter; verum, re maturius discussa, satius visum fuit Decalogum, & Ecclesiæ leges uno, eodemque tomo complecti. Legibus ergo succedunt, quæ iisdem directe adversantur, Peccata. Hæc duplici Tractatu exposuimus, quorum alter, quidquid ad genericam peccati rationem pertinet, alter quidquid in præcipuis Christianæ Reipublicæ Statibus delinquitur, media breviorem inter & fusiorem oratione evolvit. Hæc primi voluminis materies.

Se-

Secundi materiam constituent Dei, & Ecclesiæ mandata; quibus, nisi obstet ipsa rerum dicendarum moles, annectam Censuras, & Irregularitates, cæteroqui in nova Sacramentorum editione, eaque multo practica magis, quam quæ hactenus prodierunt, sed non ante annos quatuor, pertractandas.

Coalescet volumen tertium ex Tractatibus de Justitia, & Jure, de virtute Religionis, de Beneficiis, & simonia. In his porro omnibus, etsi quantum fert natura compendii, nihil eorum prætermissum est, quæ ad adstruendam Ecclesiæ fidem dici potuere, praxi tamen enixiori conatu incubuimus. Ea nimirum est qua plus indigent animarum Directores: hæc si deerit, vigebunt inter mercatores usuræ, inter altarium Ministros simoniæ, rapinæ inter famulos, & ex una quandoque Parochia vitiorum genus omne pullulabit. O qui * *Scientiarum Dominus* es, qui *linguas infantium facis esse disertas*, qui *tanquam imbres mittis eloquia Sapientiæ* tuæ, & *indoctos quosque* erudis *in lege Testamenti*; Deus immortalis tantum prohibe scelus: fac ut sint Levitæ tui *secundum menses pristinos*; redde *tabernaculis Jacob, & tentoriis Israel* pulchritudinem antiquam; suscita tibi Ministros fideles, qui sint secundum cor tuum; discant a te jam a juventute sua, & a Sacerdotio repulsum iri, quisquis scientiam repulerit, & ab eo omni repelli scientiam, qui nimius propriæ cutis amator studium acre dies pene, & noctes non continuaverit.

* *I. Reg.* 2. 3. *Sap.* 10. 21. *Eccli.* 39. 9. *Proverb.* 14. 33. *Job.* 29. 2. *Num.* 24. *&c.*

INDEX

# INDEX
## TRACTATUUM, ET QUÆSTIONUM.

### TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.



Se-

Pun-

# Index Tractatuum, et Quæstionum.



CA-

CA-

## Index Tractatuum, et Quæstionum.



## ERRATA.

Pag. 13. col. 1. lin. 23. circa quodcumque bonum *corr.* circa quodcumque creatum bonum 15. 2. 2. extra-externa 35. 2. 27. quam - qua 36. 1. 24. simpliciter mala - simpliciter sit mala 42. 1. 14. secunda, & tertia - secundæ, & tertiæ 44. 1. 22. actiones alias - actiones aliquas 44. 1. 34. *quod affirmativum* &c. *lege* quod affirmativum *&c. charactere vulgo* tondo *usque ad finem Paragraphi.* 45. 2. 34. *maxima charitas desiderat - maxima charitas maxime desiderat* 63. 2. 45. , ut legitur - . At legitur 64. 1. 27. a pœniteute interrogatur - a pœnitente de gravi aliqua obligatione interrogatus 88. 2. 41. CONCUSIO - CONCLUSIO 92. 1. 15. turbarum - tubarum 218. 1. 23. Religosorum - Religiosorum 233. 2. 30. *lex juges - les juges* 268. 1. 20. permittatur omnibus lectio - permittatur omnibus ab Episcopo, aut Inquisitore lectio 341. 1. 23. Levvertoekius - Levvenoekius 363. 1. 10. *inhonestantes - ita honestantes* 385. 1. 13. *foventem - faventem* 397. 1. 39. *cum mulutudine - cum multitudine* 493. 1. 5. ex onere - exponere 493. 1. 8. utcumque - utrumque 515. 1. 44. injustitis - injustitiis 515. 2. 32. fidei debent - fieri debent 531. 1. 54. restituito - restitutio 598. 1. ARTICULUS QUARTUS - TERTIUS 600. 1. ARTICULUS QUINTUS - QUARTUS 601. 1. 23. *preuve, - preuves* 602. ARTICULUS SEXTUS - QUINTUS 620. 1. 24. Galliarumo cnsuetudines - Galliarum consuetudines. 623. 2. 3. redditibus - reditibus 624. 2. 2. Ordonnanance - Ordonnance .

# LECTORI BENEVOLO

LUDOVICUS GORINUS

S. D.

QUUM Institutiones Thelogicæ a V. C. Petro Colleto ad usum Seminariorum compositæ sextum jam paucorum annnrum spatio in lucem editæ, Typographorum incuria pluribus scateant mendis; quumque multa desint, quæ Tyronibus in Italia præsertim non utilia modo, sed scitu etiam necessaria videantur, operæ pretium me scilicet facturum putavi, si opus illud, quod jam fere omnium manibus teratur, non emendatum modo, sed & iis, quæ desiderarentur, non mediocriter auctum typis nostratibus eacudendum curarem. Quod igitur felix faustumque sit, id ego consilli cepi, ut quod minoribus quinque voluminibus compeehendebatue, illud jam cum auctario ipso duobus tomis grandioribus concludatur. Erit autem suus commentariis, & appendicibus locus, quin textus operis aut dissolvatur, aut quoquo modo interturbetur: sed ubi animadversiones necessariæ visæ sunt, singulis capitibus ita subjicientur, ut sint in promtu; distinguentur autem insigni nota (✠), quo rite internosci queant, atque adeo neminem fugere possit, quid Auctori, quidve Scholiasti sit teibuendum. Quod si aliquando, amice Lector, in commentariis refutatas opiniones quasdam Auctoris offenderis, id quidem te graviter laturum minime reor: licebit enim utriusque rationes expendere, tum illius opinionem amplecti, quæ videatur ad veritatis similitudinem esse propensior. Invenies autem in iisdem appendicibus non pauca Sedis Apostolicæ decreta, quæ Auctorem fortaisse latueeunt, aut eerte in Gallia usu recepta non sunt. Quod ad me adtinet, omnem opeeam in id maxime conferendam putavi, ut quam emendatissimum opus prodiret, ut pleræque saltem sententiæ, quæ passim ea sacris literis, aut sanctis Patribus depromtæ referuntur, suis integræ redderentur locis, ea quibus Auctor depromserat, quod sane in prioribus editionibus non raro desideeabatur: denique, ut rerum indices essent satis locupletes; quod spero tibi neque inutile, neque injucundum fore. Ceterum, quum & aliquando labi præsertim opere in longo humanum sit, etiamsi nonnulli forta nævi legenti occurrerint, spero me facile ob rei difficultatem ab æquis judicibus veniam impetraturum. Antecedens autem pagella monstrabit quæ menda in hoc volumine irrepsisse hactenus comperi, tum quo pacto ea sint corrigenda. Utinam faxit Deus, ut & aliorum exspectationi, & mihimet ipse satisfaciam: utcunque res cesserit, me ceete laborum meorum, quos, ut publicæ utilitati consulerem, libentissime suscepi, numquam pœnitebit. Vale.

## APPROBATIONES.

*INstitutionum Theologiæ Moralis primum volumen a D. Petro Collet elucubratum, cui accedunt Adnotationes exquisita erudisione ab Anonimo concinnatæ, Reverendissimi Patris Magistri Alloni S. Officii Vicarii Generalis Taurini jussu, ut implerem, attente perlegi, & adeo nihil in eo n recta fidei, & morum regula dissonum offendi, ut immo SS. Augustini, & Thomæ principiis, atque Summorum Pontificum Decretis, quæ exhibet, cohærere perspexerim. Quare ut in publicam lucem prodeat dignissimum reor. Si ita videbitur &c. Taurini In Conventu S. M. N. Theresiæ die 31. Augusti 1757.*

*DIsquisitionem Theologicam De Humanis Actibus in Deum referendis inserendam in Tomo primo Institutionum Theologiæ Moralis Petri Collet, ex mandato Reverendissimi P. Mag. Alloni Vicarii Generalis S. Officii Taurinensis attente perlegi, & nihil contra Catholicæ fidei dogmata, nil contra morum sanctitatem offendi; immo cum sapientissimus Auctor mihi satis notus auctoritatibus D. Augustini, & Angelici Præceptoris invicte demonstret necessitatem referendi omnes actus humanos in Deum, ad communem utilitatem in prælaudato primo Tomo addendam esse censeo. Si ita videbitur &c. Dat. ut supra.*

Fr. Leo a S. Petro Sacræ Theologiæ Lector,
Sacræ Inquisitionis Consultor &c.
& Conventus S. Teresiæ Prior.

*Attenta supradicta Attestatione*

IMPRIMATUR.

FR. JO. DOMINICUS ALLONUS MAG. Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

V. J. BRUNUS Col. Theol. Taur. Præses.

*Se ne permette la Stampa.*

NICCOLO' DI QUAREGNA PER LA GRAN CANCELLERIA.

# TRACTATUS
## DE
# ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS humani tripliciter fumuntur: (*S. Thom.* 1. 2. *q.* 6.) I. late, pro iis eriam actibus, qui nec liberi funt, nec voluntarii, & ö communiter dicuntur *actiones hominis*; II. ftrictius, & magis proprie, pro quocumqoe actu voluntario, five liber fit, five non; III. ftrictiffime, pro omni, & folo actu libero. Actus humanus tertio hoc fenfu acceptus definitur Actus ab hominis voluntate deliberate, feu libere procedens. Actus autem, vel immediate a voluntate procedir, ur amor, & odium, & tunc dicitur *elicitus*; vel mediate tantum, ut meditatio, deambulatio, & tunc dicitur *imperatus*; quia fit mediante voluntatis imperio. Porro actus elicitus, aut imperatus, eo ipfo, quo a voluntate libere procedit, eft actus moralis, bonus fcilicet, aut malus, prout procedit vel confentanee ad rectam rationem, ut amor Dei, vel diffentanee, ut ejufdem odium: de quo infra.

Hinc colliguntur præcipuæ actos humani divifiones. Nam dividuntur I. in *elicitos*, & *imperatos*; II. in *bonos*, & *malos*; III. boni, vel funt *naturales*, qui folis naturæ viribus produci poffunt, ut naturalis Dei cognitio; vel *fupernaturales*, qui non nifi gratiæ auxilio elici poffunt, ut actus virtutum theologicarum. Alii funt *interiores*, qui nullo fenfibili figno manifeftantur, ut oratio mentalis; alii *exteriores*, qui extrinfecus patent, ut oratio vocalis.

Sed antequam ulterius progrediamur, quædam de actuum humanorum principiis præloqui neceffe eft. Per hæc autem principia intelliguntur ea omnia, quæ quovis modo concurrunt ad actus humanos efficiendos, eaque duplicis funt generis: *interna*, quæ funt in ipfo homine, & *externa*, quæ funt extra ipfum.

Principia interna vel congenita funt, vel adventitia. *Congenita* ea funt, qoæ, cum a natura infint homini, non indigent labore comparari, & induftria; & hæc tria numerantur, intellectus, voluntas, & libertas. Intellectus, & voluntas fpectantur hic prout intelligunt, & volunt in ordine ad mores, & practice: unde intellectus, quatenus hic accipitur, eft facultas cognofcitiva fpiritualis, directrix actuum humanorum ad honeftatem; directrix, inquam, per fynderefim, & confcientiam, de quibus alibi loquemur: voluntas vero moralis eft facultas bonum profequens, prout fibi ab intellectu proponitur. *Adventitia* ea funt, quæ a natura non infunt homini, fed vel ftudio, & labore comparantur, ut habitus naturales, quorum inveftigatio ad Philofophos pertinet; vel a Deo infunduntur, ot habitus fupernaturales.

Principia externa tria funt, bonum, finis, & beatitudo. In præfenti Tractatu ea omittimus, quæ fatis in Philofophia pertractantur.

## CAPUT PRIMUM.

*De principiis intrinſecis Actus humani*

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Voluntario , & Involuntario.*

VOluntarium eſt actus a voluntate procedens ex prævia cognitione eorum , in quibus eſt actio. Hæc definitio legitima eſt ; nam I. convenit *omni* voluntario , ſive ſit neceſſarium ; ut amor Dei in beatis , ſive liberum ſit ; ut idem amor in viatoribus : utrumque enim eſt a voluntate , vel, ut alii dicunt , *a principio intrinſeco* . II. convenit *ſoli* voluntario: quidquid enim a voluntate non procedit , aut fit ea renitente , aut ab ea ſine rationis advertentia producitur , voluntarium cenſeri non poteſt . Hinc voluntarii rationem non habent tum ea , quæ violenta ſunt ; tum motus odii , vel amoris , quos aliquando contra propriam inclinationem experitur voluntas ; tum ea, quæ fiunt ſine ulla intellectus cognitione : hæc autem cognitio debet eſſe *eorum* , id eſt , circumſtantiarum, *in quibus eſt actio* , ſeu quæ ad eam pertinent : quapropter qui accedit ad alienam , quam bona fide conjugem ſuam eſſe credit , non peccat. Hinc etiam dormientium actiones ſimpliciter involuntariæ ſunt , ſemi-dormientium vero ſemi-voluntariæ , quia in illis nulla eſt advertentia , in his autem ſemi-plena ; unde in illis nullum eſt , in iſtis vero peccatum eſt duntaxat veniale .

Voluntarium dividitur , I. in voluntarium *ſimpliciter* , ſeu purum , quod fit ex plena voluntatis inclinatione abſque repugnantia , & voluntarium *ſecundum quid* , ſeu mixtum , quod fit quidem ex voluntatis conſenſu , ſed non ſine repugnantia : talis eſt projectio mercium in mare metu naufragii.

II. In voluntarium *neceſſarium* , a quo voluntas vel abſolute , vel hic , & nunc abſtinere nequit ; talis eſt amor , quo ſe Deus diligit , vel quo homo ſub gratia neceſſitante conſtitutus bonum proſequeretur : & voluntarium *contingens* , quod procedit a voluntate operante cum indifferentia ad volendum , vel non volendum .

III. in voluntarium *in ſe* , vel , ut alii dicunt , *expreſſum* , ſeu *explicitum*, quod in ſe ipſo , & immediate volitum eſt , ut ſi quis occidat , quia vult occidere : & voluntarium *in cauſa* , ſeu *implicitum* , aut *virtuale* , quod etſi non in ſe , in alio tamen volitum eſt , quod ſaltem prævideri potuit ut talis effectus cauſa ; eo ſenſu voluntaria eſt occiſio illius , qui libere ſe inebriat prævidens , ſe, cum ebrius erit, homicidii capacem fore . Porro , ut effectus , qui ex aliqua cauſa ſequitur , ſit voluntarius , non ſolum phyſice , ſed etiam moraliter , id eſt , ut ad meritum , vel demeritum imputetur , tria requiri ſolent : I. ut operans advertat , aut advertere poſſit effectum hunc ex hac cauſa ſecuturum eſſe : hinc Noe non fuit immodeſtiæ reus , quia ſupponitur , eum neſciviſſe , vinum illius cauſam eſſe poſſe : II. ut effectum hunc impedire poſſit auferendo ejus cauſam ; ſic graviter peccat mulier, quæ etiam ſine prava intentione , & ut morem ſequatur , aperto ſinu incedit , quia ſic fit *diaboli janua* (*Tertull. de hab. mulieb.*) , & ruinæ occaſio : III. ut cauſam hanc auferre teneatur , vel non ponere : unde non peccat Parochus , qui confeſſionis occaſione motus inordinatos invitus patitur ; aut mulier , cujus forma elegans , ſed modeſta aliis periculum creat .

IV. in voluntarium *formale* , ſeu *directum* , quod proficiſcitur a voluntate per influxum poſitivum operante : eo ſenſu voluntarii ſunt actus omnes , quos voluntas elicit , aut imperat : & *interpretativum* , ſeu *indirectum* , quod etſi non procedat a voluntate ut efficiente , ab ea tamen dependet , ſive voluntas actum ponere poſſit , & debeat ; ut cum pater non corripit filium , quem delinquentem videt : ſive poſſit quidem ponere actum , ſed ad id non teneatur ; ut cum quis in die non feſta vult ſtudio vacare , dum dicitur Miſſa : & hæc omiſſio Miſſæ , licet voluntaria , non eſt culpabilis , quia ad omiſſionem culpabilem requiritur non ſolum, ut omittens agere potuerit , ſed ut agere debuerit .

Ex his principiis evidens eſt , illud involuntarium cenſeri debere , quod fit aut ſine propenſione voluntatis , aut ſine cognitione intellectus . Quoniam vero propenſio hæc , & cognitio plus aliquando , aliquando minus deſunt : idcirco variæ ſunt involuntarii ſpecies , varii & gradus ; unde

Involuntarium dividitur I. in involuntarium *privative* , cum voluntas aliquid non vult , quod velle poſſet ; & involuntarium *contrarie* , vel *poſitive* , quo aliquid non tantum non eſt volitum , ſed etiam eſt nolitum , & voluntati adverſum : II. involuntarium contrarie duplex eſt : unum *ſimpliciter* , quod ita voluntati diſplicet , ut id nullo modo velit , ſive impedire poſſit ne fiat , ſive non ; ut ſi mors inferatur alicui plane nolenti ; aut ſi motus concupiſcentiæ inſurgant contra voluntatem toto affectu renitentem : alterum *ſecundum quid* , quod licet ſub aliquo reſpectu voluntati diſpliceat , eidem tamen ſub alia conſideratione magis placet ; ſic projectio mercium in mare metu naufragii facta eſt ſecundum quid reſpectu mercatoris involuntaria , ſimpliciter tamen voluntaria eſt , & ut quid melius acceptatur ad vitandum majus malum .

Quæres , an involuntarium , coactum , neceſſarium , & violentum ſint unum , & idem ?

R. negat. *violentum* enim dicitur de agentibus etiam inanimatis ; unde motus lapidis furſum projecti dicitur violentus , non vero involuntarius : *coactum* , ſeu *invitum* de agentibus animatis , ſive ratione careant , ſive non : *involuntarium* de ſolo agente rationali ; *neceſſarium* vero de violento , coacto , & aliqua tum voluntarii , tum involuntarii ſpecie : *voluntarii* quidem , quia amor beatificus neceſſarius eſt , & tamen non eſt coactus , violentus , aut involuntarius ; *involuntarii* vero , quia aliqui concupiſcentiæ motus neceſſarii ſunt , ſimul & involuntarii , & nonnunquam violenti , & coacti .

Jam videndum quot , & quænam ſint involuntarii cauſæ . Lis præcipua movetur de vi , metu , paſſione , & ignorantia ; de quibus duplici ſectione dicemus .

## SECTIO PRIMA.

*An, & quatenus vis, metus, & passio Involuntarium causent.*

VIS, seu violentia est motio, cujus principium est ab agente extrinseco, in contrarium renitente passo: non enim ad violentum sufficit, ut quis se habeat mere negative, alioqui justificatio parvulorum foret violenta; sed requiritur, ut se habeat contrarie, id est, ut actualiter, aut virtualiter reluctetur. Hinc duplex est violentia: *absoluta* scilicet, cum quis resistit eo omni modo, quo potest; & *secundum quid*, cum quis resistit quidem, sed minus, quam posset.

Metus est futuri, & instantis periculi causa mentis trepidatio. Metus vel *levis* est, cum timetur malum leve, aut grave quidem, sed non verisimiliter impendens; vel *gravis*, seu absolute, seu respective. Metus *absolute* gravis est mali alicujus in se gravis, & instantis vehemens opinio; talis est metus diuturni carceris, exilii, jacturæ boni notabilis, &c. Metus gravis *respective* est timor mali, quod, etsi virum constantem non commoveat, merito tamen formidandum apparet quibusdam personis, quales sunt fœminæ, senes, pueri, aut homines a natura meticulosi. Metus quilibet vel oritur *ab intrinseco*, ut ab infirmitate; vel *ab extrinseco*, seu necessario, & naturali, puta ab incendio, vel naufragio; seu libero, ut ab homine, sive is juste, vel injuste metum incutiat.

Passio, seu concupiscentia est animæ sensitivæ motus prosequens bonum sensibile, aut malum sensibile fugiens. Concupiscentia triplex distinguitur. *Antecedens*, quæ præcedit consensum voluntatis, eumque allicit, ut cum visa muliere voluntas ad ejus desiderium movetur: *consequens*, quæ oritur ex prævio voluntatis actu, ut cum ex desiderio voluntatis excitatur passio in corpore; & *concomitans*, quæ ita sequitur voluntatis consensum, ut sit causa ardentioris motus ejusdem voluntatis. Rursus concupiscentia est *gravis*, si rationem aliquantisper turbet, sed non ita ut tollat rationis usum; vel *gravissima*, si ita vehemens fuerit, ut penitus perimat rationis, & libertatis usum. His positis sit

CONCLUSIO I. Nulla violentia facere potest, ut actus a voluntate eliciti sint involuntarii; seu voluntas cogi non potest quoad actus elicitus.

Prob. I. Actus essentialiter voluntarius nunquam potest esse coactus; voluntarium enim, & coactum ex natura rei opponuntur: atqui omnis actus a voluntate elicitus est essentialiter voluntarius; est enim, ut supponitur, a principio intrinseco cum cognitione, cum e contra coactum omne sit ab extrinseco; ergo, &c.

Prob. II. Illud coactum esse dicitur, quod est a principio externo contra inclinationem voluntatis: atqui actus eliciti voluntatis nunquam esse possunt contra inclinationem voluntatis: nam ipsissima voluntatis inclinatio non potest esse contra voluntatis inclinationem: atqui actus eliciti voluntatis sunt ipsa voluntatis inclinatio; amor, v. g. nihil est aliud, quam voluntatis propensio in bonum. Ergo merito dixit S. Anselmus; *Invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest nolens velle;* (*de Lib. arb. c.* 6.) vellet autem nolens, si cogeretur ad volendum; ergo &c.

Obj. Potest Deus in voluntate Pauli omnino reluctante producere amorem Petri: atqui in hac hypothesi Paulus cogitur ad amorem Petri; cum jam Petrum amet contra inclinationem suam; ergo.

R. ad I. neg. min., ad II. dist. Tunc Paulus Petrum amat contra inclinationem suam præteritam, C. contra inclinationem suam præsentem, N. Tunc enim voluntas Pauli ex nolente per operationem Dei efficeretur volens: atqui eo ipso quo efficeretur volens, jam non vellet contra inclinationem suam.

Non loquimur de actibus imperatis, qui non ab ipsa voluntate, sed ab aliis potentiis eliciuntur; ut visio, deambulatio: fatentur enim omnes voluntatem quoad illos actus cogi posse; sic fieri potest, ut ambulare, aut videre nolens per vim cogar ad utrumque.

CONCLUSIO II. Violentia *absoluta* voluntarium perimit; violentia vero *insufficiens*, seu *secundum quid* minuit duntaxat.

Prob. I. pars. Actio, quæ fit voluntate omnino renitente, est penitus involuntaria: atqui actio, quæ fit per coactionem absolutam, fit voluntate modis omnibus renitente; ergo.

Prob. II. pars: quia ubi voluntas non omnino resistit, ibi remanet aliqua ratio voluntarii, major, aut minor, prout voluntas plus, aut minus resistit: atqui ubi violentia non nisi *secundum quid* infertur, voluntas non resistit omnimode, cum supponatur penes eam esse, ut magis resistat; ergo.

Hinc colliges, fœminam, cui interius, & exterius pro viribus resistenti prævalidus aliquis stuprum infert, nihil peccare; at vero mulier, quæ interius renititur, sed non exterius quantum potest, & debet, clamando, repugnando, &c., non vacat a culpa. Et id verum esse credimus, etiamsi mulier clamando incurreret periculum mortis; quia, ut fœmina consentire censetur, nisi manibus, & toto corpore resistat quantum potest, & ad resistentiam hanc tenetur, etiamsi stuprator minetur ipsi mortem, si resistat; sic etiam consentire censetur, nisi clamet, ubi clamor creditur profuturus.

CONCLUSIO III. Quæ fiunt ex metu naturali sunt per se loquendo voluntaria simpliciter in genere liberi; & in eodem genere involuntaria secundum quid.

Prob. I. pars. Ibi manet voluntarium in genere liberi, ubi ex parte mentis non tollitur cognitio, nec electio ex parte voluntatis: atqui metus etiam gravis nec tollit cognitionem ex parte mentis ..... Mercator enim, qui suas merces in mare projicit, & earum pretium cognoscit, & vitæ periculum, in quo versatur, & ipsam actionem merces projiciendi, quam libere eligit, quia plus vitam amat, quam merces; ergo.

Prob. II. Reus pejerans, ne suspendatur, & puella libidini alienæ consentiens, ne occidatur, gravissime peccant, tametsi agant ex metu: atqui non peccarent, nisi voluntarietas, & libertas subsisterent cum metu.

Prob. II. pars. Quod minuit libertatem, facit, ut

actio in genere liberi sit involuntaria secundum quid: atqui metus libertatem minuit, ut per se patet. Hinc in Synodo Nicæna tolerabilior iis pœna constituta fuit, qui mortis metu cecciderant, quam qui sponte deliquerant.

Obj. I. Ea absolute, & simpliciter censeri debent involuntaria, quæ fiunt reluctante voluntate: sed quæ fiunt ea metu gravi... Unde contractus ex gravi metu initi non sunt validi; ergo.

R. ad I. dist. maj.... quæ fiunt voluntate reluctante absolute, & simpliciter, C. reluctante secundum quid, N. Porro ubi est metus gravis, ibi quidem est repugnantia aliqua voluntatis: verum repugnantia hæc & inefficax est, non absoluta, & non impedit, quin mens sciens, & libere volens eam amplectatur partem, quæ sibi sub aliquo respectu repugnat; unde si pars illa mala sit, peccat eam amplectendo.

R. ad II. dist. contractus ex metu facti invalidi sunt jure positivo, idque non semper, C. jure naturali, N. Sic matrimonium ex metu injusto factum non valet jure positivo, valeret tamen ex rei natura, & ideo a legibus approbatur, cum fit ex metu juste incusso, qui quidem metus longe aliquando gravior est, quam qui injuste incutitur.

Obj II. Quod excusat a culpa, tollit voluntarium: atqui metus gravis excusat a culpa eum, qui, v. g. ne occidatur, Missæ non interest die Dominica, ergo.

R. neg. min., & dico, eum, qui ex metu non implet aliquod Ecclesiæ, & nonnunquam Dei ipsius præceptum, non excusari a culpa propter defectum libertatis, sed propter cessationem ipsius legis, quæ cum tanto incommodo non obligat. Hinc si lex talis sit, ut semper obliget, semper peccabit, qui eam transgredietur, etiamsi ea metu omnium gravissimo agat; ut patet in eo, qui ea metu fornicatur.

Dixi in conclusione, quæ fiunt *ex metu naturali* .... sunt *involuntaria secundum quid*; ut ostenderem non omnem metum causare hujusmodi involuntarium: unde, qui ex timore supernaturali gehennæ a malo temperat, *peccandi voluntatem excludere* potest, ut docet Tridentinum, adeoque observatio legis ab eo præstita nihil habet vere involuntarii. Ratio est, quod voluntas tunc tantum habeat actum nolitionis circa objectum, quando objectum illud, etsi hic, & nunc ob necessitatem bonum sit, in se tamen malum apparet; ut projicere merces est hic, & nunc mercatori alioqui morituro bonum, sed in se malum; atqui servare mandata Dei est bonum tum per se, tum etiam abstrahendo a periculo gehennæ, idque homo timore supernaturali donatus intelligere potest; ergo necesse non est, ut ejus observatio mandatorum involuntario mixta sit.

Dixi II. *per se loquendo*, quia nonnunquam, raro tamen, evenit, ut actio ex metu facta penitus involuntaria sit, cum nempe malum imminens ita hominem perturbat, ut tollat advertentiam.

CONCLUSIO IV. Concupiscentia antecedens, ordinarie loquendo, sub aliquo respectu auget, sub alio minuit voluntarium: auget quidem ratione objecti, ad quod directe movet, minuit vero ratione circumstantiarum, unde etiam libertatem minuit.

Prob. I. pars. Illud auget voluntarium ratione objecti, quod inflammat voluntatem, efficitque, ut in objectum majori cum inclinatione feratur: atqui concupiscentia hæc præstat, ut sæpius videre est in homine, qui mulierem deperit; ergo.

Prob. II. pars. Ad voluntarium perfectum requiritur non solum inclinatio voluntatis, sed etiam cognitio eorum, in quibus est actio: atqui concupiscentia vehemens cognitionem hanc imminuit; impedit enim, ne mens ab objecto, in quod tendit, rapta, & illecta consideret turpitudinem actus, offensam Dei, &c.

Atque hinc sequitur libertatem concupiscentia imminui: nam eo major est in homine libertas, quo plenior ad utrumlibet indifferentia: atqui indifferentiam hanc minuit concupiscentia, eo ipso quo voluntatem fortius determinat in unam partem contradictionis: unde etiam concupiscentia minuit peccatum, imo ipsum aliquando penitus tollit, quatenus totaliter cognitionem aufert, *Sicut contingit in illis, qui propter concupiscentiam fiunt amentes*. Ita S. Thomas 1. 2. q. 77. art. 6. & q. 6. art. 7

Dixi *ordinarie loquendo*: quia fieri potest nonnunquam, ut qui ex concupiscentia agit, cum aliqua repugnantia in objectum suum tendat; ut si avarus ad abutendum muliere magnam pecuniæ summam profundere debeat, quod ei æque durum est, ac mercatori merces suas in mare projicere.

Obj. Peccatum ex malitia gravius est peccato ex concupiscentia: atqui tamen malitia non auget voluntarium, ergo nec concupiscentia.

R. dist maj. gravius est, quia magis est liberum, C. gravius est ratione majoris, aut æqualis voluntarii N. itaque cum peccatum malitiæ ex plena libertate, sine ignorantia, & passione committatur, debet esse majus peccatis, quæ *ex infirmitate*, seu passione procedunt, sed non ideo plus habet voluntarii; ubi enim major libertas, ibi major indeterminatio; ubi vero major indeterminatio, ibi minus inclinationis, ac proinde voluntarii: hinc Deus voluntarie magis se amat, quam mundum existentem.

Inst. Quod minuit liberum, minuit voluntarium: atqui ex concessis concupiscentia minuit liberum. Prob. maj. Quod minuit motum *ab intrinseco*, minuit voluntarium: sed quod minuit libertatem, minuit motum ab intrinseco; ergo.

R. ad I. neg. maj. ad II. dist. quod minuit motum ab intrinseco, id est, inclinationem voluntatis, minuit voluntarium, C. quod minuit motum ab intrinseco, id est, indifferentiam voluntatis, minuit voluntarium, N. Concupiscentia minuit quidem indifferentiam voluntatis, quia eam statim, & quasi sine discursu in objectum suum trahit: sed non ideo minuit ejus propensionem, in qua sita est ratio voluntarii, imo quo mens avidius in objectum fertur, eo major est ejus in ipsum propensio.

CONCLUSIO V. Concupiscentia consequens auget voluntarium, & peccatum.

Prob. quia secundum hoc passio minuit peccatum, secundum quod minuit liberum: atqui passio consequens non minuit liberum, saltem moraliter,

( licet

( licet ipsum physice minuere possit, ) quia passio consequens effectus est voluntatis, quæ in semetipsa sponte, libere, ac prævidens ardorem mali inflammavit; ergo *sic verum est, quod, quanto aliquis majore libidine, vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat*. ( *s. Thom.* )

Hinc colliges I., eos, qui ex pravo habitu peccant, gravius peccare; quia actus ex habitu sponte nutrito prodeuntes sunt in se, & in causa liberi, eoque pejores, quo propensius feruntur in malum. Debet ergo peccator pravum habitum confiteri; unde proscripta est a Clero Gallic. an. 1700. hæc propositio. *Non tenemur Confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem*.

Colliges II., motus eos, qui *primo primi* dicuntur, quia sine rationis advertentia, & voluntatis consensu exurgunt, non esse peccata; secus de *primo secundis*, ad quos scilicet advertit ratio, & quibus consentit voluntas; quia isti liberi sunt, illi non item. Hinc merito damnata est hæc Baii propositio n. 75. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto*, Non concupisces. Et certe *non nocet sensus, ubi non est consensus; imo, quod resistentem fatigat, vincentem coronat*, ait S. Bernardus.

## SECTIO SECUNDA

### *An Ignorantia causet Voluntarium.*

TRIA hic nobis veniunt discutienda: I. quomodo ignorantia tollat, vel causet voluntarium; II. an quævis ignorantia etiam juris naturalis a culpa excuset; III. an talis detur ignorantia. Quæ ut solvantur.

Not. I. Ignorantia late sumpta est carentia scientiæ, seu cognitionis; eaque, si sit carentia cognitionis alioqui non debitæ, ut ignorantia jurisprudentiæ in rustico, dicitur *nescientia*, aut ignorantia *negativa*; si sit carentia cognitionis debitæ, ut Sacramentorum in Christiano, vocatur stricte ignorantia, vel ignorantia *privativa*; si demum juncta sit errori, vocatur *pravæ dispositionis*, aut *pravi habitus*.

Ignorantia, stricte sumpta, spectari potest vel ratione subjecti ignorantis, vel ratione rei, quæ ignoratur, vel ratione actionis, quæ fit ex ignorantia.

Ignorantia ratione subjecti spectata alia est *invincibilis*, quæ communibus naturæ, vel gratiæ auxiliis vinci nequit, alia vincibilis, quæ iisdem auxiliis vinci potest: & hæc subdividi solet in *affectatam*, cum quis, ut liberius peccet, affectat nescire id, quod scire, & facere tenetur; & *crassam*, seu *supinam*, ut si quis directe quidem non affectet ignorare, sed vel nulla, vel saltem debita non utatur diligentia, ut ignorantiam vitet. Hinc ignorantia crassa non semper ejusdem est gravitatis.

Ignorantia ratione objecti alia est *juris*, ut si quis nesciat invalidum esse matrimonium cum affine; alia est *facti*, ut si quis legem sciens ignoret, eam, quam ducit, esse sibi affinem. Ignorantia juris pro legum diversitate diversa est: unde alia est juris *positivi*, alia juris *naturalis*.

Ignorantia in ordine ad actiones triplex secernitur. *Antecedens*, seu invincibilis, quæ nullo modo est volita, & tamen est causa volendi id, quod alioqui non vellemus: talis fuit ignorantia in Jacob, cum accessit ad Liam. *Concomitans*, quæ comitatur actionem, ita ut actio adhuc fieret, etiamsi abesset ignorantia: talis est ignorantia illius, qui ratus se feram occidere, occidit hostem, quem si cognovisset, nihilominus occidisset. *Consequens* demum, quæ a voluntate directe, vel indirecte volita est, estque vincibilis.

Not. II. Multi negaverunt, ignorantiam etiam invincibilem juris naturalis excusare a peccato. Sic Lutherus in cap. 12. Gen. Sic & Jansenius, qui postquam dixit *generale Scholasticorum pronuntiatum esse, quod quidquid ex invincibili fit ignorantia, hoc ipso culpa vacet*, contrarium *ut dogma fidei* tuetur ( *L. 2. de stat. natur. laps. cap. 6.* )

Not. III. Sunt aliqui Theologi, qui fatentur, hominem a peccato per ignorantiam invincibilem excusari; sed addunt eam locum non habere in iis, quæ spectant ad jus naturale. His positis, sit

CONCLUSIO I. Ignorantia consequens non affectata facit opus simpliciter voluntarium, & involuntarium secundum quid; ignorantia vero affectata voluntarium, sicque & peccatum adauget.

Prob. I. pars. Qui vult causam, vult in illa effectum ejusdem: sed qui agit ex ignorantia consequente, eamdem vult, ut ex terminis patet; ergo vult etiam ejus effectum.

Prob. II. pars; quia actio, quæ fit ex ignorantia pare consequenti, fit contra aliquam voluntatis propensionem. Qui enim ex tali ignorantia agit, sic affectus esse supponitur, ut seclusa ignorantia non ageret, ut cum quis non facta sufficienti diligentia occidit amicum, ratus se feram occidere.

Prob. III. pars. Ignorantia non affectatur, nisi ut homo liberius peccet; ergo efficit, ut mala actio, quæ ardentius quæritur, magis fit voluntaria, majusque peccatum. Hinc gravius peccant, qui dicunt: *Deo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job.* 21)

CONCLUSIO II. Ignorantia concomitans facit opus simpliciter involuntarium.

Prob. Ibi non reperitur voluntarium, ubi opus nec in se, nec in sua causa volitum est; atqui opus ex tali ignorantia factum nec volitum est in se, cum supponatur invincibiliter ignorari, nec in sua causa, nempe ignorantia ipsa, cum nullatenus volita sit: ergo. Et certe si occisio ex tali ignorantia facta in se voluntaria foret, occisor pœnis contra homicidas latis subjaceret, & ad restituendum teneretur: atqui contrarium tenent Theologi; ergo. Hinc non satis accuratum est, quod ajunt, ignorantiam concomitantem nec voluntarium facere, nec involuntarium, & adeo nec accusare, nec excusare. Excusatur enim occisio hominis loco feræ, licet non excusetur morale, quod inde percipitur gaudium.

CONCLUSIO III. Quælibet ignorantia etiam juris naturalis, modo invincibilis sit, & antecedens, tollit voluntarium, & excusat a peccato.

Prob. I. ex Apostolo Rom. I., juxta quem Gentiles *inexcusabiles* erant, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; ergo, si forte Deum invincibiliter ignorassent, excusati fuissent a culpa;

Prob. II. ex S. Augustino pluribus in locis. Lib. de duabus anim. cap. 12.: *Dicere*, inquit, *peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est.* Lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* cap. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras*: atqui si ignorantia invincibilis juris naturalis non excusaret a peccato, reus teneretur homo, quia non fecit, quod facere non potuit; peccaret in eo, quod nullo modo cavere potest, &c. ergo.

Prob. III. ex his Tridentini verbis: *Deus impossibilia non jubet, &c.* atqui si ignorantia invincibilis a peccato non excuset, Deus jubet impossibilia, & quidem physice. Nam Deus, qui omnia peccata a nobis vitari jubet, præcipit sane, ut ea vitemus, quæ juxta Jansenium ex ignorantia invincibili admittimus: atqui tamen peccata hæc vitari physice non possunt. Non enim vitari possunt, nisi cognosci possint, non possunt autem, si eorum ignorantia hic, & nunc invincibilis esse supponatur; ergo jure, ac merito damnata fuit ab Alexandro VIII. propositio ista: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Prob. IV. Ignorantia invincibilis juris positivi axcusat a peccato; ergo & ignorantia juris naturalis. Patet ant. I. ex his Christi verbis: (*Joan.* 15.) *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*; II. ex S. Augustino, (*Tract.* 89. *in Joan.*) qui expendens eadem Christi verba respondet, Judæos, si Christus non venisset, *excusationem* habituros fuisse, *non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.* Plura congerere superfluum fuerit, quia nobis hoc in puncto consentit Jansenius: unde prob. conseq. Ideo juxta S. Augustinum excusantur a culpa, qui nihil unquam audierunt de Christo, quia nec *contempserunt*, *nec restiterunt* voci Christi, sed sincere dicere possunt, *Non vidimus, non audivimus*: atqui pariter, qui jus naturale sibi invincibiliter ignotum transgrediuntur, legem non contempserunt, cum eam inviti ignorent; ergo.

Prob. V. Ideo Jansenius ignorantiam juris naturalis a peccato excusare negat, quia hæc in Adami peccato voluntaria est: atqui hæc ratio nimis probat; sic enim in peccatum imputabuntur improvisi concupiscentiæ motus, quia ab Adæ peccato profluunt, & in illo liberi fuere. Ut quid ergo, qui Calvinianis in principio consentit Jansenius, iisdem in consequentiis non assentitur?

Objiciunt multa ex Scripturis, ut I. quod voluerit Deus occidare Abimelech, (*Gen.* 20.) eo quod tulisset Saram, quam tamen invincibiliter ignorabat esse uxorem Abrahæ; II. quod offerrentur sacrificia pro ignorantia etiam invincibili; III. quod David Psal. 24. petat sibi ignosci *ignorantias* suas haud profecto voluntarias, quarum capax non erat vir *secundum cor* Dei; IV. quod servus ignorans voluntatem Domini (*Luc.* 12.) *vapulabit paucis.* Is tamen non ignorat voluntarie, alioqui vapularet multis.

R. ad I. locum hunc esse extra rem: nam I. ignorantia Abimelech non fuit juris, sed facti; II. nec ea fuit invincibilis; unde puniri meruit Abimelech, vel quia non satis inquisiit, an Sara uxor Abrahæ foret; vel quia eam tulit invitam.

Ad II. Ignorantia, quæ Levit. 5. & Num. 15. pœnis subjacet, est ignorantia cæremoniarum, adeoque juris positivi, quæ proinde in culpam moralem imputari non potuit, nisi aliquantulum voluntaria esset.

Ad III. David, utpote homo, ex eorum erat numero, qui *in multis* (*Jacobi c.* 3.) offendunt; quidni ergo quædam admiserit peccata ignorantiæ non omnino involuntariæ?

Ad IV. Servus, de quo agitur, non tantam habuit voluntatis Domini sui cognitionem, quantam habent servi præcipui, quibus amplior domus custodia committitur, sed non ideo eam prorsus nescivit, imo credunt multi, eum non vapulare paucis absolute, quasi a grandi peccato immunis sit, sed respective, quia mitius punietur, quam qui plura habuit, & neglexit talenta.

Obj. II. S. Augustinus L. de nat., & grat. c. 17. n. 19. *Aliud est*, inquit, *non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam Legis videbantur expiari; aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra Legem, non intelligendo, quid fieri velit.* Unde sic: Ignorantia, de qua hic loquitur Augustinus, est invincibilis; cum reperiatur in iis, qui intelligere volunt, nec possunt etiam *adhibita diligentia*: atqui ignorantia hæc vere culpabilis est; tum quia per eam homo facit *contra legem*; tum quia alioqui sentiret Augustinus cum Pelagio, tunc tantum culpandam esse ignorantiam, cum id homo nescit, quod adhibita diligentia scivisset.

R. ad I. neg. maj. ad II. dist., reperitor in iis, qui intelligere volunt, nec possunt, quia, ut Pelagiani, sola naturali diligentia intelligere volunt, nec petunt gratiam, qua discant, & intelligant, C. qui absolute intelligere non possunt, N. Solutio est in sequentibus verbis: addit Augustinus, *unde admonemur a Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter; utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda est*; ergo supponit S. Doctor, eos, de quibus loquitur, ideo intelligere non posse, quia vel non petunt, vel, ut oportet, non petunt gratiam, & intellectum, ut discant mandata Dei.

Inst. I. Augustinus Epist. ad Sixtum, n. 26. *Inexcusabilis est*, (194. *alias* 105.) inquit, *omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat; quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Ignorantia, de qua hic loquitur S. Doctor, expresse dicitur *inexcusabilis*: atqui ignorantia hæc invincibilis est, cum in iis reperiatur, qui *non audierunt*, nec *intelligere potuerunt.*

R. I. textum hunc, si quid probat, contra Jansenium probare. In eo enim manifeste agitur de ignorantia juris positivi: en verba, quæ præcedunt: *Dicit Dominus in Evangelio: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent ..... hanc eos excusationem non habere asserit, qua possint dicere, non audivimus, &c.*

R.

R. II. neg. maj. Non enim dicit Augustinus ignorantiam, de qua loquitur, esse inexcusabilem, sed dicit eos, qui ignorant, nempe legem Christi, & Baptismi necessitatem, esse inexcusabiles *ob reatum* saltem *originis*, qui sine Baptismo etiam invincibiliter ignorato non purgatur. Hoc admittimus omnes contra Pelagianos, sed quid inde in gratiam Jansenii?

Obj. III. Hæc Celestii propositio, *Oblivio, & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem*, (*An.* 415.) damnata fuit in Synodo Diospolitana ut error, quem *reprobat S. Dei Ecclesia*: atqui hæc propositio loquitur de ignorantia invincibili; loquitur enim de ea ignorantia, quæ *secundum necessitatem* evenit; ergo.

R. ad I. dist. maj. propositio Cælestii damnata fuit ob suam universalitatem, & eo intellecta sensu, quod quævis ignorantia sive juris, sive facti excusaret a peccato, C. secus, N. Neque enim, quod Jansenio necessarium foret, de sola juris, sed etiam de facti ignorantia loquebatur Cælestius, & utramque perinde peccatum esse contendebat Augustinus, (*L.* 3. *contr. Julian. c.* 19. *Lib.* 3. *de lib. arb. c.* 18.) qui idciro in probationem assumit, tum Abimelech, qui ignorans tulerat Saram; tum Paulum, qui *ignorans* Christum persecutus erat; ergo damnatio propositionis Cælestii minus in nos, quam in Jansenium cadit.

Ad II. dist. propositio Cælestii loquitur de ignorantia necessaria, id est, quæ talis erat in hæreticis Cælestii principiis, C. quæ necessaria erat in rei veritate, N. Itaque, cum Pelagiani gratiæ divinæ necessitatem rejicerent, existimabant, omnem ignorantiam, quæ solis naturæ viribus vinci non potest, invincibilem esse, ideoque inculpabilem; imo ex Dialogis S. Hieronymi colligi potest, eos ignorantiam, quæ facile vinci non posset, habuisse pro invincibili. Utrumque errorem *reprobat S. Dei Ecclesia*, & nos cum ipsa; ergo nihil inde contra nos.

Obj. IV. Tam ignorantia nobis in peccatum imputari potest, eo quod in voluntate Adami libera sit, quam nobis in peccatum imputetur homicidium, eo quod in ebrietate præcedenti liberum sit, atqui, &c.

R. neg. maj. disparitas est, quod homicidium, quatenus prævideri potuit, & debuit, sit ex propria nostra voluntate voluntarium saltem in causa; ignorantia vero invincibilis nec in se, nec in causa voluntaria sit in propria voluntate; & certe hæc ratio probaret, indeliberatos concupiscentiæ motus voluntarios esse, & in peccatum imputari, quod est hæreticum.

CONCLUSIO IV. Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis quoad prima principia, & proximas eorum conclusiones: datur vero quoad conclusiones magis remotas.

Prob. I. pars. Illud invincibiliter non ignoratur, cujus cognitio sine difficultate ulla haberi potest: atqui talis est cognitio primorum juris naturalis principiorum, &c. An enim homini laborandum est, ut detegas alteri faciendum non esse, quod sibi fieri nolit; an sudandum est, ut ex hoc principio proximas hasce conclusiones deducat, ergo non debeo furari, occidere, decipere mendacio?

Obj. I. Apostolus Rom. 7. *Peccatum*, inquit, *non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*. Unde sic: Concupiscentia adversatur legi naturali: atqui tamen Judæi, in quorum persona loquitur Apostolus, ignorabant invincibiliter eam esse peccatum; ergo.

R. neg. min., nam ne vocula quidem una est in textu Apostoli, quæ indicet ignorantiam, de qua loquitur, esse invincibilem. *Quis enim ignoret*, ait S. Hieronymus Ep. 151; *homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malum*? Quapropter Ægyptii, qui furtum approbasse dicuntur, non ignoraverunt ejus malitiam, nisi quia ignorare voluerunt.

Prob II. pars. Ea invincibiliter ignorantur, quorum cognitio ne quidem cum magnis naturæ, * *& ordinariis* gratiæ auxiliis haberi potest: atqui multæ sunt conclusiones a primis juris principiis oriundæ, quarum cognitio ne cum magnis quidem naturæ, * *& ordinariis* gratiæ auxiliis haberi potest; cum circa eas dividantur acutissimi simul, & piissimi Ecclesiæ Patres, & Doctores: sic S. Thomas putat, Judicem posse morti addicere eum, quem innocentem novit, quod S. Bonaventura negat; sic posterior admittit actus indifferentes, quos prior rejicit.

Et vero si quælibet ignorantia juris naturalis vinci possit, maxime per orationem: atqui falsum consequens; cum majora Ecclesiæ lumina dies, noctesque orando, & studendo consumpserint, nec tamen eas, quas optabant, cognitiones obtinuerint.

Obj. Ea ignorantia invincibilis censeri non debet, quam homo de facto vinceret, si vellet: atqui ignorantiam cujuscumque juris naturalis de facto vinceret homo, si vellet. Homini enim præsertim justo non deest gratia sufficiens; qua qui uteretur, omnem detegendi veri obicem superaret.

R. I. argumentum hoc ad ignorantiam *facti* totum transferri posse; facile enim dicitur, hominem, si gratia, ut par est, utatur, novas a Deo illustrationes accepturum esse, quibus errorem quemlibet devincat.

R. II. ad I. neg. min., ad II. dist.... Non deest gratia, qua peccatum formaliter sumptum devitet, C. peccatum etiam materialiter, N. Porro peccatum, quod ex ignorantia prorsus invincibili committitur, non est peccatum nisi materialiter, nec impedit, quominus æterna salus obtineri possit. Imo sunt, qui credunt (* sed immerito) Deum quarundam rerum cognitionem homini subtrahere, quia mavult, ut propter cognitionis defectum non peccet nisi materialiter, quam ut occasione cognitionis suæ formaliter delinquat.

Ergo, inquies cum Vendroch, melior est conditio ignorantis, quam cognoscentis, cum hic formaliter, ille solum materialiter peccet.

R. meliorem esse juxta eos, quatenus a peccato eximit, sicut melior est juxta Jansenistas, quatenus si non a toto, saltem a tanto excusat. * Non pauci inter melioris notæ Theologos idipsum probant.

## ARTICULUS SECUNDUS

*De Libero*

Libertas in genere est exemptio, & immunitas a subjectione, & servitute: hinc totuplex est liber-



tas,

tas, quotuplex servitus, a qua quis solvi, & liberari potest; sed quadruplex præcipue distinguitur, nimirum libertas *a peccatis*, quæ hominem facit sanctum; *a miseria*, quæ beatum; *a coactione*, quæ sponte volentem; & *a necessitate*, quæ vere liberum reddit. Libertas a peccato, & miseria non sunt præsentis instituti.

Libertas a *coactione*, seu *spontaneitatis* est immunitas ab omni violentia contra voluntatis propensionem illata: hæc competit ei omni, qui non coacte, sed sponte agit, etiamsi ex necessitate naturali agat; hoc sensu Pater in divinis libere Filium generat.

Libertas *a necessitate*, quæ etiam *electionis*, *indifferentiæ*, vel *arbitrii* dicitur, ea est, quæ omnem necessitatem, tam interiorem, seu naturæ, quam exteriorem, seu coactionis excludit: eo sensu liber est, qui potest agere, vel non agere, hoc medium eligere, vel non eligere. Quia vero electio unius præ alio multipliciter fieri potest; ideo libertas a necessitate multipliciter subdividitur: alia est enim *contradictionis* ad agendum, vel non agendum, amandum, v. g., vel non amandum; alia *contrarietatis*, ad agendum hoc, vel ejus oppositum, amandum, v. g., vel odio habendum; alia *disparitatis*, ad agendum hoc, vel illud, sed non oppositum, v. g. ad orandum, aut studendum.

Libertati opponitur necessitas, quæ est determinatio ad unum, eaque multiplex distinguitur: nam I. alia est *necessitas coactionis*, quæ est vis alicui contra propriam inclinationem illata, & hæc in voluntatem non cadit; alia est necessitas *inclinationis*, quæ est impulsio, & motus interior ita determinatus ad unum, ut voluntas ab eo abstinere non possit. Hæc necessitas iterum duplex: alia *naturalis inclinationis*, seu *naturæ*, quæ scilicet menti congenita est, & provenit a principio intrinseco ad unum invincibiliter determinante: talis est in Deo se amante, & in homine beatitudinem in communi prosequente; alia *inclinationis adventitiæ*, quæ oritur a motu accidentali, quo mens invincibiliter determinatur ad aliquid, sive *immutabiliter*, ut contingit Beatis, qui ex visione Dei ad amorem ejus jugiter accenduntur; sive *mutabiliter*, & transitorie, ut contingit in systemate eorum, qui duas admittunt delectationes, terrenam, & cœlestem, quæ successive simul, & invincibiliter ad malum, & ad bonum trahunt.

II. Alia est necessitas *antecedens*, seu *absoluta*, quæ vel rationis, & voluntatis usum antecedit, ut in motibus primo primis, vel consensum hunc ita exprimit, ut cum voluntas denegare nequeat; alia necessitas *consequens*, seu *hypothetica*, quæ liberam voluntatis determinationem sequitur: Sic necesse est me loqui, si ad loquendum me determinaverim.

III. Necessitas alia est *specificationis*, cum voluntas ita ad unam speciem actus determinatur, ut in speciem oppositam ferri non possit: sic Christus ita ad bonum determinatus erat, ut peccare non posset; alia *exercitii*, cum quis non solum ad hanc speciem actus, sed etiam ad hunc numero actum ita determinatur, ut non modo non possit ad oppositum ferri, sed neque etiam ab isto possit abstinere; sic Deus ad amorem sui necessario rapitur. Hæc necessitas exercitii circa unum non impedit libertatem circa alia ejusdem generis; sic Deus, qui seipsum necessario amat, libere diligit creaturas.

IIII. Alia est necessitas *physica*, cum voluntas ita vult unum, ut aliud hic, & nunc velle non possit; alia *moralis*, cum eadem voluntas ita ad unum trahitur, ut non nisi cum magna difficultate, quæ tamen actu, & de facto vinci potest, in aliud ferri possit.

Nunc tria quæruntur: I. utrum homo sit liber libertate indifferentiæ: II. utrum hæc indifferentiæ libertas ad meritum, vel demeritum requiratur in præsenti naturæ lapsæ statu: III. an ad essentiam, & quidditatem libertatis requiratur indifferentia.

Circa primum post alios plures erraverunt Calviniani, Lutherani, & Janseniani, qui hominem vel a gratia ad bonum, vel a concupiscentia ad malum necessario moveri contenderunt.

Circa secundum erraverunt iidem Janseniani, quatenus meritum, & demeritum una cum invincibili ad unum determinatione subsistere posse crediderunt. Ut peccet homo, *satis est*, ait Jansenius, *quod .... plena voluntate feratur in malum, sive ab ipsa diligendi mali necessitate se expedire possit, sive non possit.* (*L. 4. de statu naturæ lapsæ c.* 44.)

Circa tertium non tantum inquiritur, an libertas ut sic, seu quoad substantiam, & prout abstrahit ab iis, quæ ad meritum necessaria sunt, sola spontaneitate, & sine indifferentia constituatur: sed & an ad eam requiratur indifferentia tum contradictionis, tum contrarietatis, quæ omnia ut solvantur, sit

CONCLUSIO I. Homo lapsus non a coactione solum, sed etiam a necessitate liber est.

Prob. I. ex Scriptura Genes. 4. sic loquitur Deus ad Cain: *Nonne si bene egeris recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus*, id est appetitus ad peccatum provocans tibi subjicietur, *& tu dominaberis illius*: atqui si homo ad unum, v. g. ad peccatum necessario determinaretur, nec bene agere posset, nec appetitui, quo fertur ad malum, vere dominaretur.

Josue 24. *Optio vobis datur, eligite hodie quod placet, cui servire debeatis, utrum diis*, an Domino: atqui *in his, quæ sunt penitus determinata ad unum, electio*, seu optio *locum non habet*, ait S. Thomas, 1. 2. q. 13. art 2.

Eccli. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te .... Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eo loci vera exprimitur libertas: atqui locus ille restringi non debet ad Adam antequam lapsus esset, ut restringitur a Calvino: I. quia hæc verba, *Si volueris mandata servare*, idem sunt cum verbis Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: (*Matth.* x.) hæc autem & præsenti statui conveniunt, & libertatem maxime indicant; quia si Deus vitam æternam promitteret sub conditione operum, quæ in nostra potestate non essent, non tam ad bonum excitaret, quam illuderet; II. quia Augustinus (*De grat. & lib. arb. c.* 2.) agnoscit his Ecclesiastici verbis *apertissime* exprimi *liberum humanæ*

vo-

*voluntatis arbitrium*: III. quia idem sacer Scriptor sic loquitur de homine justo: ( *Eccli. c.* 31. ) *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: atqui hæc verba demonstrant hominem licet constitutum sub gratia, qua gloriam meretur, & malum amplecti, & Dei mandata transgredi posse; ergo.

Prob. II. ex Conciliis, Constantiensi Sess. 8. ubi proscripta fuit hæc Wiclefi propositio 27. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt*, & Tridentino Sess. 6. Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit .... anathema sit*. & Can. 4. eodem feriuntur anathemate qui dixerint *liberum hominis arbitrium non posse gratiæ dissentire, si velit*: atqui in systemate Jansenii non potest homo gratiæ dissentire, neque id velle potest, aut saltem non id aliter potest, quam possunt Beati in cœlis visionem Dei suspendere, quod utique non possunt.

Prob. III. ex Augustino, quem temere, & constanter objiciunt Novatores. S. Doctor Librum de grat. & lib. arb. non alio fine conscripsit, quam ut utrumque simul admitti debere ostenderet: *Quoniam*, inquit (*cap.* 1 ), *sunt quidam, qui sic gratiam defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium ..... hinc aliquid scribere ..... curavi*. Lib. 2. de nupt. & concup. c. 3. *liberum*, inquit, *in hominibus esse arbitrium, utrique dicimus: non hinc estis Cœlestiani, & Pelagiani, ista quippe Catholica fides dicit*; ergo conveniebat Augustinus cum Pelagianis de liberi arbitrii substantia, nec ab iis differebat, nisi quia gratiæ necessitatem impugnabant.

Prob. IV. communi, sed efficaci ratione S. Thomæ. Si homo non esset liber, *frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ* ( 1. *part. q.* 81. *art.* 8. ) Vel enim homo determinatus esset ad implenda præcepta, vel ad ea non implenda: si primum, frustra præciperentur, quæ necessario facienda essent, ut frustra præciperetur Beatis, ut Deum ament; si secundum, frustra prohiberetur, ut ea vitaret, a quibus non posset abstinere: ergo.

Obj. I. Ille non est liber, qui non habet in potestate vias suas: atqui homo..... Jerem. 10. v. 23. *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus, nec viri est, ut ambulet, & dirigat gressus suos*, ergo.

R. Cum S. Thoma, dist. min. Homo non habet in potestate vias suas quoad executionem, & exitum, quia sæpe accidit, ut ea, quæ sibi proposuit, executioni mandare nequeat, C. non habet.... quoad intentionem, propositum, mediorum electionem, subd. non habet solus, & sine Dei auxilio, C. cum ope divina, N. Solutionem hanc non obscure indicat alius Scripturæ locus: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus*.

Inst. I. Ille nullo sensu vias suas habet in potestate, qui captivatur sub lege peccati: atqui ex Apostolo Rom. 7. homo captivatur *sub lege peccati*.

R. dist. min. Captivatur quoad sensum, quia rebelles concupiscentiæ motus etiam invitus experitur, C. quoad consensum, N. De concupiscentia enim perinde ac de gratia verum est id, quod dixit Augustinus Lib. de spir. & lit. c. 34. *Consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est*.

Inst. II. Ille captivatur etiam quoad consensum, qui non facit quod vult, facit vero quod non vult: atqui ex Apostolo ibid.... *Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago*: ergo.

R. dist. min. Homo non facit quod vult in sentiendo, quia sentit motus, quos sentire nollet, C. non facit quod vult in consentiendo, id est, consentit necessario, N. Pergit Apostolus *Si quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud*; ergo motus illi ad peccatum non imputantur, nec proinde sunt vere liberi.

Inst. III. Ille non facit quod vult etiam in consentiendo, cujus non est velle, nec currere: atqui ex Apostolo Rom. 11. *non est volentis, neque currentis*.

R. dist. Non est volentis solius, C. non est volentis cum gratia Dei, N. Homo eget quidem gratia Dei ad bonum supernaturale, quod solis suis viribus operari nequit; at gratiæ huic *dissentire potest si velit*, ut ait Tridentina Synodus ubi supra.

Obj. II. S. Augustinum pluribus in locis. Sic in Epist. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*. Enchir. c. 30. *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum*.

R. dist. Homo perdidit liberum arbitrium, id est, libertatem a peccato, & miseria, C. libertatem indifferentiæ, subd. amisit quoad aliquid, quia libertas ejus per peccatum vulnerata est, & imminuta, C. amisit simpliciter, & quoad substantiam, N. Solutio est ipsius S. Augustini, qui mentem suam diserte explicat Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. c. 2. *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam, &c.* Et vero non aliter homo juxta Augustinum libertatem perdidit, quam semetipsum: atqui homo semetipsum non perdidit quoad substantiam, ita ut desierit esse homo; ergo.

Inst. I. Libertas quoad substantiam importat indifferentiam ad bonum, & malum: atqui hanc homo per peccatum amisit ex Augustino. Cum ei incumbat dura peccandi necessitas: *Quia peccavi*, ait S. Doctor, *secuta est peccantem peccandi dura necessitas* (*L.* 2. *de perf. justit. c.* 5.)

R. ad I. neg. min. ad II. dist. Homini incumbit dura necessitas, moralis tamen, & absolute vincibilis, C. invincibilis, N. Pelagiani, rejecto peccato originali, existimabant, hominem *pari momento se ad vitia, vel virtutes movere*; ut errorem hunc confutet Augustinus, totus ubique contendit per Adæ peccatum invectam esse aliquam peccandi necessitatem: verum S. Doctor necessitatem hanc, etsi duram, & prementem, nullibi invincibilem esse dicit, imo eam vinci posse docet pluribus in locis. Sic Lib. 2. de Actis cum Felice c. 8. *Consuetudo*, inquit, *quantumvis roborata ab homine superari potest*. & Lib. 1. Operis imperfect. *Ut non adsit ista necessitas peccandi, donat ille cui dicitur: De necessitatibus meis erue me*.

Obj. III. Ille non est liber, qui necessario sequitur id, quod eum amplius delectat: atqui homo necessario sequitur..... juxta id August. *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*.

R. 1. mirum esse, quod Jansenius toties, ac tam confidenter

fidentec locum hunc S. Augustini citaverit; is enim textus desumptus est ex Commentario in Epist. ad Galat., quem S. Doctor scripsit an. 394. atqui eo tempore versabatur Augustinus adhuc Presbytec in ecrore Semipelagianorum, prout fatentur omnes; quomodo igitur jam tunc credere potuit gratiam ita esse efficacem, ut necessario consensum voluntatis allicecet?

R. II. dist. min. Homo necessario sequituc id, quod eum amplius delectat delectatione liberata, C. indeliberata, subd. sequitur necessario, sed necessitate impcoprie dicta, C. necessitate proprie dicta, N. delectatio duplex; alia, quæ omnem voluntatis consensum præcedit, eumque allicit, & excitat; alia deliberata, a qua mens in objecto sibi suaviter proposito libece conquiescit. Verum quidem est, quod homo necessario agat secundum id, quod deliberate eum magis delectat; quod enim deliberate hominem magis delectat, est id, quod præ alio eligit: pocro necesse est, ut id homo amplectatuc, quod præ alio eligit, & hoc est, quod docere solent Philosophi, cum ajunt, voluntatem semper sequi ultimum judicium practice practicum, quod utique nisi sequeretur, non esset ultimum. Verum hæc necessitas consequens est, & hypothetica, quia sequitur liberam determinationem voluntatis, quæ e diversis objectis illud libere elegit, quod eligere maluit. Jam vero quod Augustinus de tali delectatione loquatur, vel hinc patet, quod, ut jam dictum est, Augustinus aduc esset in errora Semipelagianorum, qui ultra modum libertatis defensores erant, prout ipse agnoscit Jansenius.

Quod si Augustinus intelligatur de delectatione indeliberata, dicendum est, necessitatem, quam ex hac delectatione sequi docet S. Doctor, non esse veram, sed improprie dictam necessitatem, quæ a mente semper vinci potest, ut colligitur ex textibus Augustini supra adductis. Sed de his ubi de Gratia.

CONCLUSIO II. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ cequiritur libertas a necessitate, nec sufficit libertas a coactione. Ita definierunt Innocentius X. & Alexandec VII. contra tertiam Jansenii propositionem. Præiverat S. Pius V. damnando hanc 67. Baii assertionem, *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

Prob. I. ex Scripturis. Illud ad merendum cequiritur, unde Scriptura meritum hominis repetit: atqui ex libertate, prout vecam quamcumque necessitatem excludit, hominis meritum repetit Scriptuca. Sic Eccli. 31. meretur homo gloriam, quia *potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; sic I. Corinth. 7. *Bene facit*, & laude dignus est, qui *non habens necessitatem*, sed e contra *potestatem habens suæ voluntatis, judicavit in corde suo servare virginem suam*. Sic demum demeretur Cain, quia *appetitus* sui, quem coercere poterat, non *dominatur*; ergo.

Prob. II. ex Augustino, in quo præcipue confidit Jansenius, quasi vero S. Doctoc aliud senserit, quam antiqui Patres, aut magnæ esse possit autoritatis, si ab unanimi eorum sententia recesserit.

Sed absit, ut non sit noster Augustinus. Lib. de nat. & gr. c. 65. hæc S. Hieronymi verba refert. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est*, moxque ea quasi indubia approbat his verbis: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* atqui S. Hieronymus constanter sensit ad meritum requiri veram ab omni necessitate immunitatem; ergo idem sensit Augustinus.

Lib. de II. animab. cap. 11. *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere... etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui.... id non faciat, quod facere non potest?* En juxta S. Doctorem ille solum peccat, vituperationemque, & supplicium meretuc, cui liberum est abstinere a peccato, quique id, quod non fecit, facere potuit; ergo pessime dixit Jansenius, quod *Augustinus nihil omnino curat, an talis peccandi libertas adsit, sive non adsit, sed ei abunde satis esse, quod peccator .... plena voluntate feratur in malum.* (*L. 4. de statu nat. laps., c. 24.*)

Lib. III. de lib. arb. c. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem, caveri igitur potest?* & alibi: *Habemus liberum voluntatis arbitrium, & eo solo peccamus* (*Lib. 2. c. 1.*)

Idem expresse docet S. Thomas q. 6. de malo *Quidam*, inquit, *posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, & demeriti in humanis actibus .... est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis.* Hæc S. Doctoris censura adversus tectiam Jansenii propositionem quasi prophetice lata videtuc.

Prob. III. ratione. Actus humani sunt actus morales: atqui si ad mecitum, & demeritum sufficiat ratio voluntarii, jam actus illi non ecunt morales. Actus enim ideo morales dicuntuc, quia cegulis morum subjacent, & ab iis dirigi possunt, sed actus pure spontanei morum regulis subjacere non possunt. Actus enim, qui cegulæ subjiciuntuc, non debent esse invariabiles secundum se, frustra enim applicaretur cegula actioni, quæ aliter fieri non potest: sed actus pure voluntarii sunt secundum se invariabiles; sunt enim ad unum necessario determinati, ut patet in amore beatitudinis in communi; ergo.

Obj. I. Ad merendum, &c. sufficit vera libertas: atqui ubi est immunitas a coactione, ibi est ex S. Augustino vera libertas.

Prob. min. ex Lib. de duab. animab. Libertas, inquit, *est animi motus cogente nullo ad aliquid* Lib. de vera Relig. c. 14. ad peccatum cequirit dumtaxat S. Doctor, ut sit *voluntarium*; ergo.

R. dist. min. ubi est immunitas a coactione late sumpta, seu ubi est spontaneitas, tum stricte, tum late sumpta, ibi est libertas, C. ubi est immunitas a coactione stricte sumpta, seu mera, & pura spontaneitas, ibi est libertas. N. Sicut coactio, ita & spontaneitas dupliciter sumitur, stricte, & late. Coactio stricte sumpta est necessitas ab extrinseco; coactio late sumpte est necessitas ab intrinseco: unde spontaneitas, stricte accepta, est quod idem, ac propensio voluntatis

ex-

excludens quidem necessitatem ab extrinseco, non autem eam, quæ ab intrinseco oritur, spontaneitas vero, late sumpta, excludit determinationem invincibilem ad unum undecumque hæc oriatur, adeoque veram agendi, vel non agendi potestatem importat. Fateor itaque, quod juxta SS. Patres, ibi sit libertas, ubi est vel immunitas a coactione, late sumpta, vel quod idem est, spontaneitas, late accepta: sed nego, quod juxta eosdem SS. Patres, eo ipso subsistat alicubi libertas, quo ibidem reperitur immunitas a coactione, stricte sumpta, seu mera, & pura spontaneitas. Immunitas enim a coactione, stricte sumpta, seu a vi exterius illata, secum compatitur veram peccandi necessitatem sub impulsu concupiscentiæ: veram quoque bene agendi necessitatem sub impulsu gratiæ: atqui nullibi docuerunt SS. Patres, hominem si vere necessitetur sive a gratia, sive a concupiscentia, eam habere libertatem, quæ ad meritum, vel demeritum sufficiat, imo contrarium expresse tradiderunt, ut patet ex allatis supra probationibus; ergo.

Obj. II. ex Augustino pluribus in locis, *illud nos habere in potestate*, adeoque & in libertate *dicimus, quod, cum volumus, facimus* (*Lib. 3. de lib. arb. c. 3.*) sed ea, quæ maxime necessaria sunt, facimus, cum volumus, & quia volumus: an non enim bonum in communi amamus, quia volumus?

R. dist. maj. quod cum volumus facimus, ita ut possimus nec velle, nec facere, C. secus, N. Ut indubia sit solutio, satis est quod Augustinus *voluntatis* nomine non intelligat generaliter, & late facultatem volendi, prout solum voluntarium exprimit, sed strictius facultatem volendi libere: atqui res ita est. Ipse sibi interpres erit S. Doctor: *Hoc*, inquit, *quisque habere in potestate dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit*, (*Lib. de spir. & lit. cap. 31.*); id est, quod ex æquo facere potest, vel non facere; nam *peccati reum dicere eum, qui non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ*; (*L. 2. de anim. c. 11. & 12.*) ut alibi tradit Augustinus.

Obj. III. ex S. Thoma in 2. dist. 40. q. 1. art. 1. *Actus sunt in genere moris, ex hoc quod sunt voluntarii*: sed actus pure spontanei sunt voluntarii; ergo.

R. cum Thomistis, S. Thomam in hoc textu sumere voluntarium pro libero, non autem pro spontaneo. (*Genet. p. 117.*)

Inst. Ubi est necessitas naturalis; ibi non est nisi voluntarium stricte sumptum pro spontaneo: atqui ubi est necessitas naturalis, ibi est ex S. Thoma libertas. *Necessitas naturalis*, ait, *non aufert libertatem voluntatis* (*1. p. q. 82. art. 1.*)

R. ad I. neg. min. ad II. dist. Necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis spectatæ quoad potentiam, C. spectatæ quoad actum, N. Itaque si S. Thomas hoc unum dicere velit, eam facultatem, quæ aliquos actus necessario elicit, v. g. amorem beatitudinis in communi, nonobstante hac necessitate, remanere liberam circa alios actus, profecto jam nihil facit contra nos, qui hoc sponte fatemur: atqui hanc esse mentem S. Doctoris patet 1. quia loquitur de libertate potentiæ, non de libertate actus. *Necessitas naturalis*, ait, *non repugnat voluntati, non aufert libertatem voluntatis*; 2. quia libertatem per indifferentiam alibi diserte exprimit: *Ad libertatem arbitrii pertinet*, inquit, *ut aliquam actionem facere possit, vel non facere: & hoc Deo* ipsi *convenit, bona enim, quæ facit, potest non facere.* (*In 1. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2.*)

Quod si D. Thomas intelligatur de libertate actus, aliter distingui potest cum Cajetano: necessitas naturalis quoad specificationem non aufert libertatem etiam ratione actus, C. necessitas naturalis quoad exercitium non aufert libertatem, N. Sic necessitas, qua fertur homo in amorem beatitudinis in communi, non impedit, quominus in exercitio hujus amoris liber sit: etsi enim non possit homo beatitudinem odisse, potest tamen de ea actu non cogitare, & amoris actum erga illam non excercere, ut expresse tradit S. Doctor.

Obj. IV. Christus circa mortem subeundam non fuit liber a necessitate, cum non potuerit transgredi præceptum a Patre acceptum de morte subeunda: atqui tamen Christus meruit, sibi quidem *nomen, quod est super omne nomen*; (*Philip. 2. 9.*) nobis vero gratiam, & gloriam; ergo.

R. neg. maj. & dico, Christum in morte subeunda fuisse liberum, nec tamen potuisse transgredi mandatum Patris. Ut enim vere fuerit liber, absque eo quod Patris præceptum transgredi posset, satis est, quod mandati hujus dispensationem petere potuerit: atqui dispensationem hanc petere potuit Christus, quod ipse clare dicit Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* His enim verbis vult Petro probare se libere mori: atqui id non probaret, si verba hæc alium haberent sensum.

(✠) Quum Calviniani, aliique humanæ libertatis hostes ex hoc argumento petito a Christi libertate occasionem captent, veram ad meritum libertatem necessariam non esse asserere; hinc prolixius huic argumento cum Divo Thoma respondendum est, atque omnes illorum cavillationes sunt refellendæ. At plura in antecessum observanda sunt.

Animadvertendum primo venit cum Angelico Doctore, libertatem contrarietatis, quæ consistit in peccandi potentia, defectum esse, atque libertatis imperfectionem, neque ad libertatis essentiam pertinere. „ Ubi non est defectus in apprehendendo, *inquit S. Doctor qu. 22. de verit. in corp.* „ & consequendo, „ non potest esse voluntas mali in iis, quæ sunt ad finem, sicut patet in Beatis, & pro tanto dicitur, quod velle malum, nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit libertatis signum. *Rursus in 2. dist. 25. q. 1.* „ Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel ad malum: quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, cum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum, qui apprehenditur ut bonum, cum non sit voluntas, vel electio, nisi boni, aut apparentis boni: & ideo ubi est perfectissime liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest; sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit. Et hoc Deo convenit; bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest. „

Se-

II. Ex eodem S. Doctore ad libertatem arbitrii per se non pertinere posse peccare, sed hoc esse status imperfectionem. „ Sicut non posse peccare, *ait* 2. 2. *q.* 83. *ar.* 4., non diminuit libertatem, ita etiam necessitas firmatæ voluntatis in bono non diminuit libertatem, ut patet in Deo, & Beatis: & talis est necessitas voti similitudinem quamdam habens cum confirmatione Beatorum. „ *Præterea q.* 16. *de malo art.* 5. „ Non pertinet ad rationem alicujus potentiæ, quod deficiat in suo actu, sicut non pertinet ad rationem potentiæ visivæ, quod aliquis obscure videat. Et ideo nihil prohibet inveniri liberum arbitrium, quod ita tendat in bonum, quod nullo modo potest tendere in malum, vel ex natura sua sicut in Deo, vel ex perfectione gratiæ sicut in hominibus, & Angelis Beatis. „

III. Ex Angelico ad libertatem proprie dictam necessarium esse, ut, qui libero pollet arbitrio, possit ex pluribus possibilibus specie distinctis eligere quod magis placet servato, & non prætergresso ordine finis. „ Unicuique, *inquit S. Th. ibid.*, naturaliter convenit unus finis, quem naturali necessitate appetit, quia natura semper tendit ad unum: sed quia ad unum finem multa ordinari possunt; appetitus intellectualis, vel rationalis naturæ potest tendere in diversa, eligendo ea, quæ sunt ad finem. Et hoc modo Deus tamquam proprium finem naturaliter vult suam bonitatem, nec potest non velle eam. Sed quia ad bonitatem ejus ordinari possunt diversi modi, & ordines rerum, voluntas ejus non sic fertur ad unum in suis effectibus, quin, quantum est de se, possit ferri ad aliud: & secundum hoc competit Deo libertas arbitrii, similiter & Angelus, & homo habent finem naturalem sibi præstitutum, *beatitudinem*, unde naturaliter appetunt eam, nec possunt velle miseriam, ut Augustinus dicit lib. 8. de Trin.; sed quia ad beatitudinem diversa possunt ordinari in eligendo ea, quæ sunt ad finem, potest voluntas tam hominis, quam Angeli boni, vel mali in diversa ferri. „

Si hæc diversa, in quæ ferri potest liberum arbitrium, sint ab extrinseco mala ratione præcepti, vel voti, vel ex conditione perfectæ naturæ operantis, tunc qui peccare nequit, in ipsa ferri non potest, non ex illorum conditione, sed ex proprietate sui status, vel perfectionis; atque hoc ad perfectionem suæ libertatis maxime conducit. Quandoquidem libertas specificationis hisce in circumstantiis fieret libertas contrarietatis, quæ, ut num. 1. adnotavimus, est quædam liberi arbitrii imperfectio. „ Unde quod liberum arbitrium, *ait S. Thomas*, eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus, sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, pertinet ad defectum libertatis. Unde major est libertas arbitrii in Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus. „ 1. *p. q.* 62. *ar.* 8.

IV. Ad liberi arbitrii essentiam omnino necessariam esse exercitii libertatem, quæ est facultas eligendi ex pluribus possibilibus actibus, quem magis placet, seu facultas ponendi, vel non ponendi actum, atque ita ponendi, ut servetur potentia illum non ponendi, „ Liberum arbitrium, *inquit S. Th.* 2. *d.* 24. *q.* 24. *ar.* 3. est potentia ad oppositos actus se habens. „

Semper in rationali voluntate habetur hæc potentia, quoties objectum movens ipsam voluntatem, seu ad quod fertur ipsa voluntas, capax non sit implendi totam voluntatis habitudinem, seu illi non proponatur sub omnimoda ratione boni. „ Si apprehendatur, *ait Angelicus q.* 6. *de malo*, aliquid ut bonum, & conveniens secundum omnia particularia, quæ considerari possunt, ex necessitate movebit voluntatem, & propter hoc homo ex necessitate appetit beatitudinem ..... Dico autem ex necessitate quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum, non autem quantum ad exercitium actus, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine ..., Si autem sit tale bonum, quod non inveniatur esse bonum secundum omnia particularia, quæ considerari possunt, non ex necessitate movebit, etiam quantum ad determinationem actus: poterit enim aliquis velle ejus oppositum, etiam de eo cogitans; quia forte non est bonum, vel conveniens secundum aliquod aliud consideratum. Sicut quod est bonum sanitati, non est bonum delectationi, & sic de aliis. „ *Rursus qu.* 22. *de verit. ar.* 8. „ Si proponatur voluntati aliquod bonum: quod completam rationem boni habeat, ut ultimus finis, propter quem omnia appetuntur, non potest voluntas hoc non velle: Unde nullus potest non velle esse felix, aut velle esse miser. In his autem, quæ ad finem ultimum ordinantur, nihil invenitur adeo malum, quin aliquod bonum admixtum habeat, nec aliquod adeo bonum, quod in omnibus sufficiat. *Unde quantumcumque ostendatur bonum, vel malum, semper potest adhærere, & fugere in contrarium ratione alterius, quod in ipso est.* „

Jam vero hisce prajactis fundamentis liquido constat, quomodo Christus Dominus, etiam supposito Patris præcepto de morte subeunda, & liber fuerit, & vere meruerit. Satis enim est distinguere cum D. Thoma præceptum a re præcepta; circa præceptum quatenus præceptum nulla erat in Christo libertas, quia non pollebat libertate contrarietatis; circa rem præceptam vero perfectissima fuit in Christo & libertas quoad specificationem, & libertas quoad exercitium: etiamsi supponatur cum quibusdam optimæ notæ Theologis, quod Patris præceptum sese extenderet ad omnes, & minimas mortis suæ circumstantias; etenim objectum cujuslibet actionis, puta mortis, tanti non erat, ut apprehendi posset secundum omnia particularia tamquam aliquid boni & convenientis, imo solum apprehendebatur ut conveniens, quatenus actio erat a Patre præcepta, & tendebat ad generis humani salutem; mala vero prout erat sui compositi destructiva, & bono naturæ, atque suæ humanitatis conservationi opposita: hinc ex necessitate illius voluntatem non movebat, quandoquidem ex superius dictis cum Angelico, *tunc objectum ex necessitate movet, quando secundum omnia particularia, quæ considerari possunt, apprehenditur ut bonum, & conveniens*; adeoque Christus liber fuit circa præceptum

subeun-

subeundæ mortis, quia poterat velle non mori, non equidem ut definita mors subest præcepto; hoc enim spectat ad libertatem contrarietatis, atque ad *electionem mediorum non servato, sed prætergresso ordine finis*, sed præcise, quia mors secundum se considerata neque necessariam connexionem cum finis adsecutione habebat, scilicet reparatione generis humani, quia multis aliis modis humana natura reparari potuisset, neque adinstar summi boni capacitatem humanæ in Christo voluntatis replere poterat, quod satis est ex dictis, ut homo perfecte liber & dicatur, & sit.

Sane justi sub sancta Dei delectatione, inquit Angelicus Doctor q. 6. de malo ad 3. post Divum Augustinum, *cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta*, inquit Joannes II. epist. 3. ad Sen. *Romana sequitur, & servat Ecclesia*. „ Immutabiliter pro-„ pter efficaciam virtutis moventis ad operandum ex-„ citantur. Et tamen propter naturam voluntatis, „ quæ indifferenter se habet ad multa, non inducitur „ necessitas, sed remanet libertas „ eo ferme modo, quo licet humana voluntas in nullum ferri possit objectum, nisi sub ratione boni, & convenientis; attamen circa quodcumque bonum, excepto summo bono clare cognito, ex libertate movetur.

Responsio tota est Sancti Thomæ 3. p. q. 47. ar. 2. in corpore, & ad primum, atque ad secundum potissimum, ubi idem solvit argumentum dicendo, „ quod obedientia etsi importat necessitatem respectu „ ejus, quod præcipitur, tamen importat volunta-„ tem respectu impletionis præcepti: & talis fuit obe-„ dientia Christi: nam ipsa passio, & mors secun-„ dum se considerata naturali voluntati repugnabat. „ Volebat tamen Christus Dei voluntatem circa hoc „ implere. „ (✠)

Obj. V. Gratia per se efficax ad omnes, & singulos pietatis actus est necessaria: atqui gratia per se efficax destruit libertatem a necessitate, solamque relinquit immunitatem a coactione. Ea enim gratia omnem proprie dictam libertatem destruit, quæ est necessaria consensus humani causa: atqui gratia per se efficax.... Ea enim gratia necessaria est humani consensus causa, quæ essentialem habet cum voluntatis consensu connexionem, & ex qua tam impossibile est, ut consensus non sequatur, quam impossibile est, ut proprietates non sequantur ex rei essentia: atqui talis est gratia efficax per se, & ex natura sua, ut patet ex terminis; ergo.

R. data majore, quæ ad alium Tractatum pertinet, resp. inquam ad 1. & 2. neg. min. ad 3. dist. Gratia per se efficax essentialem habet cum effectu suo connexionem, id est, habet ex se, & vi propria virtutem eliciendi infallibiliter consensus humani, C. id est, consensum hunc necessario parit, eo modo quo ex essentia fluunt rei proprietates, N. Itaque ambiguum est gratiæ *per se* efficacis nomen, aliterque ab Hæreticis, aliter a Catholicis intelligitur. Gratia efficax juxta Novatores ita voluntatem movet, ut ei dissentire nequeat; juxta Catholicos gratia non est per se efficax, nisi quatenus ex se vim habet efficiendi, ut voluntas infallibiliter consentiat, licet eadem voluntas completam, & expeditam habeat dissentiendi potestatem: nam motio Dei, ut ex S. Thoma (1. 2. *q.10. art. 4.*) docet Sylvius, efficit quidem, ut mens infallibiliter operetur, non autem tollit a voluntate potentiam non operandi. Sed de his plenius in Tractatu de Gratia.

CONCLUSIO III. Essentia libertatis in genere non consistit in solo voluntario, sed ad eam necessario requiritur indifferentia contradictionis. Est contra Jansenium Lib. 6. de grat. Chr. per totum, Henricum a S. Ignatio Tom. 1. Lib. 2., & alios quosdam, qui pro se S. Thomam, & Thomistas *ambitiose* citant, sed perperam, *cum nullus possit dici vere Thomista, qui neget indifferentiam ad libertatis essentiam pertinere*, ut optime notat Gonet Tom. 3. pag. 119.

Prob. I. ex S. Thoma q. 24. de verit. art. 3. *Oportet*, inquit, *dicere in Deo liberum arbitrium inveniri, similiter & in Angelis; non enim ipsi ex necessitate volunt.* & infra ad 4. *Voluntas divina se habet ad opposita, non quidem ut aliquid velit, & postea nolit; nec ut possit velle bonum, & malum.... sed quia potest hoc velle, & non velle*: atqui si S. Thomas credidisset spontaneitatem solam ad veram libertatem requiri, non dixisset Deum ideo esse liberum, *quia potest hoc velle, & non velle*, & quia quod vult, *ex necessitate non vult, &c.* sed eandem hanc, & obviam attulisset rationem, Deus liber est, quia quæ etiam necessario vult, sponte vult, & non coacte.

Prob. II. Damnatæ sunt a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. hæ Baii Propositiones: *Quod voluntarie fit, etsi necessitate fiat, libere tamen fit.* & iterum: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*: atqui si essentia libertatis in solo voluntario consistat, eæ propositiones præcise sumptæ censuram non merentur.

Prob. III. Ad veram, & proprie dictam libertatem requiritur, ut agens actus suos in potestate sua habeat, & eorum dominus sit, ut indicat tum id Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*; tum id Apostoli I. Corint. 7. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*: atqui actus a sola coactione immunes non sunt in potestate, & dominio agentis, ut male contendit Jansenius: nam I. ex S. Thoma 1. p. q. 82. art. 1. *sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere*: sed qui ad unum necessario fertur, quantumvis spontanee, non potest hoc, vel illud eligere; ergo nec actionis suæ dominus est, nec liber; II. ex S. Augustino: *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit*; (*L. de spir. & lit. c. 31.*) seu, ut loquitur S. Clemens Alexandrinus Lib. 4. Strom. sub finem, *Id est in potestate nostra, cujus ex æquo sumus domini, & ejus, quod ei adversatur: ut philosophari, vel non; credere, vel non*: atqui de eo, quod homo necessario facit, dici non potest, quod illud faciat, si vult, aut non faciat, si non vult. Quis enim præter Jansenium serio dixerit Deum amare se, si vult, non amare, si non vult? Quis dixerit Patrem, & Filium, qui maxima spontaneitate Spiritum sanctum spirant, eundem habere sub potestate sua, & dominio?

Prob. IV. Certum est Manichæos, Wiclefum, Calvinum, Lutherum, & alios id genus Novatores veram homini eripuisse libertatem: atqui falsum hoc erit, si libertas in spontaneitate sola consistat. Nemo enim

pote-

negavit unquam, aut negare potuit, voluntatem non nisi volendo velle. *Voluntas*, ait Lutherus, Lib. de libero arb. *mera lubentia, & pronitate, ac sponte sua vult, & facit, non coacte, pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset, nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas*. & Calvinus Lib. 2. de lib. arb. *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero, ac pro hæretico habeo quisquis secus sentiat.*

Prob. V. ex Augustino. Conciliatio libertatis cum gratia *ita est.... difficilis.... ut quando asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*: (*L. de Grat. Chr. n.* 32.) si libertas proprie dicta in solo voluntario consistat, difficultas hæc, quæ tot magni nominis Doctores attrivit, jocularis est, & fictitia; nec ullus erit, qui postquam prima Philosophiæ elementa salutaverit, facile non concipiat voluntatem a gratia motam spontanee operari. Imo an non ipsæ mulierculæ facile percipiunt Beatos in cœlis Deum ex tota voluntatis propensione diligere, ita ut & necessario diligant, & tamen non diligant inviti?

Obj. I. Actus, qui est in potestate nostra, vere liber est: sed actus quilibet eo ipso quo voluntarius est, est in potestate nostra. Prob. min. 1. ex S. Augustino: *Hoc est*, inquit, *in potestate nostra, quod, cum volumus, facimus*. & alibi: *Quod si fieri non potest, ut, dum volumus, non velimus.... voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse quod habemus*; (*Lib.* 1. *Retract. c.* 22. *L.* 3. *de lib. arb. c.* 3. *T.* 1. *p.* 613.) ergo ex S. Doctore actus omnis eo ipso quo est a voluntate, est in potestate nostra, & eo ipso quo est in potestate nostra, *non potest non esse* liber.

R. ad I. neg. min. ad 2. dist. cum Thomistis: illud est in voluntate nostra, quod, cum volumus, facimus, id est, quod facere possumus, vel non facere, quodque cadit sub electionem, & determinationem voluntatis, C. id est, quod sponte facimus, licet necessario, N. Itaque locutus est S. Augustinus juxta communem cogitandi, & loquendi modum: porro cum dicitur nos facere aliquid *cum volumus*, aut *si volumus*, quæ duo promiscue usurpantur ab Augustino, subintelligi solet, juxta communem hominum sensum, nos etiam illud non facere *cum nolumus*, aut *si non volumus*, ita ut penes nos sit velle, aut nolle, facere, aut non facere, prout libet, ut alibi docet S. Augustinus. (*L. de spir. & lit. c.* 31.) Hinc bene dicitur, Deum posse annihilare mundum cum volet, & si volet, sed male prorsus diceretur, Patrem posse generare Filium cum vult, & si vult; quia, ut optime notat S. Thomas 1. 2. q. 21. art. 2. ad 2. *actus naturales non sunt*, nec esse dicuntur *in potestate naturalis agentis, cum natura sit determinata ad unum.*

Obj. II. Patres docent hominem libere operari, eo ipso quod sponte agit, & non coacte; ergo libertas ut sic consistit in sola immunitate a coactione.

Prob. ant. ex S. Augustino, qui eodem Lib. 3. de Lib. arb. cap. 4. ait homines, quorum peccata præscit Deus, juste puniri, quia Deus *neminem ad peccandum* cogit. Hinc apud Ecclesiæ Doctores voluntarium, seu spontaneum, & liberum sunt omnino synonyma; unde S. Prosper: *Liberum arbitrium, est rei sibi placitæ spontaneus appetitus* (*lib. contra Collat. c.* 9. *alias* 28.) & S. Damascenus Lib. 3. de fide cap. 14. *Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas*; id est *animi motus cogente nullo*, ut loquitur Augustinus Libr. de duabus animabus cap. 1. ergo eo ipso quod creatura non cogitur, sed *cogente nullo*, & *spontanee* quid facit, eo, inquam, ipso vere libera est.

R. dist. ant. docent Patres hominem operari libere, cum non operatur coacte, id est, cum non operatur necessario, C. id est, cum immunis est a coactione stricte sumpta, N. Coactionis nomen multipliciter sumitur: 1. *stricte* pro vi illa interna, & plane impossibili, qua voluntas invita prorsus, ac reluctans adigeretur ad volendum; hoc sensu coactum sumitur a Philosophis, ac Theologis, cum definitur Id, quod est a principio extrinseco, renitente in contrarium passo; 2. *minus* pro determinatione necessaria ad unum, seu pro simplici necessitate libertati opposita; hoc sensu *coactionis* nomen a Patribus sumi consuevit, ut pridem animadverterunt Eckius, Bellarminus, aliique Catholici cum Calvinianis disputantes. Sic autem a S. Augustino sumptum esse non semel, ne ipse quidem Jansenius inficiari potest; cum enim, v. g. dicit S. Doctor Lib. 1. Retract. c. 15. n. 3. primos parentes peccati reos teneri, quia *nullo cogente* peccaverunt, & *tentator suasit, ut hoc fieret, non coegit*; idem est, teste Jansenio, ac si diceret, reos fuisse primos parentes, quia peccaverunt sine ulla prorsus necessitate; 3. *latissime* pro vi quadam morali, quæ nec stricte voluntatem cogit, cum id sit impossibile, nec eam necessario ad unum determinat, cum adhuc ad aliud flectere se possit. Sic si nauticus excuset se, quod alicujus merces in mare projecerit, indubie dicet se coactum fuisse mortis periculo; sic si quis avarus mendicorum turbæ mortem minitanti, nisi pecuniam dederit, crumenam porrigat, dicetur *coacte* agere, tametsi actio ejus immunis sit tum a rigida illa coactione, tum a simplici necessitate physica, cum voluerit pecuniam largiri, & ita voluerit, ut contrarium velle posset.

Non minor est harumce vocum *sponte*, *volens* ambiguitas: cum enim spontaneum opponatur coacto, tot *spontanei*, quot *coacti* species esse debent; unde spontaneum sumitur 1. prout excludit internam violentiam, quæ voluntati nunquam inferri potest; 2. prout excludit necessitatem physicam; 3. prout excludit eam necessitatis speciem, quæ moralis dicitur. Hæc distinctio usque adeo certa est, ut Jansenius ipse fateatur, ex mente Augustini (*L.* 8. *de stat. nat. laps. c.* 21.) *sponte*, ac *volentem* eum agere, qui nulla necessitate ad agendum impellitur; eum vero dici posse *cogi*, & agere non *volentem*, qui *timore compulsus aliquid facit*. Neque vero id cuipiam mirum videri debet, quia cum barbaræ, quibus nunc utimur, voces *necessitari*, & *necessitare* in usu non essent, quod per eas exprimimus, per *coactionis* nomen exprimebatur: unde Patres, qui ajebant hominem esse liberum, quia non cogitur, quia sponte fertur in objectum, id unum volebant, homi-

nem

nem esse liberum, quia sine necessitate in objectum fertur. Quapropter non aliter de Protoparente, & Angelis loquebautur, ut eorum libertatem exprimerent, ut patet ex citato S. Augustini textu, & aliis pluribus, quos citat Dechamps de hæresi Jansen. Lib. 3. dist. 2. cap. 16.

CONCLUSIO IV. Indifferentia ad bonum, & malum, seu potentia peccandi non pertinet ad essentiam libertatis; pertinet tamen ad statum puri hominis viatoris.

Prob. I. pars ex Thoma in 2. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. *Ad rationem liberi arbitrii non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel malum.... & ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest, quia imperfectum esse non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit; & hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest*: quæ S. Doctoris ratiocinatio paucis sic reddi potest: In Deo circa *bona*, *quæ* nobis *facit*, vera est libertas: atqui in Deo nulla est indifferentia ad malum, quia *malum facere non potest*; ergo.

Prob. II. pars: I. Illud pertinet ad libertatem hominis viatoris, per quod ea libertas tum in Scripturis, tum in Conciliis, & Patribus explicari solet: atqui libertas hominis, ut nunc est, explicatur per potestatem extendendi manum ad bonum, & malum. Unde S. Hieronymus Epist. 146. *Solus Deus est*, ait, *in quem peccatum non cadit, cætera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem*; ergo.

II. Si potentia peccandi non sit pars libertatis nostræ, neque etiam potentia non peccandi, seu abstinendi a peccato ejusdem libertatis pars erit: atqui potentia abstinendi a peccato est pars libertatis nostræ, ut fateri debent, qui contra nos sentiunt, nisi libertatem constituere velint, quæ sit sine potentia tum peccandi, tum abstinendi a peccato. Major prob. quia libertas circa unum e contradictoriis involvit libertatem circa alterum, ut salva sit utriusque optio, secundum id S. Thomæ: *Si operari est in potestate nostra, oportet etiam, quod non operari sit in potestate nostra, & e converso*; ergo si potentia abstinendi a peccato sit pars libertatis nostræ, potentia peccandi debet esse pars ejusdem libertatis.

Dices: Voluntas, in qua residet libertas, non habet pro objecto nisi bonum; ergo circa peccatum versari non potest; ergo peccandi potentia non est pars libertatis.

R. Dist. Voluntas habet pro objecto bonum ut abstrahens ab honesto, utili, & jucundo, C. bonum quod necessario sit honestum, N. Solutionis veritatem docet infelix, & frequens experientia.

## CAPUT SECUNDUM

*De principiis extrinsecis Actus humani.*

Actus omnis fit propter finem: finis omnis est bonus, aut spectatur ut talis; finis simpliciter ultimus est etiam summum bonum, & beatitudo. Unde hic disseri posset de bono, de fine, & de beatitudine, quæ, ut supra dictum est, tria sunt extra actuum humanorum principia. Quia vero consideratio boni, prout a fine, & beatitudine distinguitur, ad Philosophos pertinet, non loquemur nisi de fine, & beatitudine.

### ARTICULUS PRIMUS

*De Fine.*

Finis, prout hic sumitur, definitur a Theologis *Id, cujus gratia fit aliquid*: sive est *bonum per se, cujus obtinendi gratia assumitur medium*: I. est *bonum*, verum scilicet, vel apparens, quia voluntas non potest amare, nisi id, quod sibi bonum videtur; malum enim, qua malum, voluntatem non allicit, sed avertit potius, & fugat; II. est bonum *per se*, id est, per se, & propter se conveniens; si enim spectaretur ut conveniens propter aliud, jam non esset finis, bene vero illud aliud, ad cujus assecutionem conveniens foret; III. *cujus gratia fit aliquid*, seu *assumitur medium*, id est illud omne, quod ad finis assecutionem inservire posse judicatur.

Hinc patet 1. finem esse primam omnium hominis operationum causam, quatenus est principium tum consultationis, qua de mediis, mediorumque delectu disquiritur, tum operationis, qua ejusmodi media actu adhibeutur. Patet 2. bonum, & finem non reciprocari, quia licet finis omnis sit saltem apparenter bonus, cum alioqui non appeteretur, non omne tamen bonum est finis, sive qoia multa sunt bona, quorum gratia nihil fit, ut patet in scientia, quam pauci habere student; sive quia medium omne licet bonum, non est tamen finis.

Quæres 1. quomodo dividatur finis.

R. I. finis alius est *qui*, estque res illa, & objectum, quod per media consequi intendimus, unde dicitur finis *ut res*, vel finis *objectivus*. Aliud est *cui*, estque suppositum, cui quæritur res, quæ est finis *qui*. Alius est *quo*, estque possessio finis objectivi, seu actio, qua finis objectivus possidetur; sic Deus est finis objectivus hominis; visio beatifica est finis *quo*, vel, ut alii dicunt, finis formalis, ac demum homo est finis *cui*.

II. Finis alius est *operis*, estque res illa, ad quam opus ex se ordinatur; sic finis eleemosynæ est sublevatio pauperis: alius est *operantis*, estque res illa, in quam operans ordinat id, quod facit: sic finis dantis eleemosynam est aliquando vanitas, aliquando aliud. Finis operis dicitur etiam *internus*, estque idem cum objecto, finis vero operantis dicitur *externus*.

III. Finis alius est *ultimus*, quem ita intendit voluntas, ut in eo sistere velit; sive in eo sistere debeat, & tunc dicitur finis *ultimatus*, qualis est solus Deus; sive in eo sistere non debeat, sed ulterius progredi, & tunc dicitur *ultimus respective*, talis est pecunia respectu avari. Alius est finis *intermedius*, & is est, ad quem actio ita refertur, ut ipse ad ulteriorem finem referatur.

Quæres II. Quot sint effectus finis.

R. multos numerari: præcipuos recensemus. Primus est *volitio*, seu *amor* finis, qui tamen per se non sufficit, ut agens sibi bonum aliquod actu proponat tam-

quam

quam finem, unde insuper requiritur *intentio*, quæ est actus mentis efficaciter tendere volentis in bonum per media consentanea; qui proinde saltem virtualiter continet propositum inquirendi, & adhibendi media, sine quibus finis obtineri non potest. Quapropter tertius finis effectus est *deliberatio*, seu *consilium* consistens in actu, quo mens inquirit media, eorumque cum fine proportionem ponderat. Sine eo consilio desiderium finis mera est velleitas; hinc illud Eccli. c. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Sed attende consilium hoc non esse quærendum a peccatoribus; quia cum judicet unusquisque prout affectus est, & pessime erga ultimum finem affecti sint, qui a Deo per criminum habitus discedunt, vix alia de thesauro suo proferre possunt, quam mala: hinc iterum illud Eccli. c. 8. *Cum fatuis consilium non habeas; non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Quartus finis effectus est *electio*, seu actus, quo voluntas ex pluribus mediis unum aliis præfert in ordine ad finem intentum. Actus autem ille liber est, etiam cum unicum præsto est medium, quo ad finem perveniatur; quia electio talis medii omitti potest: hinc peccat qui vitam aliter, quam perjurio servare non valens pejerat, quia & finem, & medium omittere potuit.

Quæres III. an voluntas possit ex duobus mediis eligere minus bonum.

R. affirmat. cum Scotistis: 1. quia in tali casu neutrum medium proponitur ut necessarium; ergo voluntas potest, relicto meliori, minus bonum eligere, cum sit etiam bonum, utile, & fini proportionatum, adeoque natum sit mentem movere; 2. quia si supponantur duæ viæ e Lutetia Versalias conducentes, quarum altera longa sit, difficilis, & aspera; altera brevior, & facilis, possum, ut Conclusionis hujus veritatem ostendam, primam eligere, posthabita faciliori: atqui tunc eligam medium, quod meo etiam judicio minus bonum est; ergo.

At, inquies, ostensio libertatis meæ erit motivum, quo voluntas mea ad sic agendum determinabitur.

R. id quidem verum esse, sed nihil inde concludi potest, quia ostensio libertatis se tenet ex parte voluntatis, non ex parte medii, nec facit, ut desinat repræsentari ut minus bonum.

Instabis: Non potest voluntas eligere medium minus bonum, nisi repudiet melius cognitum ut tale: atqui voluntas non potest repudiare.... Voluntas enim non repudiat nisi malum, sicut non prosequitur nisi bonum: atqui medium melius, ut tale, nec est, nec judicatur esse malum; ergo.

R. dist. min. Voluntas non potest medium melius repudiare positive, id est per odium, ac detestationem, esto: non potest repudiare negative, id est, non amplecti, non sequi, N. Voluntas enim quibuslibet positis mediis remanet libera, & indifferens; ergo potest omittere id omne, quod sibi proponitur ut bonum privatum, quia nullum bonum privatum ex se voluntatem necessario determinare potest. Ita docet, simul & profunde probat Angelus Scholæ hisce verbis: *Quia defectus cujuscumque boni habet rationem non boni, ideo illud solum bonum, quod est perfectum, & cui nihil deficit, est tale bonum, quod voluntas non potest non velle, quod est beatitudo: alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, possunt accipi ut non bona; & secundum hanc considerationem possunt repudiari, vel approbari a voluntate* (1. 2. q. 10. art. 2.)

Fatendum tamen est electionem, ut recta sit, & honesta, prudenter fieri debere: ut vero prudenter fiat, necesse est, ut medium, quod eligitur, sit efficacius & idoneum magis ad finis consecutionem: atque id præsertim verum est in moralibus. In his enim electio debet esse actus virtutis: electio autem medii minus idonei, rejecto aptiori, non est virtutis actus; cum virtus secundum rectam rationem eligat; quod non facit, qui medium minus idoneum præfert aptiori.

Electionem mediorum sequitur *usus*, seu ipsa mediorum applicatio; neque enim satis est, si media speculative eligas, nisi etiam iisdem uti velis, & utaris de facto. Usum sequitur *fruitio*, quæ est quies in fine possesso. Hinc usus est circa media, & fruitio circa finem, juxta id Augustini L. 11. de Civ. Dei c. 25. *Ea de re dicimur frui, quæ nos, non ad aliud referenda, per seipsam delectat; uti vero ea re, quam propter aliud quærimus. Unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur æternis.* Cæterum quies illa, quæ fruitionis nomine intelligitur, est quidem cessatio motus, quo tenditur in finem, sed non ideo est mera operationis cujuscumque privatio; est enim vitalis actus voluntatis, quæ in possessione boni amati, & obtenti suaviter *conquiescit*, ut docet Augustinus ibid. Lib. 10. c. 10.

Dices: Potest vir justus prudenter frui, & conquiescere in virtutum actibus: atqui tamen actus virtutum non sunt ultimus finis, sed media ad ipsum; ergo licitum est frui non solum fine, sed etiam mediis.

R. Actus virtutum non esse pura media, sed media simul & fines, quibus licitum est frui. Ut intelligatur solutio, quæ est magni momenti, quia, ut docet Augustinus, (*Ubi supra.*) *non est alia vita hominis vitiosa, atque culpabilis, quam male utens, & male fruens*; sciendum est, quod juxta S. Augustinum, *frui est amore inhærere alicui rei propter seipsam: uti autem, quod in usum veneris, ad id quod amas, obtinendum referre.* (*Lib. 2. de doct. Christ. c. 3. & 4.*)

Secundum hoc principium ea censentur puri medii rationem habere, quæ per se nullatenus appetibilia sunt; ea vero non sunt pura media, sed etiam finis rationem habent, quæ licet ad ulteriorem finem conducant, per se tamen appeti merentur; & in hoc ordine sunt ea omnia, quæ naturam rationalem perficiunt, & reddunt sui possessione vere meliorem. Hinc sequitur temporalia quæcumque, quantumvis sensibus, aut imaginationi placeant, ut honor, fama, divitiæ, pura esse media, quibus uti licitum sit, non frui, quia hæc in ordine ad Deum animam non perficiunt. At vero christianæ virtutis actus, licet sint media ad ultimum finem, sunt etiam fines, quorum possessio, cum animam meliorem efficiat, propter se expeti meretur, ut docet Psaltes his verbis, Mandata *Dei desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, &c.* (*Psalm.* 12.) Sed quia opus justitiæ in hac vita undi-

que

que perfectum esse nequit, justus in eo non quiescit penitus, sed *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, ita fontem eum desiderat, quem qui semel degustavit, *non sitiet in æternum*. Fons ille, ipse est ultimus finis, ac vera beatitudo, de qua nunc disserendum.

(✠) Potest revera voluntas eligere quod sibi minus bonum apparet, atque interdum ex duobus mediis eligit, quod in se minus bonum est, nunquam vero, quemadmodum docet S. Thomas, eligit id, quod sibi minus bonum apparet. „ Enimvero, *inquit S. Doctor 1. p. q. 19. ar. 9. in c.*, cum ratio boni sit appetibilis, malum autem opponatur bono: impossibile est, quod aliquod malum in quantum hujusmodi appetatur, nec appetitu naturali, nec animali, nec intellectuali, qui est voluntas. Tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum .... Fornicator *enim* intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpæ. Malum autem, quod conjungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Nunquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum. „ Tantum S. Doctor. (✠)

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Beatitudine.*

BEatitudo definitur a Boetio ( *Hic. q. 2. art. 1.*) *Status omnium bonorum aggregatione perfectus*, qui ut talis, *totaliter satiat, & quietat appetitum*, ut docet S. Thomas.

Beatitudo multipliciter dividitur: nam. I. alia est *naturalis*, quæ naturæ rationali secundum se sumptæ convenit, & quam creatura solis naturæ viribus assequi potest; estque status bonorum naturalium aggregatione perfectus. Alia *supernaturalis*, quæ naturæ vires excedit, & solis gratiæ auxiliis comparari potest.

II. alia est *viæ*, qua homo Deo conjungitur per amorem, cujus capax est in præsenti vita; alia *patriæ*, qua homo una, continua, & sempiterna operatione bono increato conjungitur, per visionem scilicet essentiæ divinæ ut in se est, &c.

III. alia est *essentialis*, quæ versatur circa primarium objectum beatificans, puta essentiam divinam; alia *accidentalis*, quæ occupatur circa objecta inferiora, v. g. humanitatem Christi.

IV. alia est essentialiter tantum perfecta, alia, quæ omnibus numeris completa est. Priorem habent animæ Beatorum statim post mortem, cum nihil eis purgandum restat; posteriorem non habebunt, nisi resumptis post resurrectionem corporibus.

V. alia est *objectiva*, estque res illa, cujus possessione satiatur appetitus hominis; alia *formalis*, & hæc nihil aliud est, quam operatio, qua cum summo voluptatis sensu apprehenditur, & possidetur summum bonum, seu res illa, quæ beatitudo objectiva nuncupatur. De hac utraque, ejusque proprietatibus potior hic nobis sermo.

## SECTIO PRIMA.

### *De Beatitudine objectiva.*

USque adeo circa veram hominis beatitudinem divisi fuerunt inter se Gentiles, ut ducentas octoginta quatuor ea de re opiniones numeret post Varronem S. Augustinus lib. 19. de Civ. Dei. Eæ tamen opiniones ad tres classes reduci possunt pro triplici bonorum genere, quæ distingui solent, & quorum alia dicuntur *bona fortunæ*, ut divitiæ, honores, potestas, & quæ sub iis continentur; alia *corporis*, ut robur, pulchritudo, voluptates; alia demum *animæ*, ut virtutes, & scientiæ. Si ergo semel probatum fuerit, nullum ex hisce bonis ad veram hominis felicitatem sufficere, jam radicitus amputabuntur omnes antiquorum errores; quod ut magis, ac magis, & positive fiat, diserte statuendum erit, quodnam tandem sit illud objectum, quo creatura rationalis plene satiari potest. Sit

CONCLUSIO. Objectum beatitudinis non est aliquid creati, sed solus Deus.

Prob. I. Objectum veræ beatitudinis tale esse debet, ut appetitum hominis plene, & perfecte satiet; ubi enim non est plena hæc satietas, ibi esse non potest status bonorum omnium complexione perfectus, adeoque nec beatitudo: atqui solus Deus hominis appetitum plene satiare potest. Tunc enim tantum omnimode satiatur hominis appetitus, quando nihil superest, quod optare possit: atqui quandiu voluntas Deum non possidebit, tandiu supererit aliquid, quod optet; semper enim exoptare poterit bonum summum, & increatum, & ipsum dubio procul eo exoptabit magis, quo ardentius creato bono adhæserit, quia eo plus sentitur nihilum creaturæ, quo vividius dilecta est. Ita exemplo suo perinde ac verbis docuit Salomon, qui omnia bonorum genera diu, & studiose expertus in has ab Operis sui limine voces erumpit: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; unde Librum suum his concludit verbis: *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo*. ( *Eccle. c. 1.* ) *Ergo* ait S. Bernardus Serm. 20. in Cant. *si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo.*

Prob. II. Si beatitudo hominis in aliquo bono creato consistat, vel in bonis fortunæ, vel in bonis corporis, vel in bonis animæ, vel demum in horumce omnium congerie: atqui nullum ex his dici potest.

I. quidem non consistit in bonis fortunæ: objectum enim beatitudinis veræ debet esse homine ipso superius, constans, ac stabile, ejusque desiderii satiativum, alioqui nec vere perficit, nec solide hominem beat: atqui eæ qualitates non conveniunt fortunæ bonis, quæ, ut loquitur S. Bernardus, *possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant* ( *Epist. 103.* ); & quæ hominem magis possident, quam ab eo possideantur: unde Psaltes divites avaros appellat *viros divitiarum*, neque dicit divitias virorum: neque id senserunt veteres Philosophi, quorum aliqui, ut Crates, omnia

ideo bona sua dimisere; ergo.

II. Nec consistit in honoribus, in voluptatibus corporeis, &c. I. quia hæc omnia non animam perficiunt, sed corpus; cum tamen vera felicitas hominis, eidem convenire debeat secundum partem ejus nobilissimam, animam nempe, non secundum corpus; hæc enim brutorum potius, quam naturæ intellectualis propria est: II. quia bona hæc sunt *vapor ad modicum parens*, & *transiens quasi umbra* (*Jacobi c.4.15.Sap.5.*) Hinc tot Reges, Regumque amici, ut Aman, Sejanus, aliique innumeri, qui quo magis in altum sublati fuerant, eo lapsu graviore corruerunt. Unde Psaltes: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat; quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*; (*Psal.* 36.) & Sapiens Eccli. 10. v. 12. *Rex hodie est, & cras morietur*.

Confirm. In his non consistit vera hominis felicitas, quibus potest quis abundare, simul & miserrimus esse: atqui potest quis bonis, honoribus, & deliciis abundare, simul & miserrimus esse, quia simul potest nullam in anima pacem sentire, mortis metu cruciari, torqueri insatiabili fame ampliora, quam quæ habet, bona assequendi, &c. ergo.

III. Non consistit vera felicitas in bonis animæ: I. quia ne ipsæ quidem christianæ virtutes hominem reddunt immunem a morbis, doloribus, egestate, tentationibus, aliisque miseriis: atqui tot miseriarum sensus cum vera felicitate non compatitur. Certe enim tam crudeliter animam pungunt hujus vitæ calamitates, ut Apostolos ipsos, qui pro Christo libentissime patiebantur, *tæderet vivere*; (*II. Cor.* 1.) II. vera felicitas excludit timorem, ac tremorem: atqui homo magnis etiam animi bonis locupletatus semper timere debet, ne ab iis excidat, & ipsis in perpetuum spolietur, quod aliis pluribus, & forte Salomoni ipsi contigit.

III. demum nec consistit beatitudo in horumce omnium bonorum congerie, quia hæc etiam conjuncta nec hominem ab omnibus miseriis eximere, nec appetitum satiare possunt; ergo, ait Augustinus L. 4. Conf. c. 12. *Quo vobis adhuc, & adhuc ambulare vias difficiles, & laboriosas? Non est requies, ubi quæritis eam: Quærite quod quæritis: sed ibi non est, ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?*

Obj. I. Facultas finita per finiti boni possessionem satiari potest: atqui voluntas humana facultas est finita: ergo creati boni possessione satiari potest. Et vero beatitudo formalis etiamsi in visione, aut amore Dei consistere supponatur, est aliquid creati, & finiti: atqui tamen formalis beatitudo appetitum nostrum quietat; ergo.

R. dist. maj. Facultas finita tum intrinsece, tum extrinsece satiari potest per adeptionem boni finiti, C. facultas intrinsece finita, infinita vero extrinsece, & objective, N. Porro voluntas hominis, etsi finita intrinsece quoad substantiam, est tamen infinita ratione objecti, circa quod occupari potest I. quia nunquam tot appetit, quin plura in infinitum appetere possit; unde non nisi infinito bono quietari potest; II. quia illud præcipue bonum desiderat, quod bona cætera, exclusis quibuscumque malis, complectitur; cum ad illud ipsa sui constitutione ordinata sit. Unde illud Augustini, cujus veritatis unusquisque sibi conscius esse potest: *Fecisti nos ad te, Domine, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (*L. 3. Conf. c.* 1.)

Ad aliud objectionis membrum dico, operationem, in qua consistit formalis beatitudo, non satiare appetitum præcise, prout ipsa est aliquid creati, & animi operatio, sed quatenus secum involvit bonum increatum; & quia conjungit id, quod in homine præcipuum est, cum bono infinito, quod est Deus.

Inst. I. facultas intrinsece finita non potest ad sui satietatem exigere idem objectum, quod requireret facultas intrinsece infinita: atqui facultas finita idem exigeret objectum, si solo infinito satietur; ergo.

R. dist. Non potest exigere idem objectum, & eodem modo; C. idem diverso modo, N. Appetitus infinitus non solum exigeret objectum infinitum, sed etiam exigeret illud attingere totaliter, adæquate, & infinito modo, nec aliter quam sic attingendo satiaretur. Appetitus vero finitus, etsi exigat objectum infinitum, quia in finito quocumque nihil apprehendit, unde innata sibi fames satiari queat, non tamen exigat eidem uniri, nisi modo finito; quia unionem infinitam, ut pote impossibilem, velle non potest.

Inst. II. si voluntas exigat objectum infinitum, & illud non nisi finito modo attingat, supererit etiam aliquid, quod voluntas appetere possit, nempe idem objectum perfectiori modo attingibile, ergo non satiabitur voluntas, nisi objectum hoc modo illo perfectiori attingat.

R. ad I. ne. ant. Ut enim creatura rationalis omnimode satietur, sufficit, ut Deum cognoscat, & amet, quantum cognoscere, & amare debet: atqui creatura, tametsi Deum modo infinito non attingat, eum tamen attingit, quantum debet, & hoc sensu quantum potest; ergo nihil habet amplius, quod debeat, adeoque & quod possit exoptare.

Inst. III. Actiones specificantur ab objectis; ergo actio, quæ Deum attingit, vel nulla est, vel est infinita.

R. dist. Actio specificatur ab objecto quantum ad aliquid, puta quia actio eo est dignior, & nobilior, quo objectum dignius, & nobilius attingit, C. actio specificatur ab objecto quantum ad omnia, ita ut actio sit infinita, sancta, minus honesta, prout circa objectum infinitum, sanctum, minus honestum versatur, N. Et certe ex vulgari axiomate, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; ergo si agens finitum sit, limitatum, &c. actio ejus, etsi circa objectum infinitum versetur, finita erit, & limitata.

Obj. II. Illud non est beatitudo hominis objectiva, quod ab homine possideri non potest: atqui Deus ab homine possideri nequit.

R. neg. min. nam possidere Deum nihil est aliud, quam ipsi per cognitionem, & amorem adhærere; sic enim facultates sua possident objecta: atqui creatura rationalis potest Deo adhærere..... imo magis ei, utpote mentibus nostris præsentiori, adhærere potest, quam cuilibet alteri objecto; ergo,

Inst.

Inst. I. Inter facultatem, quæ possidet, & objectam, quod possidetur, aliqua debet esse proportio: atqui Deum inter, & facultatem creatam nulla est proportio.

R. dist. min. nulla est proportio ratione finiti, & infiniti, C. nulla est proportio ratione habitudinis, N. Deus a creatura infinito distat intervallo, unde sub hoc respectu nulla est utriusque convenientia, seu proportio; sed non ideo negandam est creaturam habere proportionem habitudinis cum Deo; hæc enim proportio necessario inter ea reperitur, quorum unum est intelligendi, & amandi capax, alterum vero intelligibile, & amabile: atqui creatura rationalis, ut talis, capax est intelligendi, & amandi, Deus vero est summe intelligibilis, hominemque illuminat ad cognitionem sui, & accendit ad amorem, ergo.

Inst. II. Proportio habitudinis fundatur in proportione entitatis: atqui Deum inter, & creaturam nulla est proportio entitatis; ergo nec habitudinis.

R. neg. min. est enim inter Deum, & hominem proportio entitatis, non solum quia ambo sunt substantiæ; hæc enim proportio nimis est remota, ut sufficiat ad fundandam proportionem habitudinis; sed quia ambo sunt substantiæ, quarum alia est intelligens, alia intelligibilis, ut jam dictum est, alia capax amandi, alia dignissima quæ ametur, & amari volens, ergo.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Beatitudine formali.*

HIC præcipue quæritur, in quo consistat formalis beatitudo patriæ; & de hoc triplex est præcipue opinio.

Prima eorum est, qui censent animam beatificari formaliter per actionem Dei increatam ipsi unitam. Pro hac sententia citatur Hugo Victorinus.

Secunda eorum est, qui beatitudinem reposuerunt in illapsu quodam speciali Dei in essentiam animæ, ex quo anima substantialiter sanctificatur, & quasi in Deum transformatur, eo ferme modo, quo ferrum candens in igneum. Ita sentire perhibetur Henricus Gandavensis.

Tertia cæterorum est Theologorum, qui Beatitudinem formalem reponunt in operatione animæ. Verum & hi quoque inter se dividuntur. Thomistæ enim operationem hanc putant esse visionem Dei intuitivam; Scotistæ vero eam in solo amoris actu constituunt; alii in utroque actu; alii in gaudio, quod inde resultat. Ut de his mentem nostram aperiamus, sit

CONCLUSIO I. Beatitudo non consistit in actione Dei increata.

Prob. Beatitudo formalis est vitalis possessio summi boni, qua homo intrinsece beatus efficitur: atqui vitalis Dei possessio est essentialiter modificatio hominis; talis autem modificatio nec est, nec esse potest actio increata, ut ex terminis ipsis evidens est, ergo.

Confirm. Non magis actio increata Dei potest hominem formaliter beatum efficere, quam Christi justitia possit eundem hominem formaliter justum reddere: atqui dici non potest hominem per Christi justitiam reddi formaliter justum; quia quod intrinsece justificat, intrinsecus inhærere debet: Porro Christi justitia, sicut & increata Dei operatio, animæ nostræ intrinsecus inhærere non possunt, ergo.

Obj. Beatitudo est summum hominis bonum: sed actio creata, ut pote finita, summum hominis bonum esse non potest; ergo.

R. neg. min. Actio enim creata, eo ipso, quo Deum possidet, quantum possideri debet, vocari potest summum hominis bonum, quia est adeptio, & fruitio summi boni.

CONCLUSIO II. Beatitudo non consistit in speciali illapsu Dei in essentiam animæ, vel potentias ejus.

Prob. Illapsus ille vel consistit in intima Dei mentibus creatis præsentia, vel in aliqua Dei circa easdem mentes operatione: atqui neutrum dici potest. Non I. nam Deus est creaturis omnibus bonis, & malis intimo præsens per immensitatem suam: neque tamen creaturæ omnes sunt beatæ. Non II. hæc enim operatio vel bearet mentes nostras per seipsam, & hoc dici non potest, quia alioqui beatitudo hominis consisteret in actione Dei increata, quod ex dictis falsum est; vel easdem bearet per effectum in ipsis productum: atqui nullus effectus in hominis anima productus eam beare formaliter potest, si supponatur, ut supponitur ab Henrico, distingui ab amore, & cognitione: amore enim, & cognitione seclusis, nullus est Dei in anima effectus, qui vitalis sit, nulla autem est formalis beatitudo sine actu vitali; ergo.

Obj. Vera beatitudo tria exigit: I. ut facultates animæ Deum per operationes suas possideant; II. ut ipsa animæ substantia Deo impleatur; III. ut beatitudo, quatenus forma omnium præstantissima, subjectum habeat perfectissimum: atqui hæc duo posteriora fieri non possunt, nisi per illapsum divinitatis in ipsam animæ substantiam; ergo.

R. neg. min. nam I. anima satis impletur ipsa Dei substantia, cum ei perfecte per amorem inhæret, eumque possidet inseparabiliter; II. beatitudo formalis, ut pote in operatione consistens, illud duntaxat pro subjecto exigit, quod operationis subjectum esse potest: atqui ipsa animæ substantia operationis subjectum esse nequit; ergo beatitudo in ipsa animæ substantia residere, & ut ajunt, *subjectari* non potest.

CONCLUSIO III. Beatitudo formalis in visione, amore, & gaudio consistit.

Not. Visio intuitiva est cognitio terminata ad Deum, ut in se est, & facie ad faciem; unde visio *intuitiva* differt ab *abstractiva*, qua objectum absens per ideam tantum repræsentatur. Amor fruitivus ille est, quo summo, & incommutabili bono tanquam præsenti, ac possesso adhæremus. Gaudium denique beatificum est intimus, ac suavissimus creatæ mentis sensus, quo mens adeo sibi conscia est se bene esse, ut nihil ultra expetat. His præmissis

Prob. Conclusio. In eo consistit beatitudo formalis, quod ideam ejus primario, & essentialiter ingreditur: atqui prædicti tres actus ideam beatitudinis primario, & essentialiter ingrediuntur. Beatitudo enim concipi nequit, quin concipiatur summi boni posses-

ſio ita plena, ut mens nihil ultra expetat: atqui talis ſummi boni poſſeſſio concipi non poteſt ſine viſione, amore, & gaudio. Nam I. eatenus mens poſſidet ſummum bonum, poſſeſſione ſcilicet vitali, quatenus ei intime conjungitur, & adhæret: atqui, ut mens intime, & vitaliter conjungatur, & adhæreat Deo, requiritur tum viſio, quæ intellectum ſummo vero intime conjungit, tum amor, qui efficit, ut voluntas ſummo bono plene adhæreat; ergo primo requiruntur cognitio, & amor; præſertim cum viſio ſola voluntatem non ſatiet, nec ſolus amor intellectum ſatiare poſſit, nec beatus dici poſſit, vel is, qui non amat id, quod videt, vel is, qui non videt id, quod amat: II. requiritur etiam gaudium, & quidem eſſentialiter. Gaudium enim, ex dictis, eſt ſuaviſſimus ille ſenſus, quo poſito mens ita contenta eſt, ut nihil amplius petat: atqui ſenſus ille neceſſario ingreditur eſſentiam beatitudinis formalis, cum, eo ſecluſo, intelligatur aliquid deeſſe, cujus abſentia beatitudinem tollit; ergo.

Confirm. I. Vel gaudium ingreditur primario, & eſſentialiter notionem beatitudinis, vel dicendum eſt cum adverſariis, gaudium eſſe ſolum proprietatem, quæ neceſſario fluit a beatitudine jam eſſentialiter per ipſam Dei poſſeſſionem completa: atqui gaudium pro ſola beatitudinis formalis proprietate haberi non poteſt; nam præciſa per intellectum proprietate, adhuc intelligitur remanere eſſentia rei: atqui præciſo per intellectum gaudio, & poſita quavis Dei poſſeſſione non intelligitur beatitudo formalis adæquata: ſic quantumvis avarus pecuniæ tenaciter inhærens ſupponatur divitiis affluere, non erit hac ſua poſſeſſione beatus beatitudine naturali, niſi in ea ſuaviter conquieſcat, & lætetur; ergo a pari, qui Deum poſſidet, non redderetur ex hac poſſeſſione beatus beatitudine ſupernaturali, niſi in ea ſuaviter conquieſceret.

Confirm. II. Formalis miſeria non conſiſtit ſolum in mali poſſeſſione, ſi ita loqui fas eſt, imo, nec in dolore, ſed inſuper requiritur mœſtitia ex mali perpeſſione orta: unde Martyres, qui ſuperabundabant gaudio in omni tribulatione, non erant vere miſeri: ergo a contrario formaliter beati non ſunt, qui de bono poſſeſſo non gaudent.

Obj. I. cum Scotiſtis, Beatitudo non poteſt reponi niſi in actione poſſeſſiva: atqui viſio non eſt actio Dei poſſeſſiva: ergo.

R. I. neg. maj. neque enim neceſſum eſt, ut id omne, quod ad eſſentiam beatitudinis concurrit, ſit actio: affectio enim, qua mens a ſummo bono poſſeſſo, ac præſente ſuaviſſimo delectationis ſenſu perfunditur, pro paſſiva haberi poteſt, & de facto ut talis habetur a multis cum Philoſophis, tum Teologis, & tamen ea ſecluſa non intelligitur beatitudo; ergo modificationes tum activæ, tum etiam paſſivæ ad beatitudinis eſſentiam concurrere poſſunt.

R. II. diſt. min. Viſio non eſt poſſeſſiva Dei quatenus amandi; Deus enim ſub hoc reſpectu non niſi a voluntate poſſideri poteſt, C. non eſt poſſeſſiva Dei ut intelligibilis, N. Porro mirum non eſt, ſi intellectus, & voluntas ex æquo occupentur circa Deum; cum poſſeſſio ejus ſiſtere debeat motum omnis facultatis vitalis, ac proinde intellectus, & voluntatis.

Inſt. I. Actio Dei poſſeſſiva debet eſſe quædam fruitio: atqui viſio Dei non eſt fruitio, cum frui ſit ſolius voluntatis.

R. diſt. min. Viſio Dei non eſt fruitio ſtricte ſumpta, C. late ſumpta, N. Fruitio ſtricte ſumpta eſt actus voluntatis in objecto amato ſibi ſuaviter complacentis, & hæc viſioni competere non poteſt. Fruitio latius ſumpta eſt unio facultatis cujuslibet cum objecto ſuo ſibi præſente, per actionem ei propriam, quo ſenſu dicitur oculus objecto ſuo frui, cum ei objicitur aliquid, quod mille varios trahit colores. Hoc fruitionis genus intellectui competit, cum aliquo etiam modo ſenſibus competat.

Inſt. II. Nulla facultas Deo frui poteſt, niſi ipſum attingat ut ſummum bonum: atqui intellectus non poteſt Deum attingere ut ſummum bonum. Bonitas enim, ut bonitas, ſolius eſt voluntatis objectum.

R. ad I. diſt. maj. niſi ipſum attingat ut ſummum bonum hominis, C. ut ſummum bonum voluntatis, N. Homo duplici pollet facultate, voluntate ſcilicet, & intellectu: voluntas non attingit Deum ut bonum intellectus, nec intellectus eundem attingit ut bonum voluntatis, ſed utraque eum attingit ut ſummum hominis bonum, una quidem cognoſcendo, altera vero amando; ergo poſito quod vel intellectus, vel voluntas eum non attingeret, homo careret aliquo eorum, quæ ad veram, & adæquatam beatitudinem requiruntur.

R. ad II. diſt. Bonum, ut bonum, eſt objectum ſolius voluntatis, prout eſt proſequendum, C. prout eſt cognoſcendum, N.

Obj. II. cum Thomiſtis: Scripturæ beatitudinem in viſione evidenter reponunt. Pſalm. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Joan. 14. *Si quis diligit me.... manifeſtabo ei meipſum. &c.* ergo.

R. fateri ipſomet Gonetum nihil ex Patribus aut Scripturis colligi poſſe, quo metaphyſica hæc controverſia dirimi poſſit: I. quia alibi loquuntur non de viſione, ſed de amore ſolum, & gaudio, quæ tamen, juxta Thomiſtas, non ſunt eſſentia beatitudinis; II. quia nullibi definiunt in viſione ſola ſitam eſſe beatitudinis eſſentiam; imo nec definiunt, an id, quo hominem beari declarant, ſit eſſentia beatitudinis, vel mera ejus proprietas.

Inſt. I. Ea ſolum actio conſtituit eſſentiam beatitudinis, quæ eſt quid primum in re: atqui viſio, ſeu cognitio eſt quid primum in beatitudine: eſt enim prior tum amore, tum gaudio; ergo.

R. diſt min. Viſio eſt quid primum in beatitudine, ut pars eſſentiæ, C. ut tota eſſentia, N. Viſio non aliter eſt quid primum in beatitudine, quam animalitas in homine: atqui animalitas non eſt ita quid primum in homine, ut tota ſit hominis eſſentia; ergo nec viſio tota eſt beatitudinis eſſentia, licet ſit quid primum in ea. Ratio ulterior eſt, quod cum eſſentia ex variis partibus phyſicis, aut metaphyſicis compoſita ſit, una ex illis debet cæteris prior eſſe aliquo prioritatis genere: ſic genus prius eſt differentia, per quam contrahitur, & tamen genus non eſt tota rei eſſentia.

Inſt. II. Illud eſt quid primum in re tanquam eſſen-

tia

tia tota, unde fluunt cætera, quæ ad rem pertinent: atqui ex visione Dei fluunt omnia, quæ ad beatitudinem pertinent, amor scilicet, & gaudium; ergo.

R. dist. min. Amor, & gaudium fluunt ex visione, id est eam præsupponunt, eo fere modo, quo differentia supponit genus, quod contrahit, & determinat, C. id est dimanant a visione, ut proprietates ab essentia, N. Prius quidem est cognoscere, qoam amare; sed non ideo amor est proprietas ab intellectu dimanans: quidquid enim fluit ab intellectu, est cognitio, sicut quidquid fluit a voluntate, est amor, &c.

Obj. III. contra tertiam Conclusionis partem, quæ est de gaudio. In eo non consistit beatitudinis essentia, quod est solum proprietas ejus: atqui gaudium est solum proprietas beatitudinis. Illud enim non est, nisi proprietas, quod supponit rem essentialiter completam: atqui gaudium supponit beatitudinem essentialiter completam. Tunc enim ponitur tota beatitudo, cum ponitur possessio Dei adæquata: atqui positi. visione, & amore ponitur possessio Dei adæquata, & quæ beat omnes animæ potentias; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. possessio enim boni est quasi materia beatitudinis, voluptas vero, quæ ex illa possessione percipitur, est quasi ejus forma: atqui res, quæ ex materia, & forma constare debet, non est essentialiter completa per positionem solius materiæ: sic v. g. quantumvis avarus ingentes auri, argentique acervos possideat, non intelligetur beatus esse, nisi intelligatur degustare voluptatem pecuniæ suæ possidendæ; ergo beatitudo nunquam intelligetur omnimode perfecta, nisi possessioni boni addatur ille suavitatis, ac lætitiæ sensus, sine quo nemo vere felix esse intelligitur; & qui consequenter ipsam beatitudinis essentiam ingreditur.

Ad 3. neg. maj. non enim ad beatitudinem sufficit sola possessio in operatione intellectus, & voluntatis consistens, sed requiritur sensus, quo mens status sui dulcedine perfusa nihil ultra expetat. Is vero sensus est gaudium ipsum.

Obj. iterum: Si beatitudinis essentia reponatur in gaudio, vel in gaudio *directo*, quo Beati gaudent, quod Deus infinitas habeat perfectiones; vel in gaudio *reflexo*, seo concupiscentiæ, quo gaudent de bonis propriis, & quod Deum adeo perfectum possideant: atqui neutrum dici potest. Non I. nam tale gaudium ab ipso Dei amore non distinguitur; non II. nam beatitudo Deum pro objecto habere debet: sed gaudium reflexum non habet pro objecto Deum ipsum; ergo.

R. beatitudinem consistere tum in gaudio directo, posito, quod gaudium illud idem sit cum amore Dei, quod tamen non admittitur ab omnibus; tum in gaudio reflexo, quia mens non solum beata est, quia Deus est summe bonus, sed quia Deus est summum ejusdem animæ bonum; ergo mens gaudere potest, non solum de Deo, sed etiam de sua Dei possessione.

Quæres, an aliqua sit præsentis vitæ beatitudo, & in quo consistat.

R. 1. Perfecta, & completa beatitudo vitæ præsenti non competit; quia ut ait Job, *Militia est vita hominis super terram* (*Job.* 7.); & hæc militia tam acris est, tamque perpetua, ut vix libeat respirare. Non est nobis pax ab insidiis diaboli, qui continuo *circuit quærens, quem devoret* (*I. Pet.* 5.); non a lege peccati, quæ est in membris nostris: non a tentationibus, quæ quo dulciores, & intimas magis, eo crudeliores insidias struunt; non a conscientia, quæ pungit, & remordet; non a metu judicii, qui angit; non a morbis, afflictionibus, calumniis, &c. atqui in militia, quæ nihil pacis habet, stare nequit vera felicitas; ergo dicant Christiani cum Apostolo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* 7.)

R. II. In hocce statu agnosci debet aliqua beatitudo inchoata, & imperfecta: I. quia Scriptura, quæ neminem fallit, quosdam jam a præsenti tempore beatos esse prædicat. Psalm. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum*. Psalm. 118. *Beati immaculati in via* Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, beati mites, &c.* II. quia beatitudo consistit in summi boni possessione: atqui homo, licet imperfecte, summum bonum possidere potest, juxta id Christi: *Si quis diligit me .... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. (*Joan.* 14.) & I. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* Hinc Apostolus gaudium sanctum, & juge Fidelibus præcipit his verbis: *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete* (*Philip.* 4.)

R. III. Vitæ hujus beatitudo in sinceræ charitatis actibus, & sancta, quæ iisdem inhæret, lætitia consistit.

Prob. Beatitudo consistit in actu, quo perfectius, & delectabilius possidetur summum bonum: atqui actus ille est actus charitatis: I. quidem per huncce actum Deus perfectiori possidetur modo, quam per aliom quemlibet: quia nulla virtus Deum tam nobiliter attingit, quam charitas; II. per eundem charitatis actum possidetur Deus modo delectabiliori: quia per charitatem possidetur cum majori pace, & gaudio. *Fructus* enim *Spiritus*, (*Gal.* 5.) qui per charitatem cordibus nostris dominatur, *est gaudium, & pax.* Unde Aug. in Psal. 76. *Charitas sine gaudio esse non potest*; ergo.

## SECTIO TERTIA.

### *De affectionibus Beatitudinis.*

QUamquam, si proprie loqui velimus, beatitudo ad solas mentes pertinet, quia tamen Deus, in miserationibus dives statuit, ut corpus, quod laborum particeps fuit, suas etiam in præmio partes habeat; idcirco dicemus I. de beatitudine corporis; II. de beatitudine animæ; III. de iis, quæ utrique conveniunt.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De Beatitudine corporis.*

AD corporis beatitudinem duo sunt necessaria: I. resurrectio ejus; II. immunitas ab incommodis, qui-

quibus nunc gravatur, & quæ certas dotes exigit. Quæ ut exponantur, sit

CONCLUSIO. Corpora mortuorum aliquando resurgent. Est contra Sadducæos, eosque omnes, qui cum felicem in altero sæculo vitam sperare non ausint, saltem id sibi persuadere conantur, nec ullam esse infelicem, quam timere debeant.

Prob. I. ex Script. Job. cap. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum; & rursum circumdabor pelle mea &c.* Matth. 22. Christus expresse Sadducæos confutat his verbis: *De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? non est Deus mortuorum, sed viventium.* Quæ verba non animæ tantum immortalitatem probant, (quam præcipue impugnabant Sadducæi) sed & resurrectionem corporum; tum quia animæ a corporibus perpetuo avulsæ non nisi dimidiatam felicitatem obtinerent, essentque in statu quasi violento; tum quia perquam justum est, ut quod particeps fuit laboris, sit etiam præmii particeps, ut statim dicemus.

Idem ex professo docet Apostolus I. Corinth. cap. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

Prob. II. ex fidei nostræ Symbolis, quæ resurrectionem corporum expresse profitentur. Symbolum Apostolicum, quod merito censetur Apostolorum foetus, *Credo*, inquit, *carnis resurrectionem*: Constantinopolitanum, *Expecto resurrectionem mortuorum*; concinit celebre Symbolum sub Athanasii nomine vulgatum, his verbis: *Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent, &c.*

Prob. III. rationibus, quibus in ejusdem veritatis confirmationem usi sunt SS. PP.; eorum enim auctoritatem adducere superfluum esset, cum omnes egregiæ huic Tertulliani sententiæ subscripserint. *Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum.* (*L. de resurrect. carn.*) Si mortuorum resurrectio futura non sit, vel quia Deus non potest, vel saltem quia non vult suscitare mortuos: atqui neutrum dici potest. Non primum. Qui enim *ex nihilo molitus est cuncta*, indubie *poterit carnem in nihilum perductam exprimere de nihilo* (*Tertull. ibid.*) Non secundum: I. quia resurrectio nulli creaturæ nocet: non animæ, quæ si corpori corruptibili uniri potuit, multo magis poterit eidem uniri, cum induerit incorruptionem; non ipsi corpori, cui e contra multum accidit lucri, quod immortalitate donetur; II. quia resurrectio carnis nullatenus est indigna Deo, imo valde congruit ejus bonitati, sapientiæ, & justitiæ: tum quia æquum est, ut pars hominis, quæ ejusdem merito, vel demerito cooperata est, ejusdem pœnis, aut præmiis consocietur; tum quia intolerandum videtur, quod caro carne Christi saginata, Sacramentis delibuta, vas, & templum Dei, Christi membrum, martyrii honores animæ promerita, &c. non alia donetur sorte, quam canes, & jumenta.

Obj. I. multa veteris testamenti loca quibuscum conciliari nequit fides resurrectionis. Sic Eccle. 4. *Unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, &c.* Psalm. 1. *Non resurgent impii in judicio.* Daniel. cap. 12. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt*; ergo saltem resurrectio universalis futura non est.

R. ad I. Vel loquitur hic Salomon in persona impiorum, & secundum cæcæ, carnalisque rationis judicium, ut censent Interpretes multi, quo sensu dicit Apostolus I. Corint. 15. *Manducemus, & bibamus; cras enim moriemur.* Vel si in propria persona loquitur, significat tantum hominem in miseriis, potissimum vero in morte, quæ miseriarum cumulus est, convenire cum belluis; non autem contendit æquam ex omni parte esse tum belluæ, tum hominis conditionem.

Ad II. Resurgent & justi, & impii; verum impii in *judicio*, & *concilio justorum* non resurgent, sed atterentur, & causa cadent.

Ad III. Vox, *multi*, sumitur hic pro omnibus, ut cum Rom. 5. v. 19. dicit Apostolus multos per Adæ inobedientiam peccatores constitutos fuisse. Forte autem dixit Daniel *multos*, & non omnes, ut significaret immensam multitudinem resurgentium, quæ comprehensura sit omnes homines, quotquot unquam fuerunt, aut futuri sunt: omnes enim aliquando pauciores sunt, quam multi, ut si quatuor, vel quinque sunt in schola, & scribant, *omnes* dicentur scribere, sed non *multi*.

Obj. II. Resurrectio carnis noceret animæ Sanctorum, quandoquidem anima corpori unita minus haberet perfectionis, & plus impedimentorum, quam ab eo separata; ergo cum Deus Sanctissimus bene velit, probabile non est, quod eorum corpora e tumulo suscitaturus sit.

R. neg. ant. & probat. ut enim animadvertit S. Thomas, *Cæteris paribus perfectior est status animæ in corpore, quam extra corpus*: quia anima in corpore est pars compositi, ad cujus complementum a Deo ordinata est. Cum ergo unaquæque res eatenus divinam perfectionem magis imitetur, quo plenius possidet quidquid exigit naturæ suæ conditio, sequitur, quod anima hominis corpori suo unita plus habeat perfectionis, quam si ab eodem separata sit. Adde, quod corpus post resurrectionem animam aggravaturum non sit, quia nec morbis, nec corruptioni obnoxium erit.

Quæres I. utrum anima resumptura sit idem numero corpus, quod habuit in terris.

Negant Sociniani, qui nos cum corporibus a nostris specie diversis resurrecturos docent, sicque carnis resurrectionem negant; sed contrarium est de fide, &

Prob. I. ex adducto textu Libri Job, *Rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Sed si anima idem numero corpus non resumeret, homo non acciperet *rursum* pellem suam, sed novam; non videret iisdem oculis, sed aliis; ergo.

Prob. II. ex Apost. I. Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: atqui si corpora resur-

gent

gentium non eadem essent, quæ fuerunt in terris, corruptibile *hoc* non indueret incorruptionem, sed *aliud*.

Prob. III. quia in Symbolo profitemur *carnis resurrectionem*: unde Eutychius, qui corpora nostra instar aeris, & venti futura esse contendebat, a S. Gregorio tunc Diacono convictus, *pellem manus suæ ægrotus tenebat, dicens; Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus*, ut ipse refert S. Gregorius Magnus L. 14. Moral. c. 32., atque id demum definiit Concilium Lateranense sub Innocentio III. Can. 1. cujus hæc sunt verba: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quæ nunc gestant*.

Prob. IV. ratione. Resurrectio est *ejus, quod cecidit, iterata surrectio*: atqui ad hanc surrectionem requiritur, ut corpus, quod per mortem cecidit, idem numero resurgat, alioqui non esset secunda ejusdem corporis surrectio, sed assumptio novi: ergo.

Obj. Apost. I. Corint. 15. v. 37. *Quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum.* & v. 44. *Seminatur corpus animale; surget corpus spiritale*; ergo corpus, quod resumitur ab anima, non est idem corpus, quod habuit in terris.

R. neg. conseq. nam Apostolus non utitur comparatione grani in herbam renascentis, ut ostendat diversitatem substantiæ, sed tantum ut ostendat diversitatem conditionis, & qualitatis, prout requirebat quæstio hic proposita, *Quali corpore venient?* unde sensus est; quod quemadmodum seminatur nudum granum, nascitur vero granum herba, & aristis ornatum, atque vestitum; ita corpus nostrum seminatur, seu sepelitur mortale, sed resurget gloria vestitum, & immortalitate.

Quæres II. an omnia humani corporis membra resurrectura sint.

R. Electi cum membris omnibus resurgent.

Prob. tum quia Philipp. 3. *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum*, seu simile *corpori claritatis suæ*. & I. Corint. 15. *Qualis cælestis, tales & cælestes*: atqui Christus integer surrexit absque ullo defectu; ergo integri resurgent electi. Tum quia resurrectio est opus a Deo particulariter operante procedens; ergo in ea nullus esse potest defectus, vel ex parte virtutis, quæ infinita est, vel ex parte materiæ, quæ Creatoris voci docilis obtemperat. Membra porro, quorum nullus erit usus, saltem inservient ad hominis perfectionem, quod sufficit, ut resurgant.

Quod spectat ad reprobos, etsi probabilis sit sententia S. Bonaventuræ existimantis deformitates, quæ sunt per diminutionem, ab iis esse auferendas; remansuras vero illas, quæ sunt ex indebita membrorum compositione, non minus tamen probabilis est sententia S. Thomæ, juxta quem reprobi non resurgent cum iis deformitatibus, quæ non sequuntur naturaliter ex communibus corporis humani principiis. Atque id suadetur I. quia ex Apocal. 1. Christum Judicem *videbit omnis oculus*; ergo etiam oculi reproborum, qui cæci fuerint, & quibus proinde restituetur visus; II. quia hoc ipsum, quod membra omnia reprobis restituantur, ad majorem, & extensiorem pœnam eis cedet, nedum pro beneficio haberi possit: plus enim patientur cum duobus brachiis, quam si solum haberent, quocum nati sunt; ergo nulla est ratio, cur negetur reprobos sine hujusmodi defectibus resurrecturos esse. Ac si istis careant, non sic carebunt iis, qui humano corpori naturales sunt, ut gravitas, passibilitas, tarditas, &c.

Quæres III. quibus ætate, statura, & sexu resurgent homines.

R. ad I. cum Augustino Lib. 22. de Civ. Dei cap. 14. homines resurrecturos esse in ea staturæ magnitudine, in eo robore, & in ea corporis totius compositione, quæ convenit ætati hominis perfectissimæ, qualis esse solet triginta trium, aut quinque annorum: unde pene certum est, etsi ab Ecclesia non definitum, saltem electos in ætate juvenili resurrecturos esse.

Prob. quia sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita & eam reparabit sine defectu: atqui ut natura humana reparetur sine defectu, debet in ea reparari ætate, quæ juvenilis vocatur: deficit enim natura, sive in pueris, qui necdum ultimam suam perfectionem consecuti sunt, sive in senibus, qui ab ea recessere; ergo.

An idem de reprobis sentiendum sit, non æque certum est: affirmant Scholastici, quia, inquiunt, resurrectio est opus Dei reparantis naturam.

R. ad II. non omnes resurrecturos esse staturæ ejusdem: natura enim per resurrectionem reparabitur, non solum quoad perfectionem speciei, sed etiam quoad perfectionem individui: hæc autem in uno postulat unam quantitatem, & aliam in alio; ergo unusquisque resurget in ea quantitate, quam habuit in termino augmenti, vel quam aliquando habiturus erat, nisi præcisa esset vita ejus. Hoc tamen intelligendum est secluso naturæ defectu, & errore: unde gigantes non resument corpora immoderatæ magnitudinis, neque nani, aut pygmæi (quos inter fabulas multi referunt cum Aulo Gellio) corpora immoderatæ parvitatis. (*Noct. Attic. l. 9, c. 4.*)

R. ad 3. unumquemque in eo resurrecturum sexu, in quo conditus est; idque diserte supposuit Christus, cum interrogatus a Sadducæis, cujus post mortem futura esset uxor, quæ septem habuit viros, respondit, non quidem ibi nullas fore fœminas, aut viros, sed quod ibi *non nubent, neque nubentur*: (*Marc.* 12. 25.) atqui hæc responsio manifeste supponit fœminas in sexu suo resurrecturas esse, licet non ad eum usum, ut nubant; ergo.

Confirm. I. Ad veram resurrectionem requiritur, ut idem numero corpus resurgat, seclusis imperfectionibus: atqui non resurgeret idem numero corpus, si fœminæ non in proprio, sed in virili resurgerent, ut somniasse dicuntur Armeni. Aliunde *sexus fœmineus non est vitium, sed natura*: porro *natura servabitur*. Ita Augustinus L. 22. de Civ. Dei c. 17. ergo.

Confirm. II. In eo sexu fieri debet resurrectio, qui meriti majoris occasio extitit: atqui sexus sæpe fuit majoris meriti occasio, puta in his mulieribus, quæ non obstante sexus fragilitate pro fide, & pudicitia certantes, mortem dupliciter gloriosam oppetierunt; ergo.

At, inquies, sexuum diversitas oculis objecta, non decet statum, in quo summa vigebit puritas; ergo.

R. neg. ant. si enim primi parentes nudi erant in sta-

statu innocentiæ, & non erubescebant, quia aberat a felici illo statu libido incentiva mali; quanto magis aberit a statu gloriæ sensatio omnis, quæ pudori nocere possit?

Quæres IV. an transitus ad immortalitatem futurus sit mediante morte, seu an qui vivent in terris ipsa judicii die, prius morituri sint, quam judicandi; uno verbo, an omnes omnino sint morituri.

R. cum S. Thoma Lect. 8. in cap. 15. Epist. I. ad Cor. *Licet hæc litera, scilicet Non omnes moriemur, &c. non sit contra fidem, tamen Ecclesia magis acceptat primam, scilicet quod omnes moriemur, sive resurgemus.*

Prob. I. ex Script. Psal. 88. *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* II. Reg. 14. *Omnes morimur.* Heb. 9. *Statutum est hominibus semel mori, &c.* atqui verba tam generalia non alio, quam generali sensu intelligenda sunt, nisi quid obstet: ut nihil obstat in præsenti.

Prob. II. quia probabile non est ullos unquam fore homines, qui melioris sint conditionis, quam ipsa fuerit Virgo Deipara: atqui hæc mortua est; ergo.

Prob. III. In adventu summi Judicis tot, vel plures erunt mali, quam boni: atqui vix credi potest malos fore liberos a maledictione propter peccatum illata; morte nimirum; ergo.

Objiciuntur quædam: I. *Henoch translatus est, ne videret mortem*, Heb. 11. idem de Elia certum est; ergo non omnes morientur.

II. Num. 16. Dathan, & Abiron dicuntur *vivi* in infernum descendisse; ergo mortui non sunt. Dicitur etiam Apoc. 19. de Antichristo, & ejus Pseudopropheta, *quod vivi missi sunt in stagnum ignis*.

III. Ubi legimus in epistola I. ad Corinth. (*Cap. 15. v. 51.*) *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, Codices græci, syri, & arabes habent, *Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur*. Hæc autem lectio lectioni vulgatæ præferri debet, quia extra morem Apostolici sermonis esse videtur, ut S. Paulus de reprobis agens utatur verbo primæ personæ, quale istud est; *Non omnes immutabimur*: quare indubie dixisset, *Omnes quidem resurgent, sed non omnes immutabuntur*.

IV. Cum idem Apostolus I. Thess. 4. dixisset, *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi*, adjecit: *Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis:* quibus verbis significat futurum, ut in Judicii adventu mortui, qui in Christo dormierunt, statim resurgant; deinde vero justi, qui tunc vivent, (& in quorum persona loquitur Apostolus, cum ait, *Nos qui vivimus*) iis, qui jam a mortuis surrexerint, consociati, una cum ipsis in regnum Christi transferantur.

V. Idem adstruunt hæc Symboli verba: *Venturus est judicare vivos, & mortuos*: si *vivos*; ergo non omnes mortui erunt.

R. Hæc momenta, tametsi opinionem nostræ oppositam, & apud Græcos Patres satis receptam probabilem faciant; unde fatemur eam nec erroris, nec temeritatis incusari posse: hæc, inquam, momenta non sunt omni exceptione majora.

Ad 1. Translatus est Henoch, ne videret mortem eo tempore, quo alii eam videre solent, nempe post certum annorum ordinem, non autem ut eam penitus evaderet. Hinc constans est Fidelium omnium opinio, quod Enoch, & Elias *crudelitatis Antichristi sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt*, ut docet S. Greg. Lib. 14. Moral. cap. 12., idque patet ex cap. 11. Apoc.

Ad 2. Dathan, & Abiron vivi descenderunt in abyssum, sed vivi non pervenerunt ad gehennam, quia terra premente suffocati sunt. Sic Apoc. 19. Antichristus, ejusque Propheta dicuntur vivi descendisse in stagnum ignis, tametsi certo constet Antichristum esse moriturum, quandoquidem *Dominus Jesus eum interficiet spiritu oris sui*. (*II. Thess.* 2.)

Ad 3. R. I. neg. ant. etsi enim Codices quidam græci habent, *Non omnes dormiemus*, alii tamen multi habent, *Omnes quidem dormiemus*, quæ lectio cum lectione vulgata coincidit. Imo, ut monet S. Hieronymus ep. 152. ad Minerium, lectio, quæ nobis objicitur, non erat olim in omnibus græcis Codicibus, imo nec in plurimis, sed in *nonnullis*.

Nec nocet, quod contra vulgatam nostram lectionem objicitur. Quia non raro S. Paulus de rebonis, perinde ac malis communi disserens, in prima persona loquitur, ut Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, & II. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*; ergo lectio vulgata optime retineri potest, præsertim cum Tridentina Synodus velit standum esse Vulgatæ.

R. II. Neg. conseq. neque enim objecta lectio habet, *Non omnes moriemur*, sed, *Non omnes dormiemus*: atqui dormire, in hac Scripturæ phrasi, non est mori simpliciter, sed mortis somno teneri, quasi quadam quiete, quæ mortem consequatur, & diu perduret. Quapropter, qui reperientur viventes in adventu Domini, morientur quidem, sed quia statim reviviscent, somnum mortis non capient: ergo negare potuit Apostolus eos dormituros esse, licet negare non potuerit eosdem esse morituros, cum ipse generaliter pronuntiet statutum esse *hominibus mori*.

Ad 4. dicendum eos etiam, qui vivi reperientur, quique ab Apostolo dicuntur rapiendi *obviam Christo*, morituros esse vel in ipso raptu, vel ante raptum per ignem conflagrationis, qui, ut docet S. Thomas in Suppl. q. 74. bonos purgatione indigentes probabit, & purgabit; vivos vero, quoscumque reperiet, extinguet, ut gustata morte alii in vitam, alii in judicium resurgant.

Ad 5. I. per *mortuos*, quos judicabit Christus, intelligi possunt ii, qui jam mortui sunt; per *vivos* vero ii, qui nunc vivunt, & in posterum vivent; II. per *mortuos* intelligi possunt ii, qui ante diem judicii mortui fuerint; per *vivos* vero, non eos quidem, qui vivent ipso judicii tempore, quandoquidem nulli tunc erunt, qui vivant, sed qui adhuc vivent, *quando judicii* jam nunc futuri *signa apparere incipient*, ut ait hic B. Thomas.

Quæres V. quot futuræ sint corporum beatorum dotes.

R. Dos corporis est dispositio quædam, seu qualitas supernaturalis ab anima beata in corpus glorio-

sum dimanans, quæ illud eidem animæ perfecte subjectum facit. Quatuor autem hujusmodi dotes Sanctorum corporibus inexistent, nempe impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas, juxta hos versus:

*Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,*
*Omnes quadruplici pollebunt dote Beati.*

Quas quidem dotes ex hoc S. Pauli loco depromunt Theologi: *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione, Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*, I. Cor. 15.

I. Quidem corpus Beatorum erit incorruptibile, adeoque & impassibile, secundum id Apocal. 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Absit tamen, ut Beati ab iis passionibus immunes sint, quæ subjectum delectant. Hinc oculi reficientur visione sacræ Christi humanitatis, &c. Aures demulcebuntur sono laudis perpetuæ, quam *dicent Deo nostro omnes servi ejus*, Tob. 13.

II. Corpora Beatorum fulgentia erunt claritate, juxta id Matth. 13. *Justi fulgebunt sicut sol in conspectu Dei*. Quibus consonat id Apostoli I. Cor. 15. *Christus reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

De hac claritate, quæ est qualitas supernaturalis, qua corpus Beatorum reddetur luminosum, ac simile crystallo, hæc docent Theologi: I. erit inæqualis, quia orietur a redundantia gloriæ animarum, quæ, ut infra dicam, inæqualis erit; II. claritas hæc naturaliter videri poterit etiam ab oculo non glorioso, quia lux, & fulgor naturaliter habent quod visum moveant.

III. Summa erit horumce corporum agilitas, adeo ut ad animæ nutum ab uno loco ad alium imperceptibili tempore transire possint sine labore, lassitudine, & molestia. Hanc dotem exprimunt hæc Sapientiæ verba cap. 3. *Fulgebunt Justi, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent*. Hac dote Christus apparuit Discipulis post Resurrectionem, eademque in cœlos conscendit. Specimen aliquod fuit Daniel ult. & 8. Actor; ubi Habacuc, & Philippus alium in locum subito translati fuere.

IV. Demum mira erit corporis gloriosi subtilitas, sive hæc consistat in mutua corporum penetratione, sive, ut D. Thomæ placet, ea sita sit in dote, quæ corpus perfecte subjiciat animæ, sine necessitate somni, cibi, potus, &c.

Circa corpora reproborum docet S. Thomas I. hæc cum suis deformitatibus resurrectura non esse, quia resurrectio est opus Dei, qui sicut ab initio humanam naturam creavit integram, sic & integram reparabit; II. hæc incorruptibilia fore eo incorruptibilitatis genere, quod mortem eorum impediat, & hoc est fidei: nam *in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam*; (*Apoc.* 9. v. 6.) III. eadem fore passibilia, quod etiam de fide est: nam *ibi erit fletus, & stridor dentium*, (Luc. 13.) IV. reprobi nulla claritate gaudebunt, cum per æternitatem totam mansuri sint in *terra miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*; Job. 10. V. nec certe agiles erunt, cum *ligatis manibus, ac pedibus* projicendi sint *in tenebras exteriores*, Matth. 22.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De Beatitudine animæ.*

CIrca hoc punctum duo hic inquirenda: I. an Sancti Deum diligant necessario; II. an, & unde sint impeccabiles, Sit cum Thomistis

CONCLUSIO I. Beati tam necessario diligunt Deum, ut ab ejus amore cessare non possint.

P. I. Corint. 13. *Charitas nunquam excidit*, adeoque Beati Deum jugiter, & perpetuo amant: atqui voluntas Beatorum ab hoc actu cessare non potest. Voluntas enim, quæ rectæ rationis dictamen sequitur, non potest cessare ab actu, nisi intellectus in eo deprehendat aliquam mali rationem, aut in ejus cessatione speciem majoris boni: atqui voluntas Beatorum rectæ rationis dictamen necessario sequitur: aliunde vero fieri non potest, ut ratio Beatis proponat motiva, quibus ab amore Dei ut malo, aut minus bono avertantur; ergo.

Confirm. Clara Dei visio non compatitur judicium erroneum: atqui erroneum foret judicium, quo mens judicaret sibi melius esse cessare ab amore Dei; ergo.

Obj. Charitas viæ, & charitas patriæ sunt ejusdem speciei, & intensionis; imo charitas viæ est aliquando intensior charitate patriæ, ut patet exemplo amoris, quo B. Virgo in terris adhuc constituta Deum prosequebatur: atqui tamen amor viæ non est necessarius quoad exercitium; ergo nec amor patriæ.

R. I. argumento hoc probari amorem patriæ nequidem necessarium esse quoad specificationem, cum amor viæ quoad specificationem necessarius non sit: atqui ne ipsi quidem Scotistæ contendunt amorem patriæ ita Beatis liberum esse, ut Deum possint odisse, si velint.

R. II. dist. maj. sunt ejusdem speciei, sed non eodem nituntur principio, C. secus. N. Amor enim patriæ *regulatur* per lumen gloriæ, & visionem beatificam, quæ Deum ut summum bonum necessario proponunt, adeoque ut necessario diligendum: at vero amor viæ hisce principiis non nititur, ut per se evidens est.

Inst. Amor viæ fundatur in cognitione per fidem habita: sed cognitio habita per fidem tam necessario repræsentat Deum ut summe diligendum, quam cognitio beatifica; ergo vel amor viæ erit necessarius; vel si sit liber, ut est de facto, liber etiam erit amor patriæ.

R. neg. min. Visio enim beatifica duo habet: I. quod semper repræsentet id, quod repræsentandum est; II. quod abjici non possit. Primum competit fidei, quia nihil proponit nisi veri; at secundum non competit eidem, tum quia fides potest penitus excidere, ut cum quis fit infidelis, tum quia oculi mentis ab ea averti possunt, ut de facto avertuntur ab iis, qui *dilexerunt magis tenebras, quam lucem*, Joan. 3. 15.

CON,

CONCLUSIO II. Beati sunt impeccabiles, & quidem ab intrinseco.

Prob. I. pars: 1. ex S. Fulgentio Lib. de fide ad Petrum cap. 23. *Firmissime tene*, inquit, *non jam posse quemlibet SS. Angelorum in deterius commutari, quia sic acceperat æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, ut ea carere non possint*: atqui beati homines eam quoque acceperunt beatitudinem, qua *carere non possim*; ergo cum hæc æternæ beatitudinis possessio efficiat, ut Angeli peccare non possint, idem in aliis Sanctis præstabit.

Prob. II. quia, ut bene S. Thomas Lib. 4. contra Gent. c. 12. *Voluntas creata peccare non potest, quin præcesserit in intellectu error, & incogitantia*: atqui in intellectum Beatorum nec error, nec incogitantia irrepere possunt. Non error, quia qui vident Deum, in ipso nihil vident nisi veri. Non inadvertentia, quia qui necessario attendunt ad Deum, cujus amore inebriantur, necessario attendunt ad id omne, quod a peccato avertere potest; qui autem necessario attendunt ad id, quod a peccando deterrere potest, per incogitantiam peccare non possunt: atqui Beati necessario attendunt ad Deum, qui solus & totus omnes animæ eorum potentias occupat; ergo.

Dices: Angeli peccare possunt, juxta id Job. 4. *In Angelis suis reperit pravitatem*. Et vero Daniel. 10. referuntur pugnæ, ac discordiæ inter Angelos variis Regnis præsidentes, excitatæ; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dico I. hæc verba non esse ipsius Job, sed amici ejus Eliphax, qui ut probaret innocentes nunquam a Deo affligi, quod falsum est, multa parum accurata congerit: unde cap. 42. de eo conqueritur Deus, quod non sit locutus *rectum sicut Job*. Dico II. hæc verba intelligi de Angelis viatoribus, quorum alii Deo firmiter adhæsere, alii vero in justitia *stabiles* non fuerunt, & ii sunt, in quibus Deus reperit pravitatem.

Quod objicitur e cap. 10. Danielis non multum urget: tum quia censent Interpretes multi, eum Persarum Principem, qui restitit Gabrieli viginti & uno diebus, esse Cyrum Regem; tum quia alii hoc intelligunt de malis Angelis bonorum curas impedire volentibus; tum denique quia ipsi etiam boni Angeli hoc sensu inter se pugnare possunt, quod aliquando pro diversis Regnis sibi commissis quædam a Deo petunt pugnantia, aut de iisdem Dominum consulunt. Hæc autem possunt sine peccato fieri, sicut sine peccato fit, ut duorum Regnorum contra sesa invicem dimicantium Sacerdotes, unusquisque pro Principe suo, victoriam exorent.

Prob. 2. pars, quia beatitudo necessario includit amorem beatificum: atqui peccatum cum amore beatifico compati non potest. Nam per peccatum, si mortale sit, homo avertitur a Deo tanquam a fine ultimo; si vero veniale, saltem *divertitur*, ut aiunt Teologi: atqui hæc aversio, aut diversio a Deo cum amore beatifico nec compatitur, nec compati potest ex natura rei. Nam per amorem beatificum, utpote continuum, homo convertitur continuo in Deum tanquam ultimum finem: atqui ab intrinseco repugnat, ut qui in aliquid continuo, & necessario fertur, ab eodem averti, aut tantillum subduci possit; ergo.

## PUNCTUM TERTIUM

### *De iis, quæ conveniunt Beatitudini tum animæ; tum corporis.*

DUo hic investiganda: I. an beatitudo semel obtenta possit amitti; II. an sit in omnibus æqualis.

Circa primum erravit Origenes, docendo beatitudinem alterius vitæ non fore perpetuam, sed ei successuram esse damnationem, cui vicissim succedat beatitudo; ita ut Beati damnentur, & damnati evocentur ad gloriam. Sit contra errorem hunc

CONCLUSIO I. Sanctorum beatitudo æterna erit, nullique vicissitudini obnoxia. Est de fide.

Prob. 1. ex Scrip. Sap. 5. *Justi in perpetuum vivent*. Math. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam*. Joan. 22. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. I. Petri 2. Beatitudo vocatur hæreditas *incorruptibilis, incontaminata, & immarcessibilis*: atqui ii omnes textus, si naturaliter, & in obvio sensu intelligantur, ut intelligi debent, quia nihil obstat, beatitudinis æternitatem exprimunt; ergo.

Prob. II. ex PP. S. Cyprianus in exhortat. Martyr. *Mors*, inquit, Martyribus *infertur, sed immortalitas sequitur..... vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur*; ergo Sanctorum beatitudo æterna est, & immortalis. S. Augustinus, (*Lib. 22. de Civ. c. ul.*) ut cæteros omittam: *Tunc*, inquit, *plena erit, certa, secura, sempiterna felicitas*. Et hoc est, quod profitemur his Symboli verbis, *Vitam æternam*.

Prob. III. ratione. Beatitudo talis esse debet, ut omne Beati desiderium expleat, & ab eo omne mali genus excludat: atqui hoc præstare non potest, nisi sit inamissibilis. Si enim amitti possit, non minor erit Beatorum anxietas, quam eorum, qui in terris positi gestant thesaurum, quo spoliari possunt; imo major, quia Beati cum melius norint conditionis suæ pretium, magis angentur ejusdem amittendi metu: atqui sollicitudo hæc, & anxietas cum vera beatitudine compati non possunt; ergo.

CONCLUSIO II. Beatitudo Sanctorum est inæqualis. Est de fide contra Jovinianum, qui ut æqualia peccata, sic & æqualia merita, & parem consequenter mercedem faciebat.

Prob. I. Joan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. I. Cor. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*. ibid c. 15. v. 41. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum..... sic & resurrectio mortuorum*. II. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce & metet*. Sed ubi variæ sunt mansiones, ubi merces labori respondet, ubi major est, & minor claritas, ibi beatitudo est inæqualis.

Prob. II. ex Patribus. S. Polycarpus Judicem supplicia intentantem alloquens: *Merita mea*, aiebat, *doloris æstimatione pensabo. Quanto graviora pertulero, tanto præmia majora percipiam*. S. Hieronymus ea de re expresse scripsit contra Jovinianum.

Obj. Operarii, de quibus loquitur Christus Matth. 20. non eodem modo laboraverant, sed alii aliis ocius: atqui tamen omnes eodem modo remunerati sunt; omnes

nes enim acceperunt eundem denarium; ergo.

R. I. neg. maj. Etsi enim dispar fuit laboris diuturnitas, supponi potest eos, qui setius operi manum admoverunt, tanto eum fervore, & diligentia laborasse, ut cæteros adæquaverint: certe primi Fideles, qui hora solum undecima in vinea Domini laboraverunt, statim ut e gentilitatis tenebris emerserunt, intra modicum tempus tales in pietate progressus fecere, ut sanctiora Synagogæ tempora pene statim adæquaverint, & sic *in brevi multa* expleverint, *tempora*; ergo non minus, quam alii laboraverunt, nec minori sunt mercede donandi.

R. II. dist. min. Omnes eodem modo remunerati sunt, quoad substantiam rei per denarium significatæ, C. quoad gradum, & perfectionem, N. Omnes quidem vitam habebunt æternam, at non omnes eundem in ea gradum consequentur, sed alia erit claritas Solis, alia Lunæ, &c. Neque tamen alius alii invidebit, quia, ut belle notat Augustinus, *Tam nollet esse unusquisque quod non accepit, quam nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus.* (*Lib.* 22. *d. Civ. c.* 30.) Beati nempe sunt vasa alia aliis capaciora, sed usque adeo plena, ut superfluant, nec amplius, quam quod habent, valeant continere. Cæterum parabolæ non ita presse urgeri debent, alioqui enim sequeretur in coelis esse murmur, & mutuam offensionem.

Quæres quid sit aureola Beatorum.

R. Præmium essentiale, quo donantur Beati, vocatur *aurea*, sive *corona aurea*: tum quia Beati regnant in cœlo, suæ autem sunt Regibus coronæ; tum quia regnum coeleste certaminibus, & victoriis obtinetur. Ab aurea dicta est *aureola*, id est parva corona, & hæc definiri potest Gaudium accidentale a Beatis de singulari quadam victoria perceptum, & in corpus speciali fulgore redundans. Dico *ex singulari quadam victoria*; non enim quodlibet opus sanctum meretur aureolam, sed solum insignis victoria de hoste. Hæc vero triplex est, ut & triplex est hostis, mundus scilicet, caro, & diabolus. Vincunt mundum Martyres contemptu mortis, quo malo nullum gravius a mundo inferri potest. Vincunt carnem Virgines, cum ejus illecebris resistunt, & de hoste domestico, ac petulanti gloriose triumphant. Vincunt diabolum Doctores, aliique verbi ministri, & interpretes, cum eum e cordibus hominum, quibus potenter dominatur, ejiciunt, atque deturbant.

Ex his aureolis potior judicari solet aureola martyrii, *quia pugna Martyrum secundum se est fortior, & vehementius affligens*; aureola vero secundum se debetur victoribus.

## CAPUT TERTIUM.

*De proprietatibus Actuum humanorum;*

PER proprietates actuum humanorum intelligimus cum Valentia tum quædam eorum attributa, ut sunt malitia, & bonitas; tum ea, quæ bonitatem, & malitiam sequuntur, ut meritum, & culpa. De culpa alibi dicemus, cætera hic discutienda veniunt.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De bonitate, & malitia morali Actuum humanorum.*

DIcemus I. quid sit bonitas, & malitia moralis in genere; II. an omni, & cuilibet actui conveniat; III. unde repetenda sit.

### SECTIO PRIMA.

*In quo consistat malitia, & bonitas Actus humani.*

IN actu humano duplex *esse* considerari potest, scilicet esse *physicum*, seu *naturale*, & esse *moris*, seu *morale*. Esse physicum est ipsa entitas actionis nude, & simpliciter spectata, quatenus est, aut esse potest extra nihil; esse vero morale, seu moralitas actus est ejusdem habitudo ad certas regulas, quibus si conformis sit, aut difformis, bonus dicitur, aut malus in ordine morum. Sit

CONCLUSIO I. Moralitas actus non consistit in solo libero.

Prob. tum quia actus concipitur liber, antequam concipiatur moralis; tum quia concipitur liber, prout deliberate proficiscitur a voluntate; moralis vero, prout elicitur consentanee, aut dissentanee ad rectam rationem.

Omne tamen liberum est morale, sicut omne morale est liberum, quia quidquid libere producitur etiam in naturalibus, aut artefactis, non solum juxta artis, aut naturæ regulas, sed etiam juxta rationis leges produci debet, secundum id Apostoli, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* (1. *Cor.* 10. 31.) de quo infra. Utinam vero artifices tantum insudarent, ut juxta rationis, quam ut secundum artis regulas operarentur.

Obj. In eo sita est moralitas, quo posito ponitur, & quo sublato tollitur: atqui posita libertate ponitur moralitas, v. g. actus imputatur in malum, qui eadem sublata libertate desinit imputari; ergo.

R. dist. maj. quo posito tanquam essentia rei ponitur moralitas, C. quo posito tanquam prærequisito, N. Itaque ad morale prærequiritur liberum, unde sublato libero tollitur morale; sicut sublato voluntario tollitur liberum, quia ad liberum prærequiritur voluntarium: non magis tamen morale in solo libero consistit, quam liberum in voluntario solo; quia sicut voluntarium, & liberum diversis conceptibus objectivis concipiuntur, sic liberum, & morale diversis repræsentantur ideis.

CONCLUSIO II. Regula, ex cujus commensuratione desumitur moralitas, est recta ratio. Ita vulgo Theologi.

Prob. ex S. Augustino Lib. de utilitate credendi c. 12. ubi sic: *Rectum factum nullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur.*

Porro recta ratio duplex est: una *increata*, quæ in mente divina existit, & lex æterna dici solet; altera *creata*, quæ est lumen a Deo creaturæ rationali impressum, seu ipsa legis æternæ cognitio, indicans quid faciendum sit, aut fugiendum, aut quid simpliciter

liter bonum sit. Ut enim bene notat Sylvius hic q. 19. art. 4. actus, ut bonus sit, non necessario conformis esse debet alicui legi præcipienti, (alioquin facere ea, quæ sunt consilii non esset bonum) sed necesse est, & sufficit, ut sit conformis rationi, vel præcipienti, ut fiat, vel judicanti posse bene fieri, simulque præscribenti quomodo fieri debeat. Utraque hæc ratio actuum nostrorum regula est, ita tamen ut ratio creata, per se regula non sit, sed prout substat legi æternæ. Unde S. Thomas 1. 2. q. 71. art. 6. *Regula voluntatis humanæ est duplex: una propinqua, & homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.*

Obj I. Motus concupiscentiæ indeliberati non sunt mali, nec imputantur: atqui tamen repugnant supremæ rationi; ergo disconvenientia cum suprema ratione non est malitiæ regula, adeoque nec bonitatis.

R. dist. maj. non sunt mali formaliter, C. non sunt mali, vel potius inordinati materialiter, & objective, N. Ut intelligatur solutio, notandum est, quod duplex distinguatur moralitas: una *objectiva*, quæ se tenet ex parte actus secundum se solum considerati; altera *formalis*, quæ non tam dicit ordinem ad objectum ipsum, quam ad agentem ut bene, vel male *moratum*. Recta ratio utriusque hujus moralitatis regula est, unde quod ei repugnat, ea parte qua repugnat, habet aliquid mali: sed quia repugnantia hæc aliquando involuntaria est, ut in iis, qui vel non, quod volunt, faciunt, vel invincibili laborant ignorantia, ideo non semper imputatur ad culpam, sed aliquando ad meritum ob bonam fidem agentis, qui rectam rationem sibi sequi videtur, dum etiam ab ea deficit.

Obj. II. ex S. August. Enchir. c. 101. *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult .... ut si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori*; ergo saltem aliquando ratio Dei, & ratio hominis non sunt regulæ bonitatis actionis, cum ambæ nonnunquam a se invicem dissentiant.

R. neg. conseq. & disting. probat. nonnunquam ratio Dei, & ratio humana dissentiunt in objecto materiali, seu in re volita, C. in objecto formali, seu in modo volendi, N. Itaque dissentiunt quadantenus Dei, & hominis voluntates, cum Deus vult, ut moriatur aliquis, quem filius ejus vivere desiderat; sed reipsa plus inter se congruunt, quam prima fronte videatur: I. quia vult Deus, ut filius patris sui mortem avertat, quantum potest: is ergo cum optat, ut pater non moriatur, divinæ voluntati consentit; II. quia filius non optat vitam patris nisi conditionate, & absolute cupit, ut fiat voluntas Dei; ergo & ex hac etiam parte voluntas hominis cum Dei voluntate congruit.

## SECTIO SECUNDA.

*An dentur Actus indifferentes.*

NOT. I. Actus indifferens is esse dicitur, qui nec bonus est, nec malus moraliter.

Not. II. Actus humanus, de quo solo hic agitur, utpote qui solus deliberatus sit, dupliciter considerari potest, *in specie* scilicet, & *in individuo*. Actus humanus in specie est actus spectatus in genere, & comparate ad objectum duntaxat, abstrahendo a fine, & cæteris circumstantiis: v. g. Deum precari, furari, deambulare, quorum primum, etiam ratione objecti spectatum, bonum est, secundum vero malum, tertium denique indifferens, ita ut possit bonum esse, vel malum. Actus vero spectatus in individuo est actus prout a parte rei ponitur, & comparate ad objectum, finem, & omnes circumstantias.

Certum est dari actus indifferentes in specie, qui, spectati seorsim a fine, quo fiunt, nihil boni continent, aut mali moralis, cum eorum objectum non pertineat ad mores. Hinc illud S. Hieronymi Epist. 89. *Bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare.* Sed graviter controvertitur, an dentur, aut dari possint actus indifferentes in individuo. Affirmat Alensis, S. Bonaventura, Gabriel Almainus, Vasquez, & Scotus cum suis in 2. dist. 41. Alii plures negant, eo nixi fundamento, quod omnes Actus nostri, nisi in bonum finem referantur, sint vere mali. Sed hic recrudescit controversia: cum enim finis omnis a creatura distinctus, sit Deus ipse, saltem sub conceptu confuso, quæritur, qua ratione actio, ut ex parte finis bona sit, debeat ad Deum referri; de quo non una est omnium opinio.

I. enim censent aliqui, actionem, ut bona sit, ad Deum referri debere ex charitate habituali, & justificante, unde sequitur omnes peccatoris actiones totidem esse peccata. Ita Joannes Hus, inter cujus propositiones damnata est hæc a Concilio Constant. Sess. 15. *Si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiose; & si est virtuosus, & agat quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus, sive charitas vivificat omnes actus hominis virtuosi* (*Hub. tom.* 12. *p.* 130.) Eundem ex parte errorem, si non sensu, de quo judicet Deus, saltem verbis exprimere visus est Quesnellus, cujus propositio 45. sic habet: *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Quesnello præiverat Baius, cujus 35. propositio sic habet: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Baio autem præiverat Lutherus, qui citatam Joannis Hus propositionem expendens ajebat: *Hic articulus est a Catholicis concedendus.* Haud tamen eum *concessit* sacra Facultas Parisiensis, quæ anno 1521. doctrinam hanc reprobavit: haud concessit Ecclesia tota, quæ docet aliquid boni a peccatoribus ipsis, aliquid venialiter mali a justis aliquando prodire.

II. Docent alii, malam esse actionem omnem, quæ virtualiter saltem ad Deum non refertur ex motivo charitatis, sive perfectæ, sive imperfectæ, hoc est, quæ non refertur ad Deum propter se dilectum. Ita Jansenius Lib. 3. de statu nat. laps. c. 17. & alibi passim: *Nullum*, inquit, *omnino fieri potest opus bonum, hoc est sine peccato, nisi ..... in Deum propter se dilectum referatur.* Eadem, nisi forte pejor, fuit Quesnelli sen-

tentia

centia, ut patet ex textu citato, eamque acriter defendunt ejus asseclæ.

III. Cæteri Theologi negant eum, qui ex charitatis proprie dictæ motu non operatur, semper peccare. Sententiam hanc non adstruemus, nisi paucis: quia ex iis, quæ circa opera Infidelium moraliter bona docuit Doct. Tournely, facile colligitur, quid hic sentiendum sit. Sit itaque:

CONCLUSIO I. Non dantur actus indifferentes in individuo. Ita præter D. Thomam, & Thomistas docent Bellarminus, Suarez, Valentia, &c.

Prob. I. ex SS. Patribus. August. Lib. 2. de peccat. meritis, &c. cap. 18. *Mirum*, inquit, *si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, & bona est; .... aut si omnino non diligimus, non bona est, sed mala, & pessima*. & Epist. 82. alias 19. *Cavendum est, ne sicut Philosophi, facta quædam hominum media, dicamus inter recte factum, & peccatum, quæ neque in recte factis, neque in peccatis numerentur*. Unde sic: Actio indifferens ea est, quæ nec bona est, nec mala, quæ inter recte factum, & peccatum media est: atqui ex S. Augustino nulla debet admitti actio hujuscemodi, sed a contra *cavendum* est, ne admittatur: Atque id ita manifestum est, ut Vasquez, qui contra nos pugnat, (*Vasq. disp. 52. n. 33.*) ingenue fateatur SS. Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & Thomam sibi adversari; ergo.

Prob. II. Actio spectata in individuo est actio, quæ fit propter aliquem finem; quæ enim non fit propter finem, est actio spectata in specie: atqui actio, quæ fit propter finem non potest esse indifferens. Eatenus enim talis actio posset esse indifferens, quatenus fieret propter finem, qui nec bonus esset, nec malus: atqui impossibile est, ut actio aliqua fiat propter finem, qui nec bonus sit, nec malus. Nam finis omnis vel est Creator, vel creatura: sed actio, quæ fit propter Creatorem, ut agens in eo conquiescat, fit propter bonum finem; actio vero, quæ fit propter creaturam sine ordine ad Deum, ut voluntas in illa sola conquiescat, fit propter malum finem. Sic malum est comedere etiam sine excessu, aut opus conjugii exercere propter solam voluptatem: unde damnatæ sunt ab Innocentio X. hæ propositiones, *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum*. Et, *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa, & defectu veniali*; ergo.

Prob. III. Omnis actio otiosa est moraliter mala: atqui omnis actio, quæ ad debitum finem non ordinatur, est otiosa; ergo. Major, & minor seorsim probandæ veniunt.

Prob. itaque major. Non minus actio otiosa est moraliter mala, quam verbum otiosum, imo magis, cum in actione otiosa tempus tam inutiliter occupetur, quam in verbo otioso, & aliunde jactura rei otiosæ major sit, quam damnum verbi otiosi, quod inter creata quæcumque minimum reputari solet; unde S. Hieronymus in Psal. 16. *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus?* atqui verbum otiosum est moraliter malum, quandoquidem *reddent homines de eo rationem in die judicii*; non solum propter discussionem, ut temerarie respondent quidam ex adversariis, sed propter condemnationem, ut patet ex verbis Christi immediate sequentibus: *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis* (*Matt. 12*). Unde Tertullianus Lib. de penitentia cap. 4. *Traditum est in doctrina Christi, manere nos omnis vani, & supervacanei dicti reatum*; ergo.

Prob. min., nempe quod omnis actio, eo ipso quo ad debitum finem non refertur, otiosa sit. Et idquidem evidens est ex terminis: actio enim non dicitur otiosa, eo quod malum habeat finem; ergo ideo solum otiosa dicitur, quia caret debito fine. Et hoc plerique Patres docent. Otiosum verbum, ait S. Hilarius, est verbum *ineptum, & inutile*. S. Gregor. Homil. 6. in Evang. *Otiosum verbum*, inquit, *est, quod utilitate rectitudinis, aut ratione justæ necessitatis caret*. S. Bernardus L. de triplici custodia, &c. *Otiosum verbum est, quod nullam rationabilem causam habet*; ergo pariter actio otiosa ea est, quæ debito fine caret. Unde Matth. 20. operarii dicuntur otiosi, non quia nihil prorsus agerent, sed quia nihil efficerent utile, & quod ad debitum finem posset ordinari.

Prob. IV. Si teneatur homo omnes actus suos ad Deum referre, jam certum est non dari actus indifferentes, quia boni erunt, qui ad hunc finem referentur, mali vero, qui non referentur: atqui tenetur homo actus suos omnes ad Deum referre. Qui enim *omnia* generatim, & indistincte, qui actiones etiam minimas in gloriam Dei facere tenetur, ille omnes actus suos ad Deum referre tenetur: atqui tenetur homo omnia generatim.....

Prob. min. ex celebribus S. Pauli verbis I. Corint. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: atqui hæc verba nullam ne minimam quidem actionem excludunt, quæ non debeat ad Deum referri. Et si potus ipse, & esus, & aliud quid simile ad Dei gloriam ordinari debet, quanto magis aliæ majoris momenti actiones?

At, inquiunt, verba hæc merum sunt consilium.

Contra I. Apostolus utitur verbo imperativo, *facite*, nihilque addit, quo indicet se consilium merum dare; ergo censendus est præceptum dedisse, præsertim cum id patiatur materia, nec ullæ obstent circumstantiæ; II. in dubio ad mores pertinente pars tutior tenenda est; III. in hisce verbis verum agnovera præceptum Patres. Sic Augustinus Lib. de corrept. & gr. c. 3. *Præcipit Apostolus dicens: Omnia vestra in charitate fiant*. S. Maximus Homil. 2. de gratiis, &c. *Christianus semper debet Patri, ac Domino suo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, sicut ait B. Apostolus; Sive manducatis, sive bibitis, &c.* S. Thomas 1. 2. q. 21, art. 4. *Deus*, inquit, *est ultimus finis hominis. Est autem debitum, ut ad finem ultimum omnes actus referantur*. Nun negamus S. Bonaventuram nobis hic cum sua Schola adversari; sed nec opinionem nostram in articulum fidei transformari volumus.

Obj. I. S. Hieronymum ubi supra: *Bonum est continentia, malum luxuria, inter utrumque indifferens ambulare...*

hæc.

*hoc non est bonum, nec malum; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam*. Unde sic; Actiones, de quibus hic loquitur S. Doctor, vere sunt indifferentes, cum nec ad meritum, seu justitiam, nec ad demeritum, sive injustitiam imputentur: atqui actiones illæ non solum considerantur in specie, sed etiam in individuo; hæc enim vox, *feceris*, denotat exercitium actionis in individuo; cum actus non possit fieri nisi in individuo, & singulari.

R. I. Transeat major, quæ efficaciter non probatur, quia potest aliqua actio nec ad meritum, nec ad demeritum inservire, & tamen non esse indifferens, si nempe sit solum moraliter bona.

R. II. Dato quod Hieronymus hic ex propria sententia loquatur, quod certum non est; neg. min.; etsi enim loquatur S. Doctor de actione, prout a parte rei exercetur, non respicit tamen, nisi objectum ejus, & abstrahit tum a fine, tum a circumstantiis, ut ab iis abstrahit, cum ait bonum esse continentiam, quæ tamen, ut in conjugatis, aliquando mala esse potest: unde sensus ejus est, *sive feceris, sive non*, id est præcise quia fecisti, vel non fecisti, nec justitiam habebis, nec injustitiam; quamvis aliunde laude, vel vituperio dignus sis, prout ex rationabili causa, & ex bono fine, atque in debitis circumstantiis fecisti, vel non. Et vero S. Doctor in Epist. ad Ctesiphont. postquam hæc retulit verba, quibus Pelagius Ecclesiæ dogma de gratiæ ad actus singulos necessitate quasi ridiculum explodere nitebatur: *Si voluero curare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere.... semper auxilium Dei mihi necessarium erit*. Sic vivide respondet: *Audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, &c.* ergo vult S. Doctor, ut non deambulatio solum, sed & actus omnium maxime animales ad Dei gloriam referantur.

Atque hinc colliges, eum peccare, qui solius voluptatis causa comedit, flores odoratur, campum innumeris varium coloribus respicit, musicæ cantibus demulcetur, uxore utitur, &c. Ita docet Augustinus Lib. 10. Confess. cap. 33. *Cum*, inquit, *mihi accidit, ut me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moveat, me peccasse confiteor*. & Lib. de bono conjug. cap. 7. *Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, est culpæ venialis*. Concinit S. Thomas in 4. dist 31. q. 2. art. 2. *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ prolis, & debiti reddendi; alias semper ibi est peccatum ad minus veniale.*

Obj. II. Actus, qui nec bonitatem, nec malitiam contrahunt ex objecto, fine, & circumstantiis sunt indifferentes in individuo: atqui dantur hujusmodi actus. Actus enim, qui fiunt ad sublevandam levem naturæ indigentiam, ut ambulare, sputa ejicere, ad ignem frigoris abjgendi gratia accedere, sunt actus, quorum I. objectum nec bonum est, nec malum moraliter; II. finis est etiam indifferens: qui enim ad ignem frigoris expellendi gratia accedit, per se loquendo non plus meretur, quam qui non accedit; III. circumstantiæ sunt, & supponuntur esse indifferentes; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. actus, de quibus agitur, ratione finis indifferentes: vel enim fiunt propter solam voluptatem, & tunc includunt culpam venialem, ut ait S. Thomas; vel fiunt, ut corpus ad functiones suas magis habile reddatur, & ideo mens promptius, & melius ea, quæ officii sui sunt, peragat, & tunc sortiuntur bonitatem a fine, quem operans ultimate intendit; ergo quocumque modo considerentur, non sunt indifferentes.

Inst. Si prædicti actus boni esse possent, possent voveri; rursum si forent mali, deberent pœnitentes se de iis accusare: atqui neutrum dici potest. Non I. nam ridiculum esset, & stultum vovere v. g. deambulationem ad sublevandam levem naturæ indigentiam. Non II. nemo enim est, qui se de iis accuset; nemo, qui antequam quæstionem hanc in Scholis tractari audierit, crediderit se, spuendo, vel emungendo nares, peccare, nisi hæc honestum in finem referret; nemo, qui his solis absolutionem impendere ausit: & id fatentur Thomistæ ipsi, cum candide loqui volunt; ergo.

R. neg. primam partem majoris, quæ moraliter loquendo falsa est; quia non omne bonum voveri potest, sed id tantum, quod est melius: porro ii etiam actus, qui boni sunt, non sunt semper meliores, quam ipsorum omissio. Sic tametsi matrimonium sit per se bonum, & optimum, haud tamen communiter loquendo voveri potest, quia excludit statum virginitatis, qui Deo acceptior esse solet. Dixi, moraliter loquendo, quia sicut matrimonium in quibusdam raris casibus voveri potest, sic & actus, de quibus loquitur objectio, ob quasdam causas, quæ raro occurrunt, voveri possent.

Ad 2. partem respondet Gonet his verbis: *Quia similes actus ut plurimum sine deliberatione ex sola imaginatione sunt, & si fiant cum consilio, & deliberatione rationis, ad sanitatem, vel honestam recreationem, vel naturæ quietem, & solatium virtualiter referuntur, regulariter sunt materia dubia, & ideo prudens Sacerdos raro debet his solum absolutionem impendere, sed monere pœnitentem, ut de aliis, licet jam confessis, quæ certo scit fuisse peccata, se accuset.* Adde, quod multi ex iis, qui Deum vere timent, sæpius in die actus suos omnes Deo offerunt, & oblationem hanc identidem repetunt, ne interrumpatur: multi etiam se ut peccati reos habent, cum illud pietatis officium omiserunt.

Obj. III. Illa opinio admitti non debet, quæ jugum imponit, quod portari non potest: atqui talis est opinio nostra. Quis enim hominum potest in singulis actibus, iis etiam, qui animales sunt, ut spuere, rectum finem sibi semper proponere?

R. neg. min. Non enim requiritur relatio *actualis*, qua homo in actibus singulis de ultimo fine cogitet; sed sufficit relatio *virtualis*, quæ nimirum, etiam cum desiit esse præsens actu, manet virtute actualis præhabitæ, quæ nec revocata est per actum contrarium, puta peccatum, nec interrupta per longiorem temporis moram: atqui talis relatio, ad quam satis est, ut homo aliquoties in die suum bene operandi propositum renovet, viro Christiano onerosior videri non debet, cum eo usque progressi sint vel ipsi Gentiles, ut eorum aliquis dixerit: *Ni ratio jubeat, digitum exere, peccas*.

Obj. IV. Qui bona fide existimat dari actus indifferentes

ferentes in individuo, & deambulando nullum sibi bonum finem proponit, nec peccat cum agat juxta opinionem, cujus falsitas inculpate ignorari potest; nec bene agit, cum nec actu, nec virtute bonum finem intendat; ergo.

R. neg. ant. Fieri enim nequit, ut hic occurrat saltem practice ignorantia invincibilis, quia ratio fide præsertim adjuta evidenter dictat nemini unquam esse licitum otiose, & inutiliter operari. Nec dubium est, quin hoc in praxi secutus sit S. Bonaventura, qui se, suosque actus pluries in die ad Deum referebat.

Obj. V. In Concilio Constantiensi damnata est hæc Joannis Hus propositio, *Nulla sunt opera indifferentia: sed hæc est divisio immediata humanorum operum, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa*; ergo admitti debet hæc contradictoria: aliqui sunt actus indifferentes.

R. dist. ant. damnata est in sensu Joannis Hus, C. in sensu Catholicorum, qui noster est, N. Contendebat Joannes Hus omnem, & quemlibet actum virtuosum esse, vel vitiosum, prout elicitur ab homine justo, vel peccatore; quia, inquiebat, *vitium, seu mortale peccatum inficit universaliter actus hominis vitiosi, & virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi*. Hanc hæresim merito proscripsit Synodus Constantiensis, quia inter vitiosa hominis mali, & virtuosa hominis justi opera dantur actus aliqui medii, qui nec justi sunt, tametsi fiant ab homine justo, cum is aliquando venialiter peccet; nec vitiosi, tametsi fiant ab impio, quia is nonnunquam pie agere potest. At eadem Synodus circa propositionem ipsam absolute sumptam non pronuntiavit, cum quæstiones inter Ecclesiæ Catholicæ Theologos illæsa fide agitatas dirimere non intenderit.

CONCLUSIO II. Ut actio sit ex omni parte bona, necesse non est, ut ad Deum propter se dilectum referatur, seu ut fiat ex motivo charitatis, saltem initialis stricte sumptæ. Imo sententia, quæ relationem hanc requirit, *falsa est, & erronea*, ut loquitur Gonet tom. 4. disp. 1. de necessitate grat. art. 3. Assertionis nostræ præcipua indicare fundamenta sufficiat; sed antea monere volo, duo hæc, quæ aliquibus synonima videntur, operari *propter Deum propter se dilectum*, & operari *propter Deum tanquam ultimum finem*, mihi omnino distincta videri: actus enim spei Deum attingit ut ultimum finem, nec tamen tendit in eum propter se, id est propter absolutam ejus bonitatem.

Prob. itaque I. Si, ut actio ex omni parte, atque etiam ratione finis bona sit, & penitus immunis a peccato, requiratur charitatis supernaturalis influxus, omne opus liberi arbitrii sibi dimissi peccatum erit saltem veniale; & ad nihil valebit libertas, nisi ad peccandum: atqui falsum omnino consequens. Prob. min. I. quia inter propositiones Baianas, quas an. 1560. die 27. Junii notavit Facultas Parisiensis, hæc propositio num. 4. *Liberum arbitrium ex se non potest, nisi peccare, & omne opus liberi arbitrii sibi dimissi est peccatum mortale, vel veniale*, damnata est sub hac censura, *Hæc propositio pro utraque parte est hæretica*. Ista item, *Homo faciendo quod in se est, peccat, & non potest non peccare faciendo quod in se est*, sic confixa est: *Tota hæc propositio est hæretica*; II. quia proscripta est a Romanis Pontificibus hæc Baii propositio, *Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet, nisi ad peccandum*. Hanc etiam reprobavit Alexander VIII. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, peccatum est*; III. quia cum doctrinam hanc renovasset Monachus quidam Theologiæ Professor, hanc ab eo fidei professionem exegit, (nemine in Senonensis Provincia reclamante) Episcopus Altissiodorensis anno 1711. *Je reconnois que la foi n' est pas tellement nécessaire pour les actions moralement bonnes, que sans un comencement de foi & de charité, on ne puisse faire aucune bonne œuvre morale d'un ordre naturel, la quelle ne soit pas un péché au moins d' omission, à cause qu' on ne la rapporte pas à Dieu par quelque acte de charité au moins commencée*.

Prob. II. Si omnis actio sine charitatis actualis influxu elicita sit peccatum, peccabit, qui solius æternæ mercedis intuitu operabitur: atqui falsum consequens ex Trid. Sess. 6. Can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*. Hinc damnata est ab Alexandro VIII. (*An.* 1690.) ista hæc propositio, *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*, & hæc iterum, *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*.

Prob. III. ex Concilio Trid. (*Sess.* 14. *c.* 4. quod declarat *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum..... quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*, & alibi (*Sess.* 6. *c.* 8.) *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit*. Unde sic: Timor, de quo agitur in prædictis textibus, non includit initium charitatis stricte sumptæ, atqui tamen timor ille ex omni parte bonus est; ergo ut actio ex omni parte bona sit, sufficit impulsus, & motio Spiritus sancti a charitate distincta.

Major patet I. quia Synodus Tridentina explicans quo motivo moveatur ille, qui timet, non assignat charitatem, sed considerationem turpitudinis peccati, aut gehennæ metum; ergo, saltem *communiter* loquendo, attritio ex his solum motivis nascitur, non autem ex præstanti charitatis stricte sumptæ motivo.

II. Quia Lutherus, contra quem editus est prædictus Canon, in expositione articulorum, quos Leo X. condemnaverat, ac proinde diu ante Tridentinam Synodum, declaraverat attritionem, qua hominem magis peccatorem fieri censebat, non eam esse, quæ ex Dei amore proficiscitur. Sic enim loquebatur an. 1520. in assertione omnium Articulorum per Bullam Leonis X. damnatorum: (*Tom.* 2. *Edit. Ihenæ an.* 1557. *fol.* 316.) *Si dixerint se loqui de contritione in charitate facta, jam Articulus nihil ad me; non enim unquam sic*

docui.

docui. & supra: Doceo contritionem quantumlibet magnam, nisi fiat amore justitiæ, & (ut ipsimet Catholici dicunt) in charitate Dei, non esse veram sed simulatam. & infra: *Donec ab amore legis incipiant pœnitere, sa se hypocritas esse sciant.* Ergo ea solum contritio Luthero displicuit, quæ non concipitur ex amore justitiæ, & charitate Dei; ergo contritio, quæ juxta Patres Tridentinos, quibus ignota non erat Lutheri apologia, supernaturalis est, & quatenus talis *ad justitiam* conducit, non includit amorem charitatis. Et vero propositio, quam reprobat Synodus Trid. totidem verbis desumpta est ex Sermone secundo Lutheri de Pœnit. (*Tom.* 1. *fol.* 13.), ubi ne uno quidem verbo indicat eum a se reprobari timorem, qui charitate habituali destitutus sit. Esto Novator plus aliquando in hoc puncto erraverit; sed varias erronei systematis partes reprobare potuit Synodus Tridentina, & de facto reprobavit Canonibus VII. & VIII.

III. Quia usque adeo loquuntur Patres de timore, qui amorem non includit, ut dilectionis nomen e Concilii decreto, quale primo conceptum erat, eradi voluerint. Cum enim, ut refert Pallavicinus Lib. 12. c. 10. prius decretum statueret attritionem ortam ex eo timore, qui servilis dicitur, sufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ constitutionem, *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat*: monuit Æmilianus Tudetanus Episcopus, falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse, &c. *Quamobrem*, ait Pallavicinus, *decretum sicut nunc extat, reformatum est*.

IV. Quia propositio hæc: *Attritio, quæ ex gehennæ metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis*, ab Alexandro VIII. damnata est, indubie quia Tridentino adversabatur; ergo pro certo habendum est timorem, de quo loquitur Synodus Tridentina, abstrahere ab amore Dei propter se.

Nunc probanda est minor, nimirum timorem hunc, prout ab amore præscindit, esse ex omni parte bonum. Probatur autem sic: Timor, de quo loquuntur Patres Tridentini, non facit hominem hypocritam, & magis peccatorem: atqui si timor ille non esset ex omni parte bonus, sed malus defectu legitimi finis, jam hominem faceret magis peccatorem. Peccatum enim peccato additum, facit hominem magis peccatorem: atqui timor ille esset peccatum, defectu scilicet boni finis, peccato additum; sicut operire nudum, si fiat ex malo fine, peccatum est, juxta Augustinum; ergo.

Et vero quod non est ex charitate, necessario est ex cupiditate, juxta adversarios, apud quos *non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur, &c.* (*Prop.* 44. *Quesnel.*) atqui timor, de quo agimus, non est a charitate; ergo superest, ut sit a cupiditate, sive ab eo amore, qui eo ipso quo omnia propter Deum non agit, *malus* judicari debet.

Obj. I. Peccat quisquis non implet magnum illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* (*Luc.* 10. 27.): atqui præceptum illud non implet, qui omnes actus suos ad Deum non refert ex motivo charitatis; sic enim aliquam cordis sui, motuumque suorum partem subtrahit præcepto, quod omnes humani cordis motus comprehendit, & exigit; ergo.

R. I. argumentum hoc adversus eos, a quibus proponitur, militare. Docent enim eum, qui in actione sua tenue aliquod charitatis initium, ac debiliores hujus amoris scintillas habet, eatenus ab omni peccato immunem esse; sed qui nascentia solum charitatis primordia habet, nec agit nisi ex debiliore ejus scintilla, non potest dici tantum, ac tale præceptum implere. An non enim magnam cordis sui partem Deo subtrahit, qui non nisi exiguam ejusdem portionem Deo porrigit? An non *modus diligendi Deum, est diligere sine modo*, ut belle docet S. Bernardus? An non consequenter præcepti tam extensi transgressor judicabitur, qui loco ignis exæstuantis, quo flagrare debet, non nisi levem, quæ vix foris prodit, flammam experietur?

R. II. dist. maj. Peccat, qui Deum non diligit quantum potest, & secundum mensuram, & naturam gratiæ, quam Deus ipsi largitur, aut nisi obicem poneret, largiretur, C. secus, N. Sic distincta min. neg. conseq. Ut intelligatur solutio, & infinitæ adversariorum declamationes convellantur, duo sufficiunt, quorum veritatem agnoscant cæteri præter Jansenianos Theologi: I. ut Deus non jubeat impossibilia, sed simul præceptum, & auxilium; legem, & misericordiam afferat; II. ut non omnis, quæ homini conceditur gratia, eundem ad idem objectum ferat, sed alia aliquando ad fidem, alia ad timorem, alia ad charitatem magis, aut minus provectam, &c. Atqui hæc duo pro certis, & inconcussis haberi debent: I. enim Deus non jubet impossibilia; *nec enim impossibile aliquid potuit imperare, qui justus est*, ait S. Cæsarius Arelatensis. II. non omnis gratia ad eundem effectum proxime ordinatur: hæc excitat ad timorem, illa ad initium fidei; alia inspirat amorem Dei propter se, alia amorem Dei ut est bonum nobis conveniens; uno verbo, ut docet S. Augustinus Lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. & Lib. de nat. & grat. c. 67. Deus humanas voluntates ad bonum faciendum movet *miris, & multis modis*, qui facile explicari non possunt. Unde colligere est quam male contendat Auctor Examinis theologici omnem, & quamlibet veram Christi gratiam, esse charitatem proprie dictam, saltem inchoatam; quo semel posito systemate, Mahumatani, Athei, cæterique Infideles, qui *sine Deo* vivunt, si quid a Deo gratiæ recipiant, ut eos aliquando saltem recipere in confesso est etiam apud nobiliores S. Thomæ discipulos, charitatis illius eximiæ, qua Deus casta, & gratuito propter seipsum diligitur, participes esse dicendi sunt; quod quam absurdum sit, nemo est, qui non intelligat.

His positis, proposita difficultas facile vanescit. Dato enim, quod per præceptum, *Diliges*, teneatur homo singulos suos actus ad Deum referre, ad id non tenetur, nisi secundum præsentes, quas habet vires, aut quas haberet, nisi poneret obicem gratiæ: atqui homo non semper habet gratiam charitatis stricte sumptæ, qua Deum propter se diligat, sed aliter, &

aliter

aliter movetur a multiformi gratia Dei; ergo non desinit tunc adimplere præceptum de diligendo Deo, quia illud impletur ab iis etiam, qui sine charitate agentes ad charitatem se disponunt, juxta id S. Thomæ (1. 2. q. 100. *art.* 10.) *Non est impossibile hoc præceptum observare; quod est de actu charitatis, quia homo potest se disponere ad charitatem habendam, &c.*

Inst. Quod teneor facere ex præcepto charitatis, hoc teneor facere ex motivo charitatis: atqui.

R. neg. maj. nam ex præcepto charitatis teneor credere, & sperare, aliasque dispositiones ad charitatem necessarias habere, & tamen non teneor hosce actus eligere ex motivo charitatis. Sic die Dominica ad sacrum obligatus præcepto religionis, teneor eodem præcepto e lecto surgere, nec tamen teneor surgere ex motivo religionis.

Obj. II. citata Apostoli verba: (*I. Cor.* 10.) *Sive manducatis, sive bibitis, &c.* & iterum: (*Coloss.* 3. 17.) *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi*: atqui hæc verba præceptum continent generale, & illud quidem impleri nequit, nisi homo actus suos ad Deum referat ex proprio charitatis motivo. Prob. min. ex S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. *Sub præcepto charitatis*, inquit, *continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis homo implere non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum*; ergo.

R. neg. min., & dico I. præceptum Apostoli generale non esse; alioqui enim extendi deberet ad omnes prorsus homines, atque etiam ad Infideles negativos; quod dici nequit, cum ii, qui de Christo nihil unquam audierunt, peccare quidem possint, cum actus suos saltem implicite non referunt ad Deum creatorem, quem invincibiliter ignorare non possunt, sed peccare non possint eosdem actus non referendo, seu non faciendo *in nomine Domini Jesu Christi*, quem invincibiliter ignorant. Ita Estius & Sylvius.

Dico II. cum S. Thoma ibid., & Sylvio, hominem Christianum teneri omnes actus suos in Deum referre, nec teneri tamen semper ad eos ex charitatis motivo referendos. Præceptum enim de diligendo Deo non debet confundi cum præcepto de referendis ad Deum omnibus actionibus; quia præceptum istud, *Diliges Dominum Deum tuum*, non continet universalitatem, quam continet istud, *Omnia in gloriam Dei facite*: & propterea præceptum dilectionis, cum sit affirmativum, & sine universalitate, non pro semper obligat; præceptum vero de referendis omnibus ad Deum, licet sit affirmativum, quia tamen continet universalitatem actionum, obligat pro omni tempore, quo aliquid deliberate operamur; alioquin non omnia in gloriam Dei essent referenda, cum ad eum non referrentur, quæ fierent eo tempore, quo præceptum non obligaret.

Ad 2. dist. textum S. Thomæ: pertinet ad præceptum charitatis, ut omnia referantur in Deum ex motivo charitatis, quando actu urget præceptum charitatis, C. pertinet semper, ita ut semper urgeat præceptum charitatis, N. Fateor itaque, quod juxta S. Thomam omnia ad Deum ex motivo charitatis referri debeant, quoties urget præceptum charitatis: unde qui, cum urget charitatis præceptum, honorat parentes, & eos non honorat ex charitate, peccat, & quidem mortaliter, ut docet ibid. S. Doctor in arg. *Sed contra*. Sed nego, & constanter nego, quod, juxta S. Thomam, vel præceptum charitatis obliget semper, vel qui ex motivo charitatis non agit, quo tempore non obligat præceptum charitatis, peccet saltem omissionis peccato. Utrumque invicte patet, I. ex scopo S. Doctoris, qui eo loci totus est, ut probet modum charitatis non cadere *sub præcepto divinæ legis*, id est divinam legem impleri aliquando posse, absque eo quod impleatur ex motivo charitatis. II. ex ipso, quem adversarii adducunt, & truncant, S. Thomæ textu; sic ille: *Ad 2. dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: Et cum ista sint duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis*. Ex quibus duo colliges, I. Jansenianos, qui centies textum hunc S. Thomæ citant, censes eundem corrumpere, cum caute supprimant posteriora hæc ejus verba, *Et cum ista sint præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, &c.* II. indubium esse, quod in doctrina S. Thomæ possit quis absque ulla delicti specie parentes alio, quam charitatis motivo honorare; idque fieri quoties quis parentes honorat, cum actu non obligat præceptum charitatis, quod utpote *affirmativum, non semper obligat*; tunc enim neque peccat contra præceptum honorandi parentes, quos de facto honorat, neque contra præceptum charitatis, quod tunc supponitur non obligare. Et vero si docuisset S. Thomas hominem hunc, quacumque facta hypothesi, peccare, cum parentes non honorat ex motivo charitatis, censuisset eum pro tunc mortaliter peccare, cum juxta ipsum ibid. *quicumque non servat præceptum* charitatis, *peccet mortaliter*; & a fortiori credidisset alias, quæ minus honestæ sunt hominis actiones, totidem esse mortalia peccata. Quis porro tam erroneam opinionem S. Thomæ attribuere ausit?

Inst. S. Thomas Lect. 3. in c. 3. Epist. ad Coloss. verum agnoscit præceptum in his S. Pauli verbis: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine D. N. J. Christi* facire, *Quidam*, inquit, *dicunt quod hoc est consilium, sed hoc non est verum*: atqui præceptum illud sine charitatis alicujus motu impleri non potest, secundum id ejusdem Apostoli I. Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant*; ergo.

R. neg. min. quia potest quis operari in nomine Christi, & tamen non agere ex motivo charitatis stricte sumptæ, ut patet in iis, qui actum fidei, vel spei eliciunt; aut aquæ frigidæ potum tribuunt intuitu mercedis æternæ.

Nec nocet illud: *Omnia vestra in charitate fiant*, tum

quia locum hunc intelligunt aliqui *de amore secundum dictamen rectæ rationis ordinato*, ut notat Estius; tum quia alii, ut idem Estius, restringunt hæc verba ad solos Fideles, *quibus annuntiata fuit lex Christi*: sic tamen ut contra Apostoli legem non peccent mali Christiani, *qui propter Deum fide cognitum eleemosynam indigenti largiuntur, ita Deum ut finem spectantes, ut in illo opere nihil Deo anteponant, aut æquent*: ad quod necessum non est, ut homo agat ex impulsu charitatis strictius sumptæ: tum quia si verba hæc de charitate propria intelligantur, nihil aliud sunt, quam præceptum affirmativum non obligans pro semper.

Ut ergo solvantur omnes S. Pauli textus, dicendum est I. eos, si negative accipiantur, obligare pro semper; quia nihil unquam facere licitum est, quod adversetur amori divino, aut quo creatum Creatori præponatur, vel æquetur. II. eosdem, si sumantur affirmative, vel sumi in sensu charitatis strictius acceptæ, vel eo sensu quod omnia hominum opera ad honestum finem ordinari debeant. Si primum, *melius* quidem est, *si* quis actionem suam *actu in Deum ordinet*, ut ipse conformiter ad S. Bonaventuram docet S. Thomas in 2. dist. 40. art. 5. ad 7, at id non est præcepti, nisi *pro tempore ille, quo* quis *tenetur actum suum in finem ultimum referre*, ibid. dist. 41. q. 1. art. 2. ad 4. & tunc (quidquid dicant Jansenistæ, qui primum Decalogi præceptum ad nihil pene redigunt, dum illud tueri, & extollere videntur) qui non aget ex motivo charitatis, mortaliter peccabit ex eodem S. Thoma 1. 2. q. 100. art. 10. Si secundum, est quidem illud præcepti, quia semper necesse est honestum finem eligere, at nihil inde contra nos.

Objiciunt tandem plures S. Augustini, aliorumque Patrum textus, in quibus quidquid a charitate non profluit, sterile, & defectuosum esse perhibetur. Sic Augustinus L. de spir. & lit. cap. 14. *Non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit*. Lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Sine amore Creatoris, nullis quisquam bene utitur creaturis*. S. Gregorius Hom. 27. in Evang. *Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis*; ergo

R. I. SS. PP. similibus usos esse verbis, cum alias virtutas, earumva actus commendaverint. Sic S. Gregorius Hom. 13. in Evang. *Nec opus bonum est aliquod sine castitate*. Vah! quoties textum hunc citassent Quesnelliani, si S. Pater pro *castitate* dixisset *charitate*? Non minus expresse de humilitate locuti sunt, ut videre est in omnibus Libris, qui de ea virtute disserunt.

R. II. nihil e voce *charitatis*, qua usi sunt SS. Doctores, multo minus e voce *amoris*, & *dilectionis* colligi posse, quia voces illæ in eorum Operibus usurpantur I. ad exprimendam charitatem habitualem, cujus tamen influxus ad actionem, ut a peccato vacet, sine hæresi requiri non potest. II. ad exprimendum non solum eum voluntatis motum, quo mens Deum propter se diligit, sed etiam quemcumqua bonum animi affectum etiam naturalem. *Charitas*, ait Augustinus Serm. 349. (*Tom. 5.*) *alia est divina, alia est humana; alia humana licita, alia illicita.... Ut ergo breviter insinuem, licita est humana charitas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix, vel uxor aliena.... licitam ergo charitatem habete: humana est, sed, ut dixi, licita est. Non solum autem ita licita est, ut concedatur; sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur, &c.* His præmissis

R. III. dist. Quod fit sine charitate, defectuosum est, si fiat positive contra charitatem; ut si quis frui velit creatura, C. defectuosum est, si simpliciter fiat sine charitate, subd. si fiat sine charitate late sumpta pro quolibet bono motu, & tendentia in debitum finem, C, si fiat sine charitate stricte sumpta, iterum dist. defectuosum est, quatenus nec meretur de condigno, nec ad æternæ vitæ comparationem sufficere potest, C. defectuosum est, id est vere peccatum. N. (*Vid. S. Thomam* 2. 2. q. 23. a 7.) Ne unus quidem est ex iis textibus, quos catervatim citant Ethica amoris, & alii, cui solutio hæc applicari non possit.

## DE HUMANIS ACTIBUS

*in Deum referendis*

## THEOLOGICA DISQUISITIO.

(✠) PErcelebrem hanc quæstionem attulit Apostoli auctoritas, qui ad Corinthios scribens (ep. 1. c. 10) illos monet, ut omnia in Dei gloriam faciant: *sive manducatis*, inquit, *sive bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite*. Idem repetit in epistola ad Colossienses: *omne quodcumque facitis in verbo, aut opere, omnia in gloriam Dei facite*, (c. 3.) quam Apostoli sententiam purum continere consilium voluerunt alii, alii vero præceptum; & ex his quidam, ut Pauli mandatum fiat, satis esse putant humanum opus ad honestum referre finem. Alii e contrario censent humanum actum interdum actu, virtute ut plurimum in Deum ultimum humanæ vitæ finem esse referendum. Quid super hac re sentiendum sit, distinctis efferam propositionibus. Idque, ut feliciua exequar, ea primo loco tradenda sunt, quæ ad posteriora explicanda, vel demonstranda usuvenire possunt.

I. Actus humanus ille est, qui prævia rationis consultatione ab homine editur. *Illæ actiones*, inquit S.Th. (1. 2. q. 1. ar. 1. in c.) *proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*. Quibus ergo actionibus non præcedit rationis consultatio, an committi, vel omitti debeant, hæ hominis quidem dici possunt, quia ab homine eliciuntur, non autem humanæ. *Si quæ autem actiones*, subdit Sanctus Doctor, *homini conveniant, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis in quantum est homo. Hinc*, ad tertium, *hujusmodi actiones, scilicet cum aliquis movet pedem, vel manum aliis intentus, vel fricat barbam, non sunt proprie humanæ, quia non procedunt ex deliberatione rationis, quæ est proprium principium humanorum actuum.*

II. In humano actu quatuor sunt distinguenda, queis humanus actus bonus dici potest: entitas actionis scilicet, objectum morale, officium, & finis operantis. *In actione humana bonitas quadruplex considerari potest* ex S. Th. 1. 2. q. 18. 2. 4. in c., *una quidem secundum genus, prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione, & entitate, tantum habet de bonitate. Alia vero secundum*

*cundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens. Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis caussam.*

III. Actus humanus secundum suum esse consideratus communem cum quolibet ente bonitatem habet, & ideo bonus est, quia ens est. Cumque actus *A* potius, quam actus *B* sit ex objecto, quod illum finit, atque ad tale ens determinat, hinc determinatam entis bonitatem ex objecto habet. *Igitur dicendum est*, ait S. Th. 1. 2. q. 18. ar. 1. in c., *quod omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate*. & ar. 2. in c. *sicut res naturalis habet speciem ex sua forma; ita actio habet speciem ex objecto, sicut & motus ex termino.*

Hæc bonitas, utpote communis omni enti, adeoque cuilibet actui sive *humano*, sive *hominis*, ea propterea non est, qua humanus actus dicitur bonus; sed bonum appellat schola ob convenientiam cum ratione, quæ humanorum actuum est principium. *Sicut prima bonitas*, Idem ar. 2. in c., *rei naturalis attenditur ex sua forma; ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.*

IV. Quod actionem hominis determinat, ut rationi sit consentanea, aut dissentanea, *objectum morale* dicitur, seu *objectum actus humani*. *Objectum in quantum cadit sub ordine rationis*, S. Th. ibid. q. 19. ar. 1. ad tertium, *pertinet ad genus moris. Unde si objectum actus*, ibid. q. 18. ar. 8. in c., *includat aliquid, quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus secundum suum speciem, sicut dare eleemosynam indigenti. Si autem includat aliquid, quod repugnat ordini rationis, erit malus actus secundum speciem.*

Objectum morale suevit quandoque vocitari finis operis, & finis proximus actus. *Objecta, secundum quod comparantur ad actus exteriores, habent rationem materiæ circa quam: Sed secundum quod comparantur ad actum interiorem voluntatis, habent rationem finium, & ex hoc habent quod dent speciem actus*, 1. 2. q. 72. ar. 3. ad 2. At clarius q. 2. de malo ar. 4. ad 9. & 10. & art. 7. ad 8. *Duplex est finis alicujus actus, proximus, & remotus. Finis proximus actus est idem quod objectum, & ab hoc recipit speciem.*

Objectum morale habet rationem finis in actu interiori voluntatis tantum, non autem in actu exteriori licet voluntario. *In actu voluntario invenitur duplex actus*, inquit Angelicus Doctor 1. 2. q. 18. ar. 6. in c., *scilicet actus interior voluntatis, & actus exterior: & uterque horum actuum habet suum objectum. Finis autem proprie est objectum interioris actus voluntarii: Id autem, circa quod est actio exterior, est objectum ejus. Sicut igitur actus exterior accipit speciem ab objecto, circa quod est; ita actus interior voluntatis accipit speciem a fine sicut a proprio objecto.... & ideo actus humani species formaliter consideratur secundum finem: materialiter autem secundum objectum exterioris actus.*

V. Tertia bonitas, quam in actu humano considerat S. Thomas, illa est, quæ dicitur secundum circumstantias, quæque illi convenit non ex objecto, sed præter illius rationem; unde actui humano accidentalis dicitur. *Circumstantiæ se habent ad actus morales*, q. 2. de malo ar. 4. ad 5., *sicut accidentia, quæ sunt præter rationem speciei ad res naturales. Actus autem moralis, sicut dictum est, recipit speciem ab objecto, secundum quod comparatur ad rationem; & ideo dicitur communiter, quod actus quidam sunt vel boni, vel mali ex genere, & quod actus bonus ex genere est actus cadens supra debitam materiam; sicut pascere esurientem: actus autem malus ex genere est qui cadit supra indebitam materiam; sicut subtrahere aliena. Materia enim actus dicitur objectum ipsius: sed super hanc bonitatem, vel malitiam potest supervenire alia bonitas, vel malitia ex aliquo extrinseco, quod vocatur circumstantia.*

VI. Actus humani circumstantia est officium, quod est *ipsamet actio humana, prout ordinem dicit ad legem, vel præceptum, secundum quod homo operari tenetur.* Hinc actio ex officio bona, vel mala est ob illius convenientiam, vel repugnantiam cum lege, vel præcepto, quo obligatur homo ad operandum. Sic honorare parentes est actus humanos ex officio bonus, illos autem contemnere actus ex officio malus est. *Officium*, legitur apud S. Aug. lib. 2. contra Advers. Legis, & Prophet. c. 7., *est in iis, quæ facere debemus*, & in lib. 4. contra Julianum c. 3. ait, *officium, quod faciendum est.*

Notandum hic, animadvertendumque est I. unam, vel alteram nos attingere actus circumstantiam: de cæteris enim agendum est infra, ubi de affectionibus moralitatis. II. Officium dici actus circumstantiam, quando oritur ex obligatione singulari, quam homo ex alia ratione tenetur, quam quia homo est. Quandoquidem si obligatio sit homini essentialis, ita ut illius ratio proxima in hominis essentia, & natura sit; sicuti operari juxta dictamen rationis, tunc officium & ipsi actioni intrinsecum est, & illius circumstantia non est.

VII. Quarta humani actus bonitas est secundum finem operantis, qui est *id, propter quod agens agit*, consequenter per finem intelligitur cur agens agat. *Finis*, ait S. Aug. lib. 2. de moribus Manich. c. 13., *quo referuntur ea; quæ facimus, idest propter quem facimus*; quapropter subdit serm. 12. in psal. 118. n. 2., *magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum non officio, sed fine pensandum est, ut scilicet non tantum si bonum est, quod facimus, sed præcipue si bonum est, propter quod facimus, cogitemus.* Subscribit S. Thomas 2. dist. 36. q. 1. ar. 5. ad 5. *Actus aliquis habet duplicem finem, scilicet proximum finem, qui est objectum ejus; & remotum, quem agens intendit: & ideo cum bonum ex fine distinguitur contra bonum ex genere, intelligitur de fine remoto, quem agens intendit.*

VIII. Finis operantis, qui & remotus dicitur, per se humanæ actioni est extrinsecus, atque præcipua est actus humani circumstantia. *Dicendum, quod duplex est finis, proximus, & remotus. Finis proximus actus idem est quod objectum, & ab hoc recipit speciem: ex fine autem remoto non habet speciem, sed ordo ad talem finem est circumstantia actus* S. Th. q. 2. de malo ar. 4. ad 9.

IX. Finis operantis, etsi operis sit circumstantia, operis tamen ordo in finem ipsimet humano actui inhæret. *Quamvis finis sit causa extrinseca: tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum inhæret actioni.* Idem 1. 2. q. 18. ar. 4. ad 2.

X. Alius ergo potest esse finis operis, & alius finis ope-

operantis : *considerandum est, quod quandoque aliud est finis operantis, & aliud est finis operis, sicut patet, quod ædificationis finis est domus : sed ædificatoris finis quandoque est lucrum*. Idem. 2. 2. q. 141. ar. 6. ad 1.

XI. Quum finis operis interdum sit a fine operantis distinctus, aliquando alio actu intenditur opus, & alio finis, propter quem fit opus : qui duo actus, etsi nonnunquam contrarii, e. g. unus bonus ; alius malus, tam arctum inter se tenent ordinem, ut unus idemque actus moralis censeatur : sicque actus ex se bonus, ratione malitiæ finis malus erit. *Contingit actui secundum se bono adjungi aliquem alium actum malum secundum aliquem ordinem, & secundum illum actum malum bonus aliquando dicitur maleficari, non quod in seipso sit malus ; sicut dare eleemosynam pauperi, vel diligere Deum est actus secundum se bonus, sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scilicet cupiditatis, aut inanis gloriæ, est quidam alius actus malus, qui tamen duo actus quodam ordine in unum rediguntur.* Idem. q. 2. de malo ar. 4. ad 2.

XII. Bonitas finis extrinseci ita necessaria est actui humano, ut absque illa humana actio esse quidem queat bona ex genere, vel ex objecto, vel ex ufficio; nunquam tamen simpliciter bona, imo simpliciter mala. Sic diserte docet Sanctus Thomas loco proxime citato : *bonum, ut Dionysius dicit, est ex tota, & integra caussa, malum autem ex singularibus defectibus, & ideo quidquid horum sit malum, sive actus, sive inordinatia actus in finem, totum judicatur malum. Non autem totum judicatur bonum, nisi utrumque fuerit bonum: sicut nec judicatur homo pulcher, nisi omnia ejus membra fuerint decora: turpis autem judicatur, etiamsi unum ejus membrum fuerit deforme.* Nec minus aperte 1. 2. q. 18. art. 4. ad 3. *Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum* ( scilicet ex genere, ex objecto, ex officio, ex fine ) *deesse aliam, & secundum hoc contingit actionem, quæ est bona secundum speciem suam, vel secundum circumstantias ordinari ad finem malum, vel e converso : Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant : quia quilibet singularis defectus caufat malum; bonum autem caufatur ex integra caussa. Tandem* 2. dist. 40 q. 1. ar. 2. in c., *dicendum, quod voluntas dupliciter potest considerari, vel secundum quod est intendens, prout in ultimum finem fertur ; vel secundum quod est eligens, prout fertur in objectum proximum, quod in finem ultimum ordinatur. Si consideretur primo modo : sic malitia voluntatis sufficit ad hoc, quod actus malus esse dicatur, quia quod malo fine agitur, malum est.*

XIII. Finis remotus, ex cujus bonitate, vel malitia bonus, vel malus redditur humanus actus, est ultimus agentis finis. Hujus propositionis præclaram suppeditat rationem S. Thomas. *Necesse est, quod omnia quæ homo appetit, appetat propter ultimum finem, & hoc apparet duplici ratione. Primo quidem quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni : quod quidem si non appetitur ut bonum perfectum, quod est ultimus finis, necesse est, ut appetatur ut tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, .... & ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam, quæ est per ultimum finem. Secundo, quia ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens. Manifestum est autem, quod caussæ secundæ moventes non movent, nisi secundum quod moventur a primo motore : unde secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile, quod est ultimus finis.* 1. 2. q. 1. ar. 6. in c. Rationem alteram nil minus efficacem producit Sanctus Doctor q. 21. ar. 1. ad 2. *Duplex est finis, scilicet ultimus, & propinquus .... in peccato autem voluntatis semper est defectus ab ultimo fine intento, quia nullus actus voluntatis malus est ordinabilis ad beatitudinem, quæ est ultimus finis : licet non deficiat ab aliquo fine proximo, quem voluntas intendit, & consequitur : unde etiam cum ipsa intentio hujus finis ordinetur ad finem ultimum, in ipsa intentione hujusmodi finis potest inveniri ratio rectitudinis, & peccati.*

XIV. Ultimus finis & hominis, & humanorum actuum est summum Bonum : *sicut omnium rerum*, inquit S. Thomas 2. dist. 38. q. 1. ar. 1. in c., *unus est finis ultimus, scilicet Deus ; ita & voluntatum omnium unus est finis ultimus, scilicet Deus*. Deinde q. 85. ar. 9. in c. *manifestum est*, ait, *quod primo cadit in desiderio nostro finis, deinde ea, quæ sunt ad finem ; finis autem noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter : uno quidem modo prout volumus gloriam Dei, alio modo secundum quod volumus frui gloria ejus ; quorum primum pertinet ad dilectionem, qua Deum in seipso diligimus ; secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo.*

XV. Obiter hic notandum est, Sanctum Thomam aliquando adserere ultimum finem humanæ voluntatis esse charitatem ; at ibi nomine finis ultimi intelligit id, quo voluntas attingit finem ultimum, qui est summum bonum. Mentem suam apertissime explicat in 2. dist. 38. q. 1. ar. 1. ad 1 *Dicendum, quod charitas non est finis ultimus, cum non sit finis communis, quem omnia desiderent, sed est finis proprius voluntatis, per quem pertingit ad finem ultimum.*

XVI. Ordinare nequit homo actum suum in ultimum finem, nisi & finem ultimum cognoscat, atque illum appetat. *Ordinare in finem*, diserte docet S. Doctor in 2. dist. 41. q. 1. ar. in c., *contingit dupliciter, vel ostendendo finem, vel inclinando in finem: ostendere autem finem, rationis est, sed inclinare in finem, est voluntatis, sed perfecte finem ostendere non competit rationi, nisi secundum quod est per habitum perfecta : similiter non competit perfecte inclinare in finem voluntati, nisi secundum quod est per habitum perfecta. Finis autem humanorum actuum potest accipi dupliciter, vel finis proprius, & proximus, vel communis, & ultimus : & hic duplex est, quia vel excedit facultatem naturæ, sicut felicitas futura in patria : & in hunc finem ostendendo dirigit fides, & inclinando dirigit charitas.*

XVII. Tendere in ultimum hominis finem sub ratione ultimi finis, est Deum amare amore charitatis; voluntas etenim ultimi finis sub ratione ultimi finis charitas est. *Charitas*, inquit Sanctus Thomas 2. 2. q. 26. ar. 1. ad 1. *tendit in ultimum finem sub ratione ultimi finis*. & q. 23. a. 4. ad 2. *habet pro objecto ultimum finem*

ha-

*humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam*. Insuper q. 24. ar. 10. in c. *Charitas est circa finem ultimum*, & ar. 12. ad 5. *Charitas respicit Deum in ratione finis ultimi*. & ex hac ratione concludit q. 23. ar. 8. ad 3. *dicitur mater aliarum virtutum, quia ex appetitu ultimi finis concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos*. Denique 1. 2. q. 65. ar 5. ad 1. aperte docet, quod *charitas non est qualiscumque amor Dei: sed amor Dei, quo diligitur ut beatitudinis objectum, quod est ultimus hominis finis*. Ratio manifesta est. Amare ultimum hominis finem est diligere summum bonum sistendo in ipso, quod soli competit charitati, ut docet Ang. Doctor 2. 2. q. 23. ar. 6. in c., Non enim, ut observat Sanctus Doctor ibid. q. 27. ar. 3. in c. *ordinatur ultimus finis ad aliud sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium*.

XVIII. Intendere ultimum hominis finem, est velle ultimum hominis finem ex ordinatione rationis. Disertis verbis id docet Sanctus Th. 1. 2. q. 12. ubi quærit, *utrum intentio sit actus intellectus, vel voluntatis?* Respondet in corpore quod *intentio, sicut ipsum nomen sonat, significat in aliud tendere. In aliquid autem tendit & actio moventis, & motus mobilis: sed hoc, quod motus mobilis in aliquid tendit, ab actione moventis procedit. Unde intentio primo, & principaliter pertinet ad id, quod movet ad finem. Unde manifestum est, quod intentio proprie est actus voluntatis*. Quare ad tertium, quum sibi objecisset intentionem designare ordinationem quamdam in finem, atque ordinare esse rationis; respondet, *quod voluntas quidem non ordinat, sed tamen in aliquid tendit secundum ordinem rationis. Unde hoc nomen, intentio, nominat actum voluntatis præsupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem*.

XIX. Intendere in operatione ultimum hominis finem; velle operari propter ultimum hominis finem; referre in Deum tamquam ultimum humanæ vitæ finem propriam operationem; operari voluntate, quæ in Deum ita fertur, ut in ipso sistat; referre actionem in Deum ex motivo charitatis, ex superius dictis synonyma sunt. Diversa equidem non videntur D. Thomæ in art. 4. mox citatæ quæstionis, ubi quærit, *utrum intentio finis sit idem actus cum voluntate ejus, quod est ad finem?* respondet in corpore: *Dicendum, quod motus voluntatis in finem, & in id, quod est ad finem, potest considerari dupliciter: uno modo secundum quod voluntas in utrumque fertur absolute, & secundum se; & sic sunt simpliciter duo motus voluntatis in utrumque. Alio modo potest considerari secundum quod voluntas fertur in id, quod est ad finem propter finem: & sic unus, & idem subjecto motus voluntatis est tendens ad finem, & in id, quod est ad finem; cum enim dico: volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis: cujus ratio est, quia finis ratio est volendi ea, quæ sunt ad finem: idem autem actus cadit super objectum, & super rationem objecti .... & est simile de intellectu: quia si absolute principium, & conclusionem consideret, diversa est consideratio utriusque: in hoc autem, quod conclusioni propter principia assentit, est unus actus intellectus tantum*.

XX. Humanum actum virtualiter referre in ultimum finem, est operari vi præcedentis intentionis ultimi finis, quæ revocata nondum fuit, imo in aliquo suo effectu adhuc perseverat. Ita Sanctus Th. in 2. dist. 38. q. 1. ar. 1. ad 4. *Ad hoc, quod alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas .... oportet, quod fuerit prius cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit: ita quod rectitudo illius in actionibus sequentibus salvetur: ut patet in exemplo, quod Avicenna ponit de artifice, qui, si dum opus suum exerceret, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur: sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur, & sic in opere ejus rectitudo artis salvatur*. Longe clarius est, quod habet S. Th. q. unica de charit. ar. 1. ad 2. *sicut in caussis efficientibus virtus primæ caussæ manet in omnibus caussis sequentibus: ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis; unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem; sicut medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans: virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis se ipsum ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus, quæ propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est*. Denique q. 2. de charit. art. 11, ad 3. ait: *Virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum*.

Hisce ergo præmissis, ne quid in præsenti quæstione obscurum, & ambiguum superesset. Esto

XXI Propositio prima: Tenetur homo omnes humanos actus secundum Dei voluntatem determinare; Deus enim supremus est, ac verus hominis Dominus: id exposcit ipsa Creatoris conditio; summum, ac plenum jus habet disponendi de ipsa hominis substantia, atque de liberis illius operationibus: homo consequenter est perfecte illi subjectus, atque Dei servus; id sonat vel ipsa creaturæ vox: servi autem obligatio est proprias actiones determinare secundum Domini voluntatem in eo, quod ipsi est servus; si ergo homo est perfecte Deo subjectus, & illius servus, tenetur omnes humanos actus secundum Dei voluntatem determinare. Sæpissime in sacris literis legitur Deum esse supremum hominis Dominum, & hominem esse Dei servum. Deuter. 6. 4. *Dominus Deus noster, Dominus unus est*. Isai. 43. 3. *Ego Dominus Deus tuus*. Apoc. 4. 8. *Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est*. At quis inficiabitur supremum hominis Dominum plenum jus habere disponendi de illius substantia, & liberis operationibus? Recte adeo inquit S. Th. 2. 2. q. 104. ar. 4. *tenetur homo velle, quod Deus vult eum velle*, scilicet determinare omnes actus liberos secundum Dei voluntatem; quod & hoc præclaro ratiocinio suadet S. Doctor ibid. in c.: *sicut Deus est primus motor omnium, quæ naturaliter moventur, ita etiam est primus motor omnium voluntatum, & ideo sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinæ motioni: ita etiam quadam necessitate justitiæ omnes voluntates teneatur obedire divino imperio*.

XXII. Propositio secunda. Dei voluntas est, ut homo omnibus humanis actibus Deum diligat. Deum dili-

diligere hic idem non est ac continuos, & non interruptos formales charitatis actus edere; hæc enim est perfectio patriæ, inquit S. Th. qq. disp. q. de charit. ar. 11. ad 2. & opusc. 35. alias 18. cap. 4. ait: *hic perfectus dilectionis modus non est viatorum, sed comprehensorum*; sed est in Deum tamquam summum hominis bonum actu, vel virtute tendere. Jamvero homo ex n. XXI. tenetur omnes suas liberas actiones secundum Dei voluntatem determinare: voluntas autem Dei est, ut statim ostendam, ut homo determinet omnes humanos actus ad diligendum Deum, adeoque &c.

*Divina voluntas*, ait. S. Th. ibid., *homini præcipue innotescit per præceptum divinum*. Primum vero, & maximum Dei mandatum ita effertur Deut. 6. v. 4. & 5.: *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*: præmisso supremo Dei in hominem dominio subjungit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tuo*: quod renovans Christus in Evangelio ait Matth. 22. v. 37. *Diliget Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; legit Græcus textus: *in tota cogitatione tua*. Item Marci 12. v. 33. ex toto corde, ex toto intellectu, *& ex tota anima, & ex tota fortitudine*. Idem habetur Lucæ 10. v. 27. Diligere Deum autem ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, & ex tota fortitudine idem est, ac illum omnibus liberis actionibus diligere. Ita primum Dei mandatum exponit Sanctus Augustinus Lib. 1. de. Doct. Christ. c. 22. *Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit, sed quidquid illud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit.... Quisquis ergo proximum recte diligit .... totam dilectionem sui, & illius refert in dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

In hoc idem dogma conspirant cæteri Ecclesiæ Patres, ex quibus, ne plus justo longus sim, unum vel alterum seligam; quum omnes idem unanimiter probent. Auctor soliloq. apud S. Augustinum cap. 19. primum explicans mandatum Deo dicit: *Domine jussisti in lege tua, ut diligam te in toto corde meo .... omnibus horis, ac momentis, quibus fruor bonis misericordiæ tuæ.... sicut ergo nulla hora est, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te.... non diligam*. S. Isidorus Hispalen. lib. 2. Differen. c. 32. *Dum dicitur: diliges Deum ex toto corde tuo, omnes cogitationes in Deum referendas præcipit, dum vero dicitur: ex tota anima, omnes affectiones ad Deum referri jussit: dum vero adjecit, ex tota mente, indicat omnem rationem humanam, qua intelligimus, & discernimus, in rebus divinis esse occupandam.*

Verum præstat audire S. Thomam, qui luculentius ad rem nostram maximum Dei præceptum explicat 2. 2. q. 44. ar. 5. in c. *Præcipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde: & quod intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente: & quod appetitus noster reguletur secundum Deum, quod est ex tota anima: & quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.* 2. 2. q. 27. ar. 5. *Homo debet quidquid habet, ad Dei amorem ordinare secundum illud Deuter. Diliges* &c. Ibid. q. 44. n. 4. *Deus est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda; & ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei, Diliges* &c., *vi cujus hoc, quod nutrimur, sentimus, & intelligimus, debemus ad Deum referre*. Patet adeo Dei voluntatem esse, ut omnibus humanis actibus homo Deum diligat.

XXIII. Propositio tertia. Dei præceptum est, ut homo singulas humanas actiones in Deum ultimom hominis finem referat. Enimvero voluntas Dei est ex n. XXII., ut homo determinet omnes humanos actus ad Deum diligendum, & hanc divinam voluntatem noscit homo ex primo Dei mandato: Deum autem diligere, est in summum hominis bonum tendere, ibid. tendit homo in summom Bonum referendo singulas humanas actiones in Deum ultimum hominis finem ibid. & n. XIV.; præceptum ergo Dei est &c.

Præceptum hoc traditur ab Apostolo 1. ad Cor. 10. dicente: *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, semper in gloriam Dei facite*. Apostoli sententia plana est, perspicua est, evidens est, omnes comprehendit humanos actus, nullumque excipit; prout constat tum ex *τῶ sive aliud quid facitis*, tum ex *τῶ omnia*. Continet etiam præceptum proprio dictum, sive quia utitur S. Paulus absque ulla limitatione verbo imperativo *facite*, sive quia in hoc sensu proprio, naturali, & obvio Apostoli sententiam exposuerunt sancti Patres. S. Basilius in reg. fus. disp. interrogat. 5. *Christianus*, inquit, *si actiones suas omnes sive majores, sive minores ad Dei voluntatem direxerit.... Apostoli præcepto ille satisfacit, sive manducatis* &c. Idem repetit interrogat. 72. & 195. S. Ambrosius serm. super verbis Malachiæ sic scribit: *Qui est Christianus, semper debet Patri suo laudes dicere, & in ejus, gloriam omnia procurare, sicut ait Apostolus dicens: sive* &c.

„ S. Augustinus in psal. 65. quo fine facias opera
„ tua, vide: si ideo facis, ut tu glorificeris, hoc pro-
„ hibui; si autem ideo, ut Deus glorificetur, hoc jus-
„ si: ubi sane jussit? nisi apud Apostolum, *sive man-*
„ *ducatis* &c.

. Theodoretos in hunc locum explicans hæc verba *omnia in gloriam Dei facite. Pulchre*, inquit *omnia comprehendit, & sedere, & stare, & ambulare, & differere, & misereri, & docere, ut unus sit omnium scopus, Dei gloria. Ita etiam præcipit Dominus*. Denique S. Thomas lect: 7. in cap. 10. epistolæ ad Cor. exponens Apostoli mentem ait, quod *Apostolus primo inducit actum multiplicem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis. Secundo persuadet intentionem debitam: ibi, omnia in gloriam Dei facite .... id est cum invocatione Creatoris, ea intentione, ut Deus laudetur, & glorificetur*. Vult igitur S. Doctor hanc intentionem esse debitam; hinc est, quod laudatam Apostoli sententiam ubique præceptum appellat, & præsertim in 2. dist. 40. ar. 5. ad 7. his verbis: *quod dicitur: omnia in gloriam Dei facite, intelligi potest dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, hic sensus erit: nihil contra Deum faciatis, & hoc modo præceptum est; si autem intelligatur affirmati-*

ve

*ve, hoc potest esse dupliciter: aut ita quod actualis relatio sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed quidem in virtute, & sic adhuc præceptum est, & contingit omissionem ejus esse venialem, vel mortalem, sicut dictum est.* Insuper lect. 3. in cap. 3. ad Coloss. exposito hoc Apostoli testimonio: *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo, & Patri per ipsum, subjungit: quidam dicunt, quod hoc est consilium, sed hoc non est verum.* Tandem lect. 3. in cap. 4. ad Galat. docet perversitatem esse justitiam reddere homini, vel sibi, non propter Deum: *summa justitia est*, inquit, *reddere Deo, quod suum est. Nam si reddas tibi, vel proximo, quod debes, & hoc non facis propter Deum, magis es perversus, quam justus; cum ponas finem in homine*; velut idem sit ex Angelico Doctore justitiam non operari propter Deum, & referre actum in hominem ut ultimum finem. Rationem reddit S. Doct. 1. 2. q. 21. ar. 4. *Deus est ultimus finis: Est autem debitum, ut ad ultimum finem omnes actus referantur. A Christo ergo*, ad rem concludit S. Paulinus explicans mandatum de diligendo Deo, *o Christiane, incipe, & in Christum tuum desine. Hoc est, quod sancit Apostolus ad Coloss. 3. omne quodcumque facitis* &c.

XXIV. Prop: 4. Præceptum Dei est, ut homo singulas humanas actiones in ultimum humanæ vitæ finem referat ex motivo charitatis. (idest ex inchoata charitate)

Præceptum Dei est, ut homo singulis humanis actibus Deum diligat N. XXII. Præceptum item Dei est, ut homo singulas humanas actiones in Deum ultimum humanæ vitæ finem referat N. XXIII. Diligere autem Deum singulis humanis actibus, ut explicatum est N. XXII. Referre in Deum tanquam ultimum humanæ vitæ finem propriam operationem, ac illam referre in Deum ex motivo charitatis ex N. XIX. synonyma sunt. Præceptum ergo Dei est, ut homo singulas humanas actiones in ultimum humanæ vitæ finem referat ex motivo charitatis. Totus in hoc stabiliendum dogma incumbit Gentium Apostolus in I. ad Corint. epistola; nam præter ea, quæ jam superius exposita sunt cap. 16. ait: *omnia vestra in charitate fiant*, seu ex motivo charitatis, atque illius impulsu. Testimonium Apostoli declarat Estius in hunc Locum: *in charitate*, inquit *Hæbraismus est, quem latine reddit Erasmus cum charitate.... quamquam significantius est ex charitate, vel, uti vertit Henterius, per charitatem. Non enim satis est Apostolo, si in charitate constituti, & charitatem habentes, eaque salva agamus, quidquid agimus. Sed mens ejus est, ut ex dilectione, & imperio charitatis omnia faciamus. Nam quia charitas*, ait S. Thomas 22. q. 23. ar. 4. ad 2., *habet pro objecto finem ultimum humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam, ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii; ac proinde iis actibus, qui non charitate fiunt, deest debita ordinatio ad ultimum finem, ut dicitur eadem quæstione ar. 7. ad 2.*

Quod autem Apostoli verba præceptum efferant, aperte asserit S. Augustinus lib. de correp. & grat. cap. 3. n. 5: *præcipit Apostolus dicens; omnia vestra in charitate fiant.* & Enchirid. cap. 121. *præcepti finis est charitas, idest ad charitatem refertur omne præceptum..... quæcumque ergo mandat Deus.... tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum, Deum, & proximum propter Deum.* Hinc lib. de Grat. & lib. arb. cap. 18. ait: *quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene.* & in psal. 89. explicans verba illa: *opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige* n. 17. *omnia*, inquit, *opera nostra unum opus est charitatis.... nam superiore versu cum dixisset: & opera manuum nostrarum dirige super nos, isto ultimo versu non opera, sed opus, dixit, manuum nostrarum dirige... volens ostendere ipsa opera unum opus esse, id est ad unum opus dirigi. Tunc enim recta sunt, cum ad hunc finem diriguntur; Finis enim præcepti est charitas.* Innumera alia S. Doctoris testimonia mittimus, tum quia idem omnino probant, tum quia illius mens manifesta fiet ex D. Thoma optimo illius discipulo.

S. Thomas igitur exponens laudatum Apostoli testimonium Lect. [illegible]it, *omnia referri debent ad finem charitatis, ut scilicet fiant propter Deum.* Verum, ne de illius mente quisquam dubitare possit, nonnulla illius principia breviter subjiciemus, queis ostendit S. Doctor referendos esse humanos actus in Deum ex motivo charitatis. Ac I. quidem docet, hominem implere non posse præceptum charitatis, nisi omnes humanos actus in Deum referat: quo motivo? sane charitatis, quandoquidem alio motivo non impletur præceptum charitatis, sic 1. 2. q. 100. ar. 10. ad 2. *sub præcepto charitatis*, inquit, *continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum, & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum* II. idem ex ipso est hominem obligari ad referendum proprium actum in ultimum finem, ac ad producendum actum charitatis: *si quæratur*, ait in 2. dist. 40. q. unic. ar. 5. ad 6., *quando oportet actum referri in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quærere, quando oportet habitum charitatis exire in actum.* III. sine charitate nullus actus potest esse, sicut oportet, in finem ultimum ordinatus: *sine charitate*, dicit 2. 2. q. 23. ar. 7. ad 1., *potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.* IV. vult, quod charitatis desiderium in nobis sit continuum, quia debemus omnes humanos actus in Deum referre. Ibid. qu. 83. ar. 14. ubi quærit, utrum oratio debeat esse diuturna, respondet in corp. „ Dicendum, quod de oratione dupliciter loqui possumus. „ Uno modo secundum seipsam: alio modo secundum „ caussam suam. Caussa autem orationis est desiderium charitatis, ex quo procedere debet ora„ tio: quod quidem in nobis debet esse continuum, „ vel actu, vel virtute: manet autem virtus hujus „ desiderii in omnibus, quæ ex charitate facimus; om„ nia autem debemus in gloriam Dei facere, ut di„ citur I. Cor. 10., & secundum hoc oratio debet „ esse continua.„ Deniq. opusc. 35. alias 18. de perfectione Christ. c. 5. ostendit tertium divinæ dilectionis modum, qui in statu viæ est de necessitate salutis, quatuor complecti I. *ut homo omnia in Deum referat sicut in finem, sicut Apostolus dicit* I. ad Corint. 10. *sive manducatis* &c. II. *ut intellectum suum hu-*

*ma subjiciat* III. *ut quæcumque homo amat in Deo amet, & universaliter omnem suam affectionem ad Dei dilectionem referat .... ut omnia exteriora nostra verba, & opera ex divina charitate formentur secundum illud* 1. Cor. *omnia vestra in charitate fiant .... Hic est ergo tertius perfectæ dilectionis divinæ modus, ad quem omnes ex necessitate præcepti obligantur*. Infiniti essemus si subjicere hic vellemus, quæ Sancti Augustinus, & Thomas, aliique Ecclesiæ Patres hac de re tradiderunt. At quæ hactenus diximus ostendere abunde possunt ex SS. Aug., & Th. præceptum Dei esse, ut homo singulas humanas actiones in Deum referat ex motivo charitatis.

XXV. Prop V. Nullus humanus actus est ex omni officio bonus, nisi referatur in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis. Actus, N. VI. est ex officio bonus ob illius convenientiam cum lege, vel præcepto, quo obligatur homo ad operandum, sed obligatur homo ad referendos singulos humanos actus in Deum N. XXIII., tenetur illos referre ex motivo charitatis N. XXIV. Nullus ergo humanus actus est ex omni officio bonus &c.

XXVI. Prop. VI. Nullus humanus actus ex fine operantis bonus est, nisi referatur in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis. Finis, ex cujus bonitate redditur bonus humanus actus, est ultimus agentis finis, N. XIII. hic autem est Deus, N. XIV. At homo ordinare nequit actum suum in ultimum finem, nisi illum & cognoscat, & appetat, N. XVI. appetere ultimum finem sub ratione ultimi finis, est Deum amare amore charitatis, N. XVII. . & referre humanum actum in Deum tamquam ultimum humanæ vitæ finem, atque illum referre ex motivo charitatis synonima sunt, N. XIX., adeoque nullus humanus actus ex fine operantis bonus est, nisi &c.

XXVII. Prop. VII. Nullus humanus actus est undique bonus; nisi referatur in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis. Ut actus humanus sit undique bonus, bonus esse debet ex officio, & fine extrinseco N. XII.; sed ut bonus sit ex officio, & fine extrinseco referri debet in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis, N. XV., & XVI. Ergo nullus humanus actus undique est bonus, nisi &c. Recte propterea dixit S. Thomas 1. 2. q. 65. ar. 4. in c.. *Opus perfecte bonum est, dum non solum bonum est, quod fit, sed etiam bene fit: alioquin si bonum fit quod fit, non autem bene fiat, non est perfecte bonum .... quod autem debito modo velit voluntas, hoc est per charitatem, quæ perficit voluntatem; omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit; ut Augustinus dicit in* 14. *de civit. Dei*.

XXVIII. Prop. VIII. Nullus humanus actus undique bonus fieri in hoc statu ab homine potest absque supernaturali Dei adjutorio. Hæc propositio est corollarium præcedentium propositionum. Etenim nullus humanus actus undique bonus est, nisi referatur in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis. At nullus in dubium revocare audebit necessarium homini esse Gratiæ adjutorium, ut referatur actus in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis; nullus adeoque humanus actus undique bonus fieri in hoc statu ab homine potest absque supernaturali Dei adjutorio: Sanctus Hier. in epist. ad Ctesiph. contra Pelagium probat necessitatem gratiæ ad omnes actus nostros undique bonos ex eo, quod juxta Apostolum in Deum ultimum humanæ vitæ finem sint referendi. Cum enim Pelagius contra gratiæ necessitatem sic arguisset: *Audite quæso, audite sacrilegium, si voluero curvare digitum, movere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa jacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, relevare alvum, urinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit*: sic illum refellit S. Doctor: *audi ingrate, imo sacrilege, Apostolum prædicantem: sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in nomine Domini agite*; Acsi dixisset: tenetur homo ex Pauli præcepto referre humanos actus in Deum ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis; ergo supernaturale Dei adjutorium (naturale enim non negabat Pelagius) est homini necessarium ad recte operandum. Hisce gemina sunt, quæ habet S. Augustinus contra Pelagianos, ac præsertim in prolixa disputatione contra Julianum, ubi diserte probat nullam esse bonam voluntatem, *quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur*; hominem vero in Domino non gloriari sine fide, quæ per charitatem operatur, seu sine gratia Christi hominem *non ad eum finem opera referre, ad quem referenda esse vera sapientia præcipit*.

Verum quia observat doctissimus Estius ad S. Augustini explicationem semper advocanda esse Divi Thomæ principia, quæ hac in re docuit Angelicus Doctor breviter exponam. Ac I. vult S. Doctor hominem in statu naturæ corruptæ posse quidem *per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod in nullo deficiat; sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani*; atque ad hoc bonum bene agendum indigere divino auxilio 1. 2. q. 109. ar. 2. II. docet hominem *in hoc statu naturæ corruptæ non posse absque gratia implere mandata legis quoad substantiam, & multo minus quoad modum, ut scilicet ex charitate fiant*, atque hoc sensu S. Augustinum dixisse *sine gratia nullum prorsus bonum homines facere* ibid. ar. 4. in c. III. ostendit hominem in gratia existentem *indigere auxilio gratiæ, ut a Deo moveatur ad recte agendum, & hoc ratione speciali propter conditionem status humanæ naturæ* ibid. ar. 9. in c. IV. Ibidem probat hominem *justum eodem auxilio Dei indigere, ut abstineat a peccato*. V. Tandem aperte asserit nullum prorsus bonum, idest perfecte bonum, hominem facere posse sine Dei gratia. *Quod si gratiam Dei*, inquit de verit. q. 24. ar. 14., *velimus dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, & exteriora ordinat ad hominis salutem, sic non modo bonum vitæ æternæ meritorium, sed nec ullum prorsus bonum homo potest facere sine gratia Dei. Firmissime ergo tene, & nullatenus dubites*, nobiscum concludit S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c. 32. *divinis mandatis neminem obedire posse, nisi*

quem

*quem Deus sua gratia prævenerit, ut non solum corde percipiat; sed & accepta bona voluntate, atque virtute mandata Dei facere & velit, & possit.*

XXIX. Postulat nunc hujus disquisitionis ratio, ut argumenta subjiciamus quibus Theologi aliter opinantes permoti esse videntur. Sunt hæc numero quidem multa. Alia, quibus prædictarum momenta probationum enervare conantur. Alia queis propositiones ipsas recta moliuntur refellere. At tantum abest, ut constituta theoremata iis enerventur argumentis, quin imo iisdem potius confirmentur, & roborentur.

Primum itaque argumentum primam propositionem præfinitam labefactare conatur. Homo liber est; *Ante hominem* legitur Ecclesiastici 15, *vita & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*; concideret autem hæc hominis libertas, inquiunt, si omnes humanos actus secundum Dei voluntatem teneretur determinare. Ad hæc. Etsi homo Deo subjectus sit non semper tenetur velle quod Deus vult, ut egregie probat S. Th. 1. 2. q. 19. ar. 10. Ita illi.

Verum *adeo ne liberi esse volunt*, reposuit olim S. Augustinus lib. de spir. & lit. cap. 3., *ut nec Deum velint habere Dominum?* & sane mirum est quam exilem, aut verius dicam, deformem sibi effingant libertatem, qui eam vagam, solutam, nullius fræni, nullius imperii etiam divini patientem esse volunt. Longe diversas libertatis humanæ notas nobis exhibent Sancti August. & Thomas. Primus ep. 89. inquit: *Eo liberior est voluntas, quo sanior, eo sanior quo divinæ gratiæ subjectior*; quapropter eo liberior est, quo divinæ voluntati magis est subjecta, & consentanea. Alter 1. p. q. 62. ar. 8. liberi arbitrii perfectionem in eo statuit, quod *diversa eligere possit servato*, non prætergresso *ordine finis* in hoc autem subdit Sanctus Doctor 2. 2. q. 104. 4. ad 2. *principaliter consistit virtus, & rectitudo voluntatis humanæ, quod Dei voluntati conformetur, & ejus sequatur imperium*; obligatio ergo hominis determinandi omnes humanos actus secundum Dei voluntatem non magis humano repugnat arbitrio, ac illi adversetur operari secundum rationem. Nam quod *ratio humana*, inquit S. Doctor 1. 2. q. 19. ar. 4. in c. *sit regula voluntatis humanæ... habet ex lege æterna, quæ est ratio divina*, & q. 21. ar. 1. in c. *in his, quæ aguntur per voluntatem regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna*. Sicut ergo liber est homo, etsi teneatur operari secundum rationem, imo magis est liber, quo magis secundum hanc operari obligatur, ita vera pollet libertate, quamvis teneatur singulos humanos actus secundum Dei voluntatem determinare. Ad auctoritatem D. Thomæ respondet ipse S. Doctor 2. 2. q. 104. ar. 4. *ad tertium, dicendum quod etsi non semper teneatur homo velle. quod Deus vult: semper tamen tenetur velle quod Deus vult velle*. Seu, ut clarius se explicat 1. 2. q. 19. ar. 10. ubi quærit, *utrum necessarium sit voluntatem humanam conformari voluntati divinæ in volito ad hoc, quod sit bona?* respondet in corpore, quod *voluntas humana tenetur conformari divinæ voluntati in volito formaliter: tenetur enim velle bonum divinum, & commune: sed non materialiter.... unde consuevit dici, quod conformatur quantum ad hoc voluntas hominis voluntati divinæ, quia vult hoc, quod Deus vult eum velle*. Rationem reddit articulo præcedenti in c. ubi ait, quod *bonitas voluntatis dependet ex intentione finis. Finis autem ultimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus. Requiritur ergo ad bonitatem humanæ voluntatis, quod ordinetur ad summum bonum. Hoc autem bonum primum quidem, & per se comparatur ad voluntatem divinam, ut objectum proprium ejus.... ergo ad hoc, quod voluntas hominis sit bona requiritur, quod conformetur voluntati divinæ*; atque in hoc sensu dicit S. Anselmus in lib. cur Deus homo, *quod debitum est quod voluntas creaturæ rationalis sit subdita voluntati divinæ*. Patet adeo ea tanti Doctoris auctoritate hominem teneri velle, quod Deus vult eum velle, seu determinare humanos actus secundum voluntatem divinam.

XXX. Alterum autem argumentum contra ambas propositiones secundam scilicet, & tertiam sistit. Præceptum de diligendo Deo, atque de referendis in illum tamquam ultimum humanæ vitæ finem humanis actibus positivum, & affirmativum est. Præcepti autem affirmativi ea est natura, ut semper obliget, non tamen pro omni tempore, & pro omni actu, quapropter non tenetur homo actu, vel virtute in Deum singulos humanos actus referre, & referendo in ipsum tendere. Nec deest hoc loco copia auctoritatum quibus id suadere posse sibi videntur. Prima est, quod S. Th. q. 7. de malo ar. 1. ad 9. ait *Cum illud præceptum Apostoli sit affirmativum non obligat ad hoc, quod semper observetur in actu. Observatur autem semper in habitu, quamdiu, homo habitualiter habet Deum sicut ultimum finem*; quapropter concludit ibi, & 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 2. *non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit*. II. S. Doctor lect. 3. in cap. 3. ad Coloss. ostendit hoc præceptum non obligare in omni humano actu, alias omne peccatum veniale esset mortale; ita sibi objicit *Dictum Apostoli, aut est præceptum, aut consilium; si præceptum, peccat mortaliter quicumque hoc non facit. Sed qui peccat venialiter, hoc non facit; Ergo quicumque peccat venialiter peccat mortaliter*. Cui argumento occurrit dicendo id quidem *esse præceptum, non esse tamen necessarium, quod omnia referantur in Deum actu, sed habitu*. Verum si omnia ex præcepto essent in Deum referenda, concluderet argumentum quod Ang. Præceptor sibi objecit, scilicet quod *quicumque peccat venialiter, peccet mortaliter*, quo tamen nihil absurdius.

Confirmat id S. Doctor observando, quod homo etsi actu propriam actionem in Deum non referat; attamen a divinæ dilectionis præcepto, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum non discedit; sic habet 1. 2. q. 100. ar. 10. ad 2. *qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti quod est; Honora parentes, sed ex vi hujus præcepti, quod est; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & cum ista duo præcepta affirmativa non sint obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis*. Transgrederetur plane, inquiunt, si teneretur homo singulos humanos actus ex præcepto divinæ dilectionis in Deum referre, adeoque &c.

Postremo concludunt cum Angelico Doctore lect. 7. c. 10. 1. ad Corinth., quod relatio hæc in gloriam Dei, de qua Apostolus *omnia in gloriam Dei facite*, intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi. Satis igitur est ad Pauli præceptum servandum, ut humanus actus ex fine proximo bonus sit, & in Deum referibilis, adeoque non tenetur homo ex divinæ dilectionis præcepto singulos humanos actus in Deum referre. Hæc illi; sed respondemus ad singula.

In hisce D. Thomæ auctoritatibus, tametsi non diffitear obscuri, & ambigui non nihil reperiri, cum minus attente considerantur; tamen si penitius inspiciantur, confirmandis, atque tuendis laudatis propositionibus secunda, & tertia illas valere plurimum, nisi quid me fallit, nullatenus dubito: sed paranti mihi eas objectiones refellere, ut Angelici Doctoris mens plana, & manifesta fiat, nonnulla animadvertenda esse illius principia, priusquam ad alia pergamus, omnino videtur.

Quod primo apud S. Thomam frequentissimum est præcepta dari de actibus, non de habitibus. *Præcepta*, inquit 2. 2. q. 31. ar. 4. ad 1. *non dantur de habitibus virtutum, sed de actibus*. & q. 33. ar. 2. in corp. *Sicut præcepta negativa legis prohibent actus peccatorum, ita præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutum*: & q. 44. ar. 3. *præcepta dantur de actibus virtutum*; & ibid. De *actibus virtutum sunt danda præcepta &c.* Alterum, quod certum statuit S. Doctor, est modum, qui est de ratione actus præcepti, cadere sub præcepto ipsius actus. Ita docet 2. 2. q. 44. ar. 4. ad 1. *Dicendum, quod sub præcepto, quod datur de actu alicujus virtutis, non cadit modus, quem habet ille actus ex alia superiori virtute: cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis*. & ar. 8. in corp. *Modus, qui pertinet ad rationem virtuosi actus, cadit sub præcepto, quod datur de actu virtutis*; *atque id speciatim tradit* ibid. ar. 4. de actu amoris Dei.

Tertium est præcepta affirmativa non distingui a negativis, quando se includunt. *Præcepta affirmativa*, inquit 1. 2. q. 100. ar. 4. ad 2. *distinguuntur a negativis, quando unum non comprehenditur in alio, sicut in honoratione parentum non includitur, quod nullus homo occidatur; nec e converso, & propter hoc dantur diversa præcepta super hoc. Sed quando affirmativum comprehenditur sub negativo, vel e converso, non dantur diversa præcepta*. Patet autem præceptum Apostoli *omnia in gloriam Dei facite* ob illius universalitatem istud negativum includere *nihil facite nisi in gloriam Dei*: hinc S. Thomas in 2. dist. 40. q. 1. ar. 5. ad 7. ait, *quod hoc, quod dicitur omnia in gloriam Dei facite, potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, sensus est nihil contra Deum faciatis: & hoc modo præceptum est: & sic præteritur hoc præceptum vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum, & præter Deum fit.*

Quartum sub præcepto charitatis duas distinguit S. Doctor obligationes, alteram eliciendi dato tempore formalem divinæ dilectionis actum, alteram referendi humanos actus in Deum. *Actus charitatis*, inquit 1. 2. q. 100. ar. 10. in c. *dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidam actus per se: & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet diliges Dominum Deum tuum: & quantum ad hoc primi verum dixerunt. Non enim est impossibile hoc præceptum observare, quod est de actu charitatis: quia homo potest se disponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam, potest ea uti. Alio modo potest considerari actus charitatis secundum quod est modus actuum aliarum virtutum: hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ est finis præcepti*, atque de hac secunda obligatione agens 2. 2. q. 137. ar. 1. ad 2. dicit, quod *sunt quædam virtutes quarum actus per totam vitam debent durare, sicut fidei, spei, & charitatis, quia respiciunt ultimum finem totius vitæ humanæ*; primam autem obligationem respicit id, quod docet in 3. dist. 36. ar. 6. ad 5. *modus charitatis plus importat, quam relationem operis in finem debitum; importat enim quod actus ex habitu charitatis procedat.*

Quintum. Constans est ex D. Th. peccatum mortale esse contra legem, & præceptum; peccatum vero veniale non esse contra legem sed tantum præter legem, & præceptum. *Divisio peccati in veniale, & mortale*, inquit 1. 2. q. 88. ar. 1. ad 1. *non est divisio generis in species, quæ æqualiter participant rationem generis, sed analogi in ea, de quibus prædicatur secundum prius, & posterius .... Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam, & in ordine ad peccatum mortale sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam secundum imperfectam rationem entis; non enim est contra legem, quia venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat; sed facit præter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit*. Hinc duo recta infert Angelicus Doctor. Primo, quod si fit aliqua talis omissio alicujus circumstantiæ circa virtuosum actum, quæ totaliter tollat bonum virtutis, hic actus contrariatur præcepto, & est peccatum mortale. Si autem sit defectus alicujus circumstantiæ, quæ non totaliter tollat virtutem, licet non perfecte attingat ad bonum virtutis, non est contra præceptum, & est peccatum veniale 2. 2. q. 23. ar. 2. in c. Secundo si circumstantia addita humano actui addat talem deformitatem, quæ sit contra præceptum Dei, tunc faciet id, quod est veniale ex genere, esse mortale.

Sextum. Docet Angelicus Doctor solum peccatum mortale ultimo fini adversari, nunquam vero peccatum veniale. Quare primum dicitur contra finem, alterum præter finem; sic q. 7. de malo ar. 5. in c. *Potest, inquit, etiam in ratione esse peccatum mortale, & veniale.... Uno modo in quantum secundum deliberationem acceptatur aliquid, quod est omnino contrarium fini, ut eo posito non possit ad finem perveniri, & tunc est peccatum mortale... Cum vero acceptatur aliquid, quod non excludit finem, sed tamen sine eo melius ad finem perveniri possit, quia in aliquo retardat a fine, vel disponit ad contrarium finis, tunc est peccatum veniale.*

Quibus expositis, non est difficile refutare, quod est a principio positum argumentum. Præceptum referendi singulos humanos actus in Deum est revera affirmativum, quod tamen & hoc negativum includit, ut tertio loco cum D. Th. animadvertere nobis placuit, *nihil fiat, nisi in gloriam Dei*, atque ita universale est, ut se extendat ad singulos humanos actus;

quam

quamobrem vi hujus præcepti nihil agere debemus contra Dei gloriam, atque hoc pro omni temporis momento: facta vero hyphotesi quod agamus, tunc propter Deum tamquam propter finem ultimum, & ad ejus gloriam operari debemus.

D. Thomæ porro testimonia quam perperam nobis opponantur, faciam ut nullo negotio intelligant ii, qui nobiscum ea paululum expendere volent. Atque ad primum quod spectat, manifestum est, eo loci S. Thomam non velle impleri ab homine præceptum de referendis humanis actibus in Deum ex sola habituali relatione; sed tantum ostendere, quod peccatum veniale huic præcepto non adversatur, ita ut privetur homo gratiæ habitualis dono. Quærit enim citatis quæstionibus: Utrum peccatum veniale convenienter dividatur contra mortale? & quæstionem resolvit dicendo, quod *peccatum mortale opponitur ei, quod est veniale.* Verum ex animadversione quinta peccatum mortale *est contra legem, & præceptum*; animadversione sexta *est omnino contrarium fini*; veniale autem non est contra legem, & præceptum, sed præter legem, & præceptum, *non excludit finem*; verum *retardat a fine*: hinc huic objectioni, quam sibi facit. *Contra hoc præceptum Apostoli facit quicumque peccat .... Cum ergo facere contra præceptum sit peccatum mortale; videtur, quod quicumque peccat, peccet mortaliter*, vel cit. q. 7. quicumque *peccat venialiter facit contra præceptum, & peccat mortaliter*, ecce respondet dicendo. *Veniale peccatum non excludit habitualem ordinationem actus humani in gloriam Dei; sed solum actualem, quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat in Deum.* Quandoquidem *non facit contra hoc præceptum quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit*, seu quod idem est juxta phrasim Ang. Præceptoris non peccat mortaliter *quicumque non actu refert in gloriam Dei omne, quod facit*, nisi teneatur hic & nunc referre se, & omnia sua in Deum ex speciali præcepto charitatis, ut dictum est animadversione quarta, quia tunc faceret contra præceptum, & peccato lethali consequenter reus fieret, adeoque in hoc, & non alio sensu docuit S. Doctor præceptum de referendis in Deum humanis actibus *non obligare ad hoc, quod semper observetur in actu*; quia non semper fit contra præceptum, seu non admittitur mortale peccatum, quando in actu non observatur hujusmodi præceptum; nunquam vero docuit actum in Deum non relatum non esse malum, & peccatum veniale *ob defectum alicujus circumstantiæ, quæ non totaliter tollit virtutem* ex animad. quinta: quinimo oppositum luculenter tradit in 2. ad Annibald. dist. 41. q. un. ar. 3. in c. dicendo, quod *nullus actus ex deliberativa voluntate procedens est indifferens, quin sit bonus, vel malus. Tenetur enim voluntas deliberativa omnem actum referre in Deum, vel immediate, vel mediate. Etsi enim non semper actu cogitet de Deo, refert tamen habitu, & quodammodo actu, quod est referre virtute*, ut dictum est N. XX. *in quantum vis actualis intentionis præcedentis remanet in actibus sequentibus*, & in 1. dist. 1. q. 3. ad 3. ait: *secundum Theologum nullus actus procedens a voluntate deliberante est indifferens, quia si refertur in Deum, supposita gratia meritorius est, si nutem non referatur, vanus est. Otiosum autem inter peccata apud Theologum computatur.* Poteratne S. Thomas clarius, & significantius docere præceptum de referendis in Deum humanis actibus observandum esse in omni actu, adeoque nullum humanum actum esse undique bonum absque hujusmodi relatione?

Quod autem secundo loco additur, nullius propemodum est momenti. Ostendit enim ibi S. Doct. non esse *necessarium, quod omnia in Deum referantur actu, sed habitu*, ne fiat contra præceptum, peccando scilicet lethaliter, ut supra dictum est, quandoquidem subdit: *qui enim facit contra gloriam Dei, & præcepta ejus, facit contra hoc præceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter, quia licet non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in Deum.* seu ut clarius se explicat q. 7. de malo ar. 1. ad 13, *quia per peccatum veniale homo cadit non quidem a charitate ipsa, vel a perfecto gradu charitatis, sed ab aliquo charitatis actu, omittendo scilicet circumstantiam relationis in finem, quæ omissio non totaliter tollit virtutem, sicut dictum est in animad. quinta.* Quod si ad observandum hoc præceptum satis esset ex Ang. Doctore *habitu* tantum in Deum referre proprium actum, peccans venialiter, nec simpliciter, nec ullo quovis modo contra hoc præceptum faceret; multo minus *ab aliquo charitatis actu caderet*: quapropter ex S. Th. referens proprium actum habitualiter in Deum, præceptum hoc revera perfecte non implet, licet, contra hoc præceptum non operando, mortaliter non peccet. Cæterum præter ea, quæ superius exposita sunt, nullum hac de re dubitandi locum relinquunt, quæ habentur in 2. dist. 38. q. 1. ar. 1. ad 4. *Ad hoc*, inquit, *quod alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas; non oportet, quod agendo illam actionem aliquis de Deo, vel charitate cogitet, nec iterum sufficit, quod aliquis habitu tantum Deum, vel charitatem habeat: quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est; sed oportet, quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quod actiones sequentes in hunc finem ordinaverit; ita quod rectitudo istius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur.* Quid clarius, & illustrius hoc S. Th. loco ad commendandam actualis, vel saltem virtualis nostrorum operum in Deum relationis necessitatem?

Ad tertium vero testimonium responsio est facillima. Attentiori enim animo Angelici Præceptoris testimonium intuenti palam fiet non denegare Angelicum, non peccare venialiter eum, qui honorat patrem absque virtuali in Deum relatione; sed negare solum peccare mortaliter, quod unum ipsi contra præceptum est ex animadversione 5. & 6. Quærit eo in loco S. Doct. *utrum modus charitatis cadat sub præcepto divinæ legis?* & resolvit quæstionem dicendo, *quod si actus charitatis consideretur secundum quod est modus aliarum virtutum, hoc est secundum quod actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, quæ est finis præcepti. Dictum est enim, quod intentio finis est quidam modus formalis actus ordinati in finem: & hoc modo verum est, quod secundi dixerunt, quod modus charitatis non cadit sub præcepto; hoc est dictum, quod in hoc præcepto: honora patrem, non includitur, quod hono-*

*honoretur pater ex charitate, sed solum quod honoretur pater*, ut constat ex animad. II. *Unde qui honorat patrem licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti*, scilicet *modi charitatis*, ex eadem animadversione II., *& si sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis, videlicet de actu per se qui cadit sub præcepto legis, propter quam transgressionem meretur pœnam*, tunc scilicet, *quando obligat præceptum legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet diliges Dominum Deum tuum*. Cumque hoc præceptum sit affirmativum, nec contineat universalitatem, quam hoe exprimit, *omnia in gloriam Dei facite*, non obligat ad semper, *idcirco contingere potest, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis, quia modus charitatis plus importat, quam relationem operis in finem debitum; importat enim, quod actus ex habitu charitatis procedat.*, in 3. dist. 36. ae. 6. ad 5: Non implet tamen præceptum referendi actiones nostras in Deum, quod etsi sit affirmativum, a negativo non distinguitur ex animadversione III., & obligat pro omni tempore, quo deliberate actiones alias facimus, alioquin non omnia essent in gloriam Dei referenda, scilicet quando præceptum non obligaret. Verum quia semper tenemur singulas humanas actiones in Deum referre, hinc ait S. Doct. ibid. quod sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur *Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum: sic ergo, qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est: honora parentes, sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, quod affirmativum est non obligans ad semper, prout exprimit specialem charitatis actum, illiusque modum; negativum, vero, atque universale prout continet præceptum referendi singulos humanos actus in Deum ultimum humanæ vitæ finem.*

Postremo argumento solvendo quidquam adjicere necesse non est ad ea, quæ ibi a S. Thoma sunt dicta. Argumentum Angelici Præceptoris hoe est. *Omnia in gloriam Dei facite: ergo nullus actus est indifferens*. Respondet: *Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quæ non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus*. Ac si diceret, etsi juxta præceptum Apostoli omnia sint in Dei gloriam referenda, attamen omnis actus hujusmodi in Deum relationem per se non dicit, cum plures sint actus ex operis fine indifferentes, qui sunt tantum per se referibiles; at propterea non asserit S. Doctor ad implendum laudatum præceptum sufficere, ut actus sit referibilis, quemadmodum nobis objectum fuit, quinimo diserte tradit in 2. dist. 1. q. 3. *si actus est referibilis, & non referatur, vanus est, otiosum autem inter peccata apud Theologum computatur*, & clarius in qq. disp. q. 9. ae. 2. in e. *Considerandum est, quod si aliquis actus non referatur in Deum sicut in finem, potest dupliciter contingere. Uno modo ex parte actus, scilicet eo quod ipse actus non est ordinatus in finem, & sic nullus actus inordinatus est referibilis in finem ultimum, sive sit peccatum mortale, sive sit veniale. Actus enim inordinatus non est conveniens medium, quo perveniatur ad finem bonum: sicut nec propositio falsa est conveniens medium, quo perveniatur ad scientiam veram. Alio modo contingit ex parte ipsius agentis, cujus scilicet mens non ordinatur actu, vel habitu in debitum finem. Ex hoc enim sequitur, quod actus a tali mente procedens ordinetur in aliquid aliud sicut in ultimum finem; & tunc semper actus, qui non refertur in Deum, sicut in finem, est peccatum mortale*, videlicet si ex ipso sequatur, quod in aliquid aliud sicut in ultimum finem referatur, ut patet ex his, quæ habet ibid. ad 3., & ad 10. *Dico autem mentem hominis non ordinari in Deum actu, vel habitu, quia contingit quandoque, quod homo non ordinet actu aliquem actum in Deum sicut in finem, cum tamen actus ille de se non contineat aliquam inordinationem, ratione cujus non sit in Deum referibilis: & tamen quia mens hominis est habitualiter relata in Deum sicut in finem, actus ille non solum non est peccatum, sed etiam est actus meritorius*; quia homo justus hujusmodi actum ex charitate operatur, & virtualiter in Deum tanquam ultimum hominis finem refert ex N. XX. Constans enim S. Thomæ principium est, nullum actum hominis justi esse meritorium, nisi is ex charitate operetur. Videsis 1. 2. q. 114. ar. 4. o. Ex his patet S. Doctorem ad implendum Apostoli præceptum duo requirere, scilicet, & quod actus sit referibilis, & quod agens illum actu, vel virtute in Deum referat, ut omni argumentorum genere hactenus probatum est: quantum igitur objectum confutatum est satis.

XXXI. Quartam vero, atque inde sequentes propositiones ejusmodi argumentis infirmare conantur. Ae primo quidem volunt hæc dogmata tradi a Bajo, Jansenio, & Quesnello, ac proinde cum illorum hominum doctrina a Pio V. Innocentio X., & Clemente XI. fuisse damnata, hinc toti sunt ad illorum omologiam, & consensum eum damnatis propositionibus suadendum. I. Si omnis actio, inquiunt, ex charitatis motivo in Deum ultimum humanæ vitæ finem est referenda, sequitur primo peccare eum, qui solius æternæ mercedis intuitu operatur, quod falsum prorsus esse ostendunt & Canon 31. Conc. Trid. sessione 6. *si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*, & hæ ab Alexandro VIII. an. 1690. proscriptæ propositiones. *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur: rursus Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum mere, ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*: falsum adeoque est referendum in Deum esse omnem humanum actum ex motivo charitatis.

II. Inferre deinde contendunt 38. a Pio V. damnatam propositionem: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*, cui consentanea est propositio 44. a Clem. XI. confixa: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac*

mun-

*mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum sit malus.*

III. Semel admissa necessitate, inquiunt, referendi opus in Deum ex motivo charitatis *revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu*; quæ est 9. inter damnatas propositiones ab Alexand. VIII. imo *attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*, quæ est 15. ab eodem Summo Pontifice proscripta.

IV. Cum ad referendum opus in Deum ex motivo charitatis necessarium sit supernaturale Dei auxilium; *omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum erit*, quam propositionem damnavit idem Pontifex, & est N. 11.; adeoque & *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet*, & *omnia opera infidelium sunt peccata*, quas propositiones & damnavit Pius V., & ante ipsum reprobavit S. Thomas, nam lect. 3. in cap. 14. epist. ad Rom. ait, quod *in homine infideli cum infidelitate est bonum naturæ, & ideo, cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit non referendo ad malum finem, non peccat*: non est ergo necessarius gratiæ influxus, ut homo absque peccato operetur, adeoque non tenetur homo referre humanum actum in Deum ex motivo charitatis.

V. Tandem nimis grave, dicunt, & rigidum imponunt fidelibus jugum, qui hujusmodi probant dogmata: enimvero neminem latet difficile homini esse, qui tot, tantisque subjectus est tentationibus, & concupiscentiæ stimulis concitatus, singulos humanos actus ex charitatis motivo in Deum referre, & in omni actu suo deliberato Deum diligere. Hæc sane non præcipit lex Evangelica, quæ jugum est suave, & onus leve, adeoque nec docere debent Theologi, qui hanc legem fidelibus exponere volunt, & explicare, proindeque falsum est, quod in 4., & sequentibus propositionibus superius est traditum. Hæc sunt, quibus adversarii nostri stabilitas propositiones aggredi, & expugnare contendunt. At ea difficile non est excutere.

XXXII. Atque ut primum refutemus conatum, quam inconsiderata sit illorum opinatio, qui talia objiciunt, vel me non docente, nemo non est intellecturus. Nam si tanquam proscriptum habendum est illud dogma, quod docuere ii, apud quos nonnullæ inveniuntur ab Ecclesia proscriptæ propositiones, universa ferme Ecclesiæ dogmata ut proscripta, & damnata habere debemus. Quot enim hæc docent, in quibus videre est plurimas ab Ecclesia confixas propositiones? Nonne Calvinus, Lutherus, aliique hujus generis homines Trinitatis, & Incarnationis tenuerunt mysteria? Attamen nullus ita desipiet, ut hæc, aliaque iis affinia dogmata tanquam Calvini, & Lutheri, aliorumque hæreticorum sententias traducere audeat. Quot laxioris Ethices facti sunt magistri, qui tamen in cæteris orthodoxum & sanum nobis exhibent sensum? *Verum a quocumque dicatur*, inquit S. Th., *a Spiritu Sancto est.* Quamdiu ergo jam invictis probatam argumentis sententiam divinorum eloquiorum, & Ecclesiæ Patrum confirmatam testimoniis in damnatis ab Ecclesia propositionibus contineri non demonstrabunt, tandiu Theologi aliter opinantes illam invidioso Jansenismi nomine traducere desinant. Jamvero consentiunt omnes dogma istud non latere in propositionibus ab Innocentio X. proscriptis, nihilque commune habere cum iis, quæ objiciuntur, promptissimum est ostendere.

I. Perperam equidem argumentantur, qui ex præcepto referendi singulos humanos actus in Deum ex motivo charitatis inferre volunt eum peccare, qui solius æternæ mercedis intuitu operatur. Operari enim intuitu æternæ mercedis, quæ, juxta illud Gen. 15. *ego ero merces tua magna nimis*, Deus est, & ultimus hominis finis, idem est ac operari intuitu ultimi humanæ vitæ finis, seu intendere in operatione ultimum hominis finem, vel referre actionem in Deum ex motivo charitatis; hæc enim synonyma sunt ex num. XIX. Referre autem homo tenetur proprium actum ex motivo charitatis ex n. XXIV. Quapropter valde errant, qui ea nobis opponunt, quæ mirum in modum superius probata theoremata confirmant roborantque.

Sane amor charitatis aliud non est ex Angelico Doctore 2. 2. q. 23. ar. 4. in c. nisi amor boni divini in quantum est beatitudinis objectum. *Bonum*, inquit, *divinum in quantum est beatitudinis objectum habet specialem rationem boni. Et ideo amor charitatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor*, adeoque sicuti charitatis amori non repugnat intuitus sempiternæ mercedis; ita neque motivo charitatis adversabitur, *quia maxima charitas desiderat uniri Deo*, docet S. Bonaventura in 3. dist. 26. ar. 1. q. 1., & S. Augustinus ser. 340. *quia gratis amamus, quia oves pascimus, mercedem quærimus. Quomodo fiet istud? Quomodo convenit, gratis amo, ut pascam, & mercedem posco, quia pasco? Nullo modo merces quæreretur ab eo, qui gratis amatur, nisi merces esset ipse, qui amatur.* Tandem Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. cap. 8. *eos, qui dicunt: diligimus Deum, sed non quærimus præmium, ne mercenarii simus*, concludit *esse tam stultos; ut seipsos non intelligant, quoniam si aliud quæreres ab ipso, gratis non amares; sed non amares, si non desiderares.* Aperte ergo quartam propositionem confirmat Concil. Trid. definiendo: *siquis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*; imo vel ipsæ theses confixæ ab Alexand. VIII. id abunde præstant; non enim vitiosum est intuitu æternæ mercedis Deo famulari, & operari, etsi hæc agens, atque operans charitate justorum propria careat, quam nunquam necessariam diximus, ut humanus actus in Deum ex motivo charitatis referatur: hinc, & ipsa intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum mere, ut cœlestem obtineat gloriam, & recta est, & Deo placens. Enimvero qui tendit in cœlestem gloriam tanquam ultimum suarum actionum finem, intentio ejus est adhærere Deo summo, & incommutabili bono, & ultimo humanæ vitæ fini, quod

recta

rectum est, Deo placens, & ex motivo charitatis.

Sunt qui nihilominus objiciunt ex hoc responso sequi, sine peccato non esse futuram a Deo expectare beatitudinem, tanquam proprium commodum, & hujus intuitu operari; quandoquidem, qui hæc facit ex charitatis motivo non operatur, vel si ex charitatis motivo operatur, nullum amplius, inquiunt, apparet discrimen inter actum spei, & charitatis.

Absit a nobis tantum scelus, ut Theologicas virtutes, quas Apostolus tam clare distingnit, confundamus, *peccatum non est futuram a Deo expectare beatitudinem tanquam proprium commodum, atque hujus intuitu operari*. Etenim vel hujusmodi actum ita in proprium commodum homo refert, ut in ipso tanquam in ultimo operis fine sistat, vel refert in Deum tanquam ultimum humanæ vitæ finem: si primum non vitio operis, sed operantis, & sperantis *solus impius*, inquit S. Augustinus lib. 4. cont. Julianum c. 3. *negat esse peccatum*; *quia* subdit S. Doct., *quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est*. Si secundum, sine motivo charitatis non est, ut constat ex n. XIX. & XXIV. atque hoc sensu dixit S. Aug. in psal. 65. *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate nullo modo fit bene*.

II. Non video autem quomodo ex his inferri legitime possit nullum amplius apparere discrimen inter actum spei, & charitatis. *Fides, & spes*, docet S. Thomas 2. 2. q. 23. ar. 6. in c. *attingunt Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo*, inquit 1. 2. q. 65. ar. 4. in c. *Fides, & spes possunt esse sine charitate: sed sine charitate proprie loquendo virtutes non sunt. Nam ad rationem virtutis pertinet, ut non solum secundum ipsam aliquod bonum operemur, sed etiam bene.* Igitur actus spei sine charitate ax objecto, & fine proximo bonus est, sine actuali charitate tamen bene, idest perfecte non fit. Manifestum enim est, ait S. Doct. 2. 2. q. 23. ar. 8. in c. „quod per charitatem ordinantur actus aliarum virtutum ad ultimum „ finem. Et secundum hoc ipsa dat formam actibus „ omnium aliarum virtutum: & pro tanto dicitur esse „ forma virtutum. Nam & ipsæ virtutes dicuntur in „ ordine ad actus *formatos*; adeoque licet charitatis motivo spei actus in ultimum referatur finem, egregie ab actu charitatis distinguitur.

Alterum nunc argumentum excutiendum est. Propositiones illæ a Pio V., & Clem. XI. damnatæ propter verborum *charitatis*, *& cupiditatis*, *amoris Dei*, *& amoris mundi* ambiguitatem, significare possunt *I. omnem amorem creaturæ rationalis esse a charitate habituali* justorum propria, & in ipsis dominante, quæ sola *amor Dei* appellatur: vel a vitiosa cupiditate habituali, quæ in peccatorum corde ita dominatur, ut omnis actus hominis hac vitiosa cupiditate affecti vitiosus sit, peccatum sit, & hoc sensu *amor mundi* dicatur. II. omnem actum creaturæ rationalis habere unum ex his duobus principiis, aut laudabilem charitatem actualem, aut vitiosam actualem cupiditatem, ita ut ex alterutra caussa creaturæ rationalis actus omnino procedere debeat, atque a prima si fiat, undique bonus sit, rectus sit, remuneratione dignus: ex adverso si a vitiosa cupiditate, intrinsecus malus sit, undique corruptus, & damnationi obnoxius. III. Omnem actum liberum creaturæ rationalis fieri vel cum amore ultimi finis, qui & charitas dicitur ex n. XVII., atque hujus motivo in Deum refertur, & hinc esse undique bonum: vel absque hujusmodi amore, ex motivo scilicet cupiditatis, quæ vitiosa dicitur, & quia interdum est fini ultimo contraria, vel ad contrarium finis disponit, ut dictum est animad. 6. sub num. XXXI. proindeque defectu istius circumstantiæ malum esse. Jamvero si prædictæ propositiones primo modo accipiantur, nemo est, qui illarum perversitatem illico non percipiat, atque non videat, quam jure meritoque Ecclesiæ censuram, ac damnationem subierint. Manifeste enim ex illis sequitur omnia impiorum hominum opera peceata esse, & solam charitatem esse virtutem, illamque solam Deum coronare: quæ absurda, sicut & principia, ex quibus legitime deducuntur, quilibet vir catholicus amandare debet, & detestari. Secundo modo intellectæ falsæ sunt, nec ab omni censura immunes, cum plura fiant a creatura rationali absque gratiæ influxu, quæ ex fine proximo, & objecto mala non sunt, nec damnationi obnoxia, *ut ædificare domos, plantare vineas, & alia hujusmodi*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 109. ar. 2. in c. *quia non usque adeo* tradit S. August. lib. de sp. & litt. cap. 27. *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit in ipsa impietate vitæ nostræ facere aliqua legis, vel sapere*. Tertia denique illarum propositionum significatio nec obvia, nec illis propria, vera tamen & orthodoxa est, neque ex hac inferri legitimé possunt, quæ ab Ecclesia in illis propositionibus fuere proscripta. Verum hic tantum, & non alius est sensus illorum, qui omnem liberum actum in ultimum humanæ vitæ finem ex motivo charitatis referendum esse omni argumentorum genere probant; ut evidens est.

Quamobrem damnati erroris illos insimulare est, & ignorare velle germanum proscriptarum propositionum sensum, & insimulara falso. Secundo igitur argumento ex his, quæ dicta sunt satis, ut arbitror, responsum est.

At mihi videtur silentio hic prætereundam non esse non paucorum sententiam, qui volunt propositionem a Clem. XI. damnatam orthodoxum exhibere sensum, si intelligatur non de *charitate* proprie dicta, quam ita definit S. Aug. lib. 3. de Doct. Christ. cap. 10. *charitatem etiam voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximum propter Deum*, neque de *cupiditate*, prout illam vocat idem S. Doct. lib. 9. de Trin. c. 7. n. 12. *motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum*; sed de charitate, quæ a boni cupiditate non distinguitur, & est, ut ait S. Aug., *volun-*

tas

*tas bona: quid est dilectio*, ait lib. 8. de Trin. cap. 10. *vel charitas nisi boni amor? quid est boni cupiditas, nisi charitas? Quid est aliud charitas, quam voluntas? charitas dicitur voluntas bona?* & de cupiditate, quæ idem sit ac quælibet *mala voluntas*; hinc recte dicit S. Leo Magnus ser. 5. de jejuniis cap. 7. *Duo amores sunt, ex quibus omnes procedunt voluntates ita diversæ qualitatibus, sicut distinguuntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia*. At de his plusquam satis ad rem nostram.

III. Illud vero, quod tertio loco subjicitur, ex eodem confixo principio aperte sequitur. Enimvero si omne opus, quod ex charitate Patris, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffunditur, charitate scilicet habituali, & justorum propria, vel charitate actuali tanquam ex proprie dicto principio non procedit, *peccatum est, intrinsecus corruptum, & damnationi obnoxium, revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem &c., & attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur &c.* Cum ergo damnatus error nihil commune habeat cum hac, quæ defenditur vere orthodoxa sententia, cuncta nos non sunt confixæ propositiones.

Sane ad primum quod spectat. Si qui ea nobis objiciunt recte distinguerent opus ab illius in Deum relatione, nobis nunc non incumberet illos refellere. Etenim rationali naturæ consentaneum est *odio habere peccatum mere ob ejus turpitudinem &c.* quia peccatum mere ob propriam turpitudinem odio est dignum. Est enim peccatum contrarium naturæ rationali, etiamsi nullus sit ad *Deum offensum respectus*, ut egregie docet S. Th. 1. 2. q. 71. ar. 2. in c. Unde concludit 3. p. q. 84. ar. 7. ad 1., quod *de jure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc, quod doleat ea fecisse*; adeoque actus iste licet ex charitate, & ex charitatis motivo non sit, ex objecto, & officio bonus est, & secundum Angelici Doctoris phrasim in Deum est referibilis. *At noveris*, inquit S. Aug. contra Jul. lib. 4. cap. 3. *non officiis; sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes .... cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu non attendens fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti*.

Attritio pariter ex gehennæ metu concepta, cum prævium Fidei motum supponat, quo a Deo statuta creditur contra scelestos ignis æterni pœna, actus bonus est, & supernaturalis, etiamsi *sit sine dilectione benevolentiæ Dei propter se*: quia inquit S. Th. 2. 2. q. 19. ar. 4. in c. *timor servilis secundum suam substantiam bonus est; sed servilitas ejus est mala. Sed prædicta servilitas non pertinet ad speciem timoris servilis, sicut nec informitas ad speciem fidei informis ... objectum namque timoris servilis est pœna, cui accidit, quod bonum, cui contrariatur pœna, ametur tanquam finis ultimus, & per consequens pœna timeatur tanquam principale malum, quod contingit in non habente charitatem, vel quod ordinetur in Deum sicut in finem, & per consequens pœna non timeatur tanquam principale malum, quod contingit in habente charitatem. Non enim tollitur species habitus per hoc, quod ejus objectum, vel finis ordinatur ad ulteriorem finem*. Attritio igitur ex timore concepta secundum speciem actus, & intrinsecus bona est; quia & bonus est ipse timor, viamque sternit charitati: quod luculenter explicat S. Augustinus in ep. 1. Jo. tract. 9. *sicut videmus*, inquit, *per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat; sed nisi exeat non succedit linum, sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem*. Quod si non ordinetur hujusmodi attritio in Deum ex motivo charitatis, mala tunc est, *non quia concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, sed quia non ordinatur in Deum sicut in finem*. Et ideo, etsi officio, atque objecto sit bona, *ipso non recto fine peccatum est*.

IV. Ad illud autem, quod quarto loco objectum est, ex hactenus dictis brevis, & non difficilis est responsio (abunde enim, ut reor, jam hisce satisfecimus): prima siquidem propositio supponit charitatem habitualem justorum propriam, vel actualem, qualis est *Fides christiana, quæ per dilectionem operatur*, ita esse principium boni operis, ut absque illa nullum sit opus sive ex objecto, sive ex officio bonum, imo, quidquid fit sine illa, peccatum sit, adeoque peccatorem in omni actu suo peccare. Quod ut impium, & omnino absurdum jam refutatum est, & rejectum, nec ullo modo ex superius probatis propositionibus sequitur. Videant igitur etiam, atque etiam, & considerent, quæ dicta sunt num. XXVIII., & statim ad rem non esse, quæ objicitur confixa propositio, plane conspicient.

Ad alteram pariter, quæ deinceps sequitur, non est difficile respondere; occurrit enim illi statim Vasquesius, qui 1. 2. disp. 190. cap. 18. hæc habet. Ille ergo prædictam propositionem 28. *liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio nonnisi ad peccandum valet* „ quam habet lib. 2. de justitia, & virtutibus „ impiorum cap. 9. in eo sensu intellexit, quem ex„ pressit aperte eodem lib. cap. 4., & 5. nempe per „ auxilium gratiæ intelligens auxilium inhabitantis Spi„ ritus Sancti, quo referantur opera illa in Deum; „ nam prop. 59. & 60. notata in prædicta Bulla „ non admittebat ille distinctionem gratiæ Spiritus „ Sancti nondum habitantis, qualem concedimus an„ te remissionem peccatorum, & habitantis, qualem „ diximus esse post remissionem .... Hinc ergo re„ cte constat, quam diverso modo sentiant Augusti„ nus, & alii ejus discipuli de divino adjutorio, cum „ dicunt liberum arbitrium sine adjutorio divinæ „ gratiæ nonnisi ad peccandum valere: loquitur enim „ de adjutorio Spiritus Sancti nondum habitantis, „ nec justificantis actu animum „ Tantum Vasquesius. Sane hæc plana sunt, & aperta in ipsomet S. Augustino, qui ser. 13. de verbis Apost. ait: *non sic est adjutorium Christi ..... prorsus si defueris, nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante*, opus scilicet ex objecto, & officio bonum, ut dictum est in respon. ad secundum argumentum, *sed male*; quia in Deum ultimum humanæ vitæ finem opus

ipsum

ipsum non refers, ut demonstratum est n. XXVIII.

V. In objectæ ultimo propositionis explicationem multa quidem dici possent, sed nos in pauca conferemus. Itaque objecta propositio: *Omnia opera infidelium sunt peccata*, varios exhibere potest sensus, falsos equidem omnes, quos declarare non piget, ut manifestum fiat, quam perperam illa ex propositione ultima deducatur. I. Infideles duplicis generis sunt; alii, qui negative infideles dicuntur, quibus infidelitas non habet rationem peccati; alii positive. *Infidelitas dupliciter accipi potest*, inquit S. Th. 2. 2. q. 10. ar. 1. in c., *uno modo secundum puram negationem: ut dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habet fidem. Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem: quia scilicet aliquis repugnat fidei, vel etiam contemnit ipsam..... & in hoc proprie perficitur ratio infidelitatis: & secundum hoc infidelitas est peccatum. Si autem accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ*. II. Certum est infidelium opera, queis ad justificationem disponuntur, peccata non esse, ita Conc. Trid. sess. 6. can. 7. III. Opera alia procedunt ex deliberatione rationis; alia indeliberata dicuntur, quæ hominis actus quidem sunt, non autem humani, ex N. I. IV. Opera alia sunt bona ex objecto, vel operis fine, alia item ex fine operantis, quæ simpliciter bona dicuntur, ut patet ex N. XII. V. Licet non pauci ex Theologis velint iis, qui negative infideles sunt, nullum gratiæ supernaturalis auxilium Deum impertiri, quamdiu in hujusmodi statu perseverant: catholice tamen fateri debent omnes, nullum infidelem ad justificationem disponi absque gratiæ Dei adjutorio.

Jam vero proscripta propositio omnes complectitur sive negative, sive positive infideles; rursus omnia ut peccata enunciat eorum opera & deliberata, & indeliberata, sive ratione officii, & objecti, sive ratione finis ultimi, sive ex influxu gratiæ actualis sint, sive absque divino gratiæ actualis auxilio, & ea, quibus ad justificationem disponuntur, & reliqua. Verum nihil horum probat proposito VIII.; quinimo id tantum asserit, quod aperte ostendit S. Thomas cum D. Augustino 2. 2. q. 23. ar. 7. ad 1., ubi ait, *quod actus alicujus charitate carentis potest esse duplex. Unus quidem secundum hoc, quod charitate caret, utpote cum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate. Et talis actus semper est malus, sicut Augustinus dicit in quarto contra Julianum cap. 3., quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundum id, quod charitate caret, sed secundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur: & secundum hoc sine charitate potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem*. Perperam ergo ad præsens institutum propositio a Pio V. damnata traducitur, & convertitur.

Nec sibi contrarius est Angelicus Doctor; Nam legenti laudatum testimonium, atque cum antecedentibus, & continuo sequentibus conferenti evidens, & perspicuum erit Sanctum Doctorem id tantum affirmare, infidelem scilicet ex dictamine rationis operantem lethaliter non peccare, si ad malum finem opus suum non referat; opus suum tamen esse undique bonum, dum ad debitum finem non refertur, vel fieri opus perfecte bonum ab infideli sine gratiæ adjutorio nullibi docet, neque ex ejus principiis inferri potest; exponens enim illud Apostoli: qui *autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide* „ Potest autem hic fides dupliciter accipi, *inquit* „ uno modo de fide, quæ est virtus, alio modo, secundum quod fides dicitur conscientia.... Dicitur „ ergo ideo eum, qui manducat, & discernit, esse condemnatum, quia hoc non est ex fide, imo est contra „ fidem, idest contra veritatem fidei, & contra conscientiam facientis. „ Deinde sibi objicit cum Glossa, ex quo videtur, quod omnis vita infidelium peccatum sit. Quod peccatum? mortale equidem, quale est illud, quod est contra conscientiam, contra fidei veritatem, contra præceptum, juxta phrasim Angelici Præceptoris ex animad. 5. sub N. XXXI., cui objecto ita occurrit: „ In homine infideli cum infidelitate „ est bonum naturæ, & ideo cum aliquis infidelis ex „ dictamine rationis aliquod bonum facit non referendo „ ad malum finem non peccat, „ peccato scilicet mortali, quia non operatur contra conscientiam, & illo peccato, quod suscipit infidelis operando quatenus infidelis; hinc subjungit. „ Cum vero homo infidelis ali„ quid agit ex eo, quod infidelis est, manifestum est, „ quod peccat: unde in Glossa cum dicitur *opus omne,* „ *quod non est ex Fide, peccatum est*, sic est intelligendum. „ Omne, quod est contra Fidem, vel contra conscien„ tiam, peccatum est: etsi ex genere suo bonum esse vi„ deatur. „ Verum ex D. Th. etsi opus non sit contra conscientiam, vel contra præceptum, adeoque non sit peccatum mortale, non ideo est undique bonum, ut dictum est N. XXXI. & N. XII., licet adhuc sit ex genere bonum, ut diserte docet S. Doctor. in 2. dist. 36. q. 1. ar. 3. ad 1., „ Illa bonitas, quæ est ex genere, „ manet in actu, quantumcumque per alias circumstan„ tias indebitas deordinetur; sicut etiam quantumcum„ que ab anima tollatur gratia, remanet in ea boni„ tas naturæ. Unde non dicitur actus, qui est bonus „ ex genere, male fieri, quia privatur ab eo bonitas „ sui generis; sed quia privatur bonitate *circumstantia*„ *rum*, „. Quapropter ex Angelico Doct. recte concluditur, infidelem absque gratiæ adjutorio opus bonum ex genere facere posse, *cum defectu tamen voluntatis circa ultimum finem, quod sufficit ad malitiam actionis*, ut habetur dist. 40. q. 1. art. 2. ad 4. *humanum infidelis actum non esse perfecte bonum sine charitate.*

VI. Postremo argumento refutando longiores erimus, quod nemini molestum esse debet; nam orationis longitudo magnitudine utilitatis pensabitur. Principio autem mirari satis non possumus, quod durum & grave nimis quibusdam videatur hoc præceptum, „ qui tamen, *inquit Sanctus Augustinus*, „ nihil in eo grave invenirent, aut impossibile, si eis præciperetur, ut omnia referrent ad propriam volup-

„ voluptatem„. *Quid ergo facile est?* sibi objicit S. Doctor lib. 6. de musica cap. 14. *An amare colores, & voces, & placentas, & rosas, & corpora leniter mollia? Hæccine amare facile est animæ .... Deum amare difficile est? quod si ita est, cur dictum est, jugum meum leve est?* Verum, reponunt, quia jugum legis evangelicæ leve est, ideo durum est hoc præceptum: quos repellit idem S. Doctor in ps. 67. *Quidquid enim difficile est in præceptis, leve est amanti, nec ob aliud recte intelligitur* Matth. 30. *Onus meum leve est, nisi quia dat Spiritum Sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus vestris.* & ser. 66. c. 1. *durum videtur*, inquit, *& grave, quod Dominus imperavit.... sed nec est durum, nec est grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat: Jugum igitur suave est, & onus leve ob gratiam, quæ a nullo duro corde respuitur.* S. Aug. de præd. SS. c. 8., *ob inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis* Lib. de grat. Christi c. 35. „ ob auxilium illud, quo subventum est „ infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia inde„ clinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quam„ vis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua „ vinceretur.„ Cap. 12. de cor. & grat. non autem leve, ob præcepti facilitatem, vel naturæ potestatem. Revera illis est durum hujusmodi præceptum, qui, illud a charitate separant, amoris dulcedine privant, atque solas naturæ vires considerant, nunquam vero gratiæ efficaciam attendunt, quæ ideo datur, inquit S. Aug. lib. de Grat. Ch. c. 13., *ut non sit terribile, sed suave mandatum.* Quapropter lib. de nat., & grat. cap. 69. diserte concludit. *Conversus ergo quisque ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua mandatum Dei non habet grave: quomodo est enim grave, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est, aut diligit, & grave esse non potest*

Necesse porro non est ad hujusmodi servandum præceptum, ut singulas actiones homo actu referat in Deum; sed sufficit virtualis intentio. „ Voluntas enim „ præcedens actum, docet S. Th. lib. 3. contra Gent. „ cap. 138., manet virtute in tota consecutione actus, „ & ipsum laudabilem reddit, etiam quando de propo„ sito voluntatis, propter quod actus incepit, in exe„ cutione operis non cogitatur: non enim oportet, quod, „ qui propter Deum iter arripuit, in qualibet parte „ itineris de Deo cogitet actu.„ Idem constat ex n. XX.

Verumtamen satis non est, ut egregie observat Cardinalis Bellarminus cum S. Bonaventura, ut opus virtute referatur in Deum, *si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei generali quadam intentione referat omnia opera sua futura in Deum, sed necesse est, ut illud ipsum opus particulare* (quando scilicet nullum ad præcedentes actiones ordinem dicit), *quod postea faciendum est, referatur in Deum; Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera caussa operum, quæ postea fiunt, ut si quis apud se certe constituat aliquam nummorum summam propter Deum pauperibus erogare, & postea summam illam oblata occasione eroget, is dicetur virtute referre opus suum in Deum, etiamsi, dum pecunias illas distribuit, nihil de Deo cogitet.* Hæc Bellarminus lib. 5. de justific. c. 15., quibus addi potest intentionem tum esse efficacem, & in opere perseverare, quando quis pravæ concupiscentiæ affectus contrarios, queis mens præveniri solet, sedulo comprimit, illamque identidem, præsertim si opera varia sint & disparata, iterat. Nec laboriosa nobis erit frequens hæc intentionis renovatio, si, quemadmodum docet S. Augustinus tract. 8. in epist. Joan., *affectus charitatis, sanctitas pietatis semper hæc tenenda sunt, sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive cum inter homines, sive cum in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes, semper hæc tenenda sunt.* Hactenus S. Doctor. Sed de præcepto referendi in Deum singulos humanos actus ex motivo charitatis dictum est satis. (✠)

## ARTICULUS SECUNDUS

### *De affectionibus Moralitatis.*

PER affectiones moralitatis intelliguntur hic I. ejus principia. II. ejusdem multiplicatio. III. denique augmentum ipsius.

## SECTIO PRIMA.

### *De Principiis Moralitatis.*

PRincipia moralitatis sunt ea omnia, ex quibus fit, ut actus bonus sit, aut malus, aut indifferens. Hæc tria recenseri solent, scilicet objectum, finis, & circumstantiæ; quod an bene fiat, ut expendamus

Not. I. objectum non sumi hic in tota sua latitudine pro eo omni, quod voluntati objicitur: sic enim comprehenderet etiam finem, & circumstantias; sed stricte, & proprie pro re omni, aut persona, quæ primo, & per se ab actu attingitur. Hoc sensu res aliena est objectum furti, Deus objectum charitatis, & proximus homicidii. Porro cum objectum dupliciter concipi possit, vel materialiter, & physice, prout est ens aliquod positum extra nihil: vel moraliter, prout ab agente attingitur modo, qui rectæ rationi consentit, aut ab eadem discrepat, manifestum est objectum, a quo actus moralitatem desumit, non accipi physice, sed moraliter. Cæterum multi refert, sitne objectum intrinsece, & ex natura sua rationi conforme, ut amor Dei; an extrinsece tantum, & vi legis positivæ, ut abstinentia a certo carnium genere: quia in primo casu objectum est invariabile, adeo ut sit semper bonum, aut malum, ut patet in actu charitatis, aut odii injusti; in secundo autem casu idem objectum bonum aliquando, aliquando malum ex circumstantiis evadere potest.

Not. II. Circumstantia actus est accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum jam constitutum in suo esse tum physico, tum morali. Est I. *accidens*; quia est quid extrinsecum entitati actus, quæ sine tali accidente concipi, & subsistere potest: sic locus sacer est circumstantia furti. II. *moraliter afficiens &c.*, id est modificans actum in ordine ad re-

ctam rationem, adeoque ipsi conferens aliquid bonitatis, vel malitiæ accidentalis; alioqui posset quidem esse circumstantia actus humani qua physicus est, sed non qua moralis. Sic eleemosynam dare inimico est circumstantia moralis, quæ actionem facit magis acceptam Deo; sed eleemosynam dare dextra manu, vel sinistra, nec nocet, nec prodest moribus. III. *jam constitutam* etiam *in suo esse morali*; quia objectum actus dat ipsi primam moralitatem, & idcirco circumstantia non nisi secundam dare potest. Circumstantiæ actionis, quas latius prosequemur agendo de peccatis, septem recensentur hoc versu exprimi solitæ. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Not. III. Licet finis una sit e præcedentibus circumstantiis expressa vocabulo *Cur*, de fine tamen particulariter agunt Theologi; quia ab eo, ut qui præcipue moveat, præcipua desumitur moralitas. Cæterum finis, de quo agitur in præsenti, non est finis operis, is enim non distinguitur ab objecto; sed est finis operantis, quique extrinsecus vocari solet. His positis

CONCLUSIO I. Actio humana habet moralitatem suam ab objecto, spectato in esse morali.

Prob. I. Ab eo actio suam habet moralitatem, a quo habet ut bona sit, aut mala, tum in genere, tum in specie: atqui ab objecto habet actio, ut bona sit, vel mala, tum in genere, si objectum concipiatur generaliter ut rectæ rationi conveniens, aut dissentiens, juxta id Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*; tum in specie, si objectum consideretur ut bonum, aut malum in hac, vel illa specie; ergo.

Confirm. Ab eo sumitur specifica moralitas actus, ratione cujus quædam virtutes, & vitia, ac proinde eorumdem actus, a se invicem specie differunt: atqui quædam virtutes, sicut & vitia, ac proinde ipsorum actus a se invicem specie differunt ratione objecti, circa quod versantur. Sic virtutes theologicæ specie differunt a moralibus, quod theologicæ Deum habeant pro objecto, non autem morales: sic etiam homicidium, & adulterium specie distinguuntur, eo quod illorum objecta specie discrepent; ergo actus moralis suam moralitatis speciem desumit ab objecto, ac proinde bonitas moralis, quæ ab objecto desumitur, est bonitas specifica, quia per eam actus constituitur in certa specie.

Quod autem moralitas non sumatur ab objecto in *esse rei*, sed in *esse moris* spectato, sequitur ex iis, quæ prænotata sunt; & patet, quia diversi actus voluntatis, quorum alter bonus sit, alter malus, possunt ferri in idem objectum secundum *esse rei*, & entitative spectatum. Sic eadem pecunia potest esse objectum furti, & restitutionis; eadem fœmina, objectum adulterii, & actus conjugii, &c.

Obj I. Moralitas actus non sumitur ab eo, quod nullam habet moralitatem: atqui dantur objecta quædam, quæ nullam ex se ipsis moralitatem habent, ut videre est in deambulatione, quæ ratione sui nec bona est, nec mala; ergo.

R. I. conc. totum, quia cum dicimus moralitatem desumi ab objecto, intelligimus eam desumi ab objecto, quando de se bonum est, aut malum; si vero sit indifferens, moralitas repetenda est, vel a fine, vel a circumstantiis, quæ efficiunt, ut qui objectum illud amplectitur, hic & nunc bene, vel male agat.

R. II. neg. min. quia indifferentia ipsa haberi potest pro specie moralitatis. Illud enim est species moralitatis, quod subjicitur legi: atqui indifferentia legi subjicitur, scilicet permittenti; quatenus lex permittit, ut vir prudens amplectatur objectum, quod ex se malum non est. *Quidam* actus, ait S. Thomas 1. 2. q. 92., *ex genere suo* sunt *indifferentes, & respectu horum lex habet permittere*.

Obj. II. Amor proximi mali est actus bonus: sed proximus malus est objectum malum; ergo actus non desumit bonitatem ab objecto.

R. dist. maj. Amor proximi mali, ut proximi, est actus bonus, C. proximi, ut mali, N. Porro proximus, qua proximus, est objectum bonum.

Duo hic notanda; I. ut actus sit bonus moraliter necesse est, ut voluntas saltem confusa feratur in objectum ut bonum, & honestum. Hinc qui ex solo humanæ æstimationis comparandæ desiderio reddit alteri, quod suum est, facit quidem actum objective bonum, sed non bonum moraliter, quia non agit propter ipsam honestatem, sed propter solam delectabilitatem, a qua actus habere non potest quod sit moraliter bonus; II. ut actus sit moraliter malus, non requiritur, ut ipsa objecti malitia directe intendatur: alioqui nemo, aut pene nemo peccaret, cum omnes delectationem quærant, nulli, aut ferme nulli malitiam velint, quam plerique ab actu malo, si fieri posset, procul abesse vellent.

CONCLUSIO II. Actus humani tam interni, quam exteriores bonitatem, aut malitiam desumunt a circumstantiis.

Prob. I. ex Marc. 12., ubi *vidua pauper*, quæ in gazophilacium *misit duo minuta*, præfertur divitibus, qui summas majores dederant; ergo actio viduæ hujus ex paupertatis circumstantia nobilior, & sanctior facta est. Atque idem de sincero ejus desiderio dicendum videtur.

Prob. II. Si circumstantiæ nullam actibus etiam mere internis moralitatem impertirent, Ecclesiæ clavibus subjici non deberent, quia actus ex iis nec melior fieret, nec deterior; atqui tamen subjici debent ex Tridentino (*Sess.* 14. *c.* 5.), ubi dicitur *eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa a pœnitentibus integre non exponantur*. Et hæc ratio ostendit ipsas etiam actuum internorum circumstantias in confessione aperiri debere; neque enim, iis suppressis, pœnitentes peccata sua satis exponerent. An enim satis peccati sui gravitatem exprimeret, qui significans se iniqua circa uxorem proximi habuisse desideria, reticerat se ea volvisse in templo Domini implere?

Prob. III. Dantur actus alii aliis meliores, aut pejores, licet idem habeant objectum, eundemque finem: atqui tales actus necessario bonitatis aliquid, aut malitiæ desumunt ex circumstantiis. Minor patet, prob. maj. Actio illius, qui nummum furatur in templo, pejor est, quam si extra templum fieret: pariter actio pauperis, qui pauperi alteri eleemosynam erogat, cæteris paribus, sanctior est, quam actio divitis: atqui

ea-

tamen actio illius, qui in Ecclesia furatur, non aliud habet objectum, quam si furaretur extra. Utrobique enim intendit alieni boni possessionem, &c.

Obj. Quod dat moralitatem intrinsecam actui, debet esse eidem actui intrinsecum: atqui plures sunt circumstantiæ, quæ actui non sunt intrinsecæ, ut locus, & tempus; ergo plures saltem sunt circumstantiæ, quæ nullam actui moralitatem tribuunt.

R. neg. maj. Objectum enim est actui extrinsecum, & tamen moralitatem extrinsecam eidem communicat. Ratio ulterior est, quia ordo, quem actus dicit ad objectum, aut circumstantias, est eidem actui intrinsecus, sive essentialiter, sive non: porro ex ordine hoc intrinseco nascitur moralitas intrinseca.

CONCLUSIO III. Moralitas actuum humanorum etiam desumitur a fine.

Prob. Ab eo desumitur moralitas actus, quod facit actum ex indifferente bonum, vel malum, ex malo pejorem, ex bono malum, vel meliorem: atqui finis facit actum I. ex indifferente bonum, vel malum: sic deambulatio mala est, si fiat luxus ostentandi causa, bona vero, si fiat, ut quis liberius deinceps Deo famuletur; II. facit actum ex malo pejorem, ut si quis furetur, quo possit lautius vino indulgere; III. facit actum ex bono malum, ut si quis jejunet eo fine, ut hominibus appareat jejunans; IV. facit actum ex bono meliorem, ut si quis eleemosynam eroget, ut peccata sua redimat.

Quæres, an actus malus bonum in finem relatus desinat esse malus: an v. g. peccet, qui mentitur, ut innocenti vitam conservet. Ut solvatur difficultas,

Dico I. actum hunc esse reipsa malum, & prob. I. quia Apostolus Rom. 3. eos damnat, qui dicunt: *Faciamus mala, ut eveniant bona*, II. quia ad malitiam moralem satis est, ut desit vel unicum eorum, quæ debentur actui, secundum vulgatum id, *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*; ergo ubi medium est malum, actus simpliciter malus est.

At, inquies, ex Matth. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit*: atqui per oculum intelligitur intentio, actio vero per corpus. Hinc recepta hæc sententia, *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes*.

R. ex hoc Scripturæ textu nihil concludi contra nos, quia intentio non est simplex, nisi cum est recta; non est autem recta, nisi bonus finis intendatur, & bene: atqui bonus finis non intenditur bene, nisi cum per media licita intenditur: unde Christus Joan. 16. eos damnavit, qui Apostolos persequebantur, existimantes *obsequium se præstare Deo*.

Instab. E duobus malis eligendum est minus; ergo si vel mentiendum sit, vel auferenda innocenti vita, potest, & debet eligi mendacium.

R. neg. conseq., neque enim proximi mors est malum respectu tui, cum non nisi mendacio vitam ejus conservare potes: adeoque non teneris inter duo mala eligere, sed ab omni malo abstinere.

Dico II. Minuitur tamen malitia actus mali, cum ad finem bonum dirigitur. Ita S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 2. Præiverat S. Augustinus Lib. contra mendacium c. 8. ubi *pejor dicitur qui concupiscendo, quam qui miserando furatur*. Ratio ulterior est, quia peccati gravitas desumitur ex affectu ad peccatum: porro ubi actus malus bonum ad finem ordinatur, minor est ad peccatum affectus; quia tunc non tam amatur id, quod in peccatum placere solet, quam ratio utilitatis, quæ in eo detegitur relative ad bonum, quod procurare potest.

## SECTIO SECUNDA.

*De multiplicatione Moralitatis in eodem actu.*

DUO hic quæruntur: I, an unus & idem numero actus, ut una eademque eleemosyna, possit simul habere duas oppositas moralitatis species, id est bonitatem simul, & malitiam, aliam quidem ex una parte, v. g. ex objecto, aliam autem ex alia parte, puta ex fine. II. an saltem unus idemque actus possit duas habere moralitates ejusdem generis, v. g. duas bonitatis, aut malitiæ species. Ut certa ab incertis secernantur,

Not. I. Conveniunt pene omnes, eundem numero actum posse successive esse moraliter bonum, & malum, & e contra. Sic potest aliquis velle vesci carnibus tempore licito, & volitionem hanc eo etiam tempore continuare, quo carnium esus illicitus sit: atqui tunc unus est, idemque actus in genere physico, cum, ut supponitur, interruptus non sit; & tamen diversus est in esse moris, transitque ab una moralitatis specie in aliam.

Not. II. Certum etiam est eum, qui e duobus, quæ simul concurrerent, præceptis, graviori neglecto, sciens, & volens minus observaret, eliciturum esse actum simpliciter malum; quia juxta S. Augustinum, vult Deus, *ut potius potiora, & minus minora diligamus*; ergo.

Not. III., & id quoque extra controversiam est I. circumstantiam mortaliter malam totum actum vitiare, ut si quis non celebret Sacrum, nisi lucri intuitu. II. actionem intrinsece, & ratione objecti malam, non posse ulla cohonestari circumstantia, unde statim inferebamus eum semper peccare, qui mentitur, ut proximo vitam conservet. Quæstio igitur procedit de intentione, aliave circumstantia venialiter mala, an totam actus, cui jungitur, substantiam ita corrumpat, ut in eo actu unica solum reperiatur moralitas, eaque mala, quæ totam objecti de se boni bonitatem auferat. Quæ difficultas ut solvatur,

Not. IV. malam circumstantiam actioni de se bonæ dupliciter annecti posse: I. *antecedenter*; cum in actum influit ut causa ipsius, si quis v. g. jejunet, ut laudetur ab hominibus. II. *concomitanter*, cum actioni de se bonæ, & bonum in finem directæ accedit in operis decursu aliquid mali; ut si quis, inchoato bonum in finem jejunio, gloriam inanem inter jejunandum concipiat, vel aliqua veniali impatientia, tædio parvo, distractione afficiatur. His præmissis sit

CONCLUSIO I. In actu, qui bonus est objective, malus vero ratione finis, unica est moralitas, nempe finis malitia, quæ in objectum ejus redundat, ejusque bonitatem moralem omnino destruit. Ita S. Thomas in 2. dist. 38. q. 1. art. 4.

Prob. I. ex Scriptura. Qui orant, jejunant, sublevant pauperes, ut videantur ab hominibus, *receperunt mercedem suam*, vani vanam (*Matth.* 6.), ut breviter explicat S. Augustinus (*Conc.* 12. *in Ps.* 118.): atqui si mala intentio non vitiaret substantiam eorum orationis, jejunii, &c., possent aliam mercedem recipere, ut per se patet.

At, inquies, actus prædicti fiebant ex hypocrisi, quæ cum peccatum sit mortale, non mirum est, si vitiet illud omne, cui admiscetur.

R. Hypocrisis, quam increpat Christus, multoties saltem debuit esse venialis, cum qui humanæ laudis intuitu operantur, sæpe non peccent nisi venialiter. Et certe cum verba Christi generalia sint, & indistincta, cur absque necessitate restringentur ad eam solam hypocrisim, quæ peccatum est mortale?

Prob. II. Si actio illius, qui ob vanam gloriam mendico stipem erogat, bona esset, utique ratione objecti: atqui hæc actio ne ratione quidem objecti bona est. Ut enim hæc actio non sit etiam objective bona, sufficit, ut objectum actionis hujus non sit eleemosyna simpliciter, sed eleemosyna prout ad malum finem relata, quæ ut talis non potest esse moraliter bona: atqui res ita se habet. Hæc enim actio cum sit electio, habet pro objecto medium non in se simpliciter, sed ut conducens ad finem; ergo objectum ejus non est pure eleemosyna, sed eleemosyna materialiter sumpta, & prout peccati instrumentum, quod sane malum est.

Obj. I. Ibi duplex est moralitas, ubi bonitas objecti non destruitur per malitiam finis: atqui in actu eleemosynæ ob vanam gloriam datæ bonitas objecti non destruitur per malitiam finis. Finis enim, utpote extrinsecus objecto, bonitatem ejus destruere non potest; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. maj. Finis est quid extrinsecum in genere entis, C. in genere moris, N. Quod enim transit in rationem objecti specificantis, non est objecto extrinsecum in ratione moris: atqui finis malus transit in rationem objecti specificantis. Tunc enim objectum intenditur ut medium, adeoque ut habens ordinem ad malum finem: quod autem consideratur reduplicative ut ordinatum ad malum, non nisi pro malo haberi potest.

Inst. Qui instante præcepto dandi eleemosynam, eam erogat ex motivo inanis gloriæ, implet præceptum, & melius facit, quam qui nihil dat: atqui nec præceptum impleret, nec melius ageret quam alter, si eleemosyna ejus ex malo fine vitiaretur: præcepta enim non nisi per actus bonos implentur, &c.

R. dist. maj. qui pauperi ex vanæ gloriæ motivo succurrit, implet præceptum *materialiter*, quatenus materiam, seu substantiam actus lege præceptam ponit, C. implet præceptum *formaliter*, & adæquate, quasi illud omne faciat, quod Deus fieri præcepit, N. Unde licet minus peccet, quam qui nihil dat, si tamen proprie loqui velis, non melius facit, quia neuter formaliter bene facit; & ideo comparativum *melius* est de subjecto non supponente.

Ergo, inquies, in tali eleemosyna duplex erit malitia, una ex fine vitiante, altera ex objecto vitiato: atqui hoc ridiculum est, alioqui in omni fere actu duplex simul occurreret peccatum.

R. Aliqui fatentur hic duplicem reperiri malitiam, ob rationem in objectione allatam; sed alii unicam tantum admittunt, vanæ scilicet gloriæ, quæ totam hanc actionem vitiat, ad instar fermenti, quod totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit: unde ut in massa non alia est corruptio, quam fermenti, sic & in hujusmodi actionibus una solum est malitia, quæ finem afficit intrinsece, & objectum extrinsece.

Obj. II. Ex opinione nostra sequitur, I. hominem justum, qui martyrium ex aliquo gloriolæ motu subiret, omni cariturum esse merito, imo peccaturum; II. eum, qui ex eodem motivo Baptismum susciperet, gratia donandum non esse: atqui absurdum consequens; alioqui vix homo ullum eliciet opus, quod bonum sit, cum vix ulla sit e nostris actionibus, cui non aliquid misceatur imperfecti, & *quasi pannus, menstruatæ* sunt *universæ justitiæ nostræ*, Isaiæ 64. 6.

R. neg. min. neque enim absurdum est, ut qui verum martyrium non subit, Martyrii gloria, & aureola frustretur. Unde S. Hieronymus in c. 1. Epist. ad Galat. *Martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationi, & laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est*. Imo aliqui existimant profusionem vitæ, & sanguinis in tali casu esse peccatum mortale; quia licet inanis gloria secundum se sit tantum veniale, vitam tamen ex inanis gloriæ motivo prodigere est mortale, sicut se absque aliquo bono fine morti exponere.

Pariter qui ex malo fine Baptismo se donari permitteret, characterem reciperet, non autem gratiam, quæ certas prærequirit dispositiones in adultis, ut alibi docent Theologi.

Neque tamen animis cadendum est: tum quia juvante gratia facile est se, suaque in Deum referre; tum quia non omnis circumstantia mala operi bono adveniens, suam ipsi malitiam communicat, ut statim dicemus, sed eam tantum, quæ est actionis causa, quam agens sibi proponit, quæ virtutis actus eligit ut medium ad iniquitatem, quæ peccatum exercet sub pietatis umbra, &c.

Quod objicitur ex Isaia, nihil probat: non enim loquitur Propheta de justitia eorum, qui sincere Deum timent, sed de exteriori Judæorum impiorum justitia, seu justificatione, ut loquitur S. Paulus Heb. 9.; hæc autem justitia cum mera esset hypocrisis, & dolus, Deo placere non potuit.

CONCLUSIO II. Circumstantia venialiter mala adveniens actui bono totam ejus bonitatem non aufert. Ita communior, & probabilior opinio.

Prob. I. Si quævis circumstantia venialiter mala in ipsos etiam virtutis actus irrepens, totam eorum bonitatem extinguat, vix ullus erit actus meritorius; quia vix ullus est actus bonus in viris etiam sanctis, licet caute vigilantibus, qui non aliqua vitiosa circumstantia, teporis, v. g. tædii, impatientiæ, gloriæ, &c. veluti terreno halitu obnubiletur: atqui falsum & nimis durum consequens; imo & Patrum doctrinæ, & solito, ac suavi summi Provisoris agendi modo repugnans. Etsi enim Sancti se servos esse inutiles

les fatentur, haud tamen despondent animum, sed bonis operibus incessanter insistunt, scientes, quod scrutator renum, & cordis separabit pretiosum a vili, & ita bonorum operum sordes velut paleas igne Purgatorii examinabit, ut quod inde supererit, pro auro mundo habiturus sit.

Prob. II. a priori. Idem sit de cæteris actibus judicium, ac de actu illius, qui sic comparatus est, ut nolit quidem prædicare nisi propter Dei gloriam, aut eleemosynam dare nisi propter sublevationem pauperis a Deo præceptam, & qui ad illa opera promptius determinari solet, & velut inescari proprii amoris titillatione: atqui sic prædicans, sic succurrens pauperi edit opus bonum, quamvis non omni ex parte defœcatum. Illud enim opus est vere bonum, in quo agens juvante gratia bonum sibi proponit finem, & in eum tendit medio proportionato: atqui hoc contingit in proposito casu, bonum enim est gloriam Dei per verbi ministerium procurare; ergo.

At, inquies, malitia circumstantiæ supervenientis bonum hoc corrumpit.

R. neg. ant.: mala enim circumstantia, de qua loquimur, non influit in bonum actum, neque est ejus causa efficiens, aut finalis præcipua. Quapropter quod hic dicitur circumstantia, non tam est circumstantia, quam actus plane diversus, qui secundum se malus est, dum alter secundum se bonus est, licet hocce consortio minuatur ejus bonitas.

Obj. I. Quod rectæ rationis dictamini consentaneum non est, bonum esse nequit; atqui objectum de se quidem bonum, sed mala vitiatum circumstantia, eo ipso desinit consentaneum esse rectæ rationi. Recta enim ratio præcipit, ut bonum bene fiat: sed bonum, quod malis vestitur circumstantiis, bene non fit; ergo.

R. ad 1. dist. min. Objectum de se bonum desinit rectæ rationi consentaneum esse, si ordinetur in malam circumstantiam ut purum medium, C. si quæratur præcipue propter bonitatem suam intrinsecam, subd. non est rectæ rationi consonum, nec bene fit omnino, & adæquate, C. nulla ex parte consonat rectæ rationi, & fit male penitus, N. Itaque si bonum opus assumatur ut medium purum vanitatis, & peccati, haud dubium est, quin actio secundum se totam vitietur, & eo pejor fit, quod bonitas iniquitatis ministra constituitur: sed si circumstantia habeat se per modum accessorii, nec impediat quominus agens rem, reique honestatem præcipue intendat, tunc etiam pro certo tenendum videtur, actionem hanc, etsi imperfectam, non omni sua justitia excidere. Quis enim credat eum, qui ex justa necessitate, & ut Deo validius servire queat, cibum sumens non nihil insidianti voluptati indulget, iis illico annumerandum esse, qui contra Dei gloriam agunt? Si res ita sit, dicendum est cum Calvinianis, nullam moraliter loquendo esse hominis actionem, quæ peccatum non sit.

Inst. Si talis actus esset aliqua ex parte bonus, idem actus esset simul meritorius, & demeritorius. Falsum consequens.

R. neg. maj. Tunc enim non tam unus est, & idem actus, quam actus duo, qui se invicem comitantur.

Obj. II. Actus bonus est actus virtutis: sed actus virtutis nulla potest esse ratione malus.

R. dist. min. Actus virtutis, id est actus prout a virtute procedit, non potest esse malus, C. id est actus prout est a voluntate, quæ deficit, aut a malo habitu, qui se ingerit, non potest aliquid sordidum contrahere, N. Quæstio non est, an actus virtutis, prout a virtute procedit, malus esse queat; sed utrum imminui possit per aliquam circumstantiam malam, v. g. gloriam inanem, nec tamen quoad substantiam tolli. Hoc secundum asserimus, seu potius contendimus hominem, qui gratia motus aliquid agit, & simul cupiditate irrepente lacessitus, eidem paulo plus indulget sensu sæpius exposito, peccare quidem dum malo titillanti consentit, sed nihilominus aliquid promereri; quia non desinit in bonum finem per bonum medium tendere.

CONCLUSIO III. Unus idemque actus potest simul habere duas bonitatis, aut malitiæ species, unam ex objecto, alteram ex fine.

Prob. 1. Malitia, & bonitas actus sumuntur ex ejus difformitate, vel conformitate cum ratione: atqui unus idemque actus potest multis simul modis rationi difformis esse, vel conformis. Cum enim quis furatur ut se inebriet, duplex in eo actu reperitur deformitas, alia quidem ex objecto, re scilicet aliena, quæ tollitur, alia ex fine, ebrietate nimirum, quam fur intendit; ergo a pari cum quis eleemosynam tribuit pauperi, ut peccata sua redimat, duplex in eo actu occurrit bonitas, alia misericordiæ, altera vero pœnitentiæ.

Prob. II. Ideo, juxta Vasquem, in actu, qui bonus est ratione objecti, & finis, duplex non est bonitas, quia bonitas objecti destruitur per ejus relationem ad ulteriorem finem, quatenus talis objecti bonitas non est volita ratione sui, sed ratione alterius: atqui hæc ratio, ejusque probatio nullius est momenti. Si enim bonitas objecti destruatur ea ejus relatione ad finem ulteriorem, non erit majoris meriti eligere ad finem charitatis opera excellentioris virtutis, quam alterius minus eximiæ, imo quam actus de se indifferentes: quia cum bonitas moralis hujusmodi objectorum pro nihilo reputetur, sed desumatur tota a fine, qui semper idem remanebit, perinde valebit jejunium unius diei, ac actus martyrii, quod absurdum est.

Dices: qui opus aliquod pietatis eligit propter pœnitentiam, opus illud non appetit propter se, sed ut medium ad pœnitentiam: atqui medium, ut medium non habet rationem boni honesti, quæ soli fini convenit, sed tantum boni utilis; ergo qui tale opus eligit, nullam in eo invenire potest bonitatem, quam finis.

R. neg. min. nam, ut bene ait Angelicus Doctor in 1. dist. 1. q. 2. art. 1. ad 3. *non est inconveniens, ut aliquid propter se ametur, & tamen ad alterum ordinetur*. Et ratio est, quia id, quod ad aliud ordinatur, ut eleemosyna ad satisfactionem pro peccatis, suam propriam honestatem, atque bonitatem ha-

bere potest: unde non habet rationem puri medii, qualis est in medicina, quæ non nisi ob sanitatem diligitur, sed finis intermedii; ac proinde est bonum utile, prout ordinatur ad aliud, & bonum honestum ratione sui; ergo duplicem necessario habet bonitatem, aliam ratione finis, aliam ratione sui.

## SECTIO TERTIA.

*De augmento moralitatis per actum exteriorem.*

QUæritur an executio actus exterioris, v. g. erogatio actualis eleemosynæ (*S. Thom.* 1. 2. *q.* 20.) supperaddat aliquid bonitatis efficaci ejusdem actus desiderio. Idem respectu malitiæ de furto, furtique voluntate dicendum. Ut status quæstionis plenius intelligatur,

Not. I. Certum est apud omnes, actum exteriorem interiori conjunctum veram habere bonitatem, vel malitiam, quia tunc est liber, & rationi conformis, aut difformis. Unde in Evangelio præcipiuntur, aut prohibentur, commendantur, aut vituperantur actus exteriores; cum tamen Christus non præcipiat, aut laudet nisi quod bonum est, nec prohibeat, aut vituperet nisi quod moribus bonis adversatur.

Not. II. certum est etiam actum internum sæpe diutius continuari propter actum exteriorem. Sic qui vult homicidium perpetrare, ejusdem homicidii voluntatem protrahit, dum media ad scelus suum, arma, comites, occasionem inquirit: de hac additione, utpote quæ accidentalis sit, non movetur difficultas.

Not. III. Certum etiam est actum interiorem sæpe augeri, & intendi per exteriorem. Sic v. g. actualis voluptas, quæ ex ebrietate, aut impuris criminibus, dum fiunt, misere percipitur, fornicationis, aut excessivi potus affectum intensiorem, seu ardentiorem efficere solet. Neque de hac intensione controvertitur, sed potius de extensione; seu quæritur, an bonitas, aut malitia formalis actus exterioris diversa sit a bonitate, vel malitia actus interioris, a quo imperatur, adeo ut melior sit actio illius, qui eleemosynam dat de facto, quam ejus, qui eam dare vult, & non potest defectu facultatis, vel occasionis. Sit

CONCLUSIO. Actus exterior, prout est mera executio actus interni, non adjungit ei bonitatem, aut malitiam in ordine ad præmium, vel pœnam essentialem, adjungit tamen in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem. Ita S. Thomas in 2. dist. 40. q. 1. art. 3.

Prob. 1. pars I. ex Scriptura, quæ non minus laudat, aut redarguit, quæ quis sincere, & plene facere voluit, quam si de facto ea fecisset. Sic Genes. 22. dicit Deus ad Abraham: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*; & tamen Abraham de facto filium suum non occiderat. Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo*. Quæ verba expendens S. Bernardus Epist. 77. cap. 2. ait: *Quid planius*, inquit, *quam quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas*.

Prob. II. Si actus exterior aliquem bonitatis gradum superadderet actui interno, posset quis alium privare aliqua bonitate morali, & per consequens præmio essentiali, quod ipsi correspondet; potest enim quis per vim impedire, ne alter Sacro intersit, aut eleemosynam det pauperi: atqui falsum consequens; alioqui dona gratiæ, & gloriæ fortunæ vicibus, & furum violentiæ obnoxia forent, ut & ipsa exteriora bona; ergo.

Prob. II. pars: 1. ex communi Theologorum sensu, qui post S. Thomam *In 4. dist.* 49. *q.* 5. *ar.* 3. docent, eos, qui sola voluntate martyres sunt, posse quidem mereri æquale, & majus præmium essentiale, quam qui reipsa patiuntur pro Christo, quia possunt majori affici charitate; non tamen præmium accidentale, quod supra aureolam vocavimus, quia hæc non redditur nisi exteriori passioni.

Prob. II. Præmium essentiale est conjunctio animæ ad Deum per visionem, & amorem fruitivum; præmium vero accidentale est gaudium de quocumque bono creato: sed qui actum externum, v. g. eleemosynam posuit, de ejus positione gaudebit in cœlis, qui vero ponere voluit, & non potuit, de positione ejus gaudere non poterit; ergo licet ambo conveniant in præmio essentiali, different tamen in accidentali. Idem a contrario dicendum de reprobis, qui licet conveniant in pœna essentiali, quæ est separatio a Deo, different tamen in accidentali, quia qui actu de facto peccaverunt, cruciabuntur non de eo solum, quod male voluerunt, sed de eo etiam, quod male fecerunt; & de omnibus malis, quæ externas suas iniquitates consecuta sunt.

Obj. I. Qui voluit furari, aut adulterari, & non potuit, de omissione hac Deo gratias habere debet; atqui nulla esset ratio cur tales ageret gratias, si actus exterior nihil superadderet mali; ergo.

R. neg. min. est enim semper cur Deo gratias habeat, quia abstinuit ab opere, quod animo conceperat: tum quia (*Sylvius*) *vix fieri potest, ut voluntas opere externo non augeatur*, tum quia opus externum accidentali pœna non ab hominibus solum punitur, sed a Deo; tum quia ex actu exteriori generantur pravi habitus, qui ad similes actus inclinant, incurritur infamia, irregularitas, &c.

Obj. II. Si actus exterior nihil conferat ad bonitatem, tantum recipit gratiæ, qui martyrium sincere quærit, quam qui illud subit reipsa, item qui Sacramentis refici optat, quam qui iisdem actu reficitur; aut qui jejunare vellet, & non potest, quam qui jejunat de facto: atqui hæc falsa sunt, præsertim de Sacramentis, quæ percepta gratiam conferunt ex opere operato, quam in voto solum non conferunt.

R. neg. maj. Ratio est, quia martyrium ex singulari Dei privilegio, & velut ex opere operato plus proficit cum revera sustinetur, quam cum desideratur. Idem a fortiori dicendum de Sacramentis, quorum actuali receptioni alligata est, ex Christi institutione gratia quædam particularis, quæ ex eorumdem desiderio non producitur. De hac efficacia, quæ certis operibus a Deo indita est, non loquimur, sed de opere operantis, quod si solitarie sumatur, non plus

tacretur.

meretur præmii essentialis, cum operi externo conjungitur, quam cum ab eodem involuntarie separatur.

Quod si quæras, cur martyrio, dum actu toleratur, hæc privilegia data fuerint, recurrendum est ad simplex Dei beneplacitum. Potest tamen hæc afferri convenientia, quod per actuale martyrium homo privetur vita, & statu, in quo amplius mereri possit, non autem per solum martyrii desiderium: unde æquum fuit, ut Deus, qui ab homine non vincitur in benefactis, ex sua parte compensaret id, quod homo ea alia sibi præripere videtur: & hæc compensatio in aliis Sanctis occurret; etsi enim qui stipem dare non potuit, de ea data lætari non possit, gaudebit tamen, & remunerabitur de mœrore, quem inde percepit.

Ad id, quod additur de jejunio, fateor seriam jejunandi volitionem non minus gloriam mereri, quam ipsum jejunii exercitium; sed caute cavendum meliorem tamen esse conditionem illius, qui revera jejunat, quam qui solum vult jejunare: tum quia actus exercitus efficit, ut bona voluntas diutius continuetur, & sæpe intendatur; tum quia homo licet per solum jejunii desiderium mereatur, per illud tamen, aut alia similia non satisfacit eodem modo, ac per ipsum jejunium, quia ad satisfactionem requiritur opus quatenus pœnale, seu vera pœnæ perpessio, quæ in solo actu interiori eodem modo non occurrit.

Obj. III. Ideo juxta nos opus externum non addit novam actui interno malitiam, quia non est imputabile secundum se, sed duntaxat in causa, in qua sola liberum est: atqui fundamentum hoc omnino ruinosum est. Quod enim in se ipso prohibitum est, imputabile est secundum se ipsum: atqui opus externum ut tale prohibitum est, & alio quidem præcepto, quam quo vetitum est ipsius desiderium: si enim dictum fuit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, dictum est, *Non mœchaberis.* Et vero si externum opus novam non adderet malitiam, non teneremur illud confiteri, quia declarato actu interiori, tota actus malitia sufficienter declararetur: atqui hoc repugnat usui, & judicio totius Ecclesiæ.

R. ad 1. neg. min., & dico opus externum non addere novam actui interiori malitiam, quia non est imputabile, seu malum malitia diversa ab ea, quam habet efficax ejusdem operis desiderium; potuisse tamen, & debuisse prohiberi, quia reipsa malum est, & variis obnoxium augmentis, & effectibus, quæ in solo ejus desiderio non reperiuntur.

Quod spectat ad confessionem, dubio procul aperienda est actus externi circumstantia: I. quia ex hac declaratione magis aperitur efficacia, & gradus malæ voluntatis. II. quia aliis peccatis, quæ in corde consummantur, alia iis, quæ foris prodeunt, remedia applicari debent. III. quia actus exterior inducit censuras, onus restituendi, & similia, quæ ex solo actu interiori non consequuntur.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De merito Actuum humanorum.*

VIdendum I. quid, & quotuplex sit meritum, & an homo mereri possit. II. quænam sint actionis meritoriæ conditiones. (*S. Thom.* 1. 2. *q.* 114.)

### SECTIO PRIMA.

*De essentia, & existentia Meriti.*

MEritum hic definitur Opus bonum præmio, seu retributione dignum. Sed quia retributio bono operi multis modis deberi potest, multiplex distinguitur meriti genus: aliud *de congruo*, cum præmium debetur non ex obligatione justitiæ, sed ex decentia quadam, & liberalitate, ac, ut ita dicam, ex honestate præmiantis; aliud *de condigno*, cum præmium debetur tanquam merces ex justitia. Si opus, cui ex justitia debetur merces, habeat æqualitatem cum mercede, sine gratia ex parte remunerantis, erit meritum de condigno rigoroso: si vero operis valor, & dignitas remunerantis gratia nitatur, erit meritum de condigno ordinario. Quæritur an homo mereri possit. Quæstio non movetur de merito rigoroso, quod soli Christo competit; actiones enim nostræ in gratia fundantur, suntque dona Dei, & aliunde ita ipsi debitæ sunt, ut omnes sibi vindicare possit: agitur ergo de merito simpliciter quidem dicto, sed tamen minus rigorose sumto; sit

CONCLUSIO. Homo per gratiam operans, *vere*, & proprie meretur. Est de fide contra Protestantes

Prob. I. Merces respondet merito proprie dicto, juxta id Augustini Epist. 194. *Quod est merces operanti, hoc militanti stipendium*: atqui Scriptura variis in locis docet reddendam esse a Deo mercedem justorum operibus. Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cælis*; ergo Scriptura docet æquivalenter hominem mereri: imo exosum Calvino meriti nomen admittit expresse, ut Eccli. 16. *Misericordia facit unicuique locum, secundum meritum operum suorum*. Jam vero meritum simpliciter, & absolute dictum significat meritum de condigno ordinario, quia meritum de congruo non est veri nominis meritum: aliunde autem meritum rigorosum puræ creaturæ non convenit; ergo.

Confirm. Quod datur a Deo ut justo Judice; quod datur ex justitia, illud datur ob meritum de condigno: atqui vita æterna datur.... juxta id Apostoli II. ad Timot. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex.*

Prob. II. ex Patribus. S. Cyprianus Lib. de unit. Eccl. *Præceptis Dei obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem.* S. Augustinus cit. Epist. 194. n. 6. & 20. *Nulla ne sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt; sed ut justi fierent, merita non fuerunt.... Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Quæ verba si quid, certe meritum proprie dictum significant.

Objiciunt Novatores I. quod omnia justorum opera sint peccata : adeoque nihil mereri possint. II. quod hominis merita Christi meritis detrahant.

Sed utrumque plane falsum est. Quomodo enim opera, quæ Deus fieri districte jubet, quæ eo inspirante fiunt, quorum ipse est *merces magna nimis*, peccata dici possunt? II. quomodo merita, quæ vim totam suam habent a meritis Christi, & quæ sine ejus influxu nulla sunt, ejusdem gloriam diminuere possunt? Certe hinc maxime commendatur virtus Christi, quod non solum mereri potuerit, sed etiam suis meritis vim nobis ad merendum obtinere.

Objicit II. Wollebius (*Comp. Christian. Theol. p. 107.*) meriti conditiones hoc expressas disticho: *Da tua, sed quæ non debes: proportio & adsit. Non aliter meritum dixeris esse tuum*: atqui homo I. nihil potest dare, quod suum sit, cum nihil habeat, quod non acceperit. II. nihil indebitum, cum innumeris titulis se totum, suaque Deo debeat: unde si etiam, qui omnia sibi præcepta fecerunt, dicere debent: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus* (*Luc.* 17.). III. nihil mercedi proportionatum, quia ex Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones* nostræ *ad futuram gloriam*.

R. hoc argumento probari quidem opera nostra, non eodem esse modo meritoria, ac opera Christi, seu de rigore justitiæ, non autem ea veram ex Christi gratia dignitatem non habere, cui posita Dei ordinatione merces debeatur : hoc autem meriti nomine intelligimus cum universa Traditione, ut bene ostendit Illustrissimus Bossuet in Lib., cui titulus *Exposition de la doctrine de l' Eglise*, &c. num. 7. Vid. Trid. Sess. 6. c. 16.

Textus Lucæ, quem confidentius jactant Heterodoxi, nihil omnino probat : loquitur enim Christus de iis, qui sola præceptorum sibi impositorum executione contenti, nihil ultra in Dei gloriam operantur, & consilia negligunt. Ii porro præsertim se pro inutilibus servis habere debent; quia inutilis servus dici solet, non is solum, qui nihil facit, sed & is etiam, qui expleto penso suo alia negligit, per quæ domino suo placere posset, aut qui quæ facit, non facit nisi quia facienda sunt, non autem corde magno, & animo volenti: quo sensu ait Apostolus (1. *Cor.* 9. v. 16. & 17.): *Si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit*; sed *si volens* seu promte, & alacriter *hoc ago, mercedem habeo*. Etsi ergo secundum has explicandi rationes ex humilitate, & justitia agnoscere debemus nos servos esse inutiles, haud tamen omni merito, & utilitate caremus. Unde juxta S. Chrisostomum cum dicimus : *Servi inutiles sumus*, dicit Christus : *Euge serve bone, & fidelis*; unde etiam II. ad Timot. 2. qui se emundaverit a peccatis, dicitur *vas in honorem, & utile Domino*. Quorum omnium hæc est ratio, & conciliatio, quod *tanta est erga omnes homines* Dei (*Trid. sup.*) *bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona* : reipsa enim nobis, qui natura servi sumus, poterat Deus, quod vellet, præcipere, & nihil rependere mercedis.

## SECTIO SECUNDA.

### *De conditionibus ad Meritum requisitis.*

Ex conditionibus ad meritum requisitis aliæ se tenent ex parte actus meritorii; aliæ ex parte hominis merentis; aliæ demum ex parte Dei, apud quem meretur. Si de merito condigno agatur, necesse est ex parte actus, ut sit liber, bonus, & in obsequium Dei; ex parte operantis, ut sit & viator, & in statu gratiæ; demum ex parte Dei, ut operi, & operanti certam promiserit mercedem. Ad meritum de congruo nec opus est statu gratiæ, nec promissione Dei. Quæ omnia ut paulo fusius confirmentur, sit

CONCLUSIO I. Ad meritum quodcumque requiritur, ut actus sit liber, etiam a necessitate. Est de fide.

Prob. Merito debetur merces : atqui debitum non oritur nisi ex eo, quod unus dat alteri id, quod suum erat; jam vero eatenus potest homo Deo aliquid dare, quod suum sit, quatenus dat ei aliquid, cujus dispositio in sua libertate est; ergo.

Obj. Potest Deus acceptare ad vitam æternam opera etiam necessaria; & id de facto fecit, cum mortem SS. Innocentium licet non liberam acceptavit ad martyrium; ergo ad meritum non requiritur, ut actus sit liber.

R. neg. consеq. Si enim Deus actibus necessariis aliquid promisisset, ii tamen actus reipsa meritorii non essent, nec vita eis redderetur tanquam merces, sed ut donum pure gratuitum. Unde Infantes pro Christo occisi, non magis dici possunt martyrii aureolam promeruisse, quam qui accepto Baptismate moriuntur, vitam æternam mereantur.

(✠) Quamquam doctissimus Auctor hic, & Conclusione secunda Articuli secundi cap. 1. *De libero* secundum Catholicæ Ecclesiæ fidem statuat ad meritum, & demeritum requiri *libertatem a necessitate*; tamen non censet necessitatem, quæ *moralis*, vel *infallibilitatis* ab iis, qui gratiam efficacem ab intrinseco cum SS. Doctoribus August., & Thoma tuentur, dicitur veræ libertati esse contrariam. Enimvero, ut egregie observat eruditissimus Vincentius Contenson lib. 8. dissert. 5. §. 3., nil clarius tradidere laudati Doctores Augustinus, & Thomas, quam esse in homine lapso veram a necessitate libertatem, eamque in hoc statu ad merendum, & demerendum omnino prærequiri, licet aperte fateantur, & doceant, quod „ hæc gratia, quæ occulte humanis „ cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro „ corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis „ duritia primitus auferatur „. Lib. de præd. SS. cap. 8.

„ Quis peccat, *inquit S. Augustinus lib. de libero* „ *arb. cap.* 17., in eo, quod nullo modo caveri po„ test? Peccatur autem? caveri igitur potest. Vo„ luntatis arbitrium, *pergit S. Doctor lib. de peccat.* „ *merit. & remiss. cap.* 18., quod huc, atque illuc „ flectitur. Dicimus potestatem, ubi voluntati ad„ jacet facultas faciendi; *rursus lib. de spirit. & lit.*

„ *lit. cap.* 10. Unde hoc quisque in potestate habe„ re dicitur, quod si vult, facit; si non vult, „ non facit. *& lib. de nat. & grat. cap.* 66. Quæ„ cunque est ista causa voluntatis, *inquit*, si non „ potest ei resisti, sine peccato ceditur; si autem „ potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An „ forte fallit incautum? Ergo caveat, ne falla„ tur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino „ non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. „ Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo mo„ do potest? Peccatur autem? caveri igitur po„ test. „ Idem repetit Sanctus Augustinus lib. de duab. anim. cap. 22., at clarius libertatem hanc ad merendum, & demerendum necessariam docet lib. de vera Relig., ubi ait: „ Animæ rationali, quæ „ est in homine, dedit Deus liberum arbitrium; „ sic enim posset habere meritum, si voluntate, „ non necessitate boni essemus. Quum ergo opor„ teat voluntate, non necessitate bonum esse, opor„ tebat, ut Deus daret homini liberum arbitrium. „ Tales servos suos Deus meliores judicavit, si ei „ servirent liberaliter; quod nullo modo fieri pos„ set, si non voluntate, sed necessitate servirent. „ Hactenus S. Augustinus.

Cui subscribit S. Thomas q. 6. de malo. „ Di„ cendum, quod quidam posuerunt, quod vo„ luntas hominis ex necessitate movetur ad ali„ quid eligendum, nec tamen ponebant, quod „ voluntas cogeretur, non enim omne necessa„ rium est violentum. Hæc autem positio est *hæ„ retica*; tollit enim rationem meriti, & deme„ riti in humanis actibus; non enim videtur esse „ meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic „ ex necessitate agit, quod vitare non possit. „ Est etiam adnumeranda inter extraneas Philoso„ phiæ opiniones; quia non solum contrariatur fi„ dei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ „ moralis. „

Hanc confirmat veritatem S. Doctor innumeris in locis, ac potissimum 1. 2. quæst. 13. art. 6., ubi ait, quod „ homo non ex necessitate eligit; „ & hoc ideo, quia quod possibile est non esse, „ non necesse est esse: quod autem possibile sit „ non eligere, vel eligere, hujus ratio ex du„ plici hominis potestate accipi potest; potest enim „ homo velle hoc, aut illud. Et ideo homo „ non ex necessitate, sed libere eligit.

Hinc mirari subit, quod nonnulli in dubium revocare voluerint non posse componi libertatem a necessitate, cum infallibili divinæ gratiæ operatione, cumque efficacissima gratiæ suavitate! „ Il„ lud enim solum, *inquit citatus Contenson*, præ oculis „ habendum est gratiam liberum arbitrium, quod „ ad Deum convertit, non auferre, sed trans„ ferre, non inferendo necessitatem, sed inspi„ rando Dei dilectionem „. *Inclinatio gratiæ*, docet Sanctus Thomas 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2., *non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, & peccare*. Quandoquidem gratia Christi ut ut per se efficacissima, liberum hominis arbitrium non destruit, sed perficit; quapropter Sanctus Cœlestinus Papa epist. ad Episc. Galliæ hæc habet: „ Quo utique auxilio, & mu„ nere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed „ liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pra„ vo rectum, de languido sanum, de impruden„ te sit providum. (✠)

CONCLUSIO II. Ut homo quocumque modo mereatur, requiritur opus bonum, & quidem supernaturaliter.

Prob. 1. pars. Opus, quod bonum non est, vel est malum, vel indifferens: atqui neutrum mereri potest vitam æternam. Non 1., nam *stipendia peccati mors* (*Rom.* 6.) Non 2., tum quia opus indifferens mera est chimæra; tum quia, si quod esset hujus generis opus, illud non præmio magis, quam pœna dignum foret.

Prob. 2. pars: I. ex Concilio Trid. Sess. 6. Can. 1. 2. & 3. cap. 16., ubi docetur, quod sine Christi gratia, & virtute, *quæ bona hominum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur*, eadem opera *nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent*. II. quia inter medium, & finem, meritum, & premium quædam esse debet æqualitas, & proportio: atqui inter opus naturale, & præmium supernaturale nulla est proportio; ergo.

Quæres I. an opus, ut meritorium sit de condigno, debeat esse supererogationis.

R. negative; imo contraria opinio erronea est: I. quia juxta Tridentinum nihil justificatis deest, *quominus plene illis operibus, quæ in Deo sunt facta.... vitam æternam.... vere promeruisse censeantur.*: atqui ea etiam opera, quæ supererogationis non sunt, sed præcepti in Deo sunt facta; ergo per ea homo vitam æternam promeretur. II. Lucæ 6. dicitur, *Diligite inimicos vestros.... & erit merces vestra multa*: atqui hic promittitur, & rependitur merces iis etiam operibus, quæ sunt præcepti; non enim consilii solius est inimicorum dilectio, ergo.

Quæres II. an actus cujuslibet virtutis sit in homine justo de condigno meritorius; an non potius ad meritum de condigno requiratur, ut actus sit a charitate elicitus, aut imperatus.

Multiplex est Theologorum ea de re sententia. Prima eorum est, qui docent opus quodlibet hominis justi moraliter bonum, etiam in ordine naturali, esse de condigno vitæ æternæ meritorium.

Secunda eorum est, qui cum Suare censent nullum opus, quod duntaxat sit moraliter bonum, vitæ æternæ meritorium esse, nisi in finem supernaturalem referatur, secus si ad eum finem referatur, seu per caritatem, seu per aliam virtutem infusam.

Tertia sententia, pergit Gonet, asserit nullum actum virtutis infusæ, & multo minus virtutis moralis acquisitæ, esse de condigno vitæ æternæ meritorium absque aliquo imperio, seu relatione saltem virtuali charitatis, eique soli deberi præmium essentiale beatitudinis: *aliis autem virtutibus, nisi ab illa imperentur, præmium duntaxat accidentale concedi*. His positis breviter

R. I. Habitualis in finem supernaturalem relatio, sive concomitantia habitus caritatis non sufficit, ut

actus

actus virtutis acquisitæ, seu ut opera, quæ solum sunt moraliter bona, sint æternæ vitæ meritoria,

Prob. I. ex Tridentino, quod postquam dixit Christum *in ipsos justificatos jugiter* influere *virtutem, quæ bona eorum opera semper antecedit, & comitatur; & subsequitur*, addit: *sine qua nullo pacto, Deo grata, & meritoria esse possent* (*Sess. 6. c. 16.*); atqui opera etiam moraliter bona hominis justi non fiunt ex virtute, quam Christus in ea influat.

Prob. II. Dantur in homine justo verba, & facta otiosa: atqui si charitatis concomitantia singulas hominis justi actiones dirigeret in Deum, jam homo justus otiose non ageret, quia is solum agit otiose, cujus actio caret fine debito: nullum autem justi opus debito careret fine: quandoquidem ex ipsa subjecti ratione in Deum dirigeretur; ergo.

Objiciunt I. quod merces promittatur ei omni, *qui fecerit voluntatem* Dei (*Matth. 12.*); hanc autem voluntatem facit, qui virtutum etiam naturalium actus elicit. II. quod justus se, suaque omnia saltem aliquando per actum charitatis in Deum retulerit, & aliunde ita sit in Deum affectus, ut actualiter in Deum referret id omne, quod agit, si de referendo cogitaret. Sed hæc non urgent; unde

Ad 1. dist. Ei omni, qui fecerit voluntatem Dei, promittitur merces essentialis, aut accidentalis, idque si agat modo mercedi proportionato, C. secus, N. In objectis Scripturæ locis supplenda est conditio, quam alibi diserta exprimit Christus, ut nempe non quibusvis operibus promittatur merces, sed iis, quæ fiunt in nomine Christi. Sic Matth. 19. *Qui reliquerit patrem, & matrem .... propter nomen meum vitam æternam possidebit*, & Marci 9. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, non perdet mercedem suam*. Porro non agit modo mercedi proportionato, qui non nisi opus naturale elicit.

Ad 2. dici posset relationem præteritam, & moraliter interruptam non satis habere virium, ut actus pure naturales ad meriti supernaturalis dignitatem elevet. Idem a fortiori dicendum de relatione mere possibili, & quæ de facto nec existit, nec extitit. Fatendum tamen non deesse insignes Thomistas, qui ad hoc ut homo in singulis suis actibus de condigno mereatur, existimeat sufficere actum illum, quo homo in primo justificationis suæ instanti se, suaque omnia in Deum retulit ex charitate, ut paulo post ostendam.

R. II. Illa omnia hominis justi opera sunt vitæ æternæ meritoria (*Sylvius*), quæ actu, vel virtute fiunt ex imperio charitatis, sive sint actus virtutis infusæ, sive acquisitæ.

Prob. quia nihil hujusmodi operibus deest, quominus meritoria sint, cum fiant in gratia, & ex gratia, quatenus a charitate imperari supponuntur. Et vero, si homo, dum manducat, & bibit, hæc ad Deum propter se dilectum referre potest; quidni propter hæc remuneretur?

R. III. Ea solum hominis justi opera de condigno merentur præmium essentiale, seu possessionem Dei, quæ a Charitate imperantur; cætera vero, quæ aliquid meriti habent, nonnisi præmium accidentale merentur.

Prob. I. ex S.Thoma, qui in cap. 2. epist. 1. ad Corinth. hæc expendens verba: *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, hæc habet: *Præmium laboris nostri attenditur primo secundum formam charitatis, cui respondet merces essentialis ...... secundo ex specie operis*, & huic respondet aliqua prærogativa *præmii accidentalis*. Qui textus opinionem nostram integre complectitur.

Prob. II. Quæ vitam æternam merentur, merentur etiam charitatis augmentum: atqui soli actus a charitate eliciti, aut imperati ejusdem augmentum mereri possunt: tum quia id habitibus omnibus commune est, ut non augeantur, nisi per actos proprios; tum quia actus aliarum virtutum non sunt perfecti satis, adeoque tale augmentum de condigno mereri non possunt.

Alias omitto probationes, quarum aliæ nimis probant, aliæ vix quidquam. Imo multi ex nobilioribus S. Thomæ discipulis opinionem modo propositam ita explicant, ut justus per singula, quæ facit bona opera, mereri debeat; quia, inquiunt, ut actio a charitate imperata censeatur, ac proinde de condigno vitam æternam mereatur, sufficit actus ille, *quo homo in primo instanti justificationis, diligendo Deum ex* charitate, *totam suam vitam retulit in ipsum, omnesque actus suos ad eum referibiles. Cum enim bonorum actuum operatio sit executia talis propositi, virtualiter ipsum includit, nisi per peccatum mortale talis intentio revocetur, vel interrumpatur*. Ita Gonet. disp.2. art.5. in fine §. 6. Sed quidquid sit de ea expositione, semper hortabor eos, qui thesauros meritorum cumulare volent, non modo ut ex imperio charitatis singula, quantum poterunt, operentur, sed & ut suos quoscumque actus persæpe ad Deum referant, quia non constat eosdem sufficienter sanctificari per relationem, quæ in primo justificationis instanti fieri supponitur. Plus sane post S. Bonaventuram in 2. sent. dist. 41. a. 1. q. 3. exigit his verbis Cardin. Bellarminus: *Non sufficit, ut opus virtute referri dicatur ad Deum, si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia sua futura opera in Deum: sed necesse est, ut illud ipsum opus particulare referatur in Deum, quod postea faciendum est*. Et tunc etiamsi homo de Deo non cogitet, opus illius in Deum virtualiter referetur.

CONCLUSIO III. Ut opus sit meritorium, debet fieri in obsequium Dei.

Prob. Meritum respicit retributionem, prout a certa persona debitam: atqui merces nec debetur, nec a certa persona exigi potest, nisi actio ad ipsam dirigatur, & in ejus obsequium cedat. Unde S. Thomas hic q. 21. art. 3. *Retributio secundum justitiam fit alicui ex eo quod agit. in profectum, vel nocumentum alterius*.

CONCLUSIO IV. Ad meritum ex parte merentis requiritur status gratiæ. Est contra Bajum, qui propositione inter damnatas 13. docet *opus bonum, citra gratiam adoptionis factum esse regni cælestis meritorium*, additque id nonnisi a Pelagianis negari.

Prob. I. Joan. *Sicut palmes*, ait Christus, *non potest ferre fructum a semetipsa, nisi manserit in vite: sic*

*ut vos, nisi in me manseritis*: atqui homo peccator non manet in Christo, quia solum manet in Deo, (1. *Joan.* 4.) *qui manet in charitate*; ergo peccator, quandiu est in statu peccati mortalis, ferre non potest fructum, cum præsertim, qui vitam æternam mereatur. Hinc opera omnia etiam supernaturalia, quæ sine gratia habituali fiunt, vocantur mortua.

Prob. II. Ad meritum requiritur ex parte remunerantis promissio: atqui Deus non nisi justificatis vitam æternam promisit. Nam vita æterna promittitur ut hæreditas: atqui hæreditas pertinet solum ad filios juxta id Apost. Rom. 8. *Si filii, & hæredes*.

CONCLUSIO V. *Mereri, & demereri pertinet ad statum viæ* (*S. Thom.* 22. *q.* 13. *art.* 4.): seu ad meritum requiritur status viatoris.

Prob. ex Scriptura Eccle. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas*, & iterum: *Mortui.... non habent ultra mercedem*. Eccli. 14. *Ante obitum tuum operare justitiam*; quia nempe, ut ait Christus Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*. Eccle. 11. Ubi *ceciderit* lignum, *ibi erit*. Si autem homo eo in statu debeat perpetuo manere, in quo eum mors apprehenderit, nihil post mortem mereri potest: hinc beati non merentur, licet eorum orationes ex præcedentibus meritis, & divina acceptatione vim habeant impetrandi.

CONCLUSIO VI. Ad meritum de condigno requiritur ex parte Dei pactum de danda mercede.

Prob. I. ex Concilio Senonensi in decr. fidei. c. 16., ubi hæc habet: *Facit tandem omnis misericordia locum unicuique juxta meritum operum suorum, non absoluta condignitate.... sed gratia magis, & liberali repromissione*: atqui si bona opera citra pactum æternæ vitæ meritoria forent, mercedis hujus retributio magis rependeretur absolutæ eorum condignitati, quam gratuitæ Dei repromissioni; ergo.

Prob. II. Meritum de condigno ex parte hominis inducit obligationem mercedis ex parte Dei; cum quisquis meretur jus habeat ad id, quod meretur: atqui Deus ex sua solum promissione ad remunerandum hominem obligari potest. Prob. min. ex S. Augustino Serm. 158. *Debitor factus est Deus, non a nobis aliquid accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit promittendo. Aliter enim dicimus homini: Debes mihi, quia promisisti mihi: & aliter dicimus, Debes mihi, quia dedi tibi*: Eadem ferme habet in Psalm. 109. Unde sic: Ex Augustino qui constituitur alterius debitor, & obligatus ad aliquid ei reddendum, constituitur debitor, vel accipiendo, vel promittendo: atqui ex eodem Augustino Deus non potest constitui debitor hominis aliquid ab eo accipiendo; cum homo nihil Deo dare possit, quod ab eo non acceperit; ergo superest ut constituatur debitor promittendo.

Prob. III. quia nulla alia potest reddi ratio præter ordinationis, & promissionis divinæ defectum, cur I. non mereamur nobis de condigno perseverantiam, & auxilia efficacia, sicut vitam æternam; II. cur animæ defunctorum non mereantur in Purgatorio, aut animæ Patrum antiquorum non merecentur in Limbo per bona opera, quæ tunc ab iis fiebant, quæque non minus præmio erant proportionata, quam quæ nunc a nobis eliciuntur: idem dicendum de Enoch, & Elia, quos bene multi nunc non mereri contendunt.

Obj. I. Falsum est ad rationem meriti de condigno necessarium esse, ut inducat obligationem remunerandi; ergo ruit totum præcedentis assertionis fundamentum. Conseq. patet; prob. ant. Obligatio hæc neque necessaria est ad rationem meriti, ut meritum est, cum non requiratur ad meritum de congruo, neque ad rationem condigni, ut condignum est, cum ratio condigni nihil aliud dicat, quam æqualem præmio valorem, qui a promissione, utpote actioni meritoriæ extrinseca, non pendet.

R. ad 1. neg. ant. Ad 2. dico obligationem remunerandi necessariam esse, si non ad rationem meriti ut sic, aut ad solam condignitatem, saltem ad rationem meriti, prout est de condigno, quia juxta nos mereri vitam æternam condigne, est mereri mercedem, non quæ retribui posset, sed quæ de facto retribuenda est. Ad hoc autem requiritur acceptatio Dei, ejusque promissio.

Ad 3. dist. Ratio condigni nihil dicit quam valorem, si condignum sumatur intrinsece pro solo rei pretio, quod ad vitam æternam acceptari potest, vel non, C. si sumatur intrinsece, & extrinsece, prout ad eam de facto acceptatur, N. Hic porro meritum accipimus pro opere, quod certo, & infallibiliter coronandum est, nisi per peccatum subsequens retractetur: atqui nullum opus aliunde, quam ex promissione Dei habere potest ut certo, & infallibiliter coronetur; ergo.

Obj. II. Se habet bona actio in ratione meriti, sicut mala in ratione demeriti: atqui opus malum pœnam meretur citra quodlibet Dei pactum; ergo.

R. neg. maj. Disparitas est, quod qui peccat, Deum non faciat sibi debitorem, cum Deus non obligetur ad puniendum; sed potius se Deo, divinæque justitiæ debitorem faciat, unde peccata dicuntur *debita*, quatenus ex iis acquirit Deus jus peccatores puniendi ob injuriam sibi illatam. At cum de merito agitur, Deus ipse fit debitor, & in eum jus quadantenus acquirit homo, ita ut juxta Augustinum dicere possit: *Feci quod jussisti, redde quod promisisti* (*In Ps.* 83.) itaque sicut a se tantum habet homo quod peccet, ita & se Dei debitorem sine ullo pacto constituere potest: at vero Deum ipsum sibi debitorem efficere nequit, nisi ex parte Dei præcedat talis debiti fundamentum, quod est ipsa Dei promissio sub operis conditione.

CONCLUSIO VII. Ad meritum de congruo requiritur I. opus bonum in ordine supernaturali; II. liberum; III. ab homine viatore elicitum; IV. in obsequium Dei. Ratio est, quia sine his conditionibus nullum opus Deum movere potest ad præmii supernaturalis retributionem. Non requiritur vero absolute status gratiæ sanctificantis, aut promissio Dei (*Act.* 10.), cum Cornelius suis eleemosynis, & orationibus meruerit, & obtinuerit aliquid, quod Deus ipsi non promiserat.

Etsi vero conditiones eæ non *absolute* requirantur ad meritum de congruo, haud tamen negandum est, eas aliquando intervenire: nam Ezech. 18. v. 21. Deus peccatori pœnitenti veniam promittit, quam pecca-

tor

cor, utpote nondum justus, de congruo solum mereri potest. Pariter Jacobi 5. dicitur, *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua*: ubi requiritur status justitiæ ad hoc ut quis alteri mereatur, & tamen homo, qui aliis meretur, meretur solum de congruo. Denique apud omnes constat hominem sibi non mereri donum perseverantiæ, nisi sit justus; constat quoque neminem donum hoc aliter mereri, quam de congruo.

De objecto meriti non dicemus hoc loco, quia de eo disseruit Tournelii abbreviator in Tract. de Gratia.

# TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

MOrum regula duplex, *exterior*, lex scilicet, de qua subinde disseremus; & *interior*, nempe conscientia, & synderesis, quibus dirigitur intellectus moralis. Materiam hanc, quæ Theologiæ moralis basis est, ac fundamentum, & cujus ope solvuntur casus omnes dubii, id est innumeri prope, ab accurata rerum definitione, & divisione auspicabimur.

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid, & quotuplex Conscientia.*

ANima rationalis voluntate constat, & intellectu, quas inter facultates ille est ordo, ut voluntas intellectui subsit, & sine prævia ipsius cognitione operari nequeat: intellectus autem vel eas attingit veritates, quæ ad mores nihil faciunt, & vocatur *speculativus*; vel circa eas veritates occupatur, quæ moribus bene instituendis inserviunt, & vocatur *practicus* seu *moralis*. Intellectus moralis vel attingit prima, & generalia morum principia, v. g. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*, Matth. 7., & tunc *synderesis*, seu *synteresis* vocatur; vel principia hæc in casu particulari applicat, monetque quid hic & nunc faciendum sit, aut quid bene factum sit, vel male, & tunc dicitur *conscientia*. Unde synderesis definiri potest primorum bene vivendi principiorum cognitio. Conscientia vero Judicium actuale practicum dictans quid in particulari faciendum sit, aut omittendum, quidve fieri, aut omitti debuisset.

I. quidem est *judicium*; unde pertinet ad eam animi facultatem, cujus est judicare, intellectum nempe, ut plures volunt: quamquam aliqui conscientiæ motus, ut arguere, & remordere, ad intellectum revocari facile non possunt.

II. judicium *actuale*; & sic distinguitur a synderesi, spectata prout est habitualis, ac velut ingenita generalium principiorum cognitio: ipsa enim actualis primorum principiorum cognitio est vere synderesis, & habitus esse non potest.

III. practice *practicum*: conscientia enim non cognoscit solum, sed dirigit, nec dirigit modo solum generali, ut synderesis, quam ideo appellant aliqui judicium *speculative practicum*, sed hic & nunc: unde

IV. additur, *dictans quid in particulari &c.*, quibus verbis iterum distinguitur conscientia, tum a synderesi, tum a prudentia generali: synderesis enim versatur circa prima principia practica, prudentia ex iisdem principiis generales conclusiones deducit, conscientia vero ea ad particularem materiam applicat. In hac v. g. ratiocinatione: *Non est faciendum aliis id, quod nobis nolumus fieri; ergo non est retinendum id, quod est alterius; ergo non est retinenda, sed restituenda hæc pecunia, quæ per usuram parta est, ideoque est aliena*: prima propositio pertinet ad synderesim, secunda ad prudentiam universalem, tertia ad conscientiam, quæ ideo vocatur a S. Antonino *concludens scientia*.

V. denique, *dictans quid debuisset fieri*: conscientia enim non versatur solum circa futura, sed etiam circa præterita, vel ea approbando, ut II. Corint. 1. *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ*; vel ea redarguendo, qualis est conscientia damnatorum, quorum *vermis non moritur*.

Hinc colliges I. synderesim esse quidem internam actuum humanorum regulam, sed magis remotam, cum generaliter tantum legem proponat; conscientiam vero, licet sit secundaria, prout a synderesi dependet, esse regulam proximam, & immediatam, quia legem applicat in particulari. II. synderesim esse regulam infallibilem, quia versatur circa universalia principia, quæ per se notà sunt; conscientiam vero errori obnoxiam esse, quia fieri potest, ut bona principia male applicet, aut ad legem non satis attendat, prout docet Sanctus Thomas quodlib. 8. q. 6. art. 3.

Conscientia multipliciter dividitur: nam I. ratione sui, seu judicii, quod fertur, dividitur in præcipientem, consulentem, & permittentem. Prima dictae aliquid esse de præcepto; secunda ostendit aliquid esse de consilio; tertia aperit aliquid mere permissum esse, nec consuli, nec prohiberi.

II. Ratione objecti dividitur in veram, quæ etiam bona, & recta dicitur; & malam; quæ falsa, & erronea nuncupatur. Conscientia *vera* ea est, quæ dictat licitum esse, vel illicitum, quod revera licitum est, aut illicitum: *erronea* vero, quæ e contrario dictat licitum esse, quod lex prohibet, aut illicitum, quod lege omni permittitur. Et hæc vel est erronea vincibiliter, seu ex errore, qui expelli potuit, & debuit; vel invincibiliter, seu ex errore, qui expelli non potuit, de quo supra c. 1. de vol. & invol. sect. 2.

III. Ratione principii, vel assensus dividitur in certam, & incertam. *Certa*, seu *tuta* ea est, qua quis prudenter, & sine formidine saltem rationali judicat hic, & nunc aliquid bonum esse, vel malum: talis fuit conscientia Jacob accedentis ad Liam, quam prudenter judicabat esse uxorem suam. *Incerta*, quæ

ab

aliis dicitur *non tuta*, & *dubia*, est ea, qua quis ita judicat aliquid esse licitum, ut simul judicet illud posse esse illicitum: unde in eo, qui talem habet conscientiam reperitur hæsitatio, ac indeterminatio mentis, judicium suum circa utramque contradictionis partem sospendentis, adeoque non uni potius, quam alteri parti essentientis. Mens autem suspensa manet, vel qoia pares, & æqualis utrinque ponderis rationes ei occurrunt, quibus quesi in æqoilibrio cootinetor, & tunc dicitur *dubia positive*: vel quia nulla ei occurrit assenriendi, vel dissentiendi ratio, & tunc dicitur *dubia negative*. Tunc tamen melius diceretur nesciens, vel ignorans: oeque enim quærenti an Turca saltet, vel dormiat, legitime respondeat aliquis, *Dubito*, sed melius, *Nescio*; alioquin iterum interrogatus quam hebeat dobitandi rationem, nihil respondere potest. Imo conscientia quælibet dubia, non nisi improprie conscientia vocatur: conscientia enim debet esse definitum aliqood animi judicium, & dictemen; ubi autem mens suspensa manet, ibi definitum esse judicium non potest.

IV. Dividitur in scrupulosam, & latam. *Scrupulosa* ea est, qua mens levibus nixa fundamentis judicat, aut timet, oe quid mali subsit in actione bona, vel indifferenti, puta ne peccet ambulando super paleas, quæ decussatim positæ crucem efformant. Conscientia scrupulosa differt I. a recta, ut per se patet. II. a dubia, in hac enim est suspensio judicii, non in illa. III. ab opinione, quia opinio oritor ex fundamentis non contemnendis. Conscientia *lata* ea est, qua mens exilibus fulta ratiunculis licitum esse putat id, quod malum esse deprehendi facile potest, aut quæ grave peccatum pro levi haber. Utraque conscientiæ species ad erroneam pertinet; sicut & conscientia tum *pharisaica*, quæ magna parvi, & parva magni facit, tum *cauteriata*, quæ propter longam in malo consoetudinem ita obduruit, ut vulnus suum non sentiat.

V. Dividitur in probabilem, & improbabilem. Hæc vel nullis, vel levissimis rationibus innititur: illa gravi quidem motivo nititur, sed tamen fallibili; unde dicitur fundari in opinione probabili. De his conscientiæ speciebus, potissimum vero de probabili, sigillatim tractandum. Sit itaque

## CAPUT SECUNDUM.

### *De conscientia erronea.*

SUppono I. licitum non esse agere contra conscientiam rectam, quæ præcipit aliquid boni, aut prohibet aliquid mali. Talis enim conscientia vel est ipsamet ratio recta, vel eidem rationi conformis io re non libera: atqui a recta ratione in materia necessaria discedere non licet; ergo.

Suppono II. licitum esse agere contra conscientiam rectam consuleotem. Sic licet non servere virginitatem, nubendo; non servare paopertatem, ut eam servant Religiosi &c., quia ipsamet recta ratio dictat hæc fieri posse, aut omitti.

Quæstio igitur est. I., an peccet, qui conscientiam erroneam sequitur. II. quale sit ejus peccatum; III. quid observandum cum eo, qui erronea conscieotia laborat. Sit

CONCLUSIO I. Non peccat qui agit ex conscientia invincibiliter errante, imo peccat qui contra eam agit.

Prob. 1. pars: quia ut quis in hoc casu peccaret, necessum esset, ut ignorantia invincibilis non excusaret a peccato; atqui falsum consequens ex dictis. *Vid. sup. c. 1. de vol. & invol. sect. 2. in resp. ad Obj. III.* Hinc S. Thomas Quodlibet 8. q. 6. ar. 15. *Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, sive excusandi; quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur.* Neque solum vim excusandi habet error, sed & actionem materialiter malam immutandi in actum virtutis, virtutis, inquam, illius cujus esset actio, si objectum a parte rei haberet se ut apprehenditor: undo si quis ut innocenti vitam servet, æquivocationibus uti necessarium credat, actum eliciet misericordiæ, non autem vel peccaminosum, a quo *absolvit* error inculpatus, vel indifferentem, quia is fingi nequit.

Sed cave privilegia hæc non esse nisi erroris vere inculpati: unde nec ex erronea conscientia, nec ex fine laudabili excusantur culpæ eorum, qui Officium sæculare, vel ecclesiasticum, quod ut par est obire non valent, etiam non quæsitum suscipiunt. Eorum enim error saltem in causa voluntarius est; quia deboerunt coram Deo pensare quid valerent, quid ferre recusarent humeri: debuerunt viri prudentis, qui eos ex plena interioris hominis manifestatione cognosceret, judicium sequi.

Prob. 2. pars. Ille peccet, qui vult peccatum: sed qui agit cootra conscieotiam etiam errantem, vult peccatum. Ille enim vult peccatum, qui facit id, quod judicat esse peccatum: atqui agens contra conscientiam; &c.

Confirm. ex Apost. Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est:* atqui hæc Apostoli verba significant id omne esse peccatum, quod est contra conscientiæ dictamen, pruut eperte ostendit contextus, in quo egitur de iis, qui cibos quosdam præ aliis prohibitos esse credentes, iis tamen vescebantur: *Qui* vero sic *discernit* inter cibos, ait Apostolos, *si* nihilominus *manducaverit damnatus est, quia non ex fide: Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.*

Hæc tamen secunda pars intelligi debet de actione, vel omissione libera: unde qui Missam audire oon valens crederet se ex hac omissione reum, haud tamen reus esset.

CONCLUSIO II. Qui conscientiam habet vincibiliter errantem, peccat sive contra eam agat, sive non. Peccat quidem contra eam agendo, ut patet tum ex probationibus modo allatis, tum ex cap. 13. *De restit. spoliat.*, ubi generaliter dicitur: *Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.* Peccat quoque agendo secundum ipsam, quia tenetur, & potest eam deponere, cum error supponatur vincibilis. Unde non sequitur ex thesi nostra hominem quandoque

in

in statu tam perplexo constitui, ut sive agat, sive non, peccet: debet enim, & potest errorem suum deponere, sive peritiores consulendo, sive rem profundius inspiciendo, sive statuendo ex principiis generalibus quid facto opus sit. Quod si non suppetat satis temporis, ut error per sapientum consultationem, aut plenius rei examen deponatur, tunc eliciendus est actus contritionis de priori ignorantiæ peccato, eaque eligenda pars, in qua minus apparet esse mali; & sic culpa ulterior non imputabitur, quia error e vincibili fiet invincibilis, cum & actu excuti nequeat, & causa ejus retractata fuerit, & quantum hic, & nunc fieri potest, a peccato recedatur.

Quæres I. an conscientia plus obliget, quam præceptum Superioris.

R. Vel conscientia est recta, vel dubia, vel erronea.

Si primum, major est obligatio conscientiæ, quam cujuscumque præcepti humani, juxta id Act. 4. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*.

Si secundum, subditus, qui dubitat rectum ne sit, an malum id, quod sibi a Superiore præcipitur, eidem obsequi debet; v. g. si præcipiat Superior, ut subditus ob morbum, cujus gravitas dubia est, a jejunio, vel Horis abstineat. Ratio est, quia vir prudens debet in ambiguis obsequi judicio Superiorum, quos Deus sui loco posuit, & quos Dei loco subditus agnoscit, & colit; ergo inferior dubium (quo perseverante agere non posset) deponere tenetur, ne ejus scrupulis, & ambiguitatibus cassa, & inanis reddatur auctoritas superioris; & ne multis scandali, & ruinæ detur occasio.

Si tamen superior ea præcepti alioqui gravis allegaret motiva, quæ post serium coram Deo examen debilia viderentur, tum inferiori ipsimet, tum aliis, qui ad minus tam graves essent, quam ipse Superior, non illico parendum esset, sed quandoque resistendum: puta si Superior parum solide probet sibi competere jus quædam per se, vel per alios Sacramenta ministrandi secularibus. Et ratio est, quia non hic dubium duntaxat, sed opinio militaret contra Superiorem. Unde patet in criticis hujusmodi circumstantiis habendam esse rationem tum personæ præcipientis, tum præcepti impositi, tum mali, aut boni, quod inde proximo eventurum sit.

Quod si conscientia subditi sit erronea, sed invincibiliter, ita ut nullæ appareant rationes, quibus ea deponi possit, sequendum est dictamen conscientiæ, & relinquendum Superioris præceptum. Si v. g. subditus vidit aliquam legem Pontificiam, quæ revocata quidem est, sed cujus ipse revocationem non cognoscit; Superior vero, qui contra eam aliquid jubet, ignorat legem hanc aliquando latam fuisse, subditus conscientiam suam, non autem Superioris præceptum sequi debet, quia lex illa proponitur menti inferioris tanquam vinculum, quod nec tolli potest ex parte Superioris, qui in lege Pontificia dispensare non potest; nec ex parte subditi, qui cum ignorantia invincibili laboret, errorem suum deponere nequit.

Si vero conscientia subditi erronea quidem sit, sed tantum vincibiliter, subditus eam deponere tenetur, & superioris mandatum adimplere. Sequitur ex dictis.

Quæres II. an gravius peccet qui agit contra conscientiam errantem, quam qui secundum eam operatur.

R. neutrum esse simpliciter altero gravius, sed pro diversitate materiæ unum aliquando gravius esse, aliquando aliud. Si v. g. credas te teneri ad mentiendum, ut proximi vitam conserves, & non mentiaris, reus eris homicidii, quia omittis rem gravem, ad quam te obligari putas; si vero, mentiaris, non nisi officiosum, ac proinde veniale mendacium committes. Sed si e contra credideris teneri te sub veniali ad furandum, ut succurras pauperi, venialiter tantum peccabis non furando, mortaliter vero, si gravem summam subripias.

CONCLUSIO III. Peccatum contra conscientiam invincibiliter erroneam est mortale, si conscientia dictet ipsum esse mortale; veniale vero, si conscientia illud non nisi veniale esse dicat, sive interim actio sit bona in se, aut mala, sive mala graviter, vel leviter.

Prob. quia in hisce actionibus tale est peccatum, quale voluntas ipsum vult: atqui voluntas vult peccatum aut grave, aut leve, cum fertur in objectum, quod judicat esse graviter, aut leviter malum; ergo qui spuit in Templo, peccat mortaliter, si conscientia dictet id esse peccatum mortale; venialiter vero, si dictet peccatum esse veniale, & nullatenus, si dictet, quod revera est, nihil ibi esse peccati.

CONCLUSIO IV. Peccatum contra conscientiam vincibiliter errantem tale est, qualis apprehenditur materia, circa quam versatur: ita ut si materia ut gravis apprehendatur, grave sit peccatum: si ut levis, leve; modo quod apprehenditur ut leve, non sit reipsa grave.

Prob. 1. pars. Peccatum actionis, quæ fit contra conscientiam errantem, nascitur ex modo, quo voluntas vult idem peccatum; ergo si voluntas vult peccatum, quod mens ex errore judicat esse in materia gravi, graviter peccabit, &c.

Prob. 2. pars. Materia gravis sufficit ad peccatum mortale, nisi error conscientiæ tollat consensum: atqui error vincibilis, utpote voluntarius, consensum hunc tollere non potest; ergo scholasticus, qui credit se mortaliter peccare, si levem summam parentibus furetur, mortaliter peccat; & adhuc mortaliter peccat, si grandem summam furando existimet se leviter solum peccare, quia is error facile deponi potuit.

Quod si conscientia errans dictet quidem aliquid esse malum, sed non determinet, sitne mortaliter malum, an venialiter duntaxat, peccat mortaliter quisquis contra conscientiam hanc operatur. Ratio est, quia censetur velle peccatum actioni suæ conjunctum, qualecumque illud sit.

Cæterum qui contra conscientiam erroneam peccat, non incurrit censuras, & pœnas, quas incurrit qui contra conscientiam rectam agit. Si quis v. g. Laicum percutiat, quem Clericum credit, non subjacet

jacet excommunicationi, quam incurrunt, qui scienter percutiunt Clericum. Pariter irregularitatem non contrahit, qui celebrat credens falso se esse excommunicatum.

CONCLUSIO V. Cum quis erronea conscientia laborat, aliæ sunt obligationes ex parte ipsius, aliæ ex parte Confessarii.

Quod spectat ad eum, qui erronea conscientia laborat, tenetur eam deponere, non temere, sed prudenter. Conscientiam temere deponit, qui ad ejus dictamen non advertit, sed vel alio convertit animum, vel mediis improportionatis utitur. Sic enim non deponitur conscientia, sed ex levitate contemnitur, ut ab iis fit, qui dicunt Deo, Job. 21. *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Conscientiam erroneam prudenter deponit, qui media ad hunc finem idonea assumit. Ea vero sunt: humilis, & frequens oratio, exacta discussio rei totius, lectio Librorum, qui de hac materia solide tractant, consilii a viris doctis, & qui Deum timent, petitio: quæ media sic adhiberi debent ut si prius non sufficiat, ad alterum recurratur; & tunc si adhuc perseveret error, censetur invincibilis.

Monet tamen Sylvius, non teneri hominem totam adhibere diligentiam, quæ humanitus potest adhiberi: unde necesse non est, ut consulantur tot directores, quot ab aliquibus consuluntur; sed sufficit, ut viri aliquot pii, perinde ac eruditi, & laxiorum opinionum minime sequaces interrogentur. Imo generaliter loquendo debet pœnitens obedire Confessario, Parocho, aut Superiori, cum præcipiunt, ut conscientiæ dictamen tanquam erroneum contemnatur: ii enim sunt lumen a Deo concessum, quod deficiente rationis nostræ lumine sequi debemus. Si tamen pœnitens timoratæ sit conscientiæ, & aliunde noverit se scientiam habere Confessarii scientiæ parem, aut superiorem, non tenetur, nec debet sententiam illico mutare, sed actionem suspendere, donec studio, oratione, & multorum consilio rem diligentius indagaverit.

Quod spectat ad Confessarium cum homine, qui erronea laborat conscientia, tractantem, certum est ei mature, & graviter esse procedendum. Aliquando enim tenetur monere pœnitentem de errore, aliquando eundem monendo peccat. Et quidem tenetur eum monere, cum pœnitens interrogat, an talis actio sit peccatum, necne: Confessarius enim doctor est eorum, qui in tenebris sunt; ergo eos, saltem cum illuminari volunt, erudire debet. Adde quod qui Confessarium interrogat, aliquid habeat in mente dubii, ac proinde non laboret ignorantia invincibili: porro cum ignorantia vincibilis est, pœnitens moneri debet, quia non posset per eam excusari. Et hoc verum est, etiamsi Confessarius prævideat monitionem suam pœnitenti profuturam non esse, quia eædem urgent rationes.

Quod si pœnitens ignorantia invincibili laboret, aliquando moneri debet, aliquando non.

Debet quidem moneri I. si spes emendationis affulgeat. II. si ignoret media, vel mysteria ad salutem necessaria. III. si ignorantia ejus versetur circa principia juris naturalis, non primaria solum, quæ invincibiliter ignorari non possunt, sed secundaria: tum quia hæc non facile ignorantur invincibiliter; tum quia eorum ignorantia facile fit vincibilis ob malitiæ suspicionem, quam actio de se mala, & inhonesta ingerere solet: unde adolescens, qui pollutionis malitiam invincibiliter ignoraret (quod fieri posse multi negant) de peccati hujus gravitate monendus foret. Ratio est, quia præterquam talis ignorantia diu durare non potest, homo ille majori cum remorsu peccabit, consuetudinem suam aliis Confessariis aperiet, remedia ejusdem coercendæ edocebitur, & aliquando tandem meliorem ad frugem poterit adduci. IV. si error invincibilis in boni communis dispendium vergat. Hinc invalide ordinatus moneri debet, quia bonum publicum particulari præferendum est. Idem dicendum mihi videtur, si pœnitentis error grave privatis damnum ingeneret: postulat enim charitas, & sæpe justitia, ut grave proximi damnum, cum id fieri potest, avertamus.

Cæterum in hoc triplici casu adhibenda est monitio, etiamsi nihil ab ea sperari legitime possit. Extra hos, similesve casus temperandum, est a monitione, cum hæc nociva magis, quam utilis futura esse prævidetur, adeo ut pœnitens, qui hactenus materialiter tantum peccavit, deinceps formaliter peccaturus præsentiatur, Confessarii monita spernendo. Ratio est, quia extra citatos casus, in quibus agitur de re ad salutem pœnitentis, vel commune bonum necessaria, nemo ad actum inutilem, & a fortiori ad actum periculosum tenetur. Hinc non est monendus pœnitens de nullitate matrimonii, si subsit legitimus timor, ne ea cognita, dispensationem non petat, sed pergat maritaliter habitare cum ea, quam sciet uxorem suam non esse, aut e contra, si præsumatur eum non sine prolis periculo, & proximi offensione, ab uxore sibi invisa discessurum esse.

(✠) Præter casus ab Auctore doctissime expositos animadvertere debet prudens Confessarius, quod si sit a pœnitente interrogatus, vel si in sola pœnitentis potestate sit a peccato abstinere, etiamsi profuturam non prævideat admonitionem, illum nihilominus admonere debet. Quandoquidem Confessarius ex officio est Judex, Medicus, & Doctor, ut legitur in 43. *de R. J. in 6.*, *qui tacet consentire videtur*, & cap. *error* 3. dist. 83. ex Innoc.: *error, cui non resistitur, approbatur, & veritas, cum minime defensatur, opprimitur*. Rursus S. Jo. Chrysost. hom. 44. tom. 3. explicans illud Apostoli, *non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis: Etiam licet*, inquit, *nihil profuissemus, dicere oportet; hoc est enim proprie Testificor, quando non attendentibus loquimur. Ita Moyses &c. ... non enim subterfugi, ut non annunciem vobis omnem voluntatem Dei. Igitur qui non dicit, reus est sanguinis, hoc est cædis: nihil hoc terribilius*. Similiter S. Gregorius cap. 3. de reg. jur.. *Utilius*, ait, *scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*. Vide-sis Elizalde p. 2. lib. 6. q. 20., & Dan. Concina tom. 2. ap. diss. 1. c. 4.

At

At, inquies cum Innoc. III. cap. *quia circa* de consang. & affin. *Dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta cum ex separatione, sicut asseris, grave videris scandalum imminere*; ergo &c.

R. Ad rem non esse Innocentii caput, si integer lib. IV. Decret. tit. XIV. exhibeatur textus, quisque, vel me non dicente, est intellecturus. En textus: *Quia circa*, & intra. *Porro de nobili viro N., pro cujus dispensatione, indulgentia scilicet remanendi cum ea, quæ ipsum quinto consanguinitatis gradu contingit, a Sede Apostolica obtinenda, falsa nobis caussa fuerit allegata, proles videlicet; cum tamen ante dispensationem obtentam, unica filia, quam habebat, viam fuerit universæ carnis ingressa, prout tua consultatio continebat, dissimulare poteris, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere*. Ex hisce aperte constat, Innocentium adprobare dispensationem, quæ alias ob caussam falso expositam nulla erat, ut caveat scandala, quæ ex hujusmodi separatione erant certo oritura, vel saltem novam impertuisse dispensationem, nunquam vero adprobasse Confessariorum silentium in hisce circumstantiis. Verum, etiamsi admitteretur, quod dissimulanda esset a Confessario invincibilis alicujus matrimonialis impedimenti ignorantia, sequitur ne, quod dissimulare debeat Confessarius, quando a pœnitente interrogatur, vel quoties in sola est pœnitentis potestate a peccato abstinere? Minime sane. Nam hisce in circumstantiis est pœnitentem vel in suo errore confirmare, vel pœnitenti non disposito absolutionis beneficium impertiri. (✠)

---

## CAPUT TERTIUM.

### *De Conscientia scrupulosa.*

QUandoquidem ea est scrupulosi hominis calamitas, ut pax animæ ejus continuo perturbetur, ita ut apertum a pietate, aut etiam a sanitate mentis excidendi periculum subeat: idcirco præsentem materiam breviter quidem, sed quam exacte poterit fieri, pertractabimus. Sed ante notandum est, nomine scrupulosorum non hic eos a nobis intelligi, qui ex justo Dei timore non mortalia solum, sed & venialia peccata, imo eorum suspicionem vitare enixe satagunt; ii enim non scrupulosi, sed vere timorati dicendi sunt. Pariter nec ii pro scrupulosis haberi debent, qui ob peccata præterita male, vel leviter confessa anxii sunt: sed ii demum scrupulosi judicandi sunt, qui ex motivo parvi, vel nullius momenti judicant aliquid prohibitum esse, vel præceptum, adeoque qui *illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Psalm. 13.

Quæres I. quibus signis possit homo se scrupulosum judicare.

R. Hæc afferri solent: I. si cum salutis suæ studiosus sit, sæpe tamen dubitet, & in uno, vel multis capitibus anxie alios interroget. Item si variis inquietetur cogitationibus circa fidem, castitatem, aliasque virtutes, contra quas data occasione peccare nollet. II. si non nisi cum timore, & anxietate viri etiam prudentis decisiones sequatur. III. si confessiones ex vero conversionis desiderio, & sincere factas repetere velit, iisque aliquid semper defuisse credat. IV. si viri pii, & in materiis ad mores spectantibus versati, dubia ejus pro scrupulis habeant: tunc enim, etiamsi alia desint signa, pro scrupuloso se habere debet. V. si judicet id, quod in aliis excusat a culpa, sibi illicitum esse: si de omnibus fere, quæ ad se pertineant, dubitare soleat &c.

Quæres II. Quænam sint scrupulosorum causæ.

R. Aliæ sunt *ab intrinseco*, v. g. I. frigida complexio, ideoque formidolosa. II. immoderatæ austeritates, quæ caput, & postea animum infirmant. III. abundantia proprii judicii, quæ relictis etiam saniorum consiliis, cerebri sui visionibus præfracte adhæret. IV. subtilitas ingenii, quod dubitandi rationes invenit, easdem vero præ agitatione sua solvere non valet. V. defectus judicii, tentationem a consensu, veniale a mortali non secernentis. VI. superbia, amor proprius, & confusa quædam inclinatio in eo nos constituendi statu, in quo Deo reddamus quidquid ipsi debitum est.

Aliæ sunt *ab extrinseco*, ut I. conversatio cum scrupulosis. II. lectio Casuistarum, qui satis non penetrantur. III., & sæpius, astutia diaboli, qui jugum Dei suave in asperum transvertere nititur, ut hominem a virtutis via, a celebratione Missæ, a participatione Sacramentorum avertat, aut conjiciat in desperationem; de quo vide apud Lugo (*Disp.* 16. *de Pœnit. Sect.* 14.) historiam juvenis cujusdam nobilis, quoad cætera quidem prudentis, sed plus æquo scrupulosi, qui, *cum confessionem generalem totius vitæ facere vellet, per quindecim dies se ad illam præparavit, & plurima folia de suis peccatis scripsit, quibus legendis multi dies non suffecerunt. Sed neque his contentus novum adhuc examen instituit. Quo facto, cum jam per dies aliquot confiteri cœpisset Vallisoleti .... in eas tandem angustias, confessionis occasione, redactus est, ut ipsemet pugione lethaliter se percusserit, Deo tamen providente, ut ante mortem posset confiteri*. IV. permissio Dei, qui peccata hominis præterita plectere, futura augere præmia, superbiam ex talentis nascituram moderari cupeat.

Quæres III. quæ sint scrupulorum remedia: quam item cum scrupulosis agendi rationem servare debeant Confessarii.

R. varias a variis regulas afferri: nos aliquot exhibebimus desumtas ab auctore non laxo.

I. Confessarius scrupulosos monere debet, quod scrupulosi sint, ideoque secundum scrupulosorum regulas curandi: hoc autem pœnitens, & Confessarius ex signis supra relatis cognoscere poterunt. Porro qui scrupulosus judicatur ab iis, quibus interiora sua sæpius manifestavit, iisdem fidem habere debet, tametsi vir sit doctus: scrupulosus enim raro, vel nunquam scrupulosum se credit, saltem in actu singulari: nec judicat levia esse momenta, quibus hic, & nunc inquietatur.

II. Inculcanda est scrupuloso necessitas obedientiæ

ca-

cææ, quæ sola tanti mali remedium esse possit. Quapropter nisi obedientiam hanc totam spondeat, aut eam assequi serio conetur, dimittendus est, tanquam cujus plaga insanabilis sit. Hæc vero obedientia hinc suadebitur: I. quod scriptum sit Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, & ne sis sapiens apud temetipsum*. Quæ sententia præsertim apud scrupulosos valere debet, qui cum, quatenus scrupulosi, cerebrum habeant paulisper læsum, seipsos dirigere non possunt, sed ab aliis dirigi debent. II. quod judicium suum aliorum judicio anteponere, animi sit elati, & contra modestiæ, prudentiæ, humilitatisque regulas peccantis. III. quod hanc obedientiam sæpe remuneraverit Deus, & propter eam homines a scrupulis liberaverit.

III. Inculcandum est homini scrupuloso id Gersonis: *Debent scrupulosi audacter contra scrupulos operari; alias nunquam pacem habebunt*. Non quod licitum sit scrupuloso contra scrupulum, quem retinet, operari, si per scrupulum intelligatur verum judicium, tamesti futilibus causis innixum; sed quia potest, & debet scrupulosus scrupulum suum explodere, non disputando, non rationes intrinsecas opponendo, sed utendo rationibus extrinsecis, quæ ab auctoritate Confessarii, vel Pastoris desumuntur, aut quæ eruuntur e principiis, quæ in casibus prope, aut omnino similibus a viro pio, & erudito exposita fuere.

IV. Qui scrupulosum dirigit, epikeia, seu rationabili legum etiam divinarum interpretatione uti debet, ostendendo scrupulosos non teneri ad observandas leges, quas sine magna anxietate, & molestia, adeoque sine gravi difficultate observare non possunt. Hinc qui magnas in Horarum lectione anxietates patitur, & continuo formidat, ne hunc, vel illum versiculum omiserit, repetere non debet, nisi sibi certo de hac omissione constet, quia præceptum Ecclesiæ tanto cum incommodo non obligat. Hanc regulam extendit Henricus a S. Ignatio ad eos etiam, qui memoriter recitant, quod difficilius admitterem pro iis, qui malesidam memoriam a natura sortiti sunt.

V. Scrupulosi, qui dubitant, an cogitationibus blasphemiæ, aut impuritatis consenserint, præsumere debent se reipsa non consensisse, saltem si timorati sint, & eo usque abhorreant a peccato, ut illud raro, vel nunquam deliberate admittant. Idem sentire debent, qui ita scrupulosi sunt, ut quidquid sibi venit in mentem, commisisse se credant. Et hoc, ait citatus Theologus, ita verum est, ut procedat etiam in casu, quo scrupulosus existimaret posse jurare se hisce cogitationibus consensum præbuisse.

VI. Scrupulosi, qui circa præteritas confessiones verentur, ne aliquid omiserint, ne circumstantias debite non expresserint, ne absque necessario dolore fuerint confessi, repetere non debent, si post mediocrem diligentiam defectum certo non deprehenderint. Monendi sunt insuper, si timorati sint, & frequenter confiteantur, sufficere iis examen valde mediocre; quia præceptum faciendi examen plusquam mediocre, tunc saltem cessat, cum id exigit justissima causa, qualis ea est, ut quis devitet molestissimas anxietates, quibus alioqui sine dubio torqueretur.

Nec refert, quod aliqua forte peccata hinc omitti continget; quia ex communi Doctorum sensu, ad materialem confessionis integritatem non tenentur, qui eam absque notabili incommodo observare non possunt: neque enim instituta fuit confessio, ut homines conscientias discruciet, sed ut sublevet.

Cæterum hæc de eo scrupulosorum genere dicta sint, qui timoratæ sunt conscientiæ: sunt enim scrupulosi quidam vitæ laxioris, qui in omne malum facile proruunt, & paulo post scelerum furiis, & remorsu agitantur, & iis permitti debet, ut confessiones præteritas repetant, (nisi ex ista repetitione incurrant periculum de novo peccandi). Ratio est, quia talibus prosunt scrupuli, quatenus superbiam evertunt, vivaces passionum stimulos hebetant, & injiciunt frenum, quo mens a peccato retrahitur.

Et hæ sunt, quæ scrupulorum morbo a Confessariis adhibendæ sunt curationes. Alias alii recensent, quæ meditanti facile occurrunt, ut quod plerumque cum scrupulosis benigne agendum sit, ne afflictis addatur afflictio nova; aliquando tamen austere tractandi sint, ut discant parere. Item non patiatur Director, ut sæpius ad se recurrant, eosque etiam non auditos dimittat, quia recursus illi, & colloquia nova sunt scrupulorum propago. Neque etiam permittat eos abstinere a frequentandis, ut decet, Sacramentis, ne priveatur gratia sacramentali, quæ pacandis conscientiis plurimum inservit.

Quod ad pœnitentes scrupulosos attinet, & ii quoque propriæ suæ paci allaborare debent: unde I. sollicite cavere debent omne peccatum. II. frequenter orare, & alia edere pietatis exercitia, præsertim actus amoris, & fiduciæ in Deum: multum enim eo nomine peccant scrupulosi, quod Deum pro exactore austeriori habeant. III. cavere otium, & vagas cogitationes, quæ scrupulis januam aperiunt; adeoque labori sedulo incumbere, ei præsertim, qui plus animum juvat, si aliunde nihil habeat mali. IV. scrupulorum causas evertere, ita ut superbus prudentiæ suæ non innitatur; timidus meditetur bonitatem Dei; melancholicus Medicorum arte bilem atram expellat. V. Directoris consilium sequi sine examine; Directorem, quem pium, & peritum, sive per se, sive per alios esse resciverit, non mutare facile, neque alios interrogare male ne, an bene eafum hunc solverit; haud credere Confessarium non satis intellexisse casum sibi propositum, &c.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Conscientia dubia.*

Licet conscientia dubia non sit proprie conscientia, cum ad conscientiam requiratur judicium, & mens dubitans non judicet, sed potius suspendat judicium, de ea tamen hic agemus, quia nullibi commodius de ea agere licet.

Dubium dividitur: I. in negativum, & positivum, de quibus jam supra (p. 61. č. 1.): ubi notandum est eos allucinari, qui cum Tamburino sentiunt, dubium

bium proprie dictum tunc solum contingere, dum, vel nullæ occurrunt rationes, sive pro una, sive pro altera parte contradictionis, vel non occurrunt nisi leves: nam I. qui dubitat sine ratione, non tam dubium habet, quam nescientiam, ut ibid. animadvertimus. II. qui graves habet rationes circa utramque partem contradictionis, eo ipso conscientiam habet vere dubiam, non autem probabilem, ut male contendunt adversarii. Tunc enim proprie homo est in statu dubitantis, cum mens ejus inter duas contradictionis partes ita est suspensa, ut non magis ad unam partem, quam ad aliam inclinet per assensum: atqui ubi momenta sunt æqualia, aut quasi æqualia, sive gravia sint, sive levia, mens non magis in unam contradictionis partem, quam in aliam ferre se potest per assensum; ergo necessum est eam fluctuantem, & suspensam, ac proinde vere dubiam remanere, eo ferme modo, quo necesse est stateram remanere suspensam, & æquilibrem, dum æqualia in utraque bilance sunt pondera.

Dividitur II. in dubium *pure speculativum*, quo quis dubitat de re, quæ ad mores non pertinet, v. g. de causa fluxus maritimi: *speculative practicum*, quo quis dubitat, an aliqua actio, vel omissio in genere sit licita, vel non, v. g. an die festo pingere liceat, nec ne: & *practice practicum*, quo dubitatur, an actio aliqua hic & nunc cum omnibus circumstantiis suis fieri possit; v. g. an hoc die festo liceat mihi pingere ad exornandam Ecclesiam.

Dividitur III. in dubium juris, & dubium facti. Dubium *juris* est illud, quo quis dubitat, an extet lex seu publica, seu privata, quæ aliquam actionem præcipiat, aut vetet, vel saltem an ea lex legitima sit, & obligatoria: ut cum quis ambigit an Ecclesiæ, vel voti lege teneatur ad jejunandum tali die; an Superior talem conscientiæ casum sibi reservare potuerit. Dubium *facti* est illud, quo quis certus quidem est de lege, sed dubitat de facto, quod legem respicit; ut cum quis dubitat, an votum olim emissum adimpleverit; an Titia, quam vult ducere, sit sibi affinis, vel consanguinea. Idem dubium sub diverso respectu esse potest dubium facti, & juris; vel saltem ex dubio facti sæpe nascitur dubium juris. Dubitat quis v. g. an matrimonium libere contraxerit, en dubium facti: ideoque dubitat, an in hoc casu teneatur ad reddendum debitum, en dubium juris. His præmissis, duo hic expendenda sunt: I. an in dubio negativo, seu juris, seu facti pars tutior tenenda sit. II. an idem dicendum in casu dubii positivi. Sit

CONCLUSIO I. In dubio etiam negativo seu juris, seu facti pars tutior sine peccato omitti non potest. Hoc tamen dubium satis facile potest excuti.

Prob. 1.ª pars: I. quia *Quod non est ex fide, peccatum est*: atqui implicat, ut quicumque in dubio etiam male fundato agit, agat ex fide, seu persuasione, quod actio sua licita sit, cum actu dubitet, an non sit illicita; ergo.

Prob. II. quia peccat, qui vult ponere opus, quod judicat posse esse malum, & offensam Dei: atqui operans in tali dubio vult ponere opus, &c.

Obj. Si peccet homo cum id facit, de quo dubitar an sit peccatum, necne, quisquis de actionis suæ bonitate certus non erit, non poterit operari: atqui falsum consequens; alioqui homo suspensus remanebit, cum certitudinem in moralibus habere nequeat.

R. dist. maj. non poterit homo agere, nisi habeat certitudinem moralem, C. physicam, aut metaphysicam, N. Certitudo triplex, metaphysica, physica, & moralis. Certitudo methaphysica est adhæsio mentis ei veritati, quæ etiam per omnipotentiam Dei aliter se habere non potest: sic certus sum me esse dum cogito. Certitudo physica est adhæsio mentis alicui veritati, quæ secundum consuetas naturæ leges aliter habere se nequit, tametsi absolute aliter se habere possit: sic certus sum hominem, qui in ignem conjicitur, dolorem pati. Certitudo moralis est adhæsio mentis ei veritati, quæ licet aliter esse possit etiam sine miraculo, spectatis tamen circumstantiis omnibus prudenter, & sine probabili errore judicatur talis esse qualis apprehenditur. Talis est certitudo plebis, quæ Parochi minime suspectis catechesibus credit, licet enim non desint exempla eorum, qui a Parochis decepti fuere, ea tamen rariora sunt, & remotiora, quam ut prudenter timeri debeant, & si timerentur, jam nullus esset dubiorum finis, nulla ex dubio emergendi via. Fatemur certitudinem physicam, aut methaphysicam non esse homini necessariam, cum in iis, quæ ad mores spectant, neutra soleat reperiri: at moralem certitudinem, qua dubium excluditur, requiri contendimus: I. quia sine illa exponeret se homo periculo peccandi, faciendo id, quod malum esse posse cognosceret. II. quia talis certitudo facile habetur ab iis, qui fidei, vel etiam rationis lumen consulunt, aut saltem seipsis peritiores consulere non detrectant.

Prob. 2. pars, quod scilicet dubium negativum satis facile discuti queat, adeo ut qui dubitabat, prudenter operari possit. Prob. Prudenter agit, qui nullas habet rationes non agendi, aut saltem tam leves habet, ut eas tanquam leves, & inanes scrupulos abjicere debeat: atqui negative dubitans nullas habet rationes non agendi &c.; statim ergo ac animadvertit, se rebus, ut decet, ponderatis, nullum detegere motivum, quod persuadeat actionem, de qua dubitat, reipsa malam esse, circa eandem tranquillus esse potest.

Confirm. Qui ignorat invincibiliter actionis alicujus malitiam, actionem hanc tuta conscientia exercere potest: sed qui post sufficientem inquisitionem nihil in actione aliqua advertit mali, ejusdem actionis malitiam ignorat: dubium enim negativum, ut supra dixi, non tam est dubium, quam ignorantia, & ignorantia hæc involuntaria est, cum sufficienti rerum examine superari nequit.

Hinc conjux, quæ ex credulitate *levi*, *& temeraria*, non autem *probabili*, *& discreta*, de matrimonii sui validitate, adeoque de illicita debiti exactione dubitat, potest *conscientia levis*, *& temerariæ credulitatis explosa*, *non solum reddere*, *sed etiam exigere debitum conjugale*. Ita Innocentius III. c. 44. *De sent. excomm.*

CONCLUSIO II. Qui de *liceitate* actus positive dubitat ob æqualem, vel pene æqualem momentorum

vim

vim, tenetur partem eligere tutiorem, & ab agendo abstinere.

Prob. I. ex ipsis Gentilibus qui regulam hanc posuere, quam commendat Tullius (*Lib.* 1. *De Offic.*), *Bene præcipiunt, qui vetant quidquid agere, quod dubites æquum sit, an iniquum*: atqui vere dubitat, an actio sua justa sit, vel iniqua, qui non minores circa ejus illicitatem rationes habet, quam circa licitatem. Tunc enim mens vere dubitat, cum inter utramque contradictionis partem ita suspensa manet, ut non magis pro una, quam pro altera parte judicium ferre possit: atqui cum rationes utrinque apparent æquales, mens non magis pro una, quam pro altera parte judicium ferre potest. Nam judicium ferre pro una præ altera, est unam ut veram alteri ut falsæ præponere: atqui cum rationes utrinque sunt æquales, mens unam partem ut veram alteri ut falsæ præferre non potest, sicut cum ratio evidens pro una parte militat, non potest intellectus contra evidentiam hanc judicare; ergo.

Prob. II. ex Scripturis, quæ præcipiunt: I. ut homo *quasi a facie colubri* fugiat *peccatum* (*Eccli.* 22. 2.), ejusque committendi periculo se non exponat: atqui hanc agendi rationem non servat, qui sciens, & volens facit id, quod tam probabiliter judicat esse, quam non esse peccatum. II. ut homo mandata Dei custodiat *nimis* (*Psalm.* 118.), id est cum exquisita sollicitudine: atqui cum hac sollicitudine Dei mandata non custodit, qui vult facere id, quod æque probabiliter est, quam non est contra mandata Dei, sicut artium leges exquisite non servat, qui facit id, quod judicat tam esse posse, quam non esse contra easdem leges. III. ut homo pro peccato reputet id *omne, quod non est ex fide* (*Rom.* 14.), seu quod non est ex conscientia dictante non esse peccatum: atqui quod fit ex conscientia dubia non fit ex conscientia dictante illud non esse peccatum, sed ex conscientia, quæ tam dictat illud esse, quam non esse peccatum; ergo.

Prob. III. ex jure, secundum quod *in dubiis semitam debemus eligere tutiorem* (*cap.* 12. 18. 24. *de homic.*): sed qui versatur in æquali contrariarum opinionum probabilitate, versatur in vero, & proprie dicto dubio, ut patet, tum ex dictis initio hujus Articuli, tum ex S. Thoma, qui expresse id docet q. 14. de veritate art. 1.; ergo tam dubius est, qui graves pro utraque parte rationes æquales habet, quam qui nullas; ergo si agat in sensu composito dubitationis id, *de quo dubitat esse mortale, mortaliter peccat*, ait S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10.

Prob. IV. Qui probabiliter dubitat, an peccatum, quod commisit, mortale sit, an non: item an turpi cogitationi consenserit, nec ne, hoc confiteri debet ex unanimi Ecclesiæ consensu, ut ipse fatetur Caramuel; ergo & qui dubitat, an hæc actio sit mala, ab eadem abstinere tenetur.

Prob. V. Non minus caute, ac prudenter in salutis negotio procedendum est, quam in negotiis temporalibus: atqui in dubio circa res temporales pro imprudenti haberetur, qui partem minus tutam eligeret, dum eligere tutiorem potest; qui v. g. assumeret escam, quam dubitat veneno infectam esse, dum aliam veneni expertem præ manibus haberet; ergo.

Obj. I. Deus non obligat nisi ad abstinendum ab iis, quæ lege sua prohibentur: atqui si pars tutior amplectenda sit in dubiis, quæ adeo frequentia sunt inter homines, abstinendum erit a multis, quæ nulla Dei lege prohibentur; ergo.

R. I. retorq. argumentum. Deus obligat ad abstinendum ab iis, quæ lege sua prohibentur: atqui si teneri possit pars libertati favens contra legem, de qua sæpe etiam, cum vere existit, dubitatur; sæpe fiet, ut non abstineat homo ab eis, quæ Dei lege prohibentur; ergo.

R. II. dist. min. Si pars tutior amplectenda sit, abstinendum erit a multis, quæ non prohibentur lege Dei directa, C., lege Dei reflexa, N. Ut voces motam non faciant, per legem Dei *directam* eam intelligo, de qua dubitatur an existat, nec ne, & quæ re ipsa aliquando non existit a parte rei: legem vero *reflexam* eam dico, quæ præcipit, ut in his dubii casibus amplectatur homo id, quod minus ipsum exponit periculo peccandi. Fateor, quod posita opinione nostra sit abstinendum a multis, quæ lege directa non prohibentur, quia sæpe dubitamus, ubi non dubitaremus si minoribus tenebris involveremur: sed contendo hominem non abstinere tunc nisi ab eo, a quo abstinendum esse præcipit lex reflexa, & generalis; quia illa præcipit, ut in dubio id omittamus, quod grandi, id sectemur, quod nulli est obnoxium periculo.

Obj. II. Quilibet prudenter, & inculpate judicare potest eam partem, de qua dubitat, an prohibita sit, non esse prohibitam. Fieri enim potest, ut viri docti, & prudentes judicent partem hanc re ipsa prohibitam non esse: atqui fieri etiam potest, ut homo aliquis ea omnia percipiat motiva, ex quibus viri illi docti & prudentes judicant partem hanc non esse prohibitam; ergo fieri potest, ut homo ille, sicut & illi, prudenter judicet licitum sibi esse partem hanc amplecti.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. min. Fieri potest, ut homo percipiat omnia motiva, ex quibus viri illi prudenter judicant &c., sed fieri non potest, ut motiva hæc ipsum moveant eodem modo, quo ipsi per motiva hæc moventur, C., & motiva hæc eundem in ipso, ac in illis effectum producunt, N. Itaque motiva, quæ menti meæ præsentia sunt, possunt viros pios in varios assensus inculpate distrahere, sed ad hoc necesse est, ut ex hisce motivis alia aliis graviora, & verisimiliora iisdem viris piis videantur, alioqui non essent extra statum dubii: verum motiva hæc intellectui meo modo longe dispari objiciuntur, nempe ut omnino æqualia: ergo iisdem motivis, quandiu talia remanebunt, determinari non possum ad judicandum hanc contradictionis partem veram esse præ altera; ergo in hoc casu eam debeo partem amplecti, quæ magis a periculo peccandi removet, licet alii, qui in eodem dubii casu non sunt, eam possint partem amplecti, quæ longe probabilior ipsis videtur, ut ex dicendis constabit.

Obj. III. Canones, qui dicunt tutiorem partem in dubiis esse amplectendam, consilii sunt non præcepti.

R. neg. ant. I. quia Canones illi his utuntur verbis:

*Via tutior est eligenda. Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius existimamus, tenere debemus*: atqui verba hæc, si quæ unquam, præceptiva sunt. II. quia citati Canones præcipiunt, ut pars tutior teneatur, eo quod *in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur* (cap. 18. De homicid.): atqui amplecti id, quod nullum habet periculum, eo relicto, in quo magnum timetur, non est consilii, sed præcepti; ergo.

Inst. Saltem dici potest hanc regulam procedere in dubiis facti, non juris; vel in dubiis, in quibus rationes probabiles sunt pro lege, nullæ, vel non nisi leves pro libertate.

R. neg. ant. nam regula de tutiori parte amplectenda procedit in omni casu, in quo timendum est, ne quis periculo peccandi se exponat: id autem timendum est in dubio juris, sicut & in dubio facti.

Quod additur regulam hanc intelligi in dubiis, in quibus rationes nullæ, vel solum leves sunt pro libertate, perinde falsum est. Atque id patet ex cap. 44. *De sent. excomm.* in quo præcipit Innocentius III. *ut cum conscientia* alterius conjugum *pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta*, quod conjugium suum ob aliquod impedimentum dirimens sit nullum, *debitum quidem reddere possit, sed postulare non debeat, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam*. Atqui Pontifex non juberet reddi debitum, ut vitaretur peccatum contra legem conjugii, ne probabiliter quidem validi; nec illud exigi prohiberet, si nullitas ejusdem infirmis, & pene nullis rationibus probaretur; ergo regula tutiorem amplectendi partem tunc etiam urget, cum momenta, quæ libertati favent, nec nulla sunt, nec contemnenda.

Obj. IV. Si in dubio de licitate actionis, ab ea esset abstinendum, lex dubia certam pareret obligationem: atqui id fieri nequit. Lex enim, quæ invincibiliter ignoratur, non potest parare veram obligationem: atqui lex dubia ignoratur invincibiliter, cum dubium deponi non possit.

R. ad 1. dist. maj. Lex dubia non potest parere obligationem certam petitam ex parte ipsius legis, de qua dubitatur, C. petitam ex parte legis generalis, quæ vetat, ne quis exponat se periculo peccandi, N. Cum enim dubito, an hæc, vel illa lex obliget, nec ne, certe non dubito, an in hoc casu eam debeam partem amplecti, quæ magis a peccato removet; adeoque etsi lex, de qua dubito, supponatur non esse satis nota, lex illa generalis partem tutiorem tenendi, non potest supponi non esse satis nota, cum vel ipsis Gentilibus innotuerit, ut ex dictis patet.

Ad 2. neg. min. Qui enim legem ignorat invincibiliter, invincibiliter etiam ignorat malitiam actionis suæ: sed qui positive dubitat de malitia actionis oppositæ legi, malitiam hanc invincibiliter non ignorat, cum ignorantia invincibilis prudens, & probabile dubium necessario excludat.

Obj. V. Si tam stricte urgeat effatum istud: *In dubiis pars tutior tenenda est*, nullius erit usus celebre hoc axioma: *In dubiis melior est conditio possidentis*.

Res. regulam hanc: *In dubio melior est conditio possidentis*, valere posse in materia justitiæ, non autem in aliis, in quibus proinde adhiberi debet regula hæc: *In dubiis pars tutior est eligenda*, vel hæc saltem: *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio*.

Antequam probetur solutio, not. I. possessio est occupatio rei tanquam suæ: unde is rem aliquam possidere dicitur, qui eam veluti suam retinet, & servat.

Not. II. Auctores, qui principium istud: *Melior est conditio possidentis*, non solum in materia justitiæ, sed & in aliis quoque extra justitiam materiis locum habere putant, duplicem distinguunt possessorem, legem scilicet, & hominis libertatem. Possessio, inquiunt, stat pro lege contra libertatem, dum constat de lege, & dubitatur de eo, per quod tollitur obligatio legis: e contra vero possessio stat pro libertate contra legem, dum constat de libertate, & dubitatur de eo, per quod introducitur obligatio legis. Hinc, juxta eos, qui dubitat, an sonuerit hora duodecima inter Sabbatum, & Dominicam, non potest comedere carnes, quia lex abstinentiæ est in possessione die Sabbati; qui vero dubitat, an sonuerit duodecima inter diem Jovis, & diem Veneris, potest carnibus vesci, quia libertas est in possessione die Jovis. Pariter, ajunt, qui dubitat, an votum emiserit, illud implere non tenetur, quia dubitat de lege, non autem de libertate: qui vero certus est de voto, sed dubius de ejus adimpletione, ipsum adimplere tenetur, quia certus est de lege, dubius vero de libertate.

Not. III. præsumptionem haberi ab assuetis, juxta regulam 45. Juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* His præmissis

Dico I. regulam: *in dubio melior est conditio possidentis*, valere in materia justitiæ. Ita Theologi omnes.

Prob. I. ex consensu Gentium omnium, quæ in pari casu favorabilius excipiunt possessorem, quam eum, qui possessor non est. II. quia possessor ultra rationes, quas æquales habere supponitur, habet pro se possessionem, quam non habet alter: atqui ex hac possessione melior est ejus conditio; quia merito præsumitur meum esse, quod apud me est: etsi enim contrarium evenire potest, communius tamen evenit, ut unusquisque rem suam non apud alios, sed apud se conservet: unde in materia ipsius justitiæ cum hac regula: *Melior est conditio possidentis*, concurrit hæc alia regula: *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio.*

Quod dictum est de materia justitiæ, locum habet in materia impotentiæ. Statuitur enim cap. 5. *De frigid. & malefic.* ut frigidi, quorum perpetua coeundi impotentia certa non est, sed dubia, per triennium experiantur, an matrimonium consummare possint, non obstante dubio de matrimonii nullitate. Et id merito concessum est, tum quia non aliter de vero frigiditatis impedimento constare potest, tum quia magna in conjugiis esset incertudo, si conjuges de impotentia sua dubii, eo ipso ab omni attentatione copulæ abstinere deberent, etiam cum spes aliqua adest copulam perficiendi post temporalem experientiam. Hic casus cum fundetur in jure, quod habent conjuges, ad justitiam revocari potest; imo in utroque hoc casu dici potest, quod aliquatenus teneatur pars tutior, quia ea tenetur, quæ plura vitat inconvenientia. Et vero

vel

vel consummabitur matrimonium, vel non. Si primum, audetur Deus, jam enim de ejus validitate constat. Si secundum, inculpate tentatum quidqoid tentatum est; cum sponsi non alia, quam experimenti hujus conditione a se invicem separari possent.

Dico II. Prædicta regula: *In dubio melior est conditio possidentis*, seu libertatis, ut interpretantur Probabilistæ, nullios est utilitatis in aliis præter justitiam materiis: unde vel dubium excuti debet ope hujus regulæ: *Pro eo standum est*, aut alterius, si quæ sit, similis; vel si excuti nequit, *pars tutior* omnino *tenenda est*.

Prob. Ut in dubio de legis existentia meliot esset conditio possidentis, ad sensum Probabilistarum, possessio esse deberet pro libertate: atqui in dubio de existentia legis possessio noo est pro libertate. Nam possessio libertatis est jus rem hanc, vel illam faciendi pro arbitrio: atqui in dubio an existat lex, homo nunquam habet jus faciendi pro nutu quidquid libuerit. Cum enim obligatio sit proprietas essentialis legis, qui de lege dubitat, eo ipso dubitat, an non sit obligatus ad hoc potius, quam ad illud; ergo noo habet jus id, quod libuerit, faciendi; ergo non est vere possessor libertatis; ergo axioma, quod possessori meliorem attribuit conditionem, homini de lege dubitanti inservire non potest; ergo etiamsi homo, qui certus est diem S. Martini v. g. nou esse festivam, certo habeat jus laborandi, vel non; ille tamen, qui cum fundamento dubitat, an dies illa festis annumerata non sit, non habet certo idem jus, sed de eo dubitat; ac proinde in tali dubio possessio non stat pro libertate ipsius.

Confir. Ideo in materia justitiæ possessio dubium tollit, vel saltem minuit, quia legitime præsumitur possessorem esse verum rei, quam penes se habet, dominum; quatenus moraliter loquendo meum est, non alienum, quod apud me est: atqui possessio quæcumque fingatur, præsumptionem hanc, quæ libertati favet, io aliis præter justitiam materiis facere non potest. Sic v. g. qui dubitat an voverit castitatem, & ex consequenti an uxorem ducere possit, quantumvis fingatur libertatis suæ possessor, nullam tamen inde habet præsumptionem, ex qua inferre possit se non vovisse, ergo.

Obj. Possessio libertatis sufficit, ut quis dubium deponat, & certam sibi conscientiam efformet in materia ipsa legis naturæ. Nam uxor, quæ dubitat de matrimonii sui validitate, debet marito petenti reddere debitum: atqui hoc ideo solum potest, quia libertatem suam possidet.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. Vera enim ratio, cur uxor teneatur debitum reddere, est quia e duobus malis illud eligi debet quod Ecclesiæ judicio minus est. Porro minus est malum reddere debitum in dubio, quam denegare: reddendo enim ad summum læderetur virtus castitatis, denegando vero læderetur justitia, exponeretur maritus blasphemiæ periculo, incontinentiæ, suspicionis, &c.

Et certe si licentia reddendi debitum fundaretur in possessione libertatis, uxor non solum posset debitum reddere, quod permittit Ecclesia, sed etiam illud exigere, quod tamen Ecclesia prohibet. Accedit quod etiam statuat Ecclesia, ut dubitans reddat debitum, dum possessio stat pro lege contra ipsum; v. g. cum mala fide matrimonium contraxit, & alter contrahens, qui sine periculo moneri oon potest de rationibus dubitandi, perseverat in bona fide; ergo possessio libertatis non est causa cur reddatur debitum, sed necessitas e duobus malis id, quod gravius est, evitandi.

Ex his principiis solvi possunt innumeræ quæstiooes, v. g. quod qui dubitat an comederit, aut biberit post mediam noctem, non possit Eucharistiam recipere: an inchoaverit annum 22. non possit sacros Ordines suscipere: an voverit, teneatur adimplere votum: an voverit sex, aut octo jejunia, teneatur ad octo: an incurrerit censuram, obligetur ad abstinendum ab iis, a quibus abstinere debent, qui eandem censuram incurrerunt; quia in his omnibus pars tutior est tenenda, nisi dubium excuti possit ope regulæ alicujus, qualis est ista: *Pro eo standum est, pro quo stat præsumptio*. Ex ea enim merito quis inferet, se vel non emisisse votum, vel non admisisse tali tempore tale scelus, cui annexa sit censura, quia non consuevit hujusmodi rerum oblivisci; sed potius circa eas plurimum habere anxietatis.

Quæres: I. quale peccatum committat, qui facit id, quod bene, vel male dubitat esse peccatum. II. an etiam peccet, qui dubio invincibili laborat.

R. ad I. Peccatum ex dubio commissum, ejusdem esse speciei, ac gravitatis, quæ a dubitante apprehenduntur. Sic qui agit dubitans an pejeret, vel mentiatur, peccat in genere perjurii, vel mendacii, quia vult interpretative perjurium, aot mendacium, cum unusquisque velit illud peccatum, cui se exponit. Atque hinc sequitur peccatum ejus eandem habere gravitatem, quam in eo esse posse credit: quia gravitas periculi, cui se exponit, respondet dubio ipsius, cum non peccet oisi ratione dubii sui.

R. ad 2. peccare eum etiam, qui laborat dubio invincibili. Ratio est, quia is certam sibi conscientiam formare non potest, quod actio sua licita sit; & tamen hæc conscientiæ certitudo ad vitandum peccatum necessaria est.

## CAPUT QUINTUM.

### *De Conscientia probabili.*

CUm conscientia probabilis in opinione probabili tota fundetur, ante omnia explicandum est quid sit opinio, quid probabile, &c.

Opinio definitur a S. Thoma: *Actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius*. Vel, ut ait S. Bonaventura, *Assensio unius partis cum formidine alterius*. Opinio, prout est *assensus*, differt a dubio, in quo suspenditur assensus; prout vero juncta est cum formidine, differt

tum a scientia, tum a fide divina, quæ omnem errandi formidinem ab assensu excludunt.

Probabile est id, quod licet non sit certo verum, est tamen verisimile; hinc opinio probabilis definiri potest: Actus, quo mens ob motivum grave, sed tamen fallibile prudenter judicat aliquid esse licitum, vel illicitum. I. est *actus, quo mens judicat*: opinio enim, prout a dubio distinguitur, verum mentis judicium includit. II. *ob motivum grave*, id est, quod licet non habeatur absolute pro vero, tantam tamen veritatis speciem habeat, ut prudenter judicetur esse verum: unde si motivum opinionis, quæ opinioni meæ adversatur, sit vel gravius, vel æquale, opinio mea non erit veri nominis opinio, quia nullum mihi suppeteret motivum, ex quo efformare possim prudens judicium de honestate, & licitate actionis. III. sed tamen *fallibile*, cum opinio differat tum a scientia, tum a fide. IV. *prudenter*, ad quod necesse est: I. ut homo serium instituat examen, quo & suæ, & oppositæ etiam partis rationes expendat, imo & solvat. II. ut motivum, ex quo judicat, nec Scripturæ, nec communi Patrum sensui, nec Ecclesiæ definitionibus, aliisve ejusdem generis momentis adversetur. Hinc merito proscripta est ab Innocentio XI. propositio sequens: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*. Hæc item ab Alexandro VII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*.

Opinio spectata ratione fundamenti, quo innititur, alia est probabilis *intrinsece*, cujus probabilitas desumitur ex momentis verisimilibus in ipsa rei natura fundatis: alia probabilis *extrinsece*, cujus probabilitas desumitur ex Doctorum, vel testium auctoritate: hæc tamen Doctorum auctoritas non movet, nisi in quantum præsumitur conjuncta rationibus, quibus ii ad tenendam hanc opinionem determinati fuerint; unde probabilitas extrinseca non tam ex numero doctorum metienda est, quam ex eorum merito, probitate, doctrina, studio, diligentia, & communi prudentum æstimatione.

Opinio ad opinionem comparata, alia est probabilior, alia tutior, alia communis, alia communior.

Opinio *probabilior* ea est, quæ, spectatis rationum pondere, & gravitate auctoritatis, verisimilior apparet.

Opinio *tutior* ea est, quæ magis removet a periculo peccandi: unde opinio tutior stat pro lege, eamque hic & nunc obligare declarat; cum e contra opinio *minus tuta* faveat libertati, quatenus negat hominem ulla, quæ hic & nunc obliget, lege impediri ab agendo id, quod volet. Hinc opinio tutior, & probabilior multum a se differunt, quia cum securitas opinionis desumatur ex distantia ejus a peccato, probabilitas vero ex majori veritatis apparentia, fieri potest ut opinio minus probabilis sit tutior, & ut probabilior sit minus tuta. Sic opinio, quæ docet beneficiarium habentem bona patrimonialia, ex iis, non autem ex ecclesiasticis vivere debere, tutior est, quia qui eam sequitur non peccat; est tamen juxta nos minus probabilis, quia minus est fundata: e contrario opinio, quæ docet eundem Beneficiarium posse e bonis ecclesiasticis vivere, probabilior est, & minus tuta, quia minus removet a peccato. Quæ vero docet Beneficiarios superfluum redituum ecclesiastici pauperibus ex justitia largiri debere, aut tres contractus esse illicitos, tutior est, simul & probabilior, adeoque quæ docet oppositum, est simul minus tuta, & minus probabilis.

Opinio *communis* illa est, quæ habet pro se decem, aut octo Auctores, non quoscumque, sed graves, non æquo rigidiores, non etiam laxiores, & qui rem non cursim, aut alios instar ovium sequendo, sed ex professo, & intime tractaverunt.

Opinio *communior* est ea, quam major numerus post idem ac serium examen amplectitur. Ac proinde *minus communis* ea est, quæ a paucioribus tenetur.

Hic caute notandum, quod licet ex duabus opinionibus, quæ secum conferuntur, altera probabilior dicatur, altera vero minus probabilis, non inde tamen concludendum sit, eam, quæ minus probabilis dicitur, esse vere, & absolute probabilem in concursu oppositæ probabilioris. Nam illud solum vere probabile dicendum est, quod per assensum prudentem approbari potest, quodque nititur fundamentis tam gravibus, ut per ea sufficienter elidantur oppositæ opinionis motiva, adeo ut, rebus mature, & sine passione perpensis, possit homo prudenter judicare partem hanc esse alia veriorem: atqui opinio minus probabilis hasce conditiones nec habet, nec qua talis habere potest; ergo opinio hæc non est vere, & proprie probabilis, sed abusive tantum, & nomine tenus.

His expositis, cum opinio, quæ favet libertati, & ut talis minus est tuta, tripliciter comparari possit cum opinione, quæ favet legi, & sic tutior est: nempe ut minus probabilis cum probabiliori; ut æque probabilis cum æque probabili; ut probabilior cum minus probabili, ideo triplex hic proponitur quæstio. I. utrum liceat amplecti opinionem minus probabilem *de licito*, seu quæ libertati favet, declarando rem aliquam fieri posse ut licitam in concursu alterius opinionis probabilioris *de illicito*, seu quæ favet legi, declarando rem illam esse illicitam, & ut talem fieri non posse. II. utrum non liceat saltem amplecti illam opinionem, quæ favet libertati, cum ipsa æque est probabilis ac opposita, quæ favet legi. III. demum an ad minus non liceat amplecti opinionem, quæ favet libertati, cum opposita, quæ favet legi, minus est probabilis. Quarta addi debet quæstio, an nimirum liceat amplecti opinionem libertati faventem, quæ oppositam vincit probabilitate, cum excessus, quo alia aliam vincit, levis est, non autem notabilis. His præmissis sit

CONCLUSIO I. Non potest quis sine peccato sequi opinionem libertati faventem, & minus probabilem, in concursu opinionis stantis pro lege, & simul

mul

mul probabilioris. Sequitur ex dictis capite præcedenti: sed quia res est summi momenti,

Prob. I. ex Scrip. Deut. 26. *Dominus Deus præcipit tibi, ut facias mandata hæc, atque judicia; ut custodias, & impleas ex toto corde tuo, & tota anima tua*. Quibus consonat id Evangelii (*Luc.* 10. 27., *Matth.* 22.), *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus tuis*: sed qui sententiam minus probabilem amplectitur, non diligit Deum ex totis viribus. Ille enim non diligit Deum ex totis viribus, qui ea tranquille facit, vel omittit, ex quibus judicat, & quidem probabilius Deum graviter offensum iri: sed qui sententiam minus probabilem libertati faventem contra præceptum amplectitur, ea facit, vel omittit ..... Novit enim longe securius esse ad vitandam Dei offensam, ut oppositæ adhæreat sententiæ, quæ, ut tutior, penitus removet a peccato, & ut probabilior, prudenter judicatur esse verior, imo & sola vera, prout ex dicendis constabit: atqui tamen non ei adhæret sententiæ &c.

Eccli. 3. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*: sed qui sequitur in praxi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, periculo manifeste se exponit. Est enim ei locus timendi, ne legem transgrediatur, si forte ea existat: atqui tunc longe probabilius est eam existere, quam non existere; ergo,

Prob. II. Illa opinio penitus rejicienda est, quam Ecclesia tota per sexdecim sæcula ignoravit, aut non cognovit nisi ut improbandam: atqui talis est opinio, quæ partem minus tutam, & veri minus similem in praxi teneri posse docet.

I. quidem per sexdecim sæcula Ecclesiæ incognita fuit, tum quia adversarii ne unum quidem Traditionis textum citare possunt, qui facile non solvatur, ut infra ostendemus; tum quia Antonius de Corduba, insignis e Familia Fratrum Minorum Theologus, postquam statuit partem tutiorem esse tenendam, cum pars opposita vel minus, vel æqualiter solum est probabilis, subjungit, *Et in hoc omnes Theologi consentiunt*. Porro Corduba scribebat an. 1571.

II. Eadem opinio prædamnata fuit a SS. Patribus, (licet satis raro, quia nec nata erat, nec inter Christianos nascitura esse prævidebatur.) S. Augustinus L. 2. de Doct. Christ. c. 8. hunc modum a viro prudenti *in Scripturis canonicis* teneri vult, *ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Ecclesiis, præponat eis, quas quædam non accipiunt; in his vero, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque recipiunt eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent: si autem alias inveneris a pluribus, alias a gravioribus; quamvis hoc facile invenire non possit, æqualis auctoritatis eas habendas putat*: atqui si Scriptura probabilior eligenda est, & præferenda minus probabili, nulla est ratio, cur opinioni minus probabili non sit præferenda opinio probabilior: ideo enim Scriptura probabilior minus probabili præfertur, quia sequenda est sententia probabilior præ minus probabili, unum enim formaliter includitur in altero.

Idem S. Doctor. Epist. 154. *Si quis*, inquit, *bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat*; ergo a fortiori peccat, qui facit id quod non judicat esse bonum, sed verisimilius esse malum.

S. Thomas Quodl. 9. art. 15. expendens, an licitum sit plures Præbendas habere, ait, id *periculose determinari.... quia Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire*: atqui si liceret opinionem minus probabilem in concursu probabilioris eligere, nullum esset in decisione hujus quæstionis periculum, propter diversas doctorum opiniones: posset enim quisque eam quam mallet tenere sine periculo peccati; quia, juxta Caramuelem, opiniones *benigniores, etsi aliquando sint minus probabiles, per accidens* tamen *sunt semper utiliores, & securiores*.

Et Quodl. 8. a. 13. *Si*, inquit, *ille, qui possidet plures Præbendas, in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures Præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans Beneficium temporale; quam propriam salutem*. Sed qui sequitur opinionem minus probabilem, non potest non induci in aliquod dubium de ejus veritate, cum fortiora sint motiva, quæ eam falsam esse convincunt, quam quæ astruunt eandem esse veram; ergo *periculo committit se, & sic procul dubio peccat*.

Prob. III. quia rejici debet doctrina, quæ constanti Romanæ Ecclesiæ traditioni adversatur: atqui talis est doctrina probabilismi.

Prob. min. I. quia RR. Pontifices hoc semper principii instar habuerunt, *in his, quæ dubia sunt*, tenendum esse id, *quod certius existimamus*; ergo a fortiori senserunt in his, quæ sunt veri minus similia, & proinde plusquam dubia, partem certiorem, seu probabiliorem sequendam esse.

II. quia eo etiam tempore, quo infelicius grassata est probabilitatis novitas, eam nec in Decisionibus, nec in Libris suis secuti sunt Cardinales, & si qui eam aliquando secuti fuere, ut Pallavicinus, ab eadem ante obitum recesserunt.

III. quia Sedes Apostolica si non omnem omnino Probabilismum, at eum certe, qui communior erat, tam in se, quam in horrendis, quæ inde scaturiebant, propositionibus reprobavit. Has enim quatuor propositiones damnavit Innocentius XI. Prima: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, &c.* Unde sic: Ideo illicitum est opinionem minus probabilem sequi in conferendis Sacramentis, quia periculum est, ne violetur lex divina præcipiens, ut Sacramenta tali modo conficiantur, aut conferantur: atqui periculum etiam est, ne is, qui opinionem tutam minus, minusque probabilem sequitur in aliis materiis ad mores spectantibus, violet legem Dei, qui mandata sua mandavit custodiri nimis; ergo. Secunda propositio sic habet: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*: atqui non minus prohibitum est homini judicare contra legem Dei in his, quæ ad æternam salutem spectant, quam Judici judicare contra jus alterius hominis in his, quæ temporalia solum bona respiciunt. Si enim opinio minus probabilis de jure alieno non

efficit, ut res, de qua litigatur, ad eum potius pertineat, qui minus habet juris; certe nec opinio minus probabilis efficere potest, ut actio de cujus liceitate disputatur, præsumatur licita esse, sed e contra. Tertia propositio his concepta est verbis: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca*, &c. ut supra pag. 70. col. 1. atqui admissa ut admitti debet hujus propositionis censura, dicendum est partem longe probabiliorem semper esse tenendam; pars enim huic parti opposita non nisi *tenuem* habere potest probabilitatem. Porro falsum est ex censura, quod prudenter operetur, qui *ex tenui probabilitate*, tametsi vera, operatur. Quarta propositio hæc est: *Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione probabili*: atqui si opinio minus probabilis favens hæresi, v. g. quæ, ut norunt omnes, difficillimis aliquando rationibus se se tuetur, a peccato contra fidem non excuset, nulla est ratio, cur opinio minus probabilis in aliis spei, charitatisque materiis excuset eos, qui ipsam sequuntur; ergo opinio probabilior ut in materia fidei, sic & in aliarum virtutum materiis est necessario tenenda.

At, inquies, Ecclesia Romana partem minus tutam non raro amplexa est. Sic cap. 2. *De cognat. spirit.* statuit Alexander III., ut vir, aut mulier, qui sive ex ignorantia, sive ex malitia filium suum de sacro Fonte susceperunt, non separentur ab invicem, sed *alter alteri* debitum reddat. Ratio autem hujus decisionis, quæ libertati favet contra legem, hæc ibidem affertur, quod *quidam humanius sententes statuerunt* conjuges non esse tunc separandos; quæ ratio probabilior videri non potest.

R. ad 1. neg. ant. Ad 2. dico I. materiam, de qua hic agitur, esse ex iis, in quibus Papa dispensare potest, imo & in quibus dispensare debet, cum non aliter amoveri potest periculum peccandi, ut amoveri nequit, cum conjuges *ad continentiam servandam non possunt induci*, quod supponit Alexander III. Dico II. Pontificem amplexum fuisse partem, quæ probabilior erat, ut patet ex ratione, quam subjicit; *quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus patrocinari non debet, vel dolus*. Vere enim in his materiis excusatur, qui agit ex ignorantia probabili juris, vel facti; vere etiam statuitur, ut qui ex malitia propriam prolem baptisavit, licet jam debitum petere non possit, illud tamen reddere debeat, quia alioqui fraus sua eidem patrocinaretur. Adde quod ante Alexandrum III. variæ essent leges circa hoc punctum: quis vero dubitet eum, qui in his omnibus dispensare potest, potuisse benigniorem amplecti?

Prob. IV. ratione: I. enim si liceret sequi opinionem minus probabilem, minusque tutam in concursu probabilioris, maxime quia talis opinio esset vere probabilis: atqui implicat quod opinio minus tuta, minusque probabilis, vere & proprie maneat probabilis. Nam ex definitione Probabilistarum, opinio vere & proprie probabilis est ea, quæ nititur gravi, & solido fundamento, quodque sufficiat ad obtinendum assensum ab homine probo, & erudito: atqui sententia minus probabilis non nititur gravi, & solido fundamento...... Nam illud solum fundamentum satis solidum est, & grave, ut viri pii pariter & eruditi assensum extundat, cujus momenta non modo non superantur a contrariis, sed etiam eorum vim sensibiliter eludunt; adeo ut opinio hæc excludat prudentem peccandi metum: atqui vis tota, qua niti potest sententia minus probabilis, nedum oppositam vincat, imo ab eadem vincitur quam plurimum; ergo.

II. Constans est apud omnes, & a multis Pontificibus confirmata hæc veritas: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*: atqui hoc uno axiomate lis tota dirempta videtur. Si enim qui judicat opinionem dubiam, & minus tutam, non possit eam amplecti, non licebit a fortiori minus tutam minusque probabilem tenere. Non enim licet amplecti opinionem, quæ non solum dubia judicatur, sed & magis quam dubia: sed qui judicat opinionem minus probabilem, eam judicat dubiam, & magis quam dubiam. Dubia enim judicatur opinio, quæ non magis ad veritatem, quam ad falsitatem judicatur accedere: sed qui judicat opinionem minus probabilem, judicat eam magis ad falsitatem accedere, quam ad veritatem: si enim eam æque ad utramque partem accedere putaret, non jam minus probabilem, sed dubiam haberet; ergo.

III. Nemini licet agere imprudenter, & uti statera mendaci: sed qui sequitur opinionem minus probabilem se gerit imprudenter, & utitur statera mendaci. Ille enim se gerit imprudenter, qui eandem pro anima diligentiam non adhibet, quam pro corpore: sed qui opinionem sequitur minus probabilem, non eadem erga animam sollicitudine utitur, ac erga corpus. Qui enim nollet sumere cibum, quem longe probabilius venenatum existimaret; vel qui unius Medici minus periti duorum peritiorum judicio opinionem non præponeret, ille plus corpori consolit, quam animæ: atqui quisquis sapit semper abstinebit a cibo, quem probabilius venenatum existimat; citius habebit fidem pluribus Medicis, quorum verisimiliora sibi videntur momenta, quam uni, qui minus probabiliter discurrit; ergo.

Obj. I. *Jugum Christi est suave* (*Matth.* 14.); sed qui negant benignas opiniones teneri posse, jugum Christi asperum faciunt.

R. dist. maj. Jugum Christi est suave, quia tale per gratiam efficitur, C., quia unicuique licitum est facere, quod velit, atque id etiam, quod probabilius judicat esse peccatum, N. Itaque suave est Christi jugum, quia *quidquid durum est in præceptis, ut sit lene charitas facit*, ut docet Augustinus Serm. 96.; sed non ideo jugum Christi leve est sensu Probabilistarum, qui mendacem faciunt Christum dicentem arctam esse Cœli viam, & paucos, qui per eam ingrediantur. Et vero an ideo jugum Christi asperum facimus, quia contra laxiores Casuistas docemus falsum esse, quod *homo nullo unquam vitæ suæ tempore teneatur elicere actus fidei, spei, & charitatis*; aut quod *licitum sit jurare falsum cum restrictione mentali*; aut quod *copula soluti cum conjugata consentiente marito non sit adulterium*, aliaque id genus horrenda, quæ vel ipsis Gentilibus improbarentur, & quæ, cum sint Probabilismi fructus,

quam

quam mala sit arbor illa, facile demonstrant?

Obj. II. Falsum est opinionem Probabilistarum ab antiquis Patribus rejectam esse: nam S. Leo Epist. 2. ad Rusticum, *In his*, inquit, *quæ dubia sunt, vel obscura, id noverimus esse sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium; nec decretis SS. Patrum videtur adversum esse*: atqui opinio vere probabilis nec adversa est Patribus, &c.

Confirm. Romani Pontifices aliquando dispensarunt in voto solemni castitatis: atqui pars tutior, & probabilior negat cum S. Thoma dispensationem hanc valere.

R. neg. min. intellectam de opinione, prout eam adversarii probabilem appellant: talis enim opinio & Evangelio, & Patribus manifeste repugnat. Ii enim docent in dubio, an actio mala sit, ab ea declinandum esse, incedendumque per viam tutiorem, ut ex dictis patet, & patebit ex dicendis: atqui hæc doctrina opinioni Probabilistarum directe adversatur; ergo.

Ad confirmationem petitam e dispensationibus, quas aliquando concessere RR. Pontifices, dico I. eos opinionem secutos esse, quam alibi probabiliorem esse ostendemus. II. etiamsi opinio hæc reipsa minus probabilis esset, haud inde sequitur eam minus probabilem visam fuisse iis, qui eam tenuerunt. Hic autem non expendimus, an homo aliquando amplecti possit opinionem, quæ minus in se probabilis est: hoc enim tam certum est, quam certum sit hominem aliquando inculpate falli; sed utrum eam possit opinionem sequi, quam omnibus mature ponderatis judicat ipse minus esse tutam, minusque verisimilem.

Obj. III. Si Probabilismi opinio tam mala sit, & horrenda, sequitur I. quod Deus Ecclesiam suam per unum ferme sæculum deseruerit, permittendo, ut ea ubique doceretur. II. quod mortaliter peccaverint, qui sententiam illam in praxi tenuere, & a fortiori qui eam docuerunt: atqui utrumque absurdum est.

R. neg. maj. quoad 1. partem: Probabilismus enim, qualescumque fecisse progressus supponatur, pro communi Ecclesiæ fide haberi nunquam potuit: I. quia nunquam ab Apostolica Sede probatus fuit; imo Ecclesia Romana tum in Rota, tum in Congregatione Concilii, tum in Pontificiis Decisionibus probabiliorem partem toto eo tempore amplexa est, ut testatur Prosper Fagnan., in singulari dissertatione de hac materia. II. quia ab eodem Probabilismo abhorruerunt S. R. E. Cardinales. *Prolixus essem*, ait Cardinalis Aguirius in Præfat. ad Tomos Concil. Hispanic. *si omnes DD. Cardinales Probabilismi illius laxi inimicos, & tutiorum, aut saltem palam probabiliorum sententiarum tenaces, tam factis, quam scriptis, jam vita functos nominare vellem. Inter tam multos eorumdem, qui usque modo sanctitate, aut doctrina insigni floruerunt, vix, credo, invenietur aliquis, qui ita senserit, aut docuerit*. Itane vero Ecclesia Romana omnium mundi Ecclesiarum magistra, eam amplexa est opinionem, quam vix ejus Cardinalium *aliquis* tenuit? Mitto Episcopos, Parochos, & Theologos, qui, animadverso tandem Probabilismi commento, in ipsum quasi facta conjuratione insilierunt. Ergo Deus Ecclesiæ suæ semper præsto fuit, cum ei semper concesserit viros graves, qui Fideles ab errore revocarent. Et vero deseruitne Deus Sponsam suam per sæcula sexdecim, per quæ Antiprobabilismum viguisse ostendimus?

R. ad 2. partem: Deus me judicem non constituit, nec meum est eos condemnare, quos abundantia bonæ fidei excusare potuit. Interim vix, ac ne vix quidem eos hodie excusarem a peccato, qui Probabilismum tot a tempore Alexandri VII. virorum pietate & scientia insignium Operibus solide confutatum renovare auderent, cum misera hæc opinio iis, qui rem accurate, & coram Deo nec decipere, nec decipi volentes perpendunt, probabilis videri non possit.

CONCLUSIO II. Ex duabus opinionibus æque probabilibus, quarum altera favet legi, libertati altera, ea teneri debet, quæ tutior est, id est, quæ stat pro lege.

Prob. I. ex toto capite præcedenti. In dubiis saltem extra materiam justitiæ pars tutior est eligenda: atqui cum momenta duplicis circa eandem rem opinionis æque probabilia alicui proponuntur, necesse est eum esse in statu dubii, ut jam diximus; sicut necesse est eum esse in dubio, cum ex duobus viris ejusdem omnino auctoritatis alter asserit Regem esse Parisiis, alter eum abesse; ergo si *scienter agat id, de quo sic dubitat, permanente dubitatione mortaliter peccat*, ut supra diximus ex S. Antonino.

Prob. II. Non potest homo opinionem sequi, nisi cum ei persuasum est, eam esse veram, alioqui non ageret *ex fide*, quod *peccatum est*: sed qui duas inter opiniones æque probabiles versatur, persuasum habere non potest, hanc præ altera veram esse; cum nullam habeat rationem, ex qua hoc judicare possit.

Prob. III. Peccat, qui se exponit periculo Deum offendendi: sed qui agit cum rationibus, quæ tam persuadent aliquid esse, quam non esse offensam Dei, exponit se periculo Deum offendendi; perinde enim se habet ac si diceret: Sive Deus hoc bene habeat, sive non, placet mihi ut illud peragam; ergo.

Prob. IV. auctoritate Cleri Gallicani, qui in generali Conventu anni 1700. sic loquebatur: *Absit vero, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam: sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas a Jure præscriptas agnoscimus. Primum, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo se se offerunt rationum momenta, sequamur id, quod tutius, sive quod est in hoc casu unice tutum: neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit. Hæc prima regula. Altera .... ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxeris.*

Obj. I. Ea opinio admitti non debet, quæ sanctiores Juris regulas evertit: atqui opinio nostra.... Eæ enim ab omnibus receptæ sunt regulæ (*Reg.* 11. 13, 30. *in* 6.): *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*. Hæc item: *Odia restringi, favores convenit ampliari*. Atque ista demum: *In obscuris minimum est sequendum*. Juxta nos autem in obscuris sequendum est id, quod est rigorosum magis.

R.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. receptæ ſunt eæ regulæ, quatenus ſtatuunt, ut pars mitior teneatur in dubiis facti, & cum agitur de pœna infligenda, C. receptæ ſunt in dubiis, ubi agitur de licito, & illicito, N. Itaque ſtatuunt quidem Jura, ut mitior opinio teneatur, cum agitur de pœna criminibus dubiis infligenda: ſed hæc diſpoſitio nobis non nocet, imo plurimum prodeſt; fundatur enim in regula, quæ præſcribit, ut in dubiis pars tutior teneatur: quia tutius eſt in hiſce dubiis partem benigniorem ſequi. Qui enim illam ſequitur, ſe ſolum exponit periculo non condemnandi, vel mitius puniendi reum; qui vero oppoſitam ſequeretur, exponeret ſe periculo damnandi innocentem, ant reum ultra meritum puniendi: atqui longe tutius eſt exponere ſe periculo abſolvendi reum, quam periculo condemnandi innocentem; ergo *in re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtius eſt, quam tutius*, ut habet altera Juris regula.

Confirm. quia, ut ſolide animadvertit Fagnan. in cap. *Ne innitaris*, *De Conſtit.* n. 203. *Pars tutior in foro conſcientiæ eſt etiam favorabilior; negari enim non poteſt, quin utilius, & favorabilius ſit incedere per viam tutam, quam per viam periculoſam.*

Obj. II. Licitum eſt ſequi ſententiam vere, & ſolide probabilem: atqui ſententia alteri tutiori, & æqualiter probabili oppoſita remanet vere, & ſolide probabilis; altera enim nullam alteri probabilitatem tollit, neque elidit momenta ejus.

R. diſt.maj. Si hæc ſententia ſolide probabilis non impugnetur alia non minus probabili, & tutiori, C., ſecus, N. Cum enim in propoſito caſu ſupponatur opinio tutior nixa fundamento non minus gravi, opinio minus tuta non poteſt magis judicari vera ob rationes quibus nititur, quam falſa ob rationes opinionis oppoſitæ; ergo neceſſum eſt, ut intellectus inter utramque anceps, & ſuſpenſus maneat: atqui in hoc dubii ſtatu, nihil melius fieri poteſt, quam ſi pars ſecurior teneatur, & ſervetur præceptum generale vetans, ne quis ſe peccandi periculo exponat; ergo.

Obj. III. Poteſt Confeſſarius contra propriam opinionem magis tutam, & magis, vel æque probabilem abſolvere pœnitentem, cui Confeſſarii opinio, rebus bene penſatis, minus probabilis apparet: atqui hoc eſt practice ſequi opinionem minus, vel æque probabilem in concurſu tutioris; ergo.

Antequam ſolvatur hæc admodum practica difficultas, not. I. Confeſſarium doctum in caſu ſingulari non controverſo nec poſſe, nec debere ſequi opinionem pœnitentis, quam credit falſam, vel minus probabilem, præcipue ſi opinio faveat ipſi pœnitenti. II. ſi pœnitens ſit doctus, & timoratæ conſcientiæ, Confeſſarius vero minus inſtructus, poſſe hunc amplecti opinionem illius, quam falſam, vel minus probabilem credit: quia ſicut minus doctus doctiorem conſulere, ejuſque judicio adhærere poteſt extra tribunal, ſic & intra illud poteſt: cum preſertim certus eſt ſic affectum eſſe doctiorem, ut amorem Dei, & Eccleſiæ omnibus præponat. III. idem eſſe, ſi par ſit pœnitentis, & Confeſſarii pietas, & doctrina, ſed Confeſſarius probe ſciat ſe ex inordinato timore, & ſcrupulo rigidioribus ut plurimum adhærere ſententiis. Si tamen re alias tranquille perpenſa, perpenſis item rationibus, quibus unice innititur pœnitens, opinionem ejus, quæ minus tuta eſt, minus etiam probabilem judicaret Confeſſarius, quam e contra pœnitens ſolum judicaret æque probabilem, aliter ſentiendum eſſet.

Quæſtio igitur eſt, quid facto opus ſit, ſi pœnitens opinionem ſuam multo probabiliorem, & veram judicare pergat; & eum tunc abſolvi debere credimus cum Gonzale, Adriano, Soto, Navarro, Conitolo, Cabaſſut. Lib. 3. cap. 13., & aliis pluribus: I. quia abſolvi quis debet, quoties ſua culpa abſolutione indignus non eſt; non eſt autem abſolutione culpabiliter indignus, qui opinionem ſuam rebus ſerio perpenſis judicat probabiliorem opinione Confeſſarii, quem ſæpius ingenio, & ſua, vel aliorum ſcientia vincit. II. quia cum in materia morum docti doctis quotidie adverſentur, nemo unus alium abſolvere poſſet; quia quem errare crederes, is te viciſſim erroris argueret. Sicut ergo ægre ferres tibi negari abſolutionem, ſic & ille eandem ſibi denegari merito conquereretur. His poſitis

R. neg. min. Aliud eſt enim ſequi opinionem minus probabilem, aliud permittere, ut quis eam ſequatur, quæ ſibi probabilior, mihi vero minus probabilis videtur. Hoc, non illud facit Confeſſarius, de quo in objectione; & merito: quia non *adeo de ſe præſumere debet, ut totum* mundum *velit in ſuam opinionem, quæ forſitan erronea*, ſeu falſa *eſt*, *concludere*, *ſeu coarctare, quaſi ipſe ſolus videat, & ſcientia obitura ſit cum eo.* Ita Adrianus q. 5. de Confeſſ. dub. 7.

CONCLUSIO III. E duabus opinionibus licitum eſt eam ſequi, quæ libertati favet, modo ſit probabilior altera.

Prob. I. ex S. Thoma 2. 2. q. 70. art. 2. *In actibus humanis*, inquit, *ſuper quibus conſtituuntur judicia, non poteſt haberi certitudo demonſtrativa; eo quod ſint circa contingentia, & variabilia: & ideo ſufficit probabilis certitudo, quæ in pluribus veritatem attingat, etſi in paucioribus a veritate deficiat*: atqui ſi non liceret ſequi opinionem minus tutam etiam alia probabiliorem non ſufficeret probabilis certitudo, ſed vel opus eſſet certitudine omnimoda, quæ nunquam a veritate deficit, vel ab actione abſtinendum eſſet. Idem poſt Gerſonem docet S. Antoninus 1. p. tit. 3. c. 10.

Prob. II. ex cenſura hujus propoſitionis, quam anno 1690. damnavit Alexander VIII. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*: atqui ſi requireretur perfecta certitudo, vel evidentia veritatis extra omnem formidinem poſita, ut volunt adverſarii, nou liceret opinionem quantumvis probabilem ſequi, cum tutior non eſt: opinio enim probabilis ut ſic, annexam neceſſario habet aliquam falſitatis formidinem; ergo.

Prob. III. Si non poſſit homo ſequi ſententiam longe probabiliorem in concurſu tutioris, & minus probabilis, neceſſarium erit, ut eam ſemper ſequatur, quæ tutior eſt: atqui falſum conſequens. Prob. min. I. quia ſic evertitur omne Theologiæ moralis ſtudium. Ut quid enim laborant, & ſudant Doctores, ut e diverſis opinionibus eam ſtabiliant, quæ verior eſt? Ut

quid

quid Patrum, & Casuistarum Libros evolvunt? Ut quid congerunt argumenta, quæ vix unquam sunt demonstrativa? Imo ut quid eruditi consuluntur a rudibus, an talis contractus iniri possit &c.? Jam enim ante omne studium, & consultationem norunt omnes tutius esse, si ab his abstineatur. II. imponitur humeris hominum jugum adeo grave, ut Christi jugum esse non possit: si enim pars tutior sit semper tenenda, præscriptio legitima non erit titulus ad rem retinendam sufficiens, quia tutius est rem illam domino priori restituere. Eadem de causa nihil supra sortem exigi poterit ratione lucri cessantis. Pariter qui unum contritionis actum elicuit in ordine ad Sacramentum, tenebitur secundum elicere, & deinde tertium, quia hoc tutius est, fierique potuit, ut primus non sufficeret, &c. Meminerint ergo adversarii eum Gersone (*L. 4. de vit. spir. lect. 4.*) *nimiam in opinionibus rigiditatem plus Fidelium animabus nocere, quam prodesse*; ponderentque id Eccles. c. 7. *Noli esse multum justus, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas*; id est, ne in continuo inevitabilium timorum concursu certitudinem semper quæritans, in stupiditatem mentis incidas.

Obj. I. Nemo prudenter se exponit errandi periculo, cum periculum vitari facile potest: sed qui sequitur opinionem minus tutam, etsi probabiliorem, exponit se periculo errandi.

R. dist. maj. Nemo prudenter se exponit periculo errandi formaliter, C. errandi materialiter, subd. periculo probabili, & quod contemni non debeat, C. periculo, quod a viro etiam prudente contemni debet, N. Sicut enim Judex prudenter condemnat eum, qui a duobus, tribusve testibus accusatur, quia statuunt Jura omnia, ut *in ore duorum, aut trium testium* stet *omne verbum*, unde & prudenter contemni periculum incidendi in errorem, qui tunc nonnisi materialis esse potest; ita intellectus, qui est judex veritatis, prudenter judicat veriorem, & reipsa veram esse opinionem, quæ momentis longe gravioribus innititur, & prudenter contemnit errandi periculum, quod hic subesse potest, quia melius est interdum errare plerumque assequendo veritatem, quam semper manere in statu dubii, & suspensionis.

Inst. I. Ille se exponit periculo errandi, & peccandi formaliter, adeoque actu errat, & peccat formaliter, qui facit id, de quo dubitat, an peccatum sit, necne: sed qui sequitur partem minus tutam, facit, &c. Quandiu enim actionis honestas non est certa, tandiu ejus inhonestas est dubia: atqui actionis minus tutæ licet probabilioris honestas non est certa; alioqui opinio opposita esset improbabilis, quod est contra hypothesim.

R. ad 1. neg. min. Implicat enim eum, qui judicio absoluto & ob momenta longe graviora judicat aliquid esse verum, & tutum, esse in statu dubii, quia dubium est suspensio judicii. Quod si quis omnino contendat opinionem etiam graviorem non excludere omne dubium, dicendum erit cum Gersone, obligationem omittendi id, de quo dubitatur, non habere locum, nisi quando dubium est *vehemens, & magis, aut saltem æque inducit mentem credere, quod* aliquid *est moraliter illicitum, sicut quod est licitum. Secus est ubi mens plus inclinatur, & judicat quod est licitum, quam illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem, aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur.*

Ad 2. dist. maj. Actionis honestas est dubia, quandiu non est certa moraliter, C. quandiu non est certa metaphysice, N. Porro actionis, quæ opinione probabiliori nititur, honestas est moraliter certa; quia ad certitudinem moralem satis est, ut propter motiva vehementia, & clare præeminentia motivis partis oppositæ, sibi quis persuadeat rem esse honestam: hæc autem certitudo, quæ sola in rebus moralibus possibilis est, sufficit, ut homo tute operetur, prout docet S. Antoninus.

Inst. II. Illius actionis honestas non est moraliter certa, sed vere dubia, quam qui judicat esse honestam, simul judicat forte esse inhonestam: sed qui judicat actionem minus tutam, de qua loquimur, esse honestam, simul judicat eam forte esse inhonestam; necessario enim dicit: *Probabilius est actionem hanc esse honestam, forte tamen est illicita.*

R. dist. min. simul judicat actionem hanc esse posse inhonestam, inhonestate materiali, & non imputabili, C. formali, & imputabili, N. Eo enim ipso quo quis prudenter dicit: Actio hæc mihi longe videtur verisimilior, nec ullum habeo momentum, quo sufficienter moveri possim ad assentiendum opinioni oppositæ, statim dicere potest: Ergo etiamsi opinio hæc in se falsa foret, nihil, eam sequendo, committam mali, quia laboro ignorantia, quæ virum prudentem excusare debet; alioqui nunquam possem celebrare, nunquam absolutionem petere a Confessario, quia nunquam sum metaphysice certus mihi adesse dispositiones ad utrumque necessarias; nec repugnat metaphysice ut decipiar, cum opinor me iis non esse destitutum.

CONCLUSIO. IV. Ut opinio probabilior de licito teneri possit, prætermissa opinione tutiori de illicito, non sufficit quicumque probabilitatis excessus, sed requiritur notabilis.

Prob. I. quia fieri potest, ut excessus probabilitatis, quo opinio libertati favens superat eam, quæ stat a lege, sit adeo levis, ut moraliter pro nullo haberi debeat, juxta id vulgatum: *Parum pro nihilo habetur*: atqui in hac hypothesi utraque opinio est moraliter æqualis: in æqualitate autem morali, quæ dubium parit, lex libertati præferenda est, non libertas legi, ut supra probatum est.

Prob. II. E duobus, quæ formari possunt judiciis, illud alteri præferendum est, quod sanius est, tum subjective, tum objective: atqui judicium, quod in præsenti casu inclinat in favorem legis, sanius est: I. subjective; vereri enim debet homo, ne tenuis ille probabilitatis gradus, quo libertas videtur legem superare, non tam sit a parte rei, quam in imaginatione, quæ amore proprio delusa, libertatem repræsentat ut probabiliorem quam in se sit. II. objective, quia in causa pari, aut fere pari lex Dei melioris debet esse conditionis, quam hominis libertas, adeoque huic anteponi.

Quæres quo in gradu esse debeat ille probabilitatis excessus, vi cujus libertas contra legem teneri potest.

R.

R. excessum non esse notabilem, nisi æquivaleat testimonio duorum, aut trium testium; unde si æquivaleat solum testimonio unius non magis sufficiet, ut libertas legi divinæ præferatur, quam sufficiat testis unus, ut quis bono possesso spolietur. Non minus enim habet lex Dei ex conditione sua, ut præferatur libertati, quam homo ex possessione sua, ut de bono, quod præ manibus habet, non deturbetur. Addo in materia probabilitatis spectanda esse & actionis individuæ naturam, & ejusdem actionis eliciendæ motiva. Sic gradus probabilitatis, qui sufficiunt ut negotiator certum ineat contractum, meo sane judicio non sufficerent ut venator sagittet aliquid, quod probabilius feram esse judicat, quam hominem.

Ut gravi huic controversiæ finem faciamus, quædam expediendæ sunt difficultates, quod ut fiat,

Quæres I. an communiter loquendo auctoritas unius tantum doctoris sufficiat ad reddendam opinionem in materia morali probabilem, & in praxi tutam.

R. negat. I. quia ex S. Thoma Quodlib. 3. art. 10. *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri.*

II. quia si Doctoris unius gravis suffragium sufficiat ad reddendam aliquam opinionem in praxi tutam, tutæ erunt in praxi opiniones omnes a junioribus Casuistis assertæ: sunt enim ii, judicio quidem suo & mutuo, viri graves, docti, vere sagaces, &c.: atqui absurdum consequens. An enim, quia sic pluribus Casuistis placuit, licitum erit puellæ procurare abortum ante fœtus animationem, ut infamiam devitet? An concubinario retinere concubinam, ne ea dimissa vitam agat tristiorem? An reo Judicem interimere, cum iniquam ab eo sententiam veretur?

Excipit Gonetus ab hac regula Doctores ita toti probatos Ecclesiæ, ut eorum auctoritas aliorum multorum rationibus, & auctoritati præponderet. Talis, inquit, est S. Thomas: tum quia doctrina ejus a pluribus Academiis, & summis Pontificibus ut tutissima, & inconcussa approbata est; tum quia S. Doctor nihil profert, quod, vel Scripturæ, & Patrum testimonio non corroboret, vel efficaci aliqua ratione, saltem quantum materia patitur. Quia tamen iisdem utuntur rationibus Scotistæ, ut probent tutas esse Seraphici Doctoris assertiones, hic limitationem hanc cum omni humilitate, & salva, quæ tantis Magistris debetur, semperque a me exhibebitur reverentia, apponi debere puto, ut scilicet cum illi Patres vel a se invicem, vel ab aliis ejusdem auctoritatis dissentiunt, tunc examinandum sit uter alterum rationum, & auctoritatum numero, & pondere vincat. Atque illud eo videtur æquius, quod juxta Sylvium, & alios, quædam aliquando asseruerit S. Thomas, quæ retractasset, si non ante ad cœlestem patriam raptus esset, quam ultimam Summæ suæ manum imposuisset. Quia vero tale examen non ad omnes pertinet.

Quæres II. quæ præscribi possint regulæ iis, qui circa difficultatem aliquam dubii sunt, & ancipites.

R. triplex distingui posse hominum genus: alii sunt illiterati, & rudes, ut plebeii: alii docti, & eruditi, qui magnam moralis scientiæ notitiam studio, & praxi sibi comparaverunt: alii inter utrosque medii obvios casus ita decidere valent, ut in difficilioribus, qui non raro occurrunt, hæreant, aut saltem hærere debeant.

Illiterati, quia nihil est quod melius faciant, Parochi, Confessariive sui consilium sequi debent: unde si discant aliquid vetitum esse, ab eo abstinere tenentur; sin audiant aliquid esse licitum, illud sine scrupulo facere possunt. Quod si e duobus æque piis, ac doctis, quos interrogaverint, aliud alius respondeat, debent id, quod tutius est amplecti. Peccarent tamen etiam plebeii Parochi, aut Confessarii decisionibus adhærendo. I. si, ut sæpe contingit, hunc ideo præ aliis elegissent, quia noverant eum laxioris esse doctrinæ. II. si justam haberent rationem suspicandi eum non docere *viam Dei in veritate*, sive ex ignorantia, siva ex incuria, sive ex præsumptione; ut si Parochus, aut Director se Superioribus suis Pastorum Capiti unitis doctiorem esse verbis, aut aliter significet.

Viri docti, vel qui librorum, & ingenii satis habent, ut de malitia, vel bonitate actionis judicent, eam sequi debent opinionem, quam omnibus rite, & coram Deo ponderatis, vel tutam magis, vel certe probabiliorem judicaverint, prout supra diximus.

Ii demum, qui mediocri sunt vel ingenio, vel scientia (quod qui se ipsos non fallunt facile intelligent, sive eos audiendo, qui ampliorem habent in spirituum discretione experientiam, sive sua cum aliorum studiis, & progressibus studia comparando), debent viros scientia, & pietate graves, nec rigidioris, nec laxioris Moralis suspectos interrogare. Quod si Theologos evolvant, ei sententiæ adhærebunt, quam magni, & intacti nominis Doctores sustinent, oppositam opinionem vel non citando, vel uno ore rejiciendo ut falsam, aut longe minus consonam veritati. Si quando contingat, ut Auctor, quem consulunt, fateatur opinionem suam, quæ libertati favet, minus esse communem, quam quæ favet legi, tunc generaliter loquendo eam rejicient; quia vir parum peritus vix aliam sequi potest regulam, quam auctoritatis, quæ tunc eidem deesse supponitur: ubi autem Doctores duo ejusdem ferme meriti varias in partes scinduntur, ea tenenda erit, quæ tutior videbitur. Cæterum sentit unusquisque, hic afferri non posse regulas ita generales, ut nullam patiantur exceptionem.

TRA-

# TRACTATUS
# DE
# LEGIBUS.

PRæfentis hujus Tractatus, in quo agitur de lege, quæ exterior eft ragula morum, octo erunt Capita: primum aget de lege in communi: fecundum de lege æterna: tertium de lege naturali: quartum de lege divina, tum veteri, tum nova: quintum de lege humana, five civili, five ecclefiaftica: fextum de difpenfatione: feptimum da lege non fcripta, feu de confuetudine: octavum denique de lege favorabili, feu de privilegio.

## CAPUT PRIMUM.

*De Lege in communi.*

DIcendum hic I. de effentia, & exiftentia legis. II. de caufis ejus, ejufque conditionibus, & divifione (*S. Thom.* 1. 2. *q.* 90.).

### ARTICULUS PRIMUS.

*De effentia, & exiftentia Legis.*

LEx proprie fumpta pro regula morum definitur: Præceptum commune, juftum, & ftabile, ad bonum publicum ab eo, qui communitatis curam habet, promulgatum.

Dicitur I. *præceptum*, quæ vox locum habet generis: præceptum anim latius patet, quam lex; cum lex omnis præceptum fit, fed non e contra, ut ftatim patebit. Lex, quatenus præceptum, differt a confilio, quod tametfi recta fit agendi regula, per fa tamen non obligat.

Dicitur II. *publicum*, feu commune; quia ex c, 8. ff. de legib. *Jura non in fingulas perfonas, fed generaliter conftituuntur*. Ad hoc tamen ut præceptum legis rationem habeat, neceffe non eft, ut omnibus communitatis partibus, cujufcumque conditionis fint, imponatur: funt enim leges pro nobilibus, pro plebeis.

Dicitur III. *juftum*: ad veram enim legem oportet I. ut bono communi profit. II. ut iis folum imponatur, qui legislatori fubjacent. III. ut conftituat proportionem in onerum diftributione, adeo ut ii minus graventur, qui minus habent facultatis: porro ubi tria hæc concurrunt, ibi neceffario reperitur juftitia.

Quatuor hic annotanda. I. legem non ideo effe injuftam, quia mala quædam permittit: quædam enim funt mala, quæ fine incommodo malis ipfis graviori impediri non poffunt. II. legem juftam dici, non quia folos juftitiæ actus præcipit, fed quia nihil præcipit, nifi quod licito modo ad bonum commune ordinetur. III. cavendum ne lex facile arguatur iniquitatis; quia quæ privatis videntur duriora, graviffimis quandoque de caufis conftituta funt. IV. in dubio de honeftate, vel juftitia legis, legem farvari debere; præfumptio enim eft pro legislatore, cujus utpote poffidentis conditio melior eft, nec per inferioris dubium tolli poteft.

Dicitur IV. *ftabile*: lex enim omnis debet effa perpetua, feu pofitive, fi nunquam revocanda fit; quo fenfu perpetua eft lex Evangelii: feu negativa, fi durare debeat donec circumftantiarum mutatio exigat eam abrogari: quo fenfu perpetua erat Lex Mofaica, & Principum Conftitutiones.

Dicitur V. *ad bonum publicum*: lex enim *nullo privato commodo, fed pro communi utilitate confcripta* effa debet (1. 2. *dift.* 4.). Et vero legislatores nihil habent poteftatis, nifi quod ipfis datum eft defuper: Porro Deus fuam Principibus poteftatem non conceffit, ut privatis ferviant commodis, fed ut fubditorum, quos pro filiis habere debent, commoda procurare nitantur.

Dicitur VI. *ab eo, qui curam habet communitatis*; id eft qui habet poteftatem jurifdictionis, qua poffit coercere refractarios, tranfgreffores punire, &c. quæ poteftas non privatis in privatos, fed vel communitati foli, vel iis, qui curam ejus habent, competit. Porro communitas duplex eft: *perfecta*, quæ fufficit fibi ad affequendum finem, ad quem inftituta eft, nempe ad conciliandam, & fervandam tranquillitatem publicam, ut Ecclefia, Regnum, Provincia fui juris: & *imperfecta*, quæ per fe folam finem hunc affequi non poteft, ut familia, parochia, &c. Sola communitas perfecta leges proprie dictas condere poteft; non autem imperfecta, quæ per fe folam procurandæ earum executioni non fufficit.

Dicitur VII. *promulgatum*, id eft enuntiatum, & intimatum iis, a quibus fervari debet: lex enim nifi innotefcat, cuftodiri non poteft. Sed de hoc infra.

Obj. I. Prohibitio comedendi fructus fuit vera lex refpectu Adami, & tamen ad fingularem perfonam directa eft; ergo falfum eft, quod ea folum fit proprie dicta lex, quæ pro communitate fertur.

R. neg. ant. & dico, præcepta Adæ impofita tunc tantum fuiffe veri nominis leges, cum eidem non ut privato alicui, fed ut humani totius generis Capiti impofita fuere: hoc autem fenfu non ad unum hominem, fed ad omnes, qui futuri erant, extendebantur. Hinc licet præceptum abftinendi a certo fructus genere Adæ foli indictum fuerit, priufquam formaretur Eva, hæc tamen per illud obligata eft, ut patet ex cap. 3. Genef.

Obj. II. Si lex jufta effe debeat, ii, pro quibus lex evaferit fuperflua, jam non tenebuntur ad ejus obfervantiam: falfum confequens.

R. legem, fi fiat fuperflua refpectu totius communitatis, jam amplius non obligare. Hac de caufa lex ab Apoftolis fancita, ut Gentiles recens ad fidem converfi abftinerent a fuffocato, & fanguine, ne Judæi, qui ab efu fanguinis abhorrebant, ab ineunda

da cum iisdem Gentilibus communione removerentur, hæc inquam, lex, utpote jam pridem inutilis, desiit obligare. Verum si lex, quæ communitati utilis esse perseverat, quibusdam tantum privatis superflua fiat, hæc ab iis etiam, quibus inutilis est, servanda erit. Unde licet Statutum, quo cavetur ne Clerici extra peregrinationis casum comedant in tabernis, videatur inutile respectu Clerici, qui a tabernario amico, forte etiam consanguineo invitatus, apud ipsum pranderet secluso scandalo, & servatis temperantiæ legibus, illud tamen ab hoc etiam Clerico servari debet, quia finis ejusdem statuti in Diœcesi tuta subsistit, exigitque rectus ordo, ut pars toti cohæreat, & privatus Clericus a communi disciplina non recedat. Quod si lex respectu privati alicujus non superflua solum, sed etiam injusta evadat, jam executioni mandanda non erit; tunc tamen, ut in omnibus servetur ordo, petenda erit a Superiore dispensatio, quæ ab eo etiam erit concedenda.

Obj. III. Si lex ad commune bonum referri debeat, vel ex parte legislatoris, vel ex parte legis ipsius: atqui neutrum dici potest. Non 1. ut omnes fatentur. Non 2. nam leges tributorum sunt veræ leges: atqui tamen non cedunt in bonum commune. Idem dicendum de legibus Regum Juda, secundum id I. Reg. cap. 7. *Hoc erit jus Regis....filios vestros tollet, & ponet in curribus suis....agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, &c.*

R. ad 1. neg. min. & dico, legem ut *licita* sit debere ad bonum commune dirigi ex parte legislatoris, qui *juste*, *quod justum est*, facere debet; (*Deuter.* 16.) ut vero *valida* sit & obliget, satis esse, ut ex se ipsa ad bonum commune tendat: neque enim mala Superioris intentio magis legi nocet, quam mala dispositio Judicis noceat sententiæ, qua hominem vere reum ex legum præscripto condemnat.

Ad 2. neg. min. & dico: I. legem tributorum mediate ordinari ad bonum commune; quatenus Princeps ex tributis thesauros comparat, quibus & subditos ab invasoribus tueatur, & semetipsum in eo statu sustentet, qui decet Reipublicæ Caput. Dico II. leges, de quibus agitur in objecto I. Reg. textu, fuisse meras usurpationes, quas Deus aliquando severe punit, ut patet exemplo Achab, & Jezabel. III. Reg. c. 21. Ita SS. Clemens, Gregorius, & alii complures. Sentiunt tamen nonnulli, jus, de quo hic loquitur Samuel, fuisse legitimum, & ordinatum ad bonum commune; non quidem absolute, sed relative ad Judæos, qui cum duræ cervicis essent, despotice gubernandi, ac perpetua quadam pœna mulctandi erant.

Quod spectat ad legis existentiam, hæc certissima est tum ex sacris Scripturis, in quibus lex vetus, & nova recensentur; tum ex omnium Gentium historiis, quæ leges, legumque Conditores commemorant; tum ex ipsa peccati natura, quæ legem, legisque transgressionem supponit: *ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* 4.)

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De causis, effectibus, & divisione Legis.*

Quadruplex distinguitur legis causa: efficiens, quæ dat principium legi: finalis, quæ est ratio cujus intuitu lex fertur: formalis, quæ est ipsa ratio legis constitutiva: & materialis tum *circa quam*, tum *in qua*. Prima non differt ab objecto legis: secunda idem est cum legis subjecto.

Causa legis efficiens est ille omnis, qui perfectæ communitati præest: finalis est bonum commune: materialis id omne, quod lege præscribitur. Superest igitur ut dicamus de causa subjectiva, & formali. Sit

CONCLUSIO I. Lex prout est opus legislatoris præsuppositive pertinet ad intellectum, formaliter vero ad voluntatem: prout vero est in subditis, pertinet ad eas facultates, quarum est cognitio, & judicium.

Prob. 1. pars: Illud præsuppositive ad intellectum pertinet, quod præviam intellectus cognitionem requirit: atqui lex ex parte legislatoris..... debet enim legislator varia media, mediorumque eum fine proportionem cognoscere; ergo.

Prob. 2. pars: I. ex Scripturis, quæ legem nomine voluntatis exprimunt. Sic Psalmo 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam*; hoc est, ut statim additur, *legem tuam*. II. Machab. cap. 1. *Det vobis cor omnibus, ut.... faciatis ejus voluntatem*; id est legem ipsius.

II. Lex est actus, quo legislator subditos obligat: atqui solus voluntatis actus subditos obligare potest. Quantumcumque enim legislator cognoscat, aut judicet melius esse ad commune bonum ut hoc fiat, quam istud, non tamen censetur legem ferre, nisi eum vult ut id, quod bonum judicavit, a subditis executioni mandetur. Hinc subditi dum legibus obtemperant, voluntati Principis obsequi dicuntur; ipse vero Princeps dum legem statuit, his utitur verbis, quæ voluntaris actum arguunt: *Sic volo, sic jubeo*, &c.

Obj. I. Lex Psal. 4. & 118. sæpe vocatur *lumen super nos signatum*, *lux*, *lucerna illuminans*: atqui hæc soli conveniunt intellectui.

R. dist. maj. lex relative ad hominem, cui imponitur, est lumen, quod nempe homo sequi debet, C. lex relative ad legislatorem, a quo imponitur, subdist. est lumen præsuppositive, quia multas intellectus cognitiones prærequirit, C. est lumen formaliter, N.

Obj. II. Si lex sit voluntas, vel erit voluntas efficax, vel inefficax: neutrum dici potest. Non 1. alioquin divina lex suum semper haberet effectum, cum voluntas Dei efficax semper impleatur. Non 2. si enim voluntas inefficax sufficiat ad constituendam legem, jam lex non distinguetur a consilio: qui enim consilium dat, vult saltem inefficaciter, ut illud impleatur.

R. neg. min & dico ad legis constitutionem requiri efficacem voluntatis actum, non quidem de ipsa

ſa legis executione; alias divina lex ſemper impleretur, ut bene arguit objectio; ſed de ſubditorum obligatione: hæc autem ſubditos obligandi voluntas in iis, qui leges condunt, reperitur.

Conclusio noſtra de legibus poſitivis ſive Dei, ſive hominum præcipue intelligitur: an vero lex æterna, & naturalis ſint etiam voluntatis actus, ambigitur. Certe lex æterna, ſi ſumatur pro exemplari, quod Deus ipſe conſulere, & ſequi tenetur, prior videtur omni voluntatis actu; ſi vero ſumatur pro quodam Dei imperio ordinem ſervari volentis, ad voluntatem neceſſario pertinet. Lex autem naturalis potius eſt natura ipſa rationalis, quam actus voluntatis, aut intellectus.

Prob. 3. pars: Lex prout eſt in ſubditis duo importat. I. cognitionem eorum, quæ nobis præcipiuntur; (unde lex reſpectu ſubditorum quædam eſt idea directiva). II. judicium practicum, quod hæc nobis exequenda ſint; ergo lex, prout in nobis exiſtit, idem habet ſubjectum quod cognitio, & judicium: ſive judicium ad intellectum pertineat, ut volunt Peripatetici: ſive ad voluntatem, ut recentioribus Philoſophis placet.

Quod ſpectat ad formalem legis cauſam, hæc ejuſdem definitione continetur: circa quam duo ſuperſunt inquirenda, I. an promulgatio ſit de eſſentia legis. II. an lex in ſcriptis ferri debeat.

Ut ſolvatur prima quæſtio, tria prænotanda ſunt, I. promulgatio legis eſt intimatio, ſeu propoſitio ejuſdem iis facta, a quibus legislator eam adimpleri vult: II. lex ſpectari poteſt vel in actu primo, prout aptitudinem habet ad obligandum, vel in actu ſecundo, prout reipſa, & de facto obligat. III. hic ſolum agitur de legibus poſitivis: lex enim naturalis vel promulgatione non eget, vel per ipſam ſui ſingulis hominum mentibus impreſſionem ſatis promulgata eſt. His poſitis, ſit

CONCLUSIO II. Promulgatio eſſentialis eſt legi, prout actu, & de facto obliganti.

Prob. I. Illud eſt eſſentiale legi prout actu obliganti, ſine quo lex nec eſſe, nec concipi poteſt ut actu obligans: atqui ſine promulgatione ... Lex enim ut obliget, debet dari ut regula; ac proinde innoteſcere: atqui lex non innoteſcit, niſi per promulgationem, cum per eam ſolam eo intimetur modo, qui obediendi neceſſitatem inducit; ergo.

Prob. II. Si qua lex ſine promulgatione obligaret, maxime lex divina, quæ plus per ſe roboris habet, quam quælibet hominum leges: atqui lex omnis divina ante ſemper promulgata fuit, quam obligaret, lex quidem vetus per Moiſen; lex vero nova ope Chriſti, & Apoſtolorum; ergo.

Obj. I. Promulgatio legis ſupponit eam jam in eſſe ſuo conſtitutam. Lex enim eſt regula, promulgatio autem eſt ejuſdem applicatio: atqui regulæ applicatio regulam jam conſtitutam præſupponit.

R. ad 1. neg. ant. Non enim loquimur de lege, prout eſt ſimpliciter imperium quoddam in mente legislatoris exiſtens, & ex ſe habens virtutem obligandi quaſi in actu primo: ſed de eadem, prout actu obligat, & dirigit, quo ſenſu eſſentialiter neceſſarium eſt, ut iis applicetur, qui per eam dirigi, & regulari debent. Unde patet ſolutio ad 2. Lex enim in actu ſecundo non eſt ſolum regula, ſed regula prout applicata iis, qui eandem ſequi debent; ac proinde apud eoſdem promulgata, cum non niſi ipſa promulgatione applicetur.

Obj. II. Si ad valorem legis neceſſaria ſit ipſius promulgatio, ii ſolum ad ejus executionem tenebuntur, qui notitiam illius habuerint: atqui falſum conſequens. Si enim Rex legem ferat, qua irritetur contractus ſine certa formalitate factus, contractus ille invalidus erit, etiamſi ab iis factus fuerit, qui nullam legis hujus notitiam habuerint; ergo.

R. diſt. maj. Ii ſolum tenebuntur quoad culpam, C. quoad validitatem, aut nullitatem contractuum, N. Itaque qui legem ſine ſua culpa ignoratam non ſervat, immunis eſt a culpa: ſed non ideo validi ſunt contractus, quos fecit contra tenorem legis; quia ignorantia non facit, ut homo ſit ad contrahendum habilis. Sic non peccat adultus, qui ex errore invincibili baptiſatur in vino; ſed non ideo valide baptiſatur.

An promulgationis neceſſitas ad leges etiam Pontificias extendatur, expendam agendo de legibus humanis, ubi etiam de acceptatione legum, earumque materia diſſeretur. Jam expendendum, an lex ſcribi debeat: qua de re ſit

(✠) S. Thomas 1. 2. q. 90. ar. 4. quærit, utrum promulgatio ſit de ratione legis? Reſponſio eſt affirmativa, quia, inquit, Lex imponitur aliis per modum regulæ, & menſuræ: Regula autem, & menſura imponitur per hoc, quod applicatur iis, quæ regulantur, & menſurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet, quod applicetur hominibus, qui ſecundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipſa promulgatione. Unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc, quod Lex habeat ſuam virtutem. Hactenus S. Thomas.

Hæc autem promulgatio Legis diverſa eſt pro legis varietate. Promulgatio enim Legis naturæ, ſubjungit S. Doctor ad II., *eſt ex hoc ipſo, quod Deus eam mentibus hominum inſeruit naturaliter cognoſcendam.* Lex autem divina poſitiva modo interna promulgatur revelatione: & hac via Prophetis, atque Sacris Scriptoribus multa Deus promulgavit; modo externa propoſitione: ſic lex Moſaica in Monte Sina, & Evangelica in die Pentecoſtes promulgata fuit. Lex tandem humana ſigno aliquo exteriori promulganda eſt. Verum, concludit ibi S. Thomas, *illi, coram quibus lex non promulgatur, obligantur ad legem obſervandam, in quantum in eorum notitiam devenit per alios, vel devenire poteſt promulgatione facta.* (✠)

CONCLUSIO III. Convenientiſſimum eſt legem in ſcriptis dari, haud tamen neceſſarium.

Prob. 1. pars: I. quia ſic melius, firmius, ac univerſalius cognoſcitur quid lex ferat, faciliuſque redargui poſſunt qui eam traſgrediuntur. II. quia ſaniores legum conditores eaſdem ſcribi voluerunt. Sic

Deus

Deus ipse in tabulis lapideis, Romani in æreis, leges suas inscripserunt.

Prob. 2. pars: Illud non est necessaria legis conditio, sine quo lex obligare potest: atqui lex etiam non scripta potest obligare. An enim non obligabitur populus, si Princeps mandatum justum promulgari jusserit, nec voluerit ipsum literis consignari? ergo merito dictum est dist. 4. cap. 2.: *Leges constituuntur, cum solemniter promulgantur.*

Quod spectat ad effectus legis, ii sequenti versu exprimi solent:

*Præcipit, ac prohibet, permittit, punit, honorat.*

Ratio est, quia actus, qui sub legem cadunt, vel sunt boni, vel mali, vel indifferentes. Porro boni, si qui necessarii sunt, imperantur; mali vetantur; indifferentes permittuntur: id vero, per quod legislator ad legum observationem inducit, est timor pœnæ, & mercedum repromissio.

Lex dividitur in æternam, naturalem, divinam, & humanam, de quibus sigillatim infra.

Quæritur I. an hæc divisio legitima sit.

Resp. affirmat. Duplex enim est hominis societas; alia cum Deo, alia cum homine: atqui neutra sine prædictis quatuor legibus foveri potest. Non prima, nam ut foveatur societas hominis cum Deo, necessaria est in Deo lex æterna, & in homine lex naturalis: æterna quidem in Deo, secundum quam velit, ut homo nunquam ab ordine aberret, naturalis vero in homine, qua ipsi intimatur, & nota fiat hæc Dei voluntas, qua item bonum a malo discernat, &c. Cum autem homo non naturalem tantum, sed & supernaturalem cum Deo societatem habeat, necessaria fuit lex supernaturalis, qua ad finem supra intellectus, & voluntatis suæ vires positum dirigeretur interius, & exterius; & hæc est lex, quam divinam vocamus. Non secunda, ut enim foveretur hominis cum homine societas, debuit id omne averti, quo pax humana perturbari posset; ergo necessum fuit, ut obviam iretur dolis & fraudibus: ut certæ contractibus apponerentur conditiones: ut improbi pœnis crimini suo proportionatis punirentur, &c. atqui ad hoc necessariæ erant humanæ leges: lex enim naturalis hæc omnia non præscribit; quæ vero ex iis præscribit, non præscribit semper modo evidenti, & qui ab omnibus percipi facile possit; ergo.

Quæritur II. an lex fomitis, de qua loquitur S. Paulus Rom. 7., pro vera lege admitti debeat.

R. negat. nam lex fomitis est propensio appetitus sensitivi in ea, quæ sensibus placent, etiam repugnante ratione; quæ quidem propensio dicitur fomes, quia vitiorum fomentum, ac materiam subministrat: atqui hæc propensio nec est, nec esse potest lex vera. I. quia lex est aliquid rectæ rationi consentaneum: fomes autem repugnat *legi mentis*, seu rectæ rationi. II. quia lex est obligatoria, ita ut peccent, qui eam non sequuntur: atqui non peccat, qui non sequitur membrorum legem; imo peccat, qui eam sequitur.

Quod si lex sumatur latius pro eo, quod ad aliquid inducit, fomes potest hoc sensu lex dici: quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum: verum hæc legis acceptio admodum impropria est.

## CAPUT SECUNDUM

### *De Lege æterna.*

EXpendemus I. quid sit lex æterna. II. an existat. III. an quidquid est in mundo eidem subjaceat, &c. Sit

CONCLUSIO I. Lex æterna non inepte definitur a S. Augustino Lib. 22. contra Faustum, cap. 27. *ipsa ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans*; seu, quod in idem recidit: Actus divinæ mentis necessario dictans quid sequi, aut fugere debeat creatura, cum voluntate eam obligandi.

Prob. In re obscurissima ea potest definitio admitti, quæ satis aperit in quo lex æterna cum aliis legibus conveniat, & in quo etiam differat tum ab iisdem, tum a nonnullis Dei actibus, quibuscum posset confundi: atqui talis est allata definitio: I. enim explicat id, quod lex æterna cum aliis legibus commune habet; id nimirum, quod sit actus recte rationi conformis, bonum naturæ intendens, eamque in finem suum per legitima media ordinans. II. explicat id, quo lex æterna distinguitur non solum a lege naturali, & humana, quæ non sunt mentis divinæ actus; sed etiam a lege positiva divina, quæ & multa non necessaria præcipit, & Deo volente mutari posset: cum lex æterna nihil præcipiat nisi necessarium, & omnino invariabilis sit. III. denique per eandem definitionem distinguitur lex æterna, sive ab ideis Dei, sive ab ejus providentia. Ab ideis quidem, quia ideæ versantur circa res ut repræsentandas; lex vero circa easdem ut gubernandas: a providentia vero, quia providentia respicit singulos diversimode, alia Petrum, alia Paulum; lex vero respicit universos, quia est commune præceptum.

CONCLUSIO II. Existit lex æterna.

Prob. Lex æterna, ex dictis, est constans, & necessaria voluntas res omnes suos in fines ordinandi secundum ideas, quas Deus mente gerit: atqui hæc voluntas in Deo admitti debet: vult enim Deus omnia esse ordinatissima, ut ait Augustinus L. 1. de lib. arb. Hinc. Sap. 3. *Attingit a fine ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

CONCLUSIO III. Si certo quodam rigore loqui velis, Deus non subjicitur legi æternæ; eidem tamen aliquo sensu licet minus proprio subjectus dici potest.

Prob. 1. pars: I. quia lex strictius sumpta est regula vim habens obligandi; imo & ens defectibile suos in fines dirigendi: atqui Deus nulli potest regulæ subjacere, quæ vim habeat illum obligandi, & multo minus dirigendi; quasi qui deficere possit; ergo. II. quia si Deus æternæ legi subjiceretur, profecto legi æternæ jam existenti, jam latæ, jam obliganti: atqui

qui nec concipitur lex ante Deum exiſtens, nec ab alio lata, nec conſequenter obligans; ergo.

Prob. 2. pars: Qui neceſſario ſequitur certam agendi formam, ille aliquo ſenſu dici poteſt legem ſequi, legem, inquam, ſibi non ſuperiorem, ſed ſibi perfecte identificatam: atqui Deus ſic ſe habet. Sic neceſſario præfert Deus hominem bruto, juſtum impio. Sic & neceſſario bonum amat, & malum odit; ergo.

Obj. Qui tenetur non mentiri, ſtare promiſſis ſuis, &c. ille ſubjacet proprie legi; ſubjacet enim ſicut & ipſe homo: atqui Deus tenetur non mentiri, &c.

R. dſt. Qui tenetur propter aliquam legem Superioris, quæ ipſi imperet, C. qui tenetur propter neceſſariam ſuæ voluntatis rectitudinem, N. Dici itaque poteſt, quod Deus non ſit ſine lege, quia ipſe ſibimet ſua lex eſt; ſed minus proprie legi ſubjici diceretur, quia nec Superiorem habet, nec deficere poteſt.

CONCLUSIO IV. Contingentia tum naturalia, tum libera ſuo quæque modo legi ſubjacent æternæ.

Prob. 1. pars Contingentia naturalia ea ſunt, quæ nec cognitione pollent, nec libertatis uſu fruuntur: atqui hæc legi æternæ ſubjacent. Ea enim legi ſubjacent æternæ, quibus Deus certos præſcripſit limites, extra quos non feruntur, quæ faciunt verbum Dei, id eſt, voluntatem ejus, quæ Deo cum timore obſequuntur: atqui hæc omnia præſtant creaturæ irrationales. Nam ex Pſalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum faciunt verbum ejus*. Baruch. 3. *Qui emittit lumen, & vadit; & vocat illud, & obedit illi in tremore*. Job. 38. *& dixi: uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*; ergo creaturæ irrationales ſubjacent legi æternæ, non quidem prout præceptiva eſt, cum ex rationis defectu ſint incapaces præcepti, ſed prout eſt directiva, quia per eam conſtanter, & ordinate diriguntur.

Prob. 2. pars. Contingentia libera ſunt actiones humanæ morales; ſeu bonæ, ſeu malæ, ſeu indifferentes: atqui eæ omnes æternæ legi quatenus etiam præceptivæ ſubjacent: I. *bonæ*, cum ideo formaliter bonæ ſint, quia cum lege æterna congruunt ſive immediate, ſive mediate. II. *indifferentes*, ſeu, ut hic debet intelligi, quæ non cadunt ſub præceptum: eæ enim ex hypotheſi quod fiant, neceſſario debent bene fieri, ac proinde lege æterna prohibentur male fieri. III. *malæ*, quia æterna lege vetantur, & cruciatum mentis eadem lege præſcriptum includunt, ſecundum id Auguſtini Lib. 1. Confeſſ. c. 12. *Juſſiſti, Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.*

Obj. Si res ita ſit, Beati in cœlis, & in inferis reprobi legi æternæ ſubjacent: atqui falſum conſequens. Ii enim ſoli ſubjiciuntur legi æternæ, qui meriti, demeritique capaces ſunt: atqui nec Sancti mereri poſſunt, &c.

R. ad 1. neg. min. ſentiunt enim Beati id omne, quod agunt, divinæ rationi congruere, & contrarium experiuntur reprobi; ergo utrique divinæ legi ſubjacent.

Ad 2. neg. maj. ex eo enim quod Sancti, & reprobi nec meriti, nec demeriti capaces ſint, ſequitur quidem eos aliter æternæ legi ſubjacere, quam eidem ſubjaceant viatores: at non ſequitur eos legi huic ſubtrahi; ſed potius eidem neceſſario, vel infallibiliter conformes eſſe, aut difformes.

CONCLUSIO V. Lex æterna eſt lex proprie dicta.

Prob. Lex in genere definitur Præceptum juſtum, ſtabile, &c. atqui hæc definitio legi æternæ competit: I. quidem lex æterna eſt præceptum juſtum, & ſtabile; cum conſtanter decernat quid agendum ſit, aut omittendum, ut creaturæ ad ſuum finem perveniant. II. eſt præceptum ad bonum commune. Commune enim univerſi bonum eſt pax, & ordo, efficiens, ut unaquæque res ſuo ſit in ſitu: atqui lex æterna communi illi rerum omnium paci ſtudet. III. denique præceptum illud manat a Deo, qui communitatis totius curam habet, reſque omnes ad fines ſibi convenientes dirigit; ergo.

Quæres I. an lex æterna ſit omnibus nota.

R. I. legem æternam viatoribus perfecte notam non eſſe, ſi ſumatur prout eſt in ſe; quia ſic eſt ipſa Dei ratio, ſeu ipſe Deus, qui *habitat lucem inacceſſibilem* I. Timot. 6.

R. II. legem æternam aliquo modo dici poſſe omnibus notam in effectibus ſuis, hoc eſt in cognitione veritatum, vel eorum, quæ fieri poſtulat ordo. Nemo enim eſt, qui facile, & ſtatim non animadvertat, an bene quid, vel male fecerit: atqui non alia de cauſa advertit homo ſe male, vel bene egiſſe, quam quia monetur interius hoc, vel illud rectæ rationis dictamini congruere, vel adverſari, quod dictamen ab ipſa lege æterna dimanat; ergo.

Quæres II. utrum lex humana ab æterna derivetur.

R. I. Lex humana a lege æterna emanat virtualiter.

Prob. Tunc lex dicitur a lege æterna virtualiter emanare, quando & poteſtas obligandi, quæ eſt in lege, & ipſius æquitas a Deo, ejuſque lege æterna dimanant: atqui omnis legum poteſtas, earumque juſtitia a Deo, & æterna ejus lege dimanant: I. quidem poteſtas leges ferendi, & per eas obligandi eſt a Deo; quia hæc poteſtas in ſe juſta eſt, ac proinde fluit a lege æterna, quæ eſt juſtitiæ totius fons, & origo. II. humanæ legis æquitas eſt quoque a lege æterna; cum ideo lex quævis juſta ſit, quatenus judicat ſecundum æternæ legis præſcriptum. Unde Auguſtinus Lib. 1. de lib. arb. c. 6. *Te videre arbitror in illa temporali lege nihil eſſe juſtum, atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivaverint.*

Utramque hanc rationem involvit brevis iſte textus: *Per me reges regnant* (*Prov.* 2.), id eſt a me ſuam habent auctoritatem, ſuamque leges condendi potentiam: *& legum conditores juſta decernunt*, id eſt in tantum juſta præcipiunt, in quantum legi meæ ſe conformant.

R. II. Lex humana, quatenus humana, ſeu prout vetans aliqua, quæ ex ſe mala non ſunt, non derivatur ab æterna lege formaliter.

 Prob.

Prob. Ea solum lex a lege æterna formaliter emanare dicitur, quæ præcipit, aut prohibet id, quod jam vetitum erat, aut præceptum lege æterna: atqui lex humana multa jubet, aut vetat, quæ nunquam vetita sunt, aut præcepta per legem æternam: Lex enim humana jubet, v. g. tale tributum a subditis reddi, vel vetat extra regnum transvehi pecuniam: atqui lex æterna neutrum præcepit, aut vetuit; alioqui utrumque esset peccatum, etiam independenter a lege Principis, quod saltem in multis casibus falsum est; ergo.

Dices: Si lex humana derivaretur ab æterna etiam virtualiter, obligaret jure divino, non humano solum: atqui falsum consequens.

R. neg. sequelam: eæ enim solum leges jure divino obligant, quas Deus per se, & immediate tulit; quæ vero ab hominibus libere feruntur, non obligant jure divino, nisi mediate, quatenus potestas eas condendi, & per eas obligandi venit a Deo.

Quæres III. an etiam lex naturalis ab æterna fluat.

R. Legem naturalem, si sumatur, ut solet, pro judicio, seu dictamine rectæ rationis monentis hoc, vel illud esse faciendum, derivari a lege æterna. Duplici enim modo potest lex una ab æterna lege derivari; formaliter, & virtualiter, ut notatum est: atqui lex naturalis utroque modo ab æterna lege derivatur: I. quidem formaliter, quatenus vetat id, quod vetat lex æterna, v. g. furtum, & similia. II. virtualiter, quia quidquid habet justi lex naturalis, quidquid roboris ad obligandum, hoc habet a lege æterna, quæ est lex per essentiam.

## CAPUT TERTIUM

*De Lege naturali.*

### ARTICULUS PRIMUS

*An sit, & quid sit.*

LEX naturalis concipitur ut dictamen rationis præscribens quid agendum sit, quid fugiendum; unde fit

CONCLUSIO I. Existit lex naturalis omnium mentibus ingenita.

Prob. I. ex Rom. 2. ubi sic: *Cum gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Unde sic: Lex, quæ independenter a quacumque lege positiva bonum indicat, & ob malum remordet, est ipsa lex naturalis: atqui existit apud eos etiam, qui positivas leges non habent, lex bonum indicans; &c.

Prob. II. ex S. Augustino Lib. 2. Confess. n. 9. *Furtum certe punit lex tua, Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?*

Prob. III. Deus homini non deest in necessariis: atqui defuisset, si denegasset legem naturalem; cum sine ea ad finem suum nec dirigere se, nec ab aliis dirigi posset; ergo.

Obj. Si adulterium, & similia naturali lege prohiberentur, Deus ea non prohibuisset lege positiva; cum nihil frustra faciat: atqui falsum consequens.

R. neg. maj. inanis enim non est lex positiva, quia per eam legerunt homines in tabulis, *quod in cordibus... legere nolebant*, ut ait S. Augustinus (*In Ps.* 57.) Adde quod homines ad legis naturalis transgressionem proni pœnarum metu coerceri debuerint: has autem pœnas in specie non lex naturalis, sed positiva præscribit.

CONCLUSIO II. Lex naturalis in actu primo, ac velut in genere habitus spectata, est vis a Deo menti creatæ impressa, *imperative* dictans, seu potius nata dictare, quid sit faciendum, vel omittendum ut consentaneum, aut dissentaneum legi æternæ. Eadem vero lex in actu secundo spectata, est actuale dictamen præcipiens, quid hic & nunc fieri debeat, aut omitti, &c.

Prob. Illa sufficiens est legis naturalis definitio, quæ essentiam ejus per genus, & differentiam propriam exprimit: atqui talis est nostra definitio. Per eam enim lex naturalis convenit cum cæteris legibus, quæ etiam præcipiendo dictant, quid faciendum sit, aut fugiendum: per eandem vero hæc ipsa lex a quibusvis legibus distinguitur. Et quidem I. a lege æterna, quæ Deo inexistit; cum lex naturalis, utpote mentibus creatis impressa, iisdem inexistat. II. a legibus positivis sive Dei, sive hominum: tum quia hujusmodi leges non sunt menti inditæ a natura, sed adventitiæ; tum quia leges positivæ multa præcipiunt, aut prohibent, quæ ex natura rei nec conveniunt æternæ legi, nec ab ea discrepant; ergo.

Obj. I. Lex naturalis est unum & idem cum lege æterna; est enim sancta, & invariabilis, quod soli æternæ legi competit: ergo.

R. ad 1. neg. ant. Lex enim naturalis est vis, seu motio, & impressio nobis indita: atqui hæc motio a lege æterna dimanat, ut rivus a fonte; ergo non idem est cum ipsa.

Ad 2. neg. conseq. Ex eo enim, quod lex naturalis sit sancta, & invariabilis, sequitur quidem quod idem habeat objectum ac lex æterna; non autem quod eadem sit utriusque essentia: essentia enim legis æternæ est ratio Dei; essentia vero legis naturalis est lumen intellectus creati.

Obj. II. Lex naturalis non potest esse *imperative dictans*, quin verum includat præceptum: atqui hoc dici nequit. Vel enim præceptum illud erit hominis ad alium hominem; vel hominis ejusdem ad seipsum; vel Dei ad hominem: atqui nullum ex his dici potest. Non I. quia præceptum hominis ad hominem est lex humana, non naturalis. Non II. quia præceptum est superioris ad subditum: idem porro respectu sui superior, & inferior esse non potest. Non III. præceptum enim Dei ad hominem pertineret ad legem æternam

nam, quæ juxta nos distinguitur a lege naturali.

R. ad 1. neg. min. Ad 2. dico, præceptum, quod in lege naturali includitur, esse præceptum, quo Deus dictat homini, ut legi æternæ se conformet, v. g. colendo parentes, nemini damnum inferendo, &c. unde præceptum illud ex parte Dei est lex æterna, & se habet ut *quod*; ex parte vero hominis est lex naturalis, & se habet ut *quo*: non quidem ut quo homo sibimetipsi præcipit, sed ut quo Deus homini præcipit. Unde duo sequuntur: I. legem æternam, & naturalem a se distingui. II. legem naturalem legitimo sensu dici posse præceptivam.

Quæres, an, & quomodo distinguantur lex naturalis, conscientia, & synteresis.

R. Hæc tria a Theologis distingui solent: I. quia conscientia potest esse erronea, non autem lex naturalis; quia lex eo ipso, quo lex est, errori obnoxia esse nequit. II. quia lex naturalis, sicut & quælibet alia, non respicit nisi futura; conscientia vero est etiam de præteritis: unde eos, qui male egerunt, remordet. Differt etiam synteresis a lege naturali, quod hæc ordinem dicat ad legislatorem; non vero synteresis, quæ concipitur tanquam generalis primorum bene vivendi principiorum cognitio absque alia ulla relatione. Hæc discrimina, quæ foris metaphysica sunt, non impediunt, quin lex naturæ, synteresis, & conscientia sæpe confundantur.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De objecto Legis naturalis.*

Objectum legis naturalis est id omne, quod eadem præcipitur. Quæritur quodnam illud sit, an principia morum, an virtutes, & virtutum modus. Ut solvatur prima quæstio

Not. inter principia, quibus homo practice dirigitur, alia esse primaria, alia vero secundaria. Primaria ea sunt, quæ a quovis attendente ex sola terminorum notitia intelliguntur, & approbantur: tale est istud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: quod plures primum in moribus principium esse volunt. Secundaria ea sunt, quæ ex primariis colliguntur sive per unam, sive per plures consequentias plus, aut minus evidentes. Sic ex hoc principio, Alteri ne feceris &c., evidenter inferet unusquisque; ergo non est furandum: sed non ita facile colliget: ergo ne ab ipsis quidem divitibus exigi potest *interesse* pro mutuo. His præmissis, quæritur quænam principia practica sint de jure naturali, an primaria solum, an etiam secundaria. Sit

CONCLUSIO I. Non tantum prima principia practica per se nota, sed conclusiones etiam omnes, quæ ab iis necessario derivantur, sunt totidem legis naturalis præcepta.

Prob. I. Ea sunt vera legis naturalis præcepta, ad quæ ex natura rei obligamur, & independenter a quacumque lege positiva: atqui non modo ad ea, quæ prima propositione practica continentur, sed & ad ea etiam, quæ aliis propositionibus ab ista necessario deductis continentur, obligamur ex natura rei, &c. Si enim ad ea non obligaremur ex natura rei, sed solum per liberam Dei, vel hominis voluntatem, sublata, vel mutata hac voluntate possemus obligari ad oppositum: atqui implicat hominem obligari posse ad aliquid oppositum conclusioni, quæ e primariis juris naturalis propositionibus necessario colligitur: alias enim conclusio hæc necessario sequeretur a lege naturali, & simul libere: necessario quidem, ut supponimus; libere vero, quia alia plane opposita colligi, aut saltem practice teneri posset; ergo.

Prob. II. Ideo conclusiones magis remotæ non essent de lege naturali, quia per discursum eliciuntur ab aliis: atqui hæc ratio nulla est. Ad obligationem enim legis impertinens est, quod ea percipiatur per discursum sive unum, sive multiplicem. Si enim hæc propositio: *Non furaberis*, sit de lege naturali, licet ab hoc deducatur principio: *Alteri ne feceris, &c.* quidni hæc propositio: *Usuram non exercebis*, dicatur esse de lege naturali, tametsi per plures discursus eruatur ex ista: *Non exiges id, quod exigendi jus non habes*, seu quod idem est: *Non furaberis*.

Confirm. Apostolus Rom. 13. præcepta hæc: *Non falsum testimonium feres, non concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo* instaurari ait: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; ergo supponit conclusiones, quæ minus, aut magis remotæ ab aliis conclusionibus ad legem naturæ pertinentibus eruuntur, ad eandem legem non minus ac ipsa principia pertinere.

Obj. Illud proprie loquendo non pertinet ad legem naturæ, quod non est omnibus notum ut rectum: atqui tales sunt veritates, quæ remote solum eruuntur a primariis legis naturæ principiis, ut quod usura sit per se mala: hoc enim multis populis incognitum est; ergo.

R. neg. maj. quia principia juris naturæ non ideo talia dicuntur, quia sunt ab omnibus cognita, sed quia tam necessariam habent cum primis ejusdem juris naturalis principiis connexionem, ut independenter ab omni lege positiva, & ex natura rei vera sint, sive interim eorum veritas facile, aut difficile cognoscatur.

Ut solvatur secunda difficultas, an scilicet virtus, & virtutis modus cadant sub legem naturæ, notand. I. aliquid sub legem naturæ dupliciter cadere posse: I. ita ut lege naturali præcipiatur, aut prohibeatur. II. ita ut non præcipiatur quidem lege naturali, sed naturæ maxime congruat.

Not. II. per modum virtutis intelligi certas conditiones, quæ actui virtutis inesse debent, ut actus ille bene, & perfecte eliciatur. Eæ vero conditiones vel sunt extrinsecæ, ut quod actus virtutis cujuslibet eliciatur ex motivo charitatis: vel intrinsecæ, ut quod qui virtutis alicujus actum elicit, eundem eliciat I. sciens. II. volens, vel eligens, & propter hoc eligens, id est, propter peculiarem virtutis honestatem. III. firmiter, & immobiliter. His positis, sit

CONCLUSIO II. Actus omnium virtutum possunt aliquo sensu dici pertinere ad legem naturæ; sed non hoc sensu, quod omnes naturali lege præcipiantur.

Prob. 1. pars. Quæ naturam maxime perficiunt, possunt hoc sensu dici cadere sub legem naturalem; atqui

atqui tales sunt actus virtutum omnium, & licet ex his multæ sint, ad quas, utpote supernaturales, natura sibi relicta inclinationem non habet; certum tamen est naturam nostram iis maxime perfici; ergo hoc saltem sensu dici potest, quod cadant sub legem naturæ.

Prob. 2. pars: quia multæ sunt virtutes, ut virginitas, paupertas evangelica, quæ sine peccato possunt omitti, & quæ in omni statu locum non habuissent; ergo eæ virtutes non præcipiuntur lege naturali, quæ quidquid præcipit, necessario præcipit.

Quæres, an lex naturæ prohibeat omnes actus vitiosos.

R. ex actibus vitiosis alios esse tales, quia sunt prohibiti; ut certis temporibus carnes comedere: alios vero prohibitos esse, quia sunt ex se vitiosi; ut blasphemia. Secundi lege naturæ necessario prohibiti sunt: primi vero, ut qui non nisi ex lege positiva vitiosi sint, per se non prohibentur lege naturali, nisi hoc sensu, quod prohibeantur lege, cui lex naturalis obsequi jubet.

CONCLUSIO III. Modus virtutis, ut qui sciens & volens operetur, cadit sub præceptum legis naturæ.

Prob. quia cum lex præcipit, ut aliquis virtutis actus exerceatur, a fortiori præcipit, ut exerceatur actus humanus: atqui ad hoc necesse est, ut qui operatur, agat sciens & volens; ergo modus virtutis, ut quis sciens & volens agat, cadit sub præceptum legis tum naturalis, tum positivæ: ratio enim nostra pro utraque concludit.

Hinc qui ebrius dat stipem, aut invitus solvit debitum, non satisfacit hic præcepto justitiæ, ille præcepto charitatis: ambo tamen immunes sunt, hic a restitutione, ille ab eleemosyna, quia subtracta est utriusque materia, cum jam redditum sit proximo id, quod ei sive ex charitate, sive ex justitia reddendum erat. Illud autem in allatis casibus ebrium inter, & invitum est discriminis, quod invito animo debitum solvens peccet, quia in voluntate alterius bona retinet; ebrius autem non peccet, nisi quatenus exposuit se periculo nullum ex actione sua fructum coram Deo referendi; quod peccatum in ebrietate voluntaria satis involvitur.

Dices: Qui dormiendo non occidit, tam implet præceptum non occidendi, quam qui vigilans non occidit: atqui dormiens neque sciens est, neque volens; ergo ut quis præceptum impleat, non requiritur, ut sciens & volens agat.

R. neg. maj., quia implere præceptum, importat aliquid moraliter boni: homo autem dormiens nihil boni elicit; ergo dici quidem potest hominem hunc non transgredi præceptum, sed minus accurate dicetur præcepto satisfacere: alioqui qui dormit, tot implebit præcepta, quot non committit peccata: quod ridiculum est.

Quæres, an præcepto satisfaciat, qui sciens, & volens elicit actum præceptum, sed eum non elicit ut præceptum. Triplex hic fingi potest suppositio: I. audit quis Missam die festa, sed ex devotione, non autem ut obediat Ecclesiæ, quia diem hanc festam esse nesciebat. II. audit quis Missam die, quam festivam esse noverat, sed non vult præcepto satisfacere, quia vult eidem satisfacere, aliam, pota solemnem, Missam audiendo. III. demum audit quis Missam, sed positive vult non satisfacere præcepto.

R. cum S. Thoma (2. 2. *q.* 104. *a.* 3. *ad* 2.) in primo casu impleri præceptum, prout docet communis Fidelium praxis, qui licet expressam non habuerint adimplendi præcepti voluntatem, ab eo immunes se credunt, cum rem præceptam executi fuere. Ratio est, quia tunc ponitur actus, quem religio imperat, & in iis, qui eum ponunt, reperitur generalis satisfaciendi intentio, ultra quam nihil requirit Ecclesia in hujusmodi casibus.

At, inquies, qui obligatus ad restituendum pauperibus aureum, hunc iisdem erogaret nihil de obligatione sua cogitans, adhuc teneretur ad restituendum de novo; ergo a pari.

R. neg. conseq. quia actus præceptus ei, qui pauperibus restituere debet, est restitutio: sed qui gratis donat, ut donat qui restituere non intendit, non ponit actum restitutionis, sed liberalitatis; ergo adhuc manet obnoxius restitutioni. Crederem tamen, ait Habert, Clericum, qui non advertens se quosdam Beneficii fructus non fecisse suos, largas interim Ecclesiæ, vel pauperibus fecit eleemosynas, ea persuasione, quod Beneficiarii ex justitia teneantur dare superfluum pauperibus, a restituendo immunem fieri: is enim vere restituit omne, quod debet, supposito, quod eleemosynæ, quas fecit adæquent id, quod debebat ratione fructuum male perceptorum. Addo eum, qui intenderet restituere, si quid forte debeat, quod sibi exciderit e memoria, non teneri ad novam restitutionem; quia quod donat, reipsa datur per modum restitutionis saltem conditionatæ: hic autem sufficeret intentio generalis, neque necesse foret, ut ea toties renovaretur, quoties homo aliquid donaret.

R. II. in tertio casu non satisfieri præcepto. Non enim satisfit præcepto, nisi per obedientiam, & subjectionem saltem interpretativam, respectu legis, & legislatoris: sed qui expresse vult non satisfacere, hanc obedientiam non habet: alioqui consistere posset obedientia cum expresso actu nolendi obedire: quod repugnat.

R. III. In secundo casu, de quo major est difficultas, non videtur præcepto satisfecisse, qui Missam audivit nolens satisfacere, sed alii adesse volens, cujus auditione satisfaceret: I. quia *actus hominis ultra intentionem ejus non operantur*: atqui ex hypothesi homo ille non habet intentionem satisfaciendi; ergo revera non satisfacit. II. Ideo qui de præcepto Ecclesiæ non cogitat, satisfacit ponendo actum ab Ecclesia præceptum, quia affectum saltem interpretativum habet legem adimplendi: atqui repugnat in terminis, ut qui vult expresse non satisfacere, affectum hunc habeat. III. qui ad Sacrum audiendum tenetur ex voto, non satisfacit voto, si velit non satisfacere; quia scilicet ipsi liberum est prorogare voti obligationem: atqui non minus liberum est homini prorogare obligationem legis de audienda Missa; neque ullum exhiberi potest Ecclesiæ præceptum, quo obligetur quis ad satisfaciendum legi de audienda Missa, vel de annua communione per primæ, cui aderit, Missæ auditionem, aut per primam, quam faciet tempore paschali, communionem. Et vero

quare

quare negaret mihi Ecclesia solatium satisfaciendi præcepto suo in ipso Paschatis die? Aliud est de eo, qui Missam audit nesciens eam hac die præcipi. Is enim generalem habet, quam habent fideles omnes, intentionem implendæ legis, si quæ posita sit.

Hic duo addenda: I. qui utcumque renitens actum lege præceptum exequitur, non semper est transgressor præcepti, ut patet in pueris, qui Missam pie audiunt, quam non audissent, nisi parentum minis coacti. II. Clericus, qui officium recitavit, sed minus pie quam optasset, quique novam Horarum recitationem sibi proponit, ut præcepto satisfaciat; si postea suo, vel alieno consilio novæ recitationis voluntatem abjiciat, non peccat, quia eum tempore recitationis interpretativam saltem satisfaciendi voluntatem habuerit, revera satisfecit, novumque ejus propositum nihil in actu præcedente immutare potuit.

CONCLUSIO III. Modus virtutis, ut quis agat propter honestum finem, cadit sub præceptum legis naturæ.

Prob. Lex naturæ ita præcipit virtutis actus, ut omni ex parte boni esse debeant; sed actus virtutis ex omni parte boni esse non possunt, nisi fiant propter bonum finem. Unde qui ob vanam gloriam erogat stipem mendico, ponit quidem materiam præcepti, sed non desinit peccare, saltem contra eam legis partem, quæ præcipit, ut bonum bene fiat. Quod si actus temperantiæ, v. g. non propter ipsam virtutis honestatem sed propter honestatem virtutis alterius, puta religionis, eliciatur, actus ille non desinet esse bonus, nisi quid aliud obsit.

CONCLUSIO IV. Modus, ut quis constanter, & firmiter operetur, non cadit sub præceptum.

Prob. Modus, ut quis constanter, & firmiter operetur, habitum supponit: atqui ad satisfaciendum præcepto non requiritur, ut quis agat ex habitu: alias qui semel malus est nunquam posset habitum bonum comparare; quia actus omnes, qui habitum præcederent, essent mali, cum nullus eorum fieret ex habitu; ergo.

An modus charitatis cadat sub præceptum pro quocumque actu, ita ut peccet quisquis ex charitatis proprie dictæ motivo non agit, expendi supra pag. 35. col. 2.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De affectionibus Legis naturalis.*

Affectiones legis naturalis sunt unitas ejus, & indelebilitas ex parte hominis; immutabilitas vero seu ex parte legis ipsius, seu ex parte Dei. Tria hæc duobus paragraphis exequemur.

### §. I.

Certum est legem naturalem, licet plura contineat præcepta, esse tamen unam: I. unitate finis, quia universa ejus præcepta in id unum tendunt, ut unaquæque creatura destinatum sibi finem attingat. II. unitate principii, quia ab uno auctore, Deo scilicet dimanat. Difficultas est, utrum eadem lex apud omnes una sit, tam quoad cognitionem, quam quoad rectitudinem; seu an ejus principia ab omnibus cognoscantur ut vera, & justa sit.

CONCLUSIO. I. Lex naturalis tam quoad rectitudinem, quam quoad cognitionem apud omnes est una, si spectetur quantum ad prima, & generaliora principia; secus, si spectetur quantum ad principia remotiora.

Prob. 1. pars: quia prima principia practica sunt similia primis principiis speculativis, nec majori, quam ista, discursu indigent: atqui prima principia speculativa ab omnibus ratione præditis cognoscuntur, & judicantur vera; ergo & practica.

Prob. 2. pars: Si lex naturæ apud omnes una foret, etiam dum spectatur quoad principia remotiora, omnes omnino homines, ac præcipue justi de eorum veritate convenirent: atqui certum est, ne ipsos quidem Ecclesiæ Doctores semper inter se consensisse de remotioribus legis naturæ consectariis; unde eorum quidam id damnavere, quod alii approbabant (*Sup. p. 9. col. 1.*). Hinc supra diximus remotiores juris naturalis conclusiones invincibiliter ignorari posse.

CONCLUSIO II. Lex naturalis sumpta in actu primo non potest in humanis cordibus aboleri. Si vero sumatur in actu secundo non deletur quidem quoad principia generaliora, sed deleri potest quoad principia quædam obscuriora. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars: Lex naturalis in actu primo est ipsamet natura rationalis, prout vim accepit a Deo, qua bonum a malo discernat, & judicet unum rejecto alio teneri debere: atqui quandiu homo sanæ mentis est, tandiu hanc bonum a malo discernendi vim habet, quantumvis omni vitiorum cœno immersus sit, sicut semper vim habet veritates speculativas intelligendi, quantumvis ignorantiæ tenebris involutus supponatur. Hinc S. Augustinus L. 8. de Genesi ad lit. c. 23. *Nunquam ita punit Deus voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem*: porro perimeretur humanæ naturæ dignitas, si nulla in ea remaneret impressio dictans, quid agi debeat, quid devitari; ergo.

Prob. 2. pars ex S. Augustino Lib. 2. Confess. cap. 4. *Lex tua, Domine....scripta* est *in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Unde S. Prosper:

*Nam quis erit, modo non pecus agri, aut bellua ponti,*
*Qui vitiis adeo stolide oblectetur apertis,*
*Ut quod agit, velit ipse pati? Mendacia fallax,*
*Furta rapax, furiosum atrox, homicida cruentum*
*Damnat, & in mœchum gladios distringit adulter.*

Unde sic: Si in aliquibus delerentur penitus primaria legis naturæ principia, maxime in impiis, & atheis, qui vitam per omnia solutam agentes, nullius sunt conscientiæ: atqui, ex Augustino, ne in his quidem penitus extincta sunt legis naturalis principia, cum vitium, quod ipsi perpetrant, in aliis detestentur, & virtutem, quam non colunt, laudent; ergo lex naturæ *potest obumbrari, quia non est Deus: extin-*

 *gui*

*qui non potest, quia a Deo est*, ait Tertullianus Lib. de anima cap. 41.

Obj. Sap. 2. quidam esse dicuntur, quos *excæcavit malitia eorum*. & Rom. 3. *Non est intelligens, non est requirens Deum, &c.*: sed qui excæcati sunt, nihilque intelligunt, ignorant prima morum principia; ergo.

R. neg. min. Hæc enim non sic accipienda sunt, quasi flagitiosi homines omnem boni, & mali notitiam exuerint; cum graves aliquando patiantur conscientiæ remorsus, & *justitiam Dei* (*Rom.* 1.) cognoscant, etiam cum in omnia scelerum genera proruunt; sed quia eo tandem deveniunt, ut frontem gerant mulieris meretricis, unde nolunt *erubescere* (*Jerem.* 2.). Erubescerent ergo, si vellent, sed præ malitia sua nolunt.

Prob. 3. pars. Legem naturalem in cordibus deleri quoad principia remotiora, nihil est aliud, quam quædam admitti ut bona, quæ ex natura rei mala sunt, & vicissim, sive hoc fiat culpabiliter, ex passione, aut prava consuetudine; sive (quæ deletionis ratio minus propria est) hoc fiat inculpabiliter, ut cum Ecclesiæ Doctores circa quædam moralis disciplinæ capita in varias opiniones scinduntur incerti: atqui docent experientia, & historia non raro evenisse, atque etiamnum evenire, ut quæ quibusdam mala videntur, hæc ab aliis admittantur ut bona, & licita; ergo.

## §. II.

Mutatio legi alicui multis modis accidere potest: I. per *additionem*, cum ei nova lex super additur. II. per *interpretationem*, vel epikeiam, cum vel explicatur, vel etiam corrigitur aliquod ejus præceptum. III. per *subtractionem*, cum aliquid, quod prius erat de lege, de ea esse desinit. Hæc autem subtractio multipliciter contingit: I. per *derogationem*, cum pars legis tollitur altera vim suam retinente. II. per *abrogationem*, cum lex omnino tollitur, sive per desitionem materiæ, sive per revocationem superioris, vel consuetudinis contrariæ præscriptionem. III. per *irritationem*, cum lex necdum perfecte obligans aboletur. IV. per *dispensationem*, cum obligatio legis relaxatur respectu personæ particularis ex causa, quæ sola non sufficeret obligationi tollendæ; alias foret interpretatio legis.

Certum est I. novas leges, Mosaicam v. g., & Evangelicam legi naturali superadditas fuisse. At hæc non est vera mutatio legis naturalis, quæ semper prohibet id, quod ab initio prohibuit, semper id permittit, quod ab initio permisit, licet nunquam impedierit, quominus terreni legislatores res quasdam de se indifferentes prohiberent, aut præciperent.

Certum est II. legem naturalem nulla, si proprie loqui velis, egere interpretatione; cum ab omni ambiguitate semper immunis sit. Nec est quod objiciatur legem hanc prohibere homicidium, quod tamen in quibusdam casibus licitum est: neque enim homicidium lege naturali prohibetur pro casibus, in quibus necessarium est, sed solum cum fit auctoritate privata, &c.

Certum est III, neque etiam mutari posse legem naturalem per subtractionem. Hæc enim subtractio, vel ab intrinseco foret, quatenus lex naturæ ex utili fieret noxia, quod admitti nequit; vel foret ab extrinseco, quatenus humani legislatores eandem legem vel ex toto, vel ex parte tollerent: at id etiam admitti nequit; quia lex naturalis id solum vetat, quod essentialiter malum est; nemo autem hominum efficere potest, ut rem essentialiter malam peragere licitum sit. Tota igitur, quæ moram injicere possit, quæstio in eo est, an Deus in lege naturali dispensare possit: est autem in præsenti dispensatio relaxatio legis in casu, in quo eadem lex alioqui obligaret, & pro quo proinde constituta erat. Sit

CONCLUSIO. Nulla sunt legis naturæ præcepta, in quibus Deus dispensare possit.

Prob. Dispensare aliquem a lege naturali, est eidem permittere, ut faciat aliquid, quod lege naturali prohibitum est: atqui Deus nemini permittere potest.... Quod enim lege naturali prohibitum est, essentialiter repugnat rectæ rationi: atqui Deus nemini concedere potest, ut faciat actionem rectæ rationi essentialiter adversam. Jam enim actio hæc esset simul recta, & non recta secundum se totam: I. esset recta, quia fieret ex Dei dispensatione, quæ non potest esse rectæ rationi difformis. II. tamen recta non esset, quia esset essentialiter mala, cum lex naturæ id solum prohibeat, quod essentialiter malum est.

Confirm. I. Si Deus in lege naturali dispensare potest, maxime quia, ut Ochamo placuit, quod ea præcipitur, bonum non est nisi quia præceptum est; quod vero ea prohibetur, ideo malum est, quia vetitum: atqui hoc evidenter falsum est. Quæ enim antecedenter ad quodlibet præceptum Dei liberum congruunt cum attributis tum Dei, tum creaturæ rationalis, ante omne præceptum liberum bona sunt: atqui ante quodlibet liberum Dei præceptum quædam sunt, quæ conveniunt necessario cum attributis tum Dei, tum creaturæ rationalis. Etsi enim nullam positivam legem tulisset Deus, veracitas in verbis, qua mendacium excluditur, congrueret cum veracitate Dei, essetque creaturæ rationali bona: a contrario mendacium eidem Dei veracitati repugnaret, nec proinde congrueret creaturæ rationali, cujus perfectio tota in eo est, ut Deum, quam propius fieri potest, referat.

Confirm. II. Si mendacium non repugnat essentialiter Deo, sed sit quid ei indifferens, quidni possit Deus ipsum præcipere? quidni posset ipse mentiri? quidni supponatur de facto mentitus in iis, quæ per Scripturas revelavit? Jam vero si horrenda hæc suppositio non repugnat, certum est nihil esse, quo nobis de mysteriorum veritate constet: hæc enim præcipue cognoscuntur ex Scripturis, quæ ex hypothesi ut verum, sic & falsum proponere poterunt.

Obj. I. Lex naturalis vetat, ne occidatur insons: atqui Deus Abrahamum ab hac lege dispensavit; ergo.

R. I. neg. maj. Lex enim naturalis non vetat simpliciter, & absolute, ne occidatur insons, sed ne occidatur auctoritate privata. Porro qui alium occidit auctoritate Dei ipsius, qui vitæ, & necis dominus est, eundem non occidit auctoritate privata: ergo non magis agit contra legem naturalem, quam contra eandem agat tortor, qui jubente Magistratu sicarium necat. Nec magis jussio filium im-

immolandi Abrahæ imposita dispensatio vocari potest, quam jussio suspendendi homicidam a Magistratu facta vocetur dispensatio: non vocatur autem, alioqui homines in lege naturæ dispensarent, quod nemo admiserit. Huic solutioni, quæ omnes adversariorum cavillos tollit, firmiter inhærendum est.

R. II. cum aliis, dist. min. Deus dispensavit cum Abraham dispensatione improprie dicta, C. proprie dicta, N. Dispensatio proprie dicta est relaxatio legis in casu, in quo manentibus iisdem circumstantiis, & eadem materia, lex alioqui vigeret, & de facto obligat eos omnes, qui in iisdem sunt circumstantiis. Dispensatio improprie dicta est remissio legis, vel potius ast ejus non obligatio, ob mutationem materiæ, vel circumstantiarum, in quibus neminem obstrinxit, aut obstringere potuit. Esto itaque Deus dispensaverit dispansatione improprie dicta cum Abraham, quia eo ipso, quo hominem occidi jussit, mutavit materiam præcepti, *Non occides*, quo ea solum vetatur homicidii species, quæ fit auctoritate privata; at certe non dispensavit dispensatione proprie dicta, quia non jussit, nec approbavit homicidium in iis circumstantiis, in quibus lege naturali prohibitum est. Hoc enim, ut toties dixi, prohibitum non est, nisi cum fit a non habente potestatem: porro implicat, ut cui Deus aliquid præcipit, ejusdem exequendi potestatem non habeat; argo.

Dixi, *Esto dispensaverit dispensatione improprie dicta.* Sicut enim posita hac lege: *Nemo nisi infirmus utatur vino per Quadragesimam*, qui vere infirmus est, vino uti potest, absque eo quod etiam improprie a lege dispensatus dicatur; quia lex lata non fuit generaliter, sed cum exceptione: sic etiam is, cui a Deo præceptum est, ut alium hominem occidat, na improprie quidem dispensatus dici debet; quia lex naturalis non dicit simpliciter, Non occides, sed dicit, Non occides, nisi legitima potestas, vel vitæ servandæ necessitas id exegerint.

Inst. Ille proprie dispensat in præcepto non occidendi innocentem, qui auctoritate sua licitam facit occisionem, quæ alias foret illicita: atqui Deus jubendo insontem occidi, licitam fecit auctoritate sua occisionem, quæ alias fuisset illicita.

R. neg. maj. quia sola materiæ mutatio seclusa dispensatione efficit ut licitum sit id, quod alias erat illicitum: porro Deus, vel judex cum aliquem necari jubent, mutant materiam legis naturalis. Hæc enim materia est non quævis occisio, sed occisio injusta: quod autem a Deo, aut a justo judice præcipitur, non est injustum.

Obj. II. Furtum, usura, & fornicatio prohibentur jura naturali: atqui tamen in his dispensavit Deus: in primo, permittendo Judæis, ut Ægyptiorum bona auferrent, Exod. 11. In secundo, permittendo iisdem, ut pecuniam suam darent alienigenis ad usuram, Deuseron. 23. In tertio demum, præcipiendo Oseæ, ut fornicarie ad meretricem accederet, Oseæ 1.

R. neg. min. & ad 1. dico spoliationem Ægyptiorum ab Hebræis furtum dici non posse: quod enim ii rapuerunt, non alienum arat, sed suum, tum titulo *donationis* sibi factæ a Deo, qui bona temporalia, pro nutu ab aliis in alios transfert; tum titulo *mercedis*, continuis, quibus oppressi erant, laboribus debitæ, nec hactenus redditæ ab Ægypiiis.

Ad 2. iniqui non erant Judæi aliquid supra sortem recipiendo, sive quia hoc ipsis a Deo donatum erat, sive quia hoc recipiebatur ab hostibus suis, quibus non fortunas modo, sed & vitam eripere potuissent.

Ad 3. nego Oseam esse fornicatum. Vere enim jubente Deo in uxorem duxit eam, quæ prius fornicaria fuerat, ut in hunc locum docet S. Hieronymus.

Inst. Voluit Deus ut Propheta faceret *filios fornicationum* (*Cap.* 1. & 2.): atqui filii fornicationum non essent, qui a legitimo matrimonio procreati fuissent.

R. filios hujus mulieris vocari filios fornicationum, vel quia præcepit Deus Prophetæ, ut filios ab illa muliere fornicaria genitos adoptaret; prout insinuant hebræi, græci, & latini multi Codices: vel quia nati sunt ex muliera, quæ ante fuerat fornicaria; qua de causa serpens ex Moisis virga productus vocatur virga, Exod. 7.

Obj. III. Lex naturæ vetat I. conjugium fratris cum sorore. II. polygamiam, quæ cum pace familiarum, & bona liberorum educatione componi non potest. III. matrimonii dissolubilitatem; atqui tamen tria hæc a Deo permissa sunt ante Evangelium.

R. neg. maj. & dico nullum ex his legi naturæ adversari, saltem cum eædem occurrunt circumstantiæ, propter quas tria hæc in usu fuerunt; id est Dei mandatum, aut permissio, & necessitas sive absoluta, sive Dei ipsius judicio vere sufficiens. Nam I. cum propagari deberet humanum genus, nec plures Deus mares, aut fœminas condidisset, necesse fuit, ut sorores fratribus commiscarentur. II. cum juxta consilia Dei multiplicari deberet gens Istaelitica, licitum esse debuit uni marito plures simul uxores ducere, præsertim cum Deus incommodis, quæ inde exotiri poterant, satis mederetur. III. denique lex naturalis non impedit, quin Deus, qui supremus est corporum dominus, matrimonium dissolvere possit. Sed de his ubi de Matrimonio.

Quæres obiter I. quid sit jus gentium. II. an ad jus naturala revocari debeat, an ad positivum. III. an mere concessivum sit, an non potius præceptivum.

R. ad 1. Jus gentium est illud, quod *usu exigente, & humanis necessitatibus gentes humanæ sibi constituerunt.*

Ad jus gentium pertinet: *Sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita.* Item *manumissiones, rerum divisio, commercia, contractus venditionum* & alii similes. Ita habetur Instit. Lib. 1. tit. 1. §. 2.

R. ad 2. Jus gentium reduci debet ad jus positivum.

Prob. I. Jus gentium est illud, quod exigente usu, & suadente ratione homines sibi constituerunt, & quo *omnes fere gentes utuntur*: atqui tale jus positivum est, non naturale: Jus enim naturale non constituitur ab hominibus, sed ipsis a natura inseritur; aliunde non solum *fere* apud *omnes gentes*, sed apud omnes prorsus gentes viget ejus exercitium, nisi obsint passiones; ergo.

Prob. II. Quidquid præcipitur jure naturali, adeo indispensabile est, ut omitti sine peccato non possit:

 atqui

atqui non ita est de eo, quod jure gentium inducitur; nam manumissiones, servitutes, contractus venditionis, bonorum divisio, ab humana voluntate pendent, possentque absolute omitti sine peccato; ergo.

Obj. S. Thomas 1. 2. q. 95. a. 4. in exemplum juris gentium adducit justas emptiones, venditiones, &c.: atqui hæc ad jus naturale necessario pertinent.

R. quod quamvis juris naturæ sit, ut venditiones, ac emptiones, quæ fiunt, juste fiant; non tamen juris est naturæ, ut venditiones, & emptiones fiant inter homines diversarum nationum, nisi hoc juris naturæ esse dicatur, quatenus ad id a natura plurimum inclinamur.

R. ad 3. Jus gentium non est simpliciter concessivum, sed vere præceptivum.

Prob. I. quia vera lex non est mere permissiva; sed etiam præceptiva: atqui jus gentium est vera lex, ex S. Thoma, & Jurisconsultis; ergo.

Prob. II. Si jus gentium non esset vere præceptivum, non peccaret quis ipsum violando: atqui falsum consequens. Nam receptio legatorum, & libertas celebrandi commercia, pertinent ad jus gentium, eoque solo, non jure naturali, sunt introducta: sed qui legatos non reciperet, aut læderet libertatem commercii, posito communi Regum, & populorum consensu tum de receptione legatorum, tum de libertate commercii, vere peccaret, eique juste bellum indiceretur; ergo.

## CAPUT QUARTUM

*De Lege divina.*

LEX divina positiva, de qua hic loquimur, sumitur dupliciter: I. late, quo sensu significat non præcepta solum, sed consilia etiam, minas, & cætera, quæ divinis in libris continentur. II. proprie, pro peculiaribus præceptis ad finem supernaturalem spectantibus; & sic accepta definitur: Decretum Dei præscribens hominibus modum, quo ad finem supernaturalem perveniant. Unde prædicta lex magnæ est utilitatis, sed non est tamen absolute necessaria, cum quidam Gentiles absque ea de facto salvati fuerint.

Lex divina dividitur: I. in legem pure positivam, & non pure positivam. Prima ea præcipit, aut vetat, quæ ex se sunt indifferentia; ut circumcisionem. Secunda ea præcepit, aut vetat, quæ jam ante jure naturali præcipiebantur, aut prohibita erant; ut adulterium; & hæc non differt a lege naturali, nisi quantum ad modum, quo intimatur.

II. in veterem, seu Mosaicam, novam, seu Evangelicam. Ut hæc divisio retineatur tanquam adæquata, necessum est, ut per legem antiquam intelligantur præcepta omnia, quæ Deus sive ante Moisen, sive post Moisen usque ad Christum populo suo tradidit verbo, aut scripto. Certum est enim Patriarchas Moise antiquiores, non fuisse sine omni lege; cum diu ante vetitum iis esset, ne *carnem cum sanguine* comederent, Genes. 9. & circumcisio non esset *ex Moise*, *sed ex patribus* Joan. 7.

Quæres, an epikeia cadat in legem divinam.

R. Aliquo sensu cadere, aliquo non cadere: I. cadit hoc sensu quod lex divina verbis tam generalibus concipiatur, ut propter universalitatem hanc in aliquo casu particulari deficere videatur. Sic lex, quæ generatim vetat, ne die Sabbati fiat opus ullum servile, hanc patiebatur interpretationem, nisi necessitas aliud fieri postulet; ut constat ex I. Machab. cap. 2.

Quoniam vero per epikeiam sæpe intelligitur emendatio legis in certis casibus, quos legislator non prævidit; ideo dicendum est epikeiam hoc sensu non cadere in legem divinam; quia licet noluerit Deus acceptiones omnes legibus suis apponere, optime tamen prævidit casus omnes, in quibus futurum erat, ut restrictione indigerent. Cur vero lex divina vulgo non obliget in extrema necessitate, in qua tamen obligare posset Deus, si absoluta potestate uti vellet, ratio hæc merito affertur, quod Deus, qui *disponit omnia suaviter*, infirmitati nostræ accomodare se voluerit, & eum legislatoribus humanis exhibere modum, quem in condendis suis legibus subsequi debent. His præmissis dicendum I. de lege veteri. II. de lege nova.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Lege veteri.*

PER veterem legem eam hic intelligimus, quæ populo Israelitico data est; hæc triplici nomine vocatur: *vetus*, ut distinguatur a lege Evangelica: *Mosaica*, quia Moisi data est, & per eum promulgata; & *lex* simpliciter, quod juberet quidem, aut prohiberet, sed per se gratiam non conferret. De hac lege multa quærentur, puta an bona fuerit, an Deum habuerit auctorem, &c.

### SECTIO PRIMA.

*An lex vetus bona fuerit, & perfecta.*

LEgem veterem malam fuisse, & a malo Deo traditam sensere plures, præcipue vero Manichæi, contra quos sit

CONCLUSIO I. Lex vetus bona est.

Prob. 1. pars. Ea lex est bona, cujus sanctitatem ubique celebrat Scriptura, quam viri pietate insignes utriusque Testamenti executioni mandaverunt; quæ præcipit virtutem, & prohibet peccatum; quæque sancita fuit in fœdus Deum inter & homines: atqui lex vetus I. celebratur ut recta, *immaculata*, *convertens animas* Psalm. 18., & Rom. 7. *Lex quidem sancta*, *& mandatum sanctum*, *& justum*, *& bonum*. II. eam implevere quotquot in utroque Testamento floruerunt religione, ac pietate. In veteri Patriarchæ, Prophetæ, Moses, Samuel, ac præcipue David, qui continuo psallebat: *Lex* ( *Psalm.* 118. ) *tua meditatio mea*.

*mex est: legem tuam non sum oblitus*. Ipsam executioni mandavit Christus, qui de se ait Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere*; quique voluit circumcidi, Sabbatum servare, celebrare Pascha, &c. III. lex eadem virtutem præcipit, & malum vetat; cum in eo tota sit, ut homines ad Deum adducat, ut honorentur parentes, ut non adhibeatur mensura, & mensura. IV. lex antiqua sancita est in fœdus Deum inter & homines initum Deut. 26. v. 17. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & custodias cæremonias illius, & mandata, atque judicia, & obedias ejus imperio*; ergo.

Confirm. Lex, quæ secundum omnes sui partes est a Deo, non potest esse nisi sanctissima: atqui lex vetus.... Prob. min. tum ex Deuter. ubi sic loquitur Moises: *Hæc sunt præcepta, cæremoniæ, & judicia, quæ mandavit mihi Dominus Deus vester*; tum ex Luc. 24. ubi Christus, *Necesse est*, inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moisis, & Prophetis, & Psalmis de me*. Et vero si vel una Scripturæ pars homini tribuatur, nutabit tota ejus fides; cum definiri nequeat quæ pars divina sit, quæ humana.

Obj. id Ezech. 20. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*; ergo.

R. I. cum S. Hieronymo, textum illum intelligi debere non de lege veteri, sed de iniquis Gentilium præceptis, quæ a Deo data dicuntur, quia Deus gentes tradiderat desideriis suis propter peccata earum. Et vero Deus ibidem leges suas opponit præceptis, quæ vocat non bona: *Dedi eis præcepta mea .... quæ faciens homo, vivet in eis*. Posset quoque textus intelligi pro futuro, juxta phrasim Hebræis familiarem, ita ut dedi, idem sit ac dabo, id est, permittam, ut sub leges idololatrarum cadant, easque legi meæ anteponant.

R. II. cum S. Augustino, dist. Præcepta legis antiquæ non erant bona, id est, per se non sufficiebant ad justificationem, ideoque erant imperfecta, C. non erant bona, id est, quidpiam habebant rationi difforme, N. *Forte*, ait S. Doctor Epist. 82. n. 14. *propterea non dixit mala, sed tantum non bona, id est non talia, ut illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant*. Et ista quoque est solutio S. Gregorii Lib. 28. Moral. cap. 9., ubi docet legem veterem dici non bonam comparate ad legem novam: quia *bona quasi bona sunt comparatione meliorum*.

Inst. Ea lex fuit absolute mala, quæ ideo cessavit quia culpa non vacabat: atqui lex vetus ideo cessavit. Nam ex Heb. 8. *Si illud prius* Testamentum *culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur*.

R. dist. Non vacavit culpa improprie sumpta; quatenus deficiebat a perfectione novæ fidei, ut umbra a veritate, C. culpa proprie dicta, N. *Quid ergo dicemus*, ait Apostolus Rom. 7. *Lex peccatum est? absit*. Eatenus igitur culpa erat in lege veteri, vel quia culpas, & animæ peccata non sanabat; vel quia erat peccati occasio, quatenus nitimur in vetitum. Hinc S. Paulus, *Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*.

Inst. II. In ea lege fuit culpa proprie dicta, cui deerat id, quod est in lege præcipuum, nempe ut sit salutifera; quæque e contra fœcunda erat peccatorum seges: atqui talis fuit lex vetus. Nam ex Apostolo Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*. & I. Cor. 3. lex dicitur *ministratio mortis, ministratio damnationis*; ergo.

R. dist. Lex fecit, ut abundaret delictum, occidebat, erat mortis ministratio, occasionaliter, & quidem occasione sumpta ex parte hominis, C. ex instituto legis, & fine legislatoris, quasi ex professo cupiditati fomenta præberet, N. Eorum igitur malorum lex fuit occasio, sicut quotidie superiorum mandata peccati occasio fiunt, quatenus concupiscentia fræni impatientem irritatur; non autem quasi hominem de se ad peccatum impellant. Adde quod hominibus sub lege veteri constitutis non deessent *salutis auxilia*, quæ licet per legem non darentur; *simul* tamen *cum lege* conferebantur, prout docet S. Thomas 1. 2. q. 98. art. 2. Hinc impium est, quod docet Jansenius, *gratiam* supernaturalem *repugnasse scopo legi*; (*L. 3. de Gr. Christ. cap. 5. & 7.*); statum veteris Testamenti non attulisse Judæis *gratiam sufficientem, sed potius impedientem*; adeo ut non modo lex non *afferret justitiæ facilitatem*, sed potius *eam difficiliorem fecerit, & quasi muro quodam interposito impossibilem* (*Ibid. lib. 1. cap. 8.*). Quæ errorum portenta pie renovavit Quesnellus Prop. 6. & 7.

Inst. III. Ea lex vere, & per se erat peccati causa, cujus præcepta pietati adversabantur, quæ vindictam fovebat, & illud permittebat, quod leges humanæ merito prohibent: atqui talis erat lex vetus: I. enim pietati adversa erat, cum vetaret ne mortuis redderetur officium sepulturæ, & præciperet pro immundo haberi eum, qui tetigisset hominis mortui cadaver. II. fovebat (*Num. 9.*) vindictam, cum oculum pro oculo, dentem pro dente erui sineret; unde Christus Matth. 5. eam abrogavit. III. permittebat quod merito vetant leges Principum; puta ut domini necarent servos suos, quia eos pecunia sua emerant, Exod 21. v. 20. & 21.

R. neg. min. Ad 1. sunt qui putent eos, qui mortui tentorium ingrediebantur, non fuisse immundos, cum aliqua erat vel tentorium illud ingrediendi, vel mortui cadaver tangendi necessitas; idque, inquiunt, colligitur ex historia Tobiæ, quem laudat sacer textus, quia *mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat* (*Tob. 1. 20. & 21.*). Alii vero ex necessitate contrahendi immunditiam legalem nihil contra legis antiquæ sanctitatem colligi posse respondent: tum quia immunditia illa peccatum non erat; tum quia per opera etiam justa, & necessaria contrahi poterat, sicut nunc a Judicibus reum morti juste, & sancte addicentibus contrahitur irregularitas; tum denique quia immunditia illa non vacabat mysteriis. Inde colligere erat I. vitandos esse peccatores, quorum mortui veræ sunt imagines. II. eos ad sacrificia Deo exhibenda inhabiles esse, qui immunditiam spiritualem, quæ per exteriorem significabatur, gererent; ergo immunditia legalis Mosaicæ legis sanctitatem arguit, nedum injustitiam probet.

Ad 2. neg. ant. Ea enim lex concupiscentiam non fovebat, quæ vindictæ, & furoris, *non fomes, sed* ...

*enes*

mer erat. Talis porro erat ex Augustino lex talionis, de qua agitur in objectione; prohibebat enim, ne qui læsus ab alio fuerat, asperiori uteretur vindicta; sicque rudi populo primus lenitatis gradus constituebatur. Et vero lex Mosaica ab ultione, & odio avertere conabatur, ut patet ex his verbis Exodi 23. & Levitici 19. *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Quod ergo dicit Christus: *Audistis quia dictum est: Odio habebis inimicum*, non debet intelligi de lege Mosaica, quasi hæc odium inimicorum præscriberet, sed de iniquis Pharisæorum traditionibus, qui ex eo quod sæpe in Scripturis præcipiatur amor in amicos, male colligebant ibidem præcipi odium inimicorum.

Ad 3. nego permissam fuisse heris servorum occisionem. Equidem heris servos necantibus nulla pœna constituta erat, quia consulendum erat dominis, in quos plerumque insurrexissent servi, nisi pœnarum, mortisque ipsius metu compressi fuissent: at non ideo proptie ipsis licitum erat servos occidere: I. quia reus judicabatur dominus, in cujus manu sub virgis expirasset servus. II. quia lege alia præceptum erat, ut Judæi proximos diligerent; inter proximos autem non infimum habent locum, qui vicinitatis, servitutisve titulo nobis conjunguntur.

CONCLUSIO II. Lex vetus multipliciter imperfecta fuit; tamen in suo ordine, & gradu perfecta.

Prob. 1. pars. Illa lex imperfecta erat, quæ multis caruit perfectionibus, quæ in lege nova concurrunt: atqui lex vetus .... Lex enim, quæ in Scriptura vocatur inutilis, infirma, ad salutem insufficiens, multis caruit perfectionibus, quæ legi novæ non desunt: atqui lex vetus I. vocatur infirma, & inutilis Heb. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* II. lex vetus erat ad salutem insufficiens, quia per se non dabat vires ad assequendum finem suum, neque ad præcipuos suos actus. Unde Apostolus Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.* & Rom. 8. *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, & mortis.... quod impossibile erat legi*, &c. Hinc S. Augustinus Tract. 3. in Joan. n. 14. *Lex*, inquit, *minabatur, non opitulabatur; jubebat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat.*

Confirm. nam I. *Lex per Moisen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est* (*Jo.* 1.); ergo lex nova ratione promulgatoris superat antiquam. II. ratione subditorum: lex enim Evangelica pro omnibus lata fuit: *Ite, docete omnes gentes*, Matth. ult. Lex Mosaica non nisi pro Judæis. III. ratione durationis: nam *lex vetus posita est, donec veniret semen*; lex nova usque ad mundi finem consistet, Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* IV. ratione modi: lex Mosaica in lapidibus descripta est, lex nova in hominum cordibus inscribitur. V. ratione materiæ: lex vetus tantam complectebatur præceptorum multitudinem, ut vocetur ab Apostolorum Principe *jugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus* (*Act.* 15.); * lex nova pauciora habet præcepta, eaque longe faciliora.

Obj. Lex, quæ multos habuit, & peperit justos, sterilis, & egena dici non potest: atqui lex vetus ....

Prob. min. ex censura hujus Quesnelli propositionis num. 65. *Moises, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

R. dist. maj. Lex, quæ habuit, & per se peperit justos, egena non est, C. lex, quæ non per se, sed per merita Mediatoris venturi justos peperit, egena non est, N. Porro Justi, qui sub lege vixerunt, non per ipsam legem, sed per merita Christi justitiam consecuti sunt: *Bibebant illi de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus* (1. *Cor.* 10.). Eadem ergo fides & nostra, & illorum fuit, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.

Nec nocet censura propositionis 65. Quesnelli. Hæc enim merito damnata fuit; quia licet lex neminem per se justificaret, certum tamen est collatas cum ea fuisse gratias, non timoris solum, quo Israelitæ mancipia fierent, sed & amoris, quo constituerentur filii Dei: I. quia timor ipse, quo Moises, & Prophetæ Judæos adimplebant, ad justitiam conducebat, juxta id Eccli. 2. *Qui timent Dominum, sanctificabunt animas suas.* II. quia Doctores sive antiquæ, sive novæ legis non efficiunt *servos*, aut *filios*, nisi per instructionem, & documenta: atqui falsum est quod Moises non nisi metum, & tremorem edocuerit Judæos; ubique enim ad amorem hortatur: *Et nunc Israel*, ait Deut. 10. *quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut diligas eum?* Hinc, juxta Augustinum Lib. de morib. Eccles., *Utrumque* (amor, & timor) *in utroque* Testamento *est*; ergo falso docet Quesnellus Moisen, & Prophetas non nisi servos effecisse per timorem.

At, inquies, non ipse Moises, sed gratia Dei filios pariebat. Ita profecto, sed quid inde? An legis novæ doctores ex semetipsis, & sine gratiæ auxilio filios Deo pariunt? nequaquam sane. Hæc igitur quorumdam Quesnelli defensorum evasio plane ridicula est. Damnent nobiscum eos, qui contendunt negata fuisse a Deo Judæis auxilia, quibus salubriter timerent, & amarent, & nihil inter nos supererit controversiæ.

Prob. 2. pars Conclusionis. Legis alicujus perfectio non absolute consideranda est, sed cum proportione ad eos, quibus imponitur; unde lex, quæ puero præciperet ea, quæ virorum propria sunt, perfecta non esset: atqui lex vetus iis, quibus imponebatur, proportionata erat; sive spectentur ut homines: præcipiebat enim quidquid ad cognitionem, & cultum veri Dei necessarium est; sive spectentur ut talis populus: quia complectebatur ea omnia, quæ ad rectitudinem vitæ tam moralis, quam humanæ, & politicæ desiderari possunt. Aliunde multa importabat præcepta; quia populus ille duræ cervicis gravi præceptorum sarcina indigebat; ergo lex vetus eum habuit perfectionis gradum, quem habere debuit.

Prob. II. inductione: I. quia hujus legis ope Judæi præ cæteris Gentibus magnitudinem, & sapientiam Dei edocti sunt: Psalm. 147. *Qui annuntiat verbum suum Jacob.... Non fecit taliter omni nationi*: Rom. 3. *Quid*

ergo

* *Judæi numerant præcepta affirmativa 218. negativa 365., id est, præcepta simul 583. alii numerant præcepta 613.*

*ergo amplius Judæo est? .... multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei*; II. quia lex non solum prohibebat omne peccatorum genus, sed virtutes necessarias præcipiebat, præcipue vero dilectionem Dei, quod temere nimis a quibusdam negatum est contra citatum Deuter. textum, *Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut diligas eum?* III. quia si lex vetus non omnino fuit lex amoris, fuit saltem timoris: porro ex cap. 1. Eccli. *Initium sapientiæ timor Domini*; IV. quia homines per eam legem de infirmitate sua convicti ad Mediatorem Christum recurrebant, &c.

Posset hic expendi, an lex vetus per Angelos data fuerit, an per ipsum Dei Filium, qui sub corporea specie incarnationi suæ præluderet: verum quæstionis hujus solutio satis habetur in Tract. de Trinitate.

## SECTIO SECUNDA.

### *De fine, materia, & subjecto Legis veteris.*

HIc inquirimus quis fuerit legis antiquæ generatim sumtæ finis, sive proximus, sive remotus: circa quod, sit

CONCLUSIO I. Finis proximus legis fuit institutio populi Israelitici in iis, quæ spectant ad rectitudinem naturalem, ad cultum Dei, & ad politiam civilem.

Prob. quia triplex apud Judæos erat genus præceptorum, alia erant moralia, alia cæremonialia, alia demum judicialia: atqui moralia ad rectitudinem naturalem, cæramonialia ad cultum Dei, judicialia ad politicam administrationem spectabant; adeo ut per hæc tria simul sumta quilibet Judæus convenienter ordinaretur circa seipsum, circa Deum, & circa proximum; ergo.

CONCLUSIO II. Finis a Deo magis principaliter in legis concessione intentus fuit spiritalis, & supernaturalis felicitas ejusdem populi, tum in hac vita per morum sanctitatem, tum in altera per beatitudinem æternam. Ita cæteri contra Jansenium.

Prob. Homines in utraque vita beati efficiuntur, cum declinant a malo, justitiam sectantur, æternam damnationem fugiunt, æternam vitam adipisci nituntur: atqui hæc omnia a Judæis præstari voluit Deus, cum legem ipsis concessit; unde lex illa vocatur Psal. 18. *immaculata*, & *convertens animas.* Ibidem, *In custodiendis illis* mandatis *retributio multa* esse dicitur, eaque non temporalis solum, sed & æterna, juxta id Tobiæ cap. 2. *Filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem nunquam mutant ab eo.* Cum autem qui vult finem, velit & media ad ejus consecutionem necessaria, pro certo tenendum est Deum gratias, quibus utrumque hunc finem obtinere possent, nunquam denegasse Judæis, de quo alibi.

Duo hic sponte confitemur unde objectiones solvi possunt: I. populum carnalem sæpe ad bonum boni temporalis intuitu accensum fuisse, a malo autem supplicii metu revocatum. II. gratias, quæ Judæis sub lege positis concedebantur, parciores fuisse quam quæ dantur Christianis; easque non vi legis, sed ob merita Christi aliquando venturi fuisse collatas. At non inde colligendum est Judæos non aliis, quam temporalibus motivis ad bonum inductos fuisse, iisve negata fuisse auxilia supernaturalia, quibuscum pie, & salubriter bonum operari, & a malo declinare possent: alioqui jam Judaica natiò non debet vocari gens Deo cara, gens electa, sed potius misera, & reproba congeries victimarum, quæ ad perditionis diem impinguabantur: quod quam impium sit, sentiet quisquis Jansenii assecla non fuerit.

Quod spectat ad materiam legis, hic præcipue quæritur, an ipsi etiam actus interni hac lege præciperentur; cui quæstioni ut satisfiat, sit

CONCLUSIO III. Actus etiam interni præcipiebantur Lege Mosaica.

Prob. I. quia Lex vetus præcipiebat quidquid erat necessarium ad vitam æternam, quæ ipsius erat finis, ut modo dictum est: atqui ad justificationem, & vitam æternam actus interni sunt maxime necessarii; ergo necessarium fuit, ut actus interni antiqua lege præciperentur.

Prob. II. Lex vetus præcipiebat actum amoris Dei *ex toto corde, tota anima, & tota fortitudine*, Deuter. 6. Item dolorem de peccatis, Levit. 16. Prohibebat quoque odium proximi, concupiscentiam uxoris, aut rei alienæ, Levit. 19. & Exod. 20.: atqui ii actus sunt maxime interni; ergo.

Obj. Ex hac nostra conclusione sequitur, actus fidei, spei, & charitatis lege veteri præceptos fuisse: atqui hoc falsum est. Alioqui enim lex Mosaica jam fuisset perfecta, & par justificationi conferendæ, contra id Apostoli Galat. 2. *Si ex lege est justitia, ergo gratis Christus mortuus est.*

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Licet enim lex præciperet tum fidem futuri Messiæ adventus, Deuter. 18. & Genes. 49. tum actus spei, & charitatis, quibus Deus speraretur ut *merces magna nimis*, & ut talis super omnia diligeretur, non desinebat tamen esse imperfecta: I. quia hujusmodi actus non eliciebantur per ipsas legis vires; sed per gratiam Christi. II. quia lex illa carebat sacramentis, quæ justitiam ex opere operato conferrent.

Jam dicendum de subjecto legis antiquæ, seu de iis, qui eadem lege obligabantur; quod ut melius intelligatur, sciendum est in veteri lege tria fuisse præceptorum genera, moralia, cæremonialia, & judicialia, juxta illud Deut. 5. *Loquor tibi mandata mea, & cærimonias, & judicia.*

Præcepta moralia sunt ea, quæ potissimum spectant ad mores juxta institiæ regulas componendos. Præcepta hæc, quæ in Decalogo habentur, tametsi sint de lege naturæ, lege veteri adscribuntur, quod in ea renovata fuerint,

Præcepta cæremonialia sunt ea, quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati præscribuntur: dividuntur in sacrificia, sacramenta, & festivitates.

Sacrificium triplex distinguitur in lege, scilicet holocaustum, hostia pacifica, & sacrificium pro peccato. In holocausto tota comburebatur victima, ita

ut nihil inde humanos in usus cederet. Hostia pacifica offerebatur vel ad obtinendum a Deo aliquod beneficium, vel in gratiarum actionem pro eodem jam obtento. Sacrificium pro peccato offerebatur pro peccatis quibusdam exterioribus, furti v. g., perjurii, calumniæ, &c.

Sacramenta alia erant multitudini communia, ut circumcisio, esus agni pascalis, purificationes ab immunditiis legalibus, & expiationes a peccatis; alia erant propria ministrorum Synagogæ, ut consecratio Sacerdotum, esus panum propositionis, &c.

Festivitatum genus apud Judæos triplex: aliæ ordinariæ erant, Sabbatum nempe, & Neomenia: aliæ singulis annis revertebantur; ut Pascha, Pentecostes, festum turbarum, expiationum, scenopegiæ, seu tabernaculorum, & dedicationis: aliæ nonnisi post plures annos; ut annus Sabbaticus, & Jubilæus, Levit. 23. & 25.

Præcepta judicialia sunt, ea per quæ publica, & politica res administrabatur. Alia erant Principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem: quædam populi Israelitici ad extraneos, alia ad suos domesticos.

Certum est omnes populos præceptis moralibus, non præcise quatenus legis veteris, sed quatenus legis naturalis erant, fuisse subditos. Inde est quod peccaverint graviter Gentiles, qui, nedum Deum glorificaverint, quod solo naturæ lumine faciendum esse noverant, exarserunt in desideriis suis. Quæstio est, an etiam cæteri præter Hebræos populi cæremonialibus, & judicialibus præceptis subjacerent. Sit

CONCLUSIO. Lex Mosaica quantum ad præcepta cæremonialia, & judicialia solos obligabat Iudæos.

Prob. Lex non obligat nisi eos, quibus imponitur: atqui lex vetus non erat imposita cæteris prætex Judæos populis. Hinc Deus in ferenda lege soli loquitur populo Israel Deut. I. *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moises ad omnem Israel*, & cap. 4. *Quæ est alia gens sic inclita, ut habeat cæremonias, ac justa judicia?*

Confirm. Si lex Mosaica omnes obligasset, nemo tunc temporis sine illius observatione salutem suam potuisset consequi: atqui falsum consequens, ut patet exemplo tum Job, qui certe Israelita non erat; tum Naaman Syri, qui, ut legitur Lib. IV. Reg. cap. 5., veri Dei cultor, nec tamen Mosaicæ legis sectator evasit.

Obj. I. Quicumque subduntur Regi, subduntur & legi ejus: atqui omnes homines subduntur Deo, qui legem antiquam tulit; ergo &c.

R. neg. maj., quia pendet a Rege, ut legem ferat vel pro omnibus, vel solum pro quibusdam familiaribus, & amicis, quales erant Judæi respectu Dei.

Obj. II. Si lex vetus solos obligaverit Judæos, Gentiles, qui sine ea salvari poterant, melioris fuere conditionis, quam Judæi; cum hi, non illi intolerabili legis jugo obruerentur: atqui absurdum consequens.

R. neg. maj. pejor enim conditio non est repetenda a præceptorum multitudine, sed ab impedimentis, quæ a salute removent: hæc vero longe majora in Gentilibus fuere, quam in Iudæis, quos lex arctius conjungebat Deo, & a malo retrahebat.

Cæterum Gentiles ad observationem legis Mosaicæ obligati sunt, quoties voluerunt aggregare se populo Judæorum, eorumque Religionem amplecti, ut patet ex cap. 12. Exodi: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ*. Porro quisquis circumcisus erat, ad totius legis Mosaicæ observantiam tenebatur, sicut ad totius Evangelicæ legis custodiam tenetur, quisquis baptisatus fuerit.

## SECTIO TERTIA.

### *An Lex vetus abroganda fuerit: an de facto abrogata.*

NEgant acriter Judæi; negarunt & alia via Cerinthus, & Ebion, qui legem Mosaicam perpetuo duraturam, & una cum Evangelio servandam esse docuerunt. Contra eos omnes sit

CONCLUSIO. I. Lex vetus abrogari debuit, & de facto abrogata est.

Prob. I. Pars. Ea lex abrogari debuit, cujus abrogationem prædixerunt Prophetæ: atqui Prophetæ.... Illi enim legem Moisis abrogandam esse prædixerunt, qui polliciti sunt fœdus antiquum rescissum iri, & novum sacrificium abjectis veteribus instituendum esse: *translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*: atqui Prophetæ I. prædixerunt antiqui testamenti rescissionem. Sic enim legitur cap. 31. Jeremiæ: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum Patribus eorum.... sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel ..... dabo legem meam in visceribus eorum*. Porro, ut bene discurrit Apostolus Hebr. 8. *dicendo novum fœdus, veteravit prius: quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*. II. non minus evidenter prædixerant Prophetæ abolitis legis antiquæ sacrificiis, quæ extra Hierosolymam offerri non poterant, successurum aliud in orbe toto offerendum. Sic Malachiæ 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*. Huc facit quod dicitur Danielis 9. *In medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*; ergo.

Prob. II. pars, quia legem Moisis abrogatam esse fateri coacti sunt vel ipsi acerrimi ejus zelatores; Judæi nempe, qui licet ad Christum conversi, eandem perpetuo observandam esse crediderant. Patet id ex Actuum cap. 11. ubi Petrus, ut compescat murmur eorum, qui offensi erant, quod cum Gentilibus commercium haberet, narrat quo pacto Spiritus sanctus in Gentiles descenderit: *His auditis*, ait sacer textus, *tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Renovata deinceps Antiochiæ pro iisdem servandis legis antiquæ ritibus contentio, Concilii, quod Hierosolymis habitum est, auctoritate compressa est. *Igitur Act. 15. convenerunt Apostoli, & seniores videre*

*de*

*de verbo hoc*, an nimirum legalium observatio continuari deberet; & re solicite discussa, hoc tandem decretum emiserunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc, necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*. Totus in ea adstruenda veritate fuit S. Paulus, præsertim in Epist. ad Galat. cap. 5. *Nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit, &c.* ergo.

Porro abolita est lex vetus, I. quia opere constructo rejicitur exemplar tanquam inutile, & accedente realitate vanescit figura: atqui lex vetus erat futurorum figura, exemplar, & umbra. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, ait Apostolus Hebr. 10., & I. ad Corinthios 10. *Omnia in figura contingebant illis*. II. quia lex instituta fuit instar pædagogi, quo Judæi ad Messiam adducerentur (*Galat.* 3.): atqui jam advenit Messias; ergo nunc inutilis est lex; ergo reprobari debuit *propter hanc inutilitatem*, ut late probat Apostolus Hebr. 7.

Obj. I. Lex in æternum duratura nec abrogata est, nec abrogari debuit: atqui lex vetus *in æternum* durare debuit ex Baruch. cap. 4. ergo.

R. neg. min. Lex enim dicitur in æternum durare: I. quia diu duratura erat, quo sensu ipsi colles dicuntur æterni. II. quia res, quæ per veteris legis Sacramenta, & cæremonias figurabantur, in perpetuum duraturæ sunt.

Obj. II. Si lex vetus abrogata fuerit, utique a Christo ipso: atqui id dici nequit; quandoquidem Christus non venit *solvere legem*, *sed adimplere* (*Matth.* 5.); ergo.

R. ad 1. neg. min. *Ipse est enim* Christus, *qui ..... legem mandatorum decretis* Evangelicis *evacuavit*, *ut duos* populos Judaicum, & Gentilem *reconciliet*, *&c.* Ephes. 2.

Ad 2. dist. Christus non venit solvere legem, id est, non venit eam violare, dum viguit ejus obligatio, C. non venit solvere, id est, abrogare, subd. non venit abrogare quoad præcepta moralia, secundum se sumta, imo hanc potius adimplevit, & accuratius a suis adimpleri fecit, C. non venit abrogare quoad judicialia, & cæremonialia, N. Quanquam & hanc sic abrogando simul adimpleverit, ut apposite explicat Theophilactes similitudine pictoris, qui dum inchoatæ, & quibusdam tantum lineamentis adumbratæ imagini extremam apponit manum, & colores superinducit, priorem imaginem abolet, non tam dissolvendo, quam perficiendo.

Major est difficultas, an lex vetus quoad moralia præcepta desierit.

Certum est, præcepta moralia, quatenus legis naturalis præcepta sunt, abrogari non potuisse; quia lex naturæ indispensabilis est. Sed quæritur, an etiamnum observari debeant, non solum vi legis naturæ, sed insuper vi legis Mosaicæ. Affirmant aliqui, contra quos sit

CONCLUSIO II. Lex vetus desiit etiam quoad præcepta moralia.

Prob. I., quia sine necessitate distingui non debet, ubi non distinguit Scriptura: atqui cum Scriptura de veteris legis abrogatione loquitur, non distinguit inter hanc, vel illam ipsius partem; sed dicit simpliciter legem desiisse ubi *venit plenitudo temporis*; (*Galat.* 4.) & postquam venit *semen*, *cui promiserat* Deus, *Ibid.* 3. ergo.

Prob. II. Obligatio inutilis admitti non debet: atqui inutile est, quod Christiani ad legis naturalis observantiam vi legis Mosaicæ obligari dicantur; sufficit enim obligatio tum legis ipsius naturæ, tum legis Evangelicæ, qua eadem obligatio confirmata est; ergo.

Obj. I. Præcepta de rebus necessariis sunt immutabilia: atqui præcepta moralia legis antiquæ sunt de rebus necessariis; ergo non possunt mutari, sed semper subsistere debent.

R. dist. maj. sunt immutabilia in se ipsis, C. sunt immutabilia hoc sensu, quod necessario præcipiantur certa lege positiva, N. Hæc enim sicut libere sancita est, sic potuit libere post certum tempus revocari.

Obj. II. Ex dictis Christus non venit abrogare legem quoad præcepta moralia; ergo lex quoad præcepta moralia etiamnum vigere debet.

R. dist. ant. Non venit abrogare quoad præcepta moralia materialiter, & secundum se sumta, C. quoad præcepta moralia formaliter sumta, id est prout veteri lege imperabantur, N. Uno verbo præcepta moralia semper vigent, sed nunc non vigent vi legis Mosaicæ, sed vi legis naturalis, & Evangelicæ. Unde obiter colliges promissionem pietati erga parentes alligatam ab Apostolo Ephes. 6., si eadem sit cum promissione facta in lege veteri, non ab illa lege habere vim suam, sed a lege nova, in qua confirmata est.

## SECTIO QUARTA.

### *Quando lex vetus mortua sit.*

LEx mortua est, cum desiit obligare Judæos, pro quibus solis condita erat; quod cum non contigerit antequam Christus nasceretur, quia ex Galat. 5. lex data erat *donec is veniret*, superest ut lex cessaverit vel ante Christi mortem, vel in ejus morte, vel aliquanto post. Quæ tripartita difficultas ut solvatur distinctius, sit

CONCLUSIO I. Lex vetus non desiit obligare ante mortem Christi. Ita cæteri Theologi contra paucos, qui censent præceptum circumcisionis obligare desiisse, statim ac Christus Baptismum instituit.

Prob. I. Illa lex non cessavit ante mortem Christi, quam Christus servavit, & servari usque ad mortem præcepit: atqui Christus.... Minor patet I. ex Matth. 5. *Non veni solvere legem*, *sed adimplere*. II. ex Matth. 8. ubi præcipit Christus, ut leprosus, quem mundaverat, se se ostendat Sacerdoti, & munus lege præscriptum offerat. III. ex Matth. 23. ubi idem Christus Sacerdotii Mosaici auctoritatem agnoscit, & commendat his verbis: *Super Cathedram*

*Moisi*

*Moisi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite.* Denique pridie quam pateretur Christus, ait Lucas cap. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*: id autem necesse non fuisset, si Christus Moisis legem jam abrogasset.

Atque hinc colligitur præceptum circumcisionis ante Christi mortem sublatum non fuisse, etiamsi jam tunc institutum fuerit Baptisma. Si enim sublata esset ante Christi passionem circumcisio, tota lex simul abrogata fuisset, quia cætera Mosaicæ legis præcepta non nisi in lege circumcisionis fundabantur, juxta illud Apostoli: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* (*Galat.* 5.)

Prob. II. Hebr. 7. *Translato Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*; ergo a contrario, non translato Sacerdotio, necesse est, ut lex perseveret; alioqui daretur Sacerdotium sine lege, quod implicat: atqui Sacerdotium legis Mosaicæ non fuit translatum ante Christi mortem. Quandoquidem novum Sacerdotium, quod debuit succedere antiquo, non est confirmatum nisi ipsa Christi morte, juxta illud Hebr. 9. *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est*; ergo.

Hinc colliges ante mortem Christi viguisse simul Evangelium, & legem antiquam; ita tamen ut lex esset in præcepto, & Evangelium in consilio; unde obligabat circumcisio, nondum autem Baptismus. Quare si tunc Judæus prolem baptisasset, infans quidem salutem consecutus fuisset, sed pater peccasset contra præceptum circumcisionis: si vero Gentilis infantem baptisasset, necesse non fuisset, ut eum circumcidi curavisset, quia Gentiles legis antiquæ præceptis non subjacebant.

Obj. I. Non magis vigere potuit circumcisionis præceptum, stante Baptismi consilio, quam posito virginitatis consilio, vigere possit matrimonii necessitas; atqui posito virginitatis consilio, nulla est, aut esse potest necessitas matrimonii; ergo.

R. neg. maj. & paritatem. Virginitas enim, & matrimonium simul subsistere non possunt, ut supponit objectio: at vero circumcisio, & Baptismus simul aliquandiu servari potuerunt, & debuerunt; quia stante lege veteri stare debuit ejusdem legis janua: hæc autem janua non erat Baptismus, sed sola circumcisio, quæ etiamsi forte non delebat peccatum originale, primario constituta erat ad discernendum populum Dei a cæteris populis: unde iis etiam applicabatur, quibus jam deletum erat peccatum originale.

Confirm. Judæi usque ad Christi mortem debuerunt celebrare pascha; ergo usque ad Christi mortem debuit vigere circumcisio; cum solis circumcisis licita esset celebratio paschæ, ex cap. 12. Exodi v. 48.

Obj. II. Colere Deum signis intrinsece falsis malum est & illicitum: atqui instituto Baptismo, circumcisio signum erat omnino falsum: significabat enim futurum id, quod jam præsens erat; ergo.

R. I. Objectio hæc probaret legem ante mortem Christi non mortuam solum, sed & mortiferam fuisse: quod ne adversarii quidem asserere ausint.

R. II. dist. min. Circumcisio sumta ut signum Messiæ, prout aliquando venturi, erat signum falsum, C. sumta ut sumi debebat, pro signo spiritualis circumcisionis; vel resurrectionis, N.

Obj. III. *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* 16.); ergo saltem in Baptismate Joannis mortua est lex.

R. neg. conseq. Sensus enim objecti textus est, vel quod ad Joannem usque Prophetæ prædixerint Christum ut deinceps venturum; Joannes vero ipsum præsentem indicaverit dicens: *Ecce Agnus Dei*: vel quod lex tempore Joannis ægrotare cœperit paulo post moritura; quia tunc incipiebat prædicari Christus novæ legis auctor futurus: unde ibidem habetur: *Lex, & Prophetæ usque ad Joannem, ex eo regnum Dei evangelizatur, &c.*

Ut explicetur secunda quæstio superius proposita, an scilicet lex vetus in ipso mortis Christi puncto cessaverit, notandum est cessationem legis dupliciter intelligi posse. I. ita ut lex abolita sit tum in se, tum quoad vim obligandi. II. ita ut lex in se quidem abolita sit, nondum tamen obligare desierit, quia nondum promulgata erat ejus abrogatio. Sit

CONCLUSIO II. Lex vetus abrogata est, secundum se in ipsa Christi morte; ejus tamen obligatio non cessavit in morte, aut resurrectione Christi, sed paulo post, simul ac lex Evangelica sufficienter promulgata fuit.

Prob. 1. pars. Tunc cessavit lex vetus, quando cessavit ejus Sacerdotium: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat* (*Hebr.* 7.): atqui Sacerdotium Aaronicum cessavit in morte Christi. Tunc enim cessavit Sacerdotium vetus, cum institutum est novum, & Christus complete Sacerdos fuit: atqui hoc contigit in morte Christi; quia tunc Christus præter potestatem Sacerdotalem, quam semper habuit completam, corporis sui sacrificium obtulit patri suo, & *una sui oblatione consumavit in sempiternum sanctificatos*. (*Hebr.* 10.)

Prob. II. ex eodem Apostolo Hebr. 9. *Ubi testamentum est*, inquit, *mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est*; ergo novum testamentum *confirmatum est*, id est suum habuit valorem in morte Christi; ergo ex tunc *veteravit*, seu abolevit *prius*, hoc est vetus testamentum, ut ait Apost. Hebr. 8.

Prob. 2. pars. Lex vetus non ante desiit obligare, quam obligare cœperit lex nova: atqui lex nova non obligavit statim in ipsa Christi morte. Non enim obligavit, nisi cum sufficienter promulgata est; non est autem sufficienter promulgata, nisi cum prædicata est necessitas Baptismi, qui est janua legis Evangelicæ. Porro quis dicat necessitatem Baptismi, prædicatam fuisse toti mundo in ipsa Christi morte? Quis credat Judæos Romæ, aut longius distantes jam sine Baptismo salvari non potuisse? ergo supponere legem ea, qua Christus obiit die, omnino fuisse abrogatam, est supponere abrogationem hanc imprudenter factam esse; quod Christo injuriosum est.

Obj.

Obj. I. Secunda pars assertionis nostræ pugnat cum prima: lex enim, quæ abrogata est, non obligat, & lex, quæ obligat, abrogata non est; ergo si lex vetus una cum Sacerdotio suo in ipsa Christi morte desierit, non potuit deinceps obligare.

R. neg. ant. Sicut enim lex in consilio Principis abrogata secundum se, servat tamen vim obligandi, & eosdem ac antea parit effectus, donec abrogatio promulgata sit; sic & lex vetus desiit secundum se, & radicaliter; & tamen non desiit quoad effectum, quia tandiu permanet legis prioris effectus, quandiu abrogatio ejus non est publice denuntiata.

Saltem, inquies, lex vetus post Christi mortem obligavit solum ex conscientia erronea, quia nempe nec dum cognoscebatur lex nova: atqui lex, quæ ex conscientia solum erronea obligat, vere non obligat; ergo.

R. neg. maj. I. quia alioqui populus omnis in errore esse diceretur, eum legem a Principe secreto conditam, & necdum promulgatam ignorat, quod nemo dixerit. II. quia Dei voluntas erat, ut lex vetus, etsi fundamentaliter eversa, obligare, & operari pergeret, donec lex nova promulgaretur; ergo ejus obligatio in erronea conscientia non fundabatur.

Superest expendendum, quo igitur præcise tempore desierit antiquæ legis obligatio; quam difficultatem solvemus stabiliendo quo tempore inceperit obligatio legis novæ: hujus enim obligatio sustulit obligationem illius. Sit

CONCLUSIO III. Lex evangelica cepit obligare per modum legis publicæ a die Pentecostes, cum in urbe regia, ac veluti metropolitana Judæorum facta est illius promulgatio, præsentibus Judæis, qui ex variis mundi partibus Hierosolymam confluxerant. II. hæc obligatio non cepit simul, & eodem instanti pro toto terrarum orba, sed successive, prout sufficiens ejusdem legis promulgatio ad varias nationes humano modo pervenire potuit. III. demum promulgatio hæc non tam cito apud Gentiles, quam apud Judæos facta est. Tres sunt partes.

Prob. 1. pars. Tunc solum obligare cepit lex nova, quando communitati sufficienter proposita est, & promulgata: atqui non ante Pentecosten promulgata est lex evangelica, sed in ipsamet festi hujus solemnitate.

Primo enim promulgata non est ante Pentecosten. Hæc enim promulgatio, vel facta fuisset ante Passionem Christi, vel in ipsa Passione, vel tempore Passionem inter & Pentecosten medio, atqui nullum ex his dici potest. Non I. quia lex nova novum est Testamentum, quod ante Passionem aperiri non potuit, quia *in mortuis*, id est, in morte Christi confirmandum erat. Non II. quia tempore Passionis dispersæ erant oves gregis pastore percusso, nec proinde cogitabant de promulganda nova lege. Non III. quia baptisma futurum erat legis novæ janua: atqui baptismi præceptum non nisi in puncto Ascensionis Christi impositum est; cum dixit Salvator: *Ite, docete omnes gentes, baptisantes eos*; si ergo lex nova promulgata sit, utique post Ascensionem Domini: hoc autem dici nequit; quia Christus in altum ascendens præcepit Apostolis, ut solitarii sederent, quoadusque inducrentur virtute ex alto.

Obj. Fides in Christum unum est e præceptis novi Testamenti: atqui fides in Christum obligavit ante mortem Christi; ergo lex nova obligavit ante mortem Christi.

R. dist. maj. Fides unum est e præceptis novi Testamenti simul & antiqui, C. novi Testamenti præceptum proprium, N. Fides in Mediatorem omni tempore necessaria fuit: unde quod per fidem credimus olim impletum fuisse, hoc Prophetæ, & Patriarchæ aliquando implendum esse crediderunt; ergo fides in Christum novo Testamento antiquior est, adeoque inter ejus præcepta numerari non debet.

Inst. Baptismi præceptum promulgatum est Joan. 3. his verbis: *Nisi quis renatus fuerit &c.*, & statim urgere cepit: atqui Baptismo initiati omnibus legis evangelicæ præceptis adstringuntur; ergo lex evangelica diu ante Pentecosten obligare cepit.

R. neg. maj. Citata enim Christi verba, quæ privatim dicta sunt, non induxerunt actualem Baptismi suscipiendi necessitatem, sed ad tempus, quo præceptum Baptismi imponendum erat, referebantur; ut & hæc verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, non significabant Eucharistiæ susceptionem actu necessariam esse, sed eam aliquando necessariam futuram esse.

Ergo prò certo tenendum est legem novam in ipso Pentecostes die fuisse promulgatam. Et certe tunc nova lex promulgata fuit, quando præsente ingenti hominum multitudine *ex omni natione, quæ sub cælo est*, (*Act.* 2.) Apostoli sic Dei magnalia loqui ceperunt, ut simul fidei in Christum, ac Baptismi necessitatem declararent: atqui hæc omnia contigerunt, *cum complerentur dies Pentecostes*; unde cum multi ad Petri prædicationem *compuncti corde*, quærerent quid sibi faciendum esset, non iis injungit Apostolus Mosaicæ legis observantiam, sed novam prædicat legem his verbis: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.*

Prob. 2. pars, nimirum quod obligatio novæ legis non simul ceperit pro toto orbe. Lex enim, quæ sufficienter promulgata non est, non obligat: atqui lex uno instanti pro toto orbe sufficienter promulgata non fuit. Cum ejus notitia non potuerit in ipso die Pentecostes ad ultimos usque mundi fines pervenire; ergo licet hæc obligatio in illa die pro Hierosolyma, locisque vicinis inceperit, non tamen pro locis omnibus incepit.

Prob. 3. pars, quæ etiam sequitur ex dictis. Lex enim evangelica prius eos obligavit, ad quos prius pervenit, aut humano modo potuit pervenire: atqui prius pervenit ad Judæos, cum iis priusquam Gentilibus annuntiata fuerit, secundum id sancti Pauli Act. 13. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ, ecce convertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus, &c.*

Obj.

Obj. Legitur Act. c. 9. quod ubi primum Paulus Jerosolymam advenit, *loquebatur Gentilibus, & disputabat cum Græcis*: atqui hæc verba indicant Gentilibus statim ac Judæis prædicatum fuisse Evangelium; ergo.

R. I. neg. min. Objecta enim verba ad summum probant quosdam fuisse Gentiles, quibus Evangelium tam cito annuntiatum fuerit, quam Judæis. Hic porro non negamus legem Christi quibusdam Gentilibus aliquando simul & Judæis prædicatam fuisse; sed comparamus communitatem, ut ita loquar, Gentilium cum Judæorum communitate, & dicimus iis citius, quam illis, generaliter loquendo, annuntiatum fuisse Evangelium, quod ex dictis patet. Cæterum si quibusdam e Gentilibus prius annuntiata sufficienter fuerit lex nova, quam Judæis, haud dubium est, quin ea prius quam Judæi obligati fuerint.

R. II. Vox hæc, *Gentilibus*, I. deest in Græco, multisque latinis exemplaribus. II. Gentiles illi poterant esse proselyti, id est, Religionem Judaicam professi: per Græcos autem intelligi possunt Græcisantes, id est, Judæi inter Græcos nati, qualis erat ipse S. Paulus.

Hunc ergo, quantum conjicere licet, in Evangelii promulgatione ordinem servarunt Apostoli, quem præceperat ipsis Christus Act. I. *Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*. Atque id ex Apostolorum historia probari facile potest. Act. 2. Petrus Judæis Evangelium prædicat. Act. 8. Discipuli dispersi Samaritanos edocent. Denique Act. 23. Judæis legem novam rejicientibus Apostoli convertuntur ad Gentes.

## SECTIO QUINTA.

*An Lex vetus statim ut obligare desiit, inutilis fuerit.*

QUæstio non movetur de præceptis moralibus: hæc enim utiliter quovis tempore impleta sunt, si non quatenus lege veteri, saltem quatenus lege naturali, & Evangelica imponebantur.

Quæstio etiam non est, an præcepta, sive cæremonialia, sive judicialia legis Mosaicæ ex opere operantis utilia fuerint, quandiu non fuere mortifera: si enim res etiam indifferentes utiliter fieri possint, cum fiunt ad gloriam Dei, a fortiori opera, quæ ex se honesta erant & religiosa, utiliter exerceri potuerunt. Quæstio igitur est, an in hypothesi eorum, qui aliqua legis veteris Sacramenta ex opere operato gratiam contulisse putant, ut non pauci de circumcisione docent, an, inquam, eadem perseveraverit iis in signis efficacia, postquam, promulgata sufficienter Christi lege, cessavit eorum obligatio; qua de re sit

CONCLUSIO. Lex vetus inutilis fuit, seu nullum deinceps habuit effectum, cum desiit obligare.

Prob. Lex vetus desiit obligare, cum lex nova sufficienter promulgata est: atqui lex vetus debuit esse inutilis, cum lex nova satis promulgata fuit. Lex enim nova evasit necessaria, statim ut sufficienter promulgata est: atqui lex vetus facta est inutilis, cum lex nova necessaria evasit: lex enim nova non fuisset necessaria, & in præcepto, si lex vetus perinde ac antea suam servasset efficaciam; ergo.

Obj. I. Si lex vetus inutilis fuerit statim ac desiit obligare, defuit multis remedium adversus peccatum originale, quia multi legem Baptismi etiam publice promulgatam ignorare potuerunt: atqui hoc pugnat contra misericordiam Dei; ergo.

R. remedium illud iisce temporibus defuisse, sicut nunc nostro tempore deest illis, qui nihil de lege Evangelica audierunt: nunc autem deest per accidens, aut ex defectu causarum secundarum, non autem per se, & ex intentione Dei: Deus enim Baptismum instituit pro omnibus, eumque omnibus applicari vult vere, & sincere. Unde Deus in institutione Baptismi se habet ut rex, qui captivos redemturus pretium propriæ redemtionis in propria cujusque manu omnibus opportune, & importune vocatis, & invitatis consignaret; pretium vero infantulorum patribus, aut aliis committeret: atqui etiamsi contingeret, ut aliquis parentum vel ex negligentia, vel propter aliquod accidens pretium illud non reciperet, aut receptum solvere, & applicare nollet, non desineret sincera esse regis de omnium redemptione voluntas; ergo idem dicendum in proposito casu. Verum hæc pertinent ad Tractatum de Gratia.

Obj. II. Lex vetus eosdem nunc ac ante Christum effectus parit apud Judæos; cum matrimonia a Judæis nunc contracta in gradibus lege veteri prohibitis omnino nulla sint; ergo subsistit lex vetus quoad præcepta judicialia, nec proinde inutilis est.

R. neg. ant., & dico matrimonia Judæorum non esse nunc invalida vi legis Mosaicæ, sed vi legis humanæ, quæ a Principibus approbatur. Unde cum Principes restituere non possint id, quod Christus absolute revocavit, sequitur, matrimonium inter Judæos contractum non posse nunc dato repudii libello dissolvi; ideoque matrimonium cum alia deinceps contractum nullum esse. Quapropter si talis vir convertatur ad fidem, separandus erit a secunda conjuge, & ad primam reducendus, si tamen hæc converti velit; de quo alibi.

## SECTIO SEXTA.

*An Lex vetus prius mortua fuerit, quam mortifera.*

LEx dicitur mortua, cum nullam habet vim obligandi; mortifera vero, cum jam sine peccato observari nequit.

Certum est apud omnes I. præcepta moralia ne nunc quidem mortifera esse, aut mortua, cum quisquis vult ad vitam ingredi, eadem servare debeat.

Certum est II. præcepta judicialia, licet nunc mortua sint, haud tamen esse mortifera: nam ex iis præceptis quædam in lege Evangelica retinentur; ut sunt aliqua impedimenta matrimonii, decimæ fructuum, &c. Ratio est, quod præcepta judicialia non ordinabantur nisi ad politicam utilitatem; ergo ad eundem usum acceptari possunt ab iis, qui potestatem habent.

Certum est III. præcepta cæremonialia jam dudum esse mortifera: sed quæstio est, an statim ac mortua evaserunt, evaserint etiam mortifera, ita ut circumcisio v. g. eo ipso quo inutilis fuit, jam non potuerit sine peccato observari.

Gravis olim super illo negotio Augustinum inter, & Hieronymum exarsit controversia. Contendebat Hieronymus I. legalia statim post mortem Christi fuisse mortifera iis, a quibus in Dei cultum serio observabantur: unde inferebat Apostolos iisdem usos fuisse non sincere, & ut cultum Deo exhiberent, sed simulatorie, & ne Iudæis scandalo forent. Augustinus e contra legalia post passionem Christi mortua quidem fatebatur, sed negabat statim mortifera fuisse, unde ea ab Apostolis observata fuisse ajebat (*Epist.* 40. & 75.) *non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ*, qua fiebat, ut Apostolus vere diceret I. Cor. 9. *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem*.

II. Hieronymus post Origenem, Didymum, Chrysostomum, & alios *illustres viros* existimabat Petrum nullius omnino peccati reum fuisse, cum Antiochiæ gentes judaisare coegit, unde inferebat eum non nisi simulatorie a Paulo reprehensum esse. Augustinus vero post Cyprianum, & Ambrosium docebat, eundem Petrum defectu attentionis ad scandalum, quod ex suo legalium usu oriturum esse prævidere debuit, peccasse venialiter, ac proin serio fuisse correptum.

Ex his patet tria hic a nobis esse discutienda: I. an legalium observatio eodem tempore mortua simul & mortifera evaserit. II. an Apostoli sincere legalia observaverint. III. an Petrus a Paulo vere reprehensus fuerit, an tantum ex pacto, & consensu utriusque, ut Hieronymo placuit. Sit igitur

CONCLUSIO I. Lex vetus ante fuit mortua, quam mortifera: unde legalia, postquam cessavit Mosaicæ legis obligatio, inculpate observari potuerunt.

Prob. Ea observatio non potest censeri mortifera, quæ nulla lege prohibita erat, imo quam sua agendi ratione permittebant Apostoli: atqui talis erat legalium observatio, etiam post Christi mortem, & ablatam legi Mosaicæ vim obligandi: I. quidem nulla lege prohibita erat; cum S. Hieronymus in colligendis undecumque argumentis adeo sollers nullam unquam citare potuerit Dei vel Ecclesiæ legem, qua hæc legalium observatio prohiberetur. II. eandem legalium observationem ipsa sua agendi ratione comprobarunt Apostoli, & inter alios SS. Petrus, Paulus, & Jacobus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antistes: Petrus quidem, cum per longum tempus ab omni cibo per legem vetito constanter abstinuerit, ut patet ex celebri visione, quæ refertur cap. 10. Act. Paulus vero qui Timotheum filium *mulieris Judææ fidelis patre gentili... circumcidit* (*Act.* 16.), ne Judæi, *qui erant in illis locis*, conquererentur, quod Paulus virum gentilem sibi adscivisset in socium. Denique S. Jacobus: is enim auctor fuit Paulo, ut cum quatuor viris Nazaræatus votum habentibus abraso capite sisteret se coram Sacerdote Levitico: *Sanctifica te cum illis.... & scient omnes quia ... æmulas & ipse custodiens legem* (*Act.* 21.) Ubi obiter nota, legalium observantiam, licet Jacobo maxime licita visa fuerit, ab eo tamen pro necessaria ad salutem habitam non fuisse, ut patet ex iis, quæ ibidem subjiciuntur: *De his autem, qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, judicantes* nihil ab iis exigendum esse, quam *ut abstineant ab idolis, immolato, & sanguine, & fornicatione*.

Confirm. I. quia Apostoli omnes in Concilio Hierosolymitano statuerunt, ut Christiani ad tempus abstinerent a sanguine, & suffocato: hæc autem abstinentia una erat ex cæremoniis legalibus; ergo Apostoli non judicarunt mortiferam esse observantiam legis antiquæ, statim ac mortua fuit ejus obligatio.

Confirm. II. quia observantia legalium primis illis temporibus quasi necessaria erat; cum sine ea vitari non possent gravissima incommoda, nimirum remotio Judæorum a fide, & contemtus sacrorum veteris Testamenti rituum. An enim ad Religionem Christianam, quam vix pati poterant, facile adduci potuissent Judæi, si jam a primo passim deserenda omnino fuisset lex vetus, cujus Deum esse auctorem merito existimabant? An non in animum sibi induxissent Gentiles, Moisis legem nihil habere sacri, cum Christiani ab ea non minus quam a nefariis Gentilium superstitionibus recederent? Ergo ut suaviter ostenderetur Judaicos ritus non rejici ut per se malos, utque conciliarentur Judæorum animi, eorum ritibus aliquandiu utendum fuit, donec Judæi ipsi, consideratis legalium onere, & inutilitate, ab iis sensim sine sensu avocarentur.

Obj. I. Quod tollit fructum mortis Christi, mortiferum est: atqui legalium observatio... Prob. minor ex Galat. 5. ubi sic: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*.

R. ad I. neg. min. ad 2. dist. *Christus nihil prodest* iis, qui circumciduntur ea intentione, qua circumcidebantur Galatæ, C. qui circumciduntur alio fine, quo v. g. Paulus circumcidit Timotheum, ut nempe ostenderetur legem Moisis malam non esse, N. Galatæ a judaisantibus quibusdam male edocti circumcisionem non necessariam minus in nova lege, quam in veteri, existimabant. Errorem hunc merito proscribit Apostolus, ut Christi redemptionis eversivum: at nec damnavit, nec damnare potuit sapientem œconomiam, qua identidem observabantur ritus Mosaici, ut cognoscerent Judæi falsum omnino esse quod malevoli quidam evulgaverant de præcipuis Evangelii præconibus, eos nimirum ritus Moisis non minus detestari, quam Gentilium abominationes.

Objicies II. Non licebat eos usurpare ritus, qui vel ipso suo usu falsi erant: atqui ritus Mosaici ipso suo usu falsi erant; cum significarent venturum Messiam, qui jam mortuus erat.

R. dist. min. Ritus illi vel ipso usu falsi fuissent, si iis usi essent Judæi ad significandam Christi mortem ut nondum impletam, sed implendam aliquando, C. si alio fine, & quidem legitimo iis utebantur, N. Porro Apostolorum finis erat, ut Judæos lucrifacerent, ut Synagogam cum honore sepelirent, ut ostenderent sibi persuasum esse Judaicam Religionem toto cœlo a profanis Gentilium cæremoniis distare, ne si ab alia sicut ab istis pariter defecissent, lex Moisis mo-

*improbata potius, quam terminata videretur*, ut advertit Augustinus.

CONCLUSIO II. Apostoli non ficte, sed sincere legalia observarunt.

Prob. I. ex his S. Lucæ verbis: *Dixerunt Paulo* Jacobus, & seniores (*Act.* 21.): *Hoc fac quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis .... & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem.... Tunc Paulus assumptis viris, postera die purificatus cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*: atqui in hoc textu ne umbra quidem est simulationis. Non dicit Jacobus, finge, simula; sed, *Fac quod tibi dicimus*: addit Jacobus, *& scient omnes*. Porro, ait subtiliter Augustinus Epist. 82., si Paulus legalium observantiam tantum simulaturus erat, *non diceret ei Jacobus*: Et scient omnes; *sed diceret: Et putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt, falsa sunt*.

Prob. II. Ea simulatio Apostolis imputari non potest, quæ mendacium includit, & grave in animis Christianorum scandalum peperisset: atqui talis fuisset simulatio, quam Apostolis imputabat Hieronymus: I. quidem simulatio hæc verum fuisset mendacium. Vere enim mentitur, qui per facta persuadere nititur se certis ritibus velle colere Deum, quem scit iisdem utpote mortiferis coli non posse. II. eadem simulatio grande scandalum peperisset. Ibi enim est grave scandalum, ubi qui aliis exemplo præire debet, eosdem exemplo invitat ad faciendum quasi licitum id, quod in corde suo malum esse judicat: atqui in sententia Hieronymi hæc fuit Apostolorum conditio. Quandoquidem qui Apostolos legalia observantes videbant, necessario judicare debuerunt, bona adhuc esse legalia, cum a viris tam piis observarentur.

Obj. II. Si ex sententia Hieronymi sequitur Apostolos mendacii reos fuisse, idem sequitur ex sententia S. Augustini. Prob. sequela. Apostoli juxta Augustinum legalia observarunt ex œconomia &c., non autem ex animo servandi legem tanquam adhuc obligantem: atqui tamen Apostoli simulabant se legem observare quasi adhuc obligantem, idque a Judæis judaisantibus credi permittebant. Minor patet ex Act. cap. 21. *Sanctifica te cum illis .... & scient omnes quia quæ de se audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem*; ergo.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. quæ male probatur ex objecto Actuum textu: Judæi enim non calumniabantur duntaxat Paulum, quod legem non servaret, vel eam jam cessasse prædicaret, sed etiam quod illam quasi malam rejiceret, ideoque separationem, & apostasiam ab ea doceret, ut innuunt hæc verba: *Audierunt de te, quod discessionem doces a Moyse*. Ut autem calumniam hanc refutaret Paulus, non necesse fuit, ut legem exequeretur quasi adhuc obligantem, satis fuit si eam exequeretur ut nondum mortuam.

Inst. Judæi, qui querebantur de Paulo quoad legalia, erant Judæi, qui Evangelio credebant, ut patet ex cit. cap. 21. Act.: atqui Judæi fideles non sunt calumniati Paulum, quod legem rejiceret ut malam; ergo Paulus non servavit legem, ut ostenderet se eam non habere pro mala, sed ut simularet se ea obligari.

R. neg. min. & dico cum interpretibus Judæos fideles, non omnes quidem, sed plures Judaizantium calumniis circumventos, paulo facilius credidisse legem Moysis ab Apostolo rejici ut nunc absolute malam. Quam calumniam ut Paulus refelleret, Nazaræatus votum emisit.

Obj. II. Ille simulatorie implevit legalia, qui *factus est Judæis tanquam Judæus*: atqui S. Paulus, &c.

R. neg. maj. Si enim Paulus simulate legalia licet mortifera observasse dicatur, quia Judæis tanquam Judæus factus est, dicendum erit eum impios Gentilium ritus observasse, quia ibidem addit se *omnia omnibus* factum esse. Quapropter *Judæis* hoc sensu *Judæus factus* est Paulus, quod lege nondum mortifera legalia observabat, non ut necessaria, sed ut quæ absolute servari possent, donec sepulta esset Synagoga.

CONCLUSIO III. S. Paulus Cepham non ficte ac simulate, sed vere & ex animo reprehendit.

Prob. I. ex simplici facti narratione, prout habetur cap. 2. Epist. ad Galatas. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat; prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat; cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant; & simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaice*: (vixerat enim gentiliter, qui cum Gentilibus non proselytis, cibos sine distinctione manducaverat) *quomodo gentes cogis judaisare?* Id est, quomodo exemplo tuo impellis Gentiles conversos ad credendum legalia adhuc servari debere; dum temetipsum vident judaisantem, & ab eorum mensa juxta Moysis præceptum, recedentem? atqui si S. Paulus simulate tantum Cepham reprehendisset, falsa esset hæc D. Pauli narratio a capite ad calcem. Supposito enim pacto, quod Paulum inter, & Cepham intercessisse volebat Hieronymus, jam Cephas nullatenus reprehensibilis erat, jam falsum erat, quod non recte ambularet ad Evangelii veritatem, &c.

Probatur II. ex Patribus, qui ante Augustinum scripserant, & quorum auctoritate Origenis, aliorumque, qui ab Hieronymo objiciebantur, auctoritatem frangebat Augustinus. Tertullianus Lib. 5. contra Marcion. cap. 3. *Paulus reprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem*. S. Cyprianus Epist. 71. *Nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret ... despexit Paulum, &c.* Addit ibidem Petrum patientiæ exemplum tribuisse. Quænam vero ea fuisset patientia, si reprehensio hæc ex utriusque pacto facta esset?

Suffragatur ipse S. Hieronymus, qui palinodiam cecinisse videtur: nam Lib. 1. contra Pelagium cap. 8. inter alia testimonia, quibus probat nullum esse Episcopum, qui reprehendi non possit, profert Petri exem-

exemplum: *Si*, ait, *ipse Apostolus dicat de Petro, quod non recto pede incesserit in Evangelii veritate, & in tantum reprehensibilis fuerit, ut & Barnabas adductus fuerit in eandem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod princeps Apostolorum non habuit?*

Obj. I. Paulus non potuit serio reprehendere in Cepha id, quod ipse non semel fecerat: atqui Paulus non semel observarat legalia, puta cum circumciderat Timotheum, & sibi Nazaræorum more caput totonderat.

R. dist. Paulus observarat legalia in circumstantiis plane disparibus, C. in iisdem, N. Paulus enim ita servavit legem, ut semper vescendo cum Gentilibus satis ostenderit legem non esse necessariam. At vero Cephas minus prudenter se gessit, quia in civitate, quæ Gentilium erat, non Judæorum, cum Gentilibus manducabat, priusquam Judæi Jerosolymis huc advenissent; sed statim post eorum adventum a Gentilium mensa se subduxit, prout jubebat lex Moisis, sicque priorem suam agendi rationem corrigens, occasionem præbuit Gentibus existimandi necessarium adhuc esse servare legem, quæ Judæos a Gentilium convictu abstinere jubebat. Ergo longa est inter utriusque Apostoli agendi rationem disparitas, petita a diversitate circumstantiarum, e quibus actionum humanarum bonitas, & malitia æstimari solent.

Et vero si usquam in legalium observatione deliquerit S. Paulus, maxime cum circumcidit Timotheum: atqui ne tunc quidem deliquit. Aliud enim est legem aliquam simpliciter, & sine affectata quadam religione observare, aliud ipsam implere scrupulose. S. Paulus legalia quidem non semel observavit, sed absque ulla prorsus affectatione, neque magis ex ipsius agendi ratione colligi poterat legis observationem esse necessariam, quam ex eo quod quispiam feriali die interfuit Sacro sine affectatione, concludi possit, necessariam esse hac die Missæ auditionem. Equidem Timotheum Semi-Judæum circumcidit, sed quia ejus auxilio usurus erat ad conversionem Judæorum, qui nequidem eum recepissent, si circumcisus non fuisset: at nullum inde ingenerari potuit scandalum Gentilibus, qui cum nossent Paulum nusquam adduci potuisse, ut Titum, aut alium quemvis pure Gentilem circumcidi permitteret, noverant, & nosse debebant circumcisionem ab eo necessariam non judicari. Verum alia fuit Cephæ agendi ratio, quia cum recessit a mensa Gentilium, quibuscum antea vescebatur, prius suum factum corrigere affectavit, sicque hominibus adhuc in fide infirmis, & quos multi ad judaizandum impellebant, tacite persuasit omnem cum Gentilibus convictum esse prohibitum Judæis; & hæc Petri simulatio tam infelicem habuit exitum, ut Judæi omnes, qui cum eo erant, in eandem inciderint culpam, adeo ut Barnabas ipse a torrente cum aliis traheretur.

Obj. II. Apostoli post acceptam Spiritus sancti gratiam die Pentecostes non peccaverunt: atqui si Petrus vere fuisset reprehensibilis, vere peccasset; ergo Petrus non fuit reprehensibilis.

R. Apostolos post Pentecosten non amplius peccasse mortaliter, quia fuerunt confirmati *in gratia*; sed peccare potuisse venialiter, quia non fuerunt confirmati *in bono*. Porro peccatum S. Petri fuit *veniale conversationis vitium, non doctrinæ*, ut loquitur Tertullianus Lib. 4. contra Marcion. c. 3., imo Cepham ab omni culpa etiam veniali excusant aliqui Doctores cum Baronio ad an. 51.

Quæres, an Cephas a S. Paulo reprehensus, idem sit cum Petro.

R. duplex a prioribus Ecclesiæ sæculis ad nostra usque tempora fuit ea de re opinio. Prima, quæ semper fuit communior, Petrum a Cepha non distinguit: secunda Cepham hunc aliquem e Christi Discipulis esse propugnat. Præcipua utriusque opinionis momenta referemus quam breviter, & sincere licebit.

Prima opinio probatur I. ex unanimi pene Patrum consensu, Tertulliani præsertim, Cypriani, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, quibus concinit S. Gregorius Magnus S. Petri, suæque Sedis prærogativarum studiosus assertor. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui non Petrum Apostolorum principem, sed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo sit reprehensus, accipiant: qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent* (*L.* 18. *Moral. in Job n.* 10.)

Prob. II. quia usque adeo certum erat prioribus Ecclesiæ sæculis Cepham, quem Paulus reprehendit, a Petro non distingui, ut multi magnæ antiquitatis codices in Pauli textu pro Cepha, quem nunc legimus, legerent Petrum. Ita & olim legerunt Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, ita & nunc habent multi codices.

Prob. III. quia characteres, quos Cephæ attribuit Paulus, nonnisi Apostolo Petro competunt. En ejus verba Gal. 2. *Cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis*: atqui hæc soli Petro, non autem ignoto cuipiam Discipulo convenire possunt. An enim Discipulus ille dicetur columna Ecclesiæ? An eo nomine cum Jacobo, & Joanne præcipuis Christi Apostolis recenseri posset? An satis fuisset Paulo, si ostenderet se in Apostolatus societatem receptum fuisse ab aliquo, qui ipse non erat Apostolus?

Respondent secundæ opinionis patroni, ad 1. Patres in hujusmodi factis, quæ ad dogma non pertinent, decipi posse. Et vero, inquiunt, an quia Patres unanimi fere consensu docent Antichristum e Tribu Dan orturum esse, aut mundi finem post sex annorum millia futurum esse, non ideo licebit ab hac opinione recedere?

Addunt Patres non esse unanimes in hoc puncto; cum Cepham pro mero discipulo habuerint S. Clemens Alexandrinus, Dorothæus Tyri, qui ambo scribebant in Oriente, ubi certior haberi ejus dissidii memoria potuit. Eandem opinionem ætate sua a pluribus admissam fuisse, testes sunt ii etiam, quibus minime probata est, ut Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius Magnus; pro eadem stabat auctor Chronici Alexandrini, eamque *persuasibilem*, ac *probabilem* esse fatebatur Œcumenius.

Respondent ad 2. quod præter vulgatam lectionem, quæ ab Ecclesia approbata est, innumeri melioris notæ Codices græci, præsertim vero Alexandrinus, an-

nis 1300. antiquior, Cepham habent, non Petrum; atque lectio hæc genuina est; certe enim, ut bene notat Calmetus ipse, si primævi Codices græci Petrum habuissent, non autem Cepham, nulla unquam de utriusque identitate fuisset in Ecclesia dissensio.

Tertia probatio, quæ præcipuum est opinionis hujus fundamentum, nec ipsa omni exceptione major est: quod enim hic dicit S. Paulus de Cepha, deinsigni aliquo Discipulo intelligi potest, nec forte de Apostolo bene intelligeretur. An enim accurate satis de S. Petro, qui, juxta Augustinum, *petra* est illa, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ*, an, inquam, de tali ac tanto Apostolo accurate satis diceretur, quod *videbatur* columna esse, aut, ut habetur v. 2, quod *videbatur esse aliquid*? Profecto vox imminutiva, *videbatur*, multo melius convenit alicui non infimi nominis Discipulo, qui cum magnam Antiochiæ existimationem haberet, columna videri potuit, & dici. Et vero Cephas tanti æstimabatur, ut Corinthii cum & Apollo viderentur S. Paulo æquiparare, cum dicerent: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (1. *Cor.* 1.). Quo ex textu colligere est Cepham, de quo loquitur Paulus, multa præclare fecisse apud Corinthios, ac proinde distingui a Petro, qui nunquam Corinthi prædicavit.

Quod spectat ad momenta opinionis, quæ Cepham a Petro distinguit, hæc prob. I. ex ipso Pauli textu, quocum magis cohæret. Sic ille Galat. 2. *Cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis .... Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cum Judæus sis, gentiliter vivis, & non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?* atqui in his verbis multa sunt, quibus fictitia Petri cum Cepha identitas subverti videtur.

I. enim vix credibile est, quod Paulus scribens ad Galatas, qui ab ipso longis locorum intervallis dissiti erant, & quibus proinde nihil ambigui scribendum erat, eundem Apostolum ter Petri nomine expressum, statim Cephæ nomine expresserit, præsertim cum Petrus hoc nomine solitarie posito nunquam donatus fuerit ab iis, qui hactenus Evangelium scripserant.

II. Nec credibile est S. Petrum, qui ubique propter primatum primo loco ab Evangelistis recensetur, non nisi post Apostolum Jacobum (si tamen fuit is Apostolus); imo post fratres Domini, qui Apostoli non erant, a Paulo appellatum fuisse, quod tamen dicendum est in sententia eorum, qui Cepham confundunt cum Petro. En S. Pauli verba I. Cor. 9. *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* Ubi pondera Cepham non minus a cæteris Apostolis distingui, quam a fratribus Domini.

III. Nec satis credibile est Paulum tam acriter, & publice suum, & totius Ecclesiæ principem reprehendisse, quem tot aliis modis ob eximiam ipsius humilitatem ad veritatis viam reducere poterat.

IV. Nec probabile est eum Petrum (*Act.* 10.), qui tot abhinc annis cum Gentilibus palam, & aperte in ipso Judeæ medio manducaverat, quique viriliter responderat id a se jussu divino factum esse, eo usque ventum fuisse Judæos aliquot, ut cum Gentilibus Antiochiæ comedere ausus non sit; & quos, quæso, supponuntur timuisse Judæos? Judæos *a Jacobo* minore Jerosolymæ Episcopo missos, id est, Judæos, coram quibus centies fecerat S. Petrus in ipsis Hierosolymis id, quod adversarii supponunt eum Antiochiæ facere ausum non fuisse?

Prob. II. quia Petrus Antiochiæ non erat, cum Paulus Cepham reprehendit. Vel enim, ut fatentur omnes prorsus, Cephas a Paulo reprehensus est paulo ante Concilium Hierosolymitanum, de quo Act. 15., vel paulo post illud: atqui neutro illo tempore Petrus Antiochiæ erat. Et quidem I. Petrus Antiochiæ non erat eo tempore, quod Concilium Hierosolymitanum præcessit, (quo tamen tempore Cepham a Paulo repræhensum fuisse crediderunt, & Augustinus, quo præcipue nituntur adversarii, & alii non pauci cum ipso.) Ille enim Antiochiæ tunc temporis non erat, ad quem Jerosolymæ cum aliis Apostolis commorantem ascenderunt Paulus, & Barnabas, ut eos super orta Antiochiæ de legalibus controversia consulerent: atqui ex Act. 15. *Paulus, & Barnabas* ascenderunt *ad Apostolos*, (*Vide act.* 14. & 15.) idcoque ad Petrum, ut etiam patet ex v. 7. ut eos *super hac* legalium *quæstione* consulerent; ergo Petrus tunc temporis Antiochiæ a Paulo redargui non potuit. II. neque etiam post Concilium Hierosolymitanum adiuit Antiochiæ S. Petrus, ut a Paulo reprenderetur. Sic enim habetur Act. 15. *Illi* Saulus, Barnabas, Silas, & Judas, a Concilio, legatorum instar ad perferendum ejusdem Concilii decretum *dimissi descenderunt Antiochiam; & congregata multitudine tradiderunt Epistolam .... Judas autem, & Silas .... facto ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos .... Post aliquot autem dies .... Paulus .... profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus.* Unde sic. Si Petrus post Hierosolymitanum Concilium reprehensus Antiochiæ fuerit a Paulo, vel antequam Judas, & Silas Hierosolymam reversi essent, vel postquam eo reversi fuere: atqui neutrum dici potest. Non primum; alioqui enim contigisset Petri reprehensio durante illo *aliquanto tempore*, quo iidem Judas & Silas Antiochiæ remanserunt: atqui Petrus Antiochiæ reprehendi non potuit per illud aliquanti temporis spatium. Siquidem Petrus toto eo aliquanto tempore remansit Jerosolymis, prout patet ex Act. 15. ubi expresse legitur exacto illo *aliquanto tempore* Judam, & Silam remissos fuisse *ad eos, qui miserant illos*, id est, ajunt hic Fromondus, & alii, ad Petrum, Jacobum, & Joannem, qui proinde tunc adhuc erant Hierosolymis; ergo stat Petrum nullo aliquanti hujus temporis momento potuisse Antiochiæ redargui.

Ne-

Neque etiam potuit Petrus Antiochiæ reprehendi postquam Judas, aliique Concilii legati ex Antiochia reversi sunt Jerosolymam. Ad hoc enim necesse esset, ut Petrus satis habuisset temporis, non solum ad perveniendum Antiochiam antequam ex ea profectus esset Paulus, sed etiam ad faciendum id omne, quod fecit Cephas Antiochiæ, quodque in eo reprehendit Paulus: atqui res ita se non habet. Nam iter Petri Antiochiam usque, & cætera, quæ S. Pauli reprehensionem induxerunt, plures exigunt dies, quam octo vel decem, ut per se patet cuivis attendenti: atqui tamen Paulus, post discessum Judæ, aliorumque Concilii legatorum, vix egit Antiochiæ dies decem. Prob. min. quia ex textu Actuum Paulus, *post aliquot* a profectione legatorum *dies*, discessit Antochia: atqui hac loquendi formula, *post aliquot dies*, vix plures quam decem dies intelligi possunt, saltem apud Lucam. Siquidem Act. 1. v. 5. hæc verba, *non post multos hos dies*, quæ idem valent, ac ista, *post aliquot dies*, non significant nisi decem dies, ut e diverso Act. 13. v. 30. verba, quibus Christus Dominus *per multos dies* post resurrectionem suam visus fuisse dicitur, significant dies quadraginta; ergo Paulus ante discessit Antiochia, quam Petrus eo pervenire posset, etiamsi statim a legatorum reditu profectus diceretur, quod utique gratis diceretur; ergo Petrus a Paulo tunc temporis reprehendi non potuit.

Hæc sunt præcipua partis utriusque momenta, circa quæ unusquisque in sensu suo abundet, modo fides, & charitas maneant integræ.

## SECTIO SEPTIMA.

*Quo præcise tempore lex vetus mortifera fuerit, &c.*

CErtum est apud Catholicos omnes, legem veterem nunc esse mortiferam; idque expresse definit Inocentius III. cap. 3. *De Baptismo*. Quæritur quo tempore id evenerit. Fatentur omnes mathematice definiri non posse diem, mensem, vel annum: videndum ergo, an non probabiliter saltem, & confuse tempus illud determinari possit. Qua de re sit

CONCLUSIO. Probabilius videtur legem evasisse mortiferam quadragesimo circiter a Christi morte anno, cum eversum fuit Templum Hierosolymitanum.

Prob. Eo potissimum tempore lex vetus debuit fieri mortifera, quo & lex nova sufficienter promulgata erat, & nulla jam erat necessitas utendi indulgentia erga Judæos tandiu divinæ vocationi rebelles: atqui utrumque contigit circa excidium Templi Hierosolymitani: I. quidem tunc sufficienter promulgatum erat Evangelium, secundum id S. Pauli Rom. I. *In omnem terram exivit sonus eorum*, & Coloss. 1. Evangelium *pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est*. II. nulla jam erat necessitas œconomiæ cum Judæis servandæ. Everso enim funditus Templo, nullus debebatur honos Synagogæ, cum hæc jam extincta esset, dispersi totum per orbem Judæi, trucidati Sacerdotes, &c.

Hinc colligit Mæratius, remedium legis naturæ eodem tempore mortiferum evasisse: tum quia nullum est tempus, quo commodius dici possit mortiferum evasisse: tum quia sicut circumcisioni, sic & remedio legis naturæ successit Baptismus; ergo quo tempore mortifera evasit circumcisio, eodem mortiferum fieri debuit legis naturæ remedium.

Obj. Si post sufficientem Evangelii promulgationem lex vetus mortifera evasisset, Apostoli ab omnibus ejus cæremoniis abstinuissent: atqui nedum abstinnerint, quasdam ex ipsis renovaverunt; cum Act. 15. præceperint, ut abstineretur *ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato*: quod decretum & hactenus rigide servatur a Græcis, & in Ecclesia Latina pluribus sæculis observatum est.

R. dist. maj. si... lex vetus mortifera evasisset, Apostoli ab ejus cæremoniis abstinuissent, id est, nec eas renovassent, in quibus sita erat summa Religionis Judaicæ; nec eas, quas renovabant, vi legis Mosaicæ observari voluissent, C. id est, nullas omnino adoptare potuissent, N. Itaque Apostoli non potuerunt eas Mosis cæremonias servare, quibus servatis ipsam Mosis Religionem servari necesse erat: unde sacrificia, & Sacramenta Moisis, neque ab Apostolis, promulgato jam Evangelio, retenta fuere, neque nunc restaurari possunt, quia in Ecclesia Christi non nisi unum esse potest sacrificium, sicut unus est Sacerdos, nec plura esse possunt Sacramenta, quam quæ instituit Christus. Nihil tamen obstat, quominus quidam ritus apud Judæos, imo etiam apud Gentiles usurpati ab Apostolis adoptari potuerint, v. g. vestes, vasa, & alia id genus: verum hæc nec servari debuerunt, nec de facto servata fuerunt vi legis Judaicæ, quæ abrogata erat, sed vi novæ Pastorum Evangelicorum constitutionis.

Quæres I. an lex vetus Gentilibus conversis priusquam Judæis mortifera facta sit.

R. negat. Legis enim observatio nec magis perniciosa erat, nec magis prohibita Gentilibus, quam Judæis. Et vero si hæc alicubi Gentilibus prohibita fuisset, utique in Concilio Hierosolymitano, ubi ex professo tractatum est de legalium usu: atqui nulla ibi facta est prohibitio respectu Gentilium, sed solum declaratum est legis onus iisdem necessarium non esse. Porro qui onus non imponit, non prohibet ejus acceptationem. Hinc nusquam quidem permisit Apostolus, ut observatio hæc admitteretur quasi necessaria; ut voluntariam ejus professionem pro illo tempore nullibi reprobavit.

Fatendum tamen legalium observationem per accidens ante Gentilibus mortiferam esse potuisse, quam Judæis; quia cum nimis onerosa forent, præsertim circumcisio, facilius potuissent Judæis occasionem præbere existimandi durum hoc legis onus non portari nisi ab iis, qui necessitatem ejus agnoscerent: quo in casu a legalibus abstinendum erat ob imminens scandali periculum.

Quæres II. Quo jure lex vetus facta sit mortifera.

R. præcipua saltem legis Mosaicæ capita jure divino mortifera facta esse. Quia lex Evangelii per se excludit præcipuos Moisis ritus, ut patet in Aaronis Sacerdotio, & sacrificiis, quæ cum unico Christi sacrificio ubique a Sacerdotibus novæ legis offerendo compati non possunt. Idem patet quoad ritus judicia-

 les

les; nam permissio vel dandi libellum repudii, vel plures simul uxores ducendi, stare non potuit cum restitutione matrimonii in pristinum statum, & cum lege, qua Christus vetuit, ne quis uxorem suam dimitteret. Unde longe probabilius videtur hujusmodi leges, quæ Evangelio directe repugnabant, promulgata sufficienter Christi lege, mortiferas evasisse; cæteras vero leges, quibus specialiter per Evangelium non derogabatur, durasse, quandiu duravit Judaicæ Reipublicæ status.

Quod spectat ad alias cæremonias minus principales, dici potest eas jure solum Ecclesiastico abrogatas fuisse: unde vasa, vestes, & similia, quæ in lege veteri usurpabantur, in nova admitti possunt, saltem ex parte; non quidem vi primæ institutionis, quæ cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiæ.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Lege Evangelica.*

DUæ erunt hujus articuli Sectiones. Prima legis novæ nomen, essentiam, & causas expendet. Secunda affectiones ejusdem investigabit.

### SECTIO PRIMA.

*De nomine, essentia, & causis Legis novæ.*

LEx Christi multis donatur nominibus. Dicitur I. lex nova; vel ab effectu, quia hominem per gratiam renovat; vel a tempore, quia est ultima lex a Deo data. II. vocatur *lex fidei*, Rom. 3. *lex Spiritus vitæ*, Rom. 8. *lex gratiæ*, vel simpliciter *gratia*, Joan. 1. *Gratia, & veritas per Jesum Christum facta est.* III. lex libertatis, &c. IV. novum Testamentum, quia adveniente Christi lege omnia innovata sunt, secundum id II. Corint. 5. *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* V. lex Evangelica, quia, ut ait Auctor Operis imperfecti in Matth. *Evangelium est bonum nuntium: bona autem hominibus nuntiantur, quando promittitur eis beatitudo cœlestis, peccatorum remissio, adoptio filiorum, mortuorum resurrectio, immortalis vita, &c.*

Lex nova definiri potest: Lex a Christo data, & ab Apostolis promulgata, quæ conjunctam sibi gratiam supernaturalem habet.

Dicitur I. lex. Ibi enim est lex vera, ubi vera imponuntur præcepta ad bonum communitatis ordinata, & in perpetuum servanda: atqui Christus hujusmodi præcepta suis imposuit Joan. 6. *nisi manducaveritis carnem filii hominis.* Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Hinc patet quam absurde docuerint Calvinus, & Lutherus nullam a Christo legem esse sancitam.

Dicitur II. *a Christo data, &c.* quæ vox locum habet differentiæ: *lex enim vetus per Moisen data est, gratia, & veritas* Evangelii *per Jesum Christum*, Deum, & hominem cum hominibus amice conversantem *facta est.*

Dicitur III. *conjunctam sibi gratiam habens, &c.* Lex enim Christi *virtus Dei est in salutem omni credenti* Rom. 1., in quem locum sic scribit S. Anselmus: *Virtus est, quia gratiam præstat per cujus auxilium valeamus facere, quæ præcepit.*

Obj. I. Si Evangelium esset vera lex præceptiva, Christiani essent sub lege: atqui ex Apostolo, *Non* sunt *sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* 6.). Unde II. Cor. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, scilicet ab obligatione legis; ergo.

R. dist. maj. essent sub lege Christi, C. sub lege Moisis, N. Itaque Apostolus eam hic legem excludit, quæ timoris erat non amoris, & quæ innumeris referta erat cæremoniis, & sanctionibus; at nusquam negavit Christum vera dedisse præcepta, & stabilia, & perpetua, quibus Christiani obedire teneantur; imo præcepta hæc ubique commendat. Eadem responsio ad textum e II. Cor. 3. petitum.

Obj. II. Discrimen legis Christi desumi non potest ex eo quod ipsi commune fuit cum antiqua lege: atqui gratiam habuisse sibi annexam, commune fuit etiam antiquæ legi; ergo.

R. neg. min. etsi enim gratia non defuerit Judæis, merito tamen legis utriusque discrimen ex parte gratiæ desumitur: I. quia longe parcior erat mensura gratiæ in veteri Testamento, nunc autem multo diffusior. II. quia gratia Judæis concessa non fuit data vi hujusce status, in quo nondum solutum erat redemptionis nostræ pretium, sed vi legis novæ, ejusque auctoris Christi, a quo, & per cujus merita conferebatur.

Quod spectat ad causas novæ legis, extra dubium est, Christum unicam esse ejus causam efficientem: neque vero, quidquid male senserint aliqui, ex Scriptura, vel Traditione ostendi potest ullam a Joanne latam esse legem, quæ Christianos obliget: nam Baptismus ab ipso institutus, de quo uno moveri potest difficultas, erat potius dispositio ad Baptismum Christi, quam Sacramentum, quod Fideles suscipere tenerentur.

Causa vero materialis, seu materia novæ legis, sunt præcepta, tum moralia, tum cæremonialia. Et quidem I. lex Christi multa continet præcepta moralia, quæ scilicet spectant ad mores secundum veri & æqui regulas dirigendos, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad proximum. Nam I. in ordine ad Deum præcipit fidem, Matth. ult. *Qui non crediderit, condemnabitur*; charitatem, Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* II. in ordine ad proximum, omnia legis naturalis erga ipsum præcepta paucis his complectitur: *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis* (*Matth.* 7.); ergo lex nova non unum fidei præceptum continet, ut falso prædicant pseudo-reformati, sed multa præcepta, quorum alia sunt juris naturalis, ut amor Dei, & proximi; alia juris positivi divini, ut fides Eucharistiæ, cujus prædicatio pendebat a libera Dei dispositione.

II. Lex Christi præcepta habet cæremonialia, quæ nempe ad externum Dei cultum, Sacramenta, & sacra-

ctificium pertineat. Sic præcipit, ut Baptismus cum aqua, & sub certa verborum forma conferatur; ut Eucharistia in pane, & vino, atque talibus verbis conficiatur, &c.

At Christus judicialia, sicut Moises, præcepta non dedit: sed Principibus liberum reliquit, ut ex statuerent, quæ sibi ad publicam tranquillitatem potiora viderentur, modo contra fidem, & mores nihil sancirent. Quin & si Ecclesia, prout est communitas spiritualis, exigat leges judiciales, quibus exterius dirigatur, has tamen Christus ferre per semetipsum noluit, sed curam hanc, & potestatem Pastoribus commisit, quia leges judiciales pro temporum, & occasionum varietate mutari sæpe expedit; non expediebat autem, ut leges a Christo latæ mutarentur.

Causa formalis legis novæ ejus definitione continetur: sed hic quæritur quomodo lex nova tradita sit.

Communis, & vera sententia est legem Mosaicam in eo differre ab Evangelica; quod illa scripto tradita sit in tabulis lapideis: hæc vero per Spiritum sanctum in hominum cordibus insculpta sit. Ita expresse S. Augustinus Lib. de spir. & lit. c. 17.

At, inquies, utraque lex scripto tradita fuit, vetus quidem a Moise; nova vero ab Evangelistis.

R. legem novam duo complecti: I. & præcipue gratiam, & charitatem in cordibus diffusam, qua impellimur, & juvamur ad bene operandum. II. externas bene operandi leges. Lex nova quoad primum non tradita fuit, sed insculpta, præcipue in solemni ejus promulgatione facta die Pentecostes: tunc enim tanta in Discipulos effluxit gratiæ copia, ut vi illius nova lex sine scripto tota conservari potuisset, ea S. Irenæo.

Quod spectat ad secundum, lex novæ scripto quidem tradita est, sed per accidens, ut ita loquar, non per se, ut lex vetus. Enim vero lex Mosaica prius juxta Dei ordinationem scribi debuit, quam dari: contra vero lex Christi ante data est, sive vivæ vocis oraculo, sive in die Pentecostes, quam scripta, cum nec statim, sed aliquot post Christi mortem annis ab Evangelistis in lucem editæ fuerit, nec *per se*, si ita loqui fas est, scripta fuerit, sed quasi *per accidens*, quatenus ad Fidelium preces scribenda fuit Christi vita, & contra Cerinthi, & Ebionis hæreses agendum; ergo lex nova, nec secundum potissimam sui partem, quæ est gratia, nec secundum præcepta sua scripto per se tradita fuit, ut tradita est lex Mosaica.

Hic notandum legem novam aliter nobis esse inditam, quam legem naturalem: hæc indita est ut aliquid, quod ad hominis naturam pertinet; illa ut supernaturale donum, non solum indicans quid agendum sit, sed adjuvans ad implendum.

Causa finalis legis novæ manifesta erit ex iis, quæ paulo post de ejus effectibus dicenda sunt.

## SECTIO SECUNDA.

*De affectionibus Legis novæ.*

VArias legis novæ affectiones discutiunt Theologi, quas ut paucis expediamus,

Quæres I., an conveniens fuerit, ut lex nova non daretur ab initio mundi.

R. affirmative. I. quia gratia naturam imitatur: atqui natura non statim a principio aliquid ad perfectum adducit, sed temporis progressu. II. quia expediebat, ut homo sibi relictus infirmitatem suam agnosceret. III. quia lex nova principaliter est ipsa S. Spiritus gratia in nos abunde effusa: atqui non decebat, ut hæc gratiæ abundantia conferretur, antequam redemptio nostra per Christi passionem in temporum plenitudine adimplendam consummaretur juxta id Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus*, tam abunde scilicet, *quia Jesus nondum erat glorificatus*.

Quæres II. quando inceperit lex nova, & quandiu duratura sit.

R. ad I. legem novam, si sumatur prout gratiam importat, cepisse ab initio mundi: quia ab initio mundi collata est hominibus gratia, quæ cum debeatur Christo novæ legis auctori, novam ad legem pertinet. Hinc juxta Augustinum veteres Patriarchæ *nondum nomine, sed reipsa fuerunt antea Christiani*.

Et quia gratia, quæ sanctis cum Deo regnantibus confertur, datur etiam per merita Christi, hinc est quod lex nova, secundum præcipuam sui partem sumta, per totam æternitatem duratura dicitur.

R. II. legem novam non uno tempore secundum omnes sui partes incepisse: sic Baptismus fuit ante Eucharistiam, Eucharistia ante Pœnitentiam.

R. III. legem novam, si sumatur prout est præceptiva, duraturam esse usque ad finem mundi.

Prob. quia nulla legi novæ potest succedere lex eadem præstantior: sive ex parte auctoris, qui ipse est unigenitus Dei filius: sive ex parte sacrificii, quia nullum Eucharistia dignius institui potest: sive ex parte Sacramentorum, quia nostræ fœcundissimi sunt salutis fontes &c.

Quæres III. an dispensatio cadat in legem novam.

Not. non hic inquiri, an Deus in lege hac, prout positiva est, dispensare possit: ut enim eam libere tulit, sic & ab ea quosdam pro nutu eximere posset, quos ab æterno eximere decrevisset. Verum dispensatio hæc non præsumitur, nisi miraculis, aut alia via non minus efficaci probetur. Tota igitur quæstio est, an homo in lege Dei dispensare possit.

R. negat. inferior enim dispensare non potest in lege superioris, nisi specialem ab eo dispensandi potestatem receperit: atqui potestas in lege divina dispensandi nemini concessa fuit a Christo, & ne ipsi quidem S. Petro, ut statim patebit; ergo.

Confirm. Præcepta legis novæ vel sunt de rebus secundum se necessariis, ut est amor Dei; vel de rebus, quæ non nisi ex instituto Christi necessariæ sunt, ut Baptismus, & alia Sacramenta: atqui nulla est hominum potestas, quæ in his dispensare possit. Non in primis: quandoquidem ne ipse quidem Deus

in his dispensare potest. Non in secundis: præcepta enim legis novæ de rebus per se non necessariis, sunt præcepta de actu fidei circa hoc, vel illud mysterium, de Sacramentis vel aliquando recipiendis, vel taliter administrandis: atqui nec Pontifex, nec Ecclesia dispensare possunt, ut quis alia utatur materia, quam quæ instituta est a Christo, v. g. aqua in Baptismate; aut ut quis non teneatur ad credendum iis, quæ a Christo revelata sunt; ergo.

Obj. I. Hæc Christi verba Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, &c.* continent potestatem dispensandi in lege divina, cum generaliter dicta sint, & nihil excipiant: atqui verba hæc ad Petrum, ejusque successores pertinent; ergo.

R. neg. maj. & dico verba hæc licet generaliter prolata, cum exceptione tamen intelligenda esse, prout ab Ecclesia ipsa semper intellecta sunt. Et certe si nulla ibi admittenda foret exceptio, omnia legis novæ puncta solvi possent, sicque posset Ecclesia mutare, vel tollere sacrificium a Christo institutum, posset mutare Sacramentorum substantiam, contra Tridentinum sess. 21. cap. 2., & Apostolum, qui II. Cor. 10. docet potestatem a Christo Apostolis concessam non fuisse *in destructionem*, sed *in ædificationem*.

Obj. II. Papa dispensat in multis, quorum obligatio juris est divini: ut I. in votis. II. in juramentis. III. in ministro Confirmationis, qui licet ex institutione Christi Episcopus esse debeat, *aliquando tamen per Apostolicæ Sedis dispensationem* simplex fuit Sacerdos, ut docet Concilium Florentinum; ergo.

R. neg. antec. Ad 1. & 2. fateor, quod Papa, & sæpe Episcopi dispensant in votis, & juramentis: at non ideo dispensant in lege naturali, vel divina servandi votum, sed mutant materiam, eamque mutatione hac subtrahunt divinæ legi, quæ non obligat ad servandam Deo promissionem, cui Deus per se, aut vicarium suum renuntiavit. Sic homo, qui promissioni sibi ab alio factæ, & juramento confirmatæ renuntiat, non dispensat in lege naturali, quæ fidem datam servari jubet, sed relaxata promissione materiam mutat, eamque legi subtrahit; vel, si mavis, tollit conditionem, sub qua sola lex obligabat. Lex enim non obligat absolute, ut promissio quævis servetur; sed conditionate, nimirum ut servetur, nisi promissarius, aut qui vices ejus gerit eidem renuntiet.

Ad 3. Episcopus non ita Confirmationis minister a Christo institutus est, ut ministerium illud nunquam simplici Presbytero committi possit; sed ita ut ei nunquam, nisi a Papa, gravibusque de causis conferri possit; prout alibi dicemus.

Quæres IV. an interpretatio cadat in legem novam.

R. Non cadit interpretatio per epikeiam; cadit vero interpretatio improprie dicta, seu doctrinalis.

Prob. 1. pars, quia lex Christi in omnibus obligat casibus, in quibus eam Christus obligare voluit; nec ullus est, qui quempiam in iisdem casibus ab obligatione ejus eximere ausit.

Prob. 2. pars: tum quia sæpius explicant SS. Patres sensum, & verba legis novæ; tum quia exponunt Doctores quo tempore, & quibus in circumstantiis obligent quædam novæ legis præcepta: sic v. g. alii præceptum Confessionis, prout divinum est, post commissum mortale peccatum, alii non statim obligare interpretantur.

Quæres V. quæ sint legis novæ a veteri discrimina.

R. Utramque legem non distingui quoad substantiam, sed tantum penes accidentia.

Prob. 1. pars: quia illæ leges non differunt quoad essentiam, quæ habent eundem auctorem, eundem finem, & eadem præcepta primaria: atqui lex vetus, & nova I. eundem habent auctorem, Deum scilicet, qui *Patribus in Prophetis, novissime vero locutus est nobis in Filio* (*Hebr.* 1.). II. eundem finem, tum proximum, nempe cultum Dei, & cordis puritatem, tum remotum, scilicet vitam æternam. III. eadem præcepta primaria, fidei scilicet per charitatem operantis, quæ est *legis plenitudo* (*Rom.* 13.).

Prob. 2. pars: I. quia lex vetus imperfectior erat, quasi pædagogus, quo Judæi tanquam parvuli dirigebantur. II. quia secundaria legis utriusque præcepta plurimum discrepant, ut patet in præceptis ad Sacramenta, & sacrificia pertinentibus. III. quia lex vetus non nisi Judæos; lex Evangelica orbem totum obligat. IV. quia fidei mysteria, Trinitatis v. g., Incarnationis, &c. clarius in nova lege, quam in veteri proponuntur. V. quia spiritus legis antiquæ timoris erat, novæ vero amoris. VI. quia major est in nova lege præcepta implendi facultas, quam in veteri. VII. quia lex nova justificat, vetus non item. Circa duas posteriores differentias

Quæritur I. an reipsa lex nova sit facilior veteri.

R. affirmat. Lex enim nova spectatur vel prout præcipit actus exteriores, vel prout est lex gratiæ, & amoris. Si primum, lex nova facilior est veteri: hæc enim ob præceptorum multitudinem jugum importabile vocatur Act. 15., cum lex nova legi naturali paucissima superaddat præcepta. Si secundum, summa est legis novæ facilitas præ veteri; nam lex nova est lex amoris; porro *in eo quod amatur, aut non laboratur, aut si laboratur, labor amatur*; ait Augustin. Lib. de bono viduit. c. 21.

Dices: Præceptum Confessionis, prohibitio polygamiæ, matrimonii indissolubilitas, onera sunt adeo gravia, ut propterea multi Infideles a Christianismo deterreantur.

R. I. præcepta hæc per abundantiam gratiæ facilia reddi, prout prædixerat Isaias cap. 10. *In die illa.... computrescet jugum a facie olei.* II. pondus legis non expendi ab uno aut altero præcepto, sed ex tota præceptorum collectione. Porro quis neget sexcenta circiter legis Mosaicæ præcepta, e quibus multa erant, quorum transgressores morte plectebantur, graviora esse lege Christi, quæ pauca admodum præcepta continet, e quibus vix tria aut quatuor, quæ nonnihil habent difficultatis, ut Confessio, tantum aliunde pacis afferunt & solatii, ut pœna illa annexa pro nihilo fere debeat computari.

Quæritur II. an lex nova præcise vi præceptorum justificet.

R. negat. si enim a præceptis legis novæ separaretur gratia, nihil magis posset lex Evangelica, quam vetus; & nihilominus quam illa esset littera occidens.

Hinc

Hinc S. Augustinus Lib. de spir. & lit. cap. 4. *Doctrina*, inquit, *qua mandatum accipimus littera est occidens, nisi adsit vivificans spiritus*. Ubi per litteram intelligitur *quælibet scriptura extra homines existens, etiam moralium præceptorum, qualia continentur in Evangelio*, prout docet S. Thomas q. 106. art. 2.

## CAPUT QUINTUM.

*De Lege humana.*

DUo erunt hujus Capitis Articuli: primus de lege humana in genere: secundus, de variis ejusdem speciebus.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Lege humana in genere.*

DE lege humana ut sic multa expendenda sunt: I. quid sit, & a quo condi possit. II. quodnam sit ejus objectum. III. quod subjectum. IV. quæ conditiones. V. quinam effectus. VI. quæ affectiones.

### SECTIO PRIMA.

*De essentia, & auctore Legis humanæ.*

LEx humana est præceptum commune, justum, & stabile ab iis, qui curam vel politicæ, vel Ecclesiasticæ communitatis habent, promulgatum.

Certum est ex toto corpore Juris, tum civilis, tum canonici, existere leges humanas; sed controvertitur Catholicos inter, & Heterodoxos, an eæ leges juste conditæ sint. Negarunt Waldenses, Wiclefus, & Lutherus, qui Lib. de captiv. Babylon. *clamo fidenter*, ait, *Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt: liberi enim sumus ab omnibus*. Contra eos omnes sit

CONCLUSIO. Superiores tum civiles, cum Ecclesiastici possunt condere leges, quæ conscientiam obligent circa ea etiam, quæ jure divino præcepta non sunt.

Prob. 1. pars de Superioribus sæcularibus. Ex Script. Luc. 20. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: ubi Christus legem de tributis ab ethnico Principe latam in materia, quæ jure divino præcepta non erat, servari mandat, eamque in robore fuisse supponit. Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram*, seu pœnam, *sed etiam propter conscientiam*. Unde sic: Leges, de quibus in hoc textu agitur, latæ erant ab Imperatoribus paganis, qui nec de oneranda subditorum conscientia, nec de renovandis veri Dei legibus cogitabant: atqui tamen leges illæ obligabant *etiam* in conscientia, ita ut qui ipsis resistebant, Deo ipsi resisterent, & idcirco damnationem sibi acquirerent æternam; ergo.

Prob. 2. pars de Superioribus Ecclesiasticis. Id nunc potest Ecclesia, quod olim fecit: neque enim ad unum tempus restricta est potestas eidem a Christo concessa: atqui Ecclesia olim condidit leges multas circa ea, quæ in lege divina non continebantur. Nam I. in Concilio Jerosolymitano edita est ab Apostolis lex, qua gentes ad fidem conversæ jussæ sunt abstinere a suffocato, & idolotytis: atqui lex illa obligabat in conscientia, quidquid contradicat Calvinus: hæc enim verba: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria*, veram important obligationem; quia quod non obligat, non imponitur ut onus necessarium. II. S. Paulus I. ad Timoth. 3., & ad Titum 1. legem condidit, qua vetitum est, ne bigami, & neophyti ad Episcopatum assumerentur, &c.

Eadem veritas patet ex constanti agendi ratione Ecclesiæ, quæ diversas diversis temporibus leges sanxit. Sic indixit jejunium quadragesimale, communionem paschali tempore faciendam, eosque, qui secus facerent, gravissimis mulctavit pœnis, quæ gravissimum peccatum supponunt.

Denique idem confirmat ratio. Ecclesia enim est perfecta societas, cui proinde competere debet potestas gubernandi subditos: *ubi enim non est gubernator, corruet populus* (*Prov.* 11.): atqui potestas gubernandi potestatem ferendi leges importat. Occurrendum enim est abusibus, qui sensim irrepunt: viri nequam exterioribus pœnis coercendi sunt; hæc autem sine legum auxilio fieri non possunt; ergo.

Obj. I. Ex potestate humanas leges condendi hæc sequuntur: I. aliquid divinis mandatis, ab homine addi posse. II. Christianos alium a Christo legislatorem habere posse: atqui hæc duo repugnant Scripturis. Primum quidem: nam Deut. 12. ait Deus: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito; nec addas quidquam, nec minuas*. Secundum, quia Jacobi 4. dicitur, *Unus est legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare*; ergo.

R. neg. min., cujus probatio manifesto Scripturarum abusu nititur. Unde ad 1. præcipit Deus, ut nihil legi suæ addatur, id est, nihil ei contrarium. Hoc sensu Paulus anathema dicit iis, qui aliquid prædicaverint, *præter*, id est, *contra* id, quod ipse prædicaverat. Hinc Apostolus ipse non paucas instituit leges, ut statim dixi. Hinc Judæi licet legibus gravati quasdam identidem divinæ legi leges addiderunt: sic *Judas statuit... ut ageretur dies dedicationis Altaris ... ab anno ad annum per dies octo*; (*I.Mac.* 7.) quæ certe lex gravis erat momenti.

Ad 2. Unus est legislator primarius: at ille potestatis suæ partem aliquam inferioribus ministris communicat, juxta id Proverb. 8. *Per me reges regnant, &c.* unde qui hominis legem violat, legem æternam, & divinam simul transgreditur.

Obj. II. Judex inferior non potest inducere obligationem in foro Judicis superioris: atqui legislator hu-

humanus Judex est inferior; ergo inducere non potest obligationem in foro conscientiæ, quod Dei ipsius forum est.

R. dist. maj. non potest inducere obligationem in foro superioris, præter, aut contra voluntatem superioris C. secundum voluntatem superioris, & ordinem ab eo constitutum, N. Porro ipse Christus dixit: *Qui vos spernit, me spernit*.

Quæres I. an summus Pontifex, & Imperator ferre possint leges civiles, quæ totum orbem obligent.

R. negat. quia neuter terrenam mundi totius ditionem habet. Ex quo colliges jus Cæsareum, seu commune nullam per se in Galliis vim habere; unde sicubi obligat, ut in Occitania, non vi auctoritatis imperatoriæ, sed quia a populis illis ex Regum consensu receptum est.

Quæres II. cujus sit Ecclesiasticas leges condere.

R. I. potestatem hanc non competere Laicis, cum a Christo iis solum concessa sit, qui oves Domini pascere debent; ergo sicut Ecclesiastici ut sic non possunt civiles leges condere, sic nec Laici Ecclesiasticas.

Quemadmodum tamen Ecclesia civilium legum executionem pro viribus procurare nititur, sic & Principes sæculares Ecclesiasticarum Constitutionum observantiam pie, & sancte procurant. Unde tot laudibus cumulati fuere Constantinus Magnus, Theodosius, aliique Principes, qui suam Ecclesiæ definitionibus submissionem in alios trasmittere satagebant.

R. II. Multi sunt qui leges Ecclesiasticas ferre possint, & quidem I. S. Pontifex: tum quia data est S. Petro potestas ligandi, atque adeo obligandi, ut patet ex Matth. 16. *Tu es Petrus.... quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*. Tum quia ei competit potestas ferendi leges, cui data est potestas Ecclesiæ gubernativa: atqui hæc data est S. Petro ejusque successoribus, per hæc Christi verba Joan. 21. *Pasce oves meas*.

II. Episcopus leges, seu statuta in Episcopatu suo ferre potest: Episcopus enim est ordinarius Ecclesiæ rector, & ex eorum numero, quos *posuit Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ergo particulares, quibus Diœcesis sua aliquando indiget, leges edere debet.

Cæterum potestas ferendi leges extenditur ad Episcopum electum, & confirmatum, quamvis nondum consecratum. Is enim statim ac Bullas suas recepit, de jure communi potest id omne, quod a jurisdictione pendet, ut censuras ferre, visitare, jurisdictionem delegare, &c. Verum in Gallia nihil horum potest, nisi postquam Episcopatus sui possessionem sive per se, sive per procuratorem iniit: alioqui perseverat jurisdictio Capituli, ut Sede adhuc vacante.

Etsi Patriarchæ, & Archiepiscopi subditis suis, si quos habent, leges imponere possint, neutri tamen pro tota, cui præsunt, provincia leges ferre possunt *sine consilio, & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum*; alioqui *gradus sui periculo* subjacebunt, & quod egerint *irritum & vacuum* habebitur. (*can.* 9. 4. 3. *can* 7.)

III. Abbates, & inferiores Prælati, qui jurisdictionem quasi episcopalem habent, leges condere possunt. Ratio est, quia potestati quasi Episcopali, quibus ii omnes fruuntur, annexa est potestas leges condendi.

IV. Concilia generalia, nationalia, provincialia, aut diœcesana leges ferre possunt; at iis legibus non tenentur aliæ Nationes, Provinciæ, aut Diœceses: imo nec generalis ipsius Concilii leges ubique observantur, ut in ipsa Synodo Tridentina patet, quæ licet a Catholicis omnibus admittenda sit in iis, quæ ad fidem pertinent, non tamen ubique admittitur pro iis, quæ ad disciplinam spectant.

Quæres, quæ sit in condendis legibus auctoritas Capituli, Sede vacante.

R. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, (non autem Collegiatæ) ferre posse statuta tandiu duratura, donec ab Episcopo revocentur. Ratio est, quia Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopi, ex cap. unico *De majori & obed.* in 6. ergo id omne potest, quod Episcopus, nisi id sibi specialiter prohibitum sit; porro condere leges est de Episcopi potestate, neque Capitulo specialiter prohibitum invenitur. Prohibitum tamen est Capitulis, ne quid innovent in bonis ad Ecclesiam pertinentibus, puta ne bona hæc, communiter loquendo, alienent, donent, aut aliter distrahant.

Quod spectat ad Capitulum, vivente Episcopo, certum est ipsum, jure saltem communi, nullas leges conficere posse, quæ Diœcesim obligent: potest tamen de minoribus ad se pertinentibus condere statuta, quibus singula Capituli membra obligentur, adeo ut qui eam transgressi fuerint, decretis contra transgressores pœnis subjaceant. Ratio est, quia Capitulum etiam sine Episcopo spectatum est integrum corpus, Decano, aut alio quovis Præposito tanquam capite, cæterisque Canonicis ut membris constans: ergo rationem habet communitatis satis perfectæ, ut quibusdam legibus se regat. Idem de Communitatibus inferioribus dicendum est.

## SECTIO SECUNDA.

*De objecto seu materia Legis humanæ.*

CErtum est I. legem omnem humanam versari in materia honesta: lex enim, quæ aliquid præciperet inhonesti, eo ipso vera lex non esset. Sufficit tamen, ut legis materia sit honesta extrinsece, id est, ut ad finem honestum, scilicet bonum commune referri possit. Hinc lex humana, non solum virtutis actus imperare potest, sed & multa præcipere, quæ de se sunt indifferentia, puta ut arma certo tempore ferantur, vel non, quia armorum gestatio, vel depositio ad publicæ rei bonum conducere potest.

Certum est II. non omnem materiam honestam humana lege præcipi. Virginitas enim, jejunium in pane, & aqua, etsi materia sint vere laudabilis, im-

imprudenter tamen omnibus præciperentur, quia essent jugum, quod plerique homines portare non possent. Atque hinc colligere solent Doctores, legislatorem politicum omnia vitia prohibere nec posse, nec debere, saltem sub pœna coactiva: omnia enim mala cavere non omnium est; non etiam multorum, sed perfectorum. Hæc tamen non impediunt, quin in Religione multa prohibeantur, quæ alio in statu licita sunt.

Certum est III. propriam civilium legum materiam esse res temporaneas; propriam vero legis canonicæ materiam esse res spirituales: quia nec Principibus laicis concessa est potestas Ecclesiam dirigendi, nec Ecclesiæ Pastoribus præcise sumtis datum a Christo est regna moderari: unde S. Athanasius in sua ad Constantinum Apologia: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Non me fugit Principes multos varia emisisse decreta ad spirituale Ecclesiæ regimen spectantia: at nihil inde contra nos. I. quia a facto ad jus non valet illatio. II. quia statuta ab iis circa res spirituales emissa eatenus aliquid roboris obtinuere, quatenus expresso, vel tacito Ecclesiæ consensu confirmata sunt: inde Zenonis Henoticon, Ecthesis Heraclii, Typus Constantis, palam rejiciuntur, quia ab Ecclesia reprobata sunt. III. quia religiosi, qui variis temporibus floruere Principes, id unum, decreta hæc condendo, intendebant, non ut Ecclesiæ leges indicerent, sed ut latas ab eadem Ecclesia & servarent ipsi, & a suis servari curarent: quod nedum ipsis vitio verti possit, magnæ e contra laudis argumentum est.

His præsuppositis, duo hic disputari solent: I. an lex humana ad actus internos se extendat. II. an actus præteriti ejusdem legis materia esse possint. Non loquor de actibus externis, aut de actibus futuris: ii enim ex omnium confesso sunt humanæ legis materia, cum omnium maxime dirigi, & coerceri possint. Ut solvatur prima difficultas de actibus internis,

Not. I. Actus interni dupliciter cadere possunt sub legem: *directe*, cum præcipiuntur, aut prohibentur per se, & ratione sui; & *indirecte*, dum non prohibentur, aut præcipiuntur nisi ratione actus externi, cui conjunguntur.

Not. II. Actus interni vel cum externis conjuncti non sunt, ut oratio pure mentalis; vel cum iisdem conjuncti; & ii bifariam conjuncti esse possunt. I. *per se*, cum actus internus vel est causa actus externi, quo sensu volitio efficax furandi connectitur cum furto exteriori; vel est conditio necessaria ad actum exteriorem in genere moris consideratum, & sic connectitur dolor internus cum confessione, intentio baptisandi cum externa actione baptisantis. II. *per accidens* tantum, cum actus externus ab interno separatus non desinit humanus esse, aut moralis: sic intentio orandi Deum ad obtinendam castitatem accidentalis est orationi, quæ sublata hac intentione non desineret humana esse, & moralis. His positis, sit

CONCLUSIO I. Lex humana actus internos indirecte præcipere, aut prohibere potest.

Prob. I. Lex humana præcipere potest actus, qui humani sint, honesti, & in tali genere honestatis: sic quotidie præcipiunt Prælati, ut fideles Deum exorent ad obtinendam pacem: atqui hoc præcipiendo indirecte præcipiunt actus internos. Actus enim non potest esse humanus, & in tali genere honestus, nisi proficiscatur a voluntate bene disposita, & in talem effectum tendente: atqui voluntatis exercitium, bona ejus motio, desiderium hujus, vel illius finis, sunt actus vere interni; ergo.

Prob. II. Si Ecclesia actus internos præcipere non posset, qui actum simpliciter exteriorem poneret, satisfaceret Ecclesiæ præcepto: atqui falsum consequens; ut patet ex censura hujus propositionis: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; ergo.

Confirm. ex Bulla *Vineam Domini*, ubique acceptata, quæ definiit eos duntaxat Apostolicis contra Jansenium Constitutionibus satisfacere, qui ex animo & interius famosas quinque Propositiones in ipso Jansenii sensu condemnant. Si enim id *ex animo & interius* fieri debeat; ergo Ecclesia actus interiores præcipere potest.

CONCLUSIO II. Valde etiam probabile est actus mere internos præcipi posse, vel prohiberi lege pure Ecclesiastica, id est, versante in materia, quæ nec sit juris naturalis, nec divini.

Prob. I. ex textibus sæpe citatis: *Qui vos audit, me audit*, Luc. 10. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*, Math. 16. *Obedite præpositis vestris*, Hebr. 13. atqui verba hæc non distinguunt inter actus internos, & externos; ergo de utrisque generaliter intelligi debent, præsertim cum sensus generalis, utpote Ecclesiæ favorabilis, extendi debeat, nedum restringi

Prob. II. Si Ecclesia actus internos præcipere non possit, præcipere non poterit saltem meditationem mysterii alicujus singularis: atqui hoc repugnat experientiæ. Sic Nicolaus IV. in regula tertii Ordinis S. Francisci a Leone X. confirmata injungit quotidie Fratribus examen conscientiæ, qui actus mere est interior: sic præcipit Ecclesia, ut qui Subdiaconatu donari volunt; castitatis propositum emittant; ergo.

(+) Hæc plane confirmat Ecclesiæ praxis, qua internos modo præscripsit actus, modo lege prohibuit. Quare Innoc. XI. sequentem proscripsit propositionem, quæ ordine decima est. „ Non tenemur proximum actu in-
„ terno diligere „ : duæ etiam Michaelis Molinos, 65. scilicet, & 66. ab hoc Ven. Pontifice fuere damnatæ. Prima est: „ Præpositis obediendum est in exteriore: &
„ latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo
„ ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res se
„ habet, quo solus Deus, & Director intrant „ Altera:
„ risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei,
„ quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epi-
„ scopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ip-
„ sum cum suo Directore adeat. Novam dico doctri-
„ nam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec

Ca-

„ Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam „ unquam tradiderunt, nec tradere possunt: quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet „ eligendi quemcumque sibi bene visum. (✝)

Obj. I. De iis Ecclesia leges ferre nequit, de quibus non judicat: atqui Ecclesia *non judicat de occultis*, ex cap. 33. *De simonia*; sed solum *de manifestis*, ibid. cap. 34.

R. dist. min. Ecclesia non judicat de internis & occultis, judicio forensi, & coactivo, C. non judicat directive, expendendo an secundum se bona sint, ut præcipiantur; an mala, ut prohibeantur, N. Itaque de occultis non judicat Ecclesia, ea agitando in foro exteriori, testes citando, partes audiendo: nihilominus tamen expendere potest Ecclesia, an occulta quædam ita bona sint, aut mala, ut imperari debeant, aut prohiberi. Atque hoc patet I. quia actus exteriores occulti vere prohibentur ab Ecclesia, & quidem sub pœna censuræ, & tamen de iis Ecclesia in exteriori foro judicare non potest. II. quia sicut Deus dare potuit Ecclesiæ potestatem ferendi leges, quæ obligent in conscientia, tametsi nemo hominum de conscientia judicare possit, sic & ei dare potuit potestatem ferendi leges de actibus internis, tametsi nemo hominum de iis judicare possit judicio coactionis.

Inst. Lex debet esse medium efficax ad bonum commune; sed lex, quæ non judicat judicio forensi & coactivo, non potest esse medium efficax, sed inerme; ergo.

R. neg. min. quia ut lex dicatur efficax, sufficit ut vel transgressores exterius punire possit; vel iis pœnam a Deo comminari; vel demum homines ad id, quod æquum est & justum, dirigere.

Ut solvatur secunda difficultas, an actus præteriti legis materia esse possint, sit

CONCLUSIO. III. Lex proprie dicta non extenditur ad actus præteritos, obligando.

Prob. I. pars: tum ex cap. ult. *De constitutionibus*, ubi dicitur *leges & constitutiones dari formam futuris*: non autem *ad præterita facta trahi*; tum quia lex proprie dicta est essentialiter regula operandi: atqui regula operandi non potest ad actus præteritos extendi: quia cum facti sint, infecti esse nequeunt.

Dixi *obligando*, quia etsi legislator nunquam efficere possit, ut actus, qui sine culpa factus est, fiat per legem postea latam culpabilis, potest tamen facere, ut idem actus pœnæ improprie dictæ subjaceat: sic cum lata est lex, qua filii illegitimi constituebantur irregulares, irregularitatem contraxere, qui ante legem illegitimi erant.

Dixi II. *lex proprie dicta*, quia si lex sumatur pro doctrina declarante, eum v. g., qui talem culpam commisit, censuram tali Canone latam incurrisse; utique ad actus præteritos extendetur

## SECTIO TERTIA.

*De subjecto Legis humanæ.*

SUbjectum humanæ legis dicitur quisquis eidem obedire debet. Porro ii, de quibus dubitari potest, an lege humana, sive civili, sive Ecclesiastica teneantur, duas in classes dividi possunt: alii sunt indigenæ, quales sunt ipsi legislatores, pueri, amentes, Religiosi; alii vero sunt alienigenæ. Circa indigenas,

Quæres I. an legislator suis legibus obligetur.

Certum est I. Principem non absolutum, (qualis est v. g. Dux Venetorum inter Senatores, Metropolita inter Comprovinciales Episcopos) teneri legibus, quas una cum communitate, aut præcipua ejus parte sanxit. Ratio est, quia leges illæ supponuntur latæ a communitate, quæ est supra quascumque ejusdem partes singulariter spectatas, & cui consequenter omnes ejusdem partes obedire tenentur.

Certum est II. Principem non teneri legibus, quarum materia ad eum non spectat: ut si Rex vetuerit, ne quis gladium ferat. Patet id ex terminis: unde quæstio movetur de aliis legibus. Quare

R. Principem etiam absolutum tenetur propriis legibus quoad vim directivam, non autem quoad coactivam.

Prob. 1. pars: tum ex jure canonico, ubi cap. 6. *De constitut.* statuitur, ut *quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo*; tum ex jure civili, juxta quod (*L. 4. Cod. de Leg.*) *digna vox majestate regnantis est, legibus alligatum se principem profiteri*. Hinc S. Ambrosius Epist. 32. sic alloquitur Valentinianum. *Quodcumque præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.*

Prob. II. quia leges non feruntur nisi ad bonum commune: atqui Princeps non minus tenetur ad promovendum illud bonum, quam subditi. Porro non promovent commune bonum, qui *dicunt, & non faciunt*, sed plus nocent exemplo, quam verbis prosint.

Hinc sequitur Principem, qui proprias leges transgreditur in materia gravi, mortaliter peccare, idque etiam seclusis scandalo, & damno subditorum. Ratio est, quia naturalis æquitas notabiliter violari nequit sine peccato mortali: hanc autem æquitatem violat, qui in materia sibi cum aliis communi gravia aliis onera imponit, quæ ne ipso quidem digito movet. Unde graviter peccabunt, & Papa, si non jejunet cum aliis, & Episcopus, si in die, quam festam instituit, sacro non intersit.

Prob. 2. pars: tum quia omnis pœna imponitur invito & a superiore: atqui legislator respectu sui ipsius, nec invitus, nec superior esse potest. Tum quia legislator, qui ipse non exequitur, quod aliis præcipit, non peccat proprie nisi contra legem naturalem; lex autem naturalis non decernit pœnas, quæ legibus positivis decernuntur.

Hinc colliges Episcopum, qui sub pœna suspensionis ludum aleæ prohibuit, peccare quidem, si alea ludat; non autem incurrere pœnas, quas aliis indixit. Unde nec eas, juxta multos, incurreret Clericus cum

ce-

eodem Epiſcopo ludens, quia cenſeretur Epiſcopus diſpenſare.

Quæres II. An Infideles Eccleſiæ legibus teneantur.

R. Infideles nunquam baptiſati, ut Turcæ, Evangelicis legibus, non autem eccleſiaſticis; baptiſati vero, ut Pſeudoreformati, utriſque tenentur.

Prob. 1. pars, quia lex Evangelica omnibus omnino hominibus impoſita eſt a Deo, cui omnes prorſus ſubditi ſunt; ergo Infideles tenentur lege Baptiſmi, imo & Euchariſtiæ, non quidem tempore ab Eccleſia determinato, ſed aliquando, quia ſuſceptio ejus juris eſt divini, non eccleſiaſtici. Non peccant tamen, quandiu ignorantia invincibili laborant, ſicut non peccat ſubditus, qui facit contra legem Regis inculpabiliter ignoratam.

Prob. 2. pars, quia Infideles foris ſunt, id eſt, extra Eccleſiam, in quam non intratur niſi per Baptiſmum: porro de iis, qui foris ſunt, non judicat Eccleſia, ex Apoſtolo I. Corint. 5. Hinc nec peccat, nec cenſuris ſubjacet Infidelis, imo & Catechumenus, qui in die prohibita veſcitur carnibus, & cui proinde carnes poſſunt a Chriſtianis miniſtrari, modo Infidelis eſcam hanc non petat in contemptum Eccleſiæ, quod ſæpe contingere poteſt.

Prob. 3. pars, quia omnes baptiſati eo ipſo ſunt Eccleſiæ ſubditi, nec magis a legibus ejus eximuntur, quam ſubditi contra legitimum Principem rebelles.

Queræs III. Quid ſentiendum de infantibus amentibus, & ebriis.

R. I. Pueros ante uſum rationis, & perpetuo amentes nullis ſubjici legibus: quia neutri ſunt obedientiæ capaces. Unde quod utrique interdicti tempore Chriſtiana privantur ſepultura, vel fit in pœnam aliorum, vel ob incapacitatem loci, in quo nemo propter interdictum tumulari debet.

Hinc colliges non peccare pueros, qui ante ſeptennium, vel potius ante uſum rationis, quæ aliis ſerius, aliis ocius advenit, Miſſæ non interſunt, aut carnes manducant diebus prohibitis: item nec peccant, qui iis carnes præbent. An vero ſicut non peccant iidem infantes ante rationis uſum Monialium domos ingrediendo, ita etiam non peccent Moniales, quæ eos apud ſe introducunt; an item immunes eæ ſint ab excommunicatione lata contra introducentes in clauſtra perſonas alterius ſexus, controvertitur. Ego quidem tales ingreſſus a Confeſſariis ſevere prohibendus eſſe exiſtimo: I. propter periculum; nam & ipſos alterius ſexus infantes tenere deoſculari, ut tunc ſæpius contingit, periculi plenum eſt; & cum illa ætatula, ſermonis, ac vitii ignara, peccatur impunius. II. quia Cardinalis S. Severinæ Major Pœnitentiarius, & Clemens VIII. ea de re conſulti reſponderunt excommunicationem ab iis incurri, qui hujuſmodi infantes intra ſepta Monaſterii recipiunt. Eæ rationes a fortiori locum habent in amentibus pubertatem nactis, quorum præſentia majoris in Monaſterio mali cauſa eſſe poſſet.

Peccant etiam, qui amentes ad jurandum provocant: tum quia lubenter audire blaſphemias, quæ ab aliis evomuntur, peccatum eſt; tum quia blaſphemia intrinſecam habet deformitatem, quæ licet materialis ſit in fatuo, formalis eſt in eo, qui alium ad eam inducit, & ipſi tanquam principali agenti attribuitur. Eadem ratio adhuc efficacior eſt pro parvulis, qui hujuſmodi actibus non ſine animarum ſuarum periculo aſſueſcerent. Non peccarent vero, qui perpetuo amentem ad opera ſervilia diebus feſtis inducerent, quia hæc nec in ſe mala ſunt, nec perpetuo amentibus prohibita.

Quod ſpectat ad pueros, qui rationis uſum attigerunt, pro certo haberi debet eos lege naturali, divina, & eccleſiaſtica obligari; quia cum utantur ratione, legibus dirigi, ac proinde ligari poſſunt: unde peccata confiteri ſemel in anno, Miſſam audire, carnibus prohibitis abſtinere tenentur. Sunt tamen quædam Eccleſiæ leges tam arduæ, aut tanti momenti, ut iis non teneantur pueri etiam rationis uſum adepti. Sic non tenentur ad jejunium ante virilem ætatem; ſic etiam ad ſacram ſinaxim non admittuntur ante 10. aut 12. annum.

R. II. ebrios, & qui ad tempus delirant, non deſinere ſubjici Eccleſiæ legibus.

Ratio eſt, quia & ſubditi ſunt legislatori, & per ſe loquendo legem ejus intelligere poſſunt, eique obſequi, licet per accidens id non poſſint: atqui hoc ſufficit ut ejus legibus teneantur; ſicut & iidem tenentur, qui eas ignorant, etſi non peccent, cum ignorantia invincibili laborant. Hinc peccant, qui ebrio carnes apponunt, quia licet ebrius ob rationis defectum a peccato excuſari poſſit, non tamen qui actioni ejus cooperantur.

An homini ad tempus inſanienti carnes miniſtrari debeant, definiendum eſt ex pii, & periti medici ſententia. Certe ut non eadem eſt amentium omnium conditio, ſic nec eadem eſt omnium Eccleſiæ jejuniorum ratio, pluſque requiri videtur, ut quis a jejunio hebdomadæ ſanctæ, quam ut ab aliis quibuſdam jejuniis ſolvatur.

Quæres IV. an Clerici legibus civilibus obligentur.

R. obligari, ſalvo tamen ipſorum privilegio. Ratio eſt quia Clerici ſunt veri cives, quibus ſicut aliis præeſt Princeps politicus. Hinc generaliter dixit Apoſtolus Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*.

Dixi, ſalvo ipſorum privilegio: nam *immunitas Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtituta eſt*, ex Trident. Seſſ. 25. de Reform. cap. 20. Præcipua Clericorum immunitas eſt exemptio a vectigalibus, qua non obſtante, Clerici de Eccleſiæ bonis nonnihil conferunt Principibus, tum ut ea Cleri ſubventione pauperes vectigalibus, quibus ſolvendis impares ſunt, ſaltem ex parte liberentur; tum ut Principes hoſtibus ſuis, quorum triumphi Eccleſiæ ruina eſſe ſolent, bellum feliciter indicant: Principes autem non alium in finem reditibus ſibi ab Eccleſia conceſſis uti poſſunt.

An, & quouſque Monachi legibus Epiſcoporum obligentur, expendam in Tract. de præcipuorum ſtatuum obligationibus.

Jam expendendum, an alienigenæ teneantur legibus locorum, in quibus verſantur. Porro per alienigenas

hic

hic intelliguntur peregrini, advenæ, & vagi. Peregrinus is dicitur, qui extra locum domicilii sui moratur ad tempus cum animo ad sua redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus, qui nullum habet domicilium fixum, ut milites. Sit

CONCLUSIO I. Peregrini non tenentur legibus patriis, dum e proprio territorio absunt: nisi absint in fraudem, aut fictione juris censeantur ipsas in proprio territorio transgredi.

Prob. Qui legibus aliquem ligat, debet in ipsum habere jurisdictionem: atqui hanc legislator extra proprium territorium non habet: jurisdictio enim non nisi mediante territorio personas afficit: unde lex differt a præcepto, quod immediate personas ligat. Atque hinc prodiit tritum illud:

*Cum fueris Romæ, Romano vivito more.*
*Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.*

Dixi I. *nisi absint in fraudem*. *Nemini* enim *fraus sua patrocinari debet*. Unde qui e territorio suo, ubi jejunatur, in aliud eo animo se transfert, ut carnibus vesci possit, peccat mortaliter, & censuris, si quæ contra transgressores latæ fuerint, subjacet: & vero qua ratione servari posset ordo, si cuique licitum esset Ecclesiæ leges fugiendo eludere?

Dixi II. *aut nisi censeantur ipsas in proprio territorio transgredi*. Hinc peccant, & censuris, si quæ latæ fuerint, obnoxii sunt: I. Clerici, qui fruuntur Beneficio residentiam exigente, & tamen in alia Diœcesi manent. II. Canonici, qui ad Capitulum vocati, accedere recusant. III. qui contra loci sui leges in aliud territorium frumenta transferunt, aut locum peste infectum frequentant. IV. qui ubicumque sint, contra legitimum suum Principem arma ferunt. Ratio est, quia actio, quæ territorio damnum infert, in ipso vere peragi censetur. Unde qui contra Regni legem alio frumenta transfert, se habet, ut qui corpore existens extra territorium, emissa sagitta, hominem in territorio suo positum interimit: is enim homicida cum alterius territorio injuriam inferat, in eo peccatum consummare censetur, & sic censuram, si in eo lata esset, incurreret.

Ex conclusione nostra sequitur I. eum, qui bona fide egreditur Parisiis, ubi diebus sequentibus jejunium erit, & dies festa, seque Carnutum transfert, ubi neutrum in usu est, nec jejunii, nec Missæ audiendæ legibus teneri; atque id verum esse, etiamsi lex jejunii esset Ecclesiæ pene toti communis: unde qui transit Mediolano, ubi primis quatuor Quadragesimæ diebus non jejunatur, non tenetur ad jejunium. II. Gallum, qui clandestine matrimonium contraheret iis in locis, in quibus receptum non est Tridentinum, valide tamen contracturum esse, nisi quid aliud obstaret. III. immunem quoque a propriis territorii legibus esse eum, qui in loco localiter exempto commoratur. Ratio est, quia locus ille non est in territorio, nisi materialiter; non autem formaliter, ut locus legi subjectus. Quod si locus non esset exemptus secundum se, sed tantum ratione personarum, quæ ibi degerent, ut esse solent Monasteria Religiosorum exemptorum, qui ibidem existerent, non desinerent territorii legibus subjacere.

Sed quid dicendum de eo, qui Versaliis, ubi viget festi, vel jejunii lex, egreditur, paulo post adventurus in Diœcesim Carnutensem, ubi neutra lex viget.

R. eum teneri ante discessum Missam audire, si possit, & prævideat se alibi non auditurum. Ratio est, quia præceptum, quod actu obligat, actu impleri debet, si possit. Unde docent saniores Theologi, viatorem, qui prævidet futurum, ut annuam confessionem facere nequeat, nisi ante solitum tempus confiteatur, teneri ad confessionem, antequam proficiscatur.

At, inquies, qui prævidet futurum, ut sequenti Cinerum die jejunare non possit, non tenetur jejunare die præcedenti; ergo a pari.

R. neg. parit. Nam dies præcedens Cineres non est dies jejunii; dies autem discessus ex hoc territorio, est dies festa in eodem territorio, ut supponitur; hæc ergo similitudo solum probat discedentem e territorio non teneri audire Sacrum die præcedenti non festiva, si prævideat se impotentem fore ad illud audiendum die sequenti festiva.

Sed hic notandum est, aliam esse conditionem incolæ loci, ubi festum celebratur, aliam viatoris, qui hunc in locum advenit. Prior longe gravius tenetur, & in eum cadunt, quæ mox diximus: posterior vero, si v. g. proficisci quotidie solet hora quinta, aut sexta, non tenetur moram trahere longiorem, v. g. ad horam usque nonam, licet prævideat se in loco, ad quem pergit, non auditurum esse Missam. Discrimen inter utrumque sumitur ex communi hominum existimatione, secundum quam ad plus tenetur incola, quam viator; quia incola territorii sui legibus permanenter astringitur, viator vero non nisi transitorie. Et vero viator non tenetur ad permanendum in loco illo, sed solum supposita præsentia tenetur ad implendam legem, si tunc implere possit. Hinc pernoctasse in loco, unde itineris tui ratio bona fide ordinata te abquat, antequam Missa celebretur, horis avocat, non videtur sufficere, ut Sacro interesse tenearis.

Etsi vero peregrinus non tenetur sive ad audiendam Missam, sive ad exequenda alia hujus generis præcepta affirmativa, quæ iter nimium retardarent; teneretur tamen præceptis negativis, quibus aliqui actus prohibentur, ut esus carnium, & opus servile; quia hæc præcepta in transitu servari possunt, nec ullam injiciunt moram.

Quod spectat ad hominem, qui e proprio territorio, ubi jejunatur, paulo post transmigrare debet in aliud, ubi licita est carnium comestio, dicendum est, eum non modo non posse vesci carnibus, sed ne quidem jentare, priusquam ex illo territorio exierit, nisi aliunde excusetur ob longitudinem, vel molestiam tuam itineris. Ratio est, quia quilibet tenetur legibus saltem negativis territorii, quamdiu in eo est: unde sicut immunis es a jejunii lege, etsi ab uno, & minus quadrante ingressus sis in territorium, ubi non jejunatur; ita & eadem non manducandi lege teneris, etsi uno post quadrante discessurus sis e territorio, ubi viget jejunii lex.

CON-

CONCLUSIO II. Peregrini, advenæ, & vagi tenentur legibus locorum, per quæ transeunt.

Prob. I. quia peregrini, advenæ, & vagi sentiunt commodum, quatenus a patriis legibus immunes sunt; ergo & onus sentire debent, obsequendo legibus locorum, quibus actu degunt.

Prob. II. ut peregrini, & vagi subjaceant legibus locorum, in quibus actu degunt, satis est, ut legislator sufficientem in eos jurisdictionem habeat: atqui hanc habet. Si enim non habeat, vel quia non vult, vel quia non potest: atqui vult, & potest: I. quidem vult; cum id merito censeatur velle, quod conducit ad territorii pacem, quæ profecto non parum turbaretur, si peregrini laborarent, aut epularentur, cum incolæ precibus vacant, aut jejunio. II. potest etiam legislator suam in vagos, & peregrinos jurisdictionem exercere, cum ad subjectionem transitoriam sufficiat transitoria præsentia, sicut ad transeuntem a patriis legibus exemptionem sufficit brevis, & transiens absentia.

Prob. III. specialiter de vagis, qui si a locorum, per quæ transeunt, legibus immunes sint, quasi exleges erunt, nullumque habebunt superiorem, saltem particularem: quod in Ecclesia, quæ singulis Christi ovibus generaliter, & specialiter invigilat, locum habere nequit; ergo.

Obj. I. Peregrinus in territorio alieno puniri nequit; ergo legibus ejus non subjacet.

R. neg. ant. cujus falsitas patet I. ex cap. 18. cau. III. q. 6. ubi sic: *Ibi causa agatur, ubi crimen admittitur*. II. ex art. 19. Edicti Caroli IX. an. 1563. *Si le delinquant est pris au lieu du delit, son procès sera fait & jugé en la Jurisdiction, ou le delit aura été commis, sans que le Juge soit tenu de le renvoyer en une autre Jurisdiction, dont l'accusé ou le prisonnier se pretendra domicilié*. Hinc Presbyter Parisiensis, qui Aureliis transiens, ibidem peccat, illic ab Ordinum executione suspendi potest; & idem est de Religioso etiam exempto, quem ab Episcopo, cujus in Diœcesi delinquit, corripi posse docet S. Thomas, *nisi forte delinquat in re aliqua exempta, puta in administratione bonorum alicujus Monasterii exempti* (2. 2. q. 67. a. 1. ad 3.).

Obj. II. Si peregrini locorum, per quæ transeunt, legibus subjacerent, Sacerdotes Græci per Occidentem transeuntes, deberent consecrare in pane azymo, ut Latini; & Latini, qui per Græciam transeunt, uti deberent pane fermentato: atqui falsum consequens.

R. neg. maj. Ratio est, quia ad servandam in Ecclesia Orientali, & Occidentali pacem sancitum est a Patribus Florentinis, ut unusquisque ubicumque degeret, Ecclesiæ suæ ritum sequeretur: unde etiam Romæ fermentato pane utuntur ii e Græcis, qui in hac urbe domicilium suum fixerunt. Imo Græcus, qui celebrat in Ecclesia apud Latinos sita, sed ad Græcos pertinente, non potest licite consecrare in azymis; sicut nec Latinus, si apud Græcos celebret in Ecclesia, quæ Latinorum sit, non potest fermentato uti; quia libertas azymum, aut fermentatum adhibendi non est concessa nisi peregrinis, & iis quidem, qui Ecclesiam ritui suo appropriatam non habent.

Obj. III. Episcopus peregrinorum vota relaxare non potest; ergo neque illos legibus suis adstringere.

R. neg. conseq. Disparitas est, quod votorum relaxatio nihil in territorium confert boni; at vero quod leges loci ab omnibus serventur, multum conducit ad pacificum territorii regimen.

Præter casus supra discussos, quidam hic proponi solent. Quæritur itaque I. an qui tota die versatus est in Diœcesi, ubi non jejunatur, & sub noctem accedit in aliam, ubi jejunium viget, possit cœnare.

R. negat. & dico, eum sola collatione contentum esse debere; quia fit subditus legi loci, eamque saltem ex parte implere potest: a contrario qui e loco jejunii sub noctem accedit in locum, ubi carnibus vesci licitum est, potest ibidem carnes manducare.

Quæritur II. an qui peracto Parisiis jejunio quadragesimali accedit Londinum, ubi ob veterem, quem sequuntur stylum, nondum absoluta est quadragesima, teneatur cum incolis loci jejunare: item an denuo ad communionem paschalem obligetur.

R. ad 1. affirmative, tum ob rationem mox allatam; tum quia qui potest sentire commodum, debet & onus sentire. Porro fieri potest, ut qui ultra tempus lege præscriptum quadragesimam continuat, anno sequenti minus jejunet, quam lege constitutum sit, puta si Londino, ubi necdum jejunium incepit, adveniat in Galliam, ubi jam a diebus 15. jejunatur. Hinc colligo, eum, qui Parisiis jejunavit in vigilia S. Matthæi, quæ die sua contigit, adhuc teneri ad jejunandum sabbato in Diœcesi vicina, ubi festum hujus Apostoli in Dominicam proxime sequentem transfertur: ea tamen lege ut si anno sequenti Carnuti vivat, cum Parisiis jejunatur, & postea Parisios adveniat, ab omni jejunio immunis sit. Haud tamen crediderim, eum, in cujus territorio hodie jejunatur, posse extra illud prandium carnium acceptare, modo etiam acceptaturus fuisset, si jejunii lex non viguisset in ipsius territorio: sola enim necessitas, non autem voluptas mera a jejunii lege dispensare potest; neque æquum videtur, ut cum hinc Ecclesia ad jejunium invitat, inde vero amici ad epulas, istorum voci non sine illius offensione obediatur.

R. ad 2. negat. tum quia communio paschalis unico actu consummatur: tum quia non ita est certo tempori annexa, ut non possit aliquando anticipari. Unde conscensurus navim, ubi deest Sacerdos, potest, & debet paschali officio ante tempus paschale defungi.

## SECTIO QUARTA.

*De conditionibus ad Legem humanam requisitis.*

SUppono I. conditiones ad legem in genere necessarias ad legem humanam requiri, quia quod competit generi, & in specie locum habere debet.

Suppono II. legislatoris intentionem hanc esse debere, ut obliget: unde etiam necessum est, ut imperative loquatur, alias non erit lex, sed consilium:

hinc

hinc verba hæc: *Hortamur*, *monemus*, non sufficiunt ad legem; bene vero hæc: *Præcipio*, *jubeo*, *mando*. Hæ voces, *prohibeo*, *veto*, *interdico*, *nemini liceat*, *nemo possit*, *caveant omnes*, *abstineant*, *&c.* ad legem negativam sufficiunt; si tamen quædam ex iis usurpentur in regulis, quæ nullatenus obligant, non tam legem, quam exhortationem continere judicanda sunt.

His itaque suppositis, duo supersunt inquirenda: I. an sicut aliæ, sic & ipsæ Pontificiæ leges non prius obligent, quam promulgatæ fuerint. II. an, & quæ lex humana indigeat acceptari.

Circa primum censent aliqui, legem Pontificiam obligare, statim ut Romæ cum formalitatibus consuetis promulgata est. Contrarium censent, ait Illust. de Marca, omnes fere Galli, Germani & Hispani, quibuscum sit

CONCLUSIO. Leges Pontificiæ non ante obligant, quam singulis in Provinciis promulgatæ fuerint.

Prob. Ea ad ecclesiasticæ legis valorem necessaria est conditio, cujus defectu multæ sunt Ecclesiæ leges, quæ certis in locis non vigent: atqui defectu promulgationis multæ sunt leges, quæ in Gallia, Germania, aliisque ditionibus non vigent. Sic Bulla *In Cœna Domini*, & multæ Tridentinæ constitutiones, quæ ad disciplinam pertinent, nihil in Gallia roboris habent, quia nusquam ibi publicatæ sunt: sic matrimonia clandestina hodieque valent iis in locis, in quibus nunquam promulgata sunt prædictæ Synodi decreta; ergo.

Confirm. Regimen ecclesiasticum regimine civili suavius esse debet, minusque dominationem sapere, juxta id Luc. 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*: atqui contrarium contingeret, si legem, statim ac Romæ promulgata est, in Gallia, Hispania, extremisque mundi Christiani partibus ratam statim, & promulgatam censeri oporteret; quandoquidem politici Principes majori cura arcerent quidquid subditorum suorum pacem turbare posset, quam id averterent Ecclesiæ Principes; ergo.

Hinc inferes, eas solum e Decretalibus vim legis habere apud nos, quæ vel promulgatæ sunt, vel longo usu, & judiciorum consuetudine probatæ: unde alias e Decretalibus sequuntur Galli, alias rejiciunt, sed eas præsertim, quæ consuetudinibus in Regno constanter observatis adversantur.

(✠) Animadvertendum est primo Alexandrum VII. sequentes damnasse propositiones: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani Octavi*. Rursus: *post decretum Urbani Octavi potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*; deinde: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ab Episcopo facultate*. Verum propositiones, quæ sunt ordine octava, nona, & duodecima Romæ duntaxat promulgatæ, illorum Theologorum opiniones damnant, quæ illo nitebantur fundamento, quod decretum Urbani VIII. in singulis provinciis non erat vulgatum. Secundo Decreta Alexandri VII., Innocentii XI., & Alexandri VIII. contra laxas Theologorum opiniones, omnes, & singulos adstringere fideles, tametsi in singulis provinciis non fuerint promulgatæ. (✠)

Obj. I. Papa leges, quæ Orbem totum obligent, condere potest: sed si leges ejus promulgatione indigeant, jam inanis erit hæc potestas.

R. magnam dubio procul esse Romani Pontificis auctoritatem, sed discretionis, & justitiæ regulis temperatam: unde nec intendere potest, ut Regna, quæ probatas habent consuetudines, ab iis discedant; nec exigere, ut leges suæ etiam piæ iis in locis promulgentur, ubi confusionem, & turbas parerent, nedum malo mederentur.

Obj. II. Si ad vigorem legum ecclesiasticarum necesse sit eas promulgari, Canones fidei, qui in Conciliis determinati sunt, poterunt ab iis non admitti apud quos nondum promulgati fuerint, pariter ii, qui a Papa Sanctorum fastis adscripti sunt, poterunt pro Sanctis non haberi, donec eorum canonizatio publicata fuerit: atqui utrumque falsum est: alioqui non eadem esset ubique fides, non eadem de Sanctis existimatio, quod repugnat; ergo.

R. neg. maj. Ratio est, quia quod semel ad fidem pertinere declaratum est, ubique necessario tenendum est ut verbum Dei, unde ei adhærendum est, statim ac certo quacumque via cognoscitur; idem proportione servata de iis dicendum, qui inter Sanctos referuntur. Sed alia est legum ad disciplinam spectantium conditio: eæ enim non eodem modo locis omnibus conveniunt, nec necessario pro locis omnibus feruntur; ergo tandiu incertum est, an pro hac, vel illa Provincia ferantur, donec ibi cum ordinariis solemnitatibus promulgatæ sint.

Ut solvatur altera pars propositæ quæstionis; an scilicet humana lex, de qua sola agitur, debeat acceptari, non quidem ab omnibus, quia alioqui nulla lex valeret, sed saltem a saniori parte, notandum, quod multiplex est status: Monarchicus, in quo unus imperat, ut apud Francos; Aristocraticus, in quo soli Optimates dant jussa, ut apud Venetos; Democraticus, in quo rerum summa penes populum est; Monarchico-Aristocraticus, in quo Princeps una cum Primariis præest. Certum est in iis locis, in quibus ligata est Superioris potestas, & a quorumdam v. g. Primatum consortio pendet, non valere leges, quæ ab uno ferrentur inconsultis aliis. De his, quæ ad nos non pertinent, non loquimur; sed quærimus, an qui vel populis imperat, ut Monarcha; vel communitatem habet sibi immediate subditam, ut Episcopus, possit ferre leges, quæ sine consensu sanioris partis communitatis obligent. Sit

CONCLUSIO. Lex humana non indiget populorum acceptatione.

Prob. Si lex indigeret acceptari, jam potestas legislativa plus esset penes subditos, quam penes Principem: is enim tribueret quidem materiam legis, at subditi approbatione sua tribuerent legi vim obligandi, in qua consistit ejus essentia: atqui falsum, & absurdum consequens; merito igitur proscripta est ab Alexandro VII. & a Clero Gallicano propositio ista: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam*.

Obj.

Obj. I. Si lex non pendeat ab acceptatione, poterit esse vera lex, cui tota communitas repugnet: atqui falsum consequens. Lex enim, cui repugnaret tota communitas, non esset ad bonum commune, sed potius ad detrimentum multitudinis, quod legis essentiæ repugnat: ergo.

R. ad I. neg. min. ad 2. neg. maj. Fieri enim potest, ut populus magna ex parte repugnet legi, quæ ad bonum commune ordinetur: sic Israelitæ plerumque contra Dei leges, ut quæ sibi duriores viderentur, obmormurabant; ergo lex, quæ contradictionem magnam experietur, non desinet esse vera lex. Supponimus enim eam ferri de rebus, quæ ad bonum Reipublicæ conducunt; ideoque poterit Princeps ejus transgressores pœnis coercere intuitu utilitatis, quæ ex eadem lege sequetur, victa tandem iniqua populi rebellione.

Si tamen prævideret Princeps legem suam, habita ingeniorum ratione, plus allaturam mali, quam boni, satius, imo aliquando necessarium foret executionem ejus non urgere, & Deum ipsum imitari, qui quædam Judæis permisit primævæ institutioni minus consentanea; tunc autem lex invalida fieret, non defectu acceptationis populi, sed voluntate Principis, qui pacis amore eidem legi derogaret.

Obj. II. Consuetudo potest legem abrogare: atqui consuetudo æquivalet non acceptationi.

R. dist. maj. Consuetudo legitime præscripta potest legem abrogare, C. Consuetudo quævis, N. Ideo autem consuetudo legitime præscripta legem abolet, quia Princeps tunc consentit, ut lex sua in desuetudinem abeat: nihil autem mirum, si lex non obliget, cum Princeps eam tacite revocat.

Ex conclusione nostra sequitur peccare eos, qui sine legitima causa legi promulgatæ resistunt, quia resistunt legitimæ Potestati. Non peccarent tamen I. si legis executionem differrent, quia Principi repræsentassent incommoda ex lege secutura. II. si legislator inobservatæ legis conscius transgressiones, quas facile coercere posset, dissimularet, quia *qui tacet, consentire videtur*. III. si inscio etiam Principe lex a majori, & saniori parte communitatis non servetur post legitimam præscriptionem. IV. si quia non servatur a majori parte, nec a minori parte sine gravi incommodo servari potest. Hinc Barbitonsor diebus etiam Dominicis artem suam exercere potest, si in eo sit loco, ubi homines ejusdem professionis, & laxioris conscientiæ clientes ei suos abriperent non sine gravi familiæ suæ incommodo.

## SECTIO QUINTA,

### *De obligatione Legis humanæ.*

LEx humana saltem ordinarie obligat, alioqui non esset lex, sed consilium. Dubitari tamen potest, an lex in præsumptione fundata obliget: quod dubium ut solvatur, duplex distingui debet præsumptio, alia periculi moralis, alia facti. Præsumptio *periculi moralis* ea est, qua legislator præsumit in tali actu esse, aut fuisse aliquid repugnans substantiæ ejusdem actus, v. g. dolum, timorem, defectum consensus, aut judicii, quia plerumque ita accidit in tali casu. Præsumptio *facti* ea est, qua præsumitur actus tali modo factus, quo reipsa factus non est.

Lex fundata in præsumtione periculi obligat, & suum habet effectum, etiamsi id, quod timeri poterat, non intervenerit in particulari casu. Unde lex, quæ irritat professionem ante annos 16. emissam, obligat, etiamsi puer professus ingenium haberet supra ætatem maturum. Pariter lex, quæ statuit, ut votum a filio impubere factum possit a patre ejus irritari, vim suam habet etiam in conscientia, etsi constet puerum perfectum hac in ætate judicium habuisse.

Ratio est I. quia hujusmodi leges non tam fundantur in simplici præsumtione periculi, quam in judicio certo periculi ut sæpe, aut aliquando contingentis: atqui judicium hoc semper verum est: semper enim verum est v. g. matrimonia clandestina esse plena periculi, semper verum est professionem ante tempus factam a puero, quem forte post aliquot annos status sui pœnitebit, gravibus obnoxiam esse incommodis. II. quia legislator vult, & velle potest, ut lex sua obliget iis etiam in casibus, ubi non intervenit malum, quod timetur: quia scilicet nisi lex generaliter omnes, & in quibusvis casibus obliget, efficaciter removeri non potest malum quod timetur. Nemo enim est, eorum præsertim, qui aliquid vivide desiderant, qui facile, & falso sibi non persuadeat periculum, quod aliis imminet, sibi non imminere; adeoque multi, imo plerique existimarent legem pro aliis esse latam, non pro se; unde paulo post omnia redirent incommoda, quæ legislator removere voluit. Atque hinc alibi colligam non valere testamenta, in quorum celebratione omissæ sunt formalitates legibus requisitæ.

Verum si lex fundetur in præsumtione *facti*, quod reipsa factum non sit, dicendum est eam non obligare. Ratio est, quia tunc tollitur fundamentum legis: neque superior intendit obligare, cum nulla est obligandi ratio. Hinc si judex Ecclesiasticus, etiam interposita excommunicatione, sponsam, quæ matrimonii sui nullitatis conscia est, cum viro habitare præcipiat, debet hæc *potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*, ex cap. 44. *De sentent. excomm.* His præsuppositis, seorsim tractanda sunt cætera, quæ ad hanc materiam pertinent. Unde sit

## PUNCTUM PRIMUM.

### *Unde cognosci possit, an Lex sub gravi peccato obliget.*

DUo hic præstanda sunt: I. assignanda est regula generalis, ex qua dijudicari possit, an, & quando legislator censeatur graviter obligare. II. expendendum est, an in materia levi graviter, aut e contra in gravi leviter solum obligare possit. Sit

CONCLUSIO. I. Toties lex obligat sub mortali, quoties materia ejus gravis est, & graviter præcepta.

Prob. I. quia in hoc casu nihil deest legi, sive ex parte rei præceptæ, sive ex parte præcipientis, qui in materia gravi graviter obligare potest, & potestate sua uti præsumendus est, cum nulla adest contrarii præsumendi ratio. II. quia lex humana divinam imitari solet: hæc autem graviter obligat in materia gravi, leviter in levi.

Porro materia censetur gravis, I. quando etsi de se levis sit, gravis tamen est in ordine ad circumstantias. Hinc graviter prohibitum est Clericis, ne tabernam ingrediantur, vel habitus induant sæculares, quia alioqui grande statui Ecclesiastico dedecus inurunt. Hinc graviter peccat miles, qui e castris uno instanti egreditur, quia militarem disciplinam, quæ summi est momenti, malo, quod alii statim sequerentur, exemplo labefactat.

II. materia censetur gravis, cum pro tali habetur, sive ex communi prudentum judicio, sive ex consuetudine bene fundata: unde si vel in Ecclesia vel in hac, aut illa communitate lex quæpiam a viris timoratis, & doctis spectetur ut gravem inducens obligationem, judicandum est eam sub mortali obligare. Quapropter cum probi omnes legem jejunii, vel audiendæ Missæ certis diebus habeant pro gravi, nemo sensatus gravitatem hanc in dubium vocare potest.

Jam vero materia censetur graviter præcepta: I. cum legislator utitur verbis, quæ grave præceptum exprimunt, ut si quid præcipiat sub indignatione Dei, aut Sanctorum; sub interminatione divini Judicii; in virtute obedientiæ, quæ sibi promissa sit, &c. II. cum graves pro transgressione pœnas infligit, vel comminatur, (nam gravis pœna, etiam incurrenda, gravem culpam præsupponit;) ut cum lex fertur sub pœna censuræ, servitutis, exilii, infamiæ, amissionis magnæ summæ. III. communia etiam verba, quibus uti solent legislatores, ut *ordinamus*, *prohibemus*, *teneantur*, *nemo possit*, & æquivalentia, videntur continere præceptum sub mortali culpa obligans, saltem si subsit materiæ gravitas. Hæc item, *firmiter*, *districte* præcipimus, materiam gravem, & serio præceptam indicare solent, nisi obsit legitima in contrarium interpretatio, quod vix alibi contingit, quam in religionibus, in quibus id solum sub mortali præcipi solet, quod præcipitur *in vim obedientiæ*, aut *sub pœna gravis censuræ*. Hæ voces, *monemus*, *hortamur*, consilium, ac directionis formam magis continent, quam præceptum.

CONCLUSIO II. Legislator non potest rem omnibus bene inspectis levem præcipere sub mortali.

Prob. I. quia talis lex injusta foret, utpote quæ non congrueret legi divinæ; cum hæc res leves sub reatu peccati mortalis non prohibeat, ut patet de furto levi, & mendacio jocoso. II. quia si lex civilis rem levem sub pœna capitis prohiberet, non solum injusta, sed & ridicula foret; ergo a fortiori injusta esset, si rem levem sub æternæ damnationis pœna imperaret.

At, inquies, Deus esum pomi rem sane levissimam, sub peccato mortali prohibuit. Reges quoque sub gravissima triremium pœna prohibent, ne columbæ occidantur.

R. esum pomi rem quidem fuisse in se, & præcisis circumstantiis levissimam; sed magnam fuisse in ordine ad finem a Deo intentum, qui is erat, ut Adam tot gratiis instructus in uno puncto, eoque facili submissionem suam profiteretur.

Idem dicendum de legibus humanis, quæ sub gravibus pœnis quædam in speciem levia prohibent: v. g. ne columbæ occidantur, ne in bello rusticorum olera rapiantur, ne Religiosi colloquia cum mulieribus habeant: hæc enim non ita exilia sunt, quin gravem bonis, & honori dominorum, militari disciplinæ, & sanctis Religionum Institutis injuriam faciant.

CONCLUSIO III. Legislator in re gravi potest sub veniali tantum obligare.

Prob. I. quia multæ Regularium constitutiones sub peccato solum veniali obligant in materia alioqui gravis peccati capaci, qualis est auditio Missæ: atqui constitutiones illæ sunt veræ leges ex omnium confesso; ergo.

Prob. II. Lex, cujus obligatio tota pendet a legislatoris voluntate, non obligat nisi prout vult legislator: atqui legis humanæ obligatio tota pendet a legislatoris voluntate. Alioqui enim, vel penderet a jure naturali, vel a gravitate materiæ. Non primum, quia lex naturalis docet parendum esse superiori, quantum præcipit superior; ac proinde sub levi, cum superior sub levi solum obligare intendit. Non secundum, illa enim materia licet in se gravis, per se sub gravi non obligat, quam legislator posset absolute sub consilio solum proponere, vel etiam sub pœna: atqui legislator materiam hanc posset, aut sub consilio solum, aut sub pœna, non autem sub ulla culpa proponere; ergo potest eam solum sub culpa veniali proponere, quæ & timoratas conscientias pungat, & eas tamen in gravis lapsus discrimen non adducat.

Prob. III. Vel possibilis est lex, quæ sub veniali solum obliget in materia gravi, vel impossibilis est. Si primum, vera est assertio nostra: si secundum, eo ipso lex, de qua loquimur, invalida erit, quia legislator vult solum facere legem, quæ leviter obliget, & non aliam; ergo.

Obj. I. Si legislator sub veniali solum in materia gravi obligare possit, poterit nunc sub majori peccato veniali, nunc sub minori in eadem materia prorsus invariata obligare: atqui falsum consequens. Alioqui poterit etiam facere, ut non magis reus sit, qui legem transgreditur actu intensissimo, quam qui remissiore: atqui hoc repugnat ipsis naturæ legibus, juxta quas eo quis gravius peccat, quo magis intense fertur in peccatum.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. si propositio intelligatur, ut intelligi debet, de una eademque lege: etsi enim qui actu parum intenso alea ludit Annecii, ubi aleæ ludi sub gravibus censuris prohibentur, gravius peccare possit, quam qui actu longe intensiori luderet in Diœcesi, ubi idem ludus sub veniali solum peccato prohiberetur, semper tamen verum erit e duabus personis uni, eidemque legi sub-

subjectis eam gravius peccare, quæ actu intenso, quam quæ remisso legem transgreditur, ut ex se evidens est.

Obj. II. Non potest subditus in materia levi graviter obligari; ergo nec leviter in gravi.

R. neg. conseq. Disparitas est, quod gravis materia fit levis obligationis capax: levis vero gravem obligationem suscipere nequeat.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*An ad peccatum mortale contra Legem requiratur, aut sufficiat contemtus.*

DUo hic quæruntur: an scilicet ad peccandum mortaliter contemtus vel requiratur in materia gravi, vel in materia levi sufficiat: quæ ut solvas,

Not. I. Contemtus inordinatus, de quo hic agitur, est Actus mentis, quo quis scienter, & positive rem, vel personam minoris æstimat, quam exigat ejus meritum, & dignitas.

Dixi, *scienter*, & *positive*: quia si quis vel negative se gerat, neque aspernando, neque æstimando, præsertim cum ad positive æstimandum non tenetur, vel bona fide alterius meritum minoris æstimet, quam in se sit, non censetur contemtor: unde contemtus, prout hic sumitur, est actus injustitiæ; quia qui alium contemnit, jus ipsius violat, de ejus æstimabilitate detrahendo. Huic autem injustitiæ peccato admisceri potest peccatum aliud contra religionem; si Deus; contra pietatem, si parentes; contra reverentiam, & observantiam, si Prælati, & Superiores contemnantur.

Not. II. Contemtus inordinatus duplex distinguitur: alter materialis, seu virtualis, quo quis rem, vel personam aliis quidem postponit, sed absque eo quod aliam cum alia comparet, aut præferre intendat; quo sensu ajunt post D. Thomam Theologi, Deum mortali quolibet peccato contemni: alter formalis, quo quis directe, & expresse rem, aut personam minoris æstimat, aut æstimare velle videtur, quam eam æstimari deberæ cognoscit. Unde inferi Van-roy, legem ex contemtu proprie dicto non violari, nisi cum quis eam transgreditur eo fine, ut lex, vel legislatoris auctoritas in contemtum veniat.

Not. III. Contemtus formalis alius cadit in personam legislatoris, alius in rem ab ipso præceptam, alius in ipsam ejus legem; quanquam lex vix aliter contemni potest, quam in ordine, vel ad rem, quæ præcipitur, vel ad eum, qui præcipit: porro qui præcipit, contemni potest vel formaliter, ut legislator, & superior; vel materialiter, ut quidam homo.

Not. IV. Contemtus personæ pugnat contra justitiam, etsi contra alias virtutes pugnare possit, ut dictum est. Contemtus vero rei præceptæ pertinet ad speciem vitii oppositi virtuti præceptæ: v. g. contemtus orationis ad speciem irreligiositatis. His præmissis, fit

CONCLUSIO I. Ad peccatum mortale contra legem non requiritur contemtus formalis, si lex sit in materia gravi.

Prob. Ad peccatum mortale duo sufficiunt, materiæ gravitas, & plena voluntatis consensio: atqui hæc sæpe reperiuntur sine contemtu formali; ut cum quis peccata confitendo unum aliquod reticet præ timore; ergo.

Confirm. ex censura propositionis 23. ex iis, quas damnavit Alexander VII. an 1165. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemtu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.* Sane si semel admittatur hæc opinio, pleraque peccata mortalia evanescunt.

CONCLUSIO II. Transgredi legem ex contemtu formali rei præceptæ, vel legislatoris præcise ut hominis, & prout aliquos habet defectus, non semper est peccatum mortale.

Prob. 1. pars. Ad peccatum mortale requiritur gravis deordinatio: atqui hæc non necessario reperitur in contemtu rei minimæ; unde non videtur graviter reus, qui ex quodam contemtu silentium non servat, aut leve mendacium profert: tunc enim materiam parvi æstimat, non quia præcepta est, sed quia parva est.

Duo tamen hic cavenda: I. ne ex contemtu rei ad contemtum legislatoris deveniatur. II. ne contemtus rei gravem in doctrina errorem involvat. Sic graviter peccaret, qui jocosum mendacium contemneret, quia arbitraretur peccatum veniale non non displicere Deo.

Prob. 2. pars. Ideo contemtus legislatoris peccatum mortale in re etiam levi aliquando inducit, quia eo contemto censetur contemni auctoritas ejus prout a Deo est. Porro qui legislatorem non ut talem contemnit, sed ut hominem defectibus suis obnoxium, non ideo auctoritatem ejus contemnit, ut supponimus, sed tantum quandam circa eum animi amaritudinem ostendit: hæc autem dispositio licet mala, non videtur in materia levi nisi veniale peccatum; ergo etiamsi legem ejus ex hocce contemtu omittat, non peccat mortaliter, si lex sit de re levi.

CONCLUSIO III. Transgredi legem, etiam in re levi, mortale est, si fiat ex contemtu legislatoris ut talis.

Prob. I. ex S. Bernardo, Lib. de Dispens. &c. cap. 11. *Contemtus*, inquit, *convertit in crimen gravis rebellionis nævum fati levem simplicis transgressionis.*

Prob. II. Legislator vel est Deus, vel homo: atqui neuter præcise ut legislator contemni potest sine gravi peccato. Non Deus, cum in omni Dei contemtu sive interno, sive exteriori, sit semper gravis deordinatio, quæ a mortali nunquam eximi potest, etiamsi agatur de levibus præceptis, aut etiam de consiliis. Non etiam homo, quia cum homo contemnitur ut legislator, contemni videtur ut vices Dei gerens, & fungens legatione pro Deo; ergo qui legem ejus hoc modo violat, etiam in materia levi, v. g. qui ex contemtu legislatoris legem silentii violat, graviter peccat, non præcise ratione inobedientiæ, quæ solum venialis est, sed ratione irreverentiæ, quæ mortalis est.

Ex dictis colliges errare eos, qui peccatum ex consuetudine eo ipso censent esse ex contemtu; sicut enim datur contemtus sine consuetudine, sic absolute dari potest consuetudo sine contemtu; quia si quatuor, aut quinque actus pariant consuetudinem, ultimus, sicut & primus potest non fieri ex contemtu. *Frequentia tamen peccati*, ait S. Thomas, *dispositive inducit ad contemtum, secundum illud Prov. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* (2. 2. *q.* 186. *a* 2. *ad* 3.) Et hæc postrema verba serio pensari debent ab iis, qui ex habitu leges status sui transgrediuntur.

## PUNCTUM TERTIUM.

*An uno actu pluribus obligationibus satisfieri possit.*

CErtum est unico actu satisfieri non posse pluribus obligationibus, quæ titulo justitiæ contractæ fuerint, nisi alicujus earum remissio facta fuerit. Hinc si Titio centum aureos debes ex contractu, & alios centum ex delicto, non sufficit si semel centum solvas, quia non ponis æqualitatem.

Dixi, *nisi fiat remissio*: nam propter hanc remissionem aliquando fit, ut qui duo debet, satisfaciat reddendo unum. Sic qui duo habet Beneficia, non tenetur nisi ad unius Officii recitationem; contra vero Capellanus, qui ratione fundationis Missas aliquot unaquaque hebdomada celebrare tenetur, pro iisdem Missis stipendium accipere non potest, etiamsi Fundator nihil statuerit circa Missarum applicationem; quia, ut habet Regula 45. Juris in 6., *inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*: porro veri magis simile est Fundatorem intendisse, ut Missæ sibi applicarentur, quia hæc esse solet Fundatorum intentio. Tota difficultas est de obligationibus legalibus, quæ cum a sola legislatoris voluntate dependeant, nunc unum pro pluribus obligationibus actum, nunc plures exigere possunt. Quid de re sit

CONCLUSIO. Tunc solum pluribus præceptis, & obligationibus uno actu satisfieri potest, cum vel impossibile est plures actus eo tempore poni, quo plura urgent præcepta; vel uno actu posito tollitur alterius præcepti causa; vel superior eodem actu pluribus præceptis satisfieri concedit.

Prob. quia nemo tenetur ad impossibile; nemo obligatur ad actum, cum deest causa, ob quam solum actus ille pro tunc præceptus est; nemo denium plus vi legis facere tenetur, quam velit legislator.

Hinc I. si voveris jejunare per Quadragesimam, eodem jejunii actu & voto tuo, & præcepto Ecclesiæ satisfacies: secus dicendum si simpliciter vovisses jejunium, nec diem ab Ecclesia præceptum determinasses: tunc enim & voto, & Ecclesiæ præcepto diversis diebus satisfacere posses.

Hinc II. qui eleemosynam vovit, si occurrat pauperi extrema necessitate laboranti, eique, ut voto suo faciat satis, eleemosynam conferat, ad nihil amplius obligatur, quia prior eleemosynæ largitio tollit extremam necessitatem, adeoque & materiam præcepti naturalis.

Hinc III. si Confessarius alicui injungat, ut diebus singulis Sacro intersit, ei satis erit, si unicam Dominicis, & Festis diebus Missam audiat; quia legitime præsumitur Confessarii intentionem esse, ut pœnitens uno actu duplicem impleat obligationem.

Quod si regulam, qua hæc Confessarii intentio dignoscatur, generalem quæras, hæc videtur asseri posse: Tunc Confessarius præsumi potest concedere, ut pœnitens uno actu & Ecclesiæ, & ipsius Confessarii præceptum adimpleat, cum pœnitentia satis adhuc longa remanet, ut peccato proportionata videri possit: & hoc locum habet in casu mox proposito: tunc vero obligationem ab obligatione aliunde imposita diversam injungere censendus est, cum alioqui nullam, aut fere nullam pœnitentiam imponeret. Hinc si voveris, aut si præceperit Confessarius, ut aureos decem pauperi tribuas, non sufficit si pauperi reddas id, quod ei ex contractu, aut delicto debes: quia legis interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus: porro intentionem mox expositam communiter habent Confessarii, eamque ita interpretari solent Doctores.

Hic duo notanda: I. nunquam satisfieri posse per actum unum pluribus præceptis, nisi quando hæc simul concurrunt. Unde merito proscripta est propositio hæc: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.* II. eum, qui multis præceptis simul concurrentibus non potest unico actu satisfacere, si uni potius, quam alteri satisfacere non intenderit, censendum esse satisfecisse vel graviori si unum aliis gravius sit, vel omnibus pro rata, si eadem sit omnium gravitas. Quod si præcepto uni præ aliis satisfacere intenderit, huic soli satisfecisse judicandus est, nisi cum expressa voluntate implendi unum simul habuerit interpretativam voluntatem, eamque majorem implendi aliud: sic qui vovit auditionem Missæ, eique interfuit die, quam festam esse nesciebat, satisfecit Ecclesiæ præcepto, non autem voto, nisi expressam habuerit voluntatem non satisfaciendi Ecclesiæ præcepto.

An possit quis per plures actus simul satisfacere pluribus præceptis, expendam agendo de Officii recitatione.

Quæres II. an præceptum, quod totum impleri nequit, impleri debeat quoad partem, quæ possibilis est.

R. affirmat. Unde qui tempore Præfationis venit ad Sacrum, nec alterius copiam habet, tenetur residuam singularis illius Missæ partem audire. Pariter qui semiquadrante ante mediam noctem meminit se Officium non legisse, tenetur ad recitandum quidquid potest ante duodecimam noctis. Ratio est, quia cum obligatio quæpiam est divisibilis, ea ejus pars necessario impleri debet, quæ impleri potest. Hinc damnata fuit ab Innocentio XI. hæc Dianæ propositio: *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

PUN-

## PUNCTUM QUARTUM.

*An Lex humana obliget cum gravi periculo.*

CONCLUSIO I. Lex humana non sempee obligat cum priculo vitæ, aut gravis incommodi.

Prob. Strictior non est obligatio legis humanæ, quam divinæ, sed e contra: atqui lex divina positiva non semper obligat sub periculo gravi. Nam lege divina veteri prohibitum erat, ne quis vel panes propositionis comederet, exceptis Sacerdotibus, vel die sabbati serviliter laboraret: item lege nov. præcepta est integra peccatorum confessio: atqui eæ Dei ipsius leges non obligaunt sub gravi periculo (*Matth.* 22.). Nam potuit David in casu necessitatis comedere panes sanctos; potuerunt & Machabæi pugnare die sabbati; (I. *Mach.* 5.) potest denique quis in confessione actu necessaria ex metu mortis sibi a violento Confessario inferendæ peccatum aliquod reticere, tuncque confessio ejus, etsi materialiter dimidiata, integra est formaliter, ut alibi docent Theologi.

Obj. I. Tenetur quilibet bonum commune bono sui privato præferre: atqui si possit homo legem transgredi ut mortem vitet, bonum commune cedet bono privato: lex enim quævis ad bonum commune lata est.

R. dist. maj. Tenetur quilibet privato sui bono bonum commune præferre, cum commune bonum non potest aliter procurari, ut statim dicemus, C. tenetur, cum bonum commune sufficienter obtinetur per ordinariam legis observationem, N. Porro etiamsi non jejunet quis, cum graviter ægrotat, non desinet Ecclesia obtinere finem, quem ex jejunio sibi proposuit obtinendum: imo pessime sibi consuleret Ecclesia, si hujusmodi legum executionem tam acriter urgeret; multi enim non parerent, multi parendo se se eo in statu constituerent, ubi nihil amplius obsequii Ecclesiæ præstare possent.

Obj. II. Jure solum positivo vetitum est: I. ne quis consanguineam ducat in uxorem. II. ne communicet cum excommunicatio. III. ne celebret absque vestibus sacris, aut calice consecrato: atqui tamen nullum ex his licitum est, ne in casu quidem gravis periculi.

R. ex his, similibusque casibus hoc unum sequi, quasdam esse humanas leges, quæ cum ipsius vitæ dispendio impleri debent: id porro fatemur; negamus solum omnes sic se habere. Imo communius docent Theologi posse aliquem communicare cum excommunicato, modo supponatur abesse contemtus, & scandalum. Ideo autem non licet sine vestibus sacris celebrare, etiam propter metum mortis, quia metus ille incuti non solet Sacerdoti, nisi in odium Religionis, aut Sacrificii derisionem: unde si quis ex indiscreta devotione, aut ex persuasione, quod talis celebratio nihil haberet mali, mortem minaretur Sacerdoti, nisi celebraret, posset is celebrare, juxta plures, sicut eadem de causa potest aliquando sacrificium mutilare.

CONCLUSIO II. Leges humanæ aliquando obligant cum vitæ periculo.

Prob. Respublica sive civilis, sive ecclesiastica eam a Deo potestatem accepit, sine qua conservari nequit: atqui nonnunquam contingit, ut quævis Respublica conservari nequeat, nisi leges ejus cum gravi etiam vitæ periculo observentur. Idem enim de aliis legibus sit judicium ac de ea, qua certis hominibus præcipitur, ut hostes aggrediantur; aut de ea, qua præciperet Episcopus, ut Vicarius, mortuo Parocho, populo peste infecto Sacramenta administraret: atqui si leges illæ non obligarent, etiam in gravi periculo, jam Respublica tum civilis, tum ecclesiastica conservari non posset, hæc in ordine spirituali, illa in ordine politico; ergo.

Verum quidem est, quod lex naturalis unumquemque obligat ad propriæ vitæ conservationem; sed hoc solum sensu, quod nemo vel directe sibi mortem inferre possit, vel se se mortis periculo absque causa exponere; non autem quasi nunquam licitum sit membro, se se pro salute totius periculis objicere; imo præcipit tunc lex naturæ, ut bonum publicum privato anteponatur.

Ergo, inquies, quod tunc homo teneatur hoc, vel illud præstare cum vitæ periculo, non oritur a lege humana, sed a naturali, adeoque falsa est assertio nostra.

R. id oriri tum a lege naturali, quæ præcipit, ut pars objiciat se pro toto; tum a lege humana, quæ determinat quænam pars pro aliis objicere se debeat: neque enim præcipit jus naturale, ut Joannes se potius pro salute patriæ devoveat, quam alius quilibet: unde lex naturæ obligat subditos in communi, lex vero humana obligationem hanc ad has, vel illas personas applicat.

Quæres I. unde cognosci possit quando lex humana (idem proportione servata dicendum de lege divina) in conscientia obliget, etiam cum vitæ periculo.

R. Lex humana, etiam cum vitæ periculo obligat: I. cum utilius est bono communi hic & nunc servari legem, quam servari privati hominis vitam. II. cum lex humana violari nequit absque contemtu Dei, Religionis, fidei, aut potestatis legislativæ. Sic I. si Princeps præcipiat, ut defendas portam urbis, in qua majus imminet periculum, teneris obsequi, quia satius est aliquos homines mori, quam gentem totam perire: si superior jubeat te fratribus peste infectis opem ferre, teneris ex obedientia, nec causari potes te non magis quam alios ad subeunda hæc pericula obligari: si enim valeret hæc excusatio, jam superior bono communi providere non posset. Sic II. si in contemtum fidei, vel Ecclesiæ, aut superiorum exigat quis, ut in loco profano celebres, ut diebus prohibitis vescaris carnibus, aut serviliter labores, potius moriendum est, quam obediendum, ut fecit Eleazarus (*I. Macha. c.* 6.). Addit Delugo eum excusatum non iri, qui declararet se non vesci carnibus in contemtum Ecclesiæ, sed solum ad vitandam mortem. Sed de his rursus in Tract. de Fide.

Quæres II. quid sentiendum de lege, quæ Carthusianis, quocumque sint statu, carnis usum prohibet.

R. I. Carthusianum, cui nulli alii suppeterent cibi, teneri ad utendum carnibus: I. quia alioqui deberet

beret mori fame, imo & sui homicida esse, secundum id Ambrosii, *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti*. II. quia cum duæ leges simul servari nequeunt, major præferenda est minori, quin & minor tunc non vera est lex: atqui in hoc casu urget lex naturæ, quæ vult, ut unusquisque vitam suam servet, cum nulla occurrit gravis, & honesta causa, quæ exigat, ut eam prodigat homo, prout nulla occurrit in præsenti: quidquid enim hic exoriri posset scandali, acceptum esset, non datum.

R. II. Carthusianum, qui ex medicorum judicio didicit se moriturum, nisi carnem comedat, non teneneri ad vescendum carne.

Prob. I. Tunc lex aliqua cum mortis periculo obligat, cum pluris interest eam servari, quam servari vitam privati alicujus: atqui talis est allata lex Carthusiensium. Si enim iis carnis esus ob morbum concedatur ex judicio medicorum, statutum Ordinis, qui tot Sanctos edidit, infringetur; primo in casibus periculosis; deinde eadem relaxatio trahetur ad omnes graves morbos: postmodum vero cum, medici sæpe inveniant morbos, quibus curandis vel utilem, vel etiam necessarium judicant esum carnium, Carthusienses passim in infirmariis vescentur carnibus, & sic pessum iret Ordo pussimus.

Prob. II. Si teneatur Carthusiensis ad vescendum carne, cum id necessarium esse judicat medicus, tenebitur ob idem judicium infirmus aerem, & patriam mutare; tenebitur paterfamilias gravi morbo decumbens magni pretii remedium comparare morbo huic pellendo aptissimum; tenebitur dives delicatis ac pretiosis alimentis occurrere morbis pauperum alioqui probabiliter moriturorum; tenebitur qui castitatem vovit, voti sui dispensationem petere, cum non nisi matrimonii usu a certis quibusdam morbis expediri potest, secus ac fecit S. Casimirus: atqui hæc omnia communi sapientum judicio, & praxi repugnant; ergo.

Obj. I. Carthusianus, qui nullos præter carnem cibos habet, tenetur vesci carnibus: sed qui sine carnibus sanitatem recuperare non potest, in rei veritate nullos præter carnem cibos habet. Alii enim cibi, utpote corpori inutiles, perinde sunt ac si non essent; vel forte se habent ad hujus hominis morbum, sicut alimenta venenosa ad vitam alterius; ergo.

R. neg. min. I. quia alii cibi ex se valent ad sustentationem vitæ, & ad hoc serviunt, ut ægrotus non moriatur fame, etiamsi fortassis moriatur ex morbo. II. quia inhumanum est abstinere ab omni cibo usque ad mortem; non autem tali genere cibi, ex quo solum fit, ut quis breviori tempore naturali morbo moriatur. Certe si paterfamilias hoc cibi genus magnis sumtibus comparare non teneatur, quidni a carnibus abstineat Carthusiensis, qui plus Religioni suæ noceret iisdem utendo, quam filiis suis pater fortunas suas in pretiosa remedia impendendo? Et vero quis tuto asserere ausit moriturum hominem jam carnibus non assuetum, nisi carnem manducet? Nullus profecto nisi Angelus: tunc autem erit is interrogandus, quid in hoc casu facto opus sit.

Obj. II. Lex naturæ jubet suam ab unoquoque vitam servari: atqui Carthusianus vitam suam non servaret abstinendo a carnibus; ergo.

R. dist. maj. jubet, id est, vetat, ne quis directe sibi mortem inferat, C. id est, vetat, ne fiat aliquid, unde præter agentis intentionem vita minuatur, subd. vetat hoc, cum nulla boni majoris ratio contrarium exigit, C., secus, N. Solutio patet ex dictis.

## PUNCTUM QUINTUM.

### *An peccet, qui non tollit, aut ponit impedimentum executioni Legis.*

SEnsus quæstionis est, an qui legem implere non poterit, si aliquid faciat, ab eo faciendo abstinere teneatur: cui quæstioni ut satisfiat,

Not. I. paulo aliter discurrendum esse de lege naturali, & divina, quam de humana: hæc enim non tam graviter obligat, quam illa.

Not. II. Præceptum aliud est negativum, quo prohibetur aliquid mali, v. g. *Non concupisces*; aliud affirmativum, quo præcipitur actio bona, & hæc actio vel est justitiæ, vel alterius virtutis.

Not. III. Impedimentum, quod obstat executioni præcepti, vel est actus bonus, vel aliquid indifferens, vel peccatum, vel denique peccandi occasio; & hæc vel præsens est, vel absens; absens vero, vel remota est, vel proxima, quæ fusius alibi prosequemur. His positis, sit

CONCLUSIO I. Impedimentum obstans executioni præcepti negativi tolli debet, quoties impedimentum illud consistit in occasione vel præsenti, vel absente quidem, sed proxima.

Prob. 1. pars, quia resistendum est occasioni, quæ ad malum actu, & de facto invitat: sed resistere huic occasioni est eandem tollere, quantum scilicet tolli potest; ergo talis occasio, seu impedimentum obstans executioni præcepti omnino auferri debet.

Prob. 2. pars, quia qui *amat periculum, peribit in illo*; occasio autem, eo ipso quo proxima est, plena est periculi. Hinc si quoties in mulierum cœtu versaris, consentias concupiscentiæ, teneris vi præcepti, *Non concupisces*, a mulierum consortio recedere: secus si ita affectus es, ut malo consensurus non sis.

CONCLUSIO II. Si impedimentum obstat executioni legis, quæ in materia justitiæ versetur, tolli absolute debet, quoties aliquid ex officio faciendum est: si vero tolli nequit, cedendum est officio. Cum autem aliquid restituendum est, tolli debet si potest.

Prob. 1. pars. Qui enim magistratum gerit, debet vel scientiam ad munus suum necessariam comparare, vel cedere officio. Idem dicendum de advocato, & confessario.

Prob. 2. pars, quia impotentia, quæ solum est, quod in materia restitutionis occurrere possit impedimentum, tolli debet parsimonia, labore, aliave qualibet via, quæ nimium difficilis, & ardua non sit.

CONCLUSIO III. Si impedimentum obstet impletioni præcepti spectantis ad aliam quam justitiæ materiam, aliquando tollendum est, aliquando non.

Prob. 1. pars, quia impedimentum tollendum est

L.

I. quoties est per se peccatum: hinc qui prævidet ex ebrietate futurum, ut votum suum implere nequeat, debet ab ebrietate abstinere, non solum propter temperantiam, sed etiam propter votum. II. tollendum est, etiam cum est actus virtutis, sed non præceptus: hinc qui parentum indigentiam juvare non potest, si erga amicos liberalis esse pergat, a liberalitate hac abstinere debet. III. tollendum adhuc est, cum etiam est actus virtutis præceptæ, si actus iste impleri nequeat sine omissione gravioris præcepti: hinc si patri simul & alii pauperi graviter egenti succurrere non possis, illi præ isto succurrendum est.

Prob. 2. pars, quia tunc solum necesse est, ut tollatur impedimentum obstans executioni præcepti, cum perseverat ejusdem præcepti obligatio: atqui aliquando contingit ut propter difficultatem tollendi impedimentum desinat obligatio præcepti. Sic communiter non teneris cum vitæ tuæ periculo proximum a morte liberare; tametsi plura propter ejus vitam conari debeas, quam in casu minoris momenti.

CONCLUSIO IV. Impedimenta proxima, quæ legis humanæ executioni obsunt, removeri debent, nisi vel necessaria sint, vel tam utilia, ut melius sit ea non tolli, quam legem servari.

Prob. 1. pars. Qui præcipit finem, censetur præcipere & media, quæ ad ejus consecutionem moraliter loquendo necessaria sunt: atqui removere impedimenta proxima, est medium ad legis executionem necessarium: aliunde vero nulla est ratio, quæ postulet, ut impedimenta hæc non removeantur, cum supponantur minime necessaria; ergo impedimenta hæc tolli debent, &c.

Hinc I. peccant contra præceptum audiendæ Missæ, qui inebriant se, cum urget, vel paulo antequam urgeat præceptum audiendæ Missæ. Imo si Sacerdos navigationem orsurus, Breviarium in mare projiciat, nihil interest, illud viginti diebus ante navigationem, an ipso inceptæ navigationis momento projiciat, quia quod diu ante facit, non minus Officii recitationi obest, quam quod postea.

Peccant II. qui venationi, aut ludo pilæ absque necessaria causa incumbunt, prævidentes ita se defatigatum iri, ut ad jejunium inhabiles fiant. Peccant item, qui simul jejunare, & iter pedibus facere non valentes, peregrinationem in aliud tempus non differunt, *si tamen*, ait S. Thomas, *commode differri possit*, (2. 2. q. 147. *art.* 4.) id est, sine incommodo satis gravi. *Si autem peregrinatio commode differri non potest, vel quia tempus jejunii hominem in via præoccupat, vel quia dies festus imminet, ad quem pergere cupit homo, potest cum dispensatione superioris, omnia prædicta pensantis, peregrinari, & jejunium solvere.* Ita idem S. Doctor in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. &c. *Nec obstat quod præceptum* jejunii *debet præponi consilio*, seu actui devotionis, qualis est peregrinatio; *quia intentio præceptum hujusmodi de jejunio dantis non est alias pias, & magis necessarias excludere*: pia autem peregrinatio, in qua quis v. g. peccata deponit, communicat, indulgentias lucratur, sæpe utilior esse potest, quam jejunium.

Peccant III. operarii non jejunantes (*S. Thom. in* 4.), *si jejunando possunt competenter victum pro sua persona habere, & pro familia sua, sive quia alias divites sunt, sive quia de eo, quod minori labore fit, qui secum jejunium compatiatur, lucrari sufficientia possunt.* Unde tales operarios non excusat intentio majoris lucri non necessarii: lucrum porro censetur ei necessarium, qui prævidet, se v. g. post Quadragesimam reperturum non esse laborandi occasionem.

Peccant IV. *qui operarios conducere nolunt, nisi tali pacto, ut jejunium solvant, nisi forte sit causa necessaria, quæ festinationem operis exposcat*. S. Thomas ibid.

Peccant V. excommunicati, qui præ negligentia sibi non comparant absolutionem ad communicandum in Paschate, aut ad Sacrum festis, Dominicisve diebus audiendum. Ratio est, quia impedimentum hujusmodi tolli debet si potest; potest autem, ut supponimus.

Prob. 2. pars, quia evidens est legem humanam non adeo stricte urgere, ut ad eam implendam tolli debeant impedimenta etiam necessaria, aut valde utilia. Sic I. cum ingruit necessitas opitulandi ægroto, quo tempore urget Missæ præceptum, Missa potius omitti debet, quam ægroti subsidium. Sic II. qui jejunium servare non potest, & simul concionari, aut confessiones excipere, non tenetur opera illa pietatis, quæ per se jejunio meliora sunt, omittere, ut jejunet. Cæterum, etsi qui multas eadem die conciones habere debent, vix jejunare possint, sæpius tamen qui unam tantum habent, moralem jejunandi impotentiam, quæ sola a jejunio excusat, non experiuntur: aliud enim est difficultas utcumque magna, aliud impotentia moralis; & id probat praxis timoratorum. In dubio consulendus est vir pius, & expertus, ejusque judicio facile acquiescendum.

## SECTIO SEXTA.

### *De affectionibus Legis humanæ.*

PRæcipua legis humanæ affectio in ejus cessatione reponitur: lex enim, etsi de se perpetua, variis tamen de causis cessare potest, ut I. per cessationem finalis causæ illius. II. per abrogationem. III. per interpretationem. IV. per dispensationam. V. per privilegium. VI. per consuetudinem: quæ tria ultima, quia speciales habent difficultates, extra ordinem suum ad calcem hujusce Tractatus discutientur; cætera hic expendemus, quod ut fiat,

Quæres I. an cessante fine legis, lex ipsa desinat.

R. affirmat. modo tamen finis legis cesset adæquate, in perpetuum, & respectu totius communitatis.

Ratio est quia lex desinit, cum fit inutilis communitati, ac proinde ad bonum commune: atqui lex fit inutilis, cum adæquate cessat finis illius; fit, inquam, inutilis saltem relative ad id, quod intendebat legislator; ergo.

Dixi I. *modo finis legis cesset adæquate*: si enim jejunium ab Episcopo institutum sit ad obtinendum finem belli, & aeris serenitatem, non cessat lex perseverante bello, licet obtenta aeris serenitate,

Dixi II. *in perpetuum*; si enim finis legis non cesset nisi ad tempus, obligatio legis non tam cessabit, quam suspendetur.

Dixi III. *respectu totius communitatis*. Prohibet v. g. Ecclesia, vel Episcopus, ne legantur Hæreticorum libri, propter periculum subversionis: ii libri nequidem legi possunt ab eo, qui tam tenax est avitæ fidei, ut certo sciat se mala hac lectione non esse pervertendum. Ratio est, quia alioqui jam finis legis efficaciter obtineri non posset: unusquisque enim facile sibi blandiretur, & audenter præsumeret se eo in casu non esse, ubi lex obligat.

Si tamen lex alicui inutilis fieret, non solum *privative*, ut in casibus mox allatis, sed etiam *contrarie*, quatenus materia ejus vel mala, vel admodum difficilis fieret, is jam ea non obligaretur, quamdiu res in eodem manerent statu. Sequitur ex dictis.

Porro ut cesset lex, cujus causa motiva omnino desiit, expectanda non est legislatoris declaratio: quia statim ut mihi certo constat de omnimoda, & generali legis inutilitate, certum mihi est eam non amplius obligare posse. Et id scrupulosis inservire potest, qui preces aliquando ab Episcopis ad petendam pluviam, aut aeris serenitatem præscriptas diu post hæc obtenta continuant, veriti, ne officio suo desint.

Quæres II. quid sentiendum de abrogatione legis humanæ.

R. I. legem humanam abrogari posse, quia sicut ex libera legislatoris voluntate nata est, sic & per eam dissolvi potest. Gravis tamen requiritur causa, ut lex semel juste condita tollatur, puta *maxima, & evidentissima utilitas, aut maxima necessitas* ( *S. Thom.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 2. ).

R. II. legem abrogari non posse, nisi vel ab ipso legislatore, vel a successore ejus, vel ab ejus superiore. Ratio est, quia ex jure *lex superioris per inferiorem tolli non potest*: atqui inferior est quoad potestatem legis abrogandæ, qui nec superior est, nec legislator, nec successor; ergo.

Sed potest ne Episcopus constitutiones in Synodo Diœcesana factas abrogare? Potest sane; quia eæ leges reipsa non nisi ab Episcopo latæ sunt: cæteri enim Clerici, qui Synodo Diœcesanæ intersunt, non habent vocem decisivam, sed consultivam. Rato tamen expedit, ut Statuta in Synodis condita ab Episcopis abrogentur.

R. III. leges inferioris, si a superiore confirmatæ sint, aliquando posse ab inferiore abrogari, aliquando non. Possunt quidem, si confirmatio facta sit in gratiam legislatoris, ut legi ejus splendor quidam accederet; & hæc confirmandæ legis ratio dicitur accidentalis: non possunt autem, si confirmatio vel essentialis sit, cum nimirum lex ejus, a quo confirmata est, auctoritate obligat, & non aliter; vel hanc, aut similem contineat clausulam: *Si quidquam contra legem hanc fiat, careat robore*.

R. IV. legem abrogari multis modis; I. quidem consuetudine: sic lex non manducandi nisi semel diebus jejunii, per consuetudinem sumendæ *collationis*, abrogata fuit. II. voluntate Principis, sive aliquam ferat legem præcedenti oppositam; sive nullam novam legem ferat: quo in casu æquum est, ut Princeps manifestet suæ non esse intentionis, ut lex amplius observetur, ne subditi contra legem, quam revocatam nesciunt, facientes, ex erronea conscientia peccent.

Quæres III. quid de ejusdem legis interpretatione dicendum.

R. I. legem humanam obnoxiam esse interpretationi; tum simplici, cum verbis constet aliquando ambiguis, quæ indigent explicatione; tum per epikeiam, cum aliqui sint casus, quos legislator aut noluit, aut non potuit lege sua comprehendere. Hi porro casus tres sunt precipui: I. cum lex sine peccato servari nequit: sic sine peccato reddi communiter non potest ensis furioso. II. cum legis observatio nimis onerosa est, & moraliter impossibilis: sic excusatur ab auditione Sacri mulier, quæ si Sacro intersit, honoris, aut rei familiaris jacturam timet. III. cum manifestis constat indiciis legislatorem noluisse casum aliquem, etsi licitum, & non ita difficilem, lege sua comprehendi. In his autem casibus, etiamsi res moram patitur, ad superiorem recurrere necesse non est, quia *in manifestis non est opus interpretatione*, ut ait S. Thom.

Quod *si dubium sit*, an legislator hunc casum comprehendere voluerit, oportet, ait idem S. Doctor, ( 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. ) *vel superiorem consulere*, si res moram patitur; vel si res urget, *secundum verba legis agere*, cum omnibus utrinque consideratis manet adhuc dubium, an lex hoc, vel illud imperet.

R. II. interpretationem simplicem, qua verus legis sensus explicatur, triplicem distinguo.

Prima dicitur *authentica*, quæ, si debite promulgetur, eandem habet vim ac ipsa lex; & hæc interpretatio fieri non potest, nisi vel a legislatore ipso, vel ab ejus successore, aut superiore, quia hi soli leges, aut aliquid legibus æquivalens condere possunt. Porro non requiritur, ut ii personalem legislatoris sensum attingant, quia cum legi justa de causa derogare possint, eam tam stricte interpretari non tenentur.

Secunda dicitur *usualis*, quæ fit per usum, & consuetudinem populorum, qui in interpretandis legibus plurimum valent.

Tertia demum dicitur *doctrinalis*, eaque fit per explicationem peritorum. Hæc interpretatio, etsi admodum licita ob difficultates in applicandis legibus nasci solitas, vim legis ex se non habet, quia non emanat ab hominibus, qui jurisdictionem habeant: fatendum tamen est eam magni esse debere momenti, imo & in conscientia obligare, cum Interpretes omnes scientia, pietate, & studio commendandi, atque ab extremis opinionibus perinde remoti in unum conspirant sensum: tum quia vix ulla solida ratione niti potest, qui opinionem oppositam teneret; tum quia moraliter certum est eum a vero legis sensu recedere, qui eam eo intelligit modo, quo a nemine intelligitur.

R. III. varias esse regulas, quibus inhærere debent, qui leges interpretantur: potiores infero.

I. In omni lege spectanda est verborum proprietas,

&

& *in re dubia melius est verbis edicti servire* ( *Leg.* 1. *De exercit. act.* ) si nihil obsit, id est, si nec sensus fiat absurdus, nec lex inutilis reddatur, & illusoria; tunc enim a verborum proprietate recedendum esset.

II. Quæ quædam est præcedentis modificatio, sic habet: Lex favorabilis, ea præsertim, quæ nulli præjudicium affert, extendi debet, juxta vulgatum id, *favores ampliandi*; unde quod de filiis dicitur, ad nepotes etiam, item ad filios legitimatos, & adoptivos pertinet, nisi quid obstet, quia nepotes, legitimati, & adoptivi, etiam filiorum nomine intelliguntur in jure. Lex vero odiosa, stricte quantum tamen verba sinunt, intelligi debet, juxta illud, *odia convenit restringi*: unde per filios in onerosis intelligi non debent filiæ, licet filiorum nomine filiæ etiam sæpe exprimantur. Hic oante notandum inter odiosa reponi deberi ea, quæ favent quidem cupiditati privatorum, at pugnant contra leges, & bonum commune: unde stricte interpretanda est dispensatio, quia per eam plaga infertur legibus.

III. Si de mente legislatoris constet, ei standum est, etiamsi verba legis aliud significent, quia *non sermoni res, sed rei debet sermo esse subjectus* ( *S. Thom.* 2. 2. *q.*96. *art.* 3. ). Censent tamen plures, ne ipsius quidem legislatoris declarationi standum esse, si extra legem loquens dicat se talem habuisse intentionem, quæ cum verborum proprietate non cohæreat: nullus enim præsumi potest improprie locutus, & aliquando evenit, ut qui nunc hoc, aut illud statueret, aliud olim statuisse voluerit.

IV. Generaliter loquendo lex ad casum in ea non comprehensum extendi non debet ob identitatem rationis: qui licet par, aut etiam major ratio movere potuerit legislatorem ad statuendum in uno casu, quod in alio simili statuit, non sequitur, quod id de facto statuerit; unde tritum id, *In jure positivo non licet argumentari a paritate rationis*. Quare male quis diceret; Excommunicatus est, qui Clericum percussit; ergo a fortiori qui patrem interemit.

Dixi, *generaliter loquendo*; nam ob rationis paritatem ab uno ad aliud legitime concluditur: I. in *correlativis*; unde quia vir, & uxor, correlativa sunt, si eximitur vir ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, uxor etiam eximitur ab obligatione illud reddendi viro adultero. II. in *æquiparatis*; unde quia electio, postulatio, præsentatio parificantur in jure, lex, quæ aliquid circa unam statuit, idem censetur statuere circa aliam in his, in quibus æquiparantur. III. in *connexis*, atque etiam in iis, quæ sub altero continentur; pars sub toto, imperfectum sub perfecto: unde ii, quibus lex permittit, ut testamentum, iisdem etiam concedit, ut codicillum faciant.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De variis Legis humanæ speciebus.*

Dividitur lex humana: I. in *scriptam*, & *non scriptam*, quæ dicitur consuetudo. II. in *legem simpliciter* dictam, quæ fertur a supremo Principe, ut Rege; & *statutum*, quod fertur ab inferioribus Principibus, ut Episcopis. III. in *civilem*, & *canonicam*. IV. in *favorabilem*, & *odiosam*, de quibus infra.

Lex favorabilis subdividitur in publicam, quæ cedit in commodum communitatis; & privatam, quæ in privatorum utilitatem vergit, ut privilegium; quod tamen odiosum est, si ita quosdam eximat a lege, ut alios gravet.

Lex odiosa vel est pœnalis, vel tributum imponens, vel irritans factum, aut contractum; quanquam lex irritans eo sensu favorabilis est, quod fraudibus occurrat, ut patet in lege, quæ professionem religiosam ante legitimum tempus, aut contractus sine debitis formalitatibus factos irritat. Præcipuas harumce legum species enucleare juvat.

## SECTIO PRIMA.

### *De Lege pœnali.*

Lex pœnalis ea est, quæ pœnam imponit: in quo distinguitur a lege morali, quæ sic aliquid præcipit, aut vetat, ut nullam transgressoribus pœnam indicat in foro hominis.

Lex pœnalis alia est *mixta*, alia *pure pœnalis*. Prima ea est, quæ simul præcipit, aut prohibet, & pœnam in transgressores decernit, hæc autem pœna decerni dupliciter potest: vel *copulative*, ut cum dicitur, Nemo triticum extra Provinciam transvehat, & qui contra fecerit, solvat decem nummos: vel *disjunctive*, ut si dicatur, Nemo triticum e regno evehat, *vel* si evexerit, solvat centum nummos. Posterior hæc species legis pœnalis non in ipsa re, sed solum specie distinguitur a lege pure pœnali; quæ nimirum sic pœnam statuit in eos, qui aliquid fecerint, vel omiserint, ut tamen nec præcipiat illud fieri, nec illud omitti vetet; talis esset ista lex: Qui frumentum e regno exportaverit, solvat centum nummos.

Lex pœnalis iterum dividitur in eam, quæ est ferendæ sententiæ, & eam, quæ est latæ sententiæ; de qua distinctionem latius dicam, ubi de Censuris. His positis duo hic investiganda sunt: I. an condi possit lex pure pœnalis, quæ nullatenus obliget sub peccato. II. an eadem lex simul & sub pœna, & in conscientia obligare possit.

CONCLUSIO I. Potest legislator concedere legem pure pœnalem, quæ non obliget proxime sub peccato.

Prob. I. Qui potest aliquid vel præcipere, vel non præcipere, potest illud sub ea, qua voluerit, conditione non mala præcipere: atqui Princeps multa præcipit, quæ posset non præcipere; ergo ea præcipere poterit sub qua conditione volet, modo non mala. Porro conditio solam opponens pœnam transgressioni legis, nihil habet mali, imo id habet commodi, quod animarum saluti consulat: unde multa sunt Religionum statuta, quæ hoc solum modo obligant; ergo.

Confirm. Non minus liberum est legislatori subditos obligare sub pœna duntaxat, quam liberum sit alicui vovere se nunquam lusurum, vel si luserit, se

talem pauperibus eleemosynam erogaturum: est enim votum privata lex legis publicæ non absimilis: atqui hoc ultimum fieri potest; unde qui sic vovit, non peccat, si post ludum pactam stipem pauperibus dividat; ergo a pari.

Sicuti tamen in casu voti peccaret, qui præscriptam sibi pœnam non exequeretur; sic & peccaret, qui pœnam a legislatore impositam nollet subire. Unde lex, quæ ratione objecti proximi solum pœnalis est, stricte obligatoria est ratione objecti remoti, seu pœnæ.

Obj. Lex pœnalis obligat proxime sub pœna: atqui non potest obligare sub pœna, nisi prius obliget sub culpa, quia alioqui lex illa justa non esset; cum ex S. Augustino Lib. 1. Retract. cap. 9. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna fit.*

R. dist. min. non potest obligare sub pœna stricte sumta, nisi prius obliget sub culpa, C. sub pœna late, & minus proprie sumta, nisi obliget sub culpa, subdist. sub culpa vel theologica, vel juridica, politica, aut civili, C. sub culpa necessario theologica, N. Pœna duplex: stricte sumta, quæ supponit, aut annexum habet defectum coram Deo vere culpabilem, & hæc correspondet culpæ theologicæ, quæ dividitur in mortalem, & venialem; de hac intelligitur objectus Augustini locus. Alia est pœna latius sumta, quæ onus est quoddam lege, vel usu impositum, ut vel ipsius metu inducamur ad agendum, vel in posterum aliquid evitemus. Hæc pœna supponit quidem culpam, sed aliquando solum juridicam, quæ coram Deo culpa non est, & reatum non inducit, idque patet ex Regula 23. Juris in 6. quæ sic habet: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*; ergo cum subest causa, puniri quis potest absque culpa proprie sumta.

Inst. Omnis humana lex est essentialiter actionum humanarum directiva: atqui regula directiva obligat in conscientia; cum quisquis a regula directiva discedit, eo ipso deficiat; ergo.

R. dist. min. Regula absolute directiva obligat, C. directiva conditionate, subd. obligat ad pœnam luendam, C. ad actum, qui proxima est ejus materia, quemadmodum ad eundem actum obligant leges simpliciter præceptivæ, N.

CONCLUSIO II. Lex, quæ pœnalis est, simul adhuc in conscientia obligare potest. Est contra Navarrum.

Prob. Lex, quæ præceptum continet, obligat in conscientia: atqui lex humana etiam pœnalis præceptum continere potest. Tam enim lex pœnalis potest absolutum continere præceptum, quam si nullam apponeret pœnam; imo Princeps nisi aliud declaret, gravius obligare velle videtur, cum imponit pœnas, quam cum non imponit; ergo. Ut solvantur aliæ quæstiones, quæ hic agitari solent,

Quæres I. quomodo lex simpliciter pœnalis possit ab alia distingui.

R. pendere id a sola legislatoris voluntate: hæc autem cognosci potest: I. ex ejus verbis, si nempe declaret se nolle obligare sub culpa, quod satis observant Superiores Communitatum in constitutionibus suis. II. ex ipsa legis forma; nempe si disjunctive feratur, ut, Qui arma portaverit, ea amittat. Si tamen lex gravissimas imponat pœnas, capitis v. g., infamiæ, triremium, &c. longe probabilius est eam obligare sub culpa, etiamsi præceptum non contineat, quia tantæ pœnæ pro gravi solum culpa rationabiliter assignari possunt. III. ex legis materia: lex enim, quæ ad bonos Reipublicæ mores, ejusque pacem necessaria est, merito præsumitur præceptiva. In dubio judicandum est legem esse præceptivam; tum quia id tutius est; tum quia quod lex aliqua non obliget ad culpam, est quædam exceptio a generali regula, juxta quam oportet subditos parere superioribus, non solum propter iram, sed & propter conscientiam.

Hinc colliges eos graviter peccare, qui infringunt leges: I. de non evehendis extra, vel intra regnum, aut civitatem nonnullis mercibus, quæ sub gravi pœna exilii, incarcerationis, aut triremium prohibentur; non modo quia cum tanto se discrimini objiciunt, contra charitatem sibi debitam peccant, sed etiam quia pœnæ gravis inflictio gravem in transgressione culpam indicat; & aliunde ad minus dubium est, an eæ leges sint mere pœnales. II. de non ducendis animalibus ad aliena pascua, licet censentur se paratos esse ad solvendam impositam mulctam, si deprehendantur. III. de justi vectigalis, aut tributi solutione, ut statim dicemus.

Hinc etiam infères nullas a Regibus nostris ferri leges, quæ certo judicari possint esse mere pœnales, & ita communiter sentiunt Parisienses Theologi, a quibus male recedunt Confessarii nonnulli, lepide quidem, sed coram Deo, & hominibus periculose dicentes certarum legum transgressionem, tunc duntaxat esse peccatum, cum transgressores a custodibus deprehenduntur.

Quæres II. an pœna per legem imposita sit statim exsolvenda ab eo, qui legem transgressus est. Ut intelligatur responsio, quæ magni est momenti,

Not. I. Pœnæ aliæ sunt *latæ sententiæ*, quæ ipso facto, id est, sola peccati commissione infliguntur per legem: aliæ sunt *ferendæ sententiæ*, quas lex de facto non imponit, sed per Judicem imponendas minatur. Item duplex est sententia Judicis: alia *condemnatoria*, per quam reus a Judice condemnatur ad certam pœnam: alia criminis *declaratoria*, per quam Judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto incurritur, adeoque ipsum pœnam hanc ipso facto incurrisse, de quo paulo post.

II. Pœnæ aliæ sunt passivæ, quæ nullam rei actionem requirunt, ut quod quis sit excommunicatus, vel irregularis. Aliæ vero, seu positivæ sunt, seu privativæ, non possunt executioni mandari sine aliqua transgressoris actione; & hæ triplicis sunt generis. Quædam irritant actum, qui fit contra legem, v. g. nuptias clandestine contractas; aut reum inhabilem faciunt ad eundem actum, v. g. simoniacum ad Beneficium acquirendum. Quædam legibus constitutæ sunt ut conditiones ad acquirendum necessariæ: sic de jure communi, qui sua culpa ad Sacer-

dotium

dotium intra legitimum tempus non promovetur, ipso facto privatur Beneficio parochiali, sine alia monitione. Quaedam denique privant jure jam acquisito, vel acquiri cepto, v. g. Beneficiò jam legitime possesso.

III. Poenae, quae actionem requirunt, vel sunt leves, ut poenitentiae Monasteriorum, vel sunt graves, ut renuntiare Beneficio, exulem abire. His positis

R. I. reum non teneri ad poenas ferendae sententiae, donec ad eas fuerit a Judice condemnatus. Ratio est, quia lex de facto tales poenas non imponit, sed imponendas minatur.

R. II. poenas passivas, quae nullam transgressoris actionem postulant, ut sunt irregularitas, privatio vocis activae & passivae, vel similia, incurri ante ullam Judicis declarationem: unde occulti quarundam legum violatores vere sunt excommunicati, & irregulares, prout alias diximus.

R. III. Poenae, quae vel irritant actum lege prohibitum, ut matrimonium clandestinum, vel reum reddunt ad aliquid inhabilem, ut Beneficiarium ad percipiendos Beneficii fructus, si Horas non recitet, effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam: unde clandestine conjuncti separari debent: simoniacus realis Beneficium dimittere debet, & fructus perceptos restituere, &c.

R. IV. Poenae, quae jure jam acquisito privant, vim communiter non habent ante Judicis sententiam saltem declarativam criminis, etiamsi lex ferat eas poenas ipso facto, & non expectata Judicis sententia incurri. Unde quod statuit Pius IV., eos, qui confidentiam committunt, Beneficiis ante obtentis ipso facto privari, locum non habet, nisi post sententiam Judicis. Ex quo sequitur Parochum, qui admisit crimen, cui annexa est ipso facto privatio Beneficii, valide absolvere poenitentes, & fructus facere suos, modo Beneficii munera exequatur. Ita omnes pene Theologi praesertim Galli. Et ratio est, tum quia id approbat mater Ecclesia, ut conscientiarum quieti consulatur; tum quia alioqui leges eae in detrimentum boni publici vergerant, utpote quas nemo, aut fere nemo in praxi sequeretur.

Dixi *communiter*, quia consuetudine receptum est, ut quaedam poenae ante Judicis sententiam jure jam acquisito privent. Sic conjuges debiti petitione privantur statim ac incestum commiserunt: sic atrocia quaedam crimina ipso facto inducunt vacationem beneficiorum, prout dicam suo loco.

R. V. Poenae, quae propriam rei actionem requirunt, ante quamlibet Judicis sententiam subiri debent, si non sint valde difficiles, ut recitatio Rosarii, moderata corporis castigatio, &c. secus si earum executio sit admodum acerba, ut venenum haurire, & alia de, quibus supra.

Ratio primae partis est, quia leges hae nihil praecipiunt, quod non sit homini moraliter possibile.

Ratio vero secundae partis est, quod hae leges tam durae, tam inhumanae, tam naturae propensioni adversae forent, ut moraliter possibiles censeri non debeant. Et certe communi usu receptum est, ut qui ob crimen aliquod bonis omnibus ipso facto privati dicuntur per legem, non ante bona sua abdicare teneantur, quam ad id fuerint a Judice condemnati.

Ergo, inquies, poenae illae, quae ipso facto incurri dicuntur, non discrepant a poenis ferendae sententiae.

R. neg. ant. nam ubi lex poenas imponit ipso facto incurrendas, legislator per semetipsum reum bonis spoliat, quantum de se est, sub ea tamen conditione, ut declaratio fiat: ubi vero poena est ferendae sententiae, non privat, sed remittit Judici, ut privet. Unde in primo casu donationes, & aliae dispositiones, quae crimen subsecutae sunt, rescinduntur, & irritae evadunt, statim ac intervenit declaratoria Judicis sententia, quae ad ipsum commissi criminis momentum retrotrahitur: id autem in secundo casu non evenit. Praeterea possunt haeredes conveniri ad solvendum id, quod debebat defunctus vi poenae ipso facto contractae; secus si poena esset solum ferenda.

Quaeres III. an ignorantia excuset a poena legis.

R. I. Ignorantia excusans ab omni culpa, excusat a debito poenae: quia poena, ut poena, supponit peccatum, quod excludit ignorantia invincibilis. Unde si quis a Judice condemnetur, quia ignorantiam suam probare non potest, potest subtrahere se poenae, modo id fiat sine resistentia, & scandalo.

R. II. Ignorantia excusans a gravi culpa, non autem a veniali, excusat a gravi poena, non autem a levi. Ratio est, quia *pro mensura peccati, erit & plagarum modus*, Deuter. 25.

R. III. Ignorantia, quae non excusat a gravi culpa, saepius non excusat a gravi poena, aliquando tamen excusat.

Prob. 1. pars, quia ignorantia, quae non tollit culpam, non tollit causam poenae, nec proinde poenam.

Prob. 2. pars, quia lex aliquando poenam iis solum infligit, qui *scienter, temere*, vel *praesumptuose* aliquid faciunt; ergo lex illa certum contemtus, scientiae, vel praesumptionis modum requirit, quo sublato, qui eam transgreditur, non subjacet poenae.

Quod si quis ex ignorantia affectata legem violet, is certe poenam meretur, quia haec ignorantia aequiparatur scientiae, & peccatum adauget.

R. IV. Ignorantia etiam invincibilis solius poenae, non excusat per se a poena, nisi lex contumaciam requirat. Ratio est, quia qui violat legem, nesciens poenam lege impositam, ponit totam poenae subeundae causam: haec enim causa non est poenae cognitio, sed culpa.

Dixi. I. non excusat *per se*: quia excusare potest *per accidens*, ut si quis nascierit legem obligare sub mortali, & id cognita poenae gravitate cogniturus fuisset.

Dixi II. *nisi lex contumaciam requirat*: quia contumacia requiritur, ut quis incurrat censuras.

Sed quid si quis noverit quidem hoc; vel illud lege

lege naturali, vel divina prohibitum esse, sed prorsus ignoret legem humanam, qua id prohibitum est.

Respondent plures, eum adhuc subjacere pœnæ per legem expressæ; quia, inquiunt, qui legem condit, non suæ tantum, sed etiam divinæ, naturalisve legis transgressionem punire intendit: unde qui cum impedimento dirimente, quod ignorabat, contrahit, invalide contrahit. Hoc quidem exemplum, & alia id genus non pauca facile admisero, sed de omnibus perinde pronuntiare non ausim, quia res ab intentione legislatoris pendet. Ut ut sit, cognoscunt iidem Theologi, excipiendas esse ab hac regula censuras, quas fatentur non incurri, nisi quis contra Ecclesiæ legem sibi cognitam peccet.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Lege tributorum.*

TRibutum definitur: Pensio publica, quæ ad regios sumtus, & communes Reipublicæ operas a populo persolvitur.

Tributum aliud est *reale*, quod pro rebus immobilibus, & fructibus earum quotannis solvitur: aliud *personale*, quod ratione bonorum mobilium personæ, ac industriæ ejus exigitur, & sæpe vocatur *capitatio*: aliud *mixtum*, quod pro rebus, & personis solvitur. Si tributum fuerit impositum pro rebus in urbem invectis, aut ex illa evectis, vocatur proprie *vectigal*; si pro rebus, quæ transferuntur per pontes, & flumina, dicitur *portorium*; si pro transeuntibus per viam, seu locum, idque ad viarum custodiam, & refectionem, *pedagium*; si pro operis personarum, puta pro iis, qui excubias agunt, dicitur *angaria*, &c. his positis,

Quæres I. an lex tributorum sit mere pœnalis ex genere suo.

R. negat. quia imponi potest tributum sine comminatione pœnæ, & non in pœnam delicti. Non nego tamen tributa imponi aliquando posse in pœnam criminis alicujus, v. g. rebellionis; nego tantum ea sic communiter imponi: unde dixi, *ea ex genere suo* non esse pœnalia.

Quæres II. an lex tributorum vere, & proprie obliget in conscientia.

R. affirmative: I. quia Christus Matth. 22. ait, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*; ubi sermo erat de censu Imperatoribus persolvendo, & Apostolus Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ... reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Unde sic: Vectigalis nomine intelligunt eo loci Interpretes, quod Itali dicunt, *i Dazj, le Imposte, Gabelle*, &c. atqui ex Apostolo solutio horumce onerum necessaria est in conscientia; ergo.

Idem docet S. Augustinus in exposit. quarumdam quæstionum Epist. ad Rom. *Si quis*, inquit, *putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum ... in magno errore versatur*: accedit censura hujusce propositionis; *Subditi possunt justa tributa non solvere*, quæ an. 1700. a Clero Gallicano damnata est, ut *seditiosa, & Apostolicæ doctrinæ contradicens*. Ex quibus colliges eos, qui vectigalia justa defraudant, *non solum mortaliter peccare, sed etiam furtum committere*, & proinde ante omnem Judicis sententiam *obligari ad restituendum Principi, aut illi, qui gabellas conduxit*. Ita Sylvester, & alii apud Azor.

Quæres III. an gabellæ si non petantur, debeant in conscientia solvi.

R. quotiescumque exstit lex, aut consuetudo, ut qui rem transfert per certa loca, hanc exhibeat, & pro ea gabellam solvat, tunc res illa debet in conscientia manifestari, quia lex, vel consuetudo ad id obligat. Quod si ex consuetudine manifestatio hæc, & quæ eam sequitur solutio, non nisi ad Publicanorum petitionem fiat, non videtur ad solvendum obligatus is, a quo nihil exigitur: unde damnum hoc negligentiæ suæ imputare debent exactores. Aliud enim est non dare, quod a te non petitur, aliud per dolum efficere, ut nec petatur, nec peti possit: unde reprehendum est quod docent aliqui licitum esse occultare venditionem, aut per invia loca transire, ne gabella petatur.

Quæres IV. an qui scienter emunt merces fraudata gabella introductas, sal v. g., carnes, tabacum, & alias id genus legibus regiis in Parlamento verificatis prohibitas, teneantur ad restitutionem.

R. affirmat. cum Auctore Collat. Paris., qui etiam contendit emtores præ venditoribus ad restituendum obligari, quia Princeps jus habet prælationis, & quasi hypothecæ in prædictas merces, vi cujus eas, ubicumque sint, occupare potest.

Quod si emtor, dubitet, etiam non sine fundamento, an venditor jura persolverit, puta quia animadvertit eum pretio satis vili vendere, censet citatus Auctor, nullam ei tunc incumbere obligationem restituendi; quod probat ex ipsa legum dispositione. *Non puto*, ait Lex 10. de jure fisci, *delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile responderit*.

Quæres V. an in dubio, num justa, sit, necne lex tributi, sit ejus solvendi obligatio.

R. I. tributum vere, & certo injustum a subditis non deberi. Ut autem tributum sit reipsa justum, tria requiri solent: I. quidem potestas imponendi tributum, quæ per se soli supremo Principi competit. II. legitima causa, ut nempe ob bonum publicum imponatur. III. proportio tributum inter, & causam tributi, adeo ut parvum pro causa mediocri, temporale pro temporali necessitate imponatur. Requiritur etiam proportio ad personas, ut nimirum plus exigatur ab eo, qui plus potest, minus ab eo, qui minus habet facultatum: quare graviter peccant, & pauperibus, quorum læsionis causa fuerunt, restituere debent viri illi nobiles, qui cum bona possideant plebeia tributis (*Beni ignobili*) obnoxia, ab iisdem tamen sese eximunt; unde fit, ut divitum onera in pauperes refundantur. Ita casum hunc solverunt Doctores Sorbonici 30., qui & supposita facti notorietate hujusmodi homines ad Sacramenta admitti non posse definierunt.

R. II. in dubio de justitia tributi illud solvendum esse, nisi rationes, quæ contra pugnant, sint longe

gra-

graviores oppositis. Ratio est, quia in dubio æquali, aut pene æquali, præsumendum est in favorem Principis possidentis facultatem præcipiendi. Decisio hæc sequitur ex iis, quæ dicta sunt de Probabilitate.

## SECTIO TERTIA.

### *De Lege irritante.*

Lex irritans ea est, quæ actum, cui certæ desunt conditiones, nullum, & invalidum facit.

Certum est de facto dari leges, quæ certas in contractibus requirunt conditiones, quarum defecto iidem in irritum abeunt: sic Jure civili irritatur testamentum sine sufficienti testium numero factum; & Jure canonico matrimonium cladestinum.

Irritatio multiplex est: I. enim altera incurritur ipso jure, & ante judicis sententiam; quo sensu irritum est se ipso matrimonium clandestinum: altera non nisi post Judicis sententiam incurritur, sic contractus, in quo quis ultra medietatem justi pretii deceptus est, tandiu valet, donec eum Judex irritum fecerit.

II. Alia est *explicita*, quæ distincte exprimitur, v. g. *Si res aliter fiat*, *non valeat*, *careat omni robore*, *&c.* alia *implicita*, quæ fit verbis æquivalentibus, ut si præscribatur forma, quæ in contractu necessario debeat servari.

III. Alia est *pœnalis*, *legalis* altera. Pænalis ea est, quæ inducitur in odium personæ, & actionis ejus, ut cum irritatur matrimonium contrahentis cum ea, quam polluit per adulterium sub spe futuri conjugii. Legalis ea est, quæ non fit in pœnam peccati, sed in bonum privatæ personæ, aut communitatis, ut cum irritatur professio ante annum 16. expletum, in bonum utique tum profitentis, tum Religionis.

Quæres I. an lex irritans obliget in conscientia.

R. I. legem ipso jure irritantem hoc sensu obligare: I. quod non liceat uti actu per legem irritato, quasi valido fit. II. quod nequidem actum illum exercere liceat, si vel id materia legis postulet, vel legislator satis significet velle se, ut ab eo actu abstineatur.

Prob. I. pars: quia actus, qui ipso jure invalidus est, revera non valet; eum lex, qua irritatur, ipsum privet omni robore, ut patet in matrimonio clandestine contracto.

Prob. II. pars. Ab eo actu omnino abstinendum est, quem lex non irritat solum, sed & prohibet: atqui tales sunt actus quidam per leges irritati; atque id patet in allato matrimonii clandestini exemplo, quod ne attentare quidem licet. Porro non omnes actus, qui lege irriti sunt, simul sunt prohibiti: etsi enim irrita sit renuntiatio paternæ hæreditati facta a filia, quæ dote sua contenta est, non tamen peccat puella, quæ hæreditati suæ renuntiat; unde valeret renuntiatio hæc, si juramento confirmata esset, & tamen juramentum peccati vinculum esse non potest.

R. III. Lex, quæ ipso facto actum non irritat, sed eum solummodo præcipit irritari, non obligat ante sententiam Judicis. Ratio est, quia irritatio est actus proprius publicæ potestatis; ergo si non fit per legem, fieri debet per Judicem, a quo solo leges eam fieri permittunt; ergo actus hoc in casu tandiu valebit, donec reipsa a Judice irritetur.

Quæres II. an lex eo ipso si irritans, quo est prohibens.

R. negat. quia ex cap. 16. *De regular. Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmitatem*. Et vero aliud est prohibere, aliud irritare: unde nec quod irritatur, semper prohibitum est, ut modo dixi; nec quod prohibetur, semper est irritum, ut patet in matrimoniis, quæ post emissum simplex castitatis votum contrahuntur.

Quæres III. quænam impediant, ne lex actum ipso facto irritans habeat effectum suum.

R. I. Si lex non irritet actum, nisi in vindictam culpæ, irritatio impeditur per omnem causam, quæ excusat a culpa. Sic qui ex oblivione mere naturali omittit Horas, facit fructus suos, licet extet lex, qua irritatur fructuum acquisitio ab iis facta, qui Officium omittunt. Potest tamen aliquando Ecclesia insontem re aliqua privare in odium culpæ alienæ, v. g. Beneficio, quod ex simonia sibi incognita comparavit: quod etiam facit potestas sæcularis, eum v. g. rebellis hominis filios & bonis, & nobilitate spoliat.

R. II. Qui invincibiliter ignorat actum aliquem irritari per legem, sed legem, qua actus prohibetur, non ignorat, subjacet irritationi, quamvis hæc in solius culpæ vindictam statuta fuerit. Unde Beneficiarius, qui novit Horarum recitationem per Ecclesiæ legem imperari, nescit autem fructuum receptionem ab eo factam, qui non recitat, esse irritatam, non facit fructus suos. Ratio est, quia ignorantia pœnæ non tollit culpam, quæ totalis est, & adæquata causa irritationis; ergo nec irritationem ipsam tollere debet.

R. III. Ignorantia etiam inculpata legis irritantis non impedit actus irritationem, si irritatio immediate facta fit propter bonum commune. Ita omnes. Patet hoc tum in testamento sine legitimis solemnitatibus condito, tum in matrimonio, quod quis bona fide absente Parocho celebrasset. Ratio est I. quia leges tam necessariæ effectum suum absolute habere debent, quia hoc absolute intendit, & intendere debet legislator. II. quia, ut alibi dictum est, leges illæ non fundantur in præsumptione facti, sed in præsumptione, vel potius in certa scientia periculi, ne quid fiat contra bonum commune; ergo cum periculum hoc semper existat, lex semper vigere debet.

SE-

## SECTIO QUARTA.

### *De Lege civili, Ecclesiastica, &c.*

JUs civile in Gallia coalescit: I. ex consuetudinibus, quæ licet vim primam ex solo populorum consensu desumserint, hodie scriptæ esse debent. II. ex Jure Romano, de quo statim loquar. III. ex Concordatis, & Pragmaticis Sanctionibus. IV. ex legibus per Reges nostros latis, quæ cum proprio Principis motu efferuntur, vocantur *Edicta*; cum autem a Rege ad Magistratuum, aut populorum preces conceduntur, dici solent *Constitutiones*, Italice, *Decreti*; ac demum *Declarationes*, cum leges jam ante conditas restringunt, amplificant, aut quolibet modo interpretantur.

Jus Romanum, quod etiam commune nuncupatur, fere totum obtinet in multis Galliæ Provinciis, quales sunt Occitania, Provincia, Delphinatus, & aliæ quædam Regni partes, quæ quia sequuntur Jus Romanum, quod Jus scriptum vocari solet, appellantur Provinciæ *Juris scripti*, ad discrimen aliarum Regni Provinciarum, quæ *consuetudinariæ* vocantur, quia suas sequuntur consuetudines. Unde consuetudo in præsenti definiri potest Jus particulare, quod certis in Provinciis viget: sic dicitur consuetudo Aurelianensis, &c.

Circa hoc tria notanda: I. quod si quando Regiæ Constitutiones Juri Romano derogant, iis obsequendum sit etiam in regionibus, quæ jure scripto utuntur; quia totam eo utendi facultatem habent a Rege.

II. quod etsi Jus Romanum in Provinciis consuetudinariis vim legis non habeat, plenis tamen oculis legi debet ab iis etiam, qui hisce in Provinciis jus dicunt, quia cum deficiunt, ut sæpius evenit, locorum consuetudines, *ad jus commune, & Romanum confugimus*, non quidem ut ad legem necessariam, sed ut ad æqui, & recti normam.

III. quod graviter, & periculose allucinentur ii e Confessariis, qui, ut obvios conscientiæ casus resolvant, recurrunt ad Theologos, qui, ut Lessius, Lugo, & Suarez, jus solum Cæsareum citant, & assumunt. Cum enim jus illud usibus, & moribus nostris sæpius adversetur, manifestum est, ejus auctoritatem per se ad decisionem legitimam non sufficere. Optandum igitur, si non necessarium, ut Confessarii aliqualem Gallicani juris ideam sibi comparent, ne multa admittant, quæ privatis Regni legibus prohibita sunt: saltem igitur legant Institutiones D. Argou, nec non & locorum, in quibus versantur, consuetudines; deinde vero peritiores sive Confessarios, sive Jurisperitos frequenter interrogare nec vereantur, nec erubescant: ea tamen lege, ut a Jurisperitis principia, a semetipsis vero, aut a melioribus Theologis casuum resolutiones desumant. Aliter enim plerumque definiunt Advocati, & Magistratus; aliter vero Confessarii, qui multa Judicibus sæcularibus occulta, & occultanda comperiunt in pœnitentiæ tribunali.

Jus Canonicum est congeries legum, quibus personæ, judicia, & res Ecclesiasticæ potissimum diriguntur. Jus illud partibus sex constat: Decreto scilicet, Decretalibus, Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus communibus, & Extravagantibus Joannis XXII.

Quæres I. quæ sit Juris hujus auctoritas in Gallia.

R. Certum est I. eas Juris Canonici sanctiones, quæ cum usibus in Regno receptis, antiquis Ecclesiæ nostræ moribus, & suprema Regum nostrorum auctoritate male cohærent, nullius in Gallia esse momenti.

Certum est II. Decretum Gratiani, quod etiam post ipsius emendationem Romæ factam mendis non caret, non aliam habere auctoritatem, quam habeant Canones, aut Patrum textus, ex quibus Decretum illud coalescit.

Certum III. videri debet, Jus Canonicum, quod præsertim in Decretalibus Gregorii IX. & Clementinis continetur, magni apud nos ponderis esse debere: I. quia Galli quidquid pene Juris Canonici habent circa electiones, postulationes, matrimonii impedimenta, & omnes fere censuras, ex Jure Pontificio desumsere: si autem ex Jure illo principia desumsimus, an non æquum est, ut ejus decisiones circa casus e principiis consectarios teneamus? II. quia pleraque Decretalium statuta e generalibus Conciliis Lateranensibus, Lugdunensibus, & Viennensi, aut e Pontificibus Romanis, qui profundam Canonici Juris notitiam habebant, excerpta sunt: quidni ergo ea sequemur in his, quæ aliunde moribus nostris non repugnant. III. quia si unusquisque Decretales pro nutu reijcere poterit, jam quot erunt capita, tot erunt Jurisprudentiæ, quod quam rectæ rationi adversetur, nemo non intelligit. Et vero causæ, quæ apud ipsos Angliæ, & Germaniæ Protestantes circa jurisdictionem ecclesiasticam suboriuntur, non ex civilium legum præscripto, sed ex Jure in Decretalibus contento dirimuntur. An igitur Ecclesiæ filii Jus canonicum contemnent, quod impense æstimant, & sequuntur heterodoxi?

Etsi ob jurgia Bonifacium VIII. inter, & Philippum Pulchrum exorta, minor fuerit Sexti, quam aliarum Juris partium auctoritas in Galliis, major tamen Constitutionum ibi contentarum numerus in hoc Regno observatur, juxta Dovjat.

Quod dicunt aliqui, ut a Juris Canonici studio avertant, falsas Decretales ibidem, perinde ac genuinas in probationem adduci; hoc, inquam, solide confutat Gibert Tom. I. instit. eccl. p. 9. ubi animadvertit e Canonibus mille in Jure citatis vix unum esse spurium: cum in tota Gregorii IX. Collectione non nisi 14. falsi Canones citentur; nulli vero prorsus occurrant in Collectionibus posterioribus. Plures quidem hac in parte nævus habet Decretum Gratiani, sed qui nihil fere sunt, si comparentur cum genuinis ejusdem citationibus. Adde quod hic error quilibet vitari facile possit ab eo, qui semel meminerit Decretales omnes Romanorum Pontificum Siricio Papa antiquiorum esse suppotititias. (*Creatus is est Pontifex an. 385.*)

Quæres II. quid sint Libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

R. eas definiri Jus constanter sequendi receptos universalis Ecclesiæ Canones, & antiquas Regni consuetudines, quidquid de novo in contrarium decernatur.

I. Sunt *jus*: Ecclesia enim particularis jus habet id sequendi, quod primitus ab Ecclesia universali sancitum est, aut quod hæc ipsa particularis Ecclesia a multis retro sæculis laudabiliter, & inemerate servavit: hinc libertates Gallicanæ non sunt exemptiones, aut privilegia, & a nemine revocari possunt.

II. Sunt jus *sequendi receptos Ecclesiæ Canones*: unde turpiter aberrant, qui Libertates Gallicanas reponunt vel in potestate faciendi, quod libuerit, vel in summa a Romano Pontifice independentia. Imo exigit Jus antiquum, cui ob libertates nostras insistimus, ut Papam habeamus pro Ecclesiarum omnium Capite, pro Rectore universali, qui in omnes Ecclesias, singulosque ipsarum Pastores jurisdictionem habet, secundum Evangelii, & Traditionis leges exercendam. Unde Spondanus ad annum 1639. sic loquitur: *Nescit Ecclesia Gallicana Libertates, quæ illam a Romanæ matris firmissima connexione, & filiali obedientia divellant.*

Etsi vero antiquorum Canonum amorem spirant Galli, haud tamen negandum multas apud eos invaluisse consuetudines antiquo Juri contrarias, v. g. resignationes in favorem, collationes Beneficiorum per præventionem, & alia id genus non pauca.

III. *& antiquas Ecclesiæ nostræ consuetudines*, quæ cum Gentis genio, & moribus congruant, sine magno pacis publicæ detrimento mutari non possent.

IV. *quidquid de novo, &c.* Unde ea Sedis Apostolicæ decreta libenter amplecti debent, quæ nec legitimis Regni consuetudinibus, nec antiquæ disciplinæ adversantur.

Fundamentum Ecclesiæ Gallicanæ Libertatum duplex.

I. quod nec Papa, nec ipsæ generales Synodi quidquam possint in temporale Regum Franciæ; & vicissim nihil etiam Reges Franciæ, aliive quicumque laici Principes possint in iis, quæ ad fidei decisiones spectant, nisi ut iis humiliter obtemperent, easque pro virili tueantur. Unde ajebat S. Ambrosius L. 5. Ep. 35. ad Valentinianum, *Quis est, qui abnuat in causa fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare.*

II. quod Papæ auctoritas in iis etiam, quæ ad spirituale Regni bonum pertinent, ex Canonum, & Regni consuetudinum præscripto moderanda sit, juxta id Zozimi Can. 7. xxv. q. 1. *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis Apostolicæ potest auctoritas.* Ex his principiis mirum est quot, & quam varia apud varios fluant consectaria, quæ hic prosequi non possum. Sufficiat annotare hanc Libertatum Gallicanarum materiem, mille obscuritatum scopulis involutam esse, quod non semel agnoverunt Galliæ Episcopi, præsertim in Codice Regi oblato post generalia Regni Comitia, habita anno 1615.

## CAPUT SEXTUM.

### *De dispensatione.*

Dicemus I. de essentia, & divisione dispensationis: item de causa ejus efficiente. II. de conditionibus ad eam requisitis. III. de defectibus, qui dispensationem irritant. IV. de causis, propter quas cessat dispensatio.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quid Dispensatio, quotuplex, & a quo detur.*

Dispensatio definitur Relaxatio legis, legitima auctoritate concessa quibusdam personis in aliquo casu, in quo lex alioqui obligaret.

Dicitur I. *relaxatio*, seu exemptio: eaque vox locum habet generis, quia per eam dispensatio convenit cum alia quacumque vinculi legis ablatione, sive fiat per abrogationem, sive per privilegium.

Dicitur II. *legis*: quo nomine intelliguntur etiam statura, & aliæ leges, quæ in Jure communi non continentur.

Dicitur III. *legitima auctoritate facta*; dispensatio enim actus est jurisdictionis, & eo nomine differt ab epikeia, quæ non est jurisdictionis actus, sed doctrinæ, & prudentiæ, prout ex dictis colligi potest.

Dicitur IV. *quibusdam personis*, sub quibus non privati solum comprehenduntur, sed & Congregationes, Conventus, & similia, quæ sunt personæ fictæ.

Dicitur V. *in aliquo casu, &c.* Unde rursus differt dispensatio, tum ab epikeia, quæ iis solum in casibus locum habet, ubi lex judicatur non obligare; tum a licentia, seu permissione, qua non relaxatur obligatio legis, sed permittitur, ut aliquid fiat contra modum a lege præscriptum: sic Superior permittit Monacho, ut aliquid donet, nec tamen in paupertatis voto dispensat.

Dispensatio dividitur I. in *totalem*, quæ omnino aufert obligationem legis, ut cum irregularis dispensatur ad omnes Ordines: & *partialem*, quæ solum ex parte obligationem relaxat, ut si irregulari sola minorum Ordinum susceptio permittatur.

Dividitur II. in *necessariam*, & *voluntariam*. Dispensatio necessaria ea est, quæ iis, a quibus petitur, negari non debet, ut contingit I. cum commune bonum aliter procurari, aut commune scandalum aliter vitari nequit. II. cum alioqui periclitaretur spirituale bonum postulantis. III. cum *a lege*, vel *ab homine* constitutum est, ut dispensatio in tali casu concedatur, quod maxime fieri solet in dispensationibus circa pœnas post condignam satisfactionem. IV. Cum licet causa dispensandi non inducat debitum justitiæ, inducit tamen debitum misericordiæ; hæc enim aliqualiter debetur, cum proximus graviter indiget, & sine dispendio sublevari potest. Quia

Quia tamen injuſtitia Superioris non tollit legis vinculum, hinc qui diſpenſationem etiam debitam non obtinet, tenetur ad obſervationem legis, niſi lex ei tam nociva fiat, ut eum tanto diſcrimine non obliget, prout alibi dictum eſt. Diſpenſatio voluntaria eſt ea, quæ licet juſtam habeat cauſam, non eſt tamen debita, quia nullum ex modo recenſitis urget incommodum.

Dividitur III. in eam, quæ juſtificatur ex cauſa intrinſeca, ut ſi v. g. lex jejunii alicui fiat nimis oneroſa: & eam, quæ conceditur ob rationes extrinſecas, ſcientiam v. g., aut etiam nobilitatem, quia horum remuneratio in Eccleſiæ bonum redundat.

Dividitur IV. in *expreſſam*, & *tacitam*. Diſpenſatio expreſſa ea eſt, quæ verbis, vel ſignis Superioris voluntatem ſatis manifeſtantibus conceditur. Verba, quibus uti debeat diſpenſator, nulla in Jure determinantur, neque neceſſe eſt, ut diſpenſatio detur in ſcriptis, niſi id Jure cautum ſit. Diſpenſatio poteſt eſſe expreſſa, abſque eo quod materia ejus ſpecifice declaretur; unde ſufficere poteſt verbum generale, ut *Diſpenſo tecum in impedimento, ſi quod habes*. Diſpenſatio tacita eſt ea, quæ licet in ſe, & directe non concedatur, conceditur in alio, quod ſine diſpenſatione fieri non poteſt: ſic Superior, qui ſcit me actu eſſe irregularem, præcipiendo, ut ordines ſuſcipiam, cenſetur in irregularitate diſpenſare.

Verum hic duplex movetur difficultas. Prima, an ad diſpenſationem ſufficiat ratihabitio de futuro, id eſt, præſumta voluntas Superioris, qui probabiliter judicetur diſpenſaturus, ſi ſciret, vel gratum habiturus, cum ſciet; etſi nec ſciat, nec velit, quo tempore is, qui diſpenſatione indiget, contra legem operatur. Secunda, an cum Superior, qui videt e ſubditis ſuis quempiam contra leges agentem, nec contradicit, cum facile, & abſque incommodo contradicere poſſet, an, inquam, talis Superior cenſeatur virtualiter diſpenſare in lege.

R. ad 1. ratihabitionem ordinarie non ſufficere, I. quia voluntas præſumta præcipiendi non imponit obligationem actu obediendi; ergo nec voluntas præſumta tollendi vinculum, vinculum actu ſolvit. II. ut illegitimus ordinetur, ut Sacerdos valide abſolvat: haud ſatis eſt, ut præſumatur licentiam hæc faciendi a Superioribus concedendam eſſe, ſi peteretur, quia aliud eſt, concederem, aliud, reipſa concedo; ergo.

Dixi *ordinarie*, quia nonnulli ſunt caſus, in quibus ex uſu communi ſufficere poteſt præſumta Superioris voluntas. Sic Religioſus poteſt de pecunia diſponere emendo librum, quem fortuito invenit, & cujus emtionem a Superiore improbandam non eſſe cognoſcit.

R. ad 2. Diviſi ſunt hic Theologi. Iis credimus adhærendum, qui cenſent ſilentium Superioris pro diſpenſatione haberi non poſſe: I. quia ad diſpenſationem requiritur voluntas conceſſiva, nec ſufficit permiſſiva, qualis in eo eſſe videtur, qui ſolum tacet. II. quia ſæpe fieri poteſt, ut Prælati ſilentium oriatur ex negligentia, nimiave puſillanimitate; adeoque licet Superior non excuſetur a culpa, non ideo præſumi debet diſpenſare. III. quia hæc opinio & tutior eſt, & non minus probabilis, quam oppoſita.

Quod ſpectat ad cauſam efficientem diſpenſationis, ante omnia certum eſt in lege humana diſpenſari aliquando poſſe, atque id conſtat. I. ex unanimi legislatorum, & ſubditorum conſenſu, quorum illi ſe certis in caſibus diſpenſare poſſe, hi vero ſecum diſpenſari poſſe ſemper crediderunt. II. ex Jure canonico, ubi plurima diſpenſationum exempla referuntur, & approbatur id S. Cyrilli Alexandrini ad Gennadium, *Diſpenſationes nonnunquam cogunt parum a debito exire*, (1. q. 7. c. 16.). III. ex Conciliis, præſertim ex Tridentino Seſſ. 25. cap. 18., ubi oſtenditur diſpenſationes aliquando neceſſarias eſſe. IV. demum ratione: quia qui legem in toto, vel in parte tollere poteſt reſpectu totius communitatis, a fortiori eandem reſpectu unius, aut alterius relaxare poteſt.

Inquirendum ergo ſupereſt, quibus competat diſpenſandi facultas. Ut ſolvatur quæſitum, notandum eſt, poteſtatem diſpenſandi aliam eſſe *ordinariam*, quæ alicui convenit ratione officii ſui; & aliam *delegatam*, quæ convenit ex conceſſione illius, qui habet ordinariam. De utraque loquimur. Itaque ſit

CONCLUSIO I. Legislator tum in ſuis, tum in prædeceſſorum ſuorum, & inferiorum legibus diſpenſare poteſt.

Prob. 1. pars, quia lex non obligat, niſi ex voluntate legislatoris; ergo ſublata hac voluntate, ut per diſpenſationem tollitur, lex obligare deſinit.

Prob. 2. pars, quia ſuperior parem cum prædeceſſoribus ſuis poteſtatem habet, neque ii ſucceſſorum manus ligare poſſunt.

Prob. 3. pars, quia ſuperior inferiorum leges approbare, aut abrogare poteſt; adeoque & in ipſis diſpenſare.

Ex his ſequitur Romanum Pontificem diſpenſare poſſe in omnibus, quæ Juris ſunt mere canonici in legibus ſuorum prædeceſſorum, in decretis Conciliorum etiam generalium, imo etiam in legibus, quas Apoſtoli auctoritate humana condiderunt. Et vero ſi id non poſſet Papa, neque id alii poterunt Epiſcopi, adeoque recurrendum erit ad Concilium univerſale, ut obtineatur diſpenſatio, quam ſine mora concedi aliquando neceſſe eſt. Idem adſtruit Eccleſiæ praxis, ſecundum quam ſæpius diſpenſatum eſt cum neophytis, & bigamis, quos tamen ab Epiſcopatu arcet S. Paulus. Cæterum multi ſunt caſus, in quibus vult ipſe Papa, ut reſcripta ſua executioni non mandentur, ut patet ex cap. 10. *De reſcriptis*.

CONCLUSIO II. Inferiores non poſſunt ordinarie in ſuperioris ſui legibus diſpenſare.

Prob. quia diſpenſatio eſt actus juriſdictionis: atqui inferior, eo ipſo quo talis eſt, nullam habet juriſdictionem in lege ſuperioris; ergo vere dixit Clemens V. *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt* (*Clem.* 2. *De electione*) id eſt, nec modificari, nec diſpenſari.

Dixi *ordinarie*; quia inferior in lege ſuperioris diſpenſare poteſt. I. cum Jus id permittit, ſive *expreſſe*, ut cum Tridentinum Seſſ. 24. c. 6. concedit Epiſcopis, ut diſpenſent *in irregularitatibus omnibus*,

&

*& suspensionibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario &c.*, sive etiam *implicite*, seu non designato singulariter dispensatore, quia verba, quibus permittitur dispensatio, necessario diriguntur ad Episcopum; cum non dirigantur ad Papam, qui hac licentia non indiget ad dispensandum.

II. cum obtinuit consuetudo, ut dispenset in lege superioris: nam dispensandi facultas, ut aufertur consuetudine legitime præscripta, sic & eadem acquiri potest. Hinc aliqui ex Galliæ Episcopis in tertio, & quarto consanguinitatis gradu, alii in quarto solum, alii non nisi cum pauperibus dispensant, &c. Hinc etiam Parochi dispensant in jejuniis ecclesiasticis, etiamsi facilis sit ad Episcopum recursus. Hinc demum Episcopus potest in sua Diœcesi dispensare in legibus Concilii Provincialis (modo reservatæ non sint), etsi ipse Archiepiscopus iisdem legibus subjaceat quoad vim coactivam.

III. cum vel levis est materia, quæ ad peccatum mortale non obligat; nimis enim molestum esset in minimis semper recurrere ad superiorem: vel sæpe recurrit dispensandi necessitas; hinc Episcopi dispensant in recitatione Officii divini, non quidem in perpetuum, sed ex causa transeunte.

IV. potest etiam Episcopus dispensare in generalibus Ecclesiæ legibus, sive sint de irregularitatibus, sive de votis Papæ reservatis, sive de impedimentis dirimentibus matrimonii non solum contracti, sed etiam contrahendi, (licet hoc ultimum rarius contingat) cum Pontifex, aut qui vices ejus gerit, non nisi difficillime adiri potest, ob locorum distantiam, vel paupertatem eorum, qui dispensatione indigent, & est periculum in mora sive infamiæ, & scandali, sive gravis alterius mali.

Quæres, an inferior dispensare possit in lege, quam superior sibi expresse non reservavit.

R. negat. quia inferior superioris jura mutare non potest, nisi ex ejus consensu: sed superior facultatem hanc inferiori concessisse non censetur eo ipso, quo eandem sibi non reservavit. Hinc Honorius III. redarguit Episcopum, qui eadem die plures Sacros Ordines contulerat, quia hæc *dispensatio ei a canone minime permissa* erat, ideoque prohibita, unde etiam multæ sunt irregularitates, & inhabilitates, in quibus Episcopi dispensare non possunt, quia id eis Jure permissum non est, licet nec id eis sit prohibitum.

Nec nocet, quod aliquando superior legis dispensationem sibi reservet; hoc enim fit ad majorem cautelam: abundans autem cautela non nocet, nec ex ejus defectu quidquam colligi potest.

Nec rursus nocet, quod Episcopus vi Officii sui in Diœcesi sua posse dicitur, quidquid potest Papa in tota Ecclesia, nisi potestas ejus limitetur: nam axioma illud nec in Jure Canonico habetur, nec nititur firma ratione: imo veritati repugnat, si generaliter accipiatur, ut verba sonant: alioqui enim posset Episcopus ponere impedimenta matrimonium dirimentia, Confirmationis conferendæ potestatem simplici Presbytero committere, novos Episcopatus instituere, quæ omnia falsa sunt. Citatum igitur axioma hoc solum sensu verum est, vel quod Episcopus possit id omne, quod sibi seu a Jure, seu consuetudine legitima permissum est; vel quod possit de Jure communi ea omnia in sua Diœcesi exercere, quæ ad ordinariam ejus gubernationem necessaria sunt, cum debita tamen canonicis legibus subordinatione.

In dubio an dispensatio sit necessaria in tali casu, potest Episcopus dispensare: sicut enim votum non reservatur Papæ, si dubium sit; sic nec lex in dubio eidem reservatur. Unum addo, eum scilicet, qui in lege aliqua dispensat, posse una cum dispensatione jungere commutationem, & aliquod pium opus imponere, quod loco actus per legem præscripti exerceatur: sic ei, qui a jejunii lege dispensatur, imponi potest eleemosyna, modo non per modum stipendii, quod dispensator percipiat: hoc enim vetat Tridentinum Sess. 25. cap. 28. de reformat.

Quod spectat ad potestatem delegatam dispensandi, hæc de ea communiter traduntur: I. qui potestatem ordinariam dispensandi habet, eam aliis delegare potest, ut ipsa utantur juxta formam ab ipso præscriptam. II. delegatus, si potestatem pure delegatam habet, non potest eam subdelegare, quia potestatem hanc non accipit ut dominus, sed ut simplex executor.

Excipiuntur I. delegatus Papæ, & cujuslibet Principis superiorem non cognoscentis, qui in his, quæ sibi a superiore prohibita non sunt, potest alium subdelegare; non sic tamen, ut huic concedat potestatem subdelegandi. II. delegatus ad universitatem causarum in aliquo genere, vel loco: unde Decanus ruralis, aut quilibet alius, etiam ab officio ad Episcopi nutum amovibilis, cui omnium certi generis causarum, v. g. matrimonialium, vel omnium prorsus, sed in certo loco cognitio; & examen commissa fuerint, potest unam, alteramve causam, non tamen ipsam causarum universitatem alii committere. III. delegatus, cui permiserit expresse, aut tacite delegans, ut alium subdeleget, quia tunc subdelegatus non accipit jurisdictionem a delegato, sed ab ipso Ordinario.

Quæres, quinam a legibus dispensari possint.

R. dispensationem, utpote jurisdictionis actum, non nisi in subditos exerceri posse. Etsi vero legislator non sit sibimetipsi subditus, potest tamen sibi dispensationem procurare, seu dispensando cum communitate, cujus est pars, seu tribuendo alteri potestatem, vi cujus ab eo dispensetur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *An legitima sit dispensatio sine causa.*

SEnsus quæstionis est: I. an dispensatio sine causa sit semper illicita. II. an sit aliquando valida. Sit

CONCLUSIO I. Dispensatio sine causa est illicita tum ei, qui concedit, tum ei, cui conceditur.

Prob. I. pars: quia talis dispensatio imprudens est, & irrationabilis, prout a communi onere eum eximit, qui non est eximendus, adeoque includit vitium

acceptionis personarum, & alios, qui sub lege gemunt, querelis exponit: uno verbo, non tam est dispensatio, quam *crudelis dissipatio*, ut vivide loquitur S. Bernardus Lib. 3. *de consid.* c. 4.; ergo sine peccato concedi non potest.

Est autem peccatum illud ex genere suo mortale, si materia gravis sit: quia peccatum illud grave censeri debet, quo quis agit contra officium proprium, bonum commune, & charitatem, præbendo occasionem peccandi bene multis, qui putant idem sibi licere, quod aliis, quos absque ulla speciali causa ab observandis legibus abstinere vident. Si vero legis materia levis sit, vel leviter præcepta, peccatum, per se loquendo, solum veniale erit. Sed hic nota eum, qui dispensationem male datam non revocat quoad usum futurum, peccare, quandiu non revocat; sicut qui furatus est, peccat, quandiu non restituit.

Obj. Quotidie a tribus, & amplius sæculis dantur in Curia Romana dispensationes, quæ dicuntur sine causa; ergo.

R. Papam in harumce dispensationum concessione, hac formula uti: *Ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*; unde sequitur, eas dispensationes in rei veritate non concedi sine causa, tametsi causa non exprimatur. Præterea qui hujusmodi dispensationes obtinent, notabilem pecuniæ summam Cameræ Apostolicæ solvunt: hæc autem summa transit in partem causæ, quia summus Pontifex ipsam impendit in usus Reipublicæ Christianæ necessarios, aut summe utiles; v. g. ut Principibus Christianis opitules̄tur, ut ope Missionum fidem extendat; eæ ergo dispensationes non immerito per Ecclesiæ consensum receptæ sunt, ut notat Illust. de Marca. Certe si nobilitas ad obtinendam dispensationem inserviat, quidni eundem in finem inservire possit copiosa eleemosynarum largitio?

Prob. 2. pars: qui enim sine legitima ratione dispensationem obtinet, peccat: I. eam petendo, quia alium inducit ad peccatum. II. eam etiam ultro oblatam acceptando, quia peccato superioris cooperatur. III. ea utendo, etiam cum valida est: etsi enim tunc legem humanam non violat, quia ea ligari desiit, violat tamen legem naturæ, quæ præcipit, ut pars sine causa non discordet toto: hujus autem peccati gravitas a materiæ gravitate repetenda est. Non peccat tamen, sive qui bona fide existimat se legitimam habere petendæ dispensationis causam, sive qui dubius, an sufficientem habeat, totum ejus examen superiori relinquit, & ejus judicium expectat.

CONCLUSIO II. Dispensatio sine causa valida est, si concedatur a legislatore in propria lege, aut ab ejus superiore, vel æquali: invalida vero est, si concedatur ab inferiore in lege superioris, v. g. a Papa in votis, & juramentis, quæ sunt de jure divino; aut ab Episcopis in impedimentis matrimonii, quæ sunt leges universalis Ecclesiæ, cui inferiores sunt Episcopi.

Hæc secunda pars ab omnibus admittitur, & merito; quia superior non censetur dare inferiori potentiam dispensandi imprudenter, & absque ratione; quin & inferior scienter dispensans sine causa, peccat mortaliter, si lex natura sua obliget ad mortale, nec minus graviter peccat, qui sciens, & volens dispensationem sine causa sollicitat; imo etsi dispensator, qui dispensationem concedit sine causa, ob bonam fidem a peccato excusari possit, haud tamen excusatur subditus, qui sciens se nullam habere causam, dispensationem petit, quia nemini licet alterum inducere ad peccatum etiam materialiter sumtum. His præmissis

Prob. 1. pars, quæ magis controvertitur: lex vim suam a legislatoris voluntate totam habet; ergo sicut potuit legem non condere, aut eam abrogare sine causa, aut ab initio decernere, ut hos solum, non illos obstringat, ita valide poterit etiam sine causa, quos voluerit, ab ejus vinculo eximere.

Obj. I. Legislator non potest secum dispensare valide sine causa, alioqui lege sua non obligaretur, cum obligatio, quæ ad nutum, & sine causa tolli potest, non sit veri nominis obligatio; ergo neque cum aliis dispensare potest sine causa.

R. Vel legislator directe legibus suis tenetur, & tunc secum dispensare potest valide, etiam sine causa, nec tamen desinet peccare contra naturæ legem, quæ vult, ut quis cum potest, patiatur legem, quam ipse tulerit: vel non tenetur legibus suis vi ipsarum, & tunc mirum non est, si secum dispensare nequeat in lege, cui non subjacet.

Obj. II. Peccat subditus, qui utitur dispensatione, quam obtinuit sine causa: atqui non peccat, nisi quia lege tenetur non obstante dispensatione; ergo.

R. neg. min. Ideo enim injuste dispensatus peccat, & quidem contra eandem virtutem, contra quam peccant ii, qui dispensati non sunt, quia lex naturæ vult, ut qui nullam habent ab aliis dissentiendi rationem, iis non discordent: porro qui sine causa dispensati sunt, nullam revera rationem habent ab iis abstinendi, ad quæ alii vi legis humanæ tenentur; ergo vere peccant, non quia subsistat erga eos lex humana, (unde censuras non contrahunt, si quæ latæ sint); sed quia eadem lex erga ipsos, ac erga alios subsistere deberet.

Quæres I. quæ sint legitimæ dispensationis causæ.

R. non posse una aliqua generali regula definiri quæ, vel qualis causæ requiratur, aut sufficiat ad dispensationem, sed habendam esse rationem temporis, utilitatis, necessitatis, meriti, & conditionis personarum. Hic tamen pro certo supponi potest: I. dispensandi causam non debere esse tantam, ut per se sufficiat ad tollendam legis obligationem, quia sic non esset opus dispensatione, sed tantum interpretatione. II. causam justam non consistere in indivisibili: adeoque superioris esse quibusdam totum legis onus remittere, quibusdam partem oneris, quibusdam aliud onus imponere, minus tamen ipso legis onere, quia alioqui non esset dispensatio, sed commutatio. III. causam dispensandi eo debere esse graviorem, quo gravioris est momenti lex, in qua dispensatur: unde causa, quæ sufficit, ut Canonicus a residentia eximatur, non sufficit, ut ab ea eximatur Episcopus. IV. per dispensationem infligi vulnus legi; adeoque necessum esse, ut vulnus illud alterius boni accessione compensetur, juxta id S. Bernardi cap. 2. de præcept. &c.

No-

*Novit fidelis servus, & prudens ibi tantum usurpare dispensationem, unde bonam possit habere recompensationem*, &c. L. 2. de consid. *Ubi necessitas urget, excusabilis; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas, dico, communis, non propria.* Ratione necessitatis dispensatur a jejunio, qui sine gravi incommodo jejunare non potest; ratione utilitatis dispensatur ab irregularitate, qui Ecclesiæ obsequium præstare potest. Porro id propter communem utilitatem, non autem simpliciter privatam factum censetur, quod ita fit ob rationale bonum privatæ personæ, ut in aliorum damnum non cedat. Ratio est, quia exigit bonum commune, ut superior privatorum bonum procuret, quantum id fieri potest absque jactura boni communis.

Quæres II. an valeat dispensatio, cum causa dispensandi sufficiens adest, sed incognita dispensatori.

R. I. Valet, si detur a superiore in lege sua; quia si superior valide dispensat sine causa, valide etiam dispensat sine cognitione causæ.

R. II. videtur etiam valere, si ab inferiore concedatur: I. quia dispensatio, quæ ad sui valorem requirit causam, non dependet a causæ cognitione, sed ab ipsa causæ existentia; ergo valet ea dispensatio, etiamsi non cognoscatur causa, sicut valet electio capacis ad Beneficium, licet elector non cognosceret capacitatem ejus, ut colligitur ex cap. 44. *De electione.* II. quia jus non requirit cognitionem causæ ad hoc ut valida sit dispensatio, sed solum ut sit licita; ut hinc patet, quod jus cognitionem causæ requirat pro superiore ipso, qui tamen sine ea valide dispensat.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De defectibus, qui Dispensationem irritare possunt.*

NOt. I. Defectus, qui dispensationes faciunt irritas, alii se tenent ex parte dispensantis, alii ex parte illius, qui dispensationem postulat. Defectus ex parte illius, qui dispensat, sunt præcipue: I. defectus jurisdictionis, quo nullus est major: unde quivis Episcopus serio inquirere debet, quid possit necne. II. defectus examinis, an scilicet causæ ad obtinendam dispensationem allegatæ sufficiant.

Defectus ex parte illius, qui dispensationem sollicitat, sunt subreptio, & obreptio. Subreptio est subticentia veritatis alicujus, quæ exponi debet juxta legem, Cancellariæ regulas, & stylum; nam stylus jus facit. Obreptio est narratio falsi: unde patet dispensationem subreptitiam eam esse, quæ obtenta est per subticentiam veri; obreptitiam vero, quæ obtenta est per narrationem falsi.

Not. II. Causa obtinendæ dispensationis duplex est. Alia *motiva*, seu finalis, quæ principaliter movet ad concessionem dispensationis, ita ut illa sublata dispensatio vel nullo modo, vel non nisi cum quibusdam conditionibus, aut limitationibus concederetur; alia *impulsiva*, quæ licet principaliter, & quasi ab intrinseco non determinet dispensatorem, efficit, ut facilius concedatur dispensatio, quæ tamen eodem pacto, & forma, licet multo difficilius concessa fuisset. Si vir infirmus, & doctus a jejunii lege eximi velit, infirmitas est causa motiva, doctrina vero, & pietas causæ sunt impulsivæ. His positis, sit

CONCLUSIO. Non quæcumque falsitatis expressio, vel suppressio veritatis dispensationem facit obreptitiam, vel subreptitiam; sed tunc solum cum tacetur veritas, quæ de jure, stylo, vel consuetudine debet exprimi; aut allegatur falsum, cujus expressio est causa finalis, ob quam superior dispensare intendit, alias non dispensaturus.

Prob. 1. pars: quia multa sunt, quæ si exprimerentur, vel retardarent Pontificem a concessione gratiæ, vel eum prorsus averterent, ut quod petens sit alicui vitio deditus, quod inimicus, &c. Multa item sunt, quæ, si supprimerentur, Pontifex non semper concederet, ut quod petens sit vir doctus: atqui tamen ex omnium confessio nec hæc, nec illa vitiant dispensationem; ergo potest vel aliquid veri reticeri, vel falsi quidpiam exprimi, absque eo quod dispensatio sit subreptitia, vel obreptitia, vel potius ob subreptionem, vel obreptionem invalida.

Confirm. Qui dat eleemosynam ei, quem credit devotum, & pium, alias non daturus, si impium cognosceret, vere ei dominium tribuit, modo reipsa pauper sit, quia pietas non est causa motiva eleemosynæ, sed solum impulsiva; paupertas vero non est causa impulsiva solum, sed finalis; ergo a pari in proposito. Unde clausula hæc *si preces veritate nitantur*, intelligi debet de veritate substantiali, nimirum causæ motivæ; non autem de veritate accidentali, seu causæ impulsivæ.

Prob. 2. pars. Dispensatio non est valida, nisi adsit consensus illius, qui dispensat: atqui cum supprimitur id, quod de jure exprimendum est &c., deest consensus dispensantis. Is enim non vult dispensare, nisi res se se habeat hoc, vel illo modo, sine quo dispensatio vel nullatenus, vel saltem tali forma non conceditur; ergo.

Hinc colliges fieri aliquando posse, ut subreptio, & obreptio invalident dispensationem, quæ non defuisset concedi, etiamsi dispensator rem totam cognovisset; prout communiter docent Interpretes in celebre cap. 20. *De Rescript.* Ut autem id melius intelligi possit,

Quæres I. an valeat dispensatio, si dispensans in rescripto erraverit, & v. g. nomen Titii expresserit pro nomine Caii.

R. valere, si de persona certo constet, quia error in nomine nec mutat intentionem dispensantis, nec ullam cum dispensatione intrinsecam connexionem habet.

Quæres II. an idem dicendum, si error profectus sit ab oratore, qui nomen suum occultare voluerit, ne cognosceretur a Pontifice, quem alioqui sciebat dispensationem ex odio negaturum.

R. affirmat. quia tunc nihil tacetur, quod connexionem habeat cum materia dispensationis, quia & talis dolus id habet boni, quod impedit, ne superior ex odio procedat. Hæc tamen dispensatio vix posset executioni mandari in exteriori foro.

Quæres III. an valeat dispensatio, si erratum sit in nomine Diœcesis.

R. affirmat. quia in rescriptis non tam verba, quam intentio Papæ spectari debent: atqui hæc esse solet Papæ intentio, ut rescriptum suum ad oratoris Ordinarium dirigatur; ergo Ordinarius petentis rescriptum illud executioni mandare potest. Si oratores diversarum sint Diœcesum, erit utraque explicanda ex inconcusso stylo Datariæ, & Cancellariæ, cujus mens est, ut litteræ Dispensationis semper committantur Ordinario oratricis.

Quæres IV. an vitietur rescriptum, si scriptor Brevis ex errore unum impedimentum pro alio, v. g. tertium affinitatis gradum pro tertio consanguinitatis gradu scripserit.

R. valere hoc rescriptum, modo reipsa constet veritatem superiori expressam fuisse. Ratio est, tum quia rescriptum vim habet a voluntate Pontificis, tum quia cap. 6. *De rescriptis* in 6. dicitur verba rescripti stricte explicanda esse, *nisi de intentione mandantis aliud appareat expresse*: porro in præsenti casu non apparet expresse Pontificem dispensare voluisse in impedimento, quod sibi propositum non fuit, sed in eo, de quo sibi propositum fuit.

Quod si orator ex inadvertentia loco unius vinculi aliud expresserit, non valet dispensatio: quia etsi facilius dispensasset Pontifex in affinitate v. g., quam in consanguinitate, reipsa tamen non dispensavit in eo, quod ipsi propositum non fuit; inadvertentia autem excusat quidem a culpa, sed non facit, ut validum sit id, quod de se invalidum est.

Aliter dicendum, si orator per errorem scripserit se esse consanguineum in secundo gradu, cum esset in tertio. Ratio est, quia qui dispensat in majori, dispensat in minore, saltem cum minus continetur in majori. Et vero si petierit quis dispensationem ad Beneficium, quod deinceps agnovit simplex esse, non autem duplex, ut annuntiaverat, quis eum ad Beneficium simplex inhabilem putet? Favet hæc Juris regula: *Non debet cui plus licet, & minus non licere* (*Leg.* 21. *ff.*)

Quæres V. an valeat dispensatio, cum plures allegantur causæ, quarum una falsa est, alia vera, & talis, ob quam, etiam si sola exposita fuisset, summus Pontifex dispensaret: v. g. Titius exponit I. se cum Livia rem turpem habuisse. II. gravem commercii hujus suspicionem exortam fuisse, adeo ut oratrix, nisi matrimonium contraheretur, remaneret diffamata, scandalaque inde exoritura essent. Ex his causis secunda, quæ ad dispensationem sufficere solet, vera est; prima vero falsa: quid Juris?

R. I. si ex pluribus causis una causa sufficiens integratur, non valere dispensationem: quia tunc quælibet, seorsum sumta, insufficiens est; ergo si una ex iis falso proponitur, corruit fundamentum, cui innititur voluntas dispensantis.

R. II. si ex pluribus causis, quæ proponi possent, una solum proponatur, quæ falsa sit, irritam esse dispensationem, quia Pontifex non intendit dispensare, nisi ob hanc causam, quæ reipsa nulla est.

R. III. si ex pluribus causis, quarum unaquæque sufficiens erat, quædam falso proposita sit, ut in casu allato, probabilius est, quod dispensatio non valeat. Ratio est, quia is est Curiæ stylus, prout docet Pyrrhus Corradus, qui cum unus esset e præcipuis Romanæ Cancellariæ ministris, & dispensationum materiam apprime intelligeret, magni in hisce casibus momenti esse debet.

Nota obiter, irritam esse dispensationem ei concessam, qui vinculum, cujus relaxationem petit, v. g. votum castitatis, proponit ut dubium, cum sit certum; etsi interim alleget veram causam, v. g. carnis stimulos. Talis enim error est in substantia rei, cum Pontifex non dispensaverit in voto certo, sed in dubio; ergo non valet dispensatio hæc, sicut non valeret remissio debiti obtenta, allegata vera paupertate, & falsa debiti dubitatione. Quod si quis veram alleget causam, eamque probet falsis testibus, dispensatio valida est, quia preces veritate nituntur.

Quæres VI. an valeat dispensatio, cum qui eam obtinuit, non expressit eandem sibi jam negatam fuisse: aut cum nullam præcedentis dispensationis mentionem fecit.

R. ad I. affirmative: I. quia nec jus ullum, nec stylus, aut consuetudo id exprimi requirunt. II. quia ea dispensatio obtinetur a superiore, qui vult, & potest eam concedere; unde valet dispensatio concessa ab Episcopo, quam vel prædecessor ejus, vel Vicarius denegaverat.

An autem possit inferior dispensationem a superiore denegatam concedere, controvertitur. Negat Sanchez, quia cum Pontifex v. g. negat alicui dispensationem, judicat causam, ex qua petitur, insufficientem esse; ergo videtur aliis auferre facultatem in hoc casu dispensandi, cum iis permittere non possit, ut ex causa insufficiente dispensent; ergo, nisi nova ipsis proponatur causa, quæ superiori proposita non sit, dispensare non possunt; ergo saltem dubium erit, an dispensatio ab inferiore concessa sit valida: unde non licebit eadem uti; tum quia nefas est, dubium v. g. matrimonium attentare; tum quia cum impedimentum certum est, dispensatio vero dubia, possessio stat pro impedimento.

R. ad II. dispensationem sine mentione præcedentis obtentam, aliquando validam esse, aliquando non.

Valet I. cum vel utraque dispensatio ad res plane diversas pertinet: ut si qui olim dispensationem in voto castitatis obtinuit, nunc dispensationem petat in jejunio; aut qui hanc pro Quadragesima anni præcedentis petiit, eandem pro Qudragesima anni currentis postulet; aut qui dispensationem obtinuit, ut consanguineam unam, aut affinem duceret, ea usus non est, vel si ea usus est, mortua est consanguinea, quam duxerat.

Valet II. etiam in eadem causa, si prior dispensatio nulla fuit: tum quia *non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum* (*Reg.* 52. *in* 6.); tum quia nullum est jus, quod satis probet invalidam esse dispensationem, quæ sine præcedentis invalidæ mentione obtinetur.

Non valet vero, cum primæ dispensationis obtentio moraliter valde adauget difficultatem concessionis secun-

secundæ, adeo ut omissa primæ dispensationis mentione, dispensans vere non intelligat, an causa sibi proposita qualitatem, & quantitatem gratiæ adæquet.

Hinc I. non valet dispensatio ad secundum Beneficium, nisi exprimatur primum etiam modicissimum. II. dispensatus super residentia ad quinquennium, subreptitie dispensatur ad aliud quinquennium, nisi prioris dispensationis mentionem fecerit. III. qui impetravit dispensationem super impedimento criminis, v. g. uxoricidii, & in idem scelus relabitur, debet prioris dispensationis meminisse, si novam in eodem genere impetrare velit, quia jure sancitum est, ut *remissionem veniæ criminis, nisi semel commissa, non habeant*. L. 3. Cod. *De Episcop. audientia*, &c.

Quæres VII. an duplici ligatus impedimento teneatur utriusque mentionem facere in obtinenda dispensatione.

R. I. id non esse necessarium, cum dispensatio ad diversum finem obtinetur: unde qui vult dispensari in voto castitatis, non debet exprimere se irregularem esse.

R. II. si dispensatio ad eundem finem tendat, v. g. ad unum matrimonium, faciendam esse mentionem omnium impedimentorum: I. quia sic usu stylo Curiæ receptum est. II. quia alioqui decipitur Pontifex in re intrinseca dispensationis, & qua cognita, vel dispensationem non concederet, vel non eadem forma. Et vero quis credat validam esse dispensationem concessam homini, qui octo impedimentis dirimentibus laborans, octo seorsim dispensationes petiit?

Addit Sanchez non referre, scienterne, an ignoranter quis unum impedimentum tacuerit: tunc enim verum est id suppressum fuisse, quo cognito, vel negata fuisset dispensatio, vel non eodem modo concessa: hinc si quis castitatis, aut religionis voto ligatus contrahere velit cum consanguinea, debet utrumque voti, & consanguinitatis impedimentum in eadem *supplicatione* exprimere. Qui tamen prius a Papa, aut ab Episcopo voti castitatis dispensationem obtinuisset, velletque postea consanguineam ducere, nova super voto suo dispensatione non indigeret, nec tenetur ad faciendam mentionem dispensationis prius obtentæ.

Porro nostra hæc doctrina de necessitate omnia simul impedimenta aperiendi limitatur, cum impedimentum unum alia, quam dispensationis via auferri potest: unde si quis consanguineam ducere velit, & castitatis votum emiserit ante pubertatem, non tenetur voti hujus meminisse, cum dispensationem petit, secundum eos, qui votum ante pubertatem emissum, & post eam non ratificatum a parentibus irritari posse putant. Cum unum impedimentum est publicum, aliud non, dispensatio impedimenti publici petitur a Dataria, occulti vero a Pœnitentiaria, cui tamen explicandum est ex stylo, & praxi ejus petitam esse, aut petendam a Dataria publici impedimenti dispensationem; tunc enim expendere possunt Pœnitentiariæ Ministri, an concurrente duplici hoc impedimento dispensare expediat, necne, idque sine ulla oratoris infamia, quia in obtinenda apud Pœnitentiariam dispensatione non exprimuntur oratorum nomina.

Hic notand. eos, qui a S. Sede dispensationem obtinere cogitant, præsertim in impedimentis matrimonii, multo melius sibi consulere, si ante omnia de re tanti momenti conferant cum Parocho suo, eique, & per ipsum Episcopo, vel Officiali ejus nudam, ut se habet, veritatem aperiant: ne vel petant dispensationem, quæ peti non debet, vel falsis de causis obtineant; vel cum novis sumtibus de novo petere teneantur id, quod vi expositionis minus accuratæ male obtinuerunt. Curare etiam debent Parochi, ut Parochianos suos hoc in casu officii sui admoneant, iisque declarent Ecclesiam non nisi ægre, & quasi ad duritiam cordis concedere dispensationes, quæ semper aliquod disciplinæ canonicæ vulnus inferunt.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

*An cessante Dispensationis causa, cesset dispensatio.*

Causa dispensationis duplex hic distinguitur, motiva, & efficiens; de utraque paucis loquimur.

Quæres itaque I. an cessante causa motiva, corruat & ipsa dispensatio: an v. g. Petrus, qui dispensationem petiit, ut Mariam sibi affinem duceret, ne ob defectum dotis innupta maneret, eandem ducere possit, posito quod ea ante nuptias pinguem recipiat hæreditatem.

R. I. validam esse dispensationem, si causa, qualis est in præsenti paupertas futuræ sponsæ, vera sit tempore tum impetrationis, tum fulminationis litterarum. Ita ad me rescriptum est Roma. Quod si preces veræ esse desinant, cum Officialis ad executionem procedit, jam nulla ab eo concedi potest dispensatio, ut a contrario patet. Idem dicendum si preces verificentur ex dolo eorum, qui dispensari volunt. Unde si oratores falso allegassent copulam carnalem, & inde subsequens infamiæ periculum, & consulto copulam habuissent carnalem, ut preces executionis tempore verificarentur, perperam cum iis dispensaretur, quia nemini dolus patrocinari debet.

R. II. valere adhuc dispensationem, si post ejus fulminationem, & ante contractum matrimonium puella fiat dives, & hæc decisio probatur: I. quia ex reg. 73. Juris in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*. II. quia obligatio semel absolute extincta non reviviscit: atqui impedimentum, de quo agitur, legitima auctoritate extinctum est; idque absolute: nec ulla unquam visa est dispensatio, in qua expressum fuerit eam cessaturam cessante causa. Hinc ex omnium confesso si irregularis ad ordines dispensetur ob suam, aut parentum paupertatem, ea etiam desinente valebit dispensatio; ergo idem dicendum in præsenti casu, aliisque omnibus, in quibus actus, ad quem datur dispensatio, non habet tractum successivum: si enim haberet, ut jejunium Quadragesimæ, & carnium comestio, in quibus dispensatio, quæ datur, est virtualiter multiplex, haud dubie dispen-

ſatio non valeret pro eo tempore, quo tolleretur ipſius cauſa.

Non valeret tamen eadem diſpenſatio, ſi puella nondum fulminata Pontificis diſpenſatione, hæres inſtitueretur, & ne gratia careret, cederet hæreditati in gratiam alterius; talis enim renuntiatio vera eſt donatio: qui autem donat, pauper cenſeri nequit. Imo ſi puella non renuntiet in gratiam alterius, ſed tantum non acceptet, ne diſpenſationis effectu fraudetur, diſpenſatio ejus mihi admodum dubia videbitur, quia cum jam non nubat conſaguineo metu paupertatis, ſuperceſſe videtur, ut eum ducat ex quadam paſſione. Ad minus ergo hoc in caſu conſulendus eſt Epiſcopus.

Hac occaſione nota plerumque invalidas eſſe diſpenſationes, quæ conceduntur *in forma pauperum*, quia ſæpius ſub hac forma petuntur ab iis, qui ſatis divites ſunt, ut *compoſitiones*, *aliaque Officialium* Curiæ Romanæ *jura* ſolvere poſſint. Ii autem ex Curiæ ſtylo in forma pauperum diſpenſari poſſunt, qui ambo *adeo pauperes*, *& miſerabiles exiſtunt*, *quod ex labore*, *& induſtria ſua tantum vivunt*, & aliter vivere non poſſunt. Docet tamen Pontas (*Diſpen. matrim. caſ.* 20.) eum poſſe pauperem cenſeri, qui non niſi mille in bonis nummos habet: neque ab hoc recedit auctor Collat. Andeg. cum inter pauperes eos recenſet, qui aliquem quidem habent reditum, ſed ſuſtentationi ſuæ, & oneribus matrimonii imparem, niſi accedat labor, & induſtria. Idipſum dicunt alii de iis, qui vel *caſualia* ſolum bona habent, etiam in magna quantitate, qualia ea ſunt, quæ Regio favore conceduntur; vel ea bonis immobilibus non plus poſſident, quam ad ſuſtentationem ſtatui ſuo conſentaneam. Fatendum tamen oratores, qui in eo ſunt ſtatu, teneri ad exactam tum bonorum ſuorum, tum etiam conditionis ſuæ expoſitionem: quia alioqui diſpenſatio nulla foret, & ſubreptitia. Idem dico cum Pontas de iis, qui ex labore, & induſtria vivunt, & quos inter non pauci ſunt, qui in forma pauperum diſpenſari non poſſint, cum multi hac arte magnas opes comparent: unde tutius eſt, ut in his dubii caſibus omnia nude, & ſimpliciter Pontifici declarentur, ut vel abſolute in forma pauperum diſpenſet, vel levem mulctam imponat.

Sed quid, ſi filia parentes divites habet, quorum hæres eſſe debet, eritne pro paupere habenda, quia nihil actu poſſidet, aut quia pater eandem dotare non vult?

R. negat. cum ſanioribus Juriſconſultis: quia, ut ait Pyr. Corradus Lib. 7. cap. 2. n. 13. *Parum refert, quod juxta præſentem ſtatum nihil habeat illa, quæ jus habet ſuccedendi in bonis parentum, ac eos compellendi ad illam dotandam ſtatim juxta ipſius oratricis qualitatem .... quod procedit, etiamſi pater ob aliquam cauſam recuſaret illam dotare &c.* unde in hoc caſu *deſtinatum habetur pro facto*. Si tamen *frater aut quicumque alius* puellam *dotare intendat*, *dummodo nullum præceſſerit dotandi pactum*, *per quod dictæ oratrici jus irrevocabile quæratur*, *vel etiamſi fuerit pactum dotandi*, ſub conditione *ut nubat conſanguineo ſuo*, puella, *cum nullum jus habeat ad dotem*, *dicitur vere pauper*, *non obſtante certitudine*, *quod a fratre dotanda erit*, *& ſic ſervatur in praxi*. Ita idem n. 24.

Quæres, an diſpenſatio ceſſet per mortem diſpenſatoris.

R. negat. patet ex quotidiana praxi. Nec obſtat hæc juris regula, *Mandatum*, *re integra*, *domini morte finitur*: ea quippe intelligi debet de mandato ad litteras juſtitiæ exequendas, quod morte mandantis expirat, cum *res* adhuc *eſt integra*, id eſt, cum delegatus necdum uti cepit Juriſdictione; non autem de reſcriptis, quibus vel gratia actu conceditur, vel jus certum ad eam acquiritur. Unde infero facultates illimitate conceſſas extra contentioſam juriſdictionem, ut ſunt litteræ dimiſſoriæ, facultates audiendi confeſſiones unius, vel multorum, abſolvendi a cenſuris, & caſibus reſervatis, eligendi Confeſſarium, commutandi vota, & juramenta, diſpenſandi tum in iiſdem, tum in impedimentis matrimonii; item licentiam non reſidendi ſtudiorum cauſa, aut celebrandi Miſſas in domo privata, vel in loco non benedicto, aliaſque id genus gratioſas conceſſiones non expirare obitu concedentis.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De Lege non ſcripta, ſeu de Conſuetudine.*

CONſuetudo eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, ubi deficit lex.

Dicitur I. *jus*, in quo convenit cum lege, & differt a more, ſeu uſu, qui nihil aliud eſt, quam repetitio actuum, quæ potius eſt cauſa conſuetudinis, quam conſuetudo, licet vocetur conſuetudo *facti*, ut diſtinguatur a conſuetudine *juris*, quam nunc definimus.

Dicitur II. *inſtitutum moribus*, id eſt, ea actuum repetitione, quæ, ut modo dicebam, vocatur conſuetudo facti. Conſuetudo, ut moribus inſtituta, differt tum a lege, quæ ea ſola Principis voluntate pendet, tum a ſtylo Curiæ, qui vim legis habet in his præcipue, quæ judicia concernunt; cum conſuetudo certam materiam non reſpiciat.

Dicitur III. *quod pro lege ſuſcipitur*, quia *inveterata conſuetudo pro lege cuſtoditur*, L. 32. ff. *De Legib.*

Dicitur IV. *cum lex deficit*: hic enim ſermo eſt de conſuetudine juris, quæ vel ſtatuit ea, quæ lege ſcripta definita non ſunt, vel legem ſcriptam limitat, interpretaturve, aut abrogat, ideoque contrarium jus inducit, prohibendo id, quod antea licitum erat: aut permittendo id, quod non licebat.

Conſuetudo latius ſumta multiplex diſtinguitur. I. enim alia eſt *ſecundum legem*, alia *præter legem*, alia *contra legem*. Prima nihil aliud eſt, quam executio legis præexiſtentis. Secunda ea eſt, per quam jus novum introducitur, & quæ ſupra definita eſt. Tertia ea eſt, quæ legem antecedentem abrogat, facitque licitum id, quod alias illicitum erat, licet nullam ejus faciendi neceſſitatem imponat, talis eſt con-

conſuetudo, quæ in Caſtella viget veſcendi die ſabbati extremis, & inteſtinis animalium.

II. Conſuetudo alia eſt rationabilis, alia irrationabilis, quæ potius eſt corruptela.

III. Conſuetudo alia eſt canonica, alia civilis. Prima locum habet in materia eccleſiaſtica, & hæc etiam a laicis introduci poteſt, ut conſuetudo ſervandi tale feſtum; ſecunda verſatur circa materiam temporalem, & a Clericis induci poteſt.

Quæres I. quot requirantur conditiones, ut conſuetudo vim legis habeat, aut legem abroget.

R. requiruntur quinque, & quidem I. conſuetudo eſſe debet rationabilis, qualis ea ſola cenſetur, quæ obligaret, ſi pro lege ſtatuta eſſet; unde eſſe debet honeſta, utilis, nec juri naturali, divinove contraria. etſi contraria eſſe poſſit legi poſitivæ.

At, inquies, quomodo juſta eſſe poteſt conſuetudo *contra legem*, quæ eo ipſo quod eſt lex, ſemper juſta eſt?

R. quod licet lex ſit rationabilis, occurrere tamen poſſunt circumſtantiæ, in quibus magis expediat ipſam non obſervari, unde lex illa poterat auferri per novam legem: hujus autem novæ legis vices tenet conſuetudo, quæ cum uſque ad certum gradum increvit, jam rationi conſonum eſt, & Reipublicæ expediens, ut legiſlator legem ſuam revocet, ne multitudo aliud agere aſſuefacta, ſemper peccet contra legem, cujus, ob uſus contrarios, obſervantia non niſi difficilis videri poteſt. Hinc ſæpe peccant, qui conſuetudinem contra leges introducunt, etſi non peccent, qui eam ſequuntur, cum lex jam per eam abrogata eſt.

II. Conſuetudo debet eſſe præſcripta, id eſt, continuata per illud temporis ſpatium, quod ad legitimam præſcriptionem requiritur. Hoc autem tempus ex meliori ſententia eſt decennium, ſi agatur de conſuetudine *præter*, aut *contra* legem civilem; quia in jure decennium habetur pro longo tempore, quale ad hanc præſcriptionem requiritur. Et hoc intelligi ſolet, etiamſi Princeps abſit, aut ignoret: ſi enim vel adſit, vel abſens cognoſcat conſuetudinem, quæ graſſatur, & non contradicat, cum facile contradicere poteſt, ſpatium etiam decennio minus ſufficit, quia tunc jus novum non inducitur ipſa præſcriptione, ſed tacito Principis conſenſu, de quo pro circumſtantiarum varietate aliquando longiori, aliquando breviori tempore conſtare poteſt.

Idem etiam decennium ſufficit ad introducendam conſuetudinem *præter* jus Canonicum, quia nulla eſt lex, quæ plus requirat temporis in hoc caſu, quam in præcedenti. Verum ſi agatur de præſcriptione contra legem canonicam, vel eccleſiaſticam uſu receptam, requiruntur anni 40., quia lex eccleſiaſtica eſt jus quoddam, ſive res immobilis Eccleſiæ; hæc autem non præſcribuntur, niſi annis 40. ut patet ex capit. 4. 6. 15. *De præſcrip.* Quod ſi lex canonica moribus utentium nondum recepta ſit, annorum decem ſpatio abrogari poteſt.

III. Actus, qui conſuetudinem inducunt, debent eſſe I. *poſitivi*, quia negatione actus non inſtituitur conſuetudo. II. *liberi*, quia conſuetudo non minus, quam lex, voluntaria eſſe debet, cum non minus obliget: quapropter ſi populus per vim, metum, aut errorem aliquid pluries faciat, nulla inde naſcetur conſuetudo, quia vel nulla, vel ſufficiens hic libertas non reperitur. III. *publici*, & *notorii*: actus enim clam exerciti non poſſunt habere rationem promulgationis, quæ ad legem non ſcriptam, qualis eſt conſuetudo, requiritur. IV. *frequentes*: mores enim, quibus inſtituitur conſuetudo, actuum frequentiam dicunt. Quoties vero actus debeant eſſe repetiti, ut inducatur conſuetudo, prudentum judicio relinqui debet, quorum eſt perpendere, an talis ſit actuum frequentia, ut populi conſenſum ſatis exprimat. V. *exerciti ex animo, & intentione ſe obligandi*; quia conſuetudo accipitur pro lege; ad hanc autem requiritur voluntas obligandi. Hinc actus, qui ex devotione ſolum diutiſſime frequentati ſunt, ut ſumtio cinerum in capite, jejunii, &c. non inducunt jus conſuetudinarium, quod obliget ſub peccato.

Porro dignoſcitur conſuetudinem inductam eſſe animo obligandi: I. cum, qui eam violant, puniuntur a ſuperioribus, aut ſerio redarguuntur. II. cum iidem ſcandalum dant populis, & uti tranſgreſſores habentur a timoratis. III. cum materia bono communi plurimum utilis eſt, & a majori populi parte uniformiter obſervatur: neque enim tam ſtricte ſervantur, quæ ſolum ex devotione fiunt. In dubio an conſuetudo ex animo ſe obligandi incepta fuerit, judicandum eſt non cepiſſe, quia nemo, niſi manifeſte conſtet, præſumitur velle ſibi onus imponere.

IV. Conſuetudo debet invecta eſſe a majori, & ſaniori parte: quia ſi populi eſſet legem ferre, pauci privati ad id non ſufficerent. Quod ſi conſuetudo a ſapientibus, & timoratis rejiceretur ut mala, non eſſet habenda pro vera conſuetudine, quia jam morum regula eſſe non poſſet.

V. Requiritur conſenſus Principis: is enim ſi reſiſtat, conſuetudo prævalere non poteſt. Non requiritur tamen conſenſus formalis, ſed ſufficit vel tacitus, quo Princeps non contradicit, cum poteſt, vel juridicus, quo conſuetudo etiam a Principe ignorata, vim legis habere cenſetur, cum invaluit per illud temporis ſpatium, quod ſecundum jus a Principe approbatum ſufficit, ut conſuetudo obliget.

Quæres II. quot, & qui ſint conſuetudinis effectus.

R. I. Conſuetudo *præter legem* poteſt obligare in conſcientia, pœnas imponere, & irritare actus contra ipſam factos.

Prob. 1. pars: I. ex Epiſtola 36. S. Auguſtini, ubi hæc habet: *Mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege ſunt tenenda; & ſicut prævaricatores legum divinarum, ita contemtores conſuetudinum eccleſiaſticarum coercendi ſunt.* II. quia conſuetudo vim habet legis; ergo ad modum legis obligare poteſt.

Prob. 2. pars: nam conſuetudo idem poteſt quod lex; ergo poteſt eſſe moralis, pœnaliſve, aut mixta,



ſicut

ficat lex; ergo rursus potest actus contra ipsam factos invalidare: hinc cap. 3. *De cognat. spiritual.* irritatur matrimonium contra loci consuetudinem celebratum.

R. II. Consuetudo *contra legem* potest legem humanam abrogare: quia potest id facere, quod ipsa lex: lex autem lege contraria tollitur. Quod si Princeps legem statuendo prohibuisset, ne ulla unquam contra eam praevaleret consuetudo, lex non abrogaretur sola consuetudine, quia Princeps perpetuo resistere censeretur.

Caeterum, ut consuetudo legem abroget, necessaria est bona fides per decennium, quo continuantur actus contrarii legi: consuetudo enim per actus malos continuata, nec rationabilis esset, nec legitime praescripta. Verum in inchoanda hac consuetudine nec requiritur, imo nec reperitur bona fides, quia cum inchoatur, lex adhuc viget, neque Princeps jam ab initio abrogationi ejus consentire censetur.

R. III. Consuetudo *secundum legem*, eandem interpretatur; atque id patet ex cap. 8. *De consuetud.*, ubi *consuetudo optima legum interpres* dicitur.

Quaeres III. an lex possit abrogare consuetudinem.

R. posse, quia lex non minus efficax est contra consuetudinem, quam consuetudo contra legem.

Hic tamen meminisse debet superior, multa licere, quae non expediunt. Quare I. si consuetudo sit vere utilis, lex contra eam lata non erit vera lex, utpote communi bono contraria. II. si consuetudo superflua sit, aut minus utilis, toleranda erit, non tollenda; quia, ut notat S. Augustinus Epist. 54., *ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adjuvat utilitate, novitate perturbat*: unde S. Doctor ibidem censet caeremonias quasdam Religioni Christianae minus consentaneas ferri potius debere, quam cum offensione populorum tolli. Quapropter graviter arguendi sunt Parochi, qui receptos Parochiae usus re ipsa non noxios subvertunt majoris boni praetextu, & sic Parochianorum odia, oblocutiones, aliaque id genus Parochiae exitialia concitant. III. si consuetudo legi Dei repugnet, tunc non minus fortiter, quam prudenter insequenda est, juxta id S. Cypriani: *Dominus dixit*, Ego sum veritas; *non dixit: Ego sum consuetudo*. Idem expresse adstruunt famosa haec Tertulliani verba ex Lib. de veland. virgin. cap. 1. Veritati *nemo praescribere potest: non spatia temporum, non patrocinia personarum, non privilegia nationum*.

Imo si consuetudo, etsi non rei per se malae, nec Evangelio prohibitae, noxia tamen evadit, & abusibus periculosis viam aperit, contraria lege abrogari potest, & debet: sic Episcopi plures peregrinationes quasdam, quae foecunda erant ebrietatum, & impudicitiarum seges, prudenter aboleverunt. Id tamen sollicite, & anxie cavendum est, ne superior dum colligit zizania, simul & triticum eradicet.

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Lege favorabili, seu de Privilegiis.*

Privilegium definiri potest Lex privata, qua specialie aliquod beneficium, vel favor sive praeter, sive etiam contra jus commune alicui justa de causa conceditur a superiore. *Contra jus* quidem, ut exemtio a solvendis decimis, quae de jure communi solvi debent; *praeter jus* vero, ut potestas dispensandi, aut similia faciendi, quae licet de jure prohibita non sint, non tamen omnibus sunt concessa.

Privilegium dividitur: I. in reale, & personale. Privilegium *personale* proxime confertur personae in favorem illius, puta ob privatam ejus excellentiam, scientiam, aut sanctitatem; *reale* vero proxime, ac directe confertur rei, loco, muneri, dignitati, v. g. praedio, Ecclesiae, Monasterio, &c. licet ejusdem privilegii utilitas consequenter, & ultimate in personas refundatur. Privilegium reale cohaeret rei, & durat quandiu res permanet, & ideo cum re ad haeredem transmittitur; personale vero sequitur personam, & cum eadem extinguitur, non antea.

Ut cognoscatur, an privilegium reale sit, an personale, haec afferri solet regula: privilegium censetur personale, cum solum exprimitur nomen personae, cui conceditur privilegium, v.g. *committimus Joanni*: reale vero, si sola exprimatur dignitas, v. g. *committimus Episcopo Morinensi*. Si vero nomen, & dignitas simul exprimantur, censent plures privilegium esse personale, atque ideo cum persona extingui.

Dividitur II. in *perpetuum*, & *temporale*. Privilegium perpetuum est illud, quod absolute, & absque limitatione temporis conceditur, adhaeretque rei ex se perpetuae, v. g. Ecclesiae alicui, vel Ordini Religioso: dicitur autem perpetuum, non quod amitti non possit, sed quia ex se durat, donec revocatum fuerit. Privilegium *temporale* est illud, quod vel singulari personae conceditur, & ea moriente expirare debet, vel datur ad certum tempus, v. g. ad decem annos, vel sub certa conditione, quae temporis lapsu finitur, ut: Do tibi hoc privilegium, *donec decessero*, vel *ab beneplacitum meum*.

Dividitur III. in privilegium *ex motu proprio*, in quo exprimitur tale privilegium ex proprio concedentis motu datum esse, etsi aliquando contingat, ut petitum fuerit: & privilegium *ad instantiam partis*, in quo non exprimitur illud motu proprio concessum esse. Privilegium ex motu proprio caeteris paribus favorabilius est, tum quia excludit praesumtionem subreptionis, tum quia in eo non nocent reticentiae, quae in alio nocerent: unde Beneficium motu proprio concessum ei, qui jam aliud habet, valide collatum censetur, etsi nulla in rescripto mentio fiat prioris Beneficii; secus si motu proprio non conferatur.

Dividitur IV. in *favorabile*, quod ita uni prodest, ut nemini noceat, quale est privilegium audiendi Missam

sam tempore interdicti: & *odiosum*, cujus favor ita uni inservit, ut alterum gravet: tale est præsertim privilegium ad lites, quia favor concessus actori premit reum, vel diminuit Judicis potestatem.

Dividitur V. in concessum *primo & per se*, quod datur alicui sine respectu, & ordine ad privilegium aliis datum: & concessum *ad instar*, quod alicui datur in eum modum, quo jam est concessum alteri.

Rursus privilegium *ad instar* bifariam concedi potest, nimirum vel *directe*, *per se*, & *æque principaliter*, cum conceditur uni, quale concessum est alteri, sed non quia concessum est alteri: vel solum *relative*, *indirecte*, *accessorie*, & propter connexionem, quam unus habet cum alio, consequenter ad quam superior dat privilegium secundo, ut gratificetur primo. Et hæc distinctio in materia privilegiorum cautissime pensari debet: quia in priori casu privilegia nec augentur, nec minuuntur, nec auferuntur respectu secundi, etiamsi augeantur, minuantur, aut penitus desinant respectu primi. Aliud est in posteriori casu: unde privilegia, quæ quorumdam Religiosorum familiaribus, medicis, advocatis communicantur, crescunt, aut decrescunt ad normam eorum, quibus iidem Religiosi præditi erant.

Quæres I. quis privilegium concedere possit.

R. ille solus, qui legem condere potest. Ratio est, quia si privilegium sit contra jus, jam includit dispensationem a lege, quam nemo nisi legis conditor, ejusve superior, aut æqualis impertiri potest. Si vero sit præter jus, qui ipsum concedit, talis esse debet, ut alios per modum legis cogat, ne privilegii usum impediant; hoc autem solus legislator facere potest.

Quæres II. an ad privilegii concessionem requiratur causa.

R. privilegii, ac dispensationis parem esse causam. Unde vide quid dixerim supra p. 129. ar. 2.

Quæres III. an quis accepto privilegio uti teneatur.

R. negat. quia ex cap. 6. *De privileg. liberum est unicuique suo juri renuntiare.*

Excipe I. si privilegium detur ad aliquid aliunde præceptum: sic is, cui permissa est Missæ auditio tempore interdicti, eidem diebus festis interesse debet. II. si ex non usu privilegii sequatur grave vel privilegiati ipsius, vel aliorum damnum: sic qui morte damnabitur, nisi ostendat privilegium, privilegio uti debet. Pariter qui ex privilegio immunis est a decimis, debet eas non solvere, si solvendo creditoribus satisfacere nequeat.

Quæres IV. an quis uti possit privilegio extra territorium concedentis.

R. non posse, si privilegium sit locale; si vero personale sit, posse aliquando, aliquando non.

Prob. 1. pars, quia privilegium locale datur primario propter locum, eique annexum est: unde si Episcopus in locis a mari remotis ova permiserit ob piscium penuriam, non licet ei, qui ad loca maritima se transfert, ovis vesci.

Ut expediatur secunda pars, notandum est, privilegium personale vel concedi contra jus commune, ut cum alicui ob infirmitatem conceditur, ut in diebus jejunii carnes comedat, vel concedi contra speciale statutum territorii alicujus, in quo quis pro tempore moratur. In primo casu satis receptum est, ut privilegium valeat extra Diœcesim v. g. Episcopi, a quo concessum est: tum quia nimis durum esset, ut viator, qui diebus singulis territorium mutat, ubique explicaret rationes aliquando secretas, propter quas obtinuit privilegium manducandi carnes: tum quia tale privilegium, cum sit juris communis relaxatio, conceditur ab Episcopo per facultatem, quam a Pontifice, vel ab Ecclesia ipsa accepisse censetur. Porro dubium non est, quin ubique carnibus vesci possit ille, cui id ab Ecclesia, vel Pontifice concessum esset. Atque id probat praxis timoratorum, qui accepta a Parocho suo licentia comedendi carnes, iisdem in alia Parochia absque nova Parochi loci hujus permissione vescuntur.

Aliter censemus in secundo casu: tum quia advenæ subjacent privatis locorum, in quibus degunt, legibus: tum quia concipi nequit quomodo quis jurisdictionem suam in alieno territorio exercere possit, quam tamen exercere videtur, qui permittit alteri id quod secundum privatas loci leges eidem illicitum est.

Quæres V. quot modis cesset privilegium.

R. cessat pluribus modis, & quidem I. si sit *personale extinguitur cum persona* (*Reg. 7. Jur. in 6.*): si vero sit reale una cum re, aut officio transit ad hæredem, aut successorem, qui in defuncti jura succedunt. Hinc cui concessa est facultas aliquid faciendi, illud facere potest, etiamsi ceciderit a dignitate sua, si cum dignitate expressum fuerit nomen proprium, quia tunc privilegium est personale; secus si sola dignitas expressa fuerit, quia tunc privilegium dignitati, non autem personæ concessum est.

II. Cessat privilegium per mortem concedentis in casibus, in quibus ex eadem morte cessat dispensatio.

III. Finitur lapsu temporis præfixi, aut cessante tota causa, propter quam concessum fuerat. Hinc privilegium Canonicis indultum, ut etiam absentes studii causa percipiant Præbendarum fructus, cessat, si accepta licentia transferant se ad villas, nec studiis incumbant.

IV. Privilegium gratis alicui subdito concessum amittitur per revocationem. Quod si privilegium sit onerosum, aut remuneratorium, revocari nequit sine gravi causa; tuncque fieri debet compensatio, nisi forte revocatio fiat ob culpam ejus, qui remunerationem acceperat, vel fructus jam percepti ex privilegio sufficienter adæquent id, per quod meritum fuerat privilegium.

V. Amittitur per renuntiationem voluntarie factam a privilegiato, & acceptatam a concedente. Si tamen renuntiatio hæc per dolum, & metum extorqueretur non subsisteret, quia renuntiatio est donatio quædam: donatio autem nisi libera sit, firma censeri non debet.

Duo hic notanda: I. nos hic loqui de privilegiis, quæ in solius renuntiantis commodum cedunt; si enim cedant in bonum commune, renuntiatio non valet: hinc Clericus, & Monachus privilegio Canonis, vel Religionis renuntiare non possunt. II. nos etiam loqui-

qui de privilegiis, quæ tractum successivum habent, & quæ consistunt in potentia faciendi, vel omittendi aliquid in futurum, qualis est facultas audiendi confessiones, aut non solvendi decimas; non autem de iis, quæ in momento totum suum effectum operantur; nam, v. g., illegitimus, qui ab irregularitate solutus est, ad eandem reverti non potest, etiamsi velit.

(✠) Alexander VII. hanc confixit propositionem: *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.* (✠)

# TRACTATUS
# DE
# PECCATIS.

TRactatum hunc duas in partes dividemus; quarum altera de peccato in genere, altera de variis peccati speciebus disseret.

## PRIMA PARS.

*De Peccato in genere.*

## CAPUT PRIMUM.

*De natura Peccati.*

PEccatum definitur a S. Augustino Lib. 22. contra Faustum c. 27. *Factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem Dei æternam*: a Theologis vero satis communiter, & bene, Transgressio legis liberæ: ea enim definitio ita explicat naturam peccati, ut omni & soli conveniat peccato sive commissionis, sive omissionis; sive mortali, sive veniali, &c. Ut utraque definitio penitus intelligatur,

Quæres I. an peccatum eo peccatum sit, quod legi æternæ adversatur.

R. solutionem hujus quæstionis pendere a notione legis æternæ, quam alii aliter definiunt. Si ergo nomine legis æternæ intelligatur, ut intelligi solet, actus, quo Deus judicat, aut præcipit aliquid agendum, vel omittendum, jam peccatum non ideo tale est, quia pugnat contra legem æternam: quandoquidem adulterium v. g. non est malum, quia Deus judicat, illud malum esse, sed ideo Deus illud malum esse judicat, quia reipsa jam malum est.

Si vero per æternam legem intelligatur summa hæc Dei ratio, quam Deus ipse necessario in judiciis suis sequitur, quæque Deum ipsum ita dirigit, ut ab ea recedere nequeat, optime dici potest peccatum per hoc esse peccatum, quia æternæ legi adversatur: si enim peccatum necessario sit transgressio legis, utique legis æternæ sic intellectæ, qua nihil prius concipi potest.

Quæres II. an essentia peccati consistat in privatione. Ut solvatur quæstio,

Not. In actu peccaminoso duo spectari solent: I. *materiale*, id est, physica entitas actus, quæ, quia materiæ instar est quid bono, & malo commune, materiale nuncupatur: & *formale*, id est, ipsa actus oppositio cum lege, seu actus ipse non simpliciter, sed prout est contra legem.

Certum est materiale peccati esse ens positivum: *dictum* enim, *factum*, & *concupitum* aliquid positivi significant; sed quia vox *contra* legem, significare potest aliquid positivi per modum contrarietatis, sicut calor esse dicitur contra naturam aquæ, vel per modum privationis, sicut mors est contra naturam viventis; hinc oritur difficultas, sitne formale peccati aliquid reale, an mera privatio. Nemo quidem dubitat, quin in omni peccato reperiatur privatio gratiæ, conversionis ad Deum, & conformitatis cum lege; sed quæritur, an privatio hæc, potissimum tertia, sit quid primum in peccato, ejusque constitutivum, an non potius peccatum antecedenter ad eam constitutum sit per aliquid positivi, quod formaliter malum sit in genere entis moralis. Et hæc quæstio, quidquid cogitent plures, moveri debet de ipso etiam omissionis peccato, in quo cum reperiatur tota ratio actus humani, reperiri etiam debet materiale, & formale. His præmissis sit cum multis contra plures

CONCLUSIO. Id, per quod peccatum formaliter constituitur, est quid positivi, non mera privatio.

Prob. I. Per illud constituitur peccatum in ratione peccati, per quod constituitur in ratione actus mali moraliter: atqui peccatum constituitur in ratione actus mali moraliter per aliquid positivi, quod prius est omni privatione. Nam ante privationem rectitudinis intelligitur in quolibet peccato tendentia positiva in objectum legi, rationique dissonum; quandoquidem tendentia hæc fundamentum est omnis privationis, quæ peccato inesse concipitur; cum ideo actus quilibet malus rectitudine fini debita carere intelligatur, quia voluntas eum eliciendo tendit in objectum, in quod ferre se non debet: atqui tendentia hæc *pro priori* ad privationem est mala moraliter. Nam tendentia hæc, prout antecedit privationem, cujus est causa, sub aliqua moralitatis specie continetur: atqui non est in specie boni moralis. Minor constat; Prob. major. Illud est in genere moris, quod oritur a voluntate operante libere cum subjectione ad morum regulas, & in ordine ad objectum lege prohibitum: atqui tendentia hæc oritur a voluntate operante libere, &c. ergo est in genere moris, ac proinde in genere mali, cum sub genere boni reponi non possit.

Prob. II. Peccare peccato homicidii v. g. est scienter facere id, quod directe prohibetur hoc præcepto, *Non occides*: atqui facere id, quod directe prohibetur per hoc præceptum, nihil est aliud, quam ponere ipsum homicidii actum. Quid enim directe magis opponitur præcepto non occidendi, quam ipse homicidii actus? ergo peccare est facere actum ipsum,

qui

qui prohibetur; ergo ille ipse actus peccatum est. Quis porro ipsum homicidii actum dicat esse meram privationem?

Prob. III. Ideo præcipue negant adversarii peccatum esse quid positivi, quia Deus alioqui esset auctor peccati, utpote qui sit entis cujuscumque auctor: atqui etsi peccatum mera privatio esse supponatur, non minus Deus erit illius auctor, quam si sit ens positivum. Qui enim causat fundamentum privationis reduplicative ut tale, causat consequenter ipsam rectitudinis privationem, quantum ab agente ullo causari potest; quia privatio, utpote nihil, non magis a creatura, quam a Deo causatur per se & directe, sed indirecte quatenus resultat ex positione fundamenti: atqui Deus, velint nolint adversarii, causat fundamentum privationis qua tale. Nam juxta ipsos Deus causat quidquid est positivi: atqui fundamentum privationis qua tale, est quid positivi: privatio enim super alia privatione, vel negatione fundari nequit; alias privationis istius privatio alia pro fundamento assignari deberet, sicque daretur progressus in infinitum; ergo.

Confirm. Accessus liber ad mulierem non suam necessario connotat privationem rectitudinis: atqui accessus ad non suam est a Deo, etiam prout est commercium cum non sua; ergo actus ille est a Deo non simpliciter, sed prout connotat privationem.

Obj. I. multos Patrum textus, qui dicunt peccatum nihil esse. Augustinus Lib. 12. de Civ. Dei c. 6. *Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio est, sed defectio.* S. Damascenus Lib. 2. *De fide* cap. 4. *Neque aliud est malum, quam boni privatio*. Omitto alios Patres, qui hac oppressi difficultate, cur Deus, qui omnium auctor est, non sit causa peccati, non aliter ab ea se expediunt, quam dicendo peccatum nihil esse, nec proinde posse a Deo produci.

R. I. Patres per id, quod cum peccato necessario conjunctum est, peccatum describere voluisse, potius quam ex ipsa ratione formali. Porro peccata omnia conjunctam sibi habent privationem gratiæ, cujus expositio plus Fideles movet, quam metaphysica rerum indagatio, quam hic adhibent Theologi.

II. Patres peccatum vocant nihil sensu quodam morali, quia homines *cum peccant, nihil fiunt* (*S. August.*) & minora jumentis insipientibus. Verum iidem Patres aliis in locis non obscure significant peccatum non esse merum nihil; sic Augustinus peccatum definit *dictum*, & *factum*, quæ certe non sunt mera privatio.

III. Sæpe quidem dixerunt SS. Patres peccatum non habere causam efficientem, sed deficientem: hoc & nos dicimus; sed quia causa deficere potest vel privative per puram debitæ perfectionis carentiam, vel contrarie per indebitam dispositionem, tam intelligi possunt de defectu contrario, quam de privativo: imo fatemur eos sæpe locutos esse de defectu privativo, non ut in eo essentiam peccati reponerent, sed ut ex eo peccatum per appendicem ipsi necessario connexam describerent.

IV. Demum Patres, qui dixerunt peccatum nihil esse, plerique Manichæorum hæresim impugnabant: quapropter dicebant peccatum esse nihil, prout nihil opponitur substantiæ: id est, contendebant nullam esse substantiam ex natura sua malam; non vero negabant actus creaturæ esse quid positive mali. Patet id ex concertatione Augustinum inter & Cælestium, quam S. Doctor refert in Libro suo *De perfectione justitiæ*. Elaborabat Cælestius ut probaret *peccatum omne actum esse, & non rem*, (*Ratiocin. 3. & n. 4.*) quia si res esset, auctorem habere debet Deum, præter quem nemo rei cujusquam auctor esse potest. Quid ad hæc Augustinus? Dicitne peccatum neque esse actum, neque rem, sed meram prorsus negationem? Hoc sane respondere debuerat in principiis adversariorum: atqui tamen aperte agnoscit cum Cælestio, *peccatum quidem non esse rem*, sed *actum dici*, *& esse*; ergo non existimabat Augustinus peccatum esse privationem, prout privatio opponitur cuilibet positivo, sed solum prout opponitur rei, seu substantiæ. Atque id sufficiebat, juxta S. Doctorem, ut intelligeretur Deum non esse auctorem peccati: quia eo ipso quo peccatum nihil erat rei, & naturæ, evidens erat illud, quantumvis aliquid positivi foret, a Deo oriri non posse, quia nullus defectus moralis a Deo esse potest.

Et vero invalide prorsus probassent Patres Deum peccati auctorem non esse, ex eo solo quod peccatum mera sit privatio: statim enim iis responsum fuisset, vel hominem ipsum non esse auctorem peccati, quandoquidem nihili nulla est causa; vel Deum eo modo esse nihili hujus auctorem, quo homo ipse; ergo negare Deum esse peccati auctorem, eo quod peccatum nihil sit, & mera privatio, non est difficultatem solvere, sed eludere; ergo Patres alio plane sensu sunt intelligendi.

Obj. II. Si peccatum sit ens reale, jam Deus proprie, & simpliciter erit auctor peccati; ens enim omne reale efficienter producitur a Deo; ergo.

R. I. Deum non minus peccati auctorem fore, etiamsi peccatum constituatur in mera privatione. Quia Deus non minus, quam creatura concurrit positive ad actum materialiter malum, ex quo necessario sequitur privatio peccati constitutiva: quare autem in neutro systemate Deus sit auctor peccati, expendam Cap. 2.

R. II. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. ens omne, id est substantia omnis producitur a Deo, C. ens omne, id est, actus, vel motus omnis, subd. producitur a Deo prout est ens simpliciter, & subjacet causalitati divinæ, C. prout est quid difforme rectæ rationi, N. Itaque ens sumtum pro substantia, semper producitur a Deo, quia nulla est mala natura, prout delirabant Manichæi. Rursus ens omne secundum præcisam rationem entis a Deo producitur, quia ut sic subjacet operationi divinæ, & per actionem ejus directe attingitur: verum non ideo quidquid est ens, sub quocumque respectu a Deo produci potest, quia actus creaturæ, ita sunt creaturæ sub certis respectibus, ut sub iisdem Dei esse non possint. Sic vitalitas, prout est vitalitas, non petitur ex efficientia Dei, sed ex eo quod voluntas in tali actu exercendo vitaliter se moveat: idem dicendum de deformitate, quæ actui contra legem elicito inest; hæc enim tota pendet a voluntate contra legem scienter operante, & in eam solam refundi potest.

Obj.

Obj. III. In eo consistit formale peccati, quo præcise intellecto intelligitur peccatum: atqui intellecta præcise privatione rectitudinis debitæ intelligitur peccatum. Sicut enim posito concursu omnium circumstantiarum, quæ ad actionem moraliter bonam requiruntur, actio intelligitur moraliter bona: sic posito earumdem circumstantiarum, vel alicujus ex ipsis defectu, actio intelligitur moraliter mala; ergo.

R. dist. maj. In eo consistit peccatum, quo intellecto par modum alicujus primarii intelligitur peccatum, C. quo intellecto per modum secundarii, & propriatatis, N. Equidem intellecta debitæ perfectionis privatione intelligitur peccatum, sicut intellecta risivitate apud veteres Philosophos intelligitur homo: at non ideo primarium peccati constitutivum in privatione reponi debet, sicut nec constitutivum hominis reponitur in risivitate: quia sicut est in homine prius aliquid risivitate; sic in peccato est aliquid privatione prius, scilicet tendentia in objectum bonis moribus dissonum, quæ omnis, & cujuscumque privationis fundamentum est.

(✠) Quamvis Auctoris opinio circa peccati nequitiam suos habeat patronos, longe probabilior tamen est illorum sententia, qui cum Angelico Doctore peccati malitiam in privatione constituendam esse contendunt. Sententia hæc fere consentientes habet SS. Patrès, quos singulos recensere & longum esset, atque molestum: quapropter satis erit S. Thomæ mentem exponere, quod ut brevi quidem, sed clara præstetur methodo, nonnulla in antecessum expendenda sunt tanti Doctoris principia.

I. Peccare ex Sancti Doctotis mente nihil aliud est, quam declinare a rectitudine regulæ, ita ut ille actui solus declinare nequeat a rectitudine suæ regulæ, cujus regula est ipsa virtus agentis. *Peccare*, inquit 1. p. q. 63. art. 1., *nihil est aliud, quam declinare a rectitudine actus, quam debet habere, sive accipiatur peccatum in naturalibus, sive in artificialibus, sive in moralibus.*

II. *Peccatum in naturalibus*, quod est ipsum malum, nihil aliud est, quam pura boni privatio. *Malum*, ait, *uno modo potest intelligi id, quod est subjectum mali; & hoc aliquid est. Aliter potest intelligi malum; & hoc non est aliquid, sed est privatio alicujus particularis boni .... Bonum proprie est aliquid in quantum appetibile: Malum autem dicitur id, quod opponitur bono; unde oportet malum esse id, quod opponitur appetibili in quantum hujusmodi: hoc autem impossibile est esse aliquid ..... Relinquitur, quod malum, secundum quod est malum, non est aliquid in rebus, sed est alicujus boni particularis privatio alicui particulari bono inhærens*. q. 1. de malo art. 1.

Rursus 1. p. q. 5. ar. 3. ad 2. *Nullum ens dicitur malum in quantum est ens, sed in quantum caret quodam esse; sicut homo dicitur malus, in quantum caret esse virtutis.* q. 48. ar. 1. *Non potest esse, quod malum significet quoddam esse, aut quandam formam, seu naturam; relinquitur ergo, quod nomine mali significetur quædam absentia boni.* artic. 2. *In hoc consistit ratio mali, ut aliquid deficiat a bono.* artic. 3. *Remotio boni privative accepta malum dicitur.*

Præterea opusc. 7. c. 114. *Nomine mali nihil aliud intelligitur, quam privatio esse perfecti.* c. 115. *Impossibile est malum esse aliquam naturam.* c. 117. *Habito igitur, quod malum est privatio perfectionis debitæ, jam manifestum est, qualiter malum bonum corrumpit, in quantum scilicet est ejus privatio, sed & cæcitas dicitur corrumpere visum, quia est ipsa visus privatio.*

III. *Peccatum in artificialibus* est pura privatio a rectitudine regulæ artis. *Quum peccatum*, inquit 1. 2. q. 21. ar. 2. ad 2., *sit per deviationem ab ordine ad finem, in actu artis contingit dupliciter esse peccatum. Uno modo per deviationem a fine particulari intento ab artifice: & hoc peccatum erit proprium artis: puta, si artifex intendens facere bonum opus, faciat malum; vel intendens malum faciat bonum. Alio modo per deviationem a fine communi humanæ vitæ: & hoc modo dicitur peccare, etiamsi intendat facere malum opus, & faciat per hoc, ut alius decipiatur. Sed hoc peccatum non est proprium artificis, in quantum artifex, sed in quantum homo est. Unde ex primo peccato culpatur artifex in quantum artifex.*

IV. *Peccatum in moralibus* duo enunciat, & actum voluntatis, qui pura privatio non est, & recessum a lege, qui est pura privatio. *Ad rationem peccati duo concurrunt, scilicet actus voluntarius, & inordinatio ejus, quæ est per recessum a lege Dei*, & ad 2. *peccatum non est pura privatio, sed est actus ordine privatus.* q. 75. art. 1. ad 1. *Peccatum non solum significat ipsam privationem boni, quæ est inordinatio, sed significat actum sub tali privatione, quæ habet rationem mali*, & q. 75. art. 5. ad 3. *In peccato actuali duo possumus considerare; scilicet ipsam substantiam actus, & rationem culpæ.*

V. *Peccatum in moralibus* in eo habet rationem culpæ, in quo deficit a rectitudine regulæ. *Malum*, inquit S. Doctor 1. p. q. 48. art. 5., *quod consistit in subtractione debitæ operationis, in rebus voluntariis habet rationem culpæ: hoc enim imputatur alicui ad culpam, cum deficit a perfecta actione, cujus dominus est secundum voluntatem.* q. 18. art. 1. *Omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate; in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit a bonitate, & sic dicitur mala*, art. 9. *Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali.... Habet actus humanus, quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione.*

Prop. Peccati malitia est pura privatio. Prob. Peccatum in moralibus in eo habet rationem culpæ, in quo deficit a rectitudine ex num. V.: sed peccatum, prout est quid deficiens a rectitudine, sive in naturalibus, sive in artificialibus ex num. II. & III., est pura privatio boni; ergo peccati malitia est pura privatio.

*Peccatum*, ait Angelicus 2. d. 37. art. 1., *in quantum rationem peccati habet ex privatione rectitudinis, neque est ens, neque differentiam habet, sed per privationem debitæ formæ dicitur*, & d. 34. art. 2. ad 3. *Mala actio specificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit.*

Rursus 1. 2. q. 71. art. 6. in c. *Augustinus*, inquit, *in definitione peccati posuit duo: Unum, quod pertinet*

ad

*ad substantiam actus humani, quod est quasi materiale in peccato, cum dixit* dictum, vel factum, vel concupitum. *Aliud autem, quod pertinet ad rationem mali, quod est quasi formale in peccato, cum dixit* contra legem æternam. Et q. 75. art. 1. ubi quærit, utrum peccatum habeat caussam, in corpore sic quæsito respondet. *Dicendum, quod peccatum est quidam actus inordinatus. Ex parte igitur actus potest habere per se caussam, sicut & quilibet alius actus: ex parte autem inordinationis habet caussam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere caussam .... Et secundum hoc consuevit dici, quod malum, quod in quadam privatione consistit, habet caussam deficientem, vel agentem per accidens.*

Præterea S. Thomas, postquam probavit diserte 1. p. q. 44. Deum esse caussam omnium entium: attamen 1. 2. q. 79. ar. 2. probat Deum non esse caussam peccati, quamvis *sit caussa omnis actionis, inquantum est actio. Quia peccatum,* subjungit, *nominat ens, & actionem cum quodam defectu. Defectus autem ille est ex caussa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi Agentis, scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum sicut in caussam, sed in liberum arbitrium.* Adeoque ex Divo Th. defectus ille neque est ens, neque est actio; ergo pura privatio.

Ex hactenus dictis com S. Thoma manifestum est adversæ sententiæ patronos non recte distinguere inter actum peccati, atque illius deformitatem, & nequitiam: quum enim nequitia peccati sit privatio rectitudinis debitæ actui humano, hinc aperte sequitur peccati malitiam repeti haudquaquam posse ab aliquo positivo: quapropter concludit S. Aug. tract. 1 in Jo. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi male intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est, & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cum peccant.* (✠)

## CAPUT SECUNDUM.

*De causis Peccati.*

DIcendum hic I. de causa materiali, seu subjecto peccati. II. de causa ejus efficiente.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De subjecto Peccati.*

SUbjectum peccati duplex: *immediatum*, quod ipsa est potentia, quæ peccatum committit, & *mediatum*, quod est agens peccati capax. Ab isto ducemus exordium. Sit igitur

CONCLUSIO. Sola creatura rationalis, non tamen in omni statu, est subjectum peccati.

Prob. quia sola creatura rationalis est libera, libertate etiam contrarietatis, ut alibi probatum est: atqui ubi talis extat libertas, ibi, & non alibi est potentia ad malum, ut ad bonum; ergo.

Dixi, *non tamen in omni statu*; nam peccare non possunt, I. Beati, quos visio beatifica, qua perfectissime inebriantur, ab omni peccato retrahit. II. nec animæ Purgatorio detentæ, quæ licet Deum non videant, tanto tamen ejus videndi desiderio tenentur, & tam gravia levibus pro peccatis supplicia luunt, ut ab omni peccato abhorreant. III. nec peccavit unquam etiam venialiter B. Virgo, ut docet Concilium Trid. Sess. 6. Can. 23. & innuit S. Augustinus Lib. de nat. & grat. cap. 36. ubi ait sanctissimos quosque viros fuisse obnoxios peccato, *excepta tamen S. Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam, prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem.*

Nec est quod dicant hæretici, B. Virginem I. incredulam fuisse verbis Angeli, cum dixit: *Quomodo fiet istud?* II. ambitiosam, cum in nuptiis Cana miraculum petiit, ideoque his Filii sui verbis emendata est: *Quid mihi, & tibi mulier?* Hæc enim non obstant.

Non 1. nam Virgo non dubitavit de veritate prædictionis Angelicæ, sed sollicita fuit de modo, unde is est ejus verborum sensus: *Quomodo fiet istud*, ut quæ virginitatem vovi, mater evadam? Secus fuit de Zacharia, qui dicens, *Unde hoc sciam?* miraculum requirebat, quo de prædictionis veritate certior fieret.

Non 2. nulla enim in nuptiis Cana fuit ambitio Mariæ, sed summa charitas. Christus autem, ait Justinus, *non verbo objurgavit, quod facto honoravit*, ejusque verba, etsi paulo duriora videntur, eo potuerunt vultu, & tono proferri, qui amorem exhiberent, non iram. Adde quod Christus non matrem, sed nos docere voluerit, nec parentes quidquam habere juris in rebus Dei, nec eas ex eorum affectibus, sed ex Dei nutu, & imperio pertractandas esse.

Quæres, an solum veniale peccatum possit cum originali consistere. Hæc quæstio ad aliam accedit, an scilicet quilibet infans statim ac attingit usum rationis, tam arcte teneatur ad Deum ut ultimum finem se convertere, ut nisi fecerit, peccet mortaliter: si enim res ita sit, jam evidens est solum veniale peccatum cum originali consistere non posse. Ut quædam tollantur difficultates,

Not. I: tunc puerum censeri ad usum rationis pervenisse, cum expeditam habet facultatem discernendi bonum inter, & malum morale, honestum inter, & inhonestum. Quo autem tempore id contingat, certo definiri nequit: ad hoc enim plurimum inserviunt, tum opportuna organorum dispositio, tum sedula infantium educatio.

Not. II. instans illud, quo obtinetur rationis usus, latiori sensu accipi, cum eam complectatur durationem, qua indiget puer, ut bonum honestum a sensibili discernat.

R. Infantem, qui pervenit ad usum rationis, reum videri, si ad Deum se non vertat secundum naturam, & modum luminis, ac gratiæ, quibus pro tunc donatur; seu, ut ait S. Thomas, *secundum quod in illa ætate est capax.*

Prob.

Prob. I. Ut infans statim ac moraliter usum rationis obtinuit, teneatur sub pœna peccati se ad Deum convertere, sufficiunt duo: I. ut quilibet statim teneatur legi sibi sufficienter propositæ obsequi. II. ut lex de se ad Deum convertendo intimetur homini, statim ac rationis usum assecutus est: atqui utrumque constat. Primum quidem patet ex iis, quæ dicta sunt in Tractatu de Legibus, ubi probatum est non posse sine peccato resisti legi sufficienter propositæ. Probatur itaque secundum. Homo in hunc mundum veniens illuminatur a Deo, prout docent communiter Patres, præcipue vero S. Cyrillus in hæc verba Joan. cap. I. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: atqui illuminatio illa nihil aliud esse potest, quam impressio, qua infans ad suam in Deum conversionem moveatur.

Prob. min. I. quia via concipi potest, quod Deus, qui hominem propter semetipsum operatus est, non concedat ei auxilium, quo ad suum creatorem movere se possit, præsertim cum Deus vere, & sincere omnium salutem velit, & nemo eorum, qui baptismo regenerati non sunt, quique quolibet momento possunt perire, absque eodem auxilio salutis obtinendæ capax censeri possit. II. quia ratio dictat hominem teneri ad Deum eo se convertere momento, quo maxime convenit, ut Deus cordis ejusdem possessionem rocat, & suum in illud exerceat dominium: atqui hoc maxime convenit eo momento, quo quis rationalis fieri, & homo esse incipit. Quis enim credat Deum zelotem voluisse, ut omnia animalium primogenita, & omnes fructuum primitiæ sibi offerrentur, non curasse vero, ut tenelli cordis primitiæ sibi consecrarentur; ergo.

Prob. II. quia infans tenetur, cum potest, & eo modo, quo potest, se, actusque suos omnes ad Deum referre; nulli enim ejus actus indifferentes esse possunt, licet facilius a gravi culpa excusetur ob inadvertentiam: atqui hæc ad Deum relatio fieri non potest sine aliquali in Deum conversione: ergo.

Tria hic notanda, quibus objectum partis alterius solventur: I. non audemus mortalis peccati arguere infantes, qui huic officio desunt, præsertim si ad tempus satis breve desint. II. novimus opinionem oppositam multis videri probabiliorem, adeoque ab ipsis praxi teneri posse, ut notat Gonet, & alibi diximus. III. credimus præceptum hoc minus a pueris ignorari, quam ab aliis, quia pueris ab auctore naturæ pro illo instanti practice, & in actu exercito proponitur a Deo. Addo eos, qui pie educati sunt, Deumque a teneris unguibus precari, eique corculum suum donare edocti, vix, ac ne vix quidem hoc in puncto sollicitos esse debere. Vide, quæ dicam agendo de Fide.

Quod spectat ad immediatum peccati subjectum, otiosas, quæ hic a Theologis proponuntur, quæstiones resecabimus, dicendo peccatum omne esse in voluntate, vel ut in subjecto, vel ut in primo movente: hinc tritum illud Augustini Lib. I. Retract. cap. 9. *Voluntas est, qua peccatur, & recte vivitur*. Etsi vero hinc omnis circa præsens negotium quæstio resoluta esse videtur; fusius tamen expendendum est, an in sensualitate, seu concupiscentia sit peccatum.

Not. I. Sensualitas definitur naturalis animæ facultas hominem inclinans ad prosecutionem boni sensibilis, juxta præviam sensuum perceptionem: quanquam sensualitas hic etiam accipitur pro appetitu, secundum quod corruptus est, & rationi rebellis. Porro sensualitas hoc etiam posteriori sensu accepta, vel in objectum tendit ante quemlibet consensum, vel non nisi ex consensu formali, aut interpretativo voluntatis.

Not. II. Circa præsens punctum triplex est opinio. Prima Hærencorum hæretica, quatenus docent concupiscentiam, quæ manet in renatis verum esse peccatum, licet intuitu meritorum Christi non imputetur. Secunda est Cajetani, & aliorum quorundam, qui in motu sensualitatis, etiam seposito voluntatis consensu, non nihil libertatis esse putant, quod ad peccatum veniale sufficiat. Tertia est cæterorum, qui nullum prorsus peccatum esse posse putant in appetitu sensitivo, seclusa omni motione voluntatis. Ita multi etiam Thomistæ, ut Medina, Alvarez, &c. Sit

CONCLUSIO. Sensualitas præcise sumta non est peccatum mortale, aut veniale.

Prob. I. Peccatum omne coinquinat hominem: atqui ex Christo Domino, *ea solum coinquinant hominem, quæ exeunt de corde*, seu quæ libere fiunt, & ex voluntate nascuntur, ut in hunc locum scribunt S. Hieronymus, aliique Interpretes; ergo.

Prob. II. ex Patribus. S. Chrysostomus Hom. 19. ad populum Antioch. *Concupiscere*, inquit, *naturale; male vero concupiscere, jam voluntatis*. S. Augustinus Lib. 5. contra Julian. c. 3. *Frustra*, inquit, *dictum est, Post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas*. Plures non congero, quia Calvinus, qui S. Doctorem melius, quam cæteros hoc in puncto sensisse docet, eum tamen sibi adversari fatetur.

Prob. III. duplici ratione: I. quia nullum est peccatum sine libertate: atqui motus sensualitatis non sunt secundum se liberi. Si enim essent secundum se liberi, vel propria voluntate, vel volnotate primi hominis. Primum dici nequit, cum sancti eos motus experiantur inviti. Secundum non sufficit; quia primi hominis voluntas non sufficit ad peccatum actuale posterorum ejus: atqui sensualitatis motus peccata forent actualia; ergo. Et certe actus phreeticorum, & stultorum, utpote qui ab originali peccato prosiluant, non minus liberi sunt voluntate primi hominis, quam indeliberati concupiscentiæ motus: atqui tamen inter peccata recenseri nequeunt; ergo.

II. quia lex Dei non est impossibilis: atqui hominibus etiam justis impossibile est non experiri concupiscentiæ motus, nisi speciale adsit privilegium, quod ipsi S. Paulo deerat, ut patet ex II. Cor. 12.; ergo.

Ex his colliges I. sensualitatis motus rationem prævenientes non esse peccata in iis etiam, qui baptizati non sunt, quia non magis in eis, quam in baptizatis propria voluntate liberi sunt. II. idem dicendum

dum

dum de aliis motibus, sive intellectus, sive voluntatis, quales sunt motus infidelitatis, odii, & similes, qui omnem voluntatis consensum antevertunt, & ideo motus primo primi dicuntur. Ratio est eadem, quia ubi omnimoda deest libertas, ibi actuale peccatum reperiri nequit.

Obj. I. id Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*: atqui peccatum, de quo hic loquitur S. Paulus, ipsa est concupiscentia, ut patet ex verbis sequentibus, *ad obediendum concupiscentiis ejus*.

R. concupiscentiam dici peccatum, sed improprie, quia a peccato est, & ad peccatum inclinat, ut pluries docet Augustinus. Hæc autem solutio, non est violenta, ut clamat Lutherus, sed fundamentum habet in Scripturis, in quibus peccatum aliquando sumitur pro culpa, aliquando pro pœna, vel causa peccati. Sic Thren. 4. *completa est iniquitas tua*, id est pœna iniquitatis tuæ. Et Oseæ 4. dicuntur Sacerdotes *peccata populi* comedere, quia comedunt oblationes pro expiatione peccati; ergo vox peccati ambigua est, adeoque de peccato improprie dicto intelligi debet, si absque fidei, & rationis periculo aliter intelligi non possit: non potest autem, ut patet ex probationibus nostris; ergo.

Inst. Pergit Apostolus ibid. cap. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*. Unde sic: Transgressio legis peccatum est proprie dictum: atqui concupiscentia est transgressio legis ex Apostolo; ergo.

R. dist. min. Concupiscentia sumta pro actu voluntario concupiscendi, est transgressio legis, C. sumta pro primis motibus, quibus mens resistit, vel pro ipsa ad illos motus pronitate, N. Porro loquitur hic Apostolus de voluntariis concupiscentiæ motibus, quos Judæi non putabant peccata esse, nisi foras erumperent, ut patet ex Matth. 5. ubi reus dicitur, qui mulierem concupiscit.

Obj. II. S. Augustinus in ea etiam, cui resistitur concupiscentia, peccatum agnoscit. Sic enim habet Serm. 5. de verbis Apost. *Si concupiscis quidem, quod lex vetat, quæ dicit*, Non concupisces, *servas tamen aliud, quod item lex jubet*, Post concupiscentias tuas non eas. Unde sic: Id, quod lex Dei prohibet, peccatum est: atqui ex Augustino lex prohibet, ne quis concupiscat, & hanc legem transgreditur, etiam qui servat legem de non eundo post concupiscentiam suam; ergo.

R. dist. maj. Quod lex prohibet, ut proprie dictam transgressionem, peccatum est, C. quod lex prohibet ut defectum, & aliquid repugnans perfectioni, ad quam lex tendit, N. Itaque ex mente Augustini lex quidem vetat concupiscentiam, quia scopus legis est, ut homo perveniat ad statum, in quo nullos patietur concupiscentiæ motus: at non ideo docet Augustinus concupiscentiam esse de se peccatum: cum juxta S. Doctorem non peccet, qui concupiscentiæ motus reprimit: *Ipsa*, ait Lib. 1. de nupt. c. 23., *concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur*; ergo.

Inst. I. juxta S. Augustin. L. 6. contra Julian. c. 8. *est iniquitas, cum in homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur*: atqui *iniquitas peccatum est* proprie dictum, ex I. Joan. 3.

R. dist. min. Iniquitas, quam facit homo, peccatum est, C. iniquitas, quam patitur homo, etiam nolens, peccatum est, subdist. peccatum est effective, quatenus ad peccatum inclinat, C. formaliter, N. Iniquitatem latius aliquando sumi liquet ex S. Ambrosio in Apologia David c. 13. sumitur enim non raro pro eo omni, quod inordinatum est, hoc autem sensu concupiscentia merito vocatur iniquitas.

Inst. II. Si concupiscentia formaliter peccatum non esset, non noceret eis, qui eidem non consentiunt: atqui concupiscentia, cui etiam non consentiunt, nocet ex S. Augustino Lib. 4. contra Julian. cap. 2.

R. dist. maj. non noceret ut peccatum, C. non noceret quatenus miserabilem habet pugnam, & spirituale mentis gaudium minuit, N. Solutio est in eodem loco.

Obj. III. ex S. Thoma hic a. 3. ad 3. *Motus sensualitatis rationem præveniens est peccatum veniale*; ergo sensualitas secundum se non est ab omni peccato immunis.

R. dist. Motus sensualitatis rationem, & advertentiam perfectam præveniens, sed annexam habens imperfectam advertentiam, vi cujus potuisset impediri, si ratio bene vigilasset, est peccatum veniale, C. motus omnem omnino præveniens advertentiam, N.

Inst. I. S. Thomas 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. *Tentatio*, inquit, *quæ est ab hoste, potest esse sine peccato; quia fit per solam exteriorem suggestionem: tentatio autem, quæ est a carne, non potest esse sine peccato ... & ideo Christus tentari voluit ab hoste, sed non a carne*. Unde sic: Tentatio a carne est ipsa sensualitas: atqui ex S. Thoma nulla est tentatio a carne, quæ sit sine peccato.

R. dist. min. ex S. Thoma nulla tentatio a carne potest esse sine peccato, quando eam impedire potest voluntas, C. quando nec illam impedire, nec compescere potest voluntas, N. Itaque asserit quidem S. Doctor, alicujus peccati saltem venialis reos esse, quicumque tentationem, quæ est a carne, & quæ inordinatam delectationem, & concupiscentiam involvit, reprimere possunt, nec tamen reprimunt; verum non docet peccati etiam venialis reum esse eum, qui ejusmodi tentationem invitus patitur. Sic enim loquitur in 2. Sent. dist. 21. q. 1. a. 2. *Appetitus concupiscibilis habet quandam libertatem in homine, secundum quam potest obedire imperio rationis, & sic in concupiscibili potest esse peccatum*. Ubi ideo, juxta Scholæ Angelum, potest esse peccatum in appetitu concupiscibili, quia *potest obedire imperio rationis*, ergo immunis est a peccato, si imperio rationis obedire non possit: porro obedire non potest quoad eos motus, qui præveniunt omnem omnino rationis advertentiam, nullamque supponunt negligentiam.

Inst.

Inst. II. Si, juxta S. Thomam, tentatio, quæ est a carne, non esset peccatum indepedenter ab omni rationis imperio, S. Doctor non probaret efficaciter Christum a carne tentari non potuisse, ex eo quod tentatio carnis non sit sine peccato: falsum consequens; ergo.

R. neg. sequelam majoris. Etiamsi enim tentatio carnis,quam impedire nequit voluntas,peccatum non sit, efficaciter tamen probavit S. Thomas Christum a carne tentari non potuisse, quod hæc tentatio sine peccato non esset. Nam cum tentatio, quæ est a carne, sit motus inordinatus concupiscentiæ, nemo eam pati debet quotiescumque comprimere potest: porro Christus poterat solo suo nutu in se impedire omnem tentationem, quæ est a carne; ergo peccasset, si ejus motum inordinatum in se passus esset, & proinde optime probavit S. Thomas Christum non potuisse tentari a carne.

Et hæc dicta sint ad vindicias tum Angeli Scholæ, tum, qui ei prælusit, Magistri sententiarum, de quo lepide satis & vere dixit Protestantium quispiam, Stancarus nomine. *Plus valet unus Petrus Lombardus, quam centum Lutheri, ducenti Melanctones, trecenti Bullingeri, quadringenti Petri Martyres, quingenti Calvini, qui si omnes in mortario contunderentur, non exprimeretur una uncia veræ Theologiæ.*

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De caussis efficientibus Peccati.*

DUplex distinguitur peccati causa: interior, quæ in ipso homine est: & exterior, quæ est extra ipsum.

### SECTIO PRIMA,

*De interioribus Peccati caussis*

CAusa interior peccati triplex distinguitur ignorantia ex parte intellectus, concupiscentia, & passio ex parte appetitus, & malitia ex parte voluntatis quod ut magis declaretur, sit

CONCLUSIO I. Ignorantia potest esse causa peccati, potest & esse peccatum.

Prob. I. pars ex Act. 3. *Scio, fratres, quia per ignorantiam fecistis.* I. Corint. 2. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*: atqui tamen peccaverunt Judæi Dominum crucifigendo; ergo peccator per ignorantiam, seu, quod idem est, datur ignorantia,quæ est causa peccati.

Obj. Si ignorantia sit causa peccati, utique quia removet scientiam, quæ peccatum prohiberet: atqui hoc dici non potest; alioqui Deus etiam erit causa peccati, quia denegat auxilia, quæ si adessent, impedirent peccatum.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Disparitas est, quod Deus non teneatur dare auxilia, quæ denegat; homo vero teneatur scientiam adipisci, qua peccatum vitet: aliunde Deus sufficientia auxilia homini concedit.

Prob. 2. pars Psal. 24. *Ignorantias meas ne memineris.* Oseæ. 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te.* I.Cor. 4. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Heb. 9. Sacerdotes veteris legis dicuntur obtulisse sanguinem *pro sua, & populi ignorantia*: atqui ignorantiæ, de quibus sermo est in his textibus, vera sunt peccata; cum necesse sit, ut vel expientur ab homine, vel puniantur a Deo.

Prob. II. Non minus ignorantia eorum, quæ quis tenetur, & potest scire, peccatum est, quam omissio eorum, quæ quis tenetur, & potest facere, peccatum sit: atqui omissio hæc peccatum est; ergo.

Objiciuntur tria: I. peccatum omne tollitur per pœnitentiam: atqui tamen per pœnitentiam non tollitur ignorantia. II. si ignorantia esset peccatum, qui ex ignorantia furatur, duo admitteret peccata, unum ignorantiæ, alterum furti: quod absurdum est. III. si ignorantia sit peccatum, quod quis in ebrietate facit mali, peccatum erit: quod falsum est. Sed hæc non nocent; unde

Ad 1. dist min. Ignorantia per pœnitentiam non tollitur secundum quod est privatio scientiæ, C. non tollitur secundum quod importat negligentiam, sine qua ignorantia peccatum non esset, N. Ideo autem ignorantia secundum hanc negligentiæ rationem tollitur per pœnitentiam, quia pœnitens sibi proponit eam omnem adhibere diligentiam, quæ ad expulsionem ignorantiæ necessaria est; si autem non adhibeat ut debet, & potest, ignorantia fit denuo vincibilis, & peccatum.

Hinc inferes ignorantiam non ratione sui, sed propter negligentiam peccatum esse; ita Augustinus cum ait: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Sicuti tamen Missæ omissio, quæ in somno contingit, & in ipso indirecte volita est, non in causa solum, sed etiam in se ipsa peccatum est, quamvis non id habeat a se, sed a causa; ita a pari ignorantia invincibilis est in se formaliter peccatum, licet id non habeat a se, sed a negligentia voluntaria sciendi ea, quæ scire tenemur. (*ex Sylvio*) Negligentia tamen, & ignorantia non sunt duo peccata sed unum; sicut actus internus, & externus, imperans, & imperatus, ambo non nisi unicum efficiunt peccatum: ignorantia enim se habet ut aliquid imperatum a negligentia.

Ad 2. non desunt, qui furantem ex ignorantia duplicis peccati reum putent. Alii tamen unum hic furti ipsius peccatum agnoscunt, quia cognitio malitiæ furti non est necessaria, nisi in ordine ad furtum evitandum.

Ad 3. quæ fiunt in ebrietate non sunt peccata, nisi prævisa sint, aut prævideri debuerint; alias qui aliquod crimen committeret, reus esset omnium criminum, quæ ex eo sequi possunt, furti v. g., homicidii, &c. si vero prævisa sint, aut debuerint prævideri, sunt peccata, quia satis sunt voluntaria.

CONCLUSIO II. Ignorantia invincibilis excusat a toto peccato: consequens, nisi affectata sit, excusat a tanto: concomitans non excusat ratione malæ dispositionis

posi-

poſitionis, ſed excuſat ratione actus. Tres ex conclusionis partes ſufficienter probatæ ſunt in Tract. de Actibus humanis pag. 5.

Hic duo notanda, I. ignorantia cenſetur invincibilis, cum nec directe, nec indirecte volita eſt: ſeu cum quis, ut rem ſciret, ſufficientem adhibuit diligentiam, nec tamen ſcire potuit. Porro ad id neceſſarium non eſt, ut quis diligentiam ſimpliciter ſummam adhibeat, hoc eſt, ut faciat plane totum, quod in ſe eſt, ſed ſufficit ſi id faciat, quod communiter viri pii, ac prudentes efficere ſolent, & eo modo, quo ſolent. Sic Jacob accedens ad Liam non tenebatur vel adhibere lumen, vel eam ad loquendum provocare, ut veritatem exploraret: neque enim id pii facere ſolent; ſed ſatis erat, quod nullam habens fraudis ſuſpicandæ cauſam eam ſuſciperet, quæ ſibi offerebatur.

II. Conveniunt omnes eum, qui dat operam rei licitæ, ſemper a peccato excuſari ob ignorantiam invincibilem; ſed controvertitur, an idem dicendum ſit, ſi quis operam dando rei illicitæ aliquid faciat cum illa re connexum, quod in ſe novam habeat deformitatem, quæ invincibiliter ignoretur: v. g. Geneſ. 38. ingreſſus eſt Judas ad nurum ſuam, putans eſſe ſcortum, ſed plane neſciens eſſe nurum, eſtne ab inceſtu excuſandus?

Negant aliqui, ſed alii plures probabilius affirmant; quia circumſtantia invincibiliter ignorata, non minus efficit, ut actus reſpectu ejuſdem ſit involuntarius, quando vacatur rei illicitæ, quam cum vacatur rei licitæ: unde, juxta S. Thomam, excuſatur a parricidio, non tamen ab homicidio, qui *percutiens aliquem, ſcit quidem ipſum eſſe hominem, non tamen ſcit eum eſſe patrem.* Hinc alibi colligemus, cénſuras non incurri ab eis, qui violentas manus injiciunt in aliquem, quem invincibiliter ignorant eſſe Clericum.

Quæres, an ignorantia vincibilis ità minuat peccatum, ut veniale faciat id, quod alioqui eſſet mortale?

R. tale eſſe peccatum, quod ſequitur ex ignorantia, quale eſt peccatum negligentiæ, ex qua ſequitur ignorantia: hinc ſi negligentia ſit gravis, ut eſſe ſolet, etiamſi non ſit ſumma, peccatum non deſinit eſſe mortale. Certe enim mortaliter peccarunt Judæi, qui Dominum crucifixerunt, & Apoſtolos ejus perſecuti ſunt, tametſi id fecerint *per ignorantiam*, alii majorem, alii minorem. Peccant etiam mortaliter Judices, Advocati, Confeſſarii, Superiores, Medici, Opifices, &c. qui ex gravi, licet non omnium maxima negligentia, ſcientia ſibi neceſſaria deſtituti ſunt.

Si vero negligentia ſit tantum venialis, & imperfecte voluntaria, ſicut eſt cum quis aliquam, ſed non ſatis magnam adhibuit diligentiam, tunc ita minui poteſt peccatum, ut non ſit mortale. Atque id in caſu perjurii ex veniali negligentia, & ignorantia contingere poſſe docent Navarrus & Sylveſter. An mollities, ſeu pollutio a peccato excuſari poſſit ſub prætextu ignorantiæ, dubitant aliqui, negant plures, & melius, cum Pontas v. *Ignorantia*, caſ. 1.

Quod de ignorantia dictum eſt, idem dicendum I. de inadvertentia, quæ eſt carentia attentionis actualis II. de inconſideratione, quæ privatio eſt debitæ inſpectionis. III. de oblivione, qua quidpiam fugit è memoria: hæc enim, cum quædam ſint debitæ actualis cognitionis privationes, ad ignorantiam merito revocantur, & ejuſdem cum ipſa conditionis ſunt. Unde inadvertentia, idem dic de aliis, excuſat a toto, ſi invincibilis ſit, ut eſſe ſolet in iis, qui habitualem habentes cognitionem officii ſui alio neſcii, & inviti rapiuntur: non excuſat vero niſi a tanto, ſi debuit, & potuit vitari, quia tunc non tollit voluntarium indirectum. Hinc culpabilis eſt inadvertentia: I. *in ſe ipſa*, cum ſentit, aut ſentire poteſt homo id, quod aggreditur, plus mereri conſiderationis, nec tamen vult amplius ad rem attendere. II. *in alio*, cum quis vult, aut facit aliquid, quod cum ſeria rei faciendæ conſideratione cohærere non poteſt; aut cum non exuit ſe defectu quodam, qui advertentiam tollit, v. g. præcipitatione in agendo.

Circa alias peccati cauſas, paſſionem ſcilicet, & malitiam.

Quæres, I. an detur peccatum ex paſſione.

R. affirmative. Paſſio enim eſt appetitus ſenſitivi motio, quæ extraordinariam corporis mutationem producit: atqui motio hæc eſſe poteſt, & ſæpius eſt cauſa peccati, juxta id Daniel. 13. *Concupiſcentia ſubvertit cor.*

Etſi porro, ut alibi dictum eſt, paſſio antecedens minuat peccatum, haud tamen illud tollit; imo nec illud, communiter loquendo, ita minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis, quia tunc nec deeſt materia gravis, nec conſenſus ſufficiens ad peccatum mortale; quin & peccare poteſt mortaliter, qui paſſionem, quam advertit, non repellit poſitive, licet nec ei poſitive conſentiat, ut infra dicemus.

Quod ſi paſſio plane auferat uſum rationis, ſitque involuntaria, tunc aliquando excuſat a peccato, aliquando non. Excuſat quidem, ſi ſit involuntaria, tum in ſe, tum in ſua cauſa, ut cum quis in phreneſi, vel in ebrietate involuntaria conſtitutus percutit matrem. Si vero paſſio, licet actu involuntaria, fuit tamen a principio voluntaria, ut cum quis ex voluntario amore carnali incidit in inſaniam, tunc non excuſat a peccato, quod fuit prævitum, vel quod ex ejuſmodi amore per ſe ſequitur. Ratio eſt, quia inſania ſe habet ut ebrietas, quæ eſt brevis quædam amentia: atqui ex S. Thoma, *cum aliquis de ſero ſe inebriavit, & non poteſt ſurgere ad Matutinas ut debet, omiſſio hæc incipit imputari ad culpam* (2. 2. q. 79. art. 3.), non eo tempore, quo ſe applicuit ad actum ebrietatis cum Officii recitatione incompoſſibilem, ſed *quando fuit tempus operandi*, ſeu dicendi *Matutinas*; ergo.

Quod ſpectat ad paſſionem conſequentem, hæc, ut ſup. p. 4. col. 2. dictum eſt, non minuit peccatum, ſed potius auget, vel ſignum eſt magnitudinis ejus; quia vel voluntarium auget, vel eſt ſignum voluntatis vehementioris. Hinc peccatum ea paſſione conſequenti, non dicitur ex infirmitate, ſed potius ex malitia.

Quæres II. an detur peccatum ex malitia.

R. affirmat. nam peccatum ex malitia est illud, quod scienter, & libere committitur, quodque nec ex ignorantia, nec ex passione antecedente procedit: atqui constat aliquos esse, qui scientes, & volentes malum eligunt, non autem ex ignorantia, vel passione. Tales ii sunt, *qui quasi de industria recesserunt a Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt*, Job. 34. Tales & ii, *qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*, Proverb. 2. Tales sæpe ii servi, qui domini sui voluntatem cognoscunt, & non faciunt, Lucæ 12.

Hic quædam observanda: I. peccatum ex malitia omnium est gravissimum ex genere suo, quia omnium maxime est voluntarium: peccatum vero ex infirmitate gravius est, quam peccatum ex ignorantia non affectata; peccatum autem, quod ex ignorantia affectata, aut ex passione libere excitata prodit, vel est peccatum ex malitia, vel ei æquivalet.

II. peccatum ex malitia non semper oritur ex peccato præcedenti, quia primum peccatum aliquando est ex malitia.

III. eadem de causa non omnis, qui peccat ex malitia, peccat ex habitu, quia fieri potest, ut voluntas illius, qui nullum habet habitum pravum, ex seipsa ad malum moveatur, quod est peccare ex malitia. *Quicunque* tamen *peccat ex habitu, peccat ex certa malitia*, ut docet S. Thomas (*Hic q. 78. art. 2.*); quia qui peccat ex habitu, peccat ex majori voluntatis propensione, & vere, licet cito, & quasi imperceptibiliter determinatur ad malum, quod ei quodammodo connaturale evadit, quatenus consuetudo, & habitus vertitur in naturam. Unde colligere est quam insipienter aliqui peccata sua inde excusare velint, quod a consuetudine oriantur, cum consuetudo minime retractata malitiam adaugeat.

Circa consuetudinem malam mortaliter peccandi docent non pauci, eos, qui ea implicantur, obligari sub mortali ad eam retractandam. Quisque enim, inquiunt, sub mortali tenetur removere occasionem proximam, ac periculum morale mortaliter peccandi; alioqui censetur velle interpretative peccatum: atqui consuetudo est proxima peccandi occasio, & morale quoddam periculum, vel potius moralis quædam peccandi necessitas, quatenus, ut docet S. Augustinus Lib. 8. Confess. c. 5. *Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas.* Addunt iidem consuetudinarium toties actu peccare, quoties ad pravam, qua ligatur, consuetudinem advertens non proponit efficaciter eam corrigere, quia vult saltem interpretative id, quod respectu ipsius proximum est peccandi periculum; hoc autem velle, novum est peccatum. Verum hæc quæstio pertinet ad Tractatum de Pœnitentia.

## SECTIO SECUNDA.

### *De exterioribus Peccati causis.*

DUo hic examinanda: I. an Deus. II. an Dei hostis diabolus sint causa peccati.

Deum peccati auctorem fecere, tum Lutherus, juxta quem *Deus in nobis omnia bona, & mala operatur*, tum Calvinus, qui licet diabolicam hanc opinionem (si tamen eo usque insaniant dæmones) a se propulsare velle videatur, diserte hæc habet Libro 1. Institut. cap. 18. §. 1. *Absalon incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat; Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat. Clamat Deus, suo sibillo, tubæ suæ clangore, imperio, & jussu excitari impios ad bellum.* Itidem docet Novator, quidquid Satan operatus est contra Job, quidquid Chaldæi contra Judæos, quidquid Semei contra David, quidquid Judæi contra Christum, id totum fuisse opus Dei; *nec solum permissu, sed decreto, nutu, directione jussu, & imperio Dei factum.*

Qua porro ratione potest Deus expresse magis, & proprie statui omnium scelerum auctor? non ergo fictitium, sed verum errorem proscripsit Synodus Tridentina sess. 6. can. 6. his verbis: *Si quis dixerit... mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie, & per se; adeo ut sit ejus proprium opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Unde sit

CONCLUSIO I. Deus non est peccati causa, quasi velit, præcipiat, aut operetur peccatum, hominemve ad illud excitet, & impellat; seu, quod idem est, Deus non est efficiens, sed solum permissiva peccati causa.

Prob. I. Qui non vult iniqoitatem, sed eam odit & abominatur, peccatum velle, præcipere, & operari non potest: atqui ex Scriptura Deus non vult iniquitatem... Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Psalm. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.* Exechiel. 58. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus?* Vellet autem Deus impii mortem, si eum ad peccatum excitaret, impelleret, ac per ipsum, & in eo peccatum operaretur.

Prob. II. ex S. Augustino, cujus præcipue auctoritate gloriantur Novatores. Epist. 194. *Nec*, ait, *obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam*, & infra: *Iniquitatem damnare novit ipse, non facere.* Lib. 13. de Trinit. cap. 12. distinctionem apud Catholicos tritam, quam Calvinus vocat *effugium*, adoptat S. Doctor. *Modus*, inquit, *quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit.*

Concinit S. Prosper in Resp. ad 10. object. *Detestanda*, inquit, *& abominanda opinio, quæ Deum cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem... Non ergo... malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitavit, aut suasit, aut impulit.* Unde sic: Qui hominis iniquitatem permittit quidem, sed nec eam facit, nec fieri jubet, nec suadet, nec excitat, quique non nisi impie dici potest malæ voluntatis auctor, ille nullo Calvini sensu peccati causa dici potest: atqui Deus permittit quidem hominis iniquitatem, sed nec eam facit, nec suadet, &c. ergo.

Prob. III. ex Concilio Trid. cujus verba supra laudavi. Præiverat Concilium Arausicanum II. can. 25. (*An. 527.*) his verbis: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, illis cum omni detestatione anathema dicimus.*

Prob. IV. ratione a priori. Si Deus sit peccati auctor, vel quia illud permittit, cum impedire posset; vel quia ad ipsum concurrit, cum posset non concurrere: atqui neutrum dici potest. Non 1. qui enim permittit malum, quod non tenetur impedire, non censetur ejusdem mali causa; sic mulier, quæ elegantem a natura formam accepit, non tenetur fœdare vultum, ne corruptus adolescens ex ejus conspectu ad amorem accendatur; pariter non peccat, qui urgente necessitate Sacramenta petit a malo Parocho, quia non tenetur mali Sacerdotis peccatum impedire, sed potius utitur jure suo: atqui Deus non tenetur hominis lapsum impedire, sed jus habet explorandæ ejus fidelitatis, satisque est, si vires ei tribuat, quibus peccatum vitare possit; ergo. Non 2. ideo enim Deus ob concursum peccati auctor diceretur, quia concurrit ad entitatem actionis, quæ hic & nunc debet esse mala: atqui Deus ob hujusmodi concursum nec est, nec esse potest auctor peccati: quia nimirum ordinate concurrit, etiam cum homo inordinate operatur. Postulat enim ordo, & recta ratio providentiæ universalis, ut Deus, qui creaturas fecit boni, & mali capaces, iisdem non neget concursum, sine quo immotæ manerent ut stipites, & neutram in partem se movere possent. Quod autem creatura concursu hoc abutatur, in Deum refundi non potest; sicut quod optimus scribendi artifex, qui incommodo calamo, vel in mala papyro scribit male scribat, non scriptoris defectus est, sed calami, vel membranæ; ergo actionis, ad quam cooperatur Deus, malitia, & deformitas non in Deum, sed in hominem solum refundi debent.

Obj. I. Deus est causa cujuscumque mali, juxta id Amos 3. *Si fuerit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*: ergo & peccati.

R. dist. Deus est causa mali pœnæ, C. mali culpæ, N. Malum pœnæ est afflictio quævis, & calamitas; malum culpæ est rebellio contra legem. Deus prioris auctor esse potest, quia justus est, posterioris vero causa esse nequit, quia sanctus est. Porro *malum hoc loco* Amos, *non peccatum, sed pœna intelligenda est*, ait Augustinus L. contra Adimant. cap. 26. idque evidenter adstruit series textus: *Visitabo*, ait ibid. Deus, *super vos omnes iniquitates vestras*; id est, puniam, & castigabo; non puniret autem, quod præciperet fieri.

Inst. I. Ille est causa mali, etiam culpæ, qui impios creat, ut peccent, peccantesque puniantur, & sic manifestandæ Dei justitiæ subserviant: atqui Deus impios creat.... Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*. Rom. 9. *Dicit Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*.

Confirm. ex versu 21. ibid. *An non habet potestatem figulus facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* ubi Deus eodem modo vult vas in contumeliam, quo vas in honorem.

R. neg. min. non enim creat Deus quemquam eo fine, ut impius fiat, & damnetur, cum severe peccatum prohibeat, & impios ipsos ad pœnitentiam reverti velit, ne pereant; sed eos creat, quos impios fore prænovit, ut eorum impietate, quam non facit, sed præscit, ad gloriæ suæ, & justitiæ manifestationem utatur. Solutio est S. Augustini q. 32. in Exodum.

Ad confirmat. Vult quidem Deus punitionem impiorum, qui vasa sunt ignominiæ, actu tam positivo quam velit coronationem Sanctorum, qui vasa sunt honoris; sed non ideo vult operari in impiis id, unde pœnam merentur, sicut vult operari in Sanctis id, unde merentur gloriam. Quapropter vasa ignominiæ vel a se, vel a primis parentibus habent, quod sint corrupta; vasa vero gloriæ a Deo habent utrumque, & quod sint vasa, & quod sint in honorem, & ita Catholica sentit Ecclesia, teste Augustino Epist. 186.

Inst. II. Ille malos creat, ut mali sint, qui homines creat, ut quosdam ex ipsis induret, & confirmet in malo: atqui Deus homines ideo creat, ut quosdam ex ipsis induret. Exod. 7. 8. 9. *Induravit Dominus cor Pharaonis*. I. Reg. 2. *Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*.

R. dist. Creat Deus homines, quos induret negative, id est, quorum minus misereatur, C. quos induret positive, id est, vel impertiendo malitiam, vel ad eam excitando, N. Solutio est S. Augustini pluribus in locis: sic Tract. 35. in Joan. *Sic excæcat Deus, sic obdurat deserendo, non adjuvando*. Et vero si Deus positive hominem induraret, jam homo veram haberet excusationem contra Deum, a quo induratus esset: atqui tamen indurati *excusationem non habent de peccato suo*, ut dicitur Joan. 15.

Inst. III. Ille non permissiva solum, sed & positiva peccati causa est, cujus positivo, & efficaci decreto committitur peccatum, qui crimen mandat, & fieri præcipit, qui Reges populosque seducit, &c. atqui hæc omnia præstat Deus, juxta Scripturas. Prob. min. inductione. Gen. 45. Joseph crimen fratrum suorum, a quibus venditus erat, in Deum refundit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*. Act. 4. Herodes, aliique, qui Christum cruci affixere, id unum fecerunt, quod *manus Dei, & consilium ejus decreverunt fieri*: unde ibid. cap. 2. Christus dicitur interemtus *definito consilio & præscientia Dei*. Lib. II. Reg. cap. 24. *Addidit furor Domini contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel*, quæ populi dinumeratio fuit peccatum superbiæ. Ibid. cap. 16. *Dominus præcepit*, non simpliciter permisit *Semei, ut malediceret David*. Lib. III. Reg. Cap. 22. mittit Deus spiritum nequam, qui decipiat Achab, & ait: *decipies, & prævalebis; egredere, & fac ita, &c.* ergo.

R. Neg. min. & dico e citatis textibus id unum colligi posse: I. Deum permittere, ut impii multa mala perpetrent. II. Deum iis impiorum malis uti in bonum finem, adeo ut Deus malis voluntatibus *non det corruptionem, sed ordinem*, quatenus illas, quæ propria electione malæ sunt, sic flectit, & temperat, ut ad unum potius, quam ad aliud malum se ferant, non quasi Deus eas in malum trahat, sed quia in malum ruentes non retinet: Quapropter non magis

Deus auctor est peccati, quam is furti causa sit, qui conspecto homine ad furtum paratissimo januam suam claudit, unde fit, ut fur deprædetur vicinam domum, cujus ostia pateat. Quod autem hæc solutio admittenda sit, patebit ex brevi singulorum, qui objecti sunt, textuum examine.

Ad 1. In malis operibus, ut in venditione Josephi, & Christi occisione duo sunt valde diversi: actio, quæ mala est, & passio, quæ est optima. Passio ex efficaci Dei consilio, & voluntate prodit, & ad ejus gloriam plurimum confert: sed actio ipsa, quæ immane est scelus, a Deo non efficitur, sed permittitur in tempore ex prævisa mala hominis voluntate: unde nec in Deum ut efficientem causam rejici potest; atque id satis insinuant verba hæc Josephi Genes. 50.: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*. Actio ergo mala erat, & ab hominibus; sed effectio optima erat, & a Deo; ex ea autem fratres suos consolatur Joseph: neque enim parva est consolatio ei, qui peccavit, & quem jam pænitet peccati, si videat scelus suum ingenti cuipiam bono occasionem præbuisse. Hæc solutio textui Actuum applicanda est.

Ad 2. Is, qui Davidem commovit ad enumerationem populi, non fuit Deus, sed diabolus, ut patet ex I. Paralip. 21., ubi dicitur: Sathan *incitavit David, ut numeraret Israel*. Hæc tamen incitatio etiam Deo tribuitur, quia dæmon non potest, nisi quod ipsi a Deo posse conceditur.

Idem dicendum de maledictione Semei, quam permisit Deus, non autem fieri proprie jussit: *Si enim Semei in hoc jubenti Deo obtemperasset, laudandus potius, quam puniendus esset*, ait S. Augustinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 20.

Ad III. Textus ille non rigide, & ad litteram intelligi debet, quasi significet Deum per se, & efficaciter voluisse deceptionem Achab; sed hoc sensu, quod Deus permittere voluerit, ut spiritus nequam, qui ex se semper ad malum omne paratissimus est, deciperet Achab: unde Dei verba hunc habent sensum: *Egredere*, permitto; *& fac ita*, seu non prohibebo, quominus malum, quod semper meditaris, executioni mandes, si nimirum Achab Prophetis meis resistere pergat.

Obj. II. S. Augustinus sic habet Enchir. c. 100.: *Non fit præter voluntatem Dei, quod etiam contra ejus voluntatem fit, quia non fieret, si non sineret: neque utique nolens sinit, sed volens*: sed qui non sinit peccatum nisi volens, vult peccatum.

R. dist. min. vult peccatum, id est, vult actu positivo illud permittere, C. id est, vult ut fiat, & ad id impellit, N. Itaque Deus erga hominis peccatum non se habet mere negative, quasi homines eo plane invito peccent: at non ideo vult peccatum, cum certum sit peccatum omne *contra ejus voluntatem* fieri, ut ibidem docet Augustinus.

Inst. Ille vere vult peccatum, qui hominum voluntates ut ad bona, sic & ad peccata inclinat: atqui ex S. Augustino Lib. de grat. & lib. arb. c. 20. & 21. Deus operatur *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum*.

R. dist. min. inclinat ad bona, & mala, sed diversimode, C. eodem modo, N. nam Deus voluntates hominum inclinat ad bonum, faciendo, ut ex nolentibus bonum fiant volentes, ut sæpius docet S. Doctor: at non sic inclinat ad malum: neque enim vel malitiam infert, vel corda ad bonum inclinata pervertit, sed inclinata *proprio vitio* ad malum in genere, quasi inclinat ad tale malum, impediendo, ne ferantur in aliud, & non impediendo, ne ferantur in hoc, ut jam dixi.

Obj. III. Ille est causa peccati, qui sciens, & volens est causa actionis, cui annexa est deformitas, & quidem sæpe inseparabiliter, ut videre est in odio ipsius Dei: atqui Deus &c.

R. dist. maj. qui est causa actionis deformis, in quantum deformis est, C. qui est causa actionis, in quantum simpliciter est ens, sub. qui est causa particularis, C. universalis, N. In actu peccati duo occurrunt, nempe ipsa actus substantia, & deformitas eidem annexa. Deus est quidem auctor actus secundum substantiam, & materialiter spectati, quia imprimit agentibus creatis motum, sine quo non agerent: verum non ideo causa est deformitatis, quæ huic actui inest; deformitas enim non oritur a causa universali, cum ea nec peccatum velit, nec concurrat ea mente, ut fiat aliquid rectæ rationi difforme, nec teneatur concursum negare, imo potius eum tribuere debeat; ergo tota refundi debet in creaturam, quæ bonam primi agentis motionem *quasi particulat, & determinat* ad malum, ut loquitur S. Thomas Lib. 3. contra Gent. c. 66.: at sic creaturæ defectus non magis a Deo est, quam claudicatio, ut est motus deficiens, sit a virtute motiva.

Inst. Qui gladium præbet ei, quem scit illo male usurum, indubie peccat, etiamsi gladio illo bene uti potuerit; ergo peccabit Deus, si concursum suum ei præbeat, quem scit eo male usurum.

R. neg. conseq. Ideo enim qui gladium præbet, peccat, quia tenetur, cum potest, proximi malum avertere: at Deus mala, quæ præscit, impedire non tenetur, tum quia summus est provisor, tum quia ex malis bona elicere novit, tum quia si Deus mala omnia prohibere vellet, plurima mundo bona deessent, cum nullum fere sit bonum, quod multis peccati causa non sit.

Hic unum addere lubet, Deum, etsi, admisso, ut hic admittimus, concursu indifferenti, peccati auctor esse non possit, esse tamen, & merito dici auctorem boni, non solum supernaturalis, quod ab ipso, & speciali ejus gratia potissimum profluit, sed etiam moralis: tum quia Deus actiones bonas suadet, imperat, & ad eas hortatur, tum præcipue quia non dat auxilium generale, nisi ut eo bene utamur, & ad vitam secundum actionis lumen traducendam, quamvis eo nos abuti permittat.

Nunc paucis videndum, an dæmon sit causa peccatorum, quæ ab homine committuntur. Qua de re sit

CONCLUSIO II. Diabolus est aliquo modo causa peccati, non tamen directe, sed indirecte, & per accidens. Prob.

Prob. 1. pars. Qui ad peccatum sollicitat, & quantum potest, inducit, ille aliquo modo causa est peccati: atqui sic se habet dæmon, ut patet ex historia tum Evæ, quam decepit, tum sancti Job, quem decipere conatus est: unde id I. Petri 5. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*.

Prob. 2. pars. Ut quis sit directe causa peccati, necesse est, ut vel physice, ac realiter moveat voluntatem, actum ejus in ea interius operando; vel sic ei objectum proponat, ut eam necessario trahat ad illud: atqui diabolus neutrum efficit. Monet enim S. Petrus in eodem loco, ut dæmoni *fortes in fide* resistamus: atqui inanis foret hæc monitio si dæmon quocumque modo voluntatem irresistibiliter ad malum moveret.

Prob. 3. pars. Ille indirecte, & per accidens est causa peccati, qui sæpe peccatum exhibet homini ut aliquid suave, & jucundum, efficitque, ut id homo amplectatur: atqui hoc potest dæmon, cum id possit homo respectu alterius hominis; & sæpius facit, ut docet S. Petrus verbis modo citatis; ergo.

Conclusionem hanc secundum se totam docent Patres. *Diabolus*, ait Hieronymus in c. 5. Matth., *adjutor, & incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest*.

Cæterum abs re non est annotare dæmones variis admodum modis posse homini illudere, non tantum in sensibus ejus externis; sed etiam in internis, puta ipsum voluptate mirabili afficiendo, apparitiones, revelationesque simulando, colloquia de rebus divinis, quæ etiam cum Christo haberi credantur, fingendo. Quia ergo, ait August. Lib. 10. de Civ. c.10. *Satanas... sicut de Proteo dictum est, formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subveniens, utrobique nocens*, æquum est, ut ad artes ejus detegendas Confessarii magna discretione, pœnitentes vero dæmonis insidiis expositi, magna submissione, & humilitate utantur.

## APPENDIX.

*De occasionibus Peccati*.

NOt. I. Occasio peccandi est illud omne, quod ex natura sua, vel circumstantiis inducit ad peccatum.

Occasio dividitur in *proximam*, quæ ex natura sua, vel ex circumstantiis propinque inducit ad peccatum: & *remotam*, quæ remote inducit.

Occasio proxima subdividitur in proximam *per se*, & proximam *per accidens*. Occasio proxima per se ea est, quæ sic nata est inducere peccatum, ut attenta communi hominum fragilitate illud proxime inducat. In hoc ordine sunt cantilenæ turpes, colloquia liberiora, lectiones contra fidem, vel bonos mores, spectacula, familiaritas cum personis corruptis. Occasio proxima per accidens illa est, quæ quamvis ex se, & absolute homines proxime ad peccatum non inducat, hunc tamen, aut illum inducit attenta speciali fragilitate ipsius. In hoc genere sunt armorum professio, artes quædam, negotiatio, officia magistratus, & Confessarii, taberna, ipsæ etiam aliquando virtutes, ac præsertim gratiæ gratis datæ, & alia similia, quibus cum bene uti possis, abuteris ex mala tui dispositione.

Utraque subdividi potest: I. in *internam*, & *externam*. Interna ea est, quam unusquisque secum gerit, & in proprio sinu portat. Talis est habitus pravus, indoles ad iram promta, ignorantia officii sui; quin & ipsa corporis, & animæ vis, scientia, quæ inflat, &c. Externa ea est, quæ ab extrinseco insidias struit, talis est mala societas, periculosæ conversationes.

II. in *voluntariam*, & *necessariam*. Voluntaria ea est in præsenti, quæ dimitti potest solo voluntatis arbitrio, ut ludus, taberna, quorumdam librorum lectio. Necessaria vel est *physice* talis, vel *moraliter* solum. Occasio physice necessaria ea est, cujus fuga a nobis non pendet. Talis est occasio puellæ, quæ quotidianam patitur tentationem ex præsentia famuli hero cari, quem ejicere ipsa non potest. Occasio necessaria moraliter ea est, quæ absolute quidem dimitti potest, sed non sine gravi incommodo. Talis est occasio nata ex arte, qua quis se, suosque sustentat; talis est occasio famuli, qui ex hac, vel illa domo egredi non potest, quin a grandi pecuniæ sibi debitæ summa excidat.

Not. II. in occasione proxima distinguendam esse rationem occasionis, & rationem proximitatis: quandoque enim tollitur occasio, & cum ea proximitas: quandoque vero, manente occasione, sola aufertur occasionis proximitas. Tollitur occasio in ratione occasionis per separationem objecti: sic famulus cum ancilla peccans tollit occasionem, cum a domo, & omni ancillæ civili consortio recedit. Tollitur occasio in ratione proximitatis, cum vel aufertur ab objecto vis causandi, vel opponitur impedimentum causalitati; ut si in casu mox allato famulus, & ancilla licet in eadem remaneant domo, vel nunquam existant soli, vel fœmina nubat alteri; sicque & ille, & illa horrore adulterii committendi retineantur, qui prius a simplici fornicatione non adeo abhorrebant.

Conveniunt omnes voluntariam peccati occasionem, si proxima sit, vitandam esse, negandamque absolutionem ei, qui ab ipsa non recesserit. Et id quidem aperte docet tum Scriptura his verbis Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, &c.* tum praxis, & judicium Ecclesiæ, quæ hanc per Innocentium XI. propositionem damnavit: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere*. At non ita conveniunt quænam occasio proxima debeat appellari. Alii proximam eam occasionem dicunt, in qua peccatur *semper, vel fere semper*; alii in qua *plerumque*, *seu ordinarie*; alii eam, in qua *frequenter*; alii in qua si decies versatus fuerit homo, quinquies, aut septies lapsus sit: contra quos sit

CONCLUSIO. Occasio proxima ea est, quæ sive de se, sive attenta peccantis dispositione exponit hominem morali, sive probabili peccati periculo;

 non

non autem ea ſolum, in qua ſemper, aut ſere ſemper, aut frequenter, aut frequentius peccat. Hæc propoſitio, ad quam non ſatis attendunt viri aliunde accurati

Prob. I. quia antiqui & præſtantiores Magiſtri, qui ante exortas laxitates ſcripſere, non eam ſolum occaſionem ſub gravi culpa vitandam cenſuerunt, in qua quis ſemper, aut ſere ſemper, aut quod pene idem eſt, certo moraliter peccat; ſed & eam quoque, quæ probabile includit peccandi periculum. Sic S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 9. *Infirmi in fide*, inquit, *de quorum ſalute probabiliter timeri poteſt, prohibendi ſunt ab infidelium communione*; ergo, juxta S. Doctorem, ut quis ab aliqua occaſione recedere teneatur, ſufficit, ut *probabiliter timeri* poſſit, ne eadem occaſio ei ſit ruinæ cauſa. S. Carolus Borromæus in Inſtruct. Confeſſ. p. 2. cap. 15. & 16. vetat, ne abſolutio iis impendatur, qui peccatorum mortalium occaſiones vitare non proponunt. Porro, inquit, *ſub occaſionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter cauſam ſubminiſtrat, eo quod.... vel per ſe ad peccatum inducat, vel ejus occaſione conſitens uſque adeo ad peccatum allicitur, ut certe Confeſſarius metuere poſſit, quod ex perverſo, quem diu induit habitu, in poſterum non magis abſtinebit, quam prius, a peccato, ſi in iiſdem occaſionibus verſetur*; ergo ad occaſionem proximam *per ſe*, ſufficit ut per ſe ad peccatum inducat. Ad occaſionem vero *per accidens*, de qua vulgo non niſi ex præteritis lapſibus judicari poteſt, ſufficit, ut vere metuere poſſit confeſſarius, ne pœnitens in eadem, quæ admiſit crimina, relabatur.

Prob. II. Ut homo cenſeatur poſitus in occaſione proxima peccati, adeoque jam peccati reus, ſufficit, ut peccatum in hac occaſione, tanquam in cauſa eidem homini voluntarium, & quæſitum reputetur: atqui ut peccatum homini in cauſa voluntarium, & quaſi de induſtria quæſitum cenſeatur, neceſſe non eſt, ut is ſæpe ex eadem cauſa peccaverit, ſed ſufficit, ut cognoſcat, aut cognoſcere poſſit, & debeat peccatum ex hac cauſa probabiliter ſubſecuturum eſſe. Prob. min. I. quia homo ille, talem quærendo cauſam, reipſa amat periculum præſens, & actuale. II. quia Gregorius IX. cap. ult. *De injuriis*, docet probabile periculum ſufficere ad imputationem homicidii: *Nec ignorantia*, inquit, *te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter*, ſeu probabiliter, *poſſe contingere*: ergo ad occaſionem proximam ſufficit, quod omnibus moraliter æſtimatis ſit graviter de ſe incentiva peccati, non requiritur vero, ut quis in ea pluries lapſus ſit.

Prob. III. Si occaſio proxima ea ſolum diceretur, in qua quis ſemper, aut ſere ſemper, aut plerumque, aut ordinarie cadit, aut ſæpius peccat, quam non peccat, qui decies in menſe cum ancilla peccavit, non eſſet in occaſione proxima, quia nec ſere ſemper, nec ſæpius peccaſſet, &c. atqui hoc plane abſurdum eſt; ergo.

Addo fieri poſſe I. ut proxima reputetur occaſio ea, quæ ſemel tantum in anno ad peccatum induceret; ut ſi plurium annorum experientia conſtet, aliquem toties peccare, quoties viſitat cognatam ſuam, quam ſemel tantum in anno viſitat: talis enim occaſio inducit probabile peccati periculum iis, qui in ipſa verſantur; cum ex præteritis judicari poſſit de futuris.

II. proxima quoque cenſeri debet occaſio, quæ licet haſtenus te ad peccatum non impulerit, eſt tamen tam lubrica, & ex ſe tam vividas parit tentationes, ut probabile peccati periculum includat: unde merito notata eſt doctrina Gobati, qui negabat recuſandam eſſe abſolutionem puellis, quæ nudæ nudum procum in idem lectum admittebant per aliquot horas.

His tanquam legitimo fundamento præſuppoſitis, quaſdam proponemus regulas, quas in praxi ſequatur Confeſſarius circa peccatores in occaſione proxima mortaliter peccandi conſtitutos. Nulla enim eſt difficultas cum iis, qui in occaſione tum abſolute, tum relative ſolum remota verſantur: hi enim abſolvi debent, ſi nihil aliud obſtet, quia efficax vitæ chriſtianæ propoſitum non involvit fugam occaſionis remotæ: alioqui, ut in ſimili materia dicit Apoſtolus, (*I. Cor.* 5.) deberemus omnes *exire de hoc mundo*, in quo, ut dicitur Sap. 14., creaturæ omnes *in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium*: Sit igitur

REGULA I. Si occaſio proxima ſit præſens, & dimitti poſſit, non debet *ordinarie* abſolvi pœnitens, niſi eam dimiſerit.

Prob. abſolvi non poteſt, niſi qui firmum habet, & efficax propoſitum non peccandi; vel ſaltem qui non habet niſi propoſitum, de quo legitime dubitari poteſt, an ſerium ſit: atqui talis eſt conditio pœnitentis, qui ab occaſione præſenti recedere non vult. Verum enim, & efficax emendationis propoſitum involvit voluntatem ſinceram deſtruendi cauſas ſaltem proximas peccandi: ſed qui ab occaſione proxima peccandi recedere non vult, hancce voluntatem non habet: imo cenſetur amare peccatum, cum amet periculum peccandi, quod qui amat, peribit; ergo.

Confirmatur, tum quia talis homo vult cauſam, quam ſcit, aut ſcire debet cum malo effectu conjunctam eſſe connexione moraliter infallibili, ſaltem relative ad propriam, quam in ſe cognoſcit, fragilitatem: tum quia hæc Chriſti ſententia, *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum*, quæ de occaſionibus proximis intelligitur, ad minus locum habet in iis occaſionibus, quæ poſſunt phyſice, & moraliter dimitti; ergo locum habet in his occaſionibus, de quibus loquitur Regula noſtra.

Hinc qui habet domi mulierem, cum qua graviter peccat, non ante abſolvi debet, quam eam ejecerit; & quamvis ploret, promittat, juret ſe, ſtatim ut domum regreſſus fuerit, concubinam ejecturum, non debet Confeſſarius abſolutionem dare, etſi de vero pœnitentis propoſito certus eſſet: quia ſola concubinæ præſentia, vox ſola, ſolæ lacrymæ vel ipſius Samſonis vim, ac virtutem in ictu oculi labefactant.

Eadem de cauſa abſolvi non debent ſimoniaci, niſi Beneficio ſimoniace accepto valedixerint; magi, niſi pacto cum dæmone inito renuntiaverint; boni alieni detentores, ſi uſque ad tempus Confeſſionis illud reſtituere

stituere noluerint, licet exterius, aut interius moniti.

His adde pœnitentem aliquando arcendum ab iis occasionibus, in quibus graviter tentatur, etsi necdum cesserit tentationi. Unde ancilla vivide ad peccatum sollicitata, ab hero discedere debet; matrona, quæ graviter occasione domestici tentatur, eundem expellere tenetur, compensando quidquid is inde pati potest detrimenti. Ratio est, quia qui libere manet in occasione tam periculosa, rationabiliter sperare non potest extraordinaria gratiæ auxilia, sine quibus tamen tentatio hujusmodi non superatur.

Dixi, *ordinarie*, quia tanta est quandoque absolutionis moribundo impendendæ necessitas, ut expectari nequeat, donec occasionem peccandi ejecerit.

REGULA II. Si occasio proxima sit præsens, sed physice dimitti non possit, ut cum duo, qui simul peccant, in eodem carcere detinentur, pœnitens absolvi non debet, nisi se vere, & efficaciter corde, & animo ab occasione separaverit.

Prob. ut quis in occasione proxima peccandi positus absolutionis capax sit, oportet, ut occasionis proximitatem tollat, cum occasionem ipsam tollere nequit, ac proinde ut occasionem de proxima faciat remotam, se ab ea corde separando, cum ab ea corpore, vel domicilio separare se non potest.

Hinc colliges eos, qui per habitum pravum, v. g. pollutionis, sibimeripsis facti sunt proxima peccandi occasio, non ante esse absolvendos, quam tempore notabili vim pravæ consuetudinis superaverint: unde qui quotidie peccabat, & bis adhuc, aut ter in mense relabitur, absolvi non debet, quia ut minimum dubitare debet Confessarius, an sincera sit ejus contritio: porro in dubio, an præsto sit sufficiens Sacramenti materia, Sacramentum extra casum necessitatis confici, vel potius tentari non debet.

REGULA III. Si occasio proxima sit præsens, sed moraliter, id est, sine gravi scandalo, murmure, aut damno temporali, dimitti non possit, puta si frater cum sorore peccet, aut filius familias cum ancilla, quam ejicere non potest, aut famulus cum hero, ad cujus obsequium contractu obstrictus est, aut Chirurgus artem suam exercendo, hæc in praxi sequenda videntur,

I. si promittat pœnitens se post aliquod tempus opportunitatem habiturum recedendi ab occasione, expectandum erit illud tempus, ut absolvatur, nisi quid aliud obsit.

II. si pœnitens in ipso occasionis tempore, post probationem vere sufficientem, serio videatur emendatus, absolvi quidem poterit; sed tunc omni conatu efficiendum erit, ut ab occasione illa, quam ex proxima remotam fecit, statim ut moraliter possibile erit, recedat; quia semper timendum est, ne eadem occasio ex remota fiat denuo proxima.

III. si pœnitens ab occasione ob nimiam difficultatem recedere non possit, cum eo agendum erit, ac cum iis, qui in occasione physice necessaria versantur: unde neganda erit absolutio, donec certa appareant veræ conversionis argumenta, ut mox dictum est.

IV. demum, si tentatis quæcumque ad hujus pœnitentis correctionem tentata sunt, pergat is tamen aliquando ab occasione vinci, tunc aperto ore dicendum est ei nullam fore spem absolutionis, donec, quidquid contingat, ab occasione recesserit. Haud tamen tunc temporis abjiciendus erit pœnitens, sed tractandus misericorditer, ut paulatim ad meliorem sensum adducatur. Eadem agendi ratio servari debet erga pœnitentes, qui post acceptam ab aliis Confessariis absolutionem relapsi fuerint. Interim sollicite cavendum est, ne quem ab uno periculo liberare conamur, in aliud gravius conjiciamus. Suaderi tamen potest fratri v. g., qui cum sorore peccavit, ut studii, peregrinationisve, aut artis ediscendæ prætextu, copiam obtineat e paterna domo discedendi; sorori item, ut in domum Religiosam ad tempus se recipiat, aut cognatas adeat, &c. imo in hisce tam arduis casibus Episcopus aliquando consuli potest, celato personarum nomine, ut tradit S. Carolus Borromæus.

REGULA IV. Si occasio vel non ita urgens sit, vel non præsens, sed ex earum numero, quas pœnitens extra se, domumque suam quæritare cogitur, mitius aliquando cum eo agi potest: potest enim absolvi, si & habitum peccandi nondum contraxerit, & ab occasione omnino adversus, & alienus esse prudenter judicetur; alioqui vero constanter differenda erit absolutio. Ita S. Carolus his verbis: *Quod spectat ad occasiones*, (quæ ita non urgent, aut præsentes non sunt,) *quales sunt aleæ vacatio, conversationes, aspectus, & gestus minus pudici, pœnitens absolvi non debet, nisi sincere promittat se ab iis abstenturum; quod si jam alias id promiserit, nec emendatus fuerit, differenda est absolutio, donec aliqua pœnitentis emendatio appareat.*

REGULA V. Cum iis, qui sunt in occasione sibi *per accidens* exitiosa, eodem *fere* modo agendum est, ac cum iis, qui versantur in occasione proxima per se.

Prob. quia utraque occasionis species æqualiter iis, qui in ipsa versantur, perniciosa est: unde Chirurgi, qui artem exercendo libidini suæ consentiunt; mercatores, qui fraudem, ac perjurium in commercio adhibent; œnopolæ, qui vinum iis, quos ebrios vident, negare non audent; Canonici, qui Chorum non frequentant, non ante sunt absolvendi, quam a sua quisque professione recesserit.

Dixi, *fere*; occasio enim per accidens reipsa in quibusdam differt ab occasione *per se*: I. enim qui in occasione *per accidens* versatur, non censetur esse in occasione proxima, cum ter solum, aut quater in ea peccavit: unde Advocatus, qui causas injustas semel, & iterum defendit, non statim ab officii sui exercitio removendus est; contra vero aliquando in occasione proxima esse censendus est, qui in ea versatur occasione per se, in qua semel tantum peccaverit. Sic puella, quæ semel cum hero, aut domestico fornicata est, judicari debet esse in occasione proxima; jam enim fracti sunt pudoris limites, jam timor ne procus, si quid sibi negetur, crimen commissum divulget, sufficit, ut iteretur culpa, ad quam de se proni sunt hominis sensus.

II. plura tentari debent remedia, antequam cogatur quis renuntiare occasioni per accidens, quæ ut plu-

plurimum fine gravi incommodo relinqui non potest, quam ut relinquatur occasio per se, quæ sæpius absque iisdem incommodis deseri potest.

Quæ hactenus de occasione peccati mortalis dicta sunt, ad occasiones peccati venialis extendi debent, servata proportione, & adhibitis his cautionibus, I. quod longe frequentior sit venialis peccati occasio, quam mortalis. II. quod major item sit difficultas vitandi venialis, quam mortalis; unde & justissimi quique vulgo in multis venialibus offendunt: Hoc tamen non impedit, quin ut ad peccati mortalis, sic & ad venialis remissionem obtinendam necessaria sit vera contritio, qua sæpius carent, qui ex habitu, & status sui consuetudine peccata semel, aut bis in hebdomade deponunt, & qua deposuerunt facilitate, denuo committunt. Solent ii quidem hinc se securos arbitrari, quod peccatis venialibus, quæ confitentur, grave aliquod præteritæ vitæ peccatum, ut certam Sacramenti materiam adjungant. Verum & hic quoque magna, & multiplex occurrit trepidandi ratio. Nempe vero, ut peccata vitæ præteritæ sint novæ absolutionis materia, necessum est, ut cum novo pœnitentiæ motu declarentur: is autem pœnitentiæ motus, ut pro sincero haberi queat, novum complecti debet propositum satisfaciendi Deo, eique majori deinceps cura famulandi. An autem propositum hoc habere judicabuntur, qui plurima, in quibus Deo displicent, emendare non satagunt, imo qui ad iterandas easdem Dei offensiones quasi jam nunc determinati sunt? Ii ergo soli hac in materia securi esse possunt, qui omni custodia servant cor suum a culpis etiam levioribus, sicque singulis suis gressibus invigilant, ut saltem ordinarie loquendo, ex sola infirmitate, & fragilitate, aut inadvertentia labantur.

## CAPUT TERTIUM.

*De proprietatibus Peccati.*

PER proprietates peccatorum intelliguntur I. eorumdem unitas, & distinctio, sive specifica, sive numerica. II. inæqualitas, & connexio.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De unitate, & distinctione specifica Peccatorum*
*(S. Thom. 1. 2. q. 72.)*

CUM ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. necessarium sit, ut pœnitens numerum, speciem, & circumstantias species mutantes in Confessione declaret, de his omnibus hic serio tractandum est. Porro tunc peccata specifice differunt, cum malitia eorum est rationis essentialiter diversæ; tunc autem numero solo discrepant, cum eorum malitia ejusdem est naturæ: unde furtum, & adulterium penes speciem distinguuntur, sed duo furta penes numerum differunt. Varias varii distinctionis hujus caosas assignant, eas rejiciam, quæ falsæ videntur; sequar, quæ veriores apparent. Unde sit

CONCLUSIO I. Oppositio notabiliter diversa cum æterna lege non inducit distinctionem specificam absolutam inter peccata.

Prob. quia alioqui qualibet circumstantia notabiliter aggravans mutaret speciem peccati: atqui hoc falsum est juxta omnes pene Theologos, qui cum S. Thoma docent magis, & minus, intensum, & remissum, &c. minuere, vel aggravare peccatum intra eandem speciem, sed ipsum aliam in speciem non transferre.

Dixi, *distinctionem specificam absolutam*, quia oppositio notabilis cum lege hoc sensu diversitatem specificam inducere potest, quod peccatum ex non destructivo charitatis faciat ejusdem destructivum, id est, ex veniali mortale. Hoc sensu furtum aurei additum furto assis mutat quidem speciem demeritoriam prioris furti; at non mutat speciem moralem absolutam ejusdem furti; quia utrumque furtum manet simpliciter in ratione furti, & sub furti genere continetur: hic porro præsertim inquirimus, unde petenda sit distinctio specifica absoluta peccatorum.

CONCLUSIO II. Distinctio specifica peccatorum non desumitur e diversitate præceptorum, si hæc eamdem numero materiam, & sub eodem motivo attingant.

Prob. quia qui usuram, aut simoniam committit, non nisi unum specie peccatum committit, ut fatentur omnes: atqui tamen usura diversis specie præceptis prohibetur, sicut & simonia; cum utraque prohibeatur jure naturali, divino, & positivo; ergo.

Hinc I. qui Sacrum omittit die Dominica, in quam incidit festum Sancti alicujus, non nisi unum specie, & numero peccatum facit. Idem dicendum I. de eo, qui jejunium violat feria quarta temporum, in quam incidit vigilia S. Matthæi. II. de eo, qui frangit votum, quod multoties renovavit. III. qui facit contra præcepta, quorum transgressioni diversæ diversis a superioribus pœnæ impositæ sunt: puta qui committit blasphemiam, quæ aliter lege civili, aliter lege ecclesiastica prohibetur. Ratio est, quia licet leges, quibus peccata hæc vetantur, sint materialiter diversæ, formaliter tamen, & ex communi sapientum judicio unum morale præceptum constituunt, quo res una uno eodemque motivo, & intuito præcipitur, aut prohibetur: sicut ergo multos virtutis actus non elicit, qui rem unam a multis superioribus eadem de causa præceptam exequitur; sic nec multa committit peccata, qui rem eamdem non facit.

Hinc II. & a contrario sensu Pater Minimus, qui die veneris carnes comedit, duplex specie peccatum admittit. Idem est de pœnitente, & qui ex Confessarii præcepto obligatus ad jejunandum sabbato carnibus vescitur. Ratio est, quia & Minimus, & pœnitens ad abstinentiam tenentur ex motivo duplici specifice diverso; Minimus quidem motivo Religionis, ratione voti, & pœnitens ex motivo pœnitentiæ, ratione obligationis sibi per Confessarium impositæ; uterque vero ex motivo abstinentiæ per legem ecclesiasticam imperatæ.

CON-

CONCLUSIO III. Specifica peccatorum distinctio repetenda est ex oppositione specie diversa cum lege.

Prob. Peccatum in esse peccati constituitur per suam cum lege oppositionem; ergo cum oppositio hæc specifice, & essentialiter diversa est, peccatum essentialiter, seu specifice diversificari debet. Quia tamen regola hæc, utpote generalior, facile in praxi applicari non posset, fit

CONCLUSIO IV. Tunc peccatum oppositionem cum lege specifice diversam habet, cum actio mala adversatur vel diversis virtutibus, vel diversis ejusdem virtutis officiis, vel eidem demum virtuti diverso modo, licet non contrario.

Prob. exemplis: I. enim infidelitas, desperatio, odium Dei, & superstitio sunt peccata specie diversa, quia diversis adversantur virtutibus, fidei scilicet, spei, charitati, & religioni. Sic quoque furtum in loco sacro, effusio sanguinis in eodem loco, percussio Clerici, parricidium, & similia, licet forte uno actu consummentur, plures tamen specie malitias continent, quia pluribus virtutibus specia diversis adversantur, puta justitiæ, quæ prohibet, ne alterius bonis, aut personæ damnum inferatur, & religioni, aut pietati, quæ vetant, ne loca sacra profanentur, ne lædatur honos Clericis, & patri debitus.

II. idololatria, & superstitiosus cultus; blasphemia, & sacrilegium specie different, quia diversas ejusdem virtutis, religionis nempe functiones lædunt: vetat enim religio, ne alius a vero Deo colatur, contra quod facit idololatria; & ne Deus illegitimo cultu honoretur, contra quod facit superstitio, &c. Pariter hæresis, & omissio actus fidei; odium Dei, & omissio actus charitatis assentialiter distinguuntur, quia diversa fidei, charitatisque officia lædunt: fides enim non solum exigit, ut nihil divinæ revelationi contrarium credatur, sed etiam ut aliquando positivos assensus nostri actus eliciamus; charitas vero & excludit odium Dei, & expressum ejus amorem imperat.

III. prodigalitas, & avaritia; præsumtio, & desperatio diversæ sunt naturæ, quia licet non solum opponantur virtuti, liberalitatis scilicet, vel spei, ab ea tamen duobus modis contrariis, ac proinde specie diversis recedunt, per excessum scilicet, & defectum.

IV. furtum, rapina; detractio, homicidium specifice differunt, quia eandem justitiæ virtutem impugnant diversimode: alia enim est ratio exerendi justitiam servando bona alterius, alia servando famam, aut vitam ob speciales, quæ circa hoc occurrunt, difficultates; ergo alia quoque est ratio eandem justitiam violandi, nocendo bonis, famæ, aut vitæ.

Ex dictis colliges peccati speciem sæpe per solas circumstantias mutari: ut autem intelligatur quando id contingat, non abs re erit paulo fusius differere de circumstantiis. Eæ vero definiri possunt accidentia quædam actus humani, sine quibus actus ille secundum essentiam esse, & concipi potest. Sic quia furtum concipi non potest sine acceptione rei alienæ, sequitur acceptionem illam non esse circumstantiam, sed ipsam essentiam furti; quia vero furtum concipi potest, absque eo quod cogitetur de loco sacro, vel profano, de tali, vel tali quantitate, sequitur & locum, & hanc, vel illam quantitatem esse accidentia, seu circumstantias furti.

Septem numerari solent actus humani circumstantiæ hoc expressæ versu: *Quis, quid, ubi, quibus auxilis, cur, quomodo, quando*.

*Quis* denotat personæ operantis qualitatem accidentariam, conferentem aliquid bonitatis, vel malitiæ actui morali, v. g. quod operans peritus sit, vel rudis; Sacerdos, vel laicus; liber, vel obstrictus voto; Beneficiatius, conjugatus, &c.

*Quid* denotat objecti qualitatem, aut quantitatem accidentariam, v. g. an persona, quæ læsa est, sit superior, pater, vel Sacerdos; an res furtiva sit sacra, an pauperi erepta sit; an ea, quæ est objectum luxuriæ, consanguinea sit, affinisve, aut voto castitatis, vel vinculo conjugii obstricta; an ex detractione damnum sit subsecutum, &c.

*Ubi* denotat conditionem loci v. g. quod in loco sacro effusus sit sanguis, aut semen; quod in loco publico scandalose peccatum sit.

*Quibus auxiliis* denotat personas, media, instrumenta aliaque id genus, quibus quis usus est ad operandum; v. g. an quis ope dæmonis, aut malefici, veneno, instrumento prohibito usus sit ad occidendum hominem, aut inspirandum amorem sui; an Missam celebraverit absque calice consecrato, an alios jussu, vel consilio furti sui socios effecerit.

*Cur* denotat non finem operis, qui ex opere satis intelligitur, sed finem operantis, v. g. quod quis furatus sit ad mœchandum.

*Quomodo* denotat accidentalem actus modum, v. g. quod actus sit commissus intense, vel remisse; sponte, vel coacte; scienter, aut ex ignorantia; motu primo, vel secundo primo; contra, vel secundum dictamen conscientiæ.

*Quando* denotat accidentariam temporis conditionem, v. g. an frequentata sit taberna die festo, vel tempore divini Officii; an manducatæ carnes die jejunii; an detractio longo tempore perduraverit.

Duplex est circumstantiarum genus: aliæ mutant speciem actus, aliæ non mutant.

Circumstantiæ speciem mutantes, sumtæ ut in præsenti sumi debent, prout in Confessione necessario aperiendæ sunt, sunt eæ, quæ actioni morali addunt malitiam mortalem specie distinctam a malitia, vel a substantia actus præcise, & solitarie sumti.

Dixi I. *malitiam mortalem*; quia si circumstantiæ addant malitiam solum venialem, non mutabunt speciem ad mentem Concilii Tridentini: unde si quis duellum ineat ex aliquo gloriolæ motu, circumstantia *cur* in confessione reticeri potest.

Dixi II. *specie distinctam*; circa quod notandum circumstantias, quæ speciem non mutant physice, eam sæpius mutare theologice, & demeritorie. Sic furtum magnum, & parvum, licet non different specie physica, nec etiam morali absoluta, differunt tamen theologice, & specie morali demeritoria, quatenus furtum mortale meretur privationem gratiæ, & gloriæ, leve non item.

Dixi III. *a malitia, vel substantia actus*; quia circumstantia mutans speciem aliquando addit malitiam ma-

castitiæ, ut patet in furto rei sacræ; aliquando addit malitiam *substantiæ* actus objective boni, ut videre est in eleemosyna, quæ datur virgini ad labefactandam ejus integritatem.

Hinc generatim, & absolute loquendo, triplex statui potest circumstantia mutans speciem necessario confitenda. Prima, quæ ex peccato veniali efficit mortale ejusdem speciei moralis absolute, sed alterius speciei moralis demeritoriæ, talis est circumstantia quantitatis in furto. Secunda, quæ ex peccato vel veniali, vel mortali unius speciei efficit mortale speciei alterius; ex veniali quidem, ut in verbo otioso, sed prolato intuitu fornicationis; ex mortali autem, ut in furto gravi directo ab ebrietate. Tertia quæ ex actu objective bono, actum letaliter vitiosum efficit ut in casu mox allato eleemosynæ, quæ puellæ datur ad corrumpendam ejus pudicitiam.

Circumstantiæ non mutantes speciem sunt eæ, quæ efficiunt objectum actionis alicujus sub eadem moralitate, quam actio illa ex natura sua habet, ut intensio, remissio, quantitas, duratio, ignorantia, vis, metus, & similia, ex quibus actio magis, aut minus vituperio, vel laude digna efficitur. Circumstantiæ illæ dividuntur in notabiliter aggravantes, & minuentes.

Circumstantia *notabiliter aggravans peccatum* ea est pro præsenti, quæ peccati malitiam mortalem in eadem specie plurimum adauget, faciens nempe, ut unicum peccatum pluribus, & saltem duobus mortalibus æquivaleat, sive ratione quantitatis materiæ, ut si quis tres aureos furetur; sive ratione durationis, ut si quis delectationi morosæ per plures horas indulgeat; sive ratione summæ intensionis, ut si quis æternam damnationem optet inimico suo.

Circumstantia *minuens* pro præsenti ea est, quæ aliquid adimit de gravitate peccati in sua specie relictis: talis est circumstantia metus in homine, qui ex timore mortis fidem negat, quique ideo minus quidem peccatum committit, sed nihilominus semper mortale. Circumstantia quæ ita minueret peccatum, ut illud de mortali faceret veniale, non esset præsentis instituti, quia necessario non esset confitenda. Jam superest ut tradamus regulas, unde cognosci possit quandonam peccati species penes circumstantias diversificetur; qua de re conformiter ad principia superius stabilita sit

REGULA UNICA: Circumstantia mutat speciem peccati, quotiés in actu ponit specialem cum lege repugnantiam, quam actus præscindendo ab illa circumstantia non habet: porro toties circumstantia specialem hanc cum lege repugnantiam actui communicat, quoties efficit, ut actus impugnet vel virtutes diversas, vel diversa ejusdem virtutis officia, vel eandem virtutem modo contrario, aut disparato. Sequitur ex dictis. Ut autem regula hæc singulis circumstantiis applicari facilius possit, eas sigillatim percurremus. Itaque

Circumstantia *quis*, seu personæ, mutat peccati speciem in triplici casu: I. in quacumque materia cum persona speciali vinculo, voti v. g. promissionisve obligatur ad rem aliquam, quæ aliunde jam vel ipsi soli, vel omnibus aliis præcepta erat. Patet id exemplo illius, qui ex voto obligatus ad jejunandum; quo tempore vel alii Fideles ad jejunium obligantur, vel ipse jam ex Confessarii præcepto obligatus erat, jejunium omittit. II. in materia charitatis erga proximum, si persona sit publica, aut ad aliquid ex officio teneatur: unde Parochus, qui Sacramenta non administrat, Magistratus, qui bonis, & saluti civium non consulit, non charitatem modo, sed & justitiam lædunt. III. in materia castitatis, si persona multis titulis ad castitatem teneatur, ut qui sacris Ordinibus initiati sunt, qui conjugii, consanguinitatisve legibus obstringuntur. Ex iis principiis facile colligetur peccatum sæpius notabiliter aggravari ex conditione personæ: gravius enim peccat Sacerdos, aut Religiosus se inebriando, quam simplex Laicus.

Circumstantia *quid*, sive objecti, speciem mutat: I. cum objectum sive omnibus, sive aliquibus ratione specifice diversa prohibitum est. Hac de causa qui peccat cum Religiosa, aut consanguinea, crimen a fornicatione diversum committit, & eo gravius, quo magis consanguinea est persona, cum qua peccat; idem dic de furto rei sacræ, de percussione Clerici, de commercio cum conjugata, aut etiam juxta multos simpliciter desponsata, de parricidio, aut uxoricidio.

II. cum ex positione actus circa aliquod objectum sequitur, aut sequi potest positio alterius actus circa aliud objectum sub diversa ratione prohibitum. Hinc duo specie peccata committit: I. qui jurando exponit se manifesto vitæ discrimini. II. qui venatur contra jus alterius, & segetes conculcat. III. qui tempus inutilibus in colloquiis terendo, exponit se, vel alium proximo peccandi periculo. IV. qui actione sua dat proximo scandalum, & occasionem ruinæ spiritualis.

De scandalo agam ubi de charitate. Hic obiter dicam, in scandalo non solum *directo*, quo quis intendit spiritualem proximi ruinam, sive ex desiderio ipsius ruinæ, quod diabolicum est, & rarum, sive ad satisfaciendum suis passionibus, quod commune est; sed etiam *indirecto*, quo quis aliquid agit, unde prævidere potest secuturam proximi ruinam, licet eam non intendat, duas reperiri malitias, quorum prior opponitur charitati debitæ proximo, posterior vero opponitur virtuti, ad cujus violationem inducitur proximus. Unde qui se inebriat, aut mœchatur, prævidendo alios exemplo suo idem facturos esse, etsi id non intendit, peccat & contra charitatem, & contra temperantiam, aut castitatem; adeoque non sufficit, ut accuset se de dato scandalo ut sic, sed de tali specie scandali, dicendo v. g. Turpiter egi, vel locutus sum coram sex personis, quarum altera conjugata erat, altera habebat votum castitatis.

Circumstantia parvæ, vel magnæ quantitatis, aut intensionis notabiliter aggravare, aut minuere potest peccatum, ut patet in furto, & odio: sed nisi peccatum, e veniali mortale faciat, non mutat speciem stricte, prout hæc mutatio sumitur in præsenti.

Circumstantia *ubi*, seu loci mutat peccati speciem. I. in furto tum rei sacræ, tum etiam rei non

sacræ

sacræ in loco sacro; quia, ut docet Joannes VIII. ( c. 21. XVII. q. 4. ) *sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* II. in homicidio, in pollutione voluntaria etiam occulta, in tactibus, aspectibusve impudicis, etiamsi hæc fiant sine periculo pollutionis; quia peccata hæc tam graviter opponentur reverentiæ debitæ locis, in quibus vel ipsi Angeli contremiscunt, ut seclusa quacumque Ecclesiæ prohibitione novam, eamque gravem malitiam inducant.

Imo reverentia templis debita videtur violari per copulam conjugalem, quæ belli tempore a conjugibus ibidem absconditis haberetur, etiam propter incontinentiæ periculum. Ratio est, quia hi conjuges alia habent media, quibus huic periculo obviare possunt, ea nempe, quibus uti deberent, si conjugum alter vel gravi infirmitate decumberet, vel diu ob negotia abesset: aliunde vero certum videtur conjuges tantum locis sacris debere reverentiæ, quantum sibi invicem debent sobrietatis, & misericordiæ, dum infirmantur.

Gravior est quæstio, an omnia prorsus peccata in Templis commissa specialem contrahant malitiam ratione loci sacri.

Negant communius recentiores, si sermo sit de aliis peccatis præter furtum, homicidium; copulam, aut pollutionem, aliaque peccata eidem affinia, quæ statim recensui. Quia, inquiunt, hæc solum crimina speciali Ecclesiæ præcepto in locis sacris vetita sunt. Hæc tamen regula non videtur universaliter vera. Quis enim a gravi sacrilegio eos excusare ausit, qui in Ecclesiam equos, & jumenta inducerent ut in stabulum; qui in ipso Sanctuario sacrificia Idolis offerrent; qui ibidem mercatum profanum, nundinasve, & a fortiori lascivas comœdias haberent? ergo in his saltem, aliisque ejusdem generis casibus ratio sacrilegii non ab extrinseco, seu ab Ecclesiæ præcepto repetenda est, sed ex ipsa loci sanctitate, cui gravis infertur injuria.

Hinc Medina, & alii quidam affirmant circumstantiam loci sacri in quocumque peccato mortali, sive externo, sive interno esse necessario explicandam: I. quia innumera sunt peccata, quæ non minus adversantur reverentiæ loci sacri debitæ, quam furtum. II. quia jus naturale, quo prohibetur irreverentia in sacris locis, nec distinguit inter irreverentiam internam, & externam, nec inter peccata externa, & interna. III. quia communis sensus indicare videtur magis esse impium, ut *ubi peccatorum venia est postulanda, ibi deprehendantur peccata committi*, ut loquitur Gregorius X.

Habet hæc opinio: I. quod tutior sit. II. quod salsem æque probabilis sit ac opposita. III. nec tam difficilis est in praxi, quam prima fronte videri potest: satis enim est ad hujusmodi circumstantias explicandas, ut pœnitens post unamquamque peccatorum classem interrogetur an quintam, sextamve horumce peccatorum partem in Ecclesia commiserit.

Circa circumstantiam *quando*, seu temporis duplex etiam est Theologorum opinio.

Prima, quam passim tenent recentiores, negat circumstantiam temporis sacri esse necessario explicandam in peccato mortali, nisi forte in quibusdam casibus, ut si quis committat peccatum grave feria sexta Parasceves, aut ea ipsa die qua Eucharistiam recepit; item si quis die festa dæmonem invocaret, &c.

Secunda censet crimen quodcumque novam malitiæ speciem cotrahere, ex eo quod scienter committatur die Dominica, vel festa. Hæc opinio, quam, ut notat Lugo, *non pauci, nec ignobiles* tenent, probabilior videtur, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco. Et quidem I. eam tenet S. Augustinus tract. III. in Joan. *Spiritualiter*, inquit, *observat sabbatum Christianus abstinens se ab opere servili. Quid est ab opere servili? a peccato*; ergo sicut qui serviliter laborat die festo, circumstantiam hanc aperire tenetur, ita ex Augustini mente eandem circumstantiam confiteri tenetur, qui peccat die festa.

II. idem, præter Alensem, Lyranum, & alios, quos refert Lugo, docent S. Bonaventura in Opusculo, cui titulus, *Confessionale* cap. 2. ubi tradit *interrogandum esse pœnitentem de tempore, quo peccatum perpetravit, utrum videlicet in die festivo, vel non festivo.* & S. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. his verbis: *Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus* alias *licitum, quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit.* Unde sic: *Magis contra* tertium *præceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit*: atqui peccatum hujus ex natura sua mortale est; ergo & illius mortale erit, & magis mortale. Idem docet S. Antoninus.

Secundo: Eadem nostra opinio ut auctoritate, sic & ratione prævalet: I. enim diebus festis omne opus servile prohibitum est: atqui, ut supra docebant Patres, nullum est opus servile magis, quam opus peccati. Et quis putet eum, qui per horas duas ligna colligit die sabbati, hoc solo æternam mereri mortem, & eam non mereri, qui per tres, aut quatuor horas vino, luxuriæ, detractioni, ludisve furore, & blasphemia plenis indulget? hæc sane fidem superant.

II. Christiani diebus festis debent ab iis operibus feriari, quæ præcipue impediunt, ne cultui divino vacent: atqui nihil est quod divino cultui magis obsistat, quam peccatum; ergo.

III. vix adversarii ullam pro opinione sua rationem afferunt, nisi quod Confessarii de hac temporis circumstantia pœnitentes interrogare non solent, & quod multiplicatio festorum plus noceret Fidelibus, quam prodesset: atqui momenta hæc nullius sunt roboris. Non primum, tum quia non desunt etiamnum Confessarii, qui de hac circumstantia interrogent, tum quia certum est interrogationem hanc antiquitus omissam non fuisse; cum tot veteres Theologi, & inter alios S. Bonaventura eam faciendam esse docuerint; tum quia si pœnitentes id omittunt, utique defectu instructionis; instruantur ergo, & facile ad hanc adducentur viam, quæ aliis tutior est, & fundatior. Non secundum: si enim festorum multiplicatio nocet, id non Ecclesiæ, sed malis Christianis imputandum est. Certe, fatente Lugo,

go, negari non potest, *quod circumstantia* temporis *det* peccato *malitiam specialem sacrilegii, saltem levem*: an ergo festorum multiplicatio hinc reprobanda erit, quod gravius tunc temporis peccent Christiani? Hæc igitur pensent tum Confessarii, tum præcipue discoli illi Christiani, qui quidquid meditantur criminis, suas v. g. comessationes, ebrietates, & alia etiam pejora, in festivos dies velut ea condicto reservant.

Censeo tamen vix ullum quoad præteritas Confessiones pro circumstantia temporis injiciendum esse scrupulum: nam pœnitens vel talis est conditionis, ut peccata, quæ confitetur, diebus profestis, perinde ac feriatis committere potuerit, (quod etiam multum pendet a genere peccati); ut sunt Scholastici, & alii plures parum occupati: vel vix aliis, quam festis diebus peccare potuit, ut plerique artifices, quoad certa quædam peccata, v. g. ebrietatem. Si 1. præsumi debuit pœnitentem æque festis diebus, ac aliis peccasse, præsertim si raro Sacramenta frequentabat: sicque quædam peccatorum ejus repartitio pro rata temporis naturaliter facta est a Confessario. Si 2. vix fieri potest, ut Confessarius non intellexerit certa quædam peccata pene semper festis diebus contigisse, qualia sunt ebrietas, longæ, & periculosæ cum personis alterius sexus confabulationes: alia vero profestis, sicut & festis diebus contigisse supponentur, ut pollutiones, aspectus impudici, &c.

Addi forte potest, quod cum peccatum festis diebus commissum non impediat earum sanctificationem, nisi quatenus est opus quoddam servile, necessum non sit, ut explicetur circumstantia temporis sacri, nisi cum duratio actus peccaminosi ad eam accedit quantitatem, quæ sufficeret, ut serviliter laborans non impleret præceptum Ecclesiæ. Unde Confessarii aliqui, quos ea de re consului, non interrogant pœnitentes de circumstantia temporis, nisi cum agitur de ebrietate, de detractione, sermonibus impuris, & similibus, quæ per longum tempus continua essent. Quia tamen pejus est peccare, quam laborare, minus exigerem temporis in peccato ad violationem diei festivæ, quam in alio quocumque opere servili.

Circumstantia *loci publici* sæpius affert actioni novam malitiæ speciem, scandali, v. g. injustitiæ eo majorem, quo quis coram pluribus peccat.

Circumstantia *quibus auxiliis*, etsi raro, quibusdam tamen in casibus mutat speciem peccati: ut I. si quis usus sit instrumento specialiter, & graviter prohibito, aut cujus usus specialem habeat cum aliqua virtute repugnantiam: si quis v. g. cum oleo sancto, vel aqua benedicta aliquod facinus perpetraverit: II. si quis aliorum operam aut quæsierit, aut adhibuerit ad malum finem: nam alium ad peccatum inducere, peccatum est scandali specie diversum a peccato, quod a te ipso in eadem materia fieret; unde qui precibus rem veneream extorquet a puella, alias ad crimen non parata, circumstantiam hanc confiteri debet. III. si quis ope dæmonis expresse, vel tacite invocati aliquid consequi voluerit; hæc enim cum dæmone societas novum est crimen.

Circumstantia *cur*, seu finis tripliciter contingere potest: I. enim aliquando fit, ut actio de se bona ad finem mortaliter malum referatur, ut si quis stipem eroget mendico, ut eum ad grave furtum inducat, tunc vero haud dubium est, quin circumstantia hujus finis speciem mutet, quia actum ex bono facit mortaliter malum. II. aliquando contingit, ut tam actio, quam finis, propter quem fit, habeant mortalem malitiam, seu diversæ speciei, ut si quis furetur ad se inebriandum, seu speciei ejusdem, ut si quis furetur scalas unius, ut alterius pecuniam furetur. Utraque in Confessione exprimi debet. III. demum sæpe fit, ut finis ex se mortaliter malus non sit, actio vero, vel omissio, quæ propter eum fit, sit mortaliter mala: ut si quis Sacrum omittat, quo vel garriat, vel studio vacare possit; & tunc studium non aliam habet malitiam, quam quæ ipsi actioni, vel omissioni annexa est, ut dicam infra 2. part. c. 2.

Circumstantia *modi* sæpius peccatum intra eandem speciem minuit, aut aggravat: gravius enim peccat, qui cum plena, quam qui cum semiplena advertentia peccat; aut qui ex malitia, & scienter, quam qui ex ignorantia, passione, metu, aut precibus; item qui intense agit, quam qui remisse. Hæc tamen peccata ejusdem sunt speciei, quia magis, aut minus non mutant speciem, nisi cum peccatum ex veniali faciunt mortale.

Non raro tamen evenit, ut circumstantia modi speciem mutet. Sic I. modus violentiæ injuriosæ constituit rapinam in furto, stuprum in fornicatione. II. modus detrahendi coram ipsa persona, cui detrahitur, addit detractioni malitiam contumeliæ. III. modus peccandi ex contemptu formali, aut odio, invidia, inobedientia, &c. addit peccato propriam contemtus, odii, & similium malitiam: secus si hæc expresse & specialiter non intendantur; alioquin enim non erunt nisi generales circumstantiæ, quæ cuilibet peccato accidunt, cum contemtus v. g. divinæ legis, ingratitudo, & similia in omni peccato reperiantur.

Tria hic quæruntur: I. an qui reliquias gerens, peccat, circumstantiam hanc aperire teneatur. II. an pœnitens explicare debeat se inspirationi divinæ restitisse. III an actus diuturnitas explicanda sit.

R. ad 1. non excusarem a gravi peccato contra religionem eum, qui Eucharistiam portans, actum venereum, detractionem, contumeliam, & alia id genus peccata committeret. At non credo eum, qui alicujus Sancti reliquias secum portat, eo solo tam reum fieri dum peccat, ut circumstantiam hanc aperire teneatur; alioqui satius esset ab hoc pietatis actu abstinere, cum nemo sit, qui sæpius non cadat saltem venialiter, & qui consequenter levia hæc peccata non adaugeret.

R. ad 2. affirmat. si inspiratio vehemens fuerit; quia talis neglectus peccatum notabiliter adauget.

R. ad 3. durationem, si notabilis sit, exprimendam esse, licet, quod rarum est, peccata per eam non multiplicentur. Quæ autem duratio ita sit notabilis, ut exprimi debeat, facile definiri non potest. Eam puto explicandam, quæ declarato tali peccato non intelligitur communiter: unde qui plures per horas detractionem, aut actus pudicitiæ contrarios serie non interrupta continuavit, ad hanc tanti temporis diu-

dinturnitatem, fine qua vulgo intelliguntur detractio, & tactus impudici, aperiendam tenetur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De distinctione numerica Peccatorum.*

EX dictis constat numericam peccatorum distinctionem scitu esse necessariam, tum Confessariis, tum pœnitentibus, qui numerum peccatorum mortalium confiteri debent: at cognitio hæc ob varias ea de re opiniones difficilis evasit. Nos quæ veritati propiora videntur, proponemus.

Ante omnia pro certo tenendum est peccata specie diversa, licet in uno eodemque actu reperiantur, numero etiam multiplicari, saltem æquivalenter. Ratio est, quia in iis, quæ essentialiter differunt, unum non est aliud: ubi porro unum non est aliud, ibi multiplicatur numerus.

Tota igitur quæstio est, quando peccata penes speciem, seu naturam indistincta penes numerum distinguantur.

Difficultas hinc oritur, quod in uno actu plura quandoque peccata concurrant; quandoque vero in multis actibus non nisi unum reperiatur peccatum. Unde duplex hic statuenda est regula, quarum prior ostendat, an, & quando actus physice unus plures numero malitias complectatur; posterior, an & quando ex multis actibus unum, vel multiplex peccatum exsurgat. Prior regula erit de uno acto relative ad plura objecta, posterior de multis actibus relative ad unum objectum. Sit

CONCLUSIO I. In uno actu plures numero malitiæ aliquando continentur; idque contingit, quoties una, eademque virtus violatur relative ad plura objecta, quæ licet ejusdem sint rationis, non tamen se habent per modum unius.

Prob. 1. pars. Tam actus physice unus potest esse numero multiplex in genere moris, quam actus physice unus esse possit specie multiplex in eodem genere moris: atqui actus physice unus potest esse specie multiplex in genere moris, ut supra probatum est exemplo unius furti in loco sacro; ergo a pari.

Confirm. Ideo actus physice unus est aliquando specie multiplex, quia jura specie diversa lædit, pota jus religionis, & justitiæ in furto rei sacræ: atqui pariter actus physice unus jura numero distincta lædere potest; ut si quis detrahat de decem hominibus, quorum unusquisque proprium habet jus in famam suam.

Prob. 2. pars. Tunc multiplicantur malitiæ, cum multiplicantur læsiones juris; jus enim late sumtum pro jure charitatis, justitiæ, aut pietatis est ratio, & mensura offensæ; cum offensa nulla esset, si nullum jus læderetur: atqui læsiones juris numerice multiplicantur, cum violatur eadem virtus relative ad plura objecta materialia, quæ non habent se per modum unius sed seorsim complete, & adæquate intelliguntur: tunc enim jus unius numerice distinguitur a jure alterius, ac proinde læsio juris unius numerice distinguitur a læsione juris alterius; ergo.

Hinc colliges I. eum, qui uno actu duos homines odit, de duobus detrahit, duos occidit, aut occidere meditatur, morose delectatur de copula cum duabus, aut pluribus habita, duo, aut plura peccata committere.

Colliges II. eum, qui uno actu centum nummos centum personis eripit, centum committere peccata, licet si eosdem centum nummos uni personæ furetur, non nisi unum faciat peccatum, gravitate tamen æquivalens centum furtis unius nummi: quia in priori casu centum numero jura lædit, sicut qui uno ictu centum homines occidit; in posteriori non lædit nisi jus unicum.

Colliges III. eum, qui blasphemat contra 12. Apostolos, aut qui familiæ 12. personis constanti mortem, aut infamiam parat, 12. peccatorum reum esse. Et vero si quis occidisset omnes ejusdem familiæ personas, in qua essent pater occisoris, ejusdem uxor, Sacerdotes, & Laici, haud dubium est, quin reus esset parricidii propter patrem, uxoricidii propter sponsam, sacrilegii propter Clericos; ergo a pari.

Colliges IV. Sacerdotem in malo statu tot peccata committere, quot vel audit confessiones, vel pœnitentes absolvit, vel baptizat infantes, aliave Sacramenta administrat. Ratio est, quia administratio uni facta tam moraliter distincta est ab administratione facta alteri, quam occisio unius, & alterius successive facta uno iracundiæ impetu moraliter distinctæ sint. Idem dicendum credimus de administratione Eucharistiæ pluribus facta; quia licet idem sit convivium, ejus tamen administratio pluribus facta, est actio integra, & ab alia independens. Qui aliud sentiunt, fatentur tamen eum, qui pluribus Eucharistiam porrexit, eorum numerum exprimere debere, vel si numeri non meminit, exprimere debere tempus, per quod administravit.

Colliges V. conjugatum, qui alterius uxorem cognoscit, hac una actione duplex numero crimen committere, quia duo violat jura.

Colliges VI. eum, qui bis, aut ter successive se polluit, totidem committere peccata numero distincta, quia quælibet pollutio est opus integrum ab altero ejusdem generis scelere adæquate distinctum.

Si tamen actus etiam physice distincti ad actum principalem ordinentur, atque ex ejus intentione fiant, tunc unum numero peccatum constituunt cum actu principali, quia moraliter spectantur ut ejus inchoatio, & præparatio: onde qui ex intentione fornicandi puellam sollicitat, impudicis oculis respicit, tangit, & completo crimine de eodem gaudet, ei sufficit, si actum fornicationis exprimat; quia cætera ex usu totius Ecclesiæ satis intelliguntur per regulam a communiter accidentibus. Quod si actus præambuli non fierent ea intentione actus principalis, sed ob propriam eorum delectationem, deberet pœnitens eos separatim ab actu principali confiteri, etiamsi postea ad copulam deventum sit, quia unum cum ea crimen non conficerent.

Cæterum verius nobis videtur tactus, & similia, quæ

quæ copulam statim consequuntur, esse peccata ab eadem moraliter distincta, & ut sic seorsim explicanda, non modo cum ad novam copulam, aut pollutionem ordinantur, sive hæc sequantur, sive non; verum etiam cum ex novæ pollutionis intentione non fiunt; quia crimina hæc nec sunt partes copulæ præcedentis, utpote jam penitus consummatæ; nec magis ejus sunt appendices, quam sequens copula, vel pollutio, ad quam ex natura sua disponunt.

Addunt viri graves eum, qui uno quodam impetu venereo, unaque carnalis delectationis intentione se, vel alium decies cum aliqua interruptione tangit, unum moraliter peccatum committere, quia hæc censentur una moraliter actio, sicut censetur una moraliter comestio ejus, qui plura successive fercula manducat. Idem dicunt de eo, qui uno rixæ impetu plura in eundem jacit convicia ejusdem rationis, v. g. eum furem vocando.

Quod si quis alium contumeliis specie diversis continenter afficiat, puta eum furis, adulteri, hæreticive, aut aliis nominibus impetendo, tunc diversa erunt specie peccata, quia diversæ sunt specie læsiones. Probabile tamen est, quod dicunt aliqui, eum, qui plures in alium evomit injurias, quibus nemo fidem habet, non nisi unius peccati reum esse: tum quia totalis harumce injuriarum effectus is tantum fuit, ut alter ad iracundiam excitaretur; tum quia qui sic agunt, aliorum honori non nocent, sed seme ipsos omnium ludibrio objectant. Hæc, ut opinor, ex circumstantiis æstimanda sunt.

Colliges denique, eum, qui bibiliothecam multis libris constantem, magnum pecorum gregem, aut frumenti acervum furatur, aut furari vult; similiter qui uno actu pecuniam viatoris, equum, & vestes aufert, domumve, in qua multa sunt cubicula, comburit, unam tantum malitiam contrahere, quia hæc objecta habent se per modum unius; explicanda tamen est rei quantitas, vel quia ea se habet instar circumstantiæ notabiliter aggravantis, vel quia ad ipsam actus substantiam pertinet. Sed quia contingere potest, ut actus, qui circa idem versantur objectum, plures habeant malitias, idcirco nova hic opus est regula, quam supra promisimus. Sit itaque

CONCLUSIO II. Actus, qui circa idem objectum versantur, habent malitias numero distinctas, cum moraliter distincti sunt, & ut ajunt, discontinuati. Censentur autem moraliter distincti, & interrupti; I. cum prior voluntas revocatur per voluntatem contrariam. II. cum voluntas libere cessat ab actu, ut se alio convertat. III, probabiliter etiam cum ab actu involuntarie, & quasi naturaliter cessat.

Prob. 1. pars. Tunc multiplicantur numerice peccata, cum multiplicantur actus humani moraliter mali: atqui ii multiplicantur, cum plures etiam circa idem objectum eliciuntur actus voluntatis moraliter distincti. Moralis enim interruptio facit, ut actus non sint inter se moraliter connexi; sicut moralis continuatio facit, ut actus, licet physice multiplices, sint unus moraliter actus: atqui actus, qui inter se moraliter connexi non sunt, totidem sunt actus moraliter mali, cum pugnant contra rationem: ergo iis multiplicatis necessum est, ut multiplicentur peccata.

Prob. vel potius explicatur 2. pars quoad tria, ex quibus constat, capita: I. itaque actus mali moraliter interrupti censentur, adeoque & multiplicantur peccata, cum prior voluntatis actus per contrariam voluntatem retractatur. Ratio est, quia retractatio hæc efficit, ut posterior actus non possit eum priori in unum moraliter actum coalescere. Hinc si quis furari velit, & postea voluntatem hanc abjiciat, atque eam, brevissimo licet interposito tempore, resumat, duo numero peccata committit: unde patet angusto temporis spatio decem, & amplius peccata committi posse.

II. multiplicantur malitiæ per voluntariam cessationem ab actu, ejusque iterationem. Ratio est, quia prior voluntas, hoc ipso quod libere dimissa fuit, non fuit moraliter continuata; quia alioquin moraliter dimissa fuisset, & non fuisset, quod absurdum est. Hinc qui visa puella eam male concupiscit, & postea ab ea libere se divertit, ut alia cogitet, statimque ad priorem delectationem revertitur, duo admittit peccata.

III. tandem probabile est malitias multiplicari per cessationem ab actu, etiam involuntariam, & naturalem, v. g. per somnum etiam brevem: per distractionem, & inadvertentiam naturalem, saltem si hæc satis longa sit, ut juxta prudens judicium prior actio cessasse, & altera incepisse censeatur. Ita multi, quorum hæc est ratio, quod actus, qui nihil habent, in quo uniantur, & qui nec in se, nec in ullo effectu suo continuantur, non possunt moraliter censeri unus idemque actus: atqui ubi est interruptio sive voluntaria, sive naturalis jam actus interrupti nihil habent, in quo uniantur; ergo.

Aliter ratiocinari solent Theologi de actibus, qui in effectu externo perseverant: ii enim propter hancce continuationem in aliquid moraliter unum coalescere censentur: unde qui ex voluntate occidendi inimicum mane consurgit, arripit gladium, proficiscitur, hostem inquirit, & post plures horas repertum aggreditur, pluries vulnerat, & tandem occidit; etsi de aliis rebus cogitaverit in itinere, confabulatus fuerit cum aliis, aliquid legerit, & sæpius occidendi voluntatem renovaverit, unum moraliter peccatum committit, (eo tamen gravius, quo pluries occidendi voluntatem renovavit). Ratio est, tum quia prior voluntas in illa actuum externorum serie perseverat, & continuatur, tum quia interruptio, quæ hic occurrit, non censetur nisi interruptio physica. Porro interruptio physica unitati morali non nocet, ut patet in prandio, quod unicum censetur, licet per colloquium aliquod, aut epistolæ lectionem interrumpatur. Ita vulgo rigidiores Casuistæ.

Circa tertiam hanc regulæ nostræ partem, quæ difficultate non caret, & a quibusdam rejicitur, duo tenenda sunt in praxi: I. circumstantiam durationis, si modum ordinarium excedat, in Confessione esse exprimendam, si non ut multiplicativam peccati, at certe ut notabiliter aggravantem: v. g. perseveravi per hebdomadam in odio: per plures horas in delectatione venerea. II. dicendum cum iis, qui eandem

re-

regulæ partem recipiunt, melius esse, & tutius, si pœnitens exprimat, an sæpe, vel raro, & quoties (si fieri potest) actus peccati sui renovaverit: tunc enim declaratur numerus eo modo, quo declarari moraliter potest, & per modum unius confusæ multitudinis in tali mora inclusæ.

## ARTICULUS TERTIUS.

*An Peccata omnia sint æqualia, & secum connexa.*

CONCLUSIO. Non omnia peccata sunt æqualia. Est de fide contra Stoicos, & Jovinianum.

Prob. I. ex Matth. 12. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei*; dantur ergo peccata quorum alia difficilius remittuntur, quam alia: atqui res non ita esset, si omnia forent æqualia. Idem expresse docet Christus Joan. 16. his verbis, *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*; ergo.

Prob. II. tum quia ex peccatis quædam venialia sunt, quædam mortalia; tum quia quædam plus adversantur rectæ rationi, ut homicidium, quam alia, ut læsio famæ alienæ; tum demum quia si ex virtutibus quædam aliis sunt nobiliores, ut theologicæ, ex peccatis quædam aliis graviora esse debent, quæ nempe virtuti præstantiori adversantur, aut eandem gravius lædunt.

Non expendo, unde petatur peccatorum inæqualitas, nam ex dictis patet eam repeti, I. ex parte objecti. Unde, ait S. Thomas, *gravius peccatum dicitur ex genere suo, quod majori bono virtutis opponitur*. II. ex conditione actus, qui quo liberior est, & intensior, eo magis displicet Deo. III. ex conditione personæ peccantis, quæ quo plura Deo, aut proximo debet, gravius delinquit. IV. ex conditione personæ, contra quam peccatur, quia persona offensa induit rationem objecti. Hinc major est offensa non modo in Deum, sed & in personas Deo propinquiores, quales sunt personæ Deo sacræ.

Quæres I. an peccata omnia sint secum connexa.

R. negat. tum quia alioqui, qui reus est mendacii, reus esset adulterii, quod ridiculum est; tum quia quædam sunt peccata, quæ ita sibi contraria sunt, ut simul cohærere non possint, ut avaritia, & prodigalitas.

Quæres II. an peccatum ita opponatur virtuti, ut cum ea consistere nequeat.

R. I. peccatum veniale cum charitate, adeoque & cum aliis virtutibus infusis consistere posse.

R. II. peccatum mortale non posse consistere cum charitate, & virtutibus eidem connexis; quia fieri nequit, ut idem simul sit amicus Dei, & inimicus: aliæ vero virtutes, quæ necessariam cum charitate connexionem non habent, cum peccato mortali subsistunt: unde fides per infidelitatem amittitur, non per alia peccata, prout expresse docet Tridentinum Sess. 6. Can. 28. Hinc patet quam mala sit hæc Quesnelli propositio 58. *Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas.*

R. III. peccatum mortale cum virtutibus acquisitis consistere posse; eæ enim ut per plures actus acquiruntur, sic raro perduntur per unum: unde vir temperans, si semel in intemperantiam mortalem exciderit, non statim omnem temperantiæ habitum deperdit.

# CAPUT QUARTUM.

*De conditionibus ad peccatum requisitis.*

CUm peccatum sit actus moralis, constat ad ipsum necessario requiri advertentiam ex parte rationis, & consensum liberum ex parte voluntatis: ambigitur cujus generis esse debeant consensus ille, & advertentia, quod ut intelligatur, sit

## ARTICULUS PRIMUS.

*De advertentia ad peccatum necessaria, ubi de Peccato philosophico.*

MUltiplex est advertentia: I. enim *ratione objecti* alia est ad actum materialiter sumtum, ut cum quis, v. g. advertit quidem se carnem comedere; sed non advertit id fieri a se die jejunii: alia est ad actum, & ad malitiam ejus, ut cum quis reflectit se carne vesci die jejunii.

II. *ratione modi* alia est formalis, & expressa; alia virtualis, seu implicita, quæ etiam interpretativa dicitur. Advertentia *formalis* ea est, qua quis elicit actionem, actu, & de facto advertens eam esse prohibitam: advertentia *virtualis* non est ea, qua homini actionem peccaminosam facienti inest dubium, vel scrupulus, vel suspicio peccati, aut periculi ejus, vel prævisio saltem confusa actus mali in sua causa, ut aliqui male contendunt: sed ea, qua quis advertisset malum, nisi ex culpabili negligentia attentionem alio advertisset.

III. *ratione perfectionis* alia est plena, cum agens ita sibi præsens est, & sui compos, ut rem considerare possit, quantum satis est; alia semiplena, cum somnus, aliudve impedimentum efficit, ne homo rem, quantum sufficit, considerare queat.

Fatentur omnes, ubi nulla est advertentia saltem virtualis, deesse peccatum; quia deest voluntarium: sed disputatur, an ad peccandum formaliter necessaria sit actualis, & expressa cognitio, seu advertentia, & cogitatio, vel saltem actualis dubium, & scrupulus de malitia actionis; an vero satis sit, ut quis actionem, quæ mala est, ponat, cum advertere potest ad malitiam ejus, ad quam tamen non advertit, sive ob habitum, aut passionem, quibus rapitur, sive quia attendit ad alia, quæ cum adver-

advertentia hac non compatiuntur. Primam advertentiæ speciem ad peccatum necessariam esse censuerunt aliqui, quorum opinioni affinis est opinio alia de peccato, ut ajunt, philosophico, quæ in thesi Divione an 1686. propugnata his proponebatur verbis: *Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum vero, & mortale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.* Quam propositionem Alexander VIII. die 24. Augusti an. 1690. *declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam.* Huic Apostolicæ Sedis judicio præiverant Jesuitæ Parisienses, quibuscum sit

CONCLUSIO I. Ad peccandum formaliter non requiritur actualis advertentia, vel dubitatio, aut scrupulus, ne actui morali malitia inexistat, sed sufficit advertentia interpretativa, hoc sensu intellecta, quod quis animadvertere potuerit, & debuerit.

Prob. I. de fide est dari peccata ignorantiæ: atqui peccata ignorantiæ fiunt sine actuali advertentia, vel actuali dubio, aut scrupulo, vel suspicione. Nam ille solum ex ignorantia peccat, cujus peccati causa est ignorantia: sed in eo, qui actu vel attendit, vel dubitat de malitia peccati, ignorantia peccati causa esse non potest. Eatenus enim ignorantia peccati causa est, quatenus tollit cognitionem, qua posita non poneretur peccatum: sed quod tollit cognitionem peccati, non supponit actualem ejusdem notitiam, dubiumve, aut scrupulum, &c. ergo qui peccat ex ignorantia, actualem peccati notitiam non habet.

Prob. II. Dantur peccata ex errore culpabili: *in multis enim offendimus omnes*, ait Augustinus Lib. de spir. & lit. cap. 3. *dum putamus Deo, quem diligimus, placere, vel non displicere, quod facimus*: atqui peccata, quæ fiunt ex erronea conscientia, fiunt absque cognitione, vel dubio de malitia actus. Ibi enim non est cognitio, aut dubium de malitia actus, ubi mens non modo non cognoscit se peccare, verum etiam certo existimat se bene agere: atqui sic se habet mens, quæ ex erronea conscientia operatur. Idque præsertim patet in iis, qui a pueritia in hæresi enutriti, hanc veluti cum lacte persuasionem suxerunt, unam esse, quæ vera sit, Religionem, quam tenent, & circa hoc nihil unquam remorsus patiuntur, quemadmodum de se testati sunt eorum aliqui ad meliorem frugem reversi; ergo.

Prob. III. Si ad peccandum requiratur actualis ad malitiam peccati attentio, Athei, Nerones, cæterique, quorum Deus excæcavit oculos, non peccabunt, immania quæcumque peccata, abjecto Dei, & hominum timore, sine scrupulo, imo *tranquilla conscientia* perpetrando (*S. Bern. L. de consid.*); vel saltem tanto minus peccabunt, quanto minorem peccando remorsum patientur, & similes se reddent equo, & mulo, *quibus non est intellectus*: atqui doctrina hæc & repugnat Scripturæ, secundum quam *magis abominabilis est homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem, (Job. 15.)* & rationi adversatur; cum æquum non sit ut peccatores per voluntariam sui excæcationem acquirant privilegium formalis impeccabilitatis, aut impeccabilitatis tanto majoris, quanto minus de Deo, & peccati malitia cogitabunt; ergo.

Prob. IV. ea opinio rejici debet, ex qua sequitur ubique proscripta Philosophismi, seu peccati philosophici opinio: atqui Philosophismi opinio sequitur ex opinione, quæ ad peccati formalis rationem requirit notitiam malitiæ ejusdem peccati. Nam cognosci actu non potest malitia præcipua peccati, quin actu peccatum cognoscatur, ut offensa Dei: sed qui actu ad malitiam peccati non attendent, actu non cognoscent ipsum esse Dei offensam; ergo philosophice peccabunt ad summum, non vero theologice.

Obj. I. Joan. 9. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum* Joan. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Unde sic: Illud necessarium est ad peccatum, quo sublato, peccatum non habetur, nec imputatur: atqui sublata scientia, seu, quod idem est, posita cæcitate, & ignorantia peccatum non imputatur, nec habetur; ergo.

R. dist. min. sublata cognitione juris positivi, v. g. legis evangelicæ, non habetur peccatum, C. sublata cognitione malitiæ peccati, quam quis non habet, quia habere non vult, N. Itaque si Pharisæis prædicata non fuisset lex Evangelica, ii peccatum ex hac parte non habuissent; unde etiam nunc infidelitas pure negativa non est peccatum: verum non ideo desuissent peccare contra plurimas leges juris naturalis, ad quas non attendebant, sed attendere potuissent. Hinc illud Christi: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Obj. II. S. Augustinus Lib. 3. de lib. arb. c. 19. ait: *Peccatum, quod proprie vocatur peccatum, libera voluntate ab sciente committitur*; ergo ad peccatum formale requiritur scientia, seu cognitio.

R. dist. conf. Ad peccatum requiritur cognitio vel formalis, vel virtualis, C. actualis semper, N. Itaque S. Doctor ad peccatum eo modo requirit cognitionem, quo requirit voluntarium: atqui non requirit voluntarium formaliter voluntate peccati, sed solummodo voluntarium voluntate facti, cui, etiam præter intentionem explicitam, licet non præter intentionem virtualem, annexum est peccatum. Sic enim loquitur Lib. 1. Retract. cap. 15. *Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factum, peccatum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit.*

Obj. III. Nullum est peccatum, nisi sit vel in se, vel in sua causa voluntarium: atqui sine cognitione, vel saltem dubio de malitia peccati, peccatum nec in se, nec in causa sua voluntarium esse potest. Cum quisquis nec cognitionem, nec dubium habet, non consentiat objecto malo; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. non consentit formaliter, & actu, C. virtualiter, N. Homo enim,

etiam

etiam de malitia nihil actu dubitans, id facit, quod facere non debet, idque animadverteret, si quantum satis est, animadvertere vellet, ut velle potest; ergo.

Inst. Ut quis consentiat virtualiter, & ex inadvertentia culpabili, necessum est, ut advertentia malitiæ sit ipsi possibilis: atqui advertentia malitiæ non est possibilis ei, qui nullam habet cogitationem, aut etiam dubium de ipsa. Mens enim non potest considerare malitiam actus nisi ex imperio voluntatis: atqui voluntas non potest imperare considerationem ejusdem malitiæ, nisi prævium habeat ejus cognitionem, vel naturaliter, vel aliunde: ignoti enim nulla cupido; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Mens non potest considerare, quando non potest tollere impedimenta, passiones v. g., distractiones, & similia, quæ impediant, ne eas habeat cognitiones, quibus positis actionis suæ nequitiam adverteret, C. si impedimenta hæc tollere possit, N. itaque, ut intra veri, & justi limites gradum sistamus, existimamus eum, qui ita non advertit ad peccati malitiam, ut vel naturali raptus distractione, vel ob similem causam advertere non possit, peccato non teneri: sic excusabitur Sacerdos pius, cui ita excidit ab animo recitatio alicujus Horæ, ut eam vel eo, quo par est, tempore non recitet, vel etiam penitus omittat: idem dicendum de pœnitente, qui injunctam præfixa die pœnitentiam præ oblivione non implet. Verum aliter dicendum de innumeris actionibus, quas quotidie eliciunt, aut omittunt viri terrenis rebus absorpti, passionibus suis qua data occasione servientes, assueti, ut nequidem cogitent se non cogitare: tunc enim, ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 3. *non totaliter tollitur cognitio, quia non tollitur potestas cognoscendi, sed solum consideratio actualis in particulari agibili*, quæ nec excusat, nec excusare potest a peccato.

CONCLUSIO II. Advertentia imperfecta non sufficit ad peccatum mortale, etiamsi materia gravis sit.

Prob. I. Peccatum mortale dissolvit amicitiam Dei cum homine, eumque æternis suppliciis obnoxium facit: atqui ad malum tam grande non sufficit imperfecta consideratio. eadem enim requiritur, quæ in rebus maximi momenti necessaria est: in his autem non sufficit consideratio similis ei, quam habent semi-somnes, aut qui mente pene omnino distracta vix ad actionem suam attendunt. Et vero nemo est tam pater, quam Deus: atqui bonus pater non dejiceret filium ab hæreditate ob peccatum, quod ex sola animi inconsideratione commisisset; ergo nec id faciet Deus.

Prob. II. Tenuitas materiæ sæpe impedit, ne peccatum sit mortale, ut videre est in furto levi; ergo idem efficere potest tenuitas advertentiæ; cum sine dubio, cæteris paribus, eo levius sit peccatum, quo levior est, aut esse potest advertentia.

At, inquies, qui imperfecte considerat, posset perfectius considerare; quod ex dictis ad peccatum mortale sufficit.

R. sæpe fieri, ut tanta sit subreptio, ut vix, ac ne vix quidem possit mens hic & nunc amplius attendere; & quamvis attendere posset, potentia illa plenius considerandi tam levis, tamque modica esse potest, ut ad mortale peccatum non sufficiat. Patet hoc in viris piis, iis præsertim, qui studio, aut negotiis implicatis incumbere tenentur, quique licet Officium attente recitare velint, tam profunde distrahuntur, ut sæpe dubitent, an, & quid recitaverint. Hi ne igitur mortalis culpæ rei credentur hoc prætextu, quod perfectius attendere debuerint? Prima igitur assertio nostra hoc sensu intelligenda est, quod qui non attendunt, cum penes eos stat ut attendant, non desinant peccato subjacere.

Hinc a peccato immunes sunt I. Infideles, qui de Christo nihil audierunt, cum Evangelii legibus non obsequuntur. II. Fideles, qui absque negligentia culpabili non jejunant die jejunii, quia ne quidem eorum mentem subit cogitatio jejunii. III. Doctores, qui post serium examen quædam docent remotioribus juris naturalis principiis opposita: etsi enim in errore versantur, at non culpabiliter.

Hinc II. impudici, blasphemi, perjuri, & alii id genus, qui obscœna, & mendacia verba sine considerátione, sine remorsu, plenis faucibus effundunt, perperam sua se se inadvertentia excusare conarentur, cum subreptio hæc caveri possit, & aliunde voluntaria sit in causa. Qui tamen malam, qua ligatur, consuetudinem retractavit per pœnitentiam, & adhibendo remedia a prudenti Confessario injuncta, serio, ac diligenter conatur impedire, ne habitus erumpat in actum, reus non est, si quid sibi incauto contra legem excidat; quia talis actus nec voluntarius est in causa, utpote retractata, nec in se, utpote qui ex oblivione quadam naturali contingat.

Hic tamen notandum, pœnitentes, qui in actus ex objecto graves, blasphemias v. g., aut obscœna verba prolapsi sunt, teneri ad hæc confitenda, iisque non levem pœnitentiam imponi debere, tametsi asserant se eas actiones sine ulla prorsus advertentia commisisse. Ratio est, tum quia in re tam gravi non est facile credendum pœnitentibus, qui sæpius sibi blandiuntur; tum quia vix contingere potest, ut quædam non adfuerit advertentia, vel advertendi negligentia; tum denique quia vix ulli certo constare potest, quod sufficientem ad coercendos malæ consuetudinis actus diligentiam adhibuerit.

Quod de advertentia dictum est, de consensu dici debet. Unde certum est: I. consensum plenum ad peccatum mortale sufficere. II. non requiri, ut consensus ille feratur in rem ut malam; sed satis esse si feratur in rem, quæ mala est, & ut talis adverti potest, & debet. III. nonnunquam fieri, ut peccatum etiam in materia gravi defectu sufficientis consensus non sit nisi veniale. Verum alia graviora, quæ ad consensum pertinent, investiganda sunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De consensu ad peccandum requisito, ubi de Delectatione morosa.*

Consensus definiri solet Acceptatio, & complacentia voluntatis in eo, quod ab intellectu proponitur.

Consensus dividitur I. in *positivum*, quo voluntas expresse approbat objectum ab intellectu propositum; & *negativum*, quo voluntas, etiam supposita sufficienti intellectus advertentia, nec positive approbat, nec positive dissentit, etsi dissentire possit.

Dividitur II. in *directum*, qui directe fertur in objectum voluntati ab intellectu propositum, ut cum quis vult pollutionem; & *indirectum*, seu *virtualem*, cum quis licet rem aliquam in se non velit, vult tamen aliquid, in quo res ea continetur, aut unde sequitur; ut cum quis non vult turpes corporis motus, sed vult lectionem librorum amorem spirantium, ex quibus tales motus excitantur.

Dividitur III. in *perfectum*, seu *plenum*; & *imperfectum*, prout voluntas aliquid acceptat cum plena, aut semiplena advertentia, vel approbatione.

Dividitur IV. in *absolutum*, cum quis vult absolute rem malam; & *conditionatum*, cum quis vult rem malam, sed v. g. supposito quod mala non esset, ut vellem fornicari, nisi Deus prohiberet.

Dividitur V. in *efficacem*, cum voluntas ita malum approbat, ut ejus executionem intendat, sive eam ponat, sive non; & *inefficacem*, cum voluntas delectatur quidem circa opus malum, v. g. circa fornicationem, sed sine ulla exequendi operis intentione; atque is *actus complacentiæ in malo, absque mali exequendi desiderio*, vocatur delectatio morosa. Dicitur autem *morosa*, non a mora temporis, cum peccatum mortale uno temporis instanti perfici possit; sed a mora, seu deliberatione rationis, quæ delectationem hanc, postquam eam sensit, repellere non curat, sed vel in eam consentit, vel eam non cohibet, ut potest, & debet. His positis,

Quæres I. an delectatio morosa, qua quis de re illicita delectatur, sit semper peccatum.

R. I. Delectatio de sola cogitatione rei illicitæ aliquando ab omni peccato immunis est: sic Confessarii, & Medici, qui de rebus venereis consuluntur, possunt eas animo volvere, & meditari; ideoque de earum cognitione delectari: modo tamen absit omnis affectus ad res, aut actiones illicitas, & periculum consentiendi motibus sensualitatis, qui ex illa delectatione exurgere possent. Ratio est, quod qui sic delectantur, non tam de re illicita delectantur, quam occasione ejusdem. Eadem de causa non peccat I. qui a furto abhorrens delectatur de industria, qua fur crumenam abscidit, nisi forte sic alios excitet ad experiendum, an & ipsi quoque fures industrii esse possint. II. qui de hæreditate sibi proveniente ex parentum obitu delectatur, modo de morte ipsa non gaudeat. Hoc sensu Ecclesia de redemtione Christi consequenter ad Adæ peccatum peracta lætatur, dum canit: *O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere redemptorem!* Vide infra q. 6.

Dixi delectationem de sola cogitatione rei illicitæ *aliquando* ab omni peccato immunem esse, ut ostenderem eam aliquando obnoxiam esse peccato, sive veniali, quia sine causa in rerum inutilium cogitatione se occupare, peccatum est veniale curiositatis (*ex Sylvio*); sive mortali, quia si quis in hujusmodi cogitatione se occupet cum periculo consentiendi in rem, seu actionem mortaliter malam, peccat mortaliter, nisi forte periculum sit adeo tenue, ut a mortali excuset.

R. II. Delectatio libere de re cogitata est peccatum mortale, si res, quæ cogitatur, sit mala mortaliter, etiamsi nulla sit operis perficiendi voluntas. Ita S. Thomas.

Prob. I. ex Scriptura. Proverb. 15. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant a Deo:* atqui delectatio, seu complacentia in re mortaliter mala, mala est, & perversa cogitatio.

Prob. II. ex S. Augustino L. 12. de Trin. c. 12. *Nec sane*, inquit, *cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerant, negandum est esse peccatum..... totusque damnabitur* homo, *nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed cum voluntate animum talibus oblectandi, solum cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.*

Prob. III. ratione: *Nullus enim delectatur, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus* (*S. Thom. hic q. 74. art. 8.*), id est, quod amat, & cui suaviter inhæret: sed amare rem illicitam, eique cum gaudio inhærere, est peccatum: mortale quidem, si res amata sit mortalis, ut fornicatio; veniale autem, si sit venialis, ut leve proximi malum. Merito igitur Clerus Gallicanus hanc an. 1700. propositionem damnavit: *Consensus, qui præbetur suggestionibus pravis, cum tendit ad delectationem cogitandi tantum de re illicita, puta de ulciscenda injuria, secundum S. Augustinum, non est aliud, quam veniale peccatum, licet ipse ultionis actus, cujus cogitatione animus delectatur, sit pessimus, & certissimum mortale peccatum.* Hæc propositio, ajunt Patres, *quaslibet cogitationes, & delectationes, quas morosas vocant, regulariter imputans peccato veniali tantum, falsa est, temeraria, scandalosa, in praxi perniciosa..... & injuriosa S. Augustino*, qui, ut vidimus, contrarium expresse docet.

Quod dicitur de delectatione in re mala, dici debet de displicentia in re bona: unde qui libere tristatur de bono proximi, vere peccat, quia vere bonum odit, ut malum amat, qui sibi in eodem complacet.

Quæres II. an qui post sufficientem advertentiam non reprimit pravos concupiscentiæ motus, aut delectationem circa illicita, sed negative se habet, non consentiendo, aut dissentiendo, peccet.

R. consensum hunc negativum sufficere ad peccatum mortale, non solum quando imminet periculum probabile consensus in delectationem de re mortaliter mala, sed etiam secluso tali periculo, nisi tamen justa causa excuset.

Prob.

Prob. 1. pars tum ex unanimi Theologorum sensu; tum quia qui sciens, & volens se se conjicit in proximum mortaliter peccandi periculum, aut in eo manet, mortalitet peccat, etiamsi non succumbar periculo.

Prob. 2. pars. Ille mortaliter peccat, qui voluntarie sentit delectationem de re mala: sed qui delectationi circa illicita, quam plene advertit, non repugnat, eandem voluntarie sentit. Eam enim sentit I. eum potest non sentire, quia nulla est legitima causa, quæ obstet, quominus resistat. II. cum non debet: tum quia, ut supra ajebat S. Augustinus, hujusmodi cogitationes *statim ut attigerunt animum, respui debuerant*; tum quia delectatio objective turpis, & illicita non nisi turpiter, & illicite mentem occupare potest; ergo ut hic omne vitetur peccatum, necesse est, ut tentatio removeatur per formalem actum displicentiæ: imo nec quævis displicentia sufficit, sed efficaciter conandum est, ut motus ii, vel delectatio expellantur: in primis vero deserenda est actio, unde nascuntur, nisi justa causa obster.

Porro justa causa est equitatio respectu militis, aliorumque id genus, auditio confessionum, & studium casuum conscientiæ respectu Confessarii, examen, & inspectio quarumdam corporis partium respectu Chirurgi, modo tamen absit periculum consensus; si enim adesset, ab iis omnino abstinendum esset. Justa itidem est causa, si quis propter magnam animi contentionem, & attentionem ad opus honestum non resistat positive. Item si qois legitime timeat, ne ex majore resistentia augeantur pravi motus; aut demum, ne propter quandam naturæ, vel imaginationis infirmitatem, se se in eo statu constituat, in quo ab omnibus objectis moveatur.

Sed quid, si quis per lectionem curiosam, aut otiosam confabulationem det occasionem hujusmodi motibus, peccabitne, si positive resistat?

Respondent Sylvius, Habert, & alii hominem hunc reum fore peccati venialis, quia otiosom verbum a peccato non vacat; haud tamen peccaturum mortaliter, dummodo delectationem non intendat, sed ei repugnet, nec subsit grave consentiendi periculum, quale est in objecti valde obsceni aspectu, quem Theologi communiter peccati mortalis accusant, etiamsi ex sola curiositate proficiscatur, quia talis aspectus sic provocat ad delectationem veneream, ut hominem conjiciat in evidens consentiendi periculum.

Hinc colligunt communiter Theologi, eum, qui suscipit opus ex se indifferens, aut venialiter malum, v. g. aspectum paulo curiosiorem, aut comestionem aliquanto excedentem, non peccare mortaliter, etsi prævideat inde secuturos motus, modo eos non intendat, nec subsit periculum consentiendi. Rationem afferunt: tum quia ea mutuom causæ non nisi difficillime vitari possunt a viris etiam timoratis; tum quia illi adhuc remoti sunt motus, ut supponimus; tum quia non, suot adeo mali objective, neque malitiam habent tam consummatam.

Addit P. Antoine teneri hominem sub mortali actiones, etsi leviter turpes, ut sunt visus, locutio, lectio rerum leviter obscœnarum ex sola curiositate, dimittere, statim atque in eo excitant pollutionem, aut delectationem veneream vehementem. Est autem delectatio venerea ea, quæ sentitur circa partes venereas ex commotione spirituum generationi inservientium.

Ego quidem in materie tam lubrica educeri malim, quam docere: ut tamen simpliciter dicam, quod sentio, sic distinguerem. Motus pravi corporis I. vel vehementes sunt, aut erunt, vel leviores. II. vel præsentes sunt, vel futuri. III. vel sunt probabilitee futuri, vel potius incerti, & quasi mere possibiles.

His positis, crederem eum Sylvio, & Haberto eum venialis solum peccati conscium esse, qui per actionem inutilem motibus levibus occasionem præbet, sive ii præsentes sint, sive certo futuri, modo tamen adsint restrictiones supra allatæ.

Crederem II. cum P. Antoine eum peccare mortaliter, qui non dimittit actionem, etsi venialiter malam, ex qua pollutio, vel vehemens delectatio venerea seqoitur, aut certo secutura est, præsertim extra somnum.

Crederem III. cum Toleto (*Lib.* 3. *c.* 13.) eum, qui ponit actum, de quo dubitat, an in somno pollutionem producturus sit, v. g. qui vescitur cibo, dubitans, non autem *probabiliter cognoscens*, an effectum hunc habiturus sit, peccare solum venialiter: imo nec venialiter peccare, si justam habeat actionis hujus faciendæ causam. Unde (*Ibid.*) *qui, ex eo quod sic accumbit, advertit futurum ut sequatur pollutio, si aliter non potest dormire, non tenetur aliter accumbere.* Eas porro decisiones non tam ab Ipsis rei visceribus eruuntur, quam ex communi sapientiorum judicio: si quid tamen in his vel durius sit, vel laxum nimis, jam nunc pro revocato habeatur.

Quæres III. an delectatio morosa speciem sumat ab objecto, circa quod versatur.

R. affirmat. ideo enim cogitatio illa est mala, quia habet objectum illicitum, v. g. fornicationem; ergo si objectum sit pejus, ut sunt incestus, qui ad consanguineam, sacrilegium, quod ad Monialem terminatur, cogitatio quoque pejor est censenda; ergo objectum in confessione explicari debet, nec objectum modo, sed & circumstantiæ ei annexæ. Debet etiam pœnitens, qui his oblectatus est, exprimere, an conjugatus sit, an voto ligatus.

Quæres IV. an, & qualiter peccent, qui de opere aliquo delectantur, quod olim sibi licitum erat, aot deinceps licitum erit, sed hic, & nunc illicitum est: ot si vidua delectetur de actu conjugali prius exercito, aut sponsi de eodem delectentur actu, prout exercendus est, cum legitimo matrimonio conjuncti erunt.

R. I. eos peccare mortaliter, sive cum sese periculo pollutionis, aut mali consensus exponunt, quod ex dictis patet; sive cum de actu illo oblectantur tanquam præsenti, quia tunc delectatio illa est de objecto hic, & nunc graviter prohibito.

R. II. eos non peccare mortaliter, si de actu illo delectentur, non secundum carnem, sed propter emolumentum aliquod (hæreditatem v. g., aut sanitatem) inde subsecutum, aut subsecuturum; quia motivum hujus delectationis, vel malum non est, vel saltem oi-

hil habet, quod graviter sit inordinatum.

R. III. denique si solum delectentur vidui, aut sponsus de opere conjugali præterito, vel futuro, gaudentes quod eum exercuerint, aut exerciturí sint, absque eo quod illud concipiant ut præsens, & nullam admittant corporis, vel sensualitatis commotionem, vel non peccant, ait Sylvius, vel non nisi venialiter peccant, quia nihil approbant nisi quod & quatenus eis fuit, aut erit licitum. Addunt alii & merito, hujusmodi cogitationes, cum vix sine delectatione venerea esse possint, nec accersendas esse, nec retinendas cum mentem subeunt, sed statim abjiciendas esse; quod huic Spiritus sancti mandato conforme est, *Omni custodia serva cor tuum*, Prov. 4.

Hinc colliges, conjugatos, qui etiam sine periculo pollutionis veneream in carne sua delectationem in absentia compartis voluntarie excitant, delectando se de actu conjugali præterito, vel futuro, letalis peccati conscios esse. Quia venerea hæc delectatio eatenus a culpa immunis esse potest, quatenus a matrimonio permittitur: atqui matrimonium eam non permittit, nisi prout conjugaliter exercetur; jam vero non exercetur conjugaliter in absentia compartis.

Idem dicendum de impudicis proprii corporis tactibus, etiam intuitu solius delectationis carnalis, quos uni conjugum, altero absente, graviter esse illicitos merito docent Diana ipse, & alii; quia tales actus reipsa conjugales non sunt.

Quæres V. an liceat delectari de opere, quod cum sit ex se mortale peccatum, commissum tamen est sine culpa, v. g. in amentia, aut in somno.

R. Licitum est delectari tum de inculpabilitate hujus operis, quia hæc delectatio est de re bona; tum de effectu, qui inde feliciter secutus est, puta quod lites sopitæ fiant ex homicidio casuali, quod ex pollutione nocturna imminutus sit tentationis æstus.

Quæres VI. an liceat delectari de actione ipsa, prout causa fuit talis effectus.

R. negat. I. quia non licet voluntarie delectari de objecto quod in se malum est: atqui objectum hujusce delectationis malum est in se; tum quia opus illud ex natura rei rectæ rationi difforme est, tum quia si malum non esset, liceret illud scienter velle, & procurare, quod tamen non licet. II. quia damnatæ sunt ab Innocentio XI. propositiones istæ, 14. *Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum obventura est ei pinguis hæreditas*. & 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

Hinc colligo nec appeti posse pollutionem, nec licitum esse delectari de illa, cum inculpate venit: quia pollutio est objective mala, cum nunquam sine peccato voluntarie haberi possit; ergo non magis eam appetere, aut de ipsa gaudere licitum est, quam de homicidio inculpate facto.

Quia tamen contrarium tenent viri graves cum S. Antonino, haud statim arguendus est peccati mortalis, qui pollutionem desideraverit ut alleviationem naturæ in somnu; cum in ra satis controversa occurrere posset ignorantia invincibilis.

Quæres VII. an peccet, qui cuperet de re mala delectari, nisi hæc mala foret.

R. I. fieri potest, ut nullatenus peccet; puta si ita delectari vellet, posito quod res non esset mala, ut tamen actu nullatenus de ea delectetur, sed eam potius refugiat. Et hoc præcipue contingit, cum objectum conditionati hujus desiderii malum non est per se, sed quia prohibitum; unde non peccat quæ votum habens castitatis, & sollicitata ad matrimonium respondet: Nuberem, nisi obstringerer voto, sed ob votum nubere nolo. Ratio est, quia conditio hæc omnem ab objecto malitiam separat.

R. II. fieri potest, ut venialiter peccet: quia pleraque hujus generis desideria vanæ sunt, & otiosæ cogitationes: unde qui dicit: Vellem occidere hominem hunc, si liceret; sed nolo occidere, quia illicitum est, non vacat a culpa veniali.

R. III. fieri potest, ut peccet letaliter, & id continget: si conditio, quam volitioni suæ apponit, non omnem ab objecto malitiam tollat: ut si quis dicat: Vellem fornicari, nisi essem Sacerdos; etsi enim Sacerdos non esses, haud licitum tibi esset fornicari. II. si eadem conditio non tollat actualem affectum, & complacentiam in actum intrinsece malum: si quis enim fornicationem sibi repræsentet, eaque delectando dicat: si non esset illicitum, fornicarer; peccat utique non quidem desiderio, quod excludit, sed affectu, & complacentia, quam non excludit. III. si quis optet, ut quod per se malum est, malum non esset, puta ut malum non sit furari: nam optare, ut quæ per se mala sunt, bona sint, & licita, est ordinem naturalem graviter invertere.

Quæres tandem quibus indiciis cognosci possit in dubio, an quis peccato consenserit.

R. Quatuor afferri solent regulæ: I. non præsumitur consensisse peccato, qui ita habitualiter dispositus est, ut mori malit, quam fœdari: unde si quam forte in repellenda dæmonis suggestione admiserit negligentiam, hæc non tam ad voluntatis consensum, quam ad mentis distractionem revocari debet. Aliter judicandum de homine peccatis assueto. Ratio regulæ est, quod in dubio prudens præsumtio petitur a communiter contingentibus: porro communiter evenit, & ut vir pius malo non consentiat sine remorsu, qui impediat, ne dubitet de consensu; & ut vir pravus non resistat sine pugna, quæ non sinit, ut dubitetur de resistentia.

II. qui dubitat vigilansne, an dormiens, sui compos, an impos quidpiam fecerit judicatur, non satis advertisse, aut consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare.

III. qui facile malum, quod cogitat, exequeretur, si vellet, potius censetur non consensisse, quam qui malum exequi non potuit.

IV. qui loquitur, tangit, oculos in eundem locum non fortuito, sed iterum conjicit, securius præsumitur consensisse, quam qui diu cogitationem volvit animo, aut corporis motus persensit: exteriores enim motus, qui ab homine pendent, non fiunt a renitente, interiores plerumque advertentiam antecedunt. Quia tamen hæ regulæ deficere possunt, idcirco qui du-

dubitat, an consenserit peccato, dubium hoc coofiteri tenetur.

## CAPUT QUINTUM.

### *De effectibus Peccati.*

PRæcipui peccati effectus sunt quatuor, macula animæ, offensa Dei, reatus pœnæ, pœna ipsa. Quæ brevirer explicabimus duobus Articulis.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De macula & offensa Peccati.*

FIde constat maculam per omne peccatum plus, aut minus contrahi. Hinc Josue 22. dicitur: *Peccastis in Beelphegor, &.... macula hujus sceleris in vobis permanet*. Quæstio est, in quo consistat hæc macula.

Prima opinio peccati macolam reponit in ipso peccati reatu, seu ejus ad pœnam obligatione. Sed male: I. quia hanc Baii propositionem 54. damnavit Pius V. *In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil remanet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam*: atqui si macula idem esset cum reatu, verum esset transeunte actu solum superesse reatum; ergo. II. ideo quis deputatur ad pœoam, quia infectus est macula peccati; ergo deputatio ad pœnam, seu reatus non est ipsa peccati macula, sed ipsam prius saltem natura supponit.

Secunda opinio maculam constituit in ipsa injuria Deo per peccatum illata. Sed iterum male: quia macula, & offensa Dei aliter, & aliter concipiuntur; macula enim se tenet ex parte animæ, injuria vero Deum connotat.

Tertia opinio eorum est, qui maculam peccati reponunt in privatione nitoris antea animæ inexistentis, seu in deformitate resultante ex peccato, physice quidem præterito, sed moraliter perseverante. Et hæc tertia opinio videtur verior: I. quia sicut corpus maculatum dicitur, eum caret nitore sibi debito, ita & anima censetur maculata esse, cum munditie sibi antea inexistente privata est.

II. quia in hac nostra opinione facilius explicantur duo, quæ vix explicantur ab iis, qui simpliciter maculam reponunt in privatione gratiæ justificantis: I. enim in statu naturæ puræ, ubi homo gratia sanctificante donatus non fuisset & tamen peccare potuisset, potuisset contrahi macula: atqui in illo statu macula non fuisset contracta per privationem gratiæ, quæ in eodem statu non fuisset; ergo contracta fuisset per solam privationem nitoris cujusdam naturalis, quo Creator animam donasset.

II. cum multiplicantur peccata, multiplicantur maculæ, ut eædem multiplicantur in veste candida, cui novæ accedunt luti impressiones: atqui si macula in sola gratiæ habitualis privatione consistat, jam difficile erit intellectu, quomodo eadem macula multiplicetur, quia eo ipso, quo quis letaliter peccavit, jam plene amisit id omne gratiæ sanctificantis, quod amittere potuit. Aliud est, cum macula reponitur in privatione nitoris antea animæ inexistentis: licet enim is animæ nitor pro præsenti statu in gratia sanctificante potissimum consistat, non tamen in ea sola situs est, sed etiam in lumine naturali, in flexibilitate ad bonum, in minori oppositione cum Deo, in majori fervore: unde etiam peccatum veniale maculam inducit, quatenus fervorem hunc imminuit; ergo idem nitor plures gradus habet; ergo per peccatorum multiplicationem magis, ac magis deperdi potest.

Nunc dicendum de offensa, quæ definitur Injusta supremæ dignitatis, auctoritatis, vel amicitiæ violatio, hinc orta, quod peccator a Deo se avertat, & se convertat ad creaturam. Quæritur, an offensa hæc malitiam habeat infinitam. Quod ut solvatur,

Not. I. peccatum spectari vel ut malum hominis, quem recto rationis ordine, gratia, ac Dei possessione spoliat, vel ut est malum Dei, quem lædit.

Not. II. Peccati malitiam posse dici infinitam vel intrinsece, si in se infinita sit, vel extrinsece, seu objective, si dicatur infinita, quatenus persona, quam lædit, infinitæ est dignitatis.

Certum est I. peccatum, prout est malum hominis non habere malitiam intrinsece infinitam, quia malum non est majus bono, quo privat: bonum autem, quo privat peccatum, simpliciter finitum est, non in se quidem, sed prout participatur ab homine.

Certum est II. peccatum, prout est malum Dei, esse objective, & extrinsece infinitum, quia lædit ens infinite perfectum; sed controvertitur, an intrinsece infinitum sit. Negant plures, quibuscum sit

CONCLUSIO. Peccati malitia non est iotrinsece infinita.

Prob. I. Illud finitum est non solum in genere entis, sed etiam in genere injuriæ Deo illatæ, quod in hoc genere summum non habet gradum: atqui peccatum in genere malitiæ Deo injuriosæ summum non habet gradum. Injuria enim, quæ in infinitum crescere potest, summum non habet gradum: atqui injuria, quæ Deo per peccatum infertur, crescere potest in infinitum: nec enim quisquam est, qui Deum oderit, quantum odisse potest, sicut nemo est, qui Deum infinitum amet, quantum amare potest; ergo:

Prob. II. Si peccatum esset infinitum, adeoque non posset magis, & minus suscipere in ratione injuriæ, hoc haberet vel ab operante, & a conatu ejus, vel ab objecto, quod offendit: atqui I. nec id habet ab operante, nec a conatu ejus: tum quia operans finitus est, & finite conatur; tum quia licet peccator summom malum velit Deo, quem annihilaret, si posset, is tamen peccatoris affectus, cum Deo extrinsecus remaneat, eumque in semetipso non afficiat, nunquam potest esse intrinsece infinitus. II. neque etiam peccatum intensivam infinitatem habet ab objecto, quod lædit: quia nullus actus intensionem suam ab objecto habet, cum iotensio sit aliquid intrinseci,

objectum vero aliquid extrinsecum. Adde quod objectum non communicat actui malitiam, vel bonitatem intrinsece, & formaliter, sed tantum terminative: unde sicut intensio visionis Dei, licet ad Deum terminata, necessario finita est in se, quia Deum non includit, sed connotat; ita & peccati intensio eadem de causa formaliter finita esse debet.

Obj. I. Quod crescit pro dignitate personæ, infinitum est, cum persona est infinita: atqui gravitas offensæ.... Offensa enim quædam est personæ depressio; hæc autem eo est gravior, quo dignior est persona, quæ deprimitur.

R. dist. min. Gravitas offensæ crescit geometrice pro dignitate personæ, C. crescit arithmetice, N. Itaque offensa crescit quidem geometrice, id est secundum proportionem pro dignitate personæ; quia major est offensæ uni factæ præ offensa alteri inusta gravitas, prout major est unius præ altero dignitas: sed non crescit arithmetice, alioqui tanta esset peccati intrinsece indignitas, quanta est dignitas Dei, sicque injuria Deo illata eadem æqualitate superaret injuriam Angelo illatam, qua Deus Angelum superat, quod admitti nequit. Inde enim sequeretur visionem Dei eadem etiam æqualitate superare visionem Angeli, qua Deus Angelum superat; id autem falsum est, quia alioqui visio Dei simpliciter, & intrinsece in se infinita foret, quod Theologis omnibus repugnat.

Obj. II. Pœna proportionatur culpæ: atqui pœna peccati est infinita: cum nullum habitura sit finem; ergo peccatum debet esse infinitum.

R. neg. min. I. quia pœna peccati crescere posset in infinitum. II. quia infinita pœnæ perpetuitas non competit peccato intrinsece, sed extrinsece tantum, quia tandiu quisque puniri debet, donec eum pœniteat peccati, aut peccatum ipsi condonetur: porro nemo est e reprobis, quem peccati sui pœniteat, & in inferno nulla est redemptio; ergo pœna peccati extrinsece solum est infinita; porro ex duratione pœnæ extrinsece solum infinitæ colligi non potest intrinseca culpæ infinitas; sicut ex mercede justorum operibus reddita, licet æterna, colligi non potest intrinseca operum illorum infinitas.

Obj. III. Satisfactio personæ infinitæ infinita est, ergo & infinita est offensa personæ infinitæ.

R. neg. conseq. Disparitas est, quod persona satisfaciens non se habet mere objective ad actiones, per quas satisfacit, sed subjective, & in ratione proximi suppositi: unde cum actiones intrinsece sequantur naturam suppositi, a quo procedunt, infiniti valoris esse debent, cum a supposito infinito eliciuntur; at vero persona læsa se solum habet objective ad injuriam qua læditur, ac proinde non formaliter, sed extrinsece tantum eidem gravitatem communicat.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De reatu, & pœna Peccati.*

Reatus definitur Obligatio, sive debitum ad pœnam ob proprium peccatum subeundam. Est quidem I. *debitum*, morale scilicet, quod a peccatore contrahitur. Est II. debitum *ad pœnam*: unde reatus est quid medium pœnam inter, & culpam, habens pœnam pro termino, & culpam pro radice. Est denique *ob proprium peccatum*, unde pœna, & pœnæ reatus discrepant: Christus enim obnoxius fuit pœnæ, nec tamen reatum habuit, quia pro alienis, non pro suis peccatis passus est.

Certum est de fide reatum per peccatum contrahi; hoc enim expresse docet Scriptura, præsertim Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Superest igitur ut dicamus de pœna.

Pœna definitur in præsenti Malum, seu incommodum contrarium naturæ, vel voluntati, eique illatum, ut culpa puniatur: I. *malum*, ejus scilicet, qui patitur; nam bonum est respectu ejus, qui punit, cum puniendo justitiæ vindicativæ actum exerceat. II. *contrarium voluntati, vel naturæ*: aliquando utrique simul, ut pœnæ, quas inviti patimur: aliquando naturæ, non autem voluntati, ut patet tum in mortificationibus libenter susceptis, quas etiam cum probat voluntas, refugit natura; tum in ipso etiam peccato, quod sæpius alterius peccati pœna est, quodque dum voluntati placet, naturam vitiat.

Pœna, quæ peccato rependitur, duplex est: alia præsentis vitæ, ut morbi; alia vitæ futuræ, quæ vel in purgatorio luitur, vel in inferno; eaque iterum duplex est, alia damni, alia sensus. Pœna damni est privatio visionis Dei; pœna sensus est cruciatus tormentorum, quæ corpus, & animam affligunt.

Circa pœnam peccati quatuor hic expendi solent: I. an ea, quæ contra mortale peccatum decernitur, sit æterna. II. an non etiam peccatum veniale æterna pœna plectatur. III. an peccatum in hac vita quoad culpam dimissum æterna pœna puniatur. IV. an ignis quo animæ seu *damnatæ*, seu *purgantes* cruciantur, sit materialis, an solum metaphoricus, prout sumitur in hoc Psalmi 16. loco, *Igne me examinasti*, quæ ut solvantur, sit

CONCLUSIO I. Pœna mortali, in quo quis decesserit, peccato infligenda, in æternum durabit.

Prob. I. ex Scriptura Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, quo textu usus est Christus Marci 9. Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*, seu ut legebat S. Augustinus, *in combustionem æternam, justi vero in vitam æternam*; ubi combustio reproborum non minus æterna est, quam Sanctorum felicitas. Apocal. 14. damnati dicuntur cruciandi *igne, & sulphure in sæcula sæculorum*. An porro in sæcula cruciarentur ii, quorum post aliquot sæcula, vel forte spatium sæculo minus cessarent tormenta?

Prob. II. ex S. Augustino Lib. 21. de Civ. Dei cap. 17. ubi sic: *Origenes hac in re misericordior proje-*

*cto*

*sto fuit, qui & ipsum diabolum, atque angelos ejus post graviora pro meritis, atque diuturniora supplicia, ex illis cruciatibus eruendos, atque sanctis Angelis sociandos credidit; sed illum propter hoc.... reprobavit Ecclesia.*

Prob. III. quia alioqui licitum esset orare pro salute reproborum; quod falsum est.

Obj. I. Scriptura nomine æternitatis sæpius non intelligit nisi longam durationem, ut Genes. 17. ergo ex eo, quod reproborum pœnæ dicantur æternæ, nihil concludi potest.

R. neg. conseq. Sensus enim Scripturæ determinatur tum ex aliis ejusdam textibus, in quibus pœnæ inferni eodem modo dicuntur æternæ, ac Sanctorum beatitudo: tum ex Traditione Patrum, juxta quos *incunctanter verum est, quasi sicut finis non erit gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum*; verba sunt S.Gregorii Papæ Lib. 4. Dialog. cap. 44.

Obj. II. Deus punit citra condignum, & a fortiori non punit ultra condignum: atqui puniret ultra condignum, si pœnam infligeret æternam pro peccato, quod sæpe in instanti commissum est.

R. dist. maj. Deus punit citra condignum, quia minus graves reprobis pœnas infligit, quam meriti sint, C. punit citra condignum hoc sensu, quod non puniat in æternum, N. Imo aliquatenus debet in æternum punire, quia æternæ aversioni a Deo, qualis est aversio reproborum, par est æternam decerni pœnam.

Obj. III. Non pauci Patres, ut Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, negaverunt æternitatem pœnarum; ergo.

R. I. Traditionem non uno, aut altero Patre niti, sed consensu Patrum moraliter unanimi. Sic aliqui Patrum Millenarismo favere, quem tamen tota rejicit Dei Ecclesia.

R. II. Hieronymum non negasse reprobos in æternum cruciandos esse, sed negasse solum omnes peccatores æternum esse torquendos: quod verum est, cum aliqui eorum transitoriis Purgatorii flammis torquendi sint. Id quidem probat S. Doctor ex nonnullis Scripturæ textibus, qui passim de reprobis intelliguntur: at in eorum textuum interpretatione errare potuit, absque eo quod in ipso rei fundo erraret. Augustinus nullibi sensit damnatorum pœnas finitum iri; sed solum eas per viventium preces leniri posse, ut dicam in Tract. de Religione. Ambrosius vero cum in Psalm. 118. dixit divitem, de quo loquitur Evangelium, puniri, *ut citius evadat*, non alludit ad divitem epulonem, sed ad eum, cui dictum est: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te*: hunc autem credit a Deo severe admonitum, ut inferi pœnas evaderet. De his, qui plura volet, quæ non recipit compendium istud, adeat fusiorem nostram Theologiam Tom. 3. p. 578. & seq. Edit. 1740.

Obj. IV. Ratio orandi rationem credendi demonstrat: atqui Ecclesia orat pro salute reproborum: cum ait, *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, &c.*

R. neg. min. & dico ex communi Ecclesiæ sensu citatam precem, vel retrotrahi ad ipsum agonis momentum, adeo ut Deus futura oratione tactus toge-tur, ne sinat animam morientis cadere *in obscurum*; vel eo fine effundi, ut si defuncti anima purgantibus flammis tradita sit, ab iis liberetur: locus enim purgatorii non raro inferorum nomine exprimitur in Ecclesia.

CONCLUSIO II. Peccatum veniale *per se* non meretur pœnam æternam; ea tamen aliquando punitur.

Prob. 1. pars: peccatum veniale non impedit, ne homo dignus sit gloria æterna; qui autem gloria dignus remanet, æterna pœna dignus esse non potest.

Prob. 2. pars: quia si quis cum mortali uno, & altero veniali decedat, pro utroque in æternam punietur: nulla enim fit cujuscumque peccati remissio sine aliqua Christi meritorum applicatione. Christus autem sua damnaris merita non applicat, quia nec ejus membra sunt, nec pro iis ut in tali statu positis mortuus est; ergo.

CONCLUSIO III. Probabile est peccatum, sive mortale, sive veniale in hac vita quoad culpam, non autem quoad pœnam dimissum, non puniri in inferno, nisi pœna temporali. Ita S. Thomas.

Prob. quia nihil obstat quominus peccatum jam remissum quoad culpam, remittatur quoad pœnam per inferni dolores, qui licet ad satisfactionem non sufficiant, cum sponte non acceptentur, ad satisfactionem tamen sufficere possunt; cum culpa, quæ eorum causa est, jam non perseverat, ut revera non perseverat in iis, quibus per pœnitentiam dimissa est.

CONCLUSIO IV. Ignis, quo torquentur sive in inferis reprobi, sive in purgatorio animæ ibidem languentes, est materialis, non metaphoricus.

Prob. 1. pars: 1. ex Scriptura, Matth. 25. *Ite in ignem æternum.* Unde sic: Ignis, de quo agitur in textu citato, est ignis corporeus: quandoquidem hic agitur de igne, quo damnatorum corpora post resurrectionem comburenda sont: atqui ignis ille est ipse idem ignis, quo ipsi spiritus torqueri debent; nam ibidem dicitur: *Qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*; ergo.

Confirm. quia, ex Augustino, Scriptura proprie, & litteraliter accipienda est, quando nihil sequitur absurdi: atqui quod ignis inferorum sit materialis, nihil habet absurdi; potest enim Deus in anima a corpore separata easdem doloris sensationes producere, quas in ipsa ex corporis occasione producit. Certe si Deus corporis nobis hodie uniti impressiones in animam transmittat, quis dixerit eum corporis extranei motus eidem animæ communicare non posse?

Prob. II. ex S. Augustino, qui tametsi aliquando anceps videatur, sic habet Lib. 21. de Civ. Dei c. 10. *Gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit.*

Prob. 2. pars, quæ licet a Græcis palam negata fuerit in Concilio Florentino, unanimi tamen Ecclesiæ Latinæ consensu videtur stabilita esse; cum hæc in Liturgia pro defunctis exorans, non modo petat locum *lucis*, & *pacis* contra obscuritatem, & anxietatem, sed & *refrigerii*, utique contra ignem, cujus *nimio ardore torquentur* animæ purgantes.

Nec nocet id 1. Cor. 3. v. 12. *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Nam vox *quasi* sæpe non

non excludit realitatem. Sic Joannis cap. 1. dicitur: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti*: quis porro Filium Dei neget esse vere unigenitum?

# PARS SECUNDA.

*De Peccatis in specie.*

Peccatum aliud est *originale*, quod communi primi parentis voluntate contrahitur; aliud *personale*, quod propria peccantis voluntate committitur.

Peccatum personale duplex est: *actuale*, qui vel est actus, vel omissio legi difformis; & *habituale*, quod ipsum est actuale peccatum moraliter perseverans, a quo non tam peccantes, quam peccatores denominamur.

Peccatum actuale vel *mortale* est, vel *veniale*; utrumque vero vel est *omissionis*, vel *commissionis*; item vel est *contra Deum*, vel *contra seipsum*, aut *proximum*. Rursusque vel est *carnale*, quod in materia sensibili perficitur, ut gula; vel *spirituale*, quod intus consummatur, & internam solum delectationem habet, ut superbia. Unde iterum peccatum aliud est *cordis*, ut odium: aliud *oris*, ut detractio, aliud *operis*, ut homicidium.

Peccatum denique aliud est *capitale*, quod non solum per se peccatum est, sed & aliorum peccatorum radix; & *non capitale*. De horum præcipuis seorsim disserendum.

## CAPUT PRIMUM.

*De peccato originali.*

Circa peccatum originis hæc quæruntur: I. an existat. II. in quo sita sit ejus natura. III. quopacto ab Adam ad cæteros homines traducatur. IV. an homines omnes ejusdem conscii nascantur. V. qui nam sint ejus effectus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De existentia Peccati originalis.*

Multis apud Augustinum (*L. 8. contra Julian. c. 6. &c.*) nominibus exprimitur peccatum originale: vocatur enim *hæreditarium malum*, *alienum peccatum*, *debitum paterni chirographi*, *&c.* Quæritur, an existat ejusmodi peccatum.

Negarunt Pelagius, ejusque discipuli Cælestius, & Julianus, quorum hæreseos quinque erant capita. 1. *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus*. 2. *peccatum Adæ ipsum solum læsisse, & non genus humanum*, nisi quatenus malum peccandi exemplum præbuit. 3. *infantes, qui nascuntur, in eo statu esse, in quo Adam fuit ante prævaricationem*. 4. *nec per mortem Adæ omne genus hominum mori, nec per resurrectionem Christi omne hominum genus resurgere*. 5. *infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam*. Ita Marius Mercator in Commonitorio.

Errorem hunc temporum lapsu renovarunt Armeni, Albanenses, Albigenses, Anabaptistæ, ac deinceps Sociniani. Contra hos omnes capitale hoc Religionis nostræ dogma omni argumentorum genere probandum est. Sit igitur

CONCLUSIO I. Existentia peccati originalis est certa ex Scripturis.

Prob. I. ex Job. 14. ubi sic legit editio vulgata: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Unde sic: Immunditia, de qua loquitur Job, homini inest ab ipsa ejus conceptione: atqui immunditia hæc, non est corporea, ut volunt Sociniani, sed spiritualis, seu ipsa est peccati immunditia. Nam a corporali immunditia mundari homo etiam ab homine potest: atqui ab immunditia, quæ impuro hominis semini inhæret, solus Deus mundare potest ex citato textu; ergo.

Idem textus juxta versionem LXX. Interpretum non minus efficax est: sic enim vertunt, *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Porro si ne infans quidem unius diei mundus sit a sorde, seu peccato, necesse est, ut admittatur quoddam peccatum, quod nobis omnibus ab ipsa conceptione inhæret: atqui peccatum illud ipsum est peccatum originale; infantes enim actualis peccati capaces non sunt.

Prob. II. ex Psalmo 50. ubi sic loquitur David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: hebraice, Ecce *in peccato*, & *in iniquitate* conceptus sum: atqui peccatum, in quo conceptus est David, non potuit aliud esse, quam peccatum originale. Vel enim peccatum illud ipsum est originale peccatum, vel est actuale peccatum sive parentum David, sive David ipsius: atqui neutrum dici potest. Non 1. tum quia David ex sancto conjugio natus erat, & a patre miræ pietatis; tum quia in id unum incumbit David in hoc loco, ut propriam suam miseriam Deo repræsentet, ejusque misericordiam alliciat: atqui si de sola parentum iniquitate, non de sua loqueretur, jam nec miseriam suam Deo exhiberet, nec misericordiam ejus alliceret: nam eo quidem indulgentia dignus est homo, quod animam peccato vitiatam fortitus a natura sæpius tentationibus cedat, non autem quod ex alterius crimine conceptus sit. Non 2. etsi enim graviter peccaverit David contra Uriam, haud tamen eo in peccato conceptus est a matre sua; ergo.

Prob. III. ex Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransivit, in quo omnes peccaverunt*. & infra. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*: unde sic: Adstruit eo loco Apostolus peccatum, quod omnes homines infecit, & morti obnoxios reddidit: atqui peccatum

hoc

hoc ipsum est originale peccatum, non actuale. Nam peccatum actuale non reperitur in infantibus: atqui peccatum, de quo loquitur Apostolus, reperitur etiam in infantibus: I. quia reperitur in omnibus, *in quo omnes* peccaverunt. II. quia reperitur in iis, qui morti obnoxii sunt, cum mors per illud peccatum intraverit: atqui infantes ante quodcumque peccatum actuale morti obnoxii sunt; ergo.

Obj. I. ex Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris*: atqui in hypothesi peccati originalis filius portaret iniquitatem patris; ergo.

R. dist. maj. Filius non portat iniquitatem patris, si illius particeps non sit, C. si particeps sit, N. Porro participes sumus omnes peccati Adæ; unde non moritur anima peccati cujuslibet expers, sed ea solum, quæ saltem in alio peccavit, in eo nempe, *in quo omnes peccaverunt*: quoniam *quando ille peccavit, in illo erant omnes*, ait Augustinus. Quia vero non eodem modo sumus in iis, a quibus proxime nascimur, ac fuimus in primo omnium parente, ideo licet hujus iniquitatem portemus, vere dictum fuit filium non portare iniquitatem patris, quia actualia patrum peccata nobis, quantum ad gratiæ privationem, non imputantur: imputantur tamen quantum ad damnum temporale; unde patet Ezechielis textum ab ipsis etiam Pelagianis cum limitatione intelligendum esse; cum doceat Scriptura Deum reddere *peccata patrum filiis usque in tertiam, & quartam progeniem*. Ita Augustin. L. 6. cont. Julian. c. 25.

Obj. II. Citatus Apostoli textus ex Rom. 5. loquitur solum de peccato actuali. Sic enim habet v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*, &c. v. 13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Unde sic: Peccatum, de quo sermo est v. 12., idem est, de quo sermo fit v. 13.: atqui peccatum, de quo sermo est v. 13., non potest aliud esse, quam actuale. Nam peccatum, de quo sermo est v. 13., illud est, quod ante legem Moisis non imputabatur: atqui hoc peccatum est necessario actuale, non originale, quod etiam ante legem imputatum esse contendimus; ergo.

R. ad 1. neg. antec. Ad 2. neg. maj. & dico Apostolum v. 12. loqui de peccato originali, cujus existentiam probat duplici ratione. Prima, quæ proponitur v. 13., desumitur ex peccato actuali, cujus fœcunda radix est originalis noxa; & quod etiam ante legem erat in mundo, licet passim non imputaretur, sive ab hominibus, qui peccata multa relinquebant inulta; sive a Deo, qui nondum initius agebat cum peccatore, nisi in immania quædam scelera prorueret. Secunda desumitur ex morte, quæ *regnavit ad Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ*, infantes scilicet, qui propria voluntate non peccaverunt, ideoque ob solum Adæ peccatum peccatores, & mortales effecti sunt; ergo stat Paulum loqui v. 12. de peccato originali, & v. 13. de peccato actuali.

Inst. Pergit Apostolus v. 15. *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei.... in plures abundavit*: atqui si loqueretur Apostolus de peccato originali, plures non essent gratia donati, quam mortui per peccatum, cum omnes per peccatum originale mortui supponantur; ergo.

R. neg. min. Vox enim *multo magis* non significat multitudinem eorum, qui gratiæ Christi participes fiunt, quasi plures ea ditati sint, quam Adæ peccato infecti; sed significat plura nobis per Christi gratiam conferri bona, quam invecta sint per Adæ peccatum mala. Nam Adæ peccatum nobis quidem vitam abstulit, Christus vero perseverantiam in justitia, immortalitatem, abundantem S. Spiritus donorum copiam, virtutesque multas, quæ in statu innocentiæ non fuissent, patientiam v. g., martyrium, virginitatem &c. nobis promeruit, nosque non a peccato solum originali, sed & a cæteris, quæ voluntate propria commissa erant, delictis liberavit, ut habet v. 16.

CONCLUSIO II. Dogma peccati originalis certo constat ex Traditione.

Prob. Illud dogma certo constat ex Traditione, quod semper tenuerunt Ecclesiæ Doctores, sive ante Pelagium, sive ejusdem tempore, sive post ipsum: atqui Ecclesiæ Doctores.... Et quidem I. nulla est difficultas de temporibus Pelagii, cum ab anno circiter 412. usque ad annum 431. habita sint 24. Concilia, in quibus statutum est, ut *quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit eos nihil ex Adam trahere originalis peccati, anathema sit*: verba sunt Concilii Carthaginensis an. 418.

II. nec ulla esse potest difficultas de temporibus, quæ Pelagium subsecuta sunt: tunc enim plena erat & ubique recepta peccati originalis fides, quam confirmarunt Patres Tridentini sess. 5. can. 2. his verbis: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse.... anathema sit*. Tota igitur quæstio movetur de Patribus Augustino antiquioribus: atqui Patres illi peccatum originale asseruerunt, neque eorum est quisquam, qui contradixerit. Tres, aut quatuor referam.

I. itaque S. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone ait Christum in Jordane baptizatum fuisse non propter se, sed propter genus humanum, *quod per Adam in mortem, & fraudem, seductionemque serpentis conciderat, ut interim*, inquit, *propriam pro se malignè agentis cujusque culpam taceam*: atqui peccatum illud, in quod humanum genus conjectum est per Adamum a serpente seductum, quodque a propriis uniuscujusque peccatis distinguitur, nihil est aliud, aut esse potest, quam peccatum originale; ergo.

S. Irenæus lib. 3. adversus hæres. cap. 20. ait Christum *nobis salutem præstitisse, ut quod perdideramus in Adam, hoc in Christo Jesu reciperemus....* quia sine Christo *impossibile erat, ut salutem perciperet, qui sub Adæ peccato ceciderat*; ergo agnovit Irenæus peccatum Adami nobis communicatum esse, ita ut per illud amiserimus vitam, quæ non ab alio, quam a Christo nobis reddi poterat: atqui peccatum hoc ipsum est, de quo loquimur, originale peccatum; ergo.

S.

S. Clemens Alexandrinus ab eodem dogmate non recessit: I. quia nequidem ejus patrocinio uti ausi sunt Pelagiani. II. quia ex ejus Schola prodiit Origenes eximius originalis peccati assertor. III. quia facile intelligi nequit viro tantæ eruditionis ignotum fuisse dogma illud capitale, unde pendet redemtionis mysterium.

Tertullianus lib. 3. de testimonio animæ, Adam, inquit, *in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit.* & lib. de anima c. 40. *Omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tandiu immunda, donec recenseatur: peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate.* Unde sic: Ille agnovit peccatum originale, qui docet totum genus humanum de Adami semine infectum ejusdem damnationis particeps evasisse; quique contendit animam omnem in Adamo immundam fieri, & peccatricem ex societate carnis ejus: atqui Tertullianus, &c.

S. Chrysostomus Homil. 18. in Epist. ad Roman. (*Obiit an. 407.*) *Non ipsum*, ait, *peccatum, quod a legis transgressione ortum est, sed illud, quod ab Adami inobedientia est.... omnia perdebat.* & infra: *ut cum tibi Judæus dixerit, Quo pacto, uno recte agente Christo, universus Orbis salvus factus est? possis illi respondere. Quo pacto, uno non obediente Adam universus Orbis condemnatus est?* & iterum, *Si tantum valuit peccatum, & hominis unius peccatum; gratia Dei.... quomodo non superavit magis? hoc enim multo rationabilius. Alterum enim alterius peccato puniri non admodum æquum esse videtur; at alterum propter alterum servari.... rationi magis consentaneum.* Unde sic: Peccatum, quod non est ortum a transgressione legis; peccatum, quod omnes perdit, quod Orbem universum condemnat; peccatum, quod grande est mysterium, quodque ratio sibi relicta *æquum* non esse credit, hoc, inquam, peccatum aliud non est a peccato originali: atqui idipsum est, quod admisit S. Chrysostomus; falso igitur ejus auctoritate gloriabantur Pelagiani.

Obj. I. S. Clemens lib. 3. Stromat. agens contra Basilidianos, qui nuptias damnabant, sic loquitur: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operans?* Unde sic: Ille negat peccatum originale, qui negat infantes cecidisse sub execrationem Adæ: atqui S. Clemens negat..... ergo.

R. dist. min. Negat S. Clemens infantes cecidisse sub execrationem Adæ ad mentem adversariorum, qui existimabant ipsam corporis humani substantiam per se esse malam, utpote a malo principio productam, C. ad sensum Catholicorum N. Quod enim originale peccatum admiserit S. Clemens, prout illud admittunt Catholici, patet I. quia dogma illud in Ecclesia Alexandrina constanter assertum est, illudque ut continuam hujus Ecclesiæ traditionem tenuerunt S. Athanasius, & Origenes ipsius S. Clementis discipulus. II. quia sic loquitur S. Clemens lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Tincti*, seu baptizati, *illuminamur; illuminati, in filios adoptamur.... Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, & lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus, &c.* ergo infantes, quibus Baptismum conferri non ignorabat S. Clemens, juxta eundem infecti erant peccato, a quo non nisi per Baptismum solvebantur.

Inst. I. Ille negat infantes cadere sub execrationem Adæ ad sensum Catholicorum, qui explicans hæc Psaltæ verba, *In iniquitatibus conceptus sum*, expresse docet Davidem in peccatis conceptum non fuisse: atqui S. Clemens id expresse docet; sic enim ait lib. 3. Strom. *Quando dixit David, In peccatis conceptus sum, dicit prophetice quidem matrem Evam, & si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato: neque vero ipse peccatum, &c.* ergo.

R. dist. min. Docet S. Clemens Davidem non fuisse conceptum in peccato, quod esset ipsa generatio, aut vitium matris, ut volebat Cassianus, C. in peccato originali, N. Imo vero S. Clemens hic adstruit peccatum originale, quandoquidem sic negat hæc verba, *In peccatis conceptus sum*, de propria Davidis matre esse intelligenda, ut velit ea intelligi de Eva prima omnium hominum matre, in cujus peccato omnes concipiantur. Quid enim aliud sibi volunt hæc verba, *David dicit prophetice matrem Evam*, cum dicit, *In peccatis conceptus sum?*

Obj. II. Tertullianus lib. de Baptismo cap. 18. *Veniant*, inquit, infantes ad Baptismum, *cum Christum nosse potuerint: quid festinat ætas innocens ad remissionem peccatorum?* atqui nisi Tertullianus infantes ab omni prorsus peccato immunes credidisset, non inquisisset, quare *innocens ætas festinet* ad Baptismum: sensisset enim sibi statim respondendum fuisse, ætatem hanc reipsa innocentem non esse, sed mortali Adæ peccato constrictam; ergo.

R. neg. min. inquirit Tertullianus, & satis male, cur tam cito baptizentur infantes, non quia eos ab omni noxa immunes putet, sed quia credebat melius esse, ut differretur Baptisma; tum ut petentibus datum videretur; tum ut magis ponderarentur ejus obligationes. Hunc esse ejus scopum declarant sequentia verba: *Norint, qui baptizantur, petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Si qui pondus intelligant Baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem.*

Inst. Tertullianus lib. de anima c. 39. *Nulla ferme*, inquit, *nativitas munda est, utique Ethnicorum; hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina*; ergo Tertullianus solos Ethnicos a nativitate immundos agnovit, non autem filios Fidelium: cum istos ex parentum sanctitate *sanctos procreari* contendat.

R. ad 1. neg. conseq. ad 2. dist. Tertullianus contendit filios Fidelium procreari sanctos, id est, destinatos sanctitati, ac per hoc etiam saluti, ut ipse loquitur, C. sanctos ex natura rei, & ante susceptum baptisma, N. Itaque juxta Tertullianum nativitas Christianorum multis titulis potior est nativitate Ethnicorum: hi enim cum *idololatria obstetrice nascantur*, jam *in partu Lucinæ, Dianæque .... devoventur*; illi vero sanctitati, & saluti quasi ipsa seminis conditione destinantur: at non ideo censuit Tertullianus Christianorum

norum filios intrinſece ſanctos eſſe; quandoquidem agnoſcit eos indigere Baptiſmate, quia animam habent peccatricem, & immundam, ut patet ex his ejuſdem verbis: *Meminerat* Apoſtolus, cum filios Fidelium per parentes ſanctificari dixit, *Dominicæ definitionis*, *Niſi quis naſcatur ex aqua, & ſpiritu, non introibit in regnum Dei, id eſt, non erit ſanctus. Ita omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur*, &c. ut ſupra.

Obj. III. S. Chryſoſtomus Hom. 10. in cap. 5. Epiſt. ad Rom. ſic loquitur: *Quod Adamo peccante, & mortali facto, qui ex illo orti ſunt tales efficiantur, id a veriſimili non abhorret: quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam conſequentiam habuerit? invenietur quippe ille non pœnas debere, niſi ex ſe peccator fuerit. Quid igitur hic ſignificat illud, peccatores? mihi quidem videtur ſupplicio obnoxios, & ad mortem damnatos*. Unde ſic: Ille negat peccatum originale, qui homines non alio ſenſu contendit in Adam peccatores eſſe, quam quia in eo mortis rei conſtituti ſunt: atqui S. Chryſoſtomus contendit .... ergo.

R. neg. min. dum enim docet S. Chryſoſtomus homines peccaſſe in Adam, quatenus *ſupplicio obnoxii, & ad mortem damnati ſunt*, non excludit culpam, ſed præſupponit, quia ex S. Doctore non eſt obnoxius ſupplicio, niſi qui reatum culpæ habuerit; unde hic Chryſoſtomus ab effectu cauſam intelligit, tametſi eam ibi non exprimat, quia alibi ſatis expreſſit, ut ex probationibus ſupra allatis manifeſtum eſt.

Inſt. S. Chryſoſtomus Hom. 17. in Epiſt. ad Coriat. *non ſane propter* Adamum peris. *Neque enim tu ſine peccato manſiſti: ſed ſi non idipſum peccatum, aliquod utique admiſiſti; alioquin autem a punitione non damnum accepiſti, ſed lucratus es*. Unde ſic: ſi homo naſceretur originali labe infectus, jam propter Adam periret, etiamſi nullum aliud admiſiſſet peccatum: atqui ex S. Chryſoſtomo certe non perit homo propter Adamum, ſed propter alia, quæ *utique* admiſit peccata; ergo.

R. diſt. min. Homo propter Adamum non perit neceſſario, quia peccatum Adæ eluere, imo & aliquid emolumenti ex eo percipere poteſt, C. non perit, id eſt, non naſcitur peccato Adæ obnoxius, N. Itaque baptizati, de quibus loquitur S. Chryſoſtomus, ideo pereunt, non quia peccarunt in Adam, cum ab ejus peccato per baptiſmum mundati ſint, ſed quia actualia admiſere peccata, a quibus opitulante gratia abſtinere poterant. Hoc unice intendit S. Chryſoſtomus. *Vis ſcire*, inquit, *quomodo corpus mortale non læſeris, ſed etiam juvet? nuſi quanta hinc lucreris, ſi vigiles*; ergo S. Doctor de iis agit, qui & originalis noxæ remiſſionem fuerant conſecuti, & virtutis exercitio aliquid boni ex ipſo ſuo ſtatu lucrari poterant.

Moram non faciet celebris textus Homiliæ ad Neophytos, qui ſic citatur: *Baptiſamus infantes, cum non ſint coinquinati peccato*. I. quia ſufficit reſponſio S. Auguſtini, qui textum hunc interpretatus eſt de peccatis actualibus. II. quia cenſent eruditi multi, Homiliam hanc non eſſe S. Chryſoſtomi. III. quia editiones multæ legunt *ut non ſint coinquinati peccato*. Ex textu autem tam incerto quid colligi poteſt?

CONCLUSIO III. Peccatum originale, licet rationi plurimum repugnare videatur, ab ea tamen, præſertim per fidem adjuta, invicte confirmatur.

Prob. ſtrictim delibando argumenta theologica, quæ fuſe proſequitur Auguſtinus contra Pelagianos. I. itaque ex Apoſtolo II. Corinth. 5. *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, iſque *Salvator* eſt *omnium*; ergo mortuus eſt etiam pro infantibus, eorumque Salvator eſt: atqui non eſt *unde ſalvos eos faciat, ſi nulla in eis eſt originalis peccati ægritudo*: non eſt *unde eos redimat, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati ſub peccato*; ergo.

II. Baptiſma omnibus etiam parvulis neceſſarium eſt, ut intrent in regnum cœlorum; neque id unquam auſi ſunt negare Pelagiani: atqui ſolum peccatum arcere poteſt ab ingreſſu regni cœlorum; ergo omnes infecti ſunt peccato: atqui non actuali, cum multi moriantur ante uſum rationis; ergo originali.

III. Cæremoniæ, quæ etiam in parvulorum Baptiſmo uſurpantur, exorciſmus nempe, & exſufflatio, quibus immundus ſpiritus a parvulis Baptizandis abigitur, ubique receptæ erant ante tempus Auguſtini; unde nec eas reprehendere auſi ſunt Pelagiani: atqui cæremoniæ illæ clare indicant Eccleſiam ſemper credidiſſe parvulos ante Baptiſmum eſſe ſub dæmonis poteſtate. Jam vero ſub dæmonis poteſtate non ſunt, niſi ob peccatum aliquod, cujus conſcii ſint; ergo cum peccatum illud actuale eſſe non poſſit, ſupereſt, ut ſit originale.

IV. Homo omnis naſcitur immani concupiſcentiæ, morbis, ac morti ipſi obnoxius; & illud eſt *grave jugum ſuper filios Adæ a die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ* ( *Eccl.* 40. ): atqui denſa hæc miſeriarum communium nubes communem culpam indicat, & ſupponit. Deus enim ab initio *creavit hominem inexterminabilem* ( *Sap.* 2. ): ergo niſi peccaſſet, nullis ſubjacuiſſet miſeriis; ergo cum ipſi infantes & pœnis, & morti ſubjaceant, neceſſum eſt, ut alicujus culpæ rei cenſeantur: non actualis; ergo originalis.

Obj. I. Omne peccatum eſt voluntarium: atqui peccatum originale non poteſt voluntarium eſſe infantibus, utpote qui libertatis uſu careant; ergo.

R. diſt. maj. Peccatum perſonale, & actuale eſt voluntarium, C. originale, ſubd. eſt voluntarium moraliter, & voluntate aliena, C. phyſice, & voluntate propria, N. Itaque infantes nullum habent, & habere poſſunt peccatum perſonale: at habere poſſunt, & habent peccatum originale, quia habuerunt moralem libertatis uſum in primi parentis voluntate, quæ fuit moraliter voluntas eorum omnium, qui ab ipſo ſeminaliter naſcituri erant, non quidem quantum ad omne præceptum, ſed quantum ad præceptum abſtinendi a certo fructu. Juſtum ergo eſt, ut malum a capite electum imputetur membris in eo moraliter incluſis; ſicut juſtum eſt, ut pacta conventa ſerventur a civibus, etſi non eorum, ſed Majorum voluntate celebrata fuerint. Fateor id ægre

ad-

admodum intelligi, sed non ideo negandum est, quia plerumque verum est id, quod comprehendi, & explicari nequit.

Obj. II. dogma peccati originalis ad Manichæismum conducit. Illud enim dogma ad Manichæismum conducit, quo posito, peccat quisquis utitur matrimonio: atqui posito originalis peccati dogmate, peccat quisquis utitur matrimonio; quia elicit actum, cui necessario annexum est peccatum; ergo.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. ad 3. dist. Peccat, qui elicit actum, cui secundum se sumto, & vi propria, vel etiam ex intentione agentis annexum est peccatum, C. cui annexum est peccatum defectu alterius, quem nec debet, nec impedire potest, N. Itaque peccatum originale non oritur ex ipso per se generationis actu, tanquam a causa proxima: (quia alioqui ubicumque esset generatio, ibi semper esset, aut fuisset peccatum, quod falsum esse ex ipso innocentiæ statu liquet); sed sequitur ex ipsa Adami prævaricatione, quæ causa est, cur invitis etiam parentibus tota ejus posteritas vitiata nascatur; ergo, ut verbis utar Augustini lib. 2. de nupt. & concup. cap. 26. *Non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur a nascente, & expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati.*

Obj. III. Prævaricatio Adæ non est efficacior redemtione Christi: atqui redemtio Christi non prodest iis, qui non credunt; ergo nec Adæ peccatum iis nocet, qui actu non peccant.

R. neg. min. nam Christi gratia prodest parvulis baptizatis, licet non per se, sed solum in aliena persona credant; ergo & iisdem nocet Adæ peccatum, licet non per se, sed in eo solo peccaverint.

Obj. IV. cum Juliano. Non peccat iste, qui nascitur; non peccat ille, qui genuit; non peccat Deus, qui condidit: *per quas* igitur *rimas tot inter præsidia* ingredi potest peccatum?

R. cum Augustino: *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus; per unius delictum, ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis; &c. Quid quæris amplius? Quid quæris apertius? &c.*

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Quomodo Peccatum Adæ posteris ejus communicetur.*

DE animarum origine fusius in fusiori de Peccatis Tractatu disseruimus, ibique rebus late discussis docuimus tandem animas nec initio mundi creatas esse, nec alias ex aliis propagari, sed quotidie a Deo, cum corporibus uniendæ sunt, creari. Hæc autem opinio hinc nobis visa est cæteris esse præferenda: I. quia jam pene ubique in Ecclesia Catholica a quinque circiter sæculis recepta est. II. quia eadem sententia tempore S. Hieronymi, ab omnibus tenebatur Orientalibus: opposita vero, licet apud Occidentales satis communis, haud tamen ab omnibus recepta erat. III. quia effatum istud Magistri Sententiarum: *Animæ creando infunduntur, & infundendo creantur*, ita nunc invaluit, ut non aliquorum duntaxat, sed fidelium omnium sensum exprimere videatur.

Jam quæritur quo pacto peccati originalis dogma eidem sententiæ possit accommodari. Melius sane foret, cum S. & humili Augustino inscitiam suam profiteri, quam multa congerere, quæ potius originalis peccati fidem labefactant, quam astruunt. Ne tamen quæstionem in scholis pertractatam omnino prætereamus, paucis expendendum est, quomodo anima ob suam cum corpore corrupto unionem corrumpatur; qua de re triplex est opinio.

Prima eorum est, qui in omnibus Adæ posteris voluntatem admittunt interpretativam, vi cujus censentur antea voluisse quidquid Adam voliturus erat boni, vel mali.

Secunda opinio eorum est, qui docent peccatum originale transfundi per libidinem, seu concupiscentiam seminali generationi naturaliter adjunctam, ex natura, aut quasi ex natura rei, quo modo podagra, & aliæ corporis, vel animæ affectiones in liberos a parentibus transfunduntur. Hanc sententiam post Calvinum vivide tuetur Jansenius, atque ex ea concludit, quod si Adamus concupiscentiam illam bene vivendo tollere potuisset, nullum in posteros fuisset peccatum transmissurus; quemadmodum illud nunc non transmitteret, cui omnis a Deo per miraculum tolleretur concupiscentia.

Tertia opinio eorum est, qui credunt in hoc negotio intercessisse aliquam Dei constitutionem, per quam Adamus morale omnium caput institutus fuerit, ita ut in ejus voluntate posterorum omnium voluntas, & fortuna constitueretur, unde velut omnium nomine præceptum Dei vel servaret, vel pro libito transgrederetur. Sit

CONCLUSIO I. Peccatum Adæ non transit ad ejus posteros per voluntatem eorum interpretativam.

Prob. quia Deus imputat quidem in culpam id, quod aliquis de facto vult; non autem id, quod in tali, vel tali occasione voliturus fuisset. Unde S. Augustinus Epist. 194. reprobat eorum opinionem, qui existimabant parvulos ideo rapi ante Baptismum, quia si victuri diutius fuissent, multa admisissent crimina.

CONCLUSIO II. Peccatum Adæ non ex natura rei, sed dependenter a libera quadam Dei constitutione transfunditur in ejus posteros.

Prob. I. Ideo ex Apostolo Rom. 5. *per unum hominem peccatum intravit in mundum .... & in eo omnes peccaverunt*; quia, ut docet Augustinus Lib. 3. de peccat. merit. *omnes unus ille fuerunt*: atqui omnes non fuerunt ille unus physice, quatenus is omnium progenitor erat; sic enim filii omnes unum sunt in patribus, & ideo peccata eorum portare deberent; ergo omnes unus ille fuerunt vi divinæ institutionis, quæ Adamum constituerat morale omnium caput.

Prob. II. Si libido generationis esset causa peccati originalis, ubi foret hæc libido, ibi peccatum originale foret; ubi vero non esset, ibi nec esset peccatum: atqui falsum utrumque consequens. Pri-

mum

mum quidem, quia, ut loquitur Concilium Trid. Seff. 6. c. 3. *homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*: atqui etiamsi ex Adæ semine non procrearentur; non procrearentur tamen sine libidine, & concupiscentia, quia hæc ex naturali hominis temperamento exurgit, & sane fuisset in statu naturæ puræ. Falsum quoque est, quod si carerent parentes libidine in generando, eorum filii non contraherent originale peccatum; quia semper descenderent ab Adamo, ac proinde citra singulare privilegium, in illo peccarent, *in quo omnes peccaverunt*, prout docet S. Thomas q. 83. art. 4.

Confirm. quia si libido transfundendi originalis peccati causa foret, plus ille contraheret peccati, qui majori libidinis ardore conciperetur: atqui non plus contrahit peccati originalis unus, quam alter; est enim peccatum illud in omnibus æquale, ut docet S. Thomas q. 82. art. 4.

Prob. III. quia eo modo traduxit Adamus originale peccatum in posteros; I. quo traduxit cætera incommoda, puta terræ tribulos, bestiarum rebellionem, &c. cur enim aliter de his quam de illo sentiremus? II. quo traducturus erat justitiam, si non peccasset: atqui Adam cætera incommoda moraliter tradidit; justitiam vero originalem non nisi moraliter traducturus fuisset; ergo peccatum Adæ non ex rei natura, sed ex Dei constitutione transmittitur in Adæ posteros.

Obj. I. Pactum, quod Augustinus non admisit, imo quod rejecit, admitti non debet: atqui pactum quod admittimus, non admisit Augustinus, sed potius rejecit. (*L. 4. Oper. imperf. n.* 104.) Quærenti enim Juliano *quomodo omnes per voluntatem malam Adæ peccaverunt*, non recurrit ad pactum, sed e contra respondet nos *secundum rationem seminis* fuisse in Adamo, sicut fuit in Abraham Levi, cum Abraham solvente decimas ipse Levi decimas solvit: atqui non ratione pacti alicujus, sed ratione solius seminis, hoc est ex rei natura Levitæ in Abrahamo fuere, cum ille solvit decimas Melchisedech; ergo a pari.

R. ad 1. neg. maj. pro priori parte. Potuit enim Augustinus non meminisse pacti, ne novis se difficultatibus implicaret; pactum enim admittimus, quia verum, non quia omni difficultate carens.

II. neg. min. pro secunda parte. Nego scilicet docuisse Augustinum, Adæ posteros peccato ejus ex rei natura infici: nego proinde pactum omne a S. Doctore penitus rejectum fuisse.

Ad textum Augustini dico S. Doctorem afferre exemplum Levi in lumbis Abrahæ decimati, ut ostendat Adæ filios in Adæ lumbis peccasse: an vero hoc physice, & ex rei natura, an moraliter solum contingat, ne quidem tangit sanctus Doctor.

Obj. II. Si Deus voluntates nostras in Adamo contineri voluerit, vel hoc voluit independenter ab Adamo, vel non: atqui neutrum dici potest: ergo.

R. neg. min. & dico probabilius videri Deum hoc voluisse independenter ab Adamo: id enim & supremum Dei dominium decet, & fieri potuit per decretum, quo Deus & justitiam originalem Adamo pro se, suisque posteris dedit, & voluntatem ipsius haberi voluit pro posterorum ejus voluntate. Hoc tamen decretum Adæ innotuisse credimus: I. quia id exigebat suavis Dei providentia, ut Adam magis averteretur a peccato sibi, suæque posteritati tam nocivo. II. quia Adam peccando ut hominum Caput, gravius peccavit, quam si peccasset ut singularis persona; ergo nosse debuit omnium hominum voluntates in voluntate sua coacludi; alioqui non potuisset hinc gravius peccare.

## ARTICULUS TERTIUS.

*In quo sita sit natura Peccati originalis.*

Suppono I. peccatum originale non esse denominationem mere externam, aut solam pœnæ obnoxietatem, sine interiori mentis macula. Hæc enim opinio, vel potius error I. funditus tollit peccatum originale; sicut Sanctis revera justitiam adimunt, qui eam docent duntaxat externam esse. II. aperte repugnat Apostolo, secundum quem *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*; ubi peccatum originale est mortis causa, ac proinde ab ea distinguitur, adeoque in pœnis, quibus obnoxii nascimur, reponi non potest. III. nec minus adversatur Concilio Trid. quod definit Seff. 5. Can. 5. in Baptismate *tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet*, ubi necessario supponitur peccatum originale esse veri nominis peccatum.

Suppono II. in peccato originali, sicut & in peccatis nostris actualibus, duo posse considerari: I. actum illum, quo Adam, ut caput morale generis humani, transgressus est Dei legem per comestionem, quæ & ipsius erat, & eorum omnium, qui ab eo seminaliter propagandi erant. II. labem, seu maculam, quæ Adæ transgressionem subsecuta est. De hac sola præsens movetur disputatio, quæriturque in quo ea consistat. Circa difficile hoc punctum varias in partes abeunt tum Heterodoxi, tum Catholici.

Prima opinio apud Protestantes communis reponit peccatum originale in concupiscentia.

Refellitur I. quia si peccatum originale formaliter sit ipsa concupiscentia, vel actualis, vel habitualis: atqui neutrum dici potest. Non 1. nam in parvulis est vere peccatum originale: atqui tamen in iis non est, nec esse potest concupiscentia actualis. Non 2. nam peccatum origioale per se, & ratione sui homines facit dignos morte: atqui concupiscentia sive actualis, sive habitualis neminem per se facit dignum morte, sed solum cum ei consentitur; ergo.

II. in Baptismo tollitur totum id, quod peccatum est: atqui tamen non tollitur concupiscentia, cum ipsa maneat in baptizatis ad agonem; ergo.

Secunda opinio, quæ prima est Catholicorum, essentiam peccati originalis reponit in duplici qualitate morbida, alia quidem carnis, alia vero animæ, inter quas is est ordo, ut prior sit posterioris causa, quatenus caro per peccatum vitiata, vitium suum ani-

animæ, cum sibi unitur, communicat.

Refellitur: quia ex dictis tollitur in Baptismo id omne, quod peccati rationem habet: atqui non tollitur morbida ea qualitas carnis, & animæ; hæc enim nihil est, quam grandis ad peccatum proclivitas, quæ etiam in renatis manet; ergo.

Tertia opinio eorum est, qui peccatum originale, quoad materiale, constituunt in concupiscentia; quoad formale vero, in reatu culpæ.

Refellitur quoad primam partem; quia concupiscentia, utpote quidam animæ languor, qui etiam in baptizatis remanet, est effectus peccati originalis: atqui effectus rei non potest se habere ut ejusdem rei materia; cum materiale rei sit primum in re, & concipiatur ut aliquid prius ipso formali.

Refellitur quoad secundam partem: quia reatus culpæ est ipsa formaliter culpa, seu est ipsum formale peccati: atqui nugatorium est dicere peccatum originale constitui in ratione peccati per id, quod in eo culpæ, & peccati rationem habet. Sicut quærenti in quo sita sit hominis essentia, nugatorium esset respondere eam consistere in humanitate; ergo.

Quarta opinio eorum est, qui peccati originalis essentiam collocant in jactura justitiæ originalis, sumtæ pro debita voluntatis ad Deum subjectione: unde juxta hanc opinionem peccatum originale consistit formaliter in habituali aversione a Deo, quæ ipsa est privatio debitæ subjectionis ad Deum.

Hæc opinio, quam docet S. Anselmus, admitti posset, nisi quod non explicat, cur, & quomodo peccatum originale sit *unum* in nobis, & in Adamo, prout docet Synodus Trid. sess. 5. can. 3. Sit igitur

CONCLUSIO. Peccatum originale est ipsum Adæ peccatum toti ejus posteritati vere, & intime communicatum.

Prob. tum quia cæteræ opiniones mox adductæ minus satisfaciunt: tum quia hæc nostra sententia magis congruit Concilio Trid. secundum quod (*Sess. 5. can. 3.*) *hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, omnibus inest unicuique proprium*: atqui peccatum originale non esset *unum* in Adam, & in nobis, si peccatum nostrum non esset ipsum Adæ peccatum nobis intime communicatum.

Confirm. Illud est peccatum originale, quod ab Adamo transfunditur ad ejus posteros. atqui ipsummet Adæ peccatum transfunditur ad ejus posteros, ex citato Concilii Trid. canone; ergo peccatum originale nihil est aliud, quam ipsum Adæ peccatum nobis communicatum.

Obj. I. Si peccatum originale sit ipsum Adæ peccatum, jam erit actuale; falsum consequens.

R. neg. maj. Peccatum enim originale est status quidam deordinationis, ex actu physice præterito permanens in homine, donec ipsi a Deo condonetur: is porro status licet ex malo actu nascatur, est tamen maxime habitualis.

Obj. II. ex Tridentino peccatum originale per propagationem ab Adamo transfunditur in ejus posteros, omnibus inest, est unicuique proprium: atqui ipsum Adæ peccatum nec transfunditur, nec omnibus inesse potest ut uniuscujusque proprium. Peccatum enim Adæ est quid omnibus commune: sed quod omnibus commune est, non est proprium uniuscujusque; sicut essentia divina, quia tribus personis communis est, nullius est propria.

R. ad 1. neg. min. Quod enim omnes, & singulos Adæ posteros vere, & intrinsece afficit, vere omnibus inest, & uniuscujusque eorum proprium merito nuncupatur: atqui tale est peccatum Adæ; ergo.

Ad 2. dist. min. Quod est commune omnibus, non potest esse unius proprium, id est, non potest ita convenire uni, ut aliis non conveniat, C. id est, non potest vere, & proprie convenire cuilibet, quamvis eidem singulariter, & privatim non conveniat, N. Peccatum originale ergo simul & commune est omnibus, quia ad omnes extenditur, & uniuscujusque proprium est, quia nemo unus est, cui tota ejus ratio non conveniat. Nec nocet exemplum ex essentia divina desumtum: ea enim non est moraliter, & æquivalenter in tribus personis multiplex, unde nec potest ab una tolli, & manere in alia; secus de peccato originali, ut per se evidens est.

---

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De subjecto Peccati originalis.*

HIC expendemus ad quos, & an ad omnes perveniat peccatum originale; circa quod duplex est difficultas. Prima Catholicorum cum Hæreticis, qui contendunt peccatum originale vel non communicari, vel saltem non imputari filiis Fidelium: secunda est Catholicorum inter se, quorum aliqui contra cæteros B. Virginem a labe originali infectam fuisse propugnant. De utraque hic disputandum; sit igitur

CONCLUSIO I. Filii Fidelium contrahunt peccatum originale, quod ipsis sicut aliis imputatur, nisi ab eo mundentur per Baptismum.

Prob. I. quia ad id sufficit, ut peccatum originale ab illis solis, & omnibus contrahatur, qui naturalis generationis via descendunt ab Adamo; nisi ii speciali privilegio a lege pro omnibus constituta eximantur: atqui ex textibus Scripturæ supra adductis (*p.* 198. *col.* 2.) certum est omnes, qui ab Adam propagantur, originale peccatum contrahere, quia *omnes* in illo *peccaverunt*, nec ullibi excipiuntur filii Fidelium; ergo. Et vero David, & S. Paulus erant filii Fidelium: atqui tamen David in peccato conceptus erat, & ipse Paulus, ambo erant *natura filii iræ, sicut & cæteri*; ergo peccatum originale iisdem, sicut & cæteris imputabatur.

Prob. II. ex Augustino L. de pecc. orig. c. 40. *Sive reus infidelis*, ait, *sive absolutus fidelis, non generat absolutos uterque, sed reos: quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina, non oleas generant, sed oleastros.* Ubi assertio nostra totidem verbis continetur.

Prob. III. tum ex sollicitudine, qua Fideles filiis suis periclitantibus Baptismum procurare semper festinarunt; tum ex cæremoniis in eorum Baptismo con-

constanter adhibitis, ex quibus sequitur semper in Ecclesia Dei creditum fuisse, eos, nisi ex aqua renascerentur, ut & alius ab ingressu cœlorum excludit.

Objiciunt I. id Sap. 8. ubi ait Salomon, *Sortitus sum animam bonam, & veni ad corpus incoinquinatum*: atqui ubi anima a nativitate bona est, & corpus incoinquinatum, nullum est, aut esse potest peccatum. II. illud I. Cor. 7. *filii* Fidelium *sancti sunt*, non autem *immundi*. III. nemo dat, quod non habet: atqui Fideles jam peccatum originale non habent; ergo nec illud in filios suos transfundere possunt.

R. ad 1. Sensus est, Salomonis animam a Deo præclaris dotibus instructam fuisse, eumque crescente in dies pietate consecutum esse corporis munditiem, robur, & similia. Inde vero quid contra nos?

Ad 2. dist. Filii Fidelium sancti sunt, id est, sanctitati quasi ab ortu destinati, C. sancti per se, & præcise ratione nativitatis, N. Itaque filii Fidelium etiam cum Infidelibus matrimonio conjunctorum sancti sunt, quia connivente Infideli, facile parentis Fidelis diligentia, & fide baptizari, & christiane educari possunt: at ratione præcise nativitatis suæ sancti non sunt, sicut nec præcise Infidelis sanctus est ob suam com Fideli conjunctionem.

Ad 3. dist. min. Parentes non habent peccatum in se, & actu, C. non habent virtute, & ratione primævæ originis, N. *Potuerunt* ergo *parentes*, ait Augustinus L. 3. de pecc. merit. c. 9. *transmittere*, *quod ipsi minime habuerunt, non solum sicut frumenta paleam, & præputium circumcisus, sed etiam, quod & vos dicitis, Fideles infidelitatem in posteros trajiciunt*.

Quod spectat ad B. Virginem triplex est circa ejus conceptionem opinio. Prima eorum est, qui absolute pronuntiant eam in peccato originali conceptam fuisse. Ita potissimum Thomistæ. Secunda est eorum, qui B. Virginem ab omni labe semper immunem fuisse contendunt; & hi duas in classes dividuntur. Alii Virginem nec quoad actum, nec quoad debitum noxam originalem contraxisse volunt: alii longe plures Mariam quoad debitum, licet non quoad actum, idem peccatum contraxisse putant, quibuscum sit

CONCLUSIO II. B. Virgo peccati originalis debitum contraxit.

Prob. I. Peccatum originale contrahere quoad debitum nihil aliud est, quam debere illud contrahere, nisi speciale Dei privilegium ab illo eximeret: atqui B. Virgo Maria originale peccatum, non secus ac alii Adæ posteri, contrahere debebat. Lex enim peccati originalis lata est contra eos omnes, qui naturali via propagantur ab Adamo: atqui B. Virgo hac naturali via ex Adamo procreata est; ergo.

Prob. II. Maria vere redemta est a Christo, qui omnium redemtor constitutus est: atqui vere redimi non potuit, si non fuerit peccatrix, vel re, vel saltem debito, cum Christus pro nullo homine nisi peccatore mortuus sit, ut docet S. Augustinus L. 6. contra Julian. cap. 1. & insinuat Apostolus, cum peccatum saltem in debito extendit ad eos omnes, ad quos pertinet vivificatio Christi; ergo.

Objiciunt duo: I. quod B. Virgini tribui debet, quidquid excellentiæ, & dignitatis competere potest puræ creaturæ: atqui nequidem peccati debito subjacuisse magnæ est commendationis. II. quod B. Virgo statim gratia præventa fuerit: atqui gratia abunde præveniens ipsum peccati debitum expungit.

R. ad 1. id solum B. Virgini tribui posse, quod eidem tribui patitur Scriptura; sicut & ab ea id solum removeri debet, quod sine Traditionis dispendio ab ea removeri potest. Porro Scriptura, & Traditio, quæ generaliter pronuntiant omnes homines in Adam peccasse, saltem exigunt, ut B. Virgo peccati debitum habuisse censeatur: unde Bellarminus, & alii quidam Mariæ devotissimi contrariam opinionem, aut periculosam, aut fidei minus consentaneam pronuntiare non verentur.

R. ad 2. neg. min. Gratia enim opponitur peccato actu contracto, non autem debito, quia ad debitum satis est, ut B. Virgo peccatum incurrisset, nisi per gratiam fuisset præventa, quod verum est. Fatendum tamen, post gratiæ collationem ne ipsum quidem remansisse debitum, quia debitum remissione extinguitur.

CONCLUSIO III. Pro certo tenenendum est B. Virginem sine labe originali fuisse conceptam.

Prob. I. ex Cantic. 4. ubi sic habetur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Unde sic: Textus iste litteraliter intelligitur de B. Virgine, cum ei & a S. Thoma, & ab innumeris Theologis, & ab Ecclesia ipsa applicetur: atqui idem ille textus, ut actuale, sic & originale peccatum removet a B. Virgine: omnem enim prorsus maculam removet; ergo ut actualem, sic & originalem; cum macula originalis tam vere, & proprie macula sit, quam actualis.

Prob. II. ex Patribus. Hieronymus in Psal. 77. ait Dei matrem *nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce* S. Augustinus Lib. de nat. & grat. cap. 23. *Excepta*, inquit, *S. V. Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum*.

Nec dicas Augustinum hic solum loqui de peccatis actualibus, adeoque hæc duntaxat, non autem peccatum originale excludere a Deipara.

Nam I. S. Doctor generaliter pronuntiat se nullam velle habere quæstionem de B. Virgine, *cum de peccatis agitur*: atqui peccatum originale non minus, quam actuale sub *peccatis* comprehenditur, præsertim apud Augustinum. II. idem Pater B. Virginem a generali peccati lege excipit *propter honorem Domini*: atqui honor Domini non minus postulat, ut mater ejus ab originali peccato immunis fuerit, quam ab actuali, etiam veniali; nam B. Virgo per peccatum veniale facta non esset mancipium diaboli, bene vero per peccatum originale. III. hæc orationis formula, *Dimitte nobis debita nostra*, tam generalis

talis est ex S. Augustino quam illa fidei regula, *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*: atqui S. Augustinus asserere non audet hanc orandi formulam B. Virgini præscriptam fuisse. IV. ex S. Doctore L. 5. contra Julian. c. 9. *Nullus est hominum, præter Christum, qui peccata non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccata non habuerit infantilis ætatis exortu*: atqui B. Virgo non continetur in priori comparationis membro, ut fatetur S. Augustinus cit. Lib. de nat. & gr., & *tenet Ecclesia* ex Tridentino; ergo nec in posteriori continetur.

Prob. III. ex Concilio Basileen., quod (*an.* 1439.) sess. 36. doctrinam de Immaculata conceptione, *tanquam piam, & consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ ab omnibus Catholicis amplectendam* definit, declaratque *nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare, & docere*: atqui hæc definitio, licet Concilii œcumenici auctoritatem non habeat, ut sponte fatemur, magni tamen ponderis esse debet: I. quia Concilio huic intererant adhuc viri non pauci eruditione conspicui. II. quia is Concilii articulus statim confirmatus est a Synodo Avenionensi, deinde ab Academia Parisiensi, quæ ann. 1496. alumnos suos ad tenendam ejus doctrinam solemni juramento adstrinxit. III. quia SS. Pontifices eundem articulum solemniter confirmarunt, nedum eidem obstiterint. Unde

Prob. IV. auctoritate Sedis Apostolicæ. Sixtus IV. Constitutione *Grave nimis*, data an. 1483. sub pœna excommunicationis Romano Pontifici reservatæ vetat, ne quis asserere ausit eos, *qui tenent gloriosam, & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, aut esse hæreticos*. Equidem is ipse Papa eandem pœnam in eos etiam decernit, qui oppositam opinionem hæreseos notant; sed nihilominus constanter stetit pro Immaculata Conceptione; cum iis, qui festum ejus devote celebrabunt, & per ejus octavam Officio intererunt, tales tribuat Indulgentias, quales consequuntur Christi Fideles in Corporis Christi solemnitate.

Sixti IV. Constitutiones innovavit Concilium Tridentinum, iisque inhæserunt alii Pontifices, & in primis Gregorius XV. qui Bulla anno 1622. data prohibet, *ne quisquam etiam in scriptis, & sermonibus privatis audeat asserere, quod B. Virgo in peccato concepta sit, exceptis quibus a Sede Apostolica fuerit hoc simpliciter indultum*.

Prob. V. Ea sententia ut vere pia teneri debet, quæ ex una parte nec Scripturæ, nec Traditioni repugnat; ex alia vero a quingentis circiter annis, ex quo his illa diligentius excussa est, ab innumeris omnium gentium, & ordinum Theologis, & Academiis cum plausu recepta est: atqui talis est nostra præsens assertio. Nam I. non repugnat Scripturæ, ut statim ostendam. II. innumeris probata est Theologis, ut patet ex Concilio Mariano Theophili Raynaudi, qui pro ea citat, & adducit innumeros Antistites, ac Theologos, Italos, Gallos, Germanos, Polonos, Belgas, Anglos, Scotos, Hispanos, Lusitanos, Afros, & Orientales; quibus & addit Imperatores, Reges, ac Principes supremos. III. eandem sententiam Statutis suis obfirmarunt celeberrimæ quæque Universitates, Parisiensis, Moguntina, Salmanticensis, Toletana, & Complutensis, &c.

Obj. I. Opinio nostra repugnat textibus supra adductis contra Pelagianos, in quibus generaliter dicitur neminem mundum esse a sorde, omnes peccasse in Adam, &c. ergo.

R. neg. ant. Si enim opinio nostra Scripturæ repugnet, vel quia Scriptura alicubi particulariter asserit B. Virginem in peccato conceptam esse, & hoc dici non potest, ut fatentur adversarii: vel quia locutiones, quibus adstruitur peccatum originale, adeo generales sunt, ut iis B. Virgo, sicut & cæteri, comprehendi debeat: atqui nec illud dici potest. Nam ex locutiones, quibus astruitur generalitas peccati actualis, *Non est homo, qui non peccet, Omnis homo mendax, &c.* sunt etiam generales: atqui tamen iis non comprehenditur B. Virgo; ergo nec illis comprehendi censenda est, nisi quoad debitum, quod sufficit ut prædicti textus in sensu generali verificentur.

Inst. I. Ea a communi regula excipi non debet, quam SS. Patres in ipsa expresse concluserunt: atqui SS. Patres.... *Solus Christus*, ait S. Irenæus lib. 5. contra hæreses, *sine peccato venit*, *Solus Christus*, ait S. Ambrosius Lib. de arca Noe, *potuit justus in conceptione esse*.

R. neg. min. quia Patres hoc unum voluerunt, neminem esse præter Christum, qui vi generationis suæ immunis fuerit a noxa originali; cæteros vero, qui ab Adamo naturaliter generantur, illam noxam contrahere, nisi ab ea speciali privilegio præserventur.

Inst. II. Augustinus L. 5. contra Julian. c. 15. docet, *excepta* Christi carne, *omnem reliquam humanam carnem*, ac proinde carnem B. Virginis *esse peccati*: sed ubi est caro peccati, ibi est peccatum.

R. dist. min. Ubi est caro peccati, ibi est peccatum, nisi obstet gratia præservans, C. ibi est peccatum actu, semper, & necessario, N.

Obj. II. ex S. Thoma 3. p. q. 27. a. 2. *B. Virgo peccatum originale contraxit*: idem tenet sacer ejus Ordo; quis porro talem Scholam errare putet?

R. I. textum hunc videri corruptum, ut qui non legatur in tribus antiquis codicibus. Quin & in editione Romana jussu Pii V. emaculata, & in editionibus Paris. an. 1529. & 1532. nec non & in Veneta anni 1555. sic loquitur S. Doctor in 1. dist. 44. q. unic. art. 3. ad 3. *Talis fuit puritas B. Virginis, quæ a peccato originali & actuali immunis fuit*.

R. II. si forte a nobis dissensit S. Thomas, eundem, utpote devotum Virginis, & Ecclesiæ filium indubie pro conceptione immaculata pugnaturum fuisse, si festum ejus tanto cum plausu ubique gentium celebrari conspexisset: cum Mariam hinc in nativitate sua sanctam fuisse probet, quod festum nativitatis ejus in Ecclesia celebretur. Idem dicendum de S. Bernardo, qui in celebri ad Canonicos Lugdunenses Episto-

la

la sic loquitur: *Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.* His ergo quæstionem nostram concludamus verbis, quæ qui pie pronuntiant, centum annorum indulgentiam percipiunt ea decreto Gregorii XV. dato an. 1622. 23. April. prout refert Theophilus Raynaudus pag. 334. *Benedicta sit purissima, & immaculata conceptio beatissimæ Virginis Mariæ.*

## ARTICULUS QUINTUS.

*De pœnis peccati originalis.*

POenæ peccati originalis aliæ spectant corpus, aliæ animam; aliæ vitam hanc, aliæ futuram.

Pœnæ corporis sunt mors, morbi, aliæque miseriæ, a quibus coalescit *jugum* illud *grave*, quod est *super filios Adam*, &c.

Pœnas animæ paucis, sed vere exprimit id Beda, *Homo spoliatus est gratuitis, & vulneratus in naturalibus*, nimirum per ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, infirmitatem in appetitu irascibili, & concupiscentiam in concupiscibili; prout docet S. Thomas.

Præcipua quæstio est de pœnis alterius vitæ: circa quam ante omnia certum est da fide, parvulos sine Baptismo decedentes privari vita æterna, id est, intuitiva Dei visione, prout definit Synodus Florentina Sess. ult., statuens *illorum animas, qui cum actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ratio est, quia ex Christo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Jam quæritur, qui futurus sit in altera vita status infantium, qui sine Baptismo decesserint. Porro multiplex est, ut in obscuris esse solet, ea de re opinio.

Prima docet infantes pœna sensus cruciari.

Secunda infantes pœna sensus torqueri negat, sed simul credit, eos aliquam de amissa beatitudine (quæ est damni pœna) tristitiam, tanquam quæ sit pars privationis hujus, habituros esse.

Tertia cæteris lenior parvulis concedit beatitudinem aliquam naturalem in naturali Dei cognitiona, & amore fundatam; imo & post diem judicii habitationem aliquam in paradiso quodam terrestri, virtutum moralium copiam, crebras, & solatii plenas Angelorum visitationes. Ita Catharinus, præ cæteris Cardinalibus Sfrondatus.

Quarta opinio eorum est, qui infantes non intuitiva solum Dei visione, sed & beatitudine quacumque naturali privari, neque tamen doloris quidpiam ea hac privationa percipere putant. Ita Gonet post S. Thomam in dist. 33. q. 2. a. 2. Sit

CONCLUSIO I. Parvuli post mortem nec fruuntur, nec fruentur unquam beatitudine naturali.

Prob. I. ex S. Augustino L. de orig. anim. c. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem, regnumque cœlorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, quasi medium locum, hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit.* Sed qui excluduntur a quiete, & *felicitate qualibet*, nulla etiam naturali beatitudine fruuntur. Et hoc eo magis verum ast, quod Pelagiani non nisi felicitatem naturalem hisce infantibus pollicerentur: hinc Bellarminus opinionem Catharini fidei contrariam esse scribit.

Prob. II. Qui sunt, & semper erunt in inferno cum diabolo, & in perditione, felices etiam in ordine naturali esse non possunt; atqui infantes illi I. sunt in inferno, ut docet Synodus Florentina supra. II. ibidem sunt cum diabolo: *nec enim est ullus medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo*, ut docet Augustinus L. 1. de pecc. mer. c. 28. III. sunt in perditione, cum a perditione nemo, nisi per Baptismum liberetur, ut tradit Concilium Carthaginense apud Augustinum Ep. 175. IV. ibidem semper erunt: tum quia nulla ast ratio cur inde liberentur; tum quia generatim dicitur Eccli. 11. quod *ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit.*

Prob. III. Implicat eos esse felices, qui sunt sub captivitate dæmonis: atqui sub ea semper erunt parvuli illi. Nam sub ea nascuntur propter peccatum originale: atqui ab ea nunquam liberabuntur, quia ab ea non nisi per Baptismum liberari possunt.

CONCLUSIO II. Iidem infantes de hac felicitatis carentia tristabuntur, & vere dolebunt.

Prob. I. quia ex Augustino non est promittendus parvulis quietis, ac felicitatis locus: atqui si nulla tristitia corporis, aut animi tangerentur infantes, magna quiete fruerentur.

Prob. II. ratione S. Augustini Lib. 6. contra Julian. c. 4. *Si exclusio a cœlesti gloria non erit infantibus malum; non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum Dei*, ad quod creati erant, *nihilne mali de hac separatione patientur?*

CONCLUSIO III. Incertum est, an infantes illi pœna sensus puniantur.

Prob. quia quæ a sola Dei voluntate pendent, incerta sunt, nisi de iis constet ex verbo Dei scripto, vel tradito: atqui sors infantium quoad pœnam sensus pendet a voluntate Dei, qui eos pœnæ huic subjicere, aut subtrahere potuit: aliunde vero hæc Dei voluntas nec in Scriptura, nec in traditiona evidenter expressa est. Non in Scriptura, quia cum Christus Matth. 25. duas solum facit classes eorum, qui judicandi sunt, tunc vel de infantibus non loquitur, sed de iis, qui bene, vel male vixerunt: vel etiamsi infantes in eorum classe reponat, qui a sinistris erunt, non ideo tamen eos iisdem ac adultos pœnis subjecit, quia ad eos dici non potest, quod dicitur adultis: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare, &c.* Non in Traditione, quia ut certi aliquid eruatur e Patribus, necesse est, ut inter se insigniter divisi non sint: atqui Patres circa præsens punctum plane divisi sunt. Alii enim, ut S. Augustinus & alii non pauci satis aperte docent cum S. Fulgentio Lib. de fide ad Petr. c. 27. parvulos, *qui sine Sacramento sancti Baptismatis de hoc sæculo*

*culo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos.* Alii vero magni etiam nominis Patres contrarium tenent: sic S. Gregorius Nazianz. vir avitæ fidei maxime tenax, loquens de infantibus: *Existimo*, inquit Orat. 40. in S. Baptis. *futurum ut.... nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur, utpote qui licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant.* S. Gregorius Nyssen. in Orat. de iis, qui præmature abripiuntur infantes, a *doloribus, ac mœsti* ia eximit, quod saltem de mœstitia, & dolore sensus intelligendum est.

Verum quidem est, quod opinio, quæ parvulos pœna sensus affici putat, ab Augustini tempore plurimum invaluerit: at fere ubique in genere opinionis remansit; unde temporum lapsu, ac præsertim post sæculum duodecimum sic prævaluit altera, ut nulla ferme prioris sententiæ vestigia apud Scholasticos remanserint. Hinc sæculo XIII. incunctanter ajebat S. Thomas, q. 5. de malo a. 2. *quod, sicut communiter dicitur, peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni*; quod desumtum est ex Innocentio III. Idem docuit S. Bonaventura, qui oppositam opinionem paucorum esse dixit. Idem & Magister Sent. Scotus, & cæteri *omnes moderni Doctores, quorum scripta perlegi*, ait Gregorius Ariminensis.

Tria hic addenda puto: I. eos, qui S. Augustini sententiam de sensibilibus parvulorum pœnis veriorem esse putant, ei absque ulla excessus formidine adhærere debere, ut notat Bellarminus. II. cavendum tamen esse Clericis, ne Scholæ opiniones in Catechesibus proponant tanquam fidei dogmata: constat enim experientia, Fideles ægre admodum audire eos, qui infantes sine Baptismo mortuos æternis ignis inferni cruciatibus obnoxios faciunt. III. posse nihilominus prudenter eosdem Clericos data occasione priori opinione uti contra matres, quæ ex negligentia fœtus suffocant in utero, aut præmature effundunt; posteriorem vero adhibere, ut leniant eorum dolorem, quæ filios suos absque regenerationis Sacramento extinctos acerbius lugent.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Peccato mortali, & veniali.*

PEccato orignali opponitur personale, quod vel est actuale, vel habituale; ad actuale potissimum spectant, quæ initio hujusce Tractatus dicta sunt de peccato ut sic. Cum autem peccatum habituale, & macula peccati idem omnino sint, peccati habitualis essentia repetenda est ex iis, quæ supra diximus de macula peccati. ( *p.164.col.2.* ) Nunc ergo dicendum est de peccato mortali, & veniali.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De existentia Peccati mortalis, & venialis.*

CEnsent Calviniani nullum esse peccatum ex natura sua veniale, nullum, quod damnationem non mereatur. Aliter sentiunt Catholici omnes, quibuscum sit

CONCLUSIO. Dantur peccata mortalia, dantur & venialia.

Prob. prima pars. Peccatum mortale est illud, quod animæ mortem infert, amicitiam Dei dissolvit, & hominem æternæ pœnæ reum constituit: atqui dantur hujusmodi peccata, quæ qui *agunt*, *digni sunt morte*, Rom. 1. & *regnum Dei non consequentur*, Galat. 5. ergo.

Prob. 2. pars: I. quia peccatum veniale est illud, quod nec hominem privat justitia, nec eum æternæ pœnæ obnoxium facit, sed tantum temporali: atqui multa facit homo peccata, quæ nec eum justitia spoliant, &c. Nam Prov. 24. *septies cadit justus*: sed qui justus est, etiam dum peccat, non peccat mortaliter; neque enim potest quis esse justus, & simul in statu peccati mortalis.

II. quia celebris est peccati divisio in mortale, & veniale non solum apud Scholasticos, sed & apud Patres, v. g. Hieronymum in c.2. Jerem., Ambrosium L. 2. de pœnit. c.10., Augustinum Enchiridii c. 21. ubi sic: *Peccatum ergo est mendacium* pro salute alterius factum, *sed veniale*.

III. quia inter amicos non quævis offensa dissolvit amicitiam; ergo neque Deum inter, & homines.

Obj. I. Deut. 27. dicitur: *Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in Libro Legis*; ergo ob peccatum quodcumque homo maledictus est. II. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*, Jacob 2. sed qui venialiter peccat, offendit in uno; ergo omnium reus est, ac proinde damnationis reatum incurrit. III. *Qui solverit unum de mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, Matth. 5. sed qui committit peccatum veniale, solvit unum ex mandatis minimis; ergo erit minimus, id est, nullus in regno cælorum.

R.ad 1. eos a Moyse maledictos dici, qui non permanserint in omnibus, quæ scripta sunt in Libro *Legis hujus*: unde maledictio illa refertur ad violatores mandatorum, quæ in eo ipso loco tradita fuerant; id enim significat pronomen *hujus*. Porro mandata, quæ ibidem tradidit Moises, sunt gravissima, cum spectent ad fugam idololatriæ, incestus, homicidii, & similium; ergo mirum non est, si maledicti vocentur, qui ea non servant.

Ad 2. Qui offendit in uno puncto capitali, v. g. qui mœchatur, aut occidit ( quæ exempla ibidem adducit S. Jacobus ), factus est omnium reus, quia excidit a charitate, qua qui privatus est, Dei amicus esse nequit: at non quisquis in punctis etiam levioribus delinquit, ideo omnium reus est; alioqui Jacobus ipse, & mundus totus omnium reus esset, cum ibidem dicatur: *In multis offendimus omnes.*

Ad 3.

Ad 3. dist. Qui solvit unum de mandatis minimis, & simul alios *doces* ea inculpate solvi posse, ille minimus, seu nullus erit in regno cœlorum, C. qui solvit simpliciter, sub. qui solvit unum de mandatis, minimis quidem relative ad majora, sed in se tamen, & absolute magnis, C. qui solvit unum de mandatis vere, & simpliciter minimus, iterum dist. qui solvit tale mandatum, minimus erit, id est, inferiorem in cœlo locum habebit, C. id est, plane nullum, N. Itaque vel Christus eo loci plenam a regno cœlorum exclusionem non comminatur, ut aliqui putant, vel eam comminatur iis, qui præcepta violant, quæ licet aliis præceptis minora sint, aut falso pro minimis a Pharisæis haberentur, in se tamen magni sunt momenti: nam etsi minus malum sit concupiscere, quam revera mœchari, & dicere, *fatue*, quam occidere, hæc tamen in se levia non sunt: vel demum eam comminatur iis, qui non solum violant mandata in se levia, verum & simul docent alios ea posse inculpate violari: hoc enim docere, magnum in fide errorem, magnamque in agendi ratione deordinationem importat.

Quæres I. unde repetenda sit differentia peccati venialis a mortali.

R. Peccatum mortale, & veniale eo differunt, quod peccatum mortale gravis est transgressio legis, veniale vero transgressio solum levis. Tunc autem peccatum gravis est transgressio legis, cum per illud violatur lex omnino necessaria ad assecutionem finis: tunc vero peccatum non est nisi levis transgressio, cum non violatur lex ad finis ultimi consecutionem necessaria; aut saltem cum ea lex non violatur eo modo, qui finis ultimi consecutionem impedire possit. Duæ sunt hujus responsionis partes.

Prob. 1. pars. Peccatum est essentialiter transgressio legis; ergo ubi transgressio illa gravis est, peccatum essentialiter constitui debet in ratione gravis, seu mortalis; contra vero in ratione venialis, ubi eadem transgressio levis erit.

Prob. 2. pars, quia ille communi omnium sensu judicatur gravis transgressor, qui actum elicit adeo fini dissonum, ut excidat a jure suo in finem, eumque consequi non possit; contra autem is leviter transgressor existimatur, qui servat jus ad finem, & in eo statu remanet, in quo si moriatur, aliquando finem obtinere debet.

Quæres II. quibus regulis discerni possit peccatum mortale a veniali.

R. cum S. Augustino lib. 21. de Civ. cap. ult., *difficillimum* esse *invenire*, & *definire periculosissimum*, quandonam peccatum mortale sit, aut intra venialis culpæ limites remaneat: quasdam tamen ea de re proponemus regulas, quæ sanioribus Theologis probatæ sunt. Aliæ porro extrinsecæ sunt, aliæ intrinsecæ.

Extrinsecæ sunt I. Scriptura sacra, a qua quidquid dicitur dignum morte, Deo exosum, excludere a regno cœlorum; cui item dicitur *Væ*, aut simile quidpiam mortale judicandum est, nisi excuset materiæ, aut advertentiæ defectus. II. Traditio Patrum, Ecclesiæ definitio, communis Doctorum consensus, a quibus recedere, respective vel impium est, vel summe periculosum.

Intrinsecæ sunt ratio fide, vel evidentia innixa, & materiæ gravitas, sive materia gravis sit in se, sive ex intentione legislatoris, sive ex circumstantiis præcepti, sive ex malitia insigni, aut contemptu peccantis; modo adsit sufficiens deliberatio: circa quæ duo notanda: I. deliberationem ad mortale sufficientem cum consensu indirecto, aut etiam negativo consistere posse, ut alibi dixi (*Sup. p.* 160.). II. quædam esse peccata, in quibus vel nulla, vel admodum rara est parvitas materiæ, ut statim dicam.

Ex his regulis colligitur, opera carnis, puta fornicationem, immunditiam, nudhitem, Idolorum servitutem, veneficia, iras, rixas, dissensiones, sectas, invidias, homicidia, ebrietates, comessationes, & alia id genus esse peccata mortalia, dicente Apostolo Gal. 5. I. Cor. 6. Ephes. 6. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Idem dicendum I. de simonia, & confidentia, ut quæ ab Ecclesia gravissimis criminibus annumerentur. II. de omissione auditionis Sacri in die festa, vel jejunii in Vigiliis, aut Quadragesima, quia hæc ex communi Fidelium persuasione pro gravibus culpis habentur. III. de administratione Sacramentorum in statu peccati mortalis facta a ministro ad id specialiter consecrato, quam Doctores omnes de lege communi sentiunt esse peccatum mortale. IV. de peccatis, quæ ea ratione cognoscuntur gravem Deo, proximo, aut ipsi operanti injuriam, vel incommodum afferre: unde infidelitas, desperatio, odium Dei, læsio gravis alienæ famæ, vel fortunæ, ebrietas, & similia per se sunt mortalia, nisi excuset defectus advertentiæ.

Quia vero oppositorum oppositæ sunt rationes, peccatum illud in genere suo veniale judicandum est, quod neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ sensu, &c. gravem cum lege Dei repugnantiam, & oppositionem habere ostenditur. Sed hic notandum, discretionem peccati mortalis a veniali, quæ ex Scriptura, Conciliis, & summis Pontificibus desumitur, multo totiorem esse, quam quæ repetitur a ratione sola. Ut enim, ait Augustinus Enchir. cap. 79., *sunt quædam, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret, Reus eris gehennæ ignis?*

Quæres III. an peccatum veniale ex genere suo possit fieri mortale, & vicissim. Pro solutione

Not. peccatum esse mortale, vel veniale duobus modis, per se, seu ex natura sua; & per accidens.

Peccatum mortale *per se*, seu *ex genere suo*, est illud, cujus malitia ex objecto sumta potest esse gravis sine interventu malitiæ alterius generis; seu, ut alii loquuntur, est illud, quod potest fieri mortale non transeundo ad aliam speciem peccati. Sic furtum est ex genere suo peccatum mortale, quia licet non omnis fur mortaliter peccet, potest tamen, quis mortaliter peccare manendo intra speciem furti, & ad peccatum alterius rationis minime declinando.

Peccatum veniale ex *genere suo* est illud, quod ma-

nendo intra propriam speciem, & sine adventu malitiæ alterius rationis, nunquam potest esse mortale, ut mendacium jocosum. Etsi enim mendacium illud ex circumstantiis fieri possit mortale, ut si is, qui mentitur, grave inde scandalum prævideat; tunc tamen ideo solum fit mortale, quia fit transitus ad speciem alterius peccati, nempe scandali: unde in uno actu duo æquivalenter occurrunt peccata, quorum unum est mendacium leve, aliud vero scandalum, seu offensio proximi.

Peccatum mortale *per accidens* est illud, quod licet de se gravem Deo injuriam non inferat, eam tamen infert ratione alicujus sibi per accidens conjuncti, ut patet in exemplo mox allato.

Peccatum veniale *per accidens* est illud, cujus malitia, licet ex objecto gravis, de facto tamen ob alicujus circumstantiæ interventum gravis non est.

R. I. Peccatum ex genere suo mortale potest per accidens fieri veniale, idque triplici in casu.

Prob. Ad peccatum mortale tria requiruntur: perfecta advertentia, perfectus consensus, & materia gravis; ergo deficiente quolibet ex his tribus, deficiet peccatum mortale.

Defectu advertentiæ excusari solent a mortali: I. infantes septennio minores, qui dubitant, an mortaliter peccaverint; tunc enim præsumuntur sufficientem rationis usum non habuisse; & hæc regula fallere potest in iis, quibus mens ante tempus est malitiæ matura. II. semistulti, semidormientes: item qui dubitant, an perfecte a somno excitati essent, an egerint in phrenesi, &c. quia qui ex plena advertentia agunt, satis sciunt se a somno excitatos fuisse, nisi mora temporis oblivionem induxerit. III. qui vehementi objecti alterius meditatione detinentur, aut quibus gravis animi perturbatio circa culpam irrepit. Hic notandum, ad hoc ut peccatum sit mortale, non requiri hanc advertentiæ speciem, quam aliqui *perfectissimam* vocant, & qua non tantum res, sed etiam ejus effectus, motiva, & media perspicue deteguntur, & diu ponderantur: alioqui enim pauci admodum ex iis præsertim, qui rudes sunt, aut agunt ex passione, vel præcipitanter, mortaliter peccarent; perfecta ergo requiritur, & sufficit advertentia, quam descripsimus supra p. 160.

Defectu pleni consensus excusantur a mortali, qui ab eo excusantur defectu advertentiæ; hæc enim illius principium est. Vide supra pag. 164. col. a.

Defectu sufficientis materiæ quædam peccata excusantur a mortali, quædam non. Quod ut intelligatur, notandum est peccatum mortale duplicis esse generis: aliud est ex *toto genere suo* mortale; aliud est mortale ex *genere suo, sed non toto*. Prius est illud, cujus materia quoad omnes sui partes ita gravis est, ut nulla ex iis sine gravi deordinatione auferri, & violari possit: posterius illud est, cujus materia gravis non est, nisi sit in certa quadam quantitate.

Peccata prioris generis ex imperfectione actus, advertentiæ scilicet, & consensus venialia esse possunt, nunquam autem ex parvitate materiæ.

Hinc I. peccata, quæ sunt immediate contra Deum, ut odium Dei, blasphemia, perjurium etiam in re levi, contemtus directus supremi Numinis, infidelitas, peccata contra spem theologicam, magia, superstitio expressum habens pactum cum dæmone, simonia, fractio sigilli Confessionis. II. peccata quædam contra proximum, ut homicidium injustum, abscissio iniqua membri, duellum intentatum. III. denique peccata quædam contra nos, ut ebrietas, delectatio venerea extra conjugium, pollutio, & culpæ venereæ, hæc, inquam, omnia ob materiæ parvitatem nunquam excusantur a peccato mortali, quia in omnibus semper occurrit gravis irreverentia contra Deum, proximum, aut seipsum: unde proscripta est ab Alexandro VII. propositio hæc: *Est probabilis opinio, quæ dicit tantum esse veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Peccata mortalia ex genere suo, sed non toto, possunt ob materiæ parvitatem fieri venialia. Verum ut prudenter judicetur, quæ materia gravis sit, aut levis, hæc non absolute tantum considerari debet; sed cum omnibus circumstantiis, & maxime cum *relatione* ad finem præcepti, contra quod peccatur; vel cum *connexione*, quam habet cum materia præcedenti ejusdem generis: hæc enim relatio, sicut & connexio aliquando materiam ex levi gravem efficit.

Hinc I. Adam comedendo fructum vetitum mortaliter peccavit, quia licet hæc comestio in se aliquid esset levissimi, erat tamen aliquid gravissimum in intentione legislatoris, qui creaturæ suæ subjectionem hoc obedientiæ actu significari volebat. Sic & mortaliter peccat, sive qui aureum abripit proximo, sive qui cum voverit se daturum pauperibus mille aureos, quinquaginta dare omittit: uterque enim graviter facit contra legem; neuter vero propter rationem oppositam, communiter loquendo, peccaret, si vel furaretur denarium, vel aliquot asses pauperibus dare omitteret.

Hinc II. graviter peccat, qui sæpius in die jejunii pauca comedit; qui sæpe in die festo per modica temporis spatia laborat; qui singulis unius alteriusque mensis diebus assem furatur, aut dare omittit, si ad id ex voto, aut aliter obligetur: quia paucula illa moraliter connectuntur, atque in unam, ut ita loquar, summam totalem coalescunt, quæ cum gravis est, gravis peccati materia esse debet. Idem dicendum de eo, qui per modicos excessus in cibo, aut potu sibi tandem graviter nocet: aut de eo, qui alium sæpius leviter percutiendo, tandem notabiliter lædit in corpore, vel in fama per plures sive plagas, sive detractiones, quæ licet sigillatim in se leves sint, unam tamen in genere moris grandem constituunt.

Hinc III. a contrario venialiter solum peccat, qui singulis Dominicis per quadrantem serviliter laborat, aut qui quotidie in Quadragesima panis frustulum comedit: quia præcepta non laborandi, & jejunandi, singulos dies in particulari afficiunt, & una cum die expirant: unde qui hodie peccat, non transgreditur idem præceptum, quod heri transgressus est. Eadem de causa nonnisi venialiter peccaret, qui, qua die simul concurrerent præcepta Missæ audiendæ, recitandi Officii, jejunandi, abstinendi ab opere servili,

parum comederet, parum ex Missa, vel Officio omitteret: quia præcepta hæc cum simul concurrunt, non magis inter se connexa sunt, quam si successive obligarent.

R. II. Peccatum ex genere suo veniale potest per accidens fieri mortale.

Prob. Quia ad hoc satis est, ut actioni de se venialiter malæ, aut etiam indifferenti addatur circumstantia mortaliter mala: atqui hoc fieri potest, & de facto quotidie contingit in sex casibus.

I. ratione dispositionis actualis, quam quis habet ad peccatum mortale; sive qui peccat ita sit *actu* affectus, ut id quod facit, adhuc faceret, etiamsi sciret illud esse peccatum mortale; sive ex erronea conscientia credat id esse mortale, quod solum veniale est. II. ratione finis mortaliter mali, quem venialiter peccans sibi proponit, ut si quis clavem levis pretii furetur, aut verba jocosa pronuntiet, ut virginem ad peccatum trahat. Ratio est, quia media imbibunt malitiam finis, ad quem referuntur. III ratione gravis scandali, quod quis ex peccato suo levi secuturum prævidere debet: ut si quis leviter alium irrideat, prænoscens eum inde ad iram gravem esse commovendum; aut si quis jocosa proferat verba, prævidens alios inde excitandos ad verba inhonesta. IV. ratione formalis contemtus regulæ, legis, aut Superioris ipsius: qui enim Superiores spernit, Deum ipsum spernit; idem est de contemtu consilii divini. V. ratione periculi proximi peccandi mortaliter: unde qui otiose colloquitur cum fœmina, satis expertus se ex iis colloquiis sæpius mortaliter peccasse, hoc ipso convincitur velle, ac proinde committere peccatum mortale: idem dic de eo, cui ludus de se licitus proxima est occasio pejerandi, &c. VI. ratione multiplicationis materiæ, quæ tandem coalescit in unum totum ad peccatum mortale sufficiens, ut patet in furto, &c.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De affectionibus Peccati venialis.*

AFfectionum loco puncta sequentia expendi solent: I an ex multis venialibus possit fieri unum mortale. II. an veniale disponat ad mortale. III. an veniale causet maculam. Sit

CONCLUSIO I. Ex multis venialibus non conflatur unum mortale.

Prob. I. ex Concilio Trid., quod sess. 14. c. 5. docet I. hominem per peccata venialia a gratia Dei non excludi. II. eadem peccata citra culpam in Confessione taceri posse: atqui neutrum generaliter, & indefinite verum esset, si ex multis venialibus exurgeret aliquando peccatum mortale.

Prob. II. quia alioqui viri etiam timorati singulis diebus admodum anxii esse deberent, & semper solliciti, an non repetitis venialibus, in quæ pluries cadit justus, ad peccati mortalis gravitatem pervenissent.

Obj. I. Quæ eosdem habent effectus formales, ejusdem sunt naturæ; atqui multa venialia eosdem habent effectus formales, ac mortale. Nam peccatum mortale tollit gratiam sanctificantem: atqui eam etiam tollunt venialia multa; cum unumquodque tollat aliquem gradum; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. Ad 3. Per peccatum veniale minuitur non ipsa gratiæ habitualis substantia, sed fervor charitatis, atque etiamsi ipsa charitatis substantia minueretur, homo semper absque dolore venialiter peccans, prius transiisset ad peccatum mortale, quam totam gratiæ justificantis substantiam amisisset per veniale.

Obj. II. Multa furta levia efficiunt tandem furtum mortale; ergo & multa peccata venialia, &c.

R. neg. ant. Multa enim furta venialia nunquam coeunt in unum furtum mortale; sed multa minutorum furtorum objecta in unum peccati mortalis objectum convenire possunt: quia qui multa successive furatus est, notabilis boni alieni detentor esse incipit, quod sine peccato mortali fieri non potest.

CONCLUSIO II. Peccatum veniale non solum per accidens, sed & per se disponit ad mortale.

Prob. I. ex Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*; quæ verba sic interpretantur Patres, ut qui venialia negligit, paulatim decidat in gravia. Hinc tritum illud S. Bernardi: *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt. Nemo repente fit summus.*

Prob. II. Peccata venialia minuunt fervorem charitatis, & obicem ponunt divinis inspirationibus, quibus homo roborari posset contra tentationes peccatorum mortalium: atqui hoc faciunt per se; ergo & per se ad mortale conducunt; sicque differunt a bonis operibus, quæ non per se, sed *per accidens* possunt esse *occasio peccati mortalis*, quatenus superbia bonis operibus insidiator, ut pereant.

Addo merito timendum esse, ne extra statum gratiæ sint, qui venialia sua peccata emendare, ab iisque abstinere parum, vel nihil curant: I. quia se conjiciunt voluntarie in peccati mortalis periculum, juxta id Eccli. capite 27. *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua*: porro in timore Domini instanter se non tenent, qui parum solliciti sunt de continua ejus offensione. II. quia Apocal. 3. dicitur: *Quia tepidus es .... incipiam te evomere ex ore meo*; id est, ut explicat Dionysius Carthusianus, quia *es piger acediosus, & negligens, incipiam te evomere*, id est, *mea sententia reprobare* .... atqui vere tepidi sunt, qui peccata venialia quasi pro nihilo habent, & quasi per ludum operantur.

Hinc colliges quam periculoso sint in statu: I. tot Sacerdotes, qui Missam corde arido facere consueverunt absque ulla, vel vix ulla præparatione anteriori, devotione, & post Missam gratiarum actione; qui tam præcipitanter mysteria nostra tractant, ut non videantur Dei præsentiam agnoscere. II. tot Clerici, qui Officium recitant in continua quasi distractione, quam sua sibi culpa accersunt; sive quia mens eorum ante Officium fere semper dissipata est, sive quia toto pene Officii tempore elatos oculos quoquoversum circumferunt. &c. III. tot vel juvenes,

vel jam ætate satis provecti, qui in Religione non religiose vivunt, sed etsi conditione sua adstricti silentio, solitudini, jugi Dei præsentiæ, sine scrupulo silentium violant, inutiliter huc, & illuc vagantur, tempus in colloquiis inutilibus, in curiositatibus, quæ ad rem non pertinent, misere transigunt hoc lugendo prætextu, quod Constitutiones suæ ne sub veniali quidem obligent. IV. tot adolescantes, atque utinam non Clerici, ad omnem compositi mollitiem, calamistrati, otium, & teporem spirantes, qui Missæ intersunt quidem, sed sedentes, oculos huc, & illuc gyrantes, jocosum aliquid si non obscœnum insusurrantes, vix uno flexo genu adorantes Victimam, cum Sacerdotis manibus attollitur. An nimium dixero, si hujusmodi non re, sed nomine Christianos vocavero tepidos, & ideo plenos furoris Domini?

CONCLUSIO III. Peccatum veniale causat maculam secundum quid, non simpliciter.

Prob. I. pars. Macula secundum quid est irrectitudo quævis actus mali nondum retractati: atqui peccatum veniale hanc irrectitudinem importat; unde justi, cum peccati hujus remissionem obtinent, dicuntur ablui, quæ ablutio fit a macula.

Prob. II. pars. Macula simpliciter importat privationem nitoris, qui oritur ex charitate: atqui nitor ille non tollitur per solum veniale; unde justi, etsi peccent, vocantur nihilominus immaculati; ergo.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Peccato commissionis, & omissionis.*

PEccatum omissionis est transgressio præcepti affirmativi, quo jubetur actus bonus; peccatum vero commissionis est transgressio præcepti negativi, quo prohibetur, ne fiat aliquid mali: unde non audire Sacrum, non jejunare sunt peccata omissionis; furari vero, mœchari sunt peccata commissionis, quibus violantur hæc præcepta, *Non occides, non furtum facies*.

Jam tria quæruntur: I. an dari possit omissio culpabilis sine omni voluntatis actu, seu, ut ajunt, omissio pura libera. II. an actus, qui causa est omissionis culpabilis, habeat malitiam ab ipsa omissionis malitia distinctam. III. an qui voluntarie ponit causam omissionis, peccet & quando apponit causam hanc, & quando de facto omittit. Hæc ultima quæstio est bipartita: potest enim intelligi vel de homine, qui eam posuit omissionis causam, quam adhuc retractare potest, ut cum quis parum curans de audienda Missa, ante ejusdem Missæ tempus venatum profectus est, sed adhuc tamen satis Ecclesiæ vicinus est, dum pulsatur ultimum Missæ signum, ut eam audire queat, si aliquali diligentia uti velit: vel de homine, qui libere quidem posuit causam omissionis v. g. se inebriando, sed eam jam retractare nequit, cum urget præceptum. His positis, sit

CONCLUSIO I. Non datur omissio culpabilis sine actu præcedente, qui sit causa, vel occasio ejus.

Prob. Ut omissio aliqua sit culpabilis, debet esse voluntaria in genere moris: atqui nulla omissio potest esse voluntaria sine aliquo actu, qui sit vel ejus causa, vel ejus occasio. Nulla enim omissio potest esse vere voluntaria in genere moris sine aliquo libertatis exercitio: atqui ubi est exercitium libertatis, ibi necessario est aliquis actus. Minor per se patet, prob. maj. Ante quodcumque libertatis exercitium voluntas manet in actu primo, neque ab eo ad actum secundum transire potest, nisi id velit, adeoque nisi per exercitium libertatis: atqui voluntas, prout manens in actu primo, nihil facit, quod sit in genere moris; ergo.

Obj. Ut omissio sit voluntaria, & culpabilis, satis est, ut quis possit, teneatur, & non faciat: atqui ad hæc tria non requiritur actus positivus.

R. neg. min. nam ut homo non faciat, seu omittat culpabiliter, debet omittere voluntarie; id autem fieri nequit, nisi voluntas actu positivo se ferat in aliquid incompossibile cum executione rei præceptæ, v. g. in ludum, studium, aut actus cujuscumque cessationem, cum agitur de audienda Missa, vel de implendo alio quocumque præcepto.

CONCLUSIO II. Actus ex se bonus, aut indifferens, qui causa est, vel occasio omissionis malæ, non aliam habet malitiam, quam quæ ipsi omissioni inest.

Prob. Idem sit judicium de cæteris actibus bonis, aut indifferentibus, qui omissionis malæ causa, vel occasio esse possunt, ac de studio, vel ludo, quorum amor, & aviditas aliquem ab audienda Missa avertunt: atqui certum est I. hoc studium, licet de se bonum, tunc malum esse, quia ponitur contra legem, quæ ad aliud obligat. II. totam ejusdem studii malitiam eandem esse cum malitia omissionis Missæ: tum quia alioqui, qui Missam omitteret amore studii, magis peccaret, quam qui eandem omitteret nihil prorsus faciendo, quod ridiculum est: tum quia ubi unum non est malum nisi propter aliud, ibi unicum est malum; sicut patet in eo, qui furatur, ut det eleemosynam; & qui dubio procul non duplicis, sed unius solum peccati accusabitur. Et vero si res aliter se haberet, nunquam omitti posset Missa sine duobus peccatis, quorum aliud esset ipsa omissio, aliud causa, vel occasio ejusdem omissionis: hoc autem repugnat praxi Fidelium, qui nunquam explicant in Confessione, cur Missam omiserint, nisi ratio hujus omissionis sit per se peccatum, quod in presenti casu non reperitur ergo.

Obj. Actus, qui fit, cum fieri non debet, malus est per se, & independenter a quocumque malo effectu: atqui actus studendi dum urget præceptum audiendæ Missæ, fit quando non debet; ergo per se malus est, &c.

R. dist. maj. Actus, qui fit cum fieri non debet, malus est per se.... si independenter ab effectu fiat, cum fieri non debet, C. si ab effectu solum habeat, quod fiat, cum fieri non debat, N. Porro ideo qui studet in casu proposito, studet cum non debet, quia tunc debet aliud quid facere, hoc est interesse Missæ.

CON-

CONCLUSIO III. Qui ſcienter, vel ex ignorantia, inadvertentiave culpabili ponit cauſam futuræ omiſſionis, eo ipſo ejuſdem omiſſionis malitiam contrahit. Unde (*ex Azor.*) *qui venationi ſe dedit cum, occaſione omittendi rem divinam, licet poſtea caſu acciderit, ut Sacrum audiret, confiteri debet, non quidem ſe omiſiſſe Sacrum, ſed cauſam præbuiſſe, & occaſionem illud omittendi*. Idem dicendum de eo, qui culpabiliter exponit ſe morali periculo ejuſdem omiſſionis.

Prob. I. quia ille reus eſt malitiæ omiſſionis, qui indirecte, aut ſaltem interpretative vult omiſſionem: atqui in caſibus modo allatis homo vult indirecte, aut interpretative omiſſionem, quia qui vult cauſam, effectum velle cenſetur; ergo.

Prob. II. quia præceptum, quod prohibet omiſſionem, prohibet quoque liberam ejuſdem omiſſionis cauſam: qui enim dicit, Præcipio, ut cras hora ſeptima Sacro interſis, virtualiter dicit, Prohibeo tibi, ne cras hora ſeptima ludas, veneris, &c. ergo ſi incumbas venationi, vel ludo, aut morali periculo utriuſque, jam tranſgrederis præceptum, quo prohibetur omiſſio: atqui non potes præceptum illud tranſgredi, quin omiſſionis illius malitiam contrahas; ergo reus es peccati interni omiſſionis.

Non eris tamen reus externi ejuſdem omiſſionis peccati, ſi caſu aliquo contingat te implere præceptum; quia peccatum externum conſiſtit in omiſſione actus debiti ex præcepto, quem actum mutata voluntate ponere ſupponeris. Imo ſi perſeverante mala voluntate Miſſæ non interſis, non eris reus externi omiſſionis peccati, niſi cum advenerit tempus Miſſæ. Quapropter ſi lata ſit cenſura contra eos, qui Miſſæ non interſunt, tunc tantum cenſuram hanc incurres, cum advenerit Miſſæ tempus; nec incurreres, ſi contingeret te eidem intereſſe: ſicut qui fœminam concupiſcit, licet eo ipſo interni adulterii reus ſit, non incurreret tamen pœnas contra adulteros latas, ſi crimen vel deinceps nollet, vel non poſſet exequi.

Quod ſi is, qui poſuit cauſam omiſſionis, aut morali ejus periculo ſe expoſuit, poſſit poſtea præceptum, cum urget, implere, deſiſtendo ab opere incompoſſibili, & tamen illud non impleat, peccat novo omiſſionis peccato; & tunc omiſſio ejus eſt in ſe libera, quantum actus externus liber eſſe poteſt, quia tunc denuo vult ſaltem indirecte omiſſionem actualem.

CONCLUSIO IV. omiſſio, quæ in cauſa culpabilis eſt, eſt etiam culpabilis in ſe, quo tempore omittitur præceptum, etiamſi tunc contingat hominem præ ſomno non eſſe compotem rationis.

Prob. I. Ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum, ſufficit quod indirecte, & in cauſa ſua liberum ſit; alioqui qui in ebrietate voluntaria occideret Clericum, non eſſet excommunicatus, quod communiori opinioni repugnat: atqui omiſſio Sacri contingens in ſomno vel ebrietate, in cauſa libera eſt; ergo non in cauſa ſolum, ſed & in ſe peccatum eſt.

Prob. II. Non plus ad peccandum requiritur voluntarii, quam ad merendum, aut conficiendum, recipiendumve Sacramentum: atqui ad hæc ſufficit voluntarium in cauſa. Unde I. Martyr in inſtanti vel mortis, vel quo vulnus mortale recipit, martyrii aureolam meretur, etſi aliquando rationis uſu per vulnera ſua privetur. II. Sacerdos, qui animo celebrandi accedit ad altare, vere conſecrat, etſi mente diſtractus verba proferat. III. qui habuit recipiendi Baptiſmi intentionem, poſtea, licet in amentiam verſus, fructuoſe baptizatur.

Obj. I. Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis: atqui in tali omiſſione nulla eſt libertas actualis.

R. diſt. maj. Ad peccatum actuale requiritur libertas actualis vel in ſe, vel in cauſa, C. in ſe neceſſario, N. Etſi porro omiſſio in ſomno non ſit actu, & in ſe libera, cum jam libertatis poteſtati non ſubjaceat, eſt tamen voluntaria in cauſa; quæ quidem *voluntarietas* refunditur in effectum, unde non cauſa ſolum, ſed & effectus in Confeſſione aperiri debent.

Ergo, inquies, in hoc caſu reperitur duplex peccatum, quod tamen multoties negavimus.

R. aliquando unum, aliquando multiplex eſſe peccatum in hujuſmodi omiſſione. Unum quidem, ſi rem præceptam omittas ob rem de ſe bonam, aut indifferentem; duplex vero ſi eam omittas ob rem de ſe malam v. g. ob ebrietatem: etſi enim actus, vel omiſſio exterior non adjungat malitiam eſſentialem actui interno; omiſſio tamen Miſſæ facile intelligitur addere aliquid ebrietati, quæ eſt ipſius occaſio.

Obj. II. Ex hac doctrina ſequitur: I. hominem mereri, ſi in ſomno actum aliquem bonum in cauſa voluntarium exerceat. II. eundem conſecrare in ebrietate, ſi ante ebrietatem habuerit intentionem conſecrandi: atqui hæc ſunt abſurda; ergo.

R. primum aliquo modo ſequi, ſed non eſſe abſurdum: neque enim abſurdum eſt eum v. g., qui Deo inſpirante martyrii occaſionem inquiſiit, & in ſomno occiditur in odium fidei, martyrii corona donari, eo quod bona ejus voluntas moraliter perſeveret: ſecundum vero abſurdum eſſe, ſed non ſequi, quia Chriſtus noluit, ut Sacramenta ab homine mentis impote confecta valerent, tum ob reverentiam, quæ eis debetur, tum quia neceſſe eſt, ut Sacramentum conficiatur cum certitudine ſaltem morali de præſentia ſubjecti, cui applicatur; hæc autem certitudo jam non ineſt homini ebrio, aut dormienti.

Ex his ſequitur pro praxi I. eum, qui non ſolum ſe commiſit periculo omittendi, ſed etiam reipſa omiſit aliquid ſibi præceptum, debere non modo periculum omiſſionis, ſed & ipſum, ſi ita loqui fas eſt, omiſſionis actum in Confeſſione exprimere; quia peccatum omiſſionis ipſa actuali omiſſione conſummatur. II. eum, qui libidini nimium indulgens, ita fit infirmus, ut poſt hac jejunare non poſſit, peccare non jejunando, donec eum facti ſincere pœniteat. Eæ enim omiſſiones ſunt, juxta nos, imputabiles quoad effectum; juxta adverſarios vero noſtros, ſaltem plures, ſunt ſaltem quoad affectum culpabiles.

Quæres I. an peccata commiſſionis, & omiſſionis ſpecie differant.

R. differre specie, non solum physice, sed & moraliter; nam odium Dei v. g. alterius est speciei ab omissione charitatis; Si tamen peccatum commissionis sit omissionis fundamentum, utrumque ejusdem erit speciei, ut patet in eo, qui furatur, & non restituit.

Quæres II. an peccatum commissionis sit gravius peccato omissionis.

R. affirmat. quia gravius est ad objectum contrarium v. g. ad odium Dei abire, quam objecto debito non adhærere, omittendo v. g. actum amoris Dei; sicut gravius peccat miles, qui transit ad partes hostium, quam qui simpliciter a castris recedit.

## CAPUT QUARTUM.

*De peccatis capitalibus.*

PEccata capitalia septem numerantur, superbia scilicet, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, & acedia. De luxuria commodius loquemur, ubi de præceptis Decalogi: cætera hic prosequemur paucis, ita tamen ut explicemus uniuscujusque naturam, qualitatem, actus, filias, seu peccata unde pullulantia, & remedia.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Superbia.*

SUperbia, juxta S. Thomam, est *inordinatus propriæ excellentiæ appetitus*. Est I. *appetitus*, id est, desiderium, complacentia, vel amor. II. *inordinatus*, tum quia superbus iis non vult subjici, quibus debet, sicque peccat contra humilitatem; tum quia præsumtuose appetit, quæ supra conditionem suam sunt, sicque per excessum peccat contra magnanimitatem, III. *excellentiæ*, id est, perfectionis, quam quis habet, aut sibi inesse imaginatur. IV. *excellentiæ propriæ*; unde si mater nimium appetat excellentiam filiæ, & vicissim, non est proprie superbia, sed quoddam vitium superbiæ affine.

Quæres I. an superbia sit grave peccatum.

R. eam esse peccatorum omnium & primum, & gravissimum, & periculosissimum.

I. quidem est omnium primum, quia ex Tob. cap. 4. *a superbia initium sumsit omnis perditio*: nam primi homines per superbiam peccarunt, volentes esse *sicut dii, scientes bonum, & malum*; Lucifer vero de cœlo cecidit, quia dicebat in corde suo, *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, &c.* Isaiæ 14.

II. est omnium maximum: tum quia fons est cæterorum, juxta id Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia*: unde S. Augustinus enar. 2. in Psal. 18. *Magnum*, inquit, *hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum*. Tum quia (ex S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 6.) *in aliis peccatis homo a Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscumque alterius boni; superbia vero habet aversionem a Deo ex hoc ipso, quod non vult Deo, & ejus regulæ subjici: unde Boetius dicit, quod cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit*. Tum denique quia peccati illius fontem, & radicem gerimus in nobis, primumque in nobis vivit, & ultimum moritur.

III. demum superbia omnium est vitiorum periculosissimum: tum quia *alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant*, ait Augustinus Epist. 211. Unde *ruina omnium virtutum* appellatur a S. Isidoro; tum quia superbia in homine dominans, *signum est evidentissimum* reprobationis, ut docet S. Gregorius cap. 41. in Job, idque evidens est: I. quia ex Iacobi 4. *Deus superbis resistit*, nec nisi *humilibus dat gratiam*. II. quia diabolus est *rex super universos filios superbiæ*, ut dicitur Job 41. Hinc ubique in Scripturis suam in superbos indignationem testatur Deus Prov. 16. *Abominatio Domini est omnis arrogans*.

Quæres II. quinam sint præcipui actus superbiæ, & an omnes sint peccatum mortale.

R. ad 1. Actus illi sunt quatuor: I. cum superbi *bonum a semetipsis habere se æstimant*, vel ita se gerunt, quasi æstimarent se a se ipsis habere bona corporis, vel animæ, quæcumque ea sint. II. cum *si bonum* hoc *sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant*, non autem gratuito. III. *cum jactant se habere, quod non habent*. IV. *cum despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent*. Ita S. Gregorius magnus Libro 23. Moral. in Job cap. 4.

R. ad 2. duos priores actus, qui vocantur *superbia completa*, esse mortales ex genere suo. Primus enim negat Deum esse boni cujuslibet auctorem, contra id I. Cor. 5. *Quid habes quod non accepisti?* Secundus facit quidem Deum boni collati auctorem, sed ex debito: at duo postremi non sunt mortales, nisi adsit gravis proximi, aut superiorum despectus, vel detrimentum.

Hinc colliges eos peccare mortaliter: I. qui finem suum ultimum in humana gloria constituentes, diligunt *gloriam hominum magis, quam gloriam Dei* (*Jo.* 21.). II. qui se se cum gravi proximi contemtu, vel indignatione extollunt, Phenennam ( 1. *Reg.* ) imitati, quæ Annæ Samuelis matri sterilitatem exprobrans, eandem graviter affligebat. III. qui propriam gloriam quærunt per iniquam, eamque gravem proximi depressionem, aut qui de aliorum excellentia, & bono notabiliter tristantur. IV. qui ne solito victus, & vestitus splendori quidquam detrahant, undecumque pecunias corradunt, & debita viribus suis majora non sine gravi proximi detrimento contrahunt. V. qui se quasi Phœnices in aliqua scientia, vel arte exhibendo, perniciosa consilia, scripta, præcepta suggerunt; & ii ad restitutionem tenentur. VI. qui fictitiis, quas jactant, qualitatibus offi-

cia,

eia, vel Beneficia, quæ non merentur, comparant; aut qui ementitis divitiis uxorem feipfis longe ditiorem decipiunt, & ducunt.

Monet tamen S. Thomas in fuperbiæ peccato contingere, quod *in aliis, quæ funt peccata* ea genere fuo *mortalia*, contingit, ut propter actus imperfectionem non fint nifi peccata venialia.

Quæres III. quæ, & quot fint filiæ fuperbiæ.

R. Tres recenfentur, præfumtio fcilicet, ambitio, & vana gloria.

Præfumtio hic eft appetitus inordinatus aliquid aggrediendi, quod vires proprias, & capacitatem fuperat: unde præfumtuofus dicitur, qui præfumit exercere, aut quærere officium Confeffarii, Superioris, Judicis, Medici, aut Theologiæ Profefforis abfque fcientia fufficienti; aut qui ad venerea proclivis folus manet cum puella juvene, aut impudica confortia frequentat, etfi peccare non intendit; & in his cafibus præfumtio peccatum eft mortale, veniale vero folum, eum ea ea nullum, aut non nifi leve imminet periculum injuriæ Dei, damnive proprii, vel alieni.

Ambitio eft inordinatus appetitus dominandi, feu extollendi fe per dignitatem, aut honorem præfertim indebitum; & hæc peccatum eft mortale: I. cum quis ftudio aliis dominandi eos fubtrahit ab obedientia Deo, aut legitimis Superioribus debita. II. cum quis præeminentiam quærit cum notabili difpendio honoris Dei, vel utilitatis proximi, ut ii faciunt, qui a confecutione dignitatis arcent alios, qui multo plus Dei gloriam, & proximi falutem promoviffent. III. cum honor quæritur per media graviter illicita, v. g. Beneficium per fimoniam, aut detractionem de competitore. IV. cum ita quis erga dignitatem fuam affectus eft, ut malit mortaliter peccare, quam eandem dimittere. V. cum qui nullum habet honoris titulum, honorem fibi indebitum exigit. Cæterum ambitio viris Ecclefiafticis præcipue pertimefcenda, qui proinde utiliter meditabuntur id S. Thomæ 2. 2. q. 187. art. 2. *præfumtuofum videtur, quod aliquis præeffe appetat*, etiam *ad hoc quod fubditis profit, nifi manifefta neceffitate imminente*.

Vana gloria eft appetitus inordinatus manifeftationis propriæ excellentiæ, feu inordinata, quam quis habet, cupido, ut excellentia fua five vera, five imaginaria aliis manifeftetur, & ab iis prædicetur. Quatuor funt, juxta S. Thomam (2. 2. *q.* 132.), cafus, in quibus vana gloria peccatum eft mortale: I. cum quis *gloriatur de falfo aliquo, quod contrariatur divinæ reverentiæ*, ut fi quis ex humanæ laudis defiderio doceret ex profeffo aliquid ad fidem pertinere, quod tamen Ecclefia declaravit ad eam non pertinere. II. cum *quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo*, ut iis contingit, qui quærunt laudari, ut perveniant ad Prælaturam, qua funt indigni: item fi quis gloriam quærat ex peccato mortali, v. g. ea duello, ea rebellione. III. *cum quis præfert teftimonium hominum teftimonio Dei*. Exemplum eft tum in iis, qui propofitiones hæreticas, aut perniciofas, Ecclefia licet jubente, ejurare renuunt, ne famæ fuæ jacturam patiantur; tum in iis, qui ne hominum probra incurrant, Deo ad meliora vocanti refiftunt. IV. cum quis *intentionem fuam refert ad gloriam, tanquam ad ultimum finem.... pro quo confequendo non prætermittit facere, etiam quæ funt contra Deum*, ut fi quis fornicetur cum ea, quæ minatur fe eum diffamaturum, quafi violentum ftupratorem, nifi confentiat. Item fi Theologus, Confeffarius, aut Medicus femidoctus doctiores in materiis difficilibus confulere recufet, ne pro imperito habeatur.

Extra hos cafus, ait Sylvius, vanæ gloriæ amor fere femper eft veniale peccatum, maxime tamen cavendum ob tria: I. quia peccatum quamvis leve femper caveri debet. II. quia, ut docet ibidem S. Thomas, opus etiam optimum, fi ex inanis gloriæ amore fiat, *amittit vim merendi vitam æternam, etiamfi illa inanis gloria non fit peccatum mortale*. III. quia inanis gloria ad gravia peccata trahit, quatenus efficit, ut homo nimium de fe confidens a Deo fenfim deferatur, & paulatim excidat a bono, quod habebat. Hinc non raro permittit Deus, ut fuperbi in graviffima præfertim luxuriæ peccata labantur, juxta id S. Auguftini Serm. 54. de verb. Dom. *Audeo dicere, fuperbis continentibus expedit cadere, ut in eo, in quo fe extollunt, humilientur. Quid enim prodeft cui ineft continentia, fi dominetur fuperbia?*

Licet vana gloria fit filia fuperbiæ, & ipfa tamen fuas habet filias, quas feptem enumerat S. Gregorius. Eæ vero funt inobedientia, jactantia, hypocrifis, contentio, pertinacia, difcordia, & novitatum præfumtio.

Inobedientia eft peccatum, quo violatur præceptum Superioris ex contemtu; eaque fi formalis fit, & perfecta, id eft, fi inobediens ideo præceptum implere nolit, quia præceptum eft, femper eft peccatum mortale, etiam cum levis eft materia, ut dixi fupra pag. 115. col. 2.

Jactantia eft propriæ excellentiæ prædicatio per verba fine neceffitate; eaque eft peccatum mortale: I. cum derogat gloriæ Dei, ut derogabat Rex Tyri, eum ajebat apud Ezech. c. 28. *Deus ego fum*, de quo fupra. II. cum graviter derogat charitati proximi, ut Pharifæus, qui Luc. 18. tumide ajebat: *Non fum ficut cæteri hominum.... velut etiam hic Publicanus*. III. dum grave proximo præjudicium affert, ut fi quis fe in fanandis morbis peritum prædicet, cum non fit, ut pecuniam credulorum corradat. IV. cum involvit faltem implicite approbationem culpæ mortalis, quam quis a fe admiffam jactat, ut proh dolor! faciunt tot diffoluti juvenes, qui fornicationes fuas, rixas, & vulnera in ipfis inflicta, ebrietates, in quas vel ipfi ceciderunt, vel alios projecere, & ipfa etiam, quorum rei non funt, crimina læti propalant.

Unde fequitur in Confeffione exprimi debere. I. non jactantiam folum, fed & fpeciem peccati, de quo gloriatio captata eft: nam jactantia de fornicatione v. g., non humilitati folum, fed & caftitati repugnat. II. peccatum diffamationis, fi quæ jactantiam comitata fuerit, ut fi quis jactaverit fe rem habuiffe cum tali fœmina bonæ famæ. III. peccatum fcan-

scandali, vel injustitiæ, quod ex jactantia nasci potuit: unde qui alium præsentem de ejus fornicatione, vel furto laudat, utriusque peccati speciem confiteri debet; quia eæ laudes veræ sunt exhortationes, vel ad complacentiam in peccato, vel ad ejusdem peccati repetitionem.

Hypocrisis est peccatum, quo quis simulat se vel justum esse, cum non sit, vel justiorem, quam sit. Est peccatum mortale præsertim in triplici casu. I. cum quis sanctitatem contemnit, eamque acquirere non vult, sed in peccatis permanere volens, *solum curat sanctus apparere*, sicut faciebant Pharisæi ob id toties, & tam severe a Christo reprehensi. De his consule S. Thomam 2. 2. q. 111. art. 4. II. cum quis, etsi sanctitatem non contemnit, eam tamen simulat, ob finem, qui graviter *repugnat charitati Dei, vel proximi, puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur ecclesiasticam dignitatem*, vel ut pauperum eleemosynas ad se attrahat. III. cum hypocrita sic dispositus est, ut malit præceptum aliquod grave transgredi, v. g. Eucharistiam recipere in malo statu, quam excidere a bono nomine, quod sibi per falsam devotionem comparavit: & id non ita rarum est in quibusdam puellis, & aliquando evenit Clericis junioribus, præsertim tempore Seminarii.

Si quis vero sine sanctitatis contemtu, aut sine intentione graviter mala, vel ne alios scandalizet, vel ut iis bonum exemplum præbeat, simulet sanctitatem, quam non habet, *ordinarie solum est peccatum veniale* (*ex Sylvio*); quia, ut ait S. Thomas ibid. q. 37. & 38., *eadem ratio est de mendacio, & simulatione*: porro non omne mendacium est mortale; quæ doctrina limitari debet, nisi sanctitas simuletur in materia gravi, puta in Sacramentorum susceptione.

Contentio est inordinata verborum contrarietas circa *verum*. Ad eam reduci potest discordia, quæ est contrarietas voluntatum in *bono*, de quo ex charitate consentire tenemur. Utraque aliquando mortalis est, aliquando venialis juxta gravitatem, aut levitatem mali, quod inde nascitur.

Sic peccat mortaliter I. qui fidei, vel moralis Christianæ veritatem contentiose impugnat, sive sciens agat, sive ex ignorantia, quæ plerumque vincibilis est, & auctoritati majori cedere deberet. II. qui veritates quasdam ad pietatem, licet non ad fidem spectantes, ut Immaculatam B. Virginis Conceptionem non sine gravi audientium scandalo impugnat. III. qui, ut Advocati quidam, & Procuratores, causam injustam dolose, & clamose propugnat. IV. qui scienter, & ex intentione dissentit a bono Dei, vel proximi.

Si quis autem ex ratione vere probabili dissentiat, puta quia existimat non esse bonum id, quod vult alter, sed quod ipse, vel nullum est, vel non nisi veniale peccatum. Hinc dissensio Pauli, & Barnabæ, de qua Act. 15., non fuit peccatum, quia ambo bonis nitebantur rationibus (*Sylv. ibid.*), quas Spiritus Sanctus iis suggerebat, ut invicem corpore dividerentur, atque ita uberior esset fructus prædicationis; dissensio vero Cephæ a Paulo culpam venialem non excessit.

Pertinacia, qua quis proprio judicio nimis adhæret, peccatum est periculi plenum, & non raro mortale, quia non raro vergit in Dei injuriam, Superiorum contemtum, aut grave proximi detrimentum.

Præsumtio novitatum, qua quis vanæ gloriæ studio nova excogitat, peccatum est periculosissimum, utpote radix hæreseon, & usuum in vestibus, aut ornamentis, quæ modestiæ, & castitati sæpius graviter repugnant.

Quæres IV. quænam sint superbiæ remedia.

R. Hæc afferri solent: I. notitia sui; sibi enim certo vilescet, qui serio pensabit se innumera admisisse peccata, se item mille de novo peccandi periculis expositum esse, mille bene agendi difficultatibus impeditum, pronum ab adolescentia in malum, tardum ad omne boni genus, implicatum terrenis, vacuum virtutibus &c.

II. Attentio ad universas vitæ nostræ partes, quales essemus ante ortum, merum nihil; quales in ortu, sperma fœtidum; quales in processu, congeries iniquitatis; quales in exitu, esca vermium, & forte ignis æterni.

III. consideratio propriæ indigentiæ, quæ tanta est, ut quidquid nostrum est, plenum sit ut plurimum peccati; quidquid nobis boni inest, sit a Deo.

IV. diligens inspectio brevitatis eorum, quibus mens efferri solet: *Terra es, & in terram reverteris*, Genes. 3. *Dii estis*, & tamen ut infimi quique *homines moriemini*, Psalm. 81. Ubi nunc Alexander? ubi Cæsares? ubi tot Philosophi? qui laudantur ubi non sunt, torquentur ubi in æternum erunt.

V. frequens meditatio pœnarum superbiæ, cui Deus resistit, quam homines etiamsi superbi in aliis detestantur, quæ cordis paci inimica est, quæ non nisi infelices exitus habet, ut videre est in Lucifero, in Absalon, in Aman, in Herode, quem *percussit Angelus Domini, eo quod non dedisset honorem Deo*, (*Act.* 12.)

VI. libens cum humilibus conversatio; crebra divinæ gratiæ invocatio, quæ si alicubi necessaria est, certe cum agitur de comparanda humilitate, cujus exercitium ut necessarium, sic & corruptæ naturæ arduum est; ac demum propositio sæpius renovata, sive exemplorum Christi, qui *humiliavit semetipsum*, sive horum ipsius verborum, *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*.

AR-

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Avaritia.*

AVaritia definitur a S. Thoma Amor inordinatus divitiarum, quo nomine intelliguntur bona quæcunque etiam parva, si nimium amentur.

Quæres I. quodnam peccatum sit avaritia.

R. eam esse mortalem ex genere suo, cum charitati, vel justitiæ adversatur: unde multum Christianis, maxime vero Clericis pertimescenda est.

Prob. I. Eccli. 10. *Avaro nihil est scelestius, nihil est iniquius, quam amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet*. Matth. 6. *Non potestis Deo servire, & mammonæ*. Hinc tot Dei in avaros maledictiones: Isai. 5. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, usque ad terminum loci*.

Prob. II. quia avaritia adversatur præceptis per se obligantibus sub mortali. Repugnat enim tum amori appretiativo erga Deum, cum malit avarus pecuniæ servire, quam Deo; tum charitati, & justitiæ proximo debitis, cum avari, quos hic insequimur, pauperibus, domesticis, creditoribus negent id, quod ipsis debitum est, aut ita dispositi sint, ut negarent, si possent; ergo talis avaritia *semper est peccatum mortale, nisi forte actus imperfectio, aut levitas materiæ, vel nullam, vel duntaxat veniale peccatum efficiat* (*S. Thom.*)

Dixi I. *cum adversatur justitiæ, &c.* Si enim sumatur prout *opponitur liberalitati*, & in hoc *sistat*, *ut homo quamvis superflue divitias amet, non tamen, propter divitias velit aliquid facere contra Deum, & proximum, sic avaritia est peccatum veniale*. Ita S. Thomas.

Dixi II. peccatum hoc Christianis, præsertim vero Clericis valde esse pertimescendum. Ratio generalis est, quia, teste Apostolo I. Timoth. 6., *radix* est *omnium malorum cupiditas*. Ratio specialis est, quia Clerici arctius tenentur Christi paupertatem imitari, aliosque ab avaritiæ vitio retrahere. Vere ideo Petrus Blesensis: *In multis*, inquit, *notabilis est avaritia Sacerdotum, præsertim dum pro quæstu temporali faciunt se ordinari, dum spe vilissimæ oblationis Sacramenta conficiunt, de cadaveribus litigant, sepulturam, & Baptismum vendunt, nihil gratis impendentes*.

Hinc inferes eorum avaritiam esse mortalem: I. qui opes, & bona per fas, & nefas acquirere parati sunt. II. qui ultimum suum finem constituunt in divitiis, ita affecti, ut potius fallant, pejerent, &c. quam abstineant a lucro. III. qui tam cupide retinent sua, etiam legitime parta, ut eorum jacturam, vel imminutionem neque propter Deum, neque propter proximum pati velint. IV. qui ita opes congerunt, ut nullum iis congerendis modum statuant: *Non est finis acquisitionis eorum*, ait Baruch c. 3. *exterminati sunt, & ad inferos descenderunt*; cum e contra Christiani *habentes alimenta, & quibus* (*I. Tim.* 6.) tegantur, *his contenti* esse debeant. V. qui emunt frumenta, recondunt, nec recludunt horrea, quin annona ad summum pretium pertigerit: ii enim & charitatem violant, & justitiam: unde Proverb. 11. dicitur, *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*; atque maledictionem hanc exaudiet Deus ex cap. 4. Eccli. VI. qui quam habent scientiam salutarem, proximo communicare abnuunt, cum desunt alii, per quos id rite fiat: unde scribit S. Gregorius Lib. 3. Pastor. cap. 26. *Admonendi sunt, qui cum utiliter prædicare possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt..... quantum delinquant, &c.*

Quæres II. quænam sint avaritiæ filiæ.

R. cum S. Gregorio Lib. 31. Moral. cap. 17. *De avaritia proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, & contra misericordiam obdurationes oriuntur*; furtum quoque, homicidium, simonia, usura, neglectus divinorum, & mala pene omnia.

Proditio est illicita manifestatio rei, vel personæ in proximi detrimentum contra fidem ipsi debitam, explendæ avaritiæ causa; ut si quis alterius litteras aperiat, quod sine peccato *sæpe* mortali fieri nequit, cum litterarum sigilla publicæ fidei credita sint, & qui eas resignat, iniquus sit tum in eum, qui mittit, tum in eum, qui recipit.

Dixi *sæpe*: nam venialiter solum peccaret, qui aperiret litteras, in quibus certo sciret res non nisi levis momenti contineri; imo a veniali immunis esset I. qui sciret eum, cujus sunt litteræ, boni consulturum, si resignentur. II. qui eas auctoritate publica aperit. III. qui non temere, sed probabiliter judicat eas litteras, vel in proprium sui, vel in tertii cujuspiam, ac præsertim communitatis damnum conscriptas esse: jure enim suo excidit, qui eo ad alterius perniciem abutitur.

Proditores quoque sunt, qui alterius arcanum fidei suæ commissum in ejus detrimentum evulgant; ut aliquando faciunt Advocati, Medici, Chirurgi, qui clientium secreta, pudendos, sed occultos ægrorum, qui suæ se fidei commiserunt, morbos revelant; ii item, qui momentosum arcanum sibi ab amico creditum præter ipsius voluntatem alteri manifestant, præsertim dum probabiliter metuere debent, ne quid hinc in eum redundet mali.

Excipe si res sub secreto commissæ pertineant *ad corruptionem multitudinis*; *vel spiritualem*, ut hæresis, aut pravorum dogmatum disseminatio; *vel corporalem*, ut incendium pagi; *vel in grave damnum alicujus personæ*, ut si quis insidietur vitæ, famæ, vel bonis alicujus privati: in his enim casibus nemo præter Confessarium *obligari potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem*, vel charitatem, *quam alteri debet*, ei nempe, cui injustæ insidiæ parantur. Si vero quæ sub secreto commissa sunt, non vergant in præjudicium tertii, *tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris: quia servare fidem est de jure naturali*. Ita S. Thomas 2. 2. q. 70. art. 1.

Fraus est astuta deceptio alterius *in facto*, v. g. in contractibus, tam ratione materiæ, quam ratione pretii, de quibus alibi dicam.

Fallacia est astuta deceptio *in verbo*, seu est dolosa verborum mendacium, aut æquivocorum ad proximi deceptionem usurpatio, quæ si juramento confirmetur, vocatur *perjurium*, de quo alibi.

Inquietudo est nimia, & anxia mentis attentio ad acqui-

acquirendas, conservandasve divitias cum timore, ne in futurum desint, contra id Matth. 6. *Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus.*

Obduratio contra misericordiam est tenax rebus terrenis adhæsio, quæ impedit, ne cor miseriis pauperum emolliatur: unde fit ut violetur præceptum eleemosynæ.

Quæres III. quæ sint avaritiæ remedia.

R. plura esse: I. attendant avari omnia in morte, quæ citius instat, quam putent, esse relinquenda hæredibus sæpe ingratis, sæpe dissipatoribus, sæpe inde damnationis occasionem sumturis. *Stulte*; aiebat Christus Luc., 12. *hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* II. perpendant, avaros nunquam satiatos esse: unde hydropico comparantur, cui *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* III. recolant, avaros omnibus invisos esse; pauperibus, quorum sanguinem sugunt, & patrimonium furantur; filiis, quibus sæpe necessaria denegant; operariis, quorum defraudant mercedem; domesticis, quorum stipendium quo dato prætextu vel imminuunt, vel auferunt. IV. oculos mentis intendant tum in Christum, qui *cum dives esset, propter nos egenus factus est* (*II. Cor.* 8.), tum in tot Christi discipulos, qui vel omnibus eesserunt bonis, ut nudi nudam crucem sequerentur, prout fecerunt Antonii, Arsenii, Paulini, Francisci, &c., vel in medio divitiarum sinu paupertatem amaverunt, ot tot nobilis prosapiæ viri, quorum memoria in benedictione est.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Gula.*

GUla est inordinatus appetitus, ususque cibi, & potus: unde *golosi* ii dicuntur, qui cibo utuntur, & potu, non ut necessitati satisfaciant, sed ut serviant voluptati, quam ex alimentis percipiunt. Equidem voluptas, quæ in cibo, & potu percipitur, non est per se peccatum; sed quia voluptas illa sæpius efficit, ut quis *scienter excedat mensuram in edendo*, & bibendo, ideo sæpius etiam causa est cur homo gulæ peccatum committat.

Gula dividitur in comessationem, seu crapulam, & ebrietatem. Hæc in immoderata potus, illa in immoderata cibi sumtione consistit. Circa utramque multa proponuntur.

Quæres itaque I. an, quale, & quibus in casibus comessatio sit peccatum. R. cum S. Thoma: comessatio, ut ab ebrietate sejuncta, aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale solum.

Prob. I. quia Apostolus Gal. 5. *comessationes*, & *ebrietates* recenset inter ea, quæ *qui agunt, regnum Dei non consequentur*. II. quia reipsa multi sunt, casus in quibus gula avertit *a fine ultimo*, ut ait S. Thomas, adeoque a gravi culpa excusari non potest. Sic peccant mortaliter I. qui propter suum ventrem omnia faciunt, cibi, & potus delicias quærentes plus quam cætera. II. qui parati sunt mortaliter potius peccare, v. g. furari, debita, quibus solvendis sunt impares, contrahere, familiam suam ad egestatem adigere, valetudini corporis sui nocere, &c. quam moderato victu uti. III. qui prævident crapulam sibi peccati, v. g. adulterii, aut pollutionis causam fore. IV. qui ob solam voluptatem cibo se ad vomitum usque ingurgitant; hoc enim, etiam seclusis scandalo, & ebrietate, gravem continet deordinationem, ac lædendæ sanitatis periculum. Unde merito *ad Epicuri Scholam* ablegata est a Clero Gallicano hæc quorumdam propositio: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis actibus suis frui*. V. qui postquam multum comederunt, ad vomitum se excitant, ut de novo ob solam voluptatem comedant: hoc enim plusquam bestiale est. VI. qui citra necessitatem carne hominis mortui vescerentur; id enim graviter illicitum esse dictat horror ingenitus iis omnibus, in quibus absorpta non est humanæ naturæ dignitas. Haud tamen illicitum videtur in extrema necessitate hominis occisi, aut mortui carnes comedere; etsi nusquam liceret insontem occidere, quia hoc per se prohibitum est.

Addit Henno, eum, cui alii cibi non suppeterent, non teneri uti medio, quod tantum incutit horroris: semper tamen licitum est uti carne humana in medicamentis; tunc enim adeo mutata est, & alterata, ut dici non possit carnis humanæ sumtio.

Extra casus mox recensitos gula non est nisi peccatum veniale, ut docet sanctus Thomas, ibid.

Quæres II. quot modis committatur gulæ peccatum. R. committi modis quinque hoc versu contentis: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.*

Peccant, & quidem mortaliter *præpropere* comedendo, qui in die jejunii absque rationabili causa notabiliter præveniunt tempus ordinarium refectionis: venialiter autem, qui aliis diebus, vel nimis mane, vel ante orationem, aut sæpius, quam deceat, ad patinas currunt sine necessitate. Ita Henno, qui addit se eos peccati condemnare non audere, qui Dominicis, festisve diebus jentaculum auditioni Missæ præmittunt, si antea preces fuderint, & aliunde ordinarium tempus non præveniant: fatendum tamen eum eodem laude dignos esse, qui ante Ecclesiæ præcepto satisfaciunt, quam corpori.

Peccant *laute* vescendo, qui, ut ait S. Antoninus, 2. part. tit. 6. cap. 1. §. 5. *cibos nimis delicatos propter delectationem, ut capones, phasianos, perdices.... vina solemnia* inquirunt. *Si quis tamen utatur cibariis delicatis propter infirmitatem, vel debilitatem hoc exigentem, aut generis nobilitatem, ut Princeps, aut temporis congruitatem, ut in nuptiis, & conviviis discretis*, & quibusdam solemnitatibus, *potest esse hoc absque peccato. Neque enim*, ait S. Gregorius, *cibus, sed appetitus in vitio est: unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.*

Peccant *nimis* comedendo, qui, ut ait S. Gregorius, *mensuram moderatæ refectionis* excedunt: quia venter exactor est iniquus, & vorax, frænum ei injici debet attenta uniuscujusque complexione.

Pec-

Peccant *ardentius* comedendo, qui voluptuose, vel avide nimis in cibos etiam viles proruunt, ut Esau.

Peccant *studiose* edendo, qui innumeris condimentorum generibus cibi aviditatem irritant, & comedunt non ut naturam sustentent, sed ut continuam excitando famem continuo comedere possint.

Quæres III. quid sit ebrietas. R. est sumtio potus usque ad violentam privationem usus rationis: I. *Sumtio potus*: hic enim ebrietatis nomine non intelligitur status nimiam potationem consequens, sed ipsa nimium potandi actio. II. *Usque ad violentam privationem rationis*: ratio enim, quæ *naturaliter* aufertur per somnum in dormientibus, *violenter* aufertur per excessum in potando, non secus ac per iram vehementem.

Quæres IV. quale peccatum sit ebrietas. R. cum S. Thoma, *quod ebrietas ex suo genere est peccatum mortale, cum scilicet homo ex proposito inebriatur*. Ratio est I. quia qui se inebriat, *videtur præferre delectationem vini integritati rationis*. II. quia Isaiæ 5. dicitur *Væ qui potentes estis ad bibendum*. *Væ* autem *in Scriptura æternum interitum nominat*, ait Beda in c. 23. Proverb.

Ratione, vel occasione ebrietatis nostro, saniorumque Theologorum judicio peccant mortaliter: I. qui licet non expresse, at interpretative saltem ebrietatem volunt, ut solent ii, qui bibunt quantum possunt, aut rogantur, non curantes, an ebrietas sequatur, necne: item qui non interrogant, quæ sit potus vis, & generositas, quod sæpius contingit; ac demum ii omnes, qui animadvertere possunt ebrietatem ex sua actione sequi posse. Qui vero *probabiliter* ignoraret se per aliquem liquorem, ut vinum, aut siceram, inebriatum iri, non esset reus ebrietatis, utpote tunc involuntariæ.

II. qui etiam semel se inebriant, si vini vim sua, vel aliorum experientia prænoverint.

III. qui ex longa multum bibendi consuetudine, vel ex pharmaci cujusdam, aut pulveris usu sic constituti sunt, ut rationis usum vel nullatenus amittant, vel intra breviculum tempus recuperent: ii sunt enim strenui potatores, quibus exitium interminatur Isaias supra. Et certe sicut gravis excessus in cibo mortale est, etsi rationem non perimit, sic & in vino.

Fatentur tamen Doctores determinari non posse, quis præcise excessus mortalis sit, quia quod uni enorme est, potest alteri non esse. At hæc incertitudo neminem movere debet, ut facilius excedat; imo timendum est, ne qui se leviter solum excedere credit, gravius excedat: ipsum enim solum gravis excessus periculum grave peccatum inducere potest.

IV. qui largiori, quam par est, vino ita cerebrum suum calefaciunt, ut perpetrent, vel subeant periculum perpetrandi certa quædam crimina, in quæ se, cum in tali sunt statu, incidere adverterunt, aut advertere potuerunt; & hi quidem duplici nomine rei sunt, excessus scilicet in vino, & criminis, in quod ex eo excessu pertrahuntur.

V. qui mero se ingurgitant cum gravi aliorum scandalo, ut patresfamilias, ac præsertim Sacerdotes.

VI. qui tantum vini porrigunt amico, ut eum inde ad ebrietatem perductum iri vel prævideant, vel debeant prævidere: ii enim gravi peccato cooperantur; & minus sapiunt quam Assuerus gentilis (*Esther.* 1.), cujus in convivio etsi insigniter regio, sumebat *unusquisque quod vellet, nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum*.

VII. caupones: I. cum potum ministrant iis, quos inde prævident, aut æstimant inebriandos: si enim unusquisque tenetur proximi peccatum impedire quantum potest, a fortiori tenetur ebrietatis materiam non subministrare. II. cum inscios de vini sui fervore admonere non curant, & ii enim ad eorum ebrietatem concurrunt. Passim tamen excusantur caupones, quos ad hanc largioris vini administrationem adigit gravioris incommodi imminens periculum; de quo alibi.

VIII. & ii quoque mortaliter rei nobis videntur, qui vel ex Medici præscripto ad recuperandam sanitatem, vel ad vitandam mortem ab alio sibi intentatam se se inebriant; *melius* enim *erat*, ait S. Cæsarius, *ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur*. Ratio est, quia ebrietas per se peccatum est, sicut & fornicatio; nunquam autem licet peccare ad conservandam vitam. Unde

IX. peccat quoque mortaliter, qui civitatis proditionem aliter avertere non valens, proditorem inebriat, eumve accendit ad sumtionem vini, cujus virtutem ignorat. Nec nocet, quod licite possit homo sibi manum amputare, ut reliquum corporis conservet: qui enim sibi manum abscindit, nihil contra naturæ suæ dignitatem facit; secus de eo, qui se, vel alium inebriat.

Hic addere placet, ebrietatem, licet de se grave malum sit, majori tamen dignam esse vituperio: I. in puellis, & mulieribus, quæ majori se periculo exponunt. II. in iis, quibus aliorum cura incumbit, quales sunt Magistratus, Gubernatores, patresfamilias. III. in iis, qui ad continentiam obligantur; nam *luxuriosa res est vinum* (*Prov.* 20.), in vino *luxuria* (*Ephes.* 5.). IV. præsertim in Clericis, iis præcipue, qui sacris Ordinibus initiati sunt, aut populis præfecti. Unde statuit Concilium Agathense, *eum, quem ebrium fuisse constiterit, aut triginta dierum spatio a communione submovendum, aut corporali subdendum supplicio*.

Quæres V. quænam sint ebrietatis filiæ.

R. quinque referuntur a S. Gregorio. Eæ vero sunt I. *inepta lætitia*, quæ, cum, ut sæpius, movet ad actus turpes, choreas parum pudicas, obscœnas cantiones, & similia, mortalis est. II. *scurrilitas*, & *turpiloquium*: *Ubi enim ebrietas, ibi diabolus, ibi turpia verba; ubi saturitas, illuc dæmones choros agunt*, ait S. Chrysostomus Hom. 57. Hinc tot in popinis cantilenæ turpes. III. *immunditia*: unde enim mollities, tactus impudici, periculosi aspectus, nisi sæpe ex calore vini? Hinc S. Hieronymus in cap. I. Ep. ad Titum: *Nunquam ego ebrium castum putabo*. IV. *multiloquium*, unde pullulant detractiones, colloquia omnibus etiam sublimioribus Potestatibus contraria. V. *hebetudo mentis*: unde Christus Luc. 21. *Attendite, ne forte graventur corpora vestra in crapula, & ebrietate*. Hisce malis annexa sunt alia prope innumera, atque in primis

mis propriæ sanitatis læsio, juxta id Eccli. 19. *propter crapulam multi obierunt*. VI. *generalis neglectus* officiorum Christiani, neglecta item prolis, & domesticorum cura, profanatio quoque dierum festorum, qui cum sanctificari debeant, toti pene transiguntur in popinis, ita ut Deus hac una die, quæ cultui suo consecrata est, gravius, quam reliqua tota hebdomade offendatur. Ex quibus colliget Confessarius tamdiu negandam esse absolutionem & ebriosis, & iis, qui popinas, diaboli theatra, frequentare amant, donec pravam consuetudinem viriliter excutientes, ad meliorem frugem reversi sint.

Quæres VI. quæ gulæ remedia.

R. quinque possunt recenseri. Primum est diligens attentio ad incommoda, quæ gulam consequuntur, sive ex parte animæ, quam ebrietas quasi carnalem facit, & in æternum damnat, juxta id Job II. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*; sive ex parte corporis, cui innumeros morbos parit gula, ut calculum, podagram, capitis vertigines, & similia.

Secundum est fuga sive occasionum, sive eorum, qui ventri, & vino devoti ad id, quod ipsi amant alios alliciunt. docet id Sapiens his verbis Proverb. 43. *Noli esse in conviviis peccatorum.*

Tertium est constans, & vigil adhæsio temperantiæ, ita ut necessitatis gradus sit sibi, potusque mensura; unde optime sibi consulunt, qui sibi semper modicum quid in mensa subtrahunt, & id præsertim quod palato magis sapit.

Quartum est diligens inspectio tum Christi morientis, qui cruci affixus sitim acerbam pro nobis passus est; tum Sanctorum, qui nedum in epulis, sed *egentes, angustiati, afflicti* (*Heb.* 12.) vixere; tum præsertim S. Caroli Borromæi Clericorum exemplaris, qui, ut refert vitæ ejus Scriptor, in domo Dei eo vixit modo, quo canis in domo domini sui, pane & aqua contentus.

Quintum denique, & hoc generale est remedium, est indefessa oratio, qua temperantiam suppliciter postulemus a Deo, quo docente id discemus, quod Augustinus Lib. 10. Confess. cap. 31. *Ut quemadmodum medicamenta, sic & alimenta sumturi accedamus.*

---

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Invidia.*

INvidia est *tristitia quædam de alienis bonis* (*S. Thom.* 2. 2. q. 36.), quatenus, vel nostris similia sunt, vel iisdem majora. Ad invidiam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id invidenti bonum reputatur. Hinc invidia neque est ille animi sensus, quo quis de alieno mœret bono, quia eo caret, ipsoque potiri vellet, diciturque *æmulatio*; neque dolor, quo uritur, qui bona quædam ab indignis possideri videt, & dicitur *Nemesis*, seu *indignatio*, neque ea affectio, qua quis de alterius bono, v. g. potestate tristatur: quia inde aliquod grande malum sibi imminere prospicit, hæc enim affectio est *timor*: invidia ergo is est sensus, quo quis dolet de felicitate alterius, sive digni, sive indigni, ita ut illum ipsa spoliari, eamque in se conferri ardentius expetat.

Quæres, an invidia sit peccatum ex genere suo mortale.

R. affirmat. patet id I. ex Scriptura, quæ Galat. 5. reponit invidiam inter peccata a regno Dei excludentia; quæque Rom. 5. eos morte dignos judicat, qui *pleni* sunt *invidia*. II. ex patribus: *Tale malum est invidia*, ait S. Chrysostomus Homil. 40. in Matth., *ut omnem malignitatem, & nequitiam prætergrediatur ... Invidi... sua invidia ita laniantur, ut nullum faciant peccandi finem*: quod fuse probat S. Doctor: *Unde enim*, inquit, *Cain fraterna se cæde contaminavit? Unde Esau fratrem exagitavit? Quid Laban adversus Jacob? Quid Jacob liberos in fratrem suum Joseph inflammavit? &c.*

Quia tamen, ut ibid. notat S. Thomas, *in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus*, seu ratione sui, seu ratione materiæ, *quæ solum sunt peccata venialia*, ideo invidia in quibusdam casibus, non est nisi peccatum veniale.

Filiæ invidiæ ex S. Gregorio Lib. 31. Mor. cap. 17. sunt susurratio, exultatio in adversis, & in prosperis afflictio, detractio, & odium.

Susurratio est occulta mali de proximo narratio ad finem seminandæ inter amicos discordiæ: hinc *susurro*, & *detractor* ambo pariter malum renuntiant de proximo, sed *differunt in fine*, *quia detractor intendit denigrare famam proximi .... susurro autem intendit amicos separare*, juxta id Eccli. 28. *Susurro.... maledictus, multos enim turbavit pacem habentes*. Hinc susurratio peccatum est detractione gravius, non solum si *formalis* sit, cum nempe susurro injustitia, quam serit, discordia amicos separare intendit, sed etiam cum *virtualis* est, seu cum susurro, etsi directe amicorum separationem hanc non intendit, ea tamen dicit, & refert, quæ duorum amicitiam graviter labefactare nata sunt, si tamen susurro hoc præviderit, vel prævidere potuerit.

Exultatio in adversis proximi, & afflictio de prosperitate ejus adeo per se nota sunt, ut his exponendis non sit immorandum. Multo difficiliora sunt, quæ pertinent ad detractationem, & odium. Sed de his dicam alibi.

Invidiæ remedia hæc sunt: I. animum habere liberum a concupiscentia carnis, & oculorum, atque a superbia vitæ; qui enim nec superbus est, nec magni facit res caducas, honores, celebritatem nominis; *qui nihil usquam humanum admiratur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit*, ait S. Basilius Hom. 11. de invid. II. attente meditari nullum esse vitium, quod nos similiores reddat diabolo, cujus *invidia mors intravit in Orbem terrarum* (*Sap.* 2.) III. id fixum habere animis, invidia soli invido nocere, qui ea feraliter simul, & inutiliter cruciatur: neque enim is, cujus bonis invideo, iisdem idcirco spoliatur; neque si iis eum spoliari contigerit, idcirco iisdem me ditari continget. IV. demum & id attendere, homines universos per naturam, ac per gratiam fratres effici, quorum proinde esse debeat cor unum, & anima una,

adeo

adeo ut si quid patitur alter, cæteros compati; si quid gaudet, cæteros quasi de commuui bono exultare conveniat.

## ARTICULUS QUINTUS.

*De acedia, seu desidia.*

ACedia definiri solet (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 35.) Tædium de bono, nobis Dei lege præcepto, quo fit, ut homo Dei amicitiam quasi comparatu molestam, & difficilem obtinere non curet.

Acedia est peccatum ex genere suo mortale, quia adversatur charitati, cum per eam parvi pendantur amicitia Dei, æterna beatitudo: atque indignæ reputentur, quæ serio labore comparentur. Hujus desidiæ rei sunt: I. qui ea, quæ ad salutem, aut conditionem suam sunt necessaria, edoceri nolunt; quive cum obstinatione ea detrectant officia, ad quæ a legitimis Superioribus vocantur. II. qui marcent ignavia, torpent otio, & tempus in ludis, visitationibus, inanibus colloquiis, aliisque id genus nugis, & ineptiis terunt. III. qui ad orationem segnes sunt, ad pœnitentiam ita tardi, ut eam procrastinent, qui demum in virtute proficere nolunt, adeoque & deficere volunt,

Acediæ filiæ sex sunt ex S. Gregorio Lib. 31. Moral. c. 17. malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis ad illicita.

Malitia, prout hic sumitur, est impugnatio voluntaria, derisio, & contemtus sive bonorum spiritualium, sive hominum, qui nos exemplis, vel doctrina ad pietatem accendere conantur. Hæc grande est impiorum crimen, qui idcirco *timore horribili* turbati in inferis *præ angustia spiritus* gemunt, ut videre est Sap. 5.

Rancor est indignatio adversus Superiores, qui acediosos ad meliora compellunt; eaque grave est peccatum, juxta id Prov. 29. *Qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.*

Pusillanimitas est vitiosa de viribus suis diffidentia, qua quis Dei consilia, aut præcepta ex animi timiditate omittit. Est peccatum mortale, cum quis ea, quæ sibi a Superiore injuncta sunt, ob hanc animi parvitatem pertinaciter respuit. Neque hic excusat propriæ incapacitatis existimatio; hæc enim oritur a superbia, quæ proprium judicium judicio Superiorum præponit: ita S. Thomas, & id evidens est exemplo servi inutilis Matth. 24.

Torpor est animi remissio, ex qua præcepta vel omittuntur, vel implentur negligenter. Torpor aut mors, aut *vicina morti labes est*, ait S. Paulinus Epist. 36. nec mirum, cum Deus tepidos ex ore suo evomat Apocal. 3.

Evagatio mentis est, cum mens præ tædio rerum spiritualium ad objecta exteriora evolat, ut ex iis gaudium percipiat, quod ex rebus Dei non percipit.

Acediæ remedia sunt, meditatio noctis illius æternæ, in qua *nemo potest operari* I. Joan. 21.. Unde Eccle. 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* II. attentio ad tubam illam mirum canentem sonum, quæ desidiosis, & negligentibus jam nunc æternam excisionem his comminatur verbis, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. Servum inutilem projicite in tenebras exteriores. Succide illam, ut quid etiam terram occupat?* III. id animo meditari, filios hujus sæculi nihil laboris relinquere intentatum, ut ad corruptibilem coronam deveniant; nobis a fortiori, quos manet merces magna nimis, viribus totis esse laborandum, ut eam consequamur; præsertim cum momentaneum, & leve defatigationis æternum gloriæ pondus operari debeat in nobis.

## ARTICULUS SEXTUS.

*De Ira.*

IRa considerari potest vel in genere, vel in specie (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 158.). Ira generice spectata est appetitus vindictæ, ac proinde aliquid indifferens, quia vindicta ut illicite, sic & licite appeti potest; imo tam licite, ut aliquando peccet, qui non irascitur, sicut peccavit Heli, eo quod filiorum vitiis non irasceretur. Hinc Psaltes Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.*

Nec nocet id Matth. 5. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Eam enim solum iram improbat Christus, qua quis inordinate intendit pœnas proximi, eo scilicet modo, qui se habet ad homicidium, sicut se habet aspectus impudicus ad mœchiam, ut patet ex comparatione versus 21. cum versu 27.

Ira specifice sumta est inordinata cupiditas vindictæ, vel quasi vindictæ. Est I. cupiditas *inordinata*, cum vindictæ appetitus necessario adversetur rectæ rationi, sive ex parte objecti, cui expetitur pœna, sive ex parte modi, quo eadem pœna expetitur. Ex parte objecti quidem, ut si optes vindictam ei, qui non meruit, aut saltem qui non meruit tantam; item si optes eam inferri, sed ab alio, quam qui inferendi auctoritatem habet; aut demum si optes, *non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio* (*S. Thom.* art. 2.); sed ut malevolum cor tuum alterius pœna saties. Ex parte modi, *ut si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ. II. vindictæ*, quia vindicta est terminus iræ. Porro nihil ad iram interest an expetas vindictam ei, qui te læsit, an alteri: unde qui optat, ut latro, a quo nec in se, nec in suis læsus fuit, gravius, quam meruerit, plectatur, vere iræ conscius est. III. *vel quasi vindictæ*: artifex enim, qui ex passionis impetu frangit, aut projicit instrumentum, proprie irascitur, nec tamen proprie vindictam exercet.

His præmissis, quatuor hic expendenda sunt. I. an ira sit peccatum mortale. II. an capitale. III. quas

habeat

habeat filias. IV. quæ sint ejus remedia.

Dico I. Ira ex parte objecti inordinata est peccatum ex natura sua mortale.

Prob. I. tum ex citato Matthæi textu, *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio*; tum ex Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio ... iræ, rixæ .... quæ .... qui agunt, regnum Dei non consequentur*.

Prob. II. quia ira ex parte objecti immoderata charitati, aut etiam justitiæ adversatur, ut ex ejus definitione constat; ergo non nisi ob consensus defectum, vel levitatem materiæ venialis esse potest.

Dixi, *ira ex parte objecti inordinata*: quæ enim solum ex modo irascendi vitiosa est, *non habet ex suo genere rationem peccati mortalis*, ut docet S. Thomas. Posset tamen esse peccatum mortale ratione blasphemiæ, conviciorum, &c. Item si talis sit excessus, ut magnum infirmis scandalum præbeat, aut irascentis valetudini plurimum noceat: aut demum vel opere externo, vel etiam sola animi dispositione charitati graviter advertetur. Sic enim *ira perdit etiam sapientes*, ut dicitur Prov. 7. juxta versionem LXX.

Dico II. Ira non est gravissimum peccatorum; est tamen vitium capitale.

Prob. 1. pars: quia ira minus est peccatum secundum se, quam invidia, sicut invidia minus est crimen, quam odium. Qui enim odit, desiderat malum proximi, quatenus ejus malum est; qui invidet, appetit detrimentum alterius, ut ipse in bono suo augeatur; qui vero ex ira præcise sumta operatur, eo solum nomine pœnas proximi appetit, quod justum sit eum ipsas pati: unde ira aliquam recti, & justi rationem involvit, quæ nec invidiæ, nec odio competit.

Prob. 2. pars: quia ex ira scaturiunt vitia alia bene multa; quædam quidem ex parte objecti, seu vindictæ, quam iratus appetit tanquam aliquid justi, & cujus proinde intuitu in promptu est, ut multa fiant indebita; cum homines justitiæ specie decepti multa minime laudanda facere consueverint: quædam vero per inconsideratum iræ impetum, qui homines iratos velut extra usum rationis constituens, *mentem eorum trahit*, ac *præcipitat ad inordinata quæcumque agenda*. (*S. Thom. hic n. 6.*)

Ira sex habet filias: vel enim manet in corde, & tunc indignationem parit, atque tumorem mentis; vel est in ore, & ex ea procedunt clamor, blasphemia, & contumelia, vel demum usque ad facta progreditur; & tunc gignit rixas, *per quas intelliguntur nocumenta omnia, quæ facto proximis inferuntur ex ira*.

Indignatio est animi commotio, qua quis ob injuriam sibi, suisque factam, vel existimatam proximum reputat indignum, cui officia aliis exhibere solita, ut salutem, colloquium, & suppetias exhibeat. Erit mortalis, si conjunctum habeat gravem proximi contemtum, aut notabile scandalum infirmorum; item si præ indignatione nolis id facere in gratiam proximi, ad quod sub mortali teneris.

Tumor mentis sumitur hic pro motu animi, vindictæ media omni conatu inquirentis. Tumor ille mortalis est, aut venialis, secundum modum, & gradum vindictæ.

Clamor est inordinata, & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convicii, scandali, &c.

Blasphemia est injuriosa adversus Deum locutio; quæ cum procedit ex commotione animi, est filia iræ; cum autem oritur ex elatione animi contra Deum se erigentis, filia est superbiæ.

Contumelia est sermo injuriosus contra proximum audientem. De rixa dicam, ubi de charitate.

Quod spectat ad iræ remedia, hæc salubriter insument iracundi: I. aspiciant *in auctorem fidei, & consummatorem Jesum* (*Hebr. 12.*), *qui... sustinuit crucem confusione contemta*; qui *tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum* (*Act. 8.*); qui cum affigeretur cruci, pro interfectoribus suis orabat. Discant ab eo mites esse, & humiles corde, persecutionibusque, & injuriis unum opponere patientiæ clypeum.

II. omni cura nascentem iræ motum compescant, & omnem, quantum fieri poterit, occasionem ejus tollant. *Incomparabiliter salubrius est*, ait Augustinus Epist. 149., *etiam iræ juste pulsanti non aperire penetralia cordis, quam admittere non facile recessuram*.

III. nihil ex motu, vel in motu iræ faciant, aut statuant, sed solum postquam sedatus erit; quod olim a Theodosio exegit Ambrosius.

IV. iræ injustitiam, tristesque effectus attente meditentur; quot inde bella, quot clades, duella, rixæ, seditiones, & omnium generum homicidia. Iratus Cain fratrem interfecit. Iratus Absalon patri patrum optimo funesta quæque machinatus est. Iratus Theodosius grandem virtuti suæ, imperata Thessalonicensium cæde, maculam inussit.

V. frequentes eliciant actus charitatis, mansuetudinis, patientiæ, humilitatis, & aliarum id genus virtutum, quæ iræ magis adversantur.

VI. demum orent devote, assidue, & humiliter; hoc enim genus dæmoniorum, sicut & alia multa, non ejicitur nisi in jejunio, & oratione.

# TRACTATUS

## DE PRÆCIPUORUM STATUUM

## OBLIGATIONIBUS, ET PECCATIS.

GEnerales de legibus, & peccatis Tractatus feliciter, meo quidem judicio, excipiet Tractatus de privatis certorum statuum peccatis, & legibus. In eo autem, quoniam omnes status indagare non licet, potior nobis erit sermo de Clericis, seu Sæculares sint, seu Religionem professi; de Magistratibus, iisve, qui populorum jura defendunt, de Villarum Dominis, &c. Sit itaque

CA-

## CAPUT PRIMUM.

*De obligationibus Clericorum.*

PRopterea vocantur Clerici, ait Hieronym. Ep. 2 ad Nepot., *vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est: qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino.*

Multiplex est Clericorum genus. Alii sunt in sacris, alii non. Utrique vel habent beneficia, vel non habent: beneficiis porro quandoque annexa est animarum cura, quandoque non. His omnibus quædam onera conveniunt, quædam vero sunt uniuscujusque classis propria, quæ ut intelligantur, sit

## ARTICULUS PRIMUS.

*De obligationibus Clericorum in genere.*

SIcut unicuique fideli, quo ad æternam vitam ingrediatur, curandum est, ut declinet a malo, & faciat bonum; sic & Clericis duo sunt necessaria, ut nempe dotes quasdam, aut virtutes possideant, & a certis abstineant vitiis. Porro ex dotibus ad Clericatum necessariis, aliæ se habent ut dispositiones prærequisitæ, aliæ ut Clericalis status perpetuæ appendices. De utrisque dicendum.

### SECTIO PRIMA.

*De dotibus ad Clericalem statum prærequisitis.*

QUi ad Clericatum promoventur certas ex parte corporis dotes habere debent, ut dicam in Tractatu de Irregularitatibus: unde eas hic solum tangam, quæ mentem respiciunt, nec omnes, alioqui irem in immensum, sed præcipuas. Sit

CONCLUSIO I. Ad Clericatum prærequiritur innocentia vitæ, vel custodita diligenter, quod rarum est, vel congrue reparata, quod rarius est teste Ambrosio. Hæc thesis intellecta de statu Clericali generatim, & prout majores Ordines comprehendit, est certissima. Si vero de simplici etiam tonsura intelligatur, videtur probabilior.

Prob. ex Patribus S. Isidorus Hispalensis L. 2. de offic. Ecclesiast. c. 5. *Quod is*, inquit, *qui post Baptismum aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipsa testatur*, &c.

S. Martinus I. Papa, & Martyr in Epist. ad Amandum, *Tales*, inquit, *quærimus ad sacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium* sit.

S. Bernardus Tract. de conversione ad Clericos cap. 19. *Væ*, ait, *Ministris infidelibus qui needum reconciliati reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se Ministros gratiæ profitentur*. Ubi S. Doctor non modo thesim nostram tradit, sed & invicte probat. Scilicet enim sublata morum innocentia, quæ vel caute servata fuerit ab Ordinando, vel congruæ pœnitentiæ laboribus reparata, subvertuntur primariæ Dei, & ipsius naturæ leges. Eæ enim exigunt, ut alienæ reconciliationis negotia tractare non præsumat, qui ipse reconciliari eget; ut se in gratiæ ministrum non erigat, qui filius est iræ &c.: atqui sanctas eas leges subvertit, qui adhuc sub diaboli jugo constitutus, inter Dei ministros, & populorum mediatores censeri ambit; ergo.

Hinc I. *Cum in quolibet Ordine aliquis constituatur Dux aliis in rebus divinis, in quolibet quasi præsumtuose mortaliter peccat, qui cum conscientia peccati mortalis ad Ordines accedit*. Ita S. Thomas in 4. dist. 24.

Hinc II. probabilius videtur nobis, quod docent Hallerius, Nat. Alexander, & Navarrus, *mortalis peccati reatum indigne suscipienti tonsuram adscribendum esse*: unde quisquis in hoc statu positum se animadvertit, vel ad Confessionem recurrere debet, ut præscribit Synodus Carnutensis an. 1526., vel sincero contritionis actu conscientiæ maculas eluere, ut ibidem docet Hallerius. Ratio est I. quia tunc præcipue hominem a peccato resipiscere oportet, cum maxima Dei beneficia, præsertim spiritualia, recipere cogitat, cum novam init vitæ rationem, cum perfectionis etiam in alios diffundendæ statum ingreditur: porro sic se habet, qui suscepta tonsura Ordini Clericali inscribitur. II. quia graviter peccat, qui & Deo injuriam, & Ecclesiastico statui contumeliam facit in materia, quæ pro levi haberi non potest: sed qui indigne tonsuram recipit, utriusque mali reum se facit. Est quidem in Deum injurius, quia publice protestatur se Deum, cui actu capitaliter infensus est, ut totam hereditatis suæ partem amplecti. Est etiam contumeliosus in Ecclesiam, quia multum eidem imminet mali ab iis, qui ipsissima sua in Sanctuarium ingressus die contaminati sunt. Jam vero Tonsuram pro re levi neutiquam haberi posse demonstrant ipsa ejus definitio, & annexa eidem privilegia.

Hinc III. colliges, quid sentiendum de quæstione in Belgio olim ventilata: *An scilicet possit quis æquo jure ad Sacerdotium, sicut ad Monachatum pœnæ loco detrudi*. Absit enim ut propter peccatum præcedens recipi jubeatur eminens ille status, qui propter peccatum denegari debet.

Hinc IV. non remissam, sed acrem eorum oportet esse pœnitentiam, qui postquam a justitia excidere, Clero adscribi volunt. Si enim de iis, qui lapsi sunt, generaliter dicerit S. Cyprianus: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus; alto vulneri diligens, & longa medicina non desit; Pœnitentia crimine minor non sit*; quid non exigendum a futuris Christi Ministris, quibus, ut loquar cum Synodo Burdigalensi an. 1624., *eas virtutes attribuit Apostolus, quæ ad Angelicam prae accedunt puritatem?* Jure ergo sanxit Concilium Aurelianense III. *ne ullus ex laicis ante annualem conversionem ordinetur.* Hoc tamen tempus vel protrahi, præsertim ob peccatum inconstinentiæ, sic & aliquando imminui debet pro fervoris gradu.



CON-

CONCLUSIO II. Ad Clericalem statum prærequiritur scientia.

Prob. I. ex Scriptura. Osee 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*. Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Aggei 2. *Interroga Sacerdotes legem*: atqui hæc verba a fortiori concludunt pro novæ legis Ministris, quibus idcirco millies a Conciliis, & Patribus applicata fuere, & merito, cum præ cæteris *parati semper* esse debeant *ad* reddendam *satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in ipsis est, spe*: I. Petri c. 3.

Prob. II. ex Patribus, & Conciliis. *Illiteratos*, ait Gelasius Papa (*Dist.* 16. *Can.* 1.), *aut aliqua parte corporis vitiatos, nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere; quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis*: quo ex textu liquet defectum scientiæ competentis, non secus ac vitium corporis veram parere irregularitatem. Concilium Lateranense IV. *Duo*, ait, *sunt nobis necessaria, vita scilicet, & doctrina; alterum propter nos, alterum propter proximos*. Synodus Toletana VIII. *Nullus ad Sacra veniat indoctus. Aliter ordinaturis, & ordinandis imminet Dei, & Ecclesiæ ejus vindicta*. Concilium Aquisgranense an. 816. *Tam doctrina, quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor. Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina inutilem facit*. Plura non congero in re, ne ab ipsis quidem impetitis in controversiam vocanda.

Prob. III. ex gravibus, quæ parit Clericorum ignorantia, malis. Hinc enim fit, ut cæci cæcis ducatum præstantes, ambo in foveam cadant: ut populi male eruditi vias erroris ingrediantur, prout Lutheri, Calvinique temporibus misere innotuit: ut pastores suæ sibi imbecillitatis conscii, sint *canes muti non valentes latrare*; quin & sæpius transmigrent in castra luporum, quos præ imperitia non secernunt ab ovibus: ut Sacramenta illicite, & sæpius invalide conferantur: ut derideantur Ecclesiæ Sabbata, & cæremoniæ, quia nulla probabilis earum ratio reddi potest: ut a restitutione eximantur, qui restituere debuerant: in irregularitate ministrent, qui nullam irregularitatis adepti notionem, nesciunt quando contrahatur, &c.

Nec dicas scientiam iis quidem necessariam esse, qui Beneficia curam animarum habentia intendunt, non iis, quibus Beneficium simplex satis fuerit.

Nam I. docet experientia eos, qui se Beneficiis duplicibus renuntiasse profitebantur, eadem crebro, urgente vel cupiditate, vel familia, non acceptasse tantum, sed & ambiisse. II. Scriptura, & traditio, fidei, & morum regulæ nullibi Clericos duas in classes distinxere, quarum altera postquam studiis diu, solideque vacaverit, vel nulla, vel minutiora Beneficia obtinebit, & portabit tamen pondus diei, & æstus; altera quidquid in sanctuario pinguius est, nulla saltem onerosa conditione percipiet. III. novit sane Ecclesia, quid a Sacerdotibus expectet: porto ad omnes indistincte per Episcopos dicit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & baptizare*; ad omnes; *Sit doctrina vestra populo Dei spiritualis medicina*. IV. Sacerdos quilibet in casu necessitatis Sacramentum Pœnitentiæ administrare tenetur. Qua vero hinc se expediet via vir plane rudis? V. demum Sacerdoti ad solum etiam Missæ Sacrificium consecrato, quod aliquando fieri posse ob eximiam subjecti pietatem definiisse dicuntur Theologi quidam Parisienses, id saltem necessum foret, ut Canones ad statum suum pertinentes, ut Missæ cæremoniarum significationem, ut denique Officii seorsum, & alia id genus non pauca comperta haberet.

Hinc colliges I. quam graviter peccent tot adolescentes, qui in Universitatibus, & Seminariis tempus otio conterant, nec alio ad studium accedunt, quam quo servi ad compedes. Ii nempe injurii sunt: I. in Deum, cujus passu Sacerdotium temere, & sacrilege sunt usurpaturi. II. in Ecclesiam, quam fœde inhonorant. III. in populos, quibus nec quoad gradum, nec sæpe quoad substantiam debita præstituri sunt obsequia. IV. in parentes, quorum bona ipso sæpius vultus sudore parta in usus plane alienos impendunt. V. in semetipsos, & tum in præsenti vita, ubi proborum, & improborum ludibrio se se objectant; tum in futura, ubi *qui ignorat, ignorabitur*. I. Cor. 14.

Colliges II. Clericum, qui multa norit, esse posse sacerdotaliter imperitum; ut si Poetas veteres, mythologiam, singulas Matheseos partes sedulo pervolverit, vixque ea salutaverit, quæ ad statum suum spectant. Discat ergo quisquis Clericalem scientiam habere volet: I. scientiam Sanctorum, quæ in spiritualibus libris, in oratione vero potissimum comparatur. II. sacram Scripturam, quæ ut arma militi, sic Clerico familiaris esse debet. III. id quod ad dogma, & fidem pertinet, ne verba incaute proferendo, hæreses proferat, ut multis contingit. IV. Theologiam Moralem, quam in auctoribus probatis, & ab utroque distantibus excessu, sollicite, & quasi jugiter ob summam omnia retinendi difficultatem indagabit. V. scientiam, ut ajunt, temporis, ne vel hæreat coram mulierculis, quibus hodie de prædestinatione, & gratia loqui familiare est, vel errore, qui molles sub mele, & floribus insidias parat, imprudens circumveniatur.

Colliges III. quod, cum qui vult finem, media velle debeat, enixe satagendum sit Ecclesiæ Ministris, ut omni, qua poterunt arte, necessariam sibi scientiam expiscentur: & ad id opus est: I. litteraria supellectili, ad quam, nisi aliud exigant personæ conditio, & talenta, ferme sufficiant tres, quatuorve Scriptores in quintuplici, quem modo assignabamus, rerum sciendarum ordine. Si regerant Clerici complures se tenuioris esse fortunæ, quam ut tot libros comparent; quæram ego, cur igitur tam laute amicos excipiant, &c. II. pensari debet id, quod docet Augustinus Epist. 147. homines *plus cogitando*, & *orando* proficere, *quam legendo, & audiendo*; quod de se confessus est Doctor Angelicus. III. in id entendum est, ut purificetur oculus cordis, & ebulliens e scientia plerumque imaginaria tumor comprimatur.

(✠) Tenentur Clerici, ut Ecclesiæ utiliter inserviant, sacros canones addiscere, ac præsertim propriæ Diœcesis constitutiones scire. *Nolite*, inquit Julius Papa in canone *Nolite* dist. 11., *errare, fratres*

*mei*

*mei carissimi: doctrinis variis, & extraneis nolite abduci: en instituta Apostolorum, & Apostolicorum Virorum, canonesque habetis: his fruimini, his circumdamini, his delectamini, his armamini, ut his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum jacula persistere valeatis. Satis enim indignum est quemquam vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc regulam refutare, quam Beati Petri sedem & sequi viderit, & docere. Multum enim convenit, ut totum corpus Ecclesiæ, in hac sibimet observatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit Principatum*. (✠)

CONCLUSIO III. Ad Clericalem statum requiritur in primis vocatio.

Prob. I. ex Scripturis. Osee 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non cognovi.... iratus est furor meus in eos*: atqui ex se, & *non ex arbitrio Summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potius, quam assequuntur*, ait S. Greg. Pastor. part. 1. cap. 1. ergo in eos irascitur furor Domini, ac proinde gravissime peccant.

Joan. 10. *Amen, amen dico vobis; Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.... Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet, & perdat*. Unde sic: Immaniter peccat fur Domini gregem mactans, & disperdens: sed quisquis non intrat per ostium, seu per Christi vocationem, fur est, & latro, isque vel jam fecit, vel *facit, ad quod venit, ut mactet utique, & disperdat*, ait S. Bernardus, vel quivis Auctor Tract. de vita, & morib. Clericor. cap. 7. ergo.

Heb. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*: atqui propositio hæc: *Nec quisquam sumit* &c. ut universaliter negans nullam patitur exceptionem. Et vero respectu cujus pateretur, quæ non passa est respectu Christi? ergo quanta quis vel scientia fulgeat, vel emineat pietate, se ipso tamen solo Sacerdotium ingredi non potest, ut qui forte ad illud vocatus non sit; sicut nec ad Apostolatum vocatus erat Barsabas, licet ab eximia sua sanctitate Justus cognominaretur.

Prob. II. ex Patribus. Cyprianus Epist. 55. ad Cornel. *Ita est*, inquit, *aliquis sacrilegæ temeritatis, ac perditæ mentis, ut putet sine Dei judicio fieri Sacerdotem*. S. Cyrillus Lib. de adorat. in Spir. & verit. *Sponte se ingerere absurdum, ac turpe est*. S. Chrysologus serm. 25. *Regnum velle servare, crimen est, adire periculum, temeritas non timere*.

Prob. III. exemplo Sanctorum, quibus adeo usque persuasum erat, & præviam ad Ordines requiri Dei vocationem, & eam ad salutem haud sufficere, ut alii arrepta fuga sibi consulere tentaverint, prout testantur Historiæ de Cypriano, Athanasio, Martino, Gregorio Nazianz., Gregorio Magno, Chrysostomo, Fulgentio; alii reluctantes, & quasi vim passi consecrati fuerint, ut Nicolaus Myrensis, Alexander, Anatolius, Augustinus, cujus notum id ex Epist. 21. *Vis mihi facta est merito peccatorum meorum*; alii in dedecoram suspicionem venire moliti sint, ut Ephrem Syrus, qui insaniam, & Ambrosius, qui impuritatem, ac crudelitatem simulavit; alii violentas sibi manus intulerint, ut Ammonius Monachus, qui ne Sacerdos consecraretur, aures sibi præscidit; alii demum, ut Franciscus Assisius, Diaconatu jam inaugurati ulterius progredi ausi non sunt. Merito igitur dixit S. Cyrillus Alexandr. Hom. 1. de fest. Pasch. *Omnes Sanctos reperio divini ministerii ingentem veluti molem formidantes*.

Prob. IV. ratione. Vocatio est supernaturalis providentiæ actus, quo Deus aliquos præ aliis eligit, & congruis ad sacra ministeria digne obeunda dotibus instruit, atque præparat: atqui hæc Dei electio, & præparatio prorsus necessariæ sunt: I. quia iis seclusis læditur suprema Dei auctoritas, multo plus quam læderetur auctoritas Regis, si quis eodem invito publicam rem administrare, populis jura dicere, exercitibus præesse pro nutu, & arbitrio præsumeret.

II. quia ex eodem defectu contingit, ut male gerantur Ministerii munia. *Unusquisque enim proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (1. *Cor.* 7.): donum, inquam, in eos ordinatum fines, ad quos is, & hic homo a Deo conditi fuere; ergo qui non, ut gregi præesset, factus est, haud felicius in ejus regimine se geret, quam in corpore pes, si oculi locum tenere velit. Quin etsi, (ut quandoque fit, permittente Deo, qui etiam malis bene utitur) quædam exercere possit homo non vocatus, quæ populorum saluti plurimum inserviant, non eo melior, sed forte hinc lugenda magis erit conditio ejus, ut qui quasi excæcatus splendore bonorum, quæ parit, vix unquam concepturus sit, quam turde vel a primo itineris passu erraverit, prohibitum sibi transitum ineundo. Dicet ergo, quod *multi dicent in illa* judicii *Die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus*, sanctas Evangelii veritates nervose exponendo, & *in nomine tuo dæmonia ejecimus*, præsertim per Sacramentum Pœnitentiæ, & *virtutes multas fecimus*, obstruendo os loquentium iniqua, &c. & *tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos*: cucurristis in vanum, quia non miseram vos: gratuitæ erant, non gratum facientes gratiæ vestræ, nec in vestram, sed in aliorum utilitatem in ira mea vobis concessæ.

III. & hæc probatio nova est confirmatio præcedentis: eatenus quis certi status functiones legitime implet, quatenus sic eas exercet, ut placeat Deo; sed qui contra Dei vocationem Clericalia munia exercet, Deo placere nequit, quia facit id, quod Deus non ab eo, sed ab alio fieri vult; ergo se habet sicut famulus, cui præceptum est, ut domi laboret, & qui tamen vineam reluctante hero, imo & iis plerumque exclusis, qui ab hero conducti fuerunt, colere præsumit; ergo pœnam Numer. 1. latam his verbis: *Quisquis externorum* ad Tabernaculum *accesserit, occidetur*, sibi meretur, non mercedem.

Quod si hinc inferas, id ergo unum superesse Sacerdoti non vocato, ut vel desperationi se dedat, vel ad sæcularia regrediatur; duo reponam: I. nec licere ad sæculum reverti, quia indelebilis sit Sacerdotii character; nec omnino spem esse abjiciendam Iis tamen Clericis, qui non vocati ad sacra devene-

runt, summopere timendum esse, ne in æternum pereant.

I. quidem non omnino desperandum est, quia Deus, qui primaria intentione singulos ad certam vitæ speciem destinavit, vult secundaria intentione, ut male vocati suam culpam seriæ Pœnitentiæ lachrymis diluant, & dissuendo in ordinem, a quo temere discesserunt, regrediantur. Unde tunc ex misericordia ea homini largitur auxilia, quæ legitime vocatis ex qualicumque justitia debet. Et vero cum Deus hominem Sacerdotio semel inauguratum cælibem perpetuo manere velit, nihilque impossibile jubeat, exigit misericordia ejus, ut *jubendo moneat & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvet ut possis.* (*Trid. Sess. 6. c. 11.*)

II. quia tamen vocatio Dei certas communiter dotes præsupponit, ut prudentiam ad regendum, facundiam ad docendum &c.; eaque non necessario a pœnitentia dimanant, necessum est, ut Sacerdos, qui officia quædam easdem dotes præexigentia usurpavit, iisdem quam primum se exuat: id autem haud profecto facile est iis, qui ut plurimum non alio intuitu sacerdotium ingressi sunt, quam ut hæc eadem officia consequerentur; qui vix unquam coram Deo expendunt, an in ovile per ostium ingressi sint; qui etiam cum de vocatione sua dubitant, non id curant, ut seriæ pœnitentiæ vaceat, sed ut molestos importunæ conscientiæ remorsus excutiant; ergo merito dictum est reparari quidem posse, raro tamen & vix reparari genuinæ vocationis defectum. Unde Auctor Operis imperfecti Hom. 40. *Quis vidit aliquando Clericum pœnitentem?* Certe, ait S. Leo Epist. 85., *difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.*

Hinc colliges I. ei, qui de amplectendo Clericali statu cogitat, serio perpendendum esse, vocatusne sit, an non. Hic porro triplicis generis occurrunt signa: alia, quæ vocationem abesse probant; alia, quæ ipsam adesse convincunt; alia demum, ex quibus utpote ambiguis nihil certi definiri potest.

Signa non vocationis, si ita loqui licet, paucis his expressit Hallerius: *Impurus es, & ad obeunda ministeria ineptus* ex corporis, aut animi defectu; *mala arte Sacerdotium præripere tentas; ambitione duceris, vel avaritia; inhias honori, non oneri, non operis aut cupidus, aut saltem patiens; non te vocat Deus, sed diabolus tentat.* Attamen morum corruptio, cum, ut debet, fuerit abstersa, vocationem non semper impedit.

Signa vocationis moraliter certæ sunt judicium Directoris discretionem spirituum habentis, & in Ecclesiam bene affecti; congeries qualitatum animi, & corporis, quæ ad obeunda sancti ministerii officia requiruntur; pura gloriam Dei, suamque, & proximi salutem omni, qua licebit, via procurandi intentio; Ecclesiasticæ disciplinæ, & a fortiori Ecclesiæ ipsius amor ingens, & studium, &c.

Dubia vocationis indicia sunt corporis, ingeniique talenta; ipsa vitæ puritas; ardens Ordines recipiendi desiderium, quod sæpe non a charitate, sed a charitatis adversaria cupiditate profluit. Puritatem morum, & naturæ talenta inter æquivocas vocationis probationes recenseo, quia priori ornatos esse oportet Christianos omnes; posterioribus vero eos, qui ad certos Reipublicæ gradus evehuntur. Et vero quot sæculares in laica professione sancti, & oculati, quos, quia sæculares permanserunt, nemo vocationi Ecclesiasticæ defuisse suspicatur?

Colliges II. ei, qui in tanti momenti materia errare nolit, explorandam sedulo esse Dei voluntatem: I. oratione, in qua exclamandum cum Psalte: *Notam fac mihi,* Domine, *viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.* Psalm. 142. *Si enim,* ait hic Augustinus, *non me docueris, faciam voluntatem meam, & deseret me Deus meus.* II. Sapientiorum consilio, juxta id Eccli. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* III. plena totalique indifferentia, sic ut *pendeat inter utrumque voluntas nostra; aut saltem neutri parti nimis inhæreas, cogitans semper, ne forte altera pars magis Deo placeat,* pront solide docet S. Bernardus.

---

## SECTIO SECUNDA.

*De his, quæ ab homine jam Clerico fugienda sunt, aut præstanda.*

Differendum hic I. de vitiis a Clerico fugiendis. II. de virtutibus, quas exercere debet.

### PUNCTUM PRIMUM.

*De his, quæ a Clerico vitanda sunt.*

Certum est singula a Clericis omnibus vitia sedulo devitanda esse; certum quoque est ex iis esse non pauca, quæ Clericalem statum magis dedeceant, & furorem Dei potentius inflamment, qualia sunt præsertim incontinentia, ebrietas, ferale avaritiæ crimen, ambitio, simoniæ, pluriumque scelerum parens hypocrisis, quæ etiam virtutes vertit in peccatum, & alia id genus. Quoniam vero hæc sigillatim insequi non vacat, duo nobis probasse sufficiet: I. generaliter nullum esse peccatum, quod horrere non debeat vir Ecclesiasticus. II. multa esse, quæ etsi permissa Laicis, Clericis tamen imputentur in vitium, qualia sunt venatio, ludus aleæ, & similia. Sit igitur

CONCLUSIO I. generalis. Clerici ab omni vitio purissimi esse debent.

Prob. Si Clerici vel ab ipsa mali specie abstinere debent, si quæ levia sunt in Laicis, hæc in Ecclesiasticis sint graviora, si demum quæ tolerantur in sæcularibus, hæc in militibus sacris redargui mereantur, utique certum est Clericos ab omni vitio purissimos esse debere: atqui hæc omnia constant: I. quidem *Clerici non solum debent abstinere ab his, quæ sunt secundum se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali.* Ita expresse S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. Idem habet Concilium Remense an. 1583. a Gregorio XIII. confirmatum. Et vero si id generaliter ad Christianos omnes dictum sit I. Thessal. 5., quanto plus ad Clericos dictum censeri debet. II.

quæ

quæ levia sunt in Laicis, multo sunt in Clericis graviora, unde Tridentinum Sess. 22. cap. 1. de reform. Clerici *levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant*. III. demum redarguuntur in Clericis, quæ in aliis tolerantur, aut etiam permittuntur. *Plerumque*, ait S. Gregorius Lib. 8. Epist. 5. *quod in Laicis culpa non est, hoc crimen est in sacro Ordine constitutis.* Consonat tritum id S. Bernardi Lib. 2. de Considerat. cap. 13. *Inter Sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ .... consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum est, assuescere sacrilegium*.

Jam vero ut hæc per exaggerationem dicta non esse pateat, sufficiet perpendisse in Clericorum peccatis concurrere id omne, quo graviora effici possint. Ubi enim qui peccat, eum offendit, cui carior est, a quo & beneficia plura, & plura vitandæ offensæ media recepit, ubi denique per peccatum efficacius subvertitur intentio illius, contra quem peccatur, hic necessarium est gravius peccari: atqui hæc omnia in Clericorum peccatis concurrunt: I. eum offendunt, cui sunt cariores, juxta id Zachariæ 13. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, id est, diligere debuerant; ergo cum profundius læditur cor amantis, gravius delinquunt. II. eum ex consequenti offendunt, a quo plus recepere boni, & plura proinde vitandi peccati media; cum Deus pro modo amoris sui gratias conferre soleat, & Sacerdotium vel solum sit gratia, quam nobis invideant Angeli. III. efficacius Dei consilia subvertunt; cum eo instituti sint fine, ut essent sal terræ, lux mundi dæmonis imperii destructores, &c. Verum ut ex iis, quæ mox dicta sunt, quædam magis firmentur, sit

CONCLUSIO II. Clerici a multis, quæ in sæcularibus non culpantur, aut minus arguuntur, abstinere debent, qualia sunt I. venatio. II. militia. III. ludus aleæ. IV. negotiatio. V. gestio negotiorum sæcularium. VI. exercitium chirurgiæ. VII. popinarum ingressus. VIII. luxus omnis, spectacula, comessationes, & similia.

Prob. I. pars de venatione ex Ecclesiæ decretis. *Venationem*, ait Concilium Lateran. IV. can. 15. *& aucupationem universis Clericis interdicimus; unde nec canes, nec aves habere præsumant. Præcipimus*, ait Synodus Nannetensis an. 1264. *ut Prælati solliciti sint, & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipue Presbyteros, & Religiosos, de quibus majus scandalum generatur*. Consonat Aquense Concilium an. 1585., ubi prohibetur, ne Clerici *ullum venationis genus exerceant .... armave ferant*; atque id etiam Regum nostrorum Capitularibus vetitum est.

Nec dicas prædictos Canones usu contrario fuisse revocatos. Id enim, quidquid reclament Clerici venatores, falsum esse constat: I. quia doctrina, quæ Clericos venari prohibet, in omnibus Regni Seminariis docetur. II. quia Episcopi pene omnes vetera Conciliorum decreta in præsenti materia renovant, eaque, cum se se offert occasio, servari præcipiunt. III. quia etiamnum subsistunt motiva, quæ Patres ad prohibendum Clericis venationem impulere. Hæc enim sunt, quod Clerici nec arma deferre, nec sine Clericali habitu prodire in publicum, nec tempus, quod studio & orationi consecrare teneantur, inter canum latratus consumere, & terere debeant: atqui hæc omnia, aliaque, quæ ab expertis facile intelliguntur, non minus nunc urgent, quam olim; ergo.

Hinc colliges, Clericum venationi deditum esse in statu peccati mortalis; gravitas enim peccati colligitur tum ex gravitate pœnæ, quam lex infligit, aut minatur infligendam; tum ex inconvenientibus, quæ legis violationem comitantur; tum ex modo, quo præcepti executionem urget legislator: atqui Canones gravem minantur pœnam transgressoribus; aliunde sua sunt pericula, & inconvenientia venationi, quæ fit cum armis, &c.

Hæc de clamosa venatione intelligenda sunt; *Non* enim, ait S. Raymundus, prohibetur *Clericis ponere laqueum vel rete in silentio, dummodo tamen divinum officium*, Scripturæ sacræ lectio, Theologiæ studium, meditatio, & similia non negligantur.

Addit Sylvius, Clericum, qui raro, & absque scandalo venaretur, non nisi venialiter esse peccaturum. Haud equidem graviter arguerim Parochum, qui leporem suis insidiantem caulibus occiderit: sed nec diffiteri possum venationem prorsus omnem, quæ fit cum strepitu, & armis, plerisque Canonibus proscribi; unde satis dubia mihi videtur Sylvii decisio.

Prob. 2. pars de militia ex Can. 6. XXIII. q. 8. ubi sic: *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant .... quod si contempserint, tanquam sacrorum Canonum contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo, & sæculo militare*. Idem solide probat S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 2. I. *quia bellica exercitia multum impediunt animam a contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo: quæ ad officium pertinent Clericorum*. II. quia *non competit* Clericis *occidere, vel effundere sanguinem; sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo*.

Prob. 3. pars de ludis aleæ ex Conciliis. Lateranense IV. Can. 16. sic habet: *Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*, quod salubre Decretum renovatum est a Tridentino Sess. 22. c. 1. de Reform. Concilium Senonense an. 1528. *A ludo alearum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant Clerici: neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant*. Mediolanense I. *Nec solum* Clericos *ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus*. Idem docet S. Antoninus 2. part. tit. 23. §. 6. *Quot*, inquit, *in taxillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt. Primum est amissio temporis; 2. blasphemia; 3. contumelia; 4. dissipatio substantiæ temporalis; 5. Ecclesiæ contemtus, seu inobedientia; 6. est furtum; 7. est gula; 8. homicidium; 9. invidia; 10. rerum in familia necessariarum penuria; 11. jactantia; 12. mendacium; 13. neglectus divinorum*, dierumque sanctiorum profanatio major, *quam si terram colerent, quod est festa violare, &c.*

Hinc colliges I. mortaliter peccare Clericos, qui sæpe alea ludunt cum jactura notabili temporis, vel

etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniæ summa; ( vel *ex cupiditate lucri notabilir*, ait N. Alexander ). II. ludum in Clericis adeo in[illegible]orum longe magis indecentem esse in Religiosis, [illegible]enque plus, quo arctiorem, sanctioremque vitam profitentur. Unde Lugo a viro gravi dictum refert, quod si *hominem Societatis Jesu vidisset semel chartis ludentem, judicaret eum mortalis peccati reum*.

. Colliges II. eos etiam Clericos, qui modice, & moderate alea ludunt, vix immunes esse a peccato saltem veniali. Quod magis indubitatum esse debet in illis Diœcesibus, in quibus statuta hujusmodi ludos Clericis absolute prohibent. Et vero chartarum illecebræ sensim rapiunt, & ludendi consuetudinem pariunt. Quin & pene semper hominem ad pietatis officia segniorem efficiunt. Ut quid ergo aleæ ludos quærunt, qui honestis aliis lusibus animum innocenter possunt recreare?

Colliges III. non raro evenire, ut Clerici, ac ipsi Laici eos inspiciendo, qui ludunt, mortaliter peccent: atque id præsertim contingit, eum qui ludendo mortaliter peccant sive ob blasphemias, sive ob notabiliorem, quam exponunt summam, &c. ex eorum, qui circumstant, aspectu *inducuntur efficaciter* ad continuandum.

Prob. 4. pars de negotiatione. Scilicet enim negotiatio est contractus, quo quis rem eo animo comparat, ut integram, & non mutatam vendendo, aut permutando lucretur: atqui ea contractus species & Clericis, & Religiosis stricte interdicta est. Commercium enim periculi plenum, quod hominem implicat negotiis sæcularibus, eumque a Deo avocat, non potest licitum esse iis, quis se, suaque Evangelio consecraverunt; cum vix permissum sit Laicis, ut dicam part. 2. de Contract.: atqui, ut etiam ibidem ostendetur, negotiatio quoddam est commercii genus plenum periculi &c. Hinc Alexander III. cap. 6. *Ne Clerici vel Monachi* ait: *Secundum instituta Prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi, vel Clerici causa lucri negotientur*. Idem sanxit Concilium Mediolan. I. cap. 26. ergo mortaliter peccant Clerici, aut Religiosi negotiatores; cum gravissima anathematis censura nec decernatur, nec præparetur iis, qui venialiter solum delinquunt. Hanc porro, & similes pœnas nuper renovavit Benedictus XIV. in Bulla *Apostolicæ servitutis* data an. 1740. *Contra Clericos sæcularibus negotiis se sub suo, vel alieni nominis velamine immiscentes*.

Hic quædam notanda I. citatos Canones ab Haberto, & Lugo restringi ad Clericos, qui vel in sacris sint, vel Beneficiarii. Multo tamen satius est, ut qui Clerici manere volunt, ab iis omnibus abstineant, ut quæ periculum habeant, & non nihil indecentiæ. Certe Can. 10. dist. 88. non solum indistincte loquitur, sed & negotiationem prohibet, statim ac quis *Ecclesiasticus factus est*. Et vero ut quid Clericus esse pergit, qui mercatorem agere vult?

Cæterum, ait Lugo, *conveniunt omnes* negotiationem iis etiam Religiosis, qui Clericalem gradum non habent, vetitam esse; idque Turrianus ad ipsos etiam Novitios extendit. Posset tamen hic, ut alibi excusare gravis, & urgens Clerici, ac Religiosi necessitas.

II. Non constat, an Clericus etiam in sacris constitutus, qui semel, aut iterum negotiatur, puta libros, cruces, & similia ad revendendum emendo, mortaliter peccet. Negant plures, nisi tamen intersit scandalum, & negotiatio fiat in maxima summa, quia id non videtur alioqui gravis indecentia; & aliunde Canones, qui negotiatorem Clericum gravibus subjiciunt pœnis, non actum transeuntem, sed consuetudinem, & habitum insinuare videntur. In hoc tamen, sicut & in quocumque casu dubio, pars tutior tenenda est.

III. Ambigitur, an Clericis liceat negotiari per alios, qui totam præstent industriam. Neg. P. Antoine id extra necessitatis casum fieri posse absque Rom. Pontificis consensu saltem tacito. Tum quia inquit, est illud Ecclesiastico statui indecorum; tum quia ita sancitum est consuetudine, quæ vim legis habet; unde & reprehenderentur, qui secus facerent. Mitior hic Antoine Sylvius fatetur tamen *hujusmodi mercimonium, & statum Ecclesiasticum dedecere, & vix absque aliquo Clerici peccato fieri posse*.

(✠) Benedictus XIV. in Constitut., quæ incipit: *Apostolicæ servitutis*, confirmatis in Clericos Negotiatores pœnis a sacris Canonibus, & ab aliis Summis Pontificibus stabilitis, hæc habet: decernimus, ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium Ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, & ad eosdem Clericos, sive hæreditario jure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive conjunctim cum aliis bonis, & aliis cohæredibus, aut sociis prosecuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium hujusmodi statim dimitti nequeat, tunc si intra Italiam, insulasque adjacentes existat Clericus, a Ven. FF. NN. S. R. E. Card. Decret. Conc. Trid. Interp. Congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem Congregatione, vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod tempus retinendi, proviso interim, quod negotium hujusmodi a Laico administretur, impetrare teneatur.... etsi Clericus negotium præfatum, licet a Laico, ut præfertur, institutum, absque licentia hujusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus prædictum, negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus.... pœnis præfatis subjectum esse motu, & potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus, & definimus. (✠)

IV. Etsi vetat Concilium Calcedonense cap. 3. ne Clerici ulli, vel Monachi *conductores alienarum possessionum fiant*; possunt tamen & proprios agros colere, ut fructus vendant, & greges suis in prædiis alere, ut vel saginatos venumdent, vel ex lana & lacte lucrum honestum, & pie impendendum percipiant, secundum id Concilii Carthaginensis IV. ann. 398. *Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui duntaxat detrimento paret*. Porro necessum est, ut quas exercebit artes Cleri-

cus,

cus, non dedeceant Clericalem statum; unde nec chartas lusorias, taxillos, arma bellica conficere potest, nec macellarium, aut tabernarium agere, quod & eidem Canonibus interdictum est, nec frequentare nundinas.

Prob. 5. pars de sæcularium negotiorum gestione: I. ex Apostolo II. ad Timot. 2. ubi & assertio nostra, & efficax ejusdem probatio traditur. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* II. ex tot. tit. *Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

Quæ vero sæcularia negotia Clericis interdicta sint, fuse evolvit Concilium Mediolanense I. c. 26. *Qui Deo militat*, ait, *implicare se negotiis sæcularibus prohibetur; idcirco edicimus: Ne Clericus sacris initiatus, aut Ecclesiastico Beneficio præditus coram judice sæculari Advocati, aut Procuratoris nomine causas agat, nisi ab aliis in judicium vocatus, suam, vel Ecclesiæ suæ, propinquorum etiam, si necesse erit, & miserabilium personarum causas, facultate ab Episcopo prius scripto concessa, tueatur. Ne in profanis negotiis Officium Tabellionatus exerceat. Ne artem medendi faciat. Ne in negotiationibus, & mercaturis se interpretem, & medium interponat.... Ne aliena prædia lucri causa conducat. Ne aliorum tutelam, aut curam libere suscipiat. Ne pro illis fidejubeat*, nisi id exigant pietas, & misericordia, quo etiam in casu opus est Episcopi dispensatione. *Ne alicujus Principis, aut alterius negotiorum procurator sit sine facultate ab Episcopo prius per litteras impetrata, & singulis annis renovanda, &c.*

Iis insistendum est statutis, nisi quibusdam derogaverit sana consuetudo, ut in Galliis, ubi, cum de civilibus agitur, Clerici Consiliatiorum, & Judicum officiis in Reipublicæ bonum defunguntur.

Prob. 6. pars de exercitio Chirurgiæ ex cap. 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi prohibetur: *Ne ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit.*

Prob. 7. pars de popinarum ingressu. *Non oportet*, ait Concilium Laodicenum an., 320. *Clericos* etiam *Ostiarios, aut Psalmistas tabernas intrare.* Lateranense IV. Can. 15. & 16. *a crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant .... nec ab bibendum quispiam incitetur ...... Tabernas prorsus evitent; nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* Idem præcipiunt Concilia Agathense, Aquisgranense, Suessionense, Londinense, Remense., & innumera Episcoporum statuta.

Quam ergo periculose illudunt sibi tot Sacerdotes, qui tabernas, sub pœna suspensionis peculiari locorum lege prohibitas sibi, palam, & temere frequentant; quasi qui eas prohibent Episcopi, potestate sua abutantur, & id vetare non possint, aut debeant, quod omnibus pene sæculis vetuere Concilia? quasi Ministros Christi ea deceat invisere loca, quæ vix permittunt sibi homines mundanæ frugis? aliud sane judicabat Hieronymus in Epist. ad Nepotian. *Convivia*, aiebat, *tibi detestanda sunt maxime sæcularium.... Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.* Aliud & sentiebat immanis ille Christianæ fidei hostis Julianus Apostata, qui falsorum numinum Pontifices Clericalis modestiæ æmulos esse volens, sic ad Arsacium Ethnicum Pontificem scribebat Epist. 49. *Sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad spectacula, neve in taberna bibat.... Et qui tibi in his rebus.... resistunt, expellito.*

Prob. 8. pars de luxu, spectaculis, & similibus.

De Luxu patet ex Can. 15. Concilii IV. Carthaginensis, ubi sic: *Episcopus*, & a fortiori Clerici inferiores, *vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat.* Concil. Nicænum II. *Omnis luxus, & ornatus corporum est a sacerdotali statu alienus.*

De spectaculis idipsum docent plura Concilia: e multis unum adducemus Narbonense ann. 1609. ubi sic cap. 41. *Ut monemus populum, ita Clericos districte choreas quacumque ex causa ducere, aut illis interesse prohibemus: vitent tripudia, ludos publicos.... ad histriones non accedant, ne puritas Sacerdotis rerum inanium, aut etiam obscænorum aspectu polluatur.... Contra agentes pœna carceris, & alia ad arbitrium Ordinarii comprimantur.*

Cætera non prosequimur, ut quæ e prima Conclusione sponte fluant. Unum hic monebimus plurimos esse, qui vel in ipso sacrorum Ordinum ingressu reos se faciant gravissimæ fraudis, dum Episcopo quasi verum exhibent titulum collusorium, hypothecis realibus gravatum, multo minorem summa per diœcesanam legem constituta: & ii omnes jure communi, Parisiis, & alibi vigente, suspensionem incurrunt ipso facto, nec ab ea a quoquam absolvi possunt, donec titulum legitimum assecuti sint, aut ab eo dispensati.

---

## PUNCTUM SECUNDUM.

*De iis, quæ a Clerico præstanda sunt.*

UT vitia omnia a Clericis vitari, sic & ab iis virtutes omnes constanter exerceri debent. Eos vero præcipue decent fides intensa, spes firma, charitas ardens, zelus & suæ, & alienæ salutis, religionis, & orationis spiritus, hospitalitas, castimonia, mansuetudo, & aliæ ejusdem generis dotes, quas sigillatim indagare non sinit angustior voluminis textura. Sed quia quædam sunt, quæ, an etiam Clericis necessaria sint, ambigi videtur saltem in praxi, ea paucis expendenda credimus. Sit

CONCLUSIO I. Clerici simplices Tonsuram, & habitum Clericalem; qui vero sunt in sacris, vel Beneficiarii vestem talarem gerere debent.

Prob. 1. pars. Eam in Tonsura, & habitu Clericali formam sequi debent Clerici quicumque, quam serio præscripsere sacri Canones, quam urgent, & urgere debent omnes Episcopi, quam constanter secuti sunt, qui bonum in Ecclesia nomen obtinuere: atqui quod Clerici Tonsuram, habitum statui suo

convenientem gestent, serio præscripsere S. Canones; idipsum urgent omnes Episcopi, &c.

I. quidem id præcipiunt Canones. *Præcipimus*, (*An.* 1139.) ait Concilium Lateranense II., cui, præside Innocentio II., intererant mille circiter Episcopi, *ut tam Episcopi, quam Clerici, in statu mentis, in habitu corporis Deo, & hominibus placere studeant; & nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium, nec in Tonsura intuentium offendant aspectum.... quod si moniti ab Episcopis emendare se noluerint, Ecclesiasticis careant Beneficiis*. An porro nihili erit culpa, quam qui admiserint, sunt a Beneficiis arcendi? Idem sanxit Concilium Trident. Sess. 14. cap. 6. *De Reform.* ubi vanam, quæ a vanis Ecclesiasticis afferri solet, excusationem his explodit verbis: *Etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant*.

II. Eandem servari formam volunt, & urgere debent Episcopi. Quod velint patet ex Statutis cujuscumque Diœcesis. Quod velle debeant, patet ex Tridentino ibid.

III. Demum constans ea fuit, est, & semper erit omnium, qui Ecclesiam diligunt, agendi ratio. Neque id mirum: I. quia quisquis statum suum amat, ejusdem insignia non dedignatur. II. quia habitus Clericalis a multis retrahit excessibus, neque eum hactenus deposuit quisquam, ut liberius Deo vacaret; multi vero, nisi omnes, ut ea facerent, contra quæ vel ipse habitus reclamaret. III. quia Clericus laica indutus veste vel hoc ipso scandalum parit, & quasi admonet se Sanctuarium non amore Sanctuarii, sed lucri intuitu fuisse ingressum.

Prob. 2. pars ex 92. Sixti V. Bulla, ubi sic: *Hac nostra perpetuo valitura Constitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuscumque Clericis, non solum in sacris, sed etiam.... Clericali Tonsura insignitis, & nedum ecclesiastica Beneficia, qualiacumque... verum etiam pensiones percipientibus.... ut Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares, quacumque dilatione, aut tergiversatione postposita, debeant omnino assumere, & jugiter deferre, &c.* Et certe ex quo cessante persecutionum æstu laicæ, & sacræ vestes discerni ceperunt, vix amplius quidquam sacris Canonibus commendatum est: adeo ut qui rem istam plenius investigavere, eandem invenerint definitam ab œcumenicis Conciliis tredecim, ab octodecim Romanis Pontificibus, a Nationalibus, Provincialibusve Conciliis 150., a Diœcesanis Galliæ, Italiæ, Angliæ, Poloniæ, &c. Synodis trecentis, & ultra.

Nec nocet, quod allegant Clerici talaris vestis impatientes: I. quod ab ea deferenda dispensent se viri complures moribus cæteroqui recte instructi. II. Deum non vestes, sed corda inspicere.

Utraque enim hæc evasio jam pridem præclusa est. Prima quidem ab Innocentio III. cap. 3. *De Consuetud.* his verbis: *Consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti*. Secunda vero a S. Bernardo L. 3. de Consider. c. 5. *Solent dicere: Num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? at forma hæc vestium deformitatis mentium, & morum indicium est. Quid sibi vult quod Clerici aliud esse, aliud videri volunt, nempe habitu milites, quæstu Clerici, actu neutrum.*

Hinc colliges I. mortaliter peccare Clericos in sacris, aut Beneficiarios, qui sine legitima causa vestem nigri coloris, eamque talarem ferre negligunt; quia functiones crebro repetitas in materia, quam pro gravi habet Ecclesia, prætergredi, a gravi culpa excusari nequit. Rurales tamen Parochos in interiori domo breviori veste (*Sottanella*) sine peccato uti posse censet Sambovius, nisi, inquit, aliud ferant Diœcesis statuta.

Dixi, *sine legitima causa*. Hæc autem est: I. necessitas statum suum celandi, ut ii faciunt, qui apud hæreticos fidem disseminant. II. iter faciendum, prout indulgendo docet Synodus Mediolanensis II. an. 1571., sed hac duplici limitatione, I. ut etiam tunc talis, tamque decens feratur habitus, *ex quo eos*, qui iter faciunt, *esse Ecclesiastici Ordinis homines agnosci possit*. II. ut *cum eo venerint, quo pervenire contendunt, etiamsi locus sit in Diœcesis* alienæ *finibus, talarem togam induant*.

Hic duo notanda: I. multo esse laudabilius, ut etiam in itinere, & equitatione talaris toga deferatur. Id enim minus habet pœnæ, quam existiment multi; & si plus haberet, sponte ob Christi graviora passi, & Ecclesiæ amorem ferendum esset. II. etsi absolute licitum sit in itinere uti habitu breviori, haud tamen licitum esse sine talari toga Missam celebrare, vel altari deservire: & id multis in Diœcesibus quoad Missæ celebrationem sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ prohibitum est.

Colliges II. eo plus in hac materia, ut & in aliis peccari, quo plus a canonum littera receditur. Unde Beneficiarius, qui pallium breve cum breviori veste nigri coloris gerit, minus peccat, quam qui habitum fere laicalem gestant. Neque tamen hic, saltem si, ut solet, res ex consuetudine fiat, letalem deesse culpam crediderim.

Quod spectat ad juniores Clericos, dicimus eos, etsi Beneficiarii non sint, teneri saltem sub veniali Tonsuram & habitum Clericalem gerere, quandiu servant propositum in Ecclesiastico statu permanendi.

Colliges III. vere coram Deo lugendam esse sortem tot omnis pene gradus Clericorum, qui nedum Tonsuram pro Ordine, quo insigniti sunt, majorem, aut minorem gestent, & crines modeste detonsos habeant; retortos e contra, calamistratos, & odorato conspersos pulvere in ipsa Dei domo, in Processionibus, & ad ipsum altare præferunt, inter ipsa sacra mundani. An vero gratis dictum est? *Et erit, in die hostiæ Domini, visitabo .... super omnes, qui induti sunt veste peregrina*? Sophon. 1.

Colliges IV. adscititiam comam nec sine causa, nec nisi modeste, ubi causa est, ferendam esse. Et vero ex iis, quæ jam ab Apostolorum temporibus contra feminas torti, & comti capilli nimium amatrices dicta sunt, facile colligere est, quo impetu in Clericos eidem obnoxios vitio fuissent Patres insurrecturi:

*Quali-*

*Quanta enim culpâ*, ajebat S. Gregorius, *hoc viros appetere, a quo feminæ prohibentur*.

CONCLUSIO II. Clerici omnes divinis Officiis Festis, & Dominicis diebus interesse tenentur.

Prob. ex Tridentino Sess. 23. *De Reform.* cap. 6. ubi sic: *Nullus prima Tonsura initiatus .... fori privilegio gaudeat, nisi... Clericalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat*: atqui vix aliter Ecclesiæ inservire possunt Clerici juniores, quam Officia divina modeste, & assidue, quantum sibi licet, frequentando; ergo ad id tenentur. Et vero, ut sapienter monet Aquileiense Concilium, *Nihil potest videri absurdius, quam ut sæculares Officiorum divinorum tempore Ecclesiam frequentent, Clerici refugiant; illi Deum vel tacitis vocibus in Ecclesia laudent; isti.... boni aversione scandalum præbeant*.

CONCLUSIO III. Clerici omnes, præsertim in sacris, Ecclesiæ cæremonias scire, & adamussim observare tenentur.

Prob. I. quia major est in nova lege obligatio cæremonias ad cultum Dei spectantes scire, & observare, quam fuerit in antiqua; cum cultus, quo sanctior est, eo scrupulose magis quoad omnes sui partes impleri debeat: atqui gravis in antiqua lege vigebat obligatio infinitas prope Judaicæ religionis cæremonias tenendi, & exequendi; ut patet ex Deuteronomii cap. 28. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias.... cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones*; ergo.

Prob. II. quia cum sacra sine quibusdam cæremoniis peragi nequeant, qui Ecclesiæ ritus ignorat, alios pro arbitrio, & phantasia fingere sibi tenetur; & ex consequenti a probatiori Ecclesiæ usu recedere: atqui non potest ea inversio rerum fieri sine peccato. *Si quis*, ait Tridentinum Sess. 7. Can. 13. de Sacram. in genere, *dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit*. Et vero docet eadem Synodus Sess. 22. cap. 5. I. plures Ecclesiæ cæremonias ab ipsis Apostolorum temporibus institutas fuisse. II. institutionis hujus finem fuisse, ut sua rebus sacris majestas afferatur, utque fideles ex visibilibus deducantur ad invisibilia fidei mysteria: itane vero res ipsa sua origine sacras, & ad finem nobilissimum spectantes pro nihilo ducere licet, & pro nutu abjicere? Licet hinc populis scandalum, & nauseam parere, quod iis in ædificationem paratum est? licet Ecclesiæ Ministris turpem sibi imperitorum, indevotorumve notam aspergere? licet graves plerumque in Ecclesia turbas ciere, ut ii hodie faciunt, qui contra totius Ecclesiæ legem, alta voce & Orationes secretas, & Canonem recitant?

CONCLUSIO IV. Beneficiarii, & Clerici in sacris ad Officii recitationem tenentur.

Prob. ex dicendis ubi de Religione.

CONCLUSIO V. Clerici omnes ad castitatem tenentur; sed multo strictius, qui sunt in sacris.

Prob. 1. pars. Tenetur unusquisque ad virtutes status sui proprias; atqui castimonia est virtus Clericalis status etiam generice sumti maxime propria. I. quia summopere decet omnes Christi Ministros eam profiteri virtutem, quam speciali professus ratione est *Christus virgo, virginis filius, virginum sponsus*, uti loquitur S. Bonaventura. II. quia inferiores Clerici ad Ordines sacros, qua sanctiori poterunt via, gradum facere debent: *Nemo* autem, ait Urbanus II. dist. 32. c. 12. *ad sacrum Ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ sit castitatis*. Si ergo grave sit in laico impuritatis peccatum, utique gravius erit in Clerico; unde turpes aspectus, obscœnas, vel ambiguas voces, & similia effugere debet, *quasi a facie colubri*: imo nec tuta conscientia ad Subdiaconatum accedere potest, nisi spem habeat moraliter certam servandæ perpetuæ, & omnimodæ castitatis.

Prob. 2. pars ex variis Conciliis. Carthaginense II. cap. 2. *Episcopos*, inquit, *Presbyteros, & Diaconos ... placuit... continentes esse in omnibus.... ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Idem docet Concilium Lateranense I. cap. 21. *De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis*. Decreta hæc, quibus innumera alia possent adjungi, renovavit Trid. Synodus Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica vel voto .... posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari*. His præmissis sic disputo:

Ut Clerici in sacris castimoniam impense colere teneantur, tria sufficiunt: I. ut virtutem hanc eis injungere potuerit Ecclesia. II. ut & quadantenus debuerit. III. & ut injunxerit de facto: atqui hæc omnia constant. Et quidem quod injunxerit, probant Canones citati; quod autem potuerit, & quadantenus debuerit, hinc patet, quod Cœlibatus plurimum conducat ad obeunda digne Ecclesiæ munia, quæ præcipue sunt Sacrificium altaris, Sacramentorum administratio, Oratio frequens, actus docendi, pauperum cura, & sublevatio: I. enim Sacrificium, & Sacramentorum administratio magnam, & si fieri possit, Angelicam puritatem requirunt: in actu autem conjugii, etsi per se non malo, certum est aliquid reperiri, quod & puritatem, & imaginationem offendat. II. Oratio, & doctrina mentem uni addictam Deo, & a sæcularibus curis expeditam postulant: porro *qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est*: cum a contrario, *qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*. I. Cor. 7. III. Pauperum cura requirit animum liberalem & sancte prodigum; is autem multo difficilius reperitur in conjugatis, qui de alenda familia, de ditandis, & nuptui dandis filiis præcipue laborant.

Objiciunt Protestantes: I. id Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*, quod ad omnes dictum fuit. II. quod ex Paulo I. Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum, &c.* quod autem permisere Apostoli, quis prohibere possit? III. quod idem Apostolus ibid. c. 4.

du-

*doctrinam dæmoniorum* eam vocet, quæ prohibet nubere: id vero prohibent Doctores Romani. IV. quod ex Hebr. 13. *honorabile* esse debeat *connubium in omnibus*: si autem in omnibus, ergo & in Presbyteris. V. quod ex cælibatu Sacerdotum innumera apud Catholicos prodeant scandala, &c. Verum hæc moram non faciunt. Unde

R. ad 1. verba hæc, *Crescite*, *&c.* vel præceptum non esse, sed benedictionem; quia etiam ad pisces, & aves dixit Deus, *Crescite*: vel si hic subsit Præceptum, debere illud referri ad tempus, quo primos terræ incolas multiplicari oportuit; vel si etiamnum urgeat illud præceptum, non obligare singulos in particulari, sed solum humanum genus in communi: alioqui Elias, Jeremias, uterque S. Joannes, S. Paulus, & ipse Christus hujus præcepti transgressores fuissent.

Ad 2. sensus Apostoli est neminem, qui duas simul, aut successive habuerit uxores in Episcopum, aut Diaconum eligi debere, non autem ut eligi nemo possit nisi uxorem habens; quid enim sibi voluisset Paulus legem imponendo, quam ipse non servabat; imo & a qua simplices fideles dehortabatur, cum ajebat I. Cor 7. *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*?

Quod addunt, non posse id prohiberi, quod ab Apostolis est permissum, utique falsum est. I quia alioqui permitti non posset, quod prohibuerunt Apostoli; & tamen apud ipsos Protestantes licitus est esus sanguinis, & suffocatorum. II. quia nonnullæ Apostolorum constitutiones pure Ecclesiasticæ erant, quæ proinde immutari potuerunt.

Ad 3. diabolica quidem est doctrina, quæ cum Manichæis nuptias quasi a dæmone inventas prohibet: sancta autem, & salutaris, quæ vult ut Sacerdotes propter eminentiam status sui, & functionum sanctitatem cælibes vivant. Neque id est simpliciter prohibere matrimonium, sed velle, ut ex hypothesi certi status continentia servetur.

Ad 4. matrimonium esse debet honorabile in omnibus, id est omni ex parte, ut patet ex græco textu, ubi vox *In omnibus*, est neutrius generis. Unde merito redarguitur & Genevensis versio, quæ locum hunc reddidit: *Honorable est le mariage entre tous*; & quæ ab ea non satis distat versio Montensis: *Que le Mariage soit traité de tous avec honneteté.* Melius sane & Lovanienses, & Amelotus; *Que le mariage soit honorable en toutes choses*. Adde quod si vox *In omnibus* intelligeretur de personis, non intelligeretur de singulis indistincte, sed de iis, quas Deus ad matrimonium vocat, & quæ nullo ejus contrahendi impedimento tenentur.

Ad 5. qui e duodecim Apostolis unum fuisse diabolum cogitabit, non mirabitur quod e tot Romanorum Clericorum millibus, qui Castitatem spondent, aliquando male vocati, & absque sufficienti virium suarum experimento aliqui identidem turpiter labantur: sed quid ii sunt contra tot eunuchorum voluntariorum millia, qui angelice vivunt? An ex uxoratis Protestantium Ministris nulli justos limites transgrediuntur?

Hinc colliges I. eos temere, & illicite sacros Ordines amplecti, qui se ipsos non satis quoad præsens castitatis punctum probavere. Nec minus peccant Confessarii, qui fragiles adhuc, nec satis probatos admittunt.

Colliges II. duplicis esse reos peccati quicumque sacris Ordinibus insigniti, sive exterius, sive sola etiam cogitatione, aut delectatione morosa castitatem violant; unde status sui circumstantiam aperire tenentur. Ratio est, quia non modo puritatem lædunt, sed & implicitum castitatis omnimodæ votum, quod emisere, prout docet communior Theologorum opinio ex his S. Gregorii verbis (*Cap. I. dist. 28.*): *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui se victurum caste promiserit*.

Colliges III. gravis reos esse peccati eos etiam, qui proximo temerandæ pudicitiæ periculo se exponunt, ut ii faciunt, qui contra Ecclesiæ Canones, & Diœcesana statuta juniores habent ancillas: item qui ex frequenti cum mulieribus convictu vel inordinata quædam experiuntur, quibus cedunt, aut facile cedere possunt, vel pravam de se suspicionem, & laicis scandalum ingenerant; ac ii demum, qui apud se suspectas mulieres, quocumque in gradu consanguineæ sint, retinent. Jam dudum enim *interdixit per omnia magna Synodus* Nicæna Can. 3. *non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*. Quæ egregie confirmat Hieronymus Epist. 11. ad Nepotian. *Hospitiolum tuum aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, neque in præterita castitate confidas. Nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior*.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Obligationibus Beneficiariorum.*

BEneficiariorum obligationes præcipue ad quinque reducuntur: I. est Tonsuræ, & habitus decentis gestatio, de quibus supra. II. recitatio horarum, de qua alibi. III. residentia in loco Beneficii. IV. unius tantum possessio Beneficii, si sufficiens sit. V. legitima ejusdem fructuum dispensatio: quæ tria hic expendemus.

## SECTIO PRIMA.

### *De Residentia.*

REsidentia definiri potest Personalis in loco Beneficii commoratio, & ibidem munerum ecclesiasticorum functio. Unde non residet Episcopus, qui etiam in Diœcesi sua remanens est canis mutus, non valens latrare, cum tempus concionandi, & increpandi urget; qui de luxu, aleaque, & vitiis ablegandis parum, aut nihil curat; qui Diœcesim suam raro, & non integre visitat, & Confirmationis Sa-

cra.

cramentum non ministrat in locis remotioribus. Idem dicendum de Canonicis, qui Matutini tempore stertunt in lecto, aut in Choro libros legunt, & non canunt officium. Ut ergo, quæ ad residentiam pertinent, discutiantur, sit.

CONCLUSIO. Beneficia, quibus annexa est animarum cura, ut Episcopatus, Parochia, Vicariatus perpetuus, Abbatiæ, & Prioratus Regulares, &c. residentiam exigunt jure naturali, divino, ecclesiastico, & civili.

Prob. 1. pars de jure naturali ex ipso hujusmodi Beneficiariorum nomine: ii enim passim dicuntur Pastores, Speculatores, Magistri, Rectores, Doctores, Lux populi, Duces cœcorum &c., sed Pastor, Magister, Doctor, &c. jure naturali tenetur iis assidere, quorum est Magister, & Pastor; quia alioqui nec pascit, nec docet. Atque hanc Pastoris obligationem manifeste edisserit Christus his verbis Joan. 10. v. 11. *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*. & v. 2. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas .... & ante eas vadit, & oves illum sequuntur &c.*; ergo Pastor jure naturali tenetur ab ovili suo non abesse. Ecquis mente sanus in quæstionem adducet, utrum dux in bello, dum geritur, & miles in acie debeat existere?

Confirm. nam 1. jure naturali tenetur sponsus residere cum sponsa, neque quod Deus conjunxit, homo separare potest: atqui Episcoporum, & Parochorum sponsa est eorum Ecclesia, cum qua spirituale matrimonium solemniter contraxerunt, ut ait S. Pius V. in Bulla sua 64. ergo II. tenetur quilibet præsertim stipendio conductus, gravissima, dum potest, proximi damna avertere: porro absentiam Episcoporum, & Parochorum gravissima damna consequuntur, ut docet frequentior experientia.

Prob. 2. pars de jure divino. Ezech. cap. 34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. Nonne greges a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis.... quod perierat, non quæsiistis.... Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor; & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum.... Propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, &c.* Unde sic: Ad illud tenentur Pastores jure divino, cujus omissionem Deus graviter arguit, & severe minitatur puniendam: sed residentiæ omissionem Deus citatis verbis graviter arguit, atque ostendit simul eos non residere, qui in otio, & mollitie circa gregem suum elanguent, quod perit, non quærunt &c. ergo.

Idem ducet Concilium Trid. Sess. 23. c. 1. *De reform. Cum*, inquit, *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera pastoralia munera incumbere. quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacro-sancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant.* Atqui hæc verba clare definiunt residentiam jure divino præcipi; ergo.

Confirm. ex Apostolo II. Timoth. 4. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*. Quis porro dixerit Episcopum ministerium suum implere, opus facere Evangelistæ, denique esse bonorum omnium exemplar per Vicarium suum, aut substitutum?

Prob. 3. pars de Jure ecclesiastico, & civili, tum ex toto titulo *De Clericis non resid.*, tum ex Edictis Blesensi, & Aurelianensi, in quorum ultimo sic loquitur Carolus IX. *Resideront tous les Archiveques, Eveques & Curès, & sera chacun d'eux en personne son devoir ou charge, a peine de saisie du temporel de leurs Benefices*.

(✠) Benedictus XIV. in Constitutione de Episcoporum residentia, quæ incipit: *Ad universæ Christianæ Reipublicæ statum*, confirmata Constitutione Urbani VIII., quæ incipit: *Sancta Synodus*, ostendit, quibus in casibus animarum Pastor abesse possit, quin illius a Diœcesi absentia eum desertæ residentiæ reum constituat, deinde demonstrat, quando præter caussam canonicam expressa quoque Romani Pontificis licentia sit necessaria. Videatur integra Constitutio Romæ data anno 1746. Interim S. Aug. omnes animarum Pastores monet in Ep. 138. *Noverit*, inquit, *dilectio vestra nunquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute, quæ sæpe Sanctos Fratres, & Collegas meos, etiam labores marinos, & transmarinos compulit sustinere*. (✠)

Obj. I. Non raro Parochus, aut Episcopus officium suum melius exequitur per alium; puta si quem loco suo præficit gregi, sanctior sit, doctior, populisque acceptior; ergo.

R. neg. conseq. etsi enim cessare possit ratio residendi deducta ex inconvenientibus, quæ non residentiam sequi solent, (quod tamen difficile est, quia vix suppleri potest amor proprii Pastoris); sunt tamen aliæ rationes, quæ non cessant: puta quod qui stipendio fruitur, laborare debeat; quod cui sufficit, ut per alium laboret, ei sufficere debeat, ut per alium vivat, & manducet. Hinc S. Bernardus (*Epist. 4.*), *qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur*.

Confirm. nam I. sine scandalo fieri nequit, ut qui aliis prælucere debent exemplo, quæ sui sunt officii, non præstent. II. si Rex, aut Respublica non patitur, ut urbis præfectus alio divagetur, interim substituens, qui loco sui civitati invigilent, quanto minus id feret Ecclesia? III. hæc propositio: *Potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte sibi retenta*

tentis, damnata est ab Alexandro VII. & merito quidem, quia turpiter, & injuste Sacerdos sibi partem retinet stipendii, cum nullam solvit officii partem: atqui eadem militat ratio in causa Beneficiarii, qui retinet partem fructuum Beneficii, & in alium totum onus refundit; ergo is ad restitutionem tenetur pro rata parte defectus sui.

Obj. II. Papa cum Episcopis dispensat in residentia; ergo hæc non est nisi juris Positivi.

R. dist. dispensat improprie, id est, declarat jus divinum non extendi ad hunc, vel illum casum, C. dispensat proprie, & eodem modo, quo dispensaret in lege pure Ecclesiastica, N. istam enim eadem tolleret auctoritate, qua condidit: sic porro residentiam nec tollit, nec tollere potest.

Hinc colliges absolutionem iis negandam esse, qui non resident formaliter, seu munia sua, ut par est, obeundo; prout tot contingit Parochis, qui vix semel in mense populum verbo Dei reficiunt. & qui hoc ipso mortaliter peccant. Imo, ait Bonacina, *Arbitror mortaliter peccare* Parochum, *si duobus, vel tribus mensibus totius anni discontinuis non concionetur... quia hæc videtur materia gravis.* Ita & Pontas v. *Parochus* cas. 5.

Neque vero solum concionari, sed & id utiliter præstare tenentur Parochi; quod ut securius attingant, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis uti, non abstrusa, & profundiora prædicare debent; sed quæ ad salutem, quæ ad mores, quæ ad susceptionem Sacramentorum, & status præsertim conjugalis necessaria sunt: ubi de impedimentis agendum, sed caute, & pudice.

(✠) Hortatur Bened. XIV. in Constit. *de doctrina Christiana, præsertim pueris tradenda* Episcopos, ut Tonsura non inaugurent grandiores ætate, aut minores, præsertim vero majores ordines iis non conferant, qui in tradenda Christiana doctrina operam suam Parochis commodare neglexerint. (✠)

Debent II. grassantia scandala seu per semetipsos, si possint, seu per Episcopos coercere: scrutari, an plebs Parochiali Missæ intersit; an paschali fungatur officio; an non vacet superstitioni, contractibus usurariis &c.: an pueri Catechismi tempore Ecclesiam frequentent: an Ludimagister recte doceat; an non mares simul, & puellas instruat, quod opus periculi plenum est, & in multis Diœcesibus merito prohibitum, quandoque etiam sub excommunicationis pœna.

Debent III. singularem pauperum curam gerere; infirmos etiam Sacramentis munitos visitare frequenter; eosdem in extremo præsertim transitu, ubi potentius insidiatur leo rugiens, consolari, ac roborare: egenos gratis sepelire, iisdemque ex intimo cordis affectu requiem æternam precari.

Debent IV. pro Parochianis Missam offerre Dominicis, festisque diebus, neque tunc stipendium ullum recipere possunt. Ita definiit S. Congregatio apud Barbosam. Idem docet Concilium Mediolan. IV. ab Apostolica Sede approbatum. Concinunt Theologi plerique saniores; ut Sylvius, qui post Dianam principii loco statuit, *Parochum in illis diebus, in quibus Missam tenetur celebrare, ut eam populus audiat, non posse pro applicatione Sacrificii eleemosynam accipere.* Imo si Parochus reditum habeat, non dico abundantem, sed pinguem, seu omnibus inspectis sufficientissimum, tenetur singulis diebus pro Parochianis offerre Missam; idque jure divino, pront ex decisione S. Congregationis docent saniores Canonistæ. Si tamen Parochus ex officio, aut obligatione, quæ Parochiæ suæ inseparabiliter inhæreat, Missam applicare teneatur, v. g. in die depositionis, Anniversario fundato, Beneficio Parochiæ suæ incorporato, non tenebitur Missæ hujus defectum per se, aut per alium resarcire, quia id nullo jure constitutum est.

(✠) Bened. XIV. in celebri Constitutione, quæ incipit: *Cum semper oblatas*, & est 103. Tomi I. Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis, commendat, & inculcat, ut Concilii Tridentini, Apostolicæque Sedis decreta, de applicanda ab animarum Pastoribus pro populo Missa, executioni sedulo mandari curent, ac statuit; 1. non solum applicandam esse a Parochis, sed etiam a Vicariis deputatis ad tempus, aut alias amovibilibus. 2. decernit, *quod licet Parochi, seu alii animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus destituantur, & quamvis antiqua, seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Diœcesibus, seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino imposterum ab ipsis debeat applicari.* 3. applicandam esse diebus festis, quibus Populus Missam audire tenetur, *quamvis permissum sit opera servilia exercere.* 4. Dispensandi facultatem Ordinario concedit cum Parochis pauperibus, ut aliis diebus infra hebdomadam Missam applicent pro populo, *quando in diebus festis infra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus pii Benefactoris obtulerint.*

Rursus vult: 1. ut Missa Conventualis quotidie cani debeat in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, & pro Benefactoribus in genere applicetur, non obstante qualibet contraria consuetudine. 2. Nec suffragetur applicatio pro certo aliquo Benefactore, sicuti nec suffragantur preces alterius generis, vel statuta Anniversaria Sacrificia. 3. quod si Celebrans alio peculiari onere teneatur, id supplendum est per alium. 4. quod eleemosyna, ubi opus sit, desumenda sit ex massa distributionum. 5. in Ecclesiis pauperibus dispensatio reservatur judicio Congregationis Concilii. 6. quod secunda, & tertia Missa Conventualis non debeat applicari pro Benefactoribus in genere, nisi legitima consuetudo id præscribat. (✠)

Hic nota ab eadem Congregatione fuisse sancitum: I. in casu etiam legati plane insufficientis recurrendum esse ad Apostolicam sedem pro Missarum reductione, nisi fundatione ipsa (adde & locorum usu) cautum sit, ut onus illud moderari possint Episcopi. II. tot pro stipendio accepto Missas celebrari debere, quot præscripsit donator stipendii. Quod si is numerum non definierit, adhærendum mori civitatis, & provinciæ. III. Sacerdotes, qui stipendium receperunt minus eo, quod ab Episcopo determinatum est, tot debere Missas, quot exegit, qui tribuit eleemo-

synam

synam. Unde eleemosynam recuset, qui Missis defungi noluetit. IV. hæredet illius, qui Missas centum exigit, stipendium ab Episcopo designatum, aut designandum largiri debere. V. administratores Ecclesiarum, in quibus exteri Missam faciunt, nullam utcumque minimam stipendii portionem retinere posse ratione expensarum, quas subeunt pro manutentione Ecclesiæ, aut altaris, pro paramentis, vino, hostia, & similibus, nisi eædem Ecclesiæ non habeant reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; tuncque nec plus exigi potest, quam postulent expensæ, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundæ, nec quidquam ex numero Missarum detrahi debet.

Debent V. Parochi per se, vel per alium excipere Confessiones subditorum, quoties id rationabiliter petunt, seu ratione. Festi, vel indulgentiæ, cujus participes fieri velint; seu quia gravatam aliqua peccato conscientiam gerunt. Et vero an non spiritualem gregis sui profectum pro virili procurare tenentur? An non gravem pro tota vita cruciatum sibi parant, si quis eorum culpa in peccato decesserit? Hinc continuo in statu gratiæ esse debent, ut qui singulis momentis ad administranda Sacramenta vocari possint.

Debent VI. cavere plurimum, ne in matrimonium jungant, vel eos, qui fidei rudimentis, Deique, & Ecclesiæ præceptis non satis sint eruditi; vel vagos, & advenas, de quorum statu sibi minus constet, quam necesse sit.

Quæres quæ causæ a residentia excusent.

R. quinque afferri a Tridentino Sess. 23. c. 1. Ex vero sunt *Christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *ac evidens Ecclesiæ*, *vel Reipublicæ utilitas*.

I. Christiana charitas: potest enim Pastor a grege separari ad tempus, ut alteri Ecclesiæ in hæresens periculo constitutæ succurrat; ut inter Magnates pacem componat; ut fidem disseminet. Esset tamen contra ordinem charitatis, tantum in suos invehere mali, quantum in alios commodi.

II. Necessitas: hæc autem vel est ab intrinseco, ut ab infirmitate; vel ab extrinseco, ut a persecutione tyranni, hostisve alicujus, qui in Episcopum particulariter desæviat. Utraque a residentia excusat; unde potest Pastor infirmus cœlum mutare, vel a persecutoribus aufugere, juxta id Christi (*Matth.* 10.), *Cum persequentur vos in una civitate*, *fugite in aliam*. Sed si ex absentia Pastoris grave populi damnum sequi debeat, tenetur ad residendum.

Hinc I. Episcopus, quem longa tenet infirmitat sine spe sanitatis, in Diœcesi sua remanere debet, ut, quantum poterit, ovium saluti provideat; imo nequidem metu mortis, undecumque hæc immineat, gregem deserere posset ad tempus, si interim fideles omni auxilio destitui deberent. Unde Augustinus Epist. 228. n. 2. *Fugiant de civitate in civitatem servi Dei*, *quando eorum quispiam specialiter a persecutoribus quæritur*; sic tamen *ut ab aliis*, *qui non requiruntur*, *non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium*, *id est*, *Episcoporum*, *Clericorum*, *& Laicorum est commune periculum*, *hi*, *qui aliis indigent*, *non deserantur ab his*, *quibus indigent*.

II. Episcopus (idem de Parocho dixerit) fugere non potest pestis tempore; imo uterque si per alios non possit, per semetipsum Sacramenta peste infectis administrare debet. Sed si per alios id possit, per se facere non tenetur, prætertim, si præcipua populi pars sana sit: quia cum sanis perinde, ac infirmis debitor sit, sanis utilem se præbere debet; ab iis vero fugietur, cum scient eum pestiferorum commercio usum fuisse.

Quod autem Pastores pestis tempore tuta conscientia fugere nequeant, patet I. quia tunc viget illud Christi (*Joan.* 11.), *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus*. II. quia hoc exemplis suis docuerunt SS. Cyprianus, Gregorius Taumaturg., Gregorius Papa, qui dum tetra lues Romam depopularetur, nunquam abstinuit a prædicando, a visitandis ægris. III. idem definit Concilium Mediolan. V. sub sancto Carolo Borromæo, cui in eundem sensum respondit S. Congregatio, ut refert Fagnan. in cap. 17. *De Cleric. non resid.* In Gallia dari solet pestiferis Viaticum charta, vel linteo involutum, ac reponitur in loco, ubi ab ægris propria manu apprehendi possit, juxta antiquum Ecclesiæ morem.

III. Excusat a residendo obedientia debita Superioris legitime ad aliud vocanti: sed attendendum justas aliquando, & graves causas videri, quæ tales non sint. Unde non potest quis a Parochia abesse, ut Vicarii generalis, aut Officialis munia obeat: neque enim hac nostra ætate desunt, qui id Officii præstare possint. Quod si Parochus cæteris, qui præsto sunt, ingenio præpolleat, & sapientia, dimittat Parochiam, & Canonicatu, vel æquo stipendio donetur; refert tamen Gonzales declarationem sacræ Congregationis, quæ Episcopo concedit, ut per duos menses uti possit seu in visitationum cursu, seu ad alia Ecclesiæ suæ servitia Parochi alicujus ministerio, substituto in locum ejus Vicario.

IV. Evidens Ecclesiæ utilitas, ut si eundum sit ad Concilium generale, vel provinciale, si annuo secessui vacandum sit per octo, aut decem dies, si docenda sit Theologia, vel Jus canonicum.

V. Demum Reipublicæ utilitas, quæ, ut ait Toletus, cum necessitate conjungi debet: nam Episcopus iis implicare se non debet, quæ per Laicos æque præstari possunt. Ad Reipublicæ utilitatem revocat Gibert I. administrationem justitiæ apud supremas Curias. II. servitium Principi præstitum ab Eleemosynariis, Capellanis, Musicis, & Cantoribus.

At, inquies, nullisne egent induciis Parochi, qui quo gregi invigilant magis, eo plus fatigantur?

Nec hic videar excedere, R. cum Cabassut. *Si quis Parochus sine justa causa etiam minus duobus mensibus absit*, *peccabit mortaliter*, *nisi sit parvi temporis absentia*, *qualis esse posset quindecim aut ad summum viginti dierum sine justa alioqui causa*, *modo reliquerit idoneum substitutum*. His consonat Pontas v. *Resid. Paroch.*, cas. 1., ubi a mortali non excusat Parochum, qui ut consanguineos, vel amicos invisat, toto mense abest a Parochia: secus de Canonicis, quibus, ut nullam animarum Curam habentibus, plura indulget Tridentinum. Imo ne is quidem, cui gravior his sequenda in-

incumbit, abesse potest sine expressa Episcopi sui licentia, quod etiam & merito sanxit Tridentina Synodus. Cæterum pluries declaravit S. Congregatio Parochum prope Ecclesiam, vel saltem in loco omnibus opportuno commorari debere.

(✠) Bened. XIV. in Constitut., quæ incipit: *Ubi primum*, & est secunda Tomi I., & Constit. 140., cujus initium est, *Gravissimum*, commendat, atque inculcat Episcopis residentiam in propriis Diœcesibus; & Constit. 26., quæ incipit: *Grave, & permolestum*, declarat, residentiam hanc non debere esse mere materialem, sed formalem, *verbum Dei scilicet voce, & exemplo disseminando, a semita justitiæ deflectentes revocando, periclitantibus opem, & auxilium deferendo, adversus Lupos rapaces, qui in vestimentis ovium sæpe interant ovile, ut rapiant, & mactent, sedulo invigilando, fortiterque se opponendo. Nec sufficit*, inquit S. P., *prædicta aliaque munia pastoralia per Vicarios, & subditos præstare, quia unicuique Episcoporum singulatim ab oraculo Divino districte denunciatur. Attendite vobis, & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo; ipsis igitur Episcopis, non alteri pascendi oves præceptum datum est. Ipsis, in quibus spiritualis animarum salus innititur, & ipsi illam susceperunt, de ipsis strictissimam rationem reddituri, cum aliquando sanguinem illarum de manibus suis requiret districtus Judex*. Hactenus tantus Pontifex. (✠)

## SECTIO SECUNDA.

### *De pluralitate Beneficiorum.*

CErtum est quædam esse Beneficia, quæ simul ob incompatibilitatem teneri non possint; in hoc ordine sunt duæ Ecclesiæ Parochiales, Dignitates duæ, duo Personatus, aut etiam duo simplicia ejusdem generis sub eodem tecto Beneficia, ut duo Canonicatus. Tota igitur quæstio est de ea specie Beneficiorum, quæ compatibilia vocantur, an scilicet, & quando plura teneri possint. Sit

CONCLUSIO. Peccat mortaliter, qui plura habet Beneficia, tametsi simplicia, quando unum ad honestam sustentationem sufficit. Ita Theologi fere omnes.

Prob. I. ex Concilio Trid. Sess. 24. cap. 27. ubi sic: *Quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos non Deum decipientes.... plura simul Beneficia obtinere non erubescunt; sancta Synodus.... præsenti Decreto statuit, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur; quod si quidem ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*.

Qui porro, ut argumentum hoc elevent, reponunt Concilium Trid. in Gallia, quoad disciplinam, receptum non fuisse, ex eorum sunt numero, qui *seipsos, non Deum* decipiunt. Nam I. nunquam attenderunt Galli eas rejicere prædicti Concilii partes, quæ nullum Libertatibus nostris præjudicium inferunt, sed tantum ad bonos mores spectant, qualis est præsens definitio. II. Concilium Trid. unanimi Cleri Gallicani suffragio anno 1615. receptum est. III. si qua Concilii hujus decisio vim apud nos habere debet, ea certe, de qua nunc agitur, quæ nihil aliud agit, quam renovat vetera Conciliorum Decreta, & Regum nostrorum Sanctiones, a quibus pluralitas Beneficiorum vocatur *ambitio exsecrabilis*.

Prob. II. auctoritate, & rationibus S. Thomæ, qui sic loquitur Quodlib. 9. art. 15. *Habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes continet, utpote quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire.... Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatis testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerant, ut certus numerus Deo inservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius*, qui sæpe foret Ecclesiæ utilior, *nec unum habere potest; & multa alia hujusmodi, quæ de facili patent*: atqui multa ex his incommodis sequuntur pluralitatem non eorum duntaxat Beneficiorum, quæ *incompatibilia* dicuntur, sed & eorum etiam, quæ *simplicia* sunt. Certe enim qui tribus provisus est Beneficiis, tria quotidie officia non persolvit. Unde Fundatores sua frustrantur intentione, &c.

Prob. III. auctoritate graviorum quotquot extitere Theologorum, ut S. Bonaventuræ, Gullelmi Parisiensis, Gersonii, & Genebrardi, qui famosam Facultatis Parisiensis Decisionem refert. *Theologi Parisienses*, inquit, *post longam disputationem, anno 1238. definiunt neminem posse duo Beneficia, si unum sufficeret ad alendum eum, retinere sine peccato mortali*. Huic definitioni subscripsere Doctores omnes, duobus exceptis, quorum alter (*Philipp. de Greva.*) paulo post mortuus, tertia post mortem die Gullelmo Parisiensi apparuisse fertur, & dixisse æternis se damnatum suppliciis ob Beneficiorum pluralitatem; * cui consonat id, quod ex S. Bernardo refert D. Thomas: *Qui non unus, sed plures est in Beneficiis, non unus, sed plures erit in suppliciis*. Antiquam Facultatis suæ decisionem anno 1637. renovaverunt Doctores Sorbonici tredecim, & pluralitatem Beneficiorum omnino illicitam esse demonstraverunt.

Quæres, an non possit quis multa retinere Beneficia, eo quod ipsorum reditus bene, ac pie impendat.

R. negat. cum Dionysio Carthusiano: I. quia pius Beneficii redituum usus non tollit alia incommoda, quæ ex pluralitate sequuntur. II. quia Deus a nemine exigit eleemosynarum largitionem ultra vires suas, sive ultra id, quod sibi de uno competenti Beneficio superest. Qui ergo non tenetur ad succurrendum pauperibus nisi quantum potest, cur contra Ecclesiæ regulas plus vult posse, quam actu potest? Ex his

* *Historiam hanc referunt suppares Philippo de Greva, Parisiensi Cancellario, Thomas Cantipratensis, Albertus Magnus, & Durandus subinde Episcopus Mimatensis. Eandem habes apud Dionysium Carthusianum in Opusc. de pluralitate Beneficiorum, & Spondanum ad an.* 1238.

his sequitur eum, qui plura possidet Beneficia, absolvi non posse, nisi quæ superflua sunt, relinquat.

## SECTIO TERTIA.

*De dispositione fructuum Beneficii.*

ETsi perinde est, an Clerici, qui superfluos Beneficiorum fructus legitime non impendunt, defectu charitatis, an justitiæ defectu ad inferna descendant; gravis tamen est momenti quæstio, quæ expendit, an ex justitia, an ex charitate solum teneantur Clerici, quod sibi ex ecclesiasticis reditibus superfluum est, piis operibus consecrare. Si enim ad id ex justitia teneantur, tenentur ad restitutionem, cum aliter egerunt; non tenerentur vero, si solam charitatis virtutem læsissent. Huic quæstioni affinis est alia, an qui sufficiens patrimonium habet, e Beneficii reditibus vivere possit; tertiam adjungemus de bonis Religiosorum.

Not. I. tria bonorum genera a Beneficiariis possideri posse: *patrimonialia*, quæ habent a parentibus, item donatione, legato, &c. *quasi patrimonialia*, quæ consequuntur ratione ministerii clericalis, dum v. g. concionantur, psallunt, confessiones excipiunt, funera comitantur, Missam celebrant, Theologiam docent; & *mere ecclesiastica*, quæ prodeunt e Beneficio, & pensionibus pure Ecclesiasticis.

Not. II. Beneficiorum reditus dividi in duas partes, quarum altera honestæ sustentationi necessaria est; altera vero eidem superflua. In quo autem sita sit decens ea sustentatio, aliter definit cupiditas, quæ nunquam dicit, *satis est*; aliter christiana moderatio. Etsi autem decentia status Clericorum suam, sicut & sæcularium, habet latitudinem, nec proinde certa pro quocumque Beneficiato regula dari potest; hic tamen, si alibi uspiam, recurrendum est ad viri pii, & prudentis judicium, qui rationem habebit tum *personæ*: plura enim infirmo, quam robusto necessaria sunt ratione victus, habitationis, ac domesticorum; tum *loci*: quod enim vix Parisiis sufficit, quibusdam in Provinciis superabundat; tum *officii*, *& qualitatis*: plus enim exigit conditio Episcopi, quam Decani, plus Decani, quam Canonici.

Tametsi porro alia est Ecclesiæ, alia hujus sæculi vivendi forma, constat tamen, quod decens Clericorum sustentatio, ut multa excludit, sic includit plurima; & ea præsertim, quæ ad officio suo fungendum necessaria sunt. Sic Episcopus, & Prælati regulares *hospitalitatis officium promte, benigneque exercere* (*Trid. sess.* 25. *cap.* 8. *De ref.*) debent; sic Porochus habere debet, unde emat libros, quorum ope plebem suam salubri doctrina instruat; sic & ei equum alere licet, non ut vagetur, sed ut commodius ægros visitare, & Sacramenta deferre possit, si vastitas pagi id exigat, & viarum molestia: neque enim decet, ut Sacramenta per vias lubricas, & lutosas cum periculo casus deferantur, vel ut Pastor quasi vile mancipium vias illas difficiles oberrare cogatur. Addunt alii ad congruam sustentationem pertinere, ut Beneficiarius modicas quasdam donationes remuneratorias facere possit. Addiderim & eum non peccare, sed mereri potius, si quibusdam, sed moderatos intra limites, donis, ac muneribus eorum sibi benevolentiam conciliet, qui sibi, vel Ecclesiæ suæ gratiam præstare possint: hoc enim vel ipsis Regularibus permissum est ab Urbano VIII. per Bullam 158. 16. Octob. an. 1640. Verum hic præcipue hanc Tridentini legem sectari debent Beneficiarii: (*Sess.* 25. *c.* 9.) *Ita mores suos componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac sanctæ humilitatis exemplo petere possint. Quapropter non solum jubet S. Synodus, ut Episcopi modesta supellectile, & mensa, ac frugali victu contenti sint: verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod .... non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemtum præ se ferat.*

Sed exigitne Beneficiarii sustentatio, ut in studiis nepotes alat, ut consanguineos dotet? &c.

R. cum Petro Blesensi Epist. 102. *Terret me B. Hieronymus, dicens*, quod multi dum parentibus miserentur, animas suas perdunt; & Epist. 51. *Hodie pro filiis, quos abstulit Prælatis Ecclesiæ Deus, habere nepotes in dissipationem patrimonii Christi, & in suæ salutis dispendium, permittuntur*. Dicendum igitur cum Tridentino ibid. (*Sess.* 25. *c.* 1.) *omnino Clericis interdici, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant. Cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent: sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa*. Ex quibus sequitur Beneficiarium aliquid consanguineis largiri posse, *dummodo illud faciat moderate, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant*. Ita S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2.

Non conveniunt Theologi, an habenda sit nobilitatis ratio. Affirmat Navarrus, & multi cum ipso: negant alii, ut Decoq; tum quia Beneficia in favorem dignitatis mundanæ erecta non sunt; tum quia, ut ait Hieronymus, *nescit Religio nostra personas accipere; servum, ac nobilem de moribus pronuntiat.* Ut ut sit, turpiter falluntur, qui non pensant id S. Bernardi ad Henricum Senonensem; *Honorificabitis ministerium vestrum non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus &c.*

Not. III. variam variis temporibus fuisse ecclesiasticorum bonorum administrationem. Apostolorum tempore (*Act.* 4.) *erant omnia communia, & dividebatur singulis, prout cuique opus erat*: sed temporum lapsu excussum est sensim vitæ communis jugum, & Ecclesiæ bona, quæ ante ab Episcopo singulis distribuebantur, quatuor in partes divisa fuere, quarum prima Episcopo assignari debuit, 2. Clero, 3. Fabricæ, 4. pauperibus. Sit nunc

CONCLUSIO I. Beneficiarii redituum mere ecclesiasticorum domini non sunt, sed dispensatores; unde ex justitia tenentur, quidquid ex iisdem reditibus superflui habent, pauperibus erogare, vel pios in usus expendere.

Prob. I. Ea doctrina indubie tenenda est, cujus opposita sine gravi periculo teneri nequit: atqui doctri-

na

na nostræ opposita..... Nam opinio, quæ Ecclesiæ decretis, oraculis Patrum, & Theologorum consensui repugnat, sine periculo teneri non potest: atqui talis est doctrina doctrinæ nostræ opposita.

I. enim contradicit Ecclesiæ decretis. *Res Ecclesiæ*, ait antiquus Canon, ( XII. *q.* 1. *c.* 26. & 16. ) *non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore, non in alios, quam præfatos pios usus sunt fideliter dispensandæ*. Idem iisdem fere verbis repetit Concilium Parisiense VI. an. 829. idipsum tradit Alexander III. c. 2. *De donat.* his verbis: *Episcopus & Prælatus Ecclesiasticarum rerum* est *procurator, non dominus*; unde sic: Si res ecclesiasticæ non deberent ex justitia pios in usus impendi, possent in alios usus *quasi res propriæ* dispensari: atqui falsum consequens ex citato Canone; ergo.

Confirm. Procurator, qui heri sui bona contra voluntatem ejus dispensat, ad restituendum tenetur: atqui ex Alexandro III. Beneficiarii meri sunt procuratores Ecclesiæ bonorum, non domini; aliunde certum est hæc bona ab iis contra Dei voluntatem dispensari, cum in usus profanos impenduntur; ergo.

II. eadem doctrina Patribus, sanioribusve Theologis repugnat. S. Hieronymus in cap. 3. Isaiæ *Rapina pauperum*, inquit, *in domibus Sacerdotum, qui Ecclesiæ opes sibi thesaurizant, & in deliciis abutuntur, quæ ad sustentationem pauperum dantur, & sibi reservant, vel propinquis distribuunt, & aliorum inopiam suas, vel suorum divitias faciunt*.

S. Bernardus, qui diu post factam, si tamen facta est, Ecclesiæ bonorum divisionem scripsit, hæc habet in Epist. ad Falconem Canonicum Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retinet, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

S. Thomas in cap. 12. Epist. II. ad Cor. sic habet: Principes *non dederunt* divitias *Prælatis propter se, sed propter pauperes, & ideo non dederunt eis, sed pauperibus.... Prælatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.*

S. Raymundus Lib. 2. sum. tit. *De raptoribus. Dico*, ait, *Prælatos, & Clericos, qui res Ecclesiæ.... conferunt etiam consanguineis, non propter naturam sustentandam, sed ut faciant eos divites de patrimonio crucifixi.... tales, inquam, dico esse raptores, & per consequens teneri ad restitutionem omnium*. Hanc decisionem adoptat S. Antoninus, & sic concludit: Tales Beneficiarii *ad restitutionem tenentur pauperibus, vel in utilitatem Ecclesiæ, & peccant mortaliter* ( 3. *p. sum. tit.* 15. ). Quam autem unanimis sit in præsenti materia Theologorum consensus, indicant hæc Navarri verba: ( *Obiit an.* 1586. ) *Nemo Catholicorum, quos ego legerim usque ad N. affirmavit dominium* bonorum *Ecclesiæ usibus deputatorum esse penes Beneficiarios; ... quæ falsa, & insolens Conclusio est*.

Reponunt e citatis auctoritatibus nihil colligi posse: I. quia Patres eodem loquuntur modo de Laicis. Sic Ambrosius dist. 86. c. 21. *Pasce fame morientem... si non pavisti, occidisti*; & tamen Laici, qui superfluum pauperibus negant, charitatem non autem justitiam lædunt. II. quia Patres illi ante factam bonorum divisionem scripsere, cum nondum sua pauperibus, & Fabricæ pars assignata erat; ea vero divisione nunc facta, unusquisque eorum, quæ sibi obtigerunt, dominus esse debet.

Refellitur prima evasio. Patet enim ex allatis textibus, magnum esse discrimen patrimonialia inter, & ecclesiastica bona, ac de utrisque eodem modo disponi non posse. *Res Ecclesiæ*, ait laudatus Canon, *non quasi propriæ.... dispensandæ sunt*; vide ut aliæ ab aliis secernuntur. Deinde si Patres aliqui in ipsis Laicis quandam admittere visi sint necessitatem superfluum suum ex justitia pauperibus erogandi, quid mirum si strictam in Clericis admisisse dicantur?

Refellitur multipliciter secunda. I. quia etsi præcepta sit illa divisio in quatuor partes, non tamen constat, quod facta sit: unde sicut debitor, qui certus est se debitum contraxisse, nec probare potest se solvisse, solvere tenetur: ita a pari in præsenti casu. II. Probabilius est divisionem hanc reipsa factam non fuisse; quia nullum extat monumentum, quod convincat bona quædam Fabricæ, vel pauperibus relicta fuisse: Hospitalia enim non ab Ecclesiasticis, sed ab aliis Fidelibus fundata fuisse probantur, & innumeri sunt pauperes, qui in ea admitti non possunt. III. quia etsi facta fuisset divisio hæc; non ideo immunes essent Beneficiarii ab erogando vi justitiæ pauperibus id, quod habent superflui, ut statim ostendemus.

Prob. II. Beneficiarii eorum bonorum non sunt domini, quæ nullo titulo ipsis ut propria conceduntur: atqui Ecclesiæ bona nullo titulo .... Nullus enim hic occurrit titulus præter voluntatem Fundatorum, & Ecclesiæ intentionem: atqui neutro bona Ecclesiæ Clericis conceduntur, ut propria. Non primo, ut patet ex Fundationum instrumentis, in quibus semper reperias id fuisse Fundatoribus propositum, ut Clerici bona sua haberent tum ad propriam, tum ad pauperum sustentationem, quod satis indicat vetus formula, quæ in Caroli Magni Capitularibus reperitur; *Offero, atque dedico omnes res, quæ in hac chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum ..... pauperum, ac Clericorum alimoniis*. Non secundo: nam Ecclesiæ intentio non aliter, quam ex ejus Canonibus, & oraculis Patrum manifestari potest: atqui hæc clare ostendunt Ecclesiam pro certo semper tenuisse, superfluum Clericorum non in alios, quam pios usus impendi posse. Hinc constans hæc ejus assertio: *Res Fidelium, quæ Domino offeruntur, non possunt aliis, quam Ecclesiæ, & Fidelium indigentium usibus applicari, quia vota sunt Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*.

Prob. III. facile concedunt alterius opinionis patroni, Clericos ante factam bonorum Ecclesiæ divisionem debuisse ex justitia superfluum largiri pauperibus: atqui hæc ratio probat eamdem obligationem etiam nunc perseverare tum quoad Beneficia plurima, quæ, cum post hujusce divisionis tempus fundata sint, non alio fundari potuerunt animo, quam ut superfluum egenis daretur, tum quoad Beneficia, quæ divisionem præcessere. Nam I. bona Ecclesiastica per divisionem, si quæ facta fuerit, non mutarunt naturam;

ergo

ergo sunt, ut ante, res Dei; ergo non in alios, quam in pios usus impendi possunt. II. se habent Clerici, quibus in bonorum divisione plus datum est, quam satis erat, sicut œconomus, cui dominus ob quædam agenda negotia plus det pecuniæ, quam necesse sit, quia prævidere non potest expensas omnes faciendas: atqui œconomus ille, quod residui habet, domino restituere tenetur, nec proprietatem ejus acquirit; ergo a peri Clerici, quibus plus ab Episcopo in divisione bonorum datum esset, ad superflui restitutionem tenerentur; & strictius tenerentur, quam œconomus ille, quia Episcopus divisionem faciendo non erat dominus Ecclesiæ bonorum, sed dispensator: ideoque non magis poterat Beneficiariis concedere libertatem insumendi in usus profanos id, quod iis post honestam sustentationem supererat, quam id ante divisionem potuisset.

Obj. I. Beneficiarii, qui officio suo funguntur, faciunt *fructus suos* ex jure: sed qui faciunt fructus suos, eorum domini fiunt; ergo,

R. dist. min. fiunt domini, quatenus habent dominium utile partis, quæ honestæ sustentationi respondet, & administrationem superfluorum, C. quasi de iis pro nutu disponere possint, N. Sic hæres totius hæreditatis dominus fit, sed cum obligatione solvendi debita defuncti.

Obj. II. Si Beneficiariorum superflua pauperibus ex justitia erogari deberent, donatio eorum aliis, quam pauperibus facta, invalida esset: atqui falsum consequens; cum nec Ecclesia, nec Respublica hujusmodi donationes invalident.

R. dist. min. hæc donatio valida est in foro exteriori, id est, in eo non improbatur, C. in foro conscientiæ, N. Itaque forum exterius donationes a Clericis factas non rejicit, quia vix unquam probari potest eas ex reditibus Ecclesiæ fieri; multa enim a Clericis aliunde acquiri possunt sive donatione, sive industria: at hæc agendi ratio nihil probat pro foro conscientiæ. I. quia, ut loquitur Innocentius III. c. 18. *De præb.*, *multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debeant tolerari.* II. quia Ecclesia hujusmodi donationes præsertim testamentarias millies improbavit, de quo vide Concilium VI. Parisiense; unde duo sequuntur notatu digna: I. hæredem non egenum ea, quæ a Beneficiario consequitur, retinere non posse, si sibi certo constet hæc non aliunde, quam a Beneficii reditibus proficisci. II. eum, qui cum Beneficiario lusit, & *quæstum fecit, rem pauperum male partam restituere* debere, ut sanxit Conc. Remens. anni 1583.

Obj. III. Beneficiarius jubetur ex Beneficii reditibus satisfacere pro debitis ante obtentum Beneficium contractis: atqui nemo satisfacit ex iis, quorum dominium non habet; ergo.

R. Vel Clericus debitor habet bona patrimonialia, vel non. Si 1. debet ex iis satisfacere pro expensis profanis antea factis, & tunc neg. maj. Si 2. potest quidem, & debet e Beneficii bonis satisfacere; sed tanquam pauper, qui ea sibi applicet, non tanquam dominus, qui de eis ad nutum disponit; unde tunc neg. min.

(✠) Prohibet, & interdicit Bened. XIV. sua peculiari Constitutione, quæ incipit: *Universalis Ecclesiæ cura*, ne in posterum audeant Clerici sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac distrahere suorum respective Beneficiorum reditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab Emtore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi Beneficiati per ejusdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi potuissent, sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, seu contractus, & omnium inde consecutorum, aliisque pœnis inflictis, præscriptis, & statutis contra alienantes bona Ecclesiæ. (✠)

Quæres I. an Beneficiarius, qui parce vivendo certam singulis annis colligit summam ex iis, quæ tuta conscientia in honestam sui sustentationem impendere posset, possit de ea pro nutu disponere, v. g. in gratiam parentum.

R. neg. I. quia bona hæc eo ipso, quo sunt ecclesiastica, Deo consecrata sunt, suntque pauperum, aut religionis bona; ergo quacumque de causa, sive ex avaritia, sive fortuito coacervata sint, non alios, quam in pios usus expendi possunt. II. quia huic sententiæ favet S. Thomas: *Si de eo*, inquit, *quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare; non peccat, dummodo illud faciat moderate, id est, ut non indigeant, non autem ut ditiores inde fiant.* En S. Doctor de iis loquitur, qui sibi subtrahunt id, quod impendere potuissent: atqui non permittit, ut id consanguineis detur, nisi pauperes sint.

Quæres II. an Beneficiarius dominus sit bonorum quasi patrimonialium.

Negat Habert; quia, inquit, bona Ecclesiæ, quæ a SS. Patribus dicuntur res Dei, nihil aliud erant primis sæculis (quibus vix ullum sub Ethnicis Principibus prædium habebat Ecclesia), quam pecunia & alia ad victum, & vestitum necessaria, quæ Clericis intuitu laboris eorum a Fidelibus subministrabantur; unde hæc non alterius erant conditionis, quam bona, quæ nunc quasi patrimonialia dicuntur: atqui tamen Clerici hisce temporibus tenebantur superfluum pauperibus erogare; ergo ad idem hodie teneri videntur.

Ratio hæc firma videtur quoad ea bona, quæ cum ratione ministerii sacri Clericis conferuntur, nec dari, nec sine simonia recipi possunt, ut merces stricte sumta: sed quia bonorum quasi patrimonialium nomen inditum est iis etiam stipendiis, quæ Clerico tribuuntur ob functiones quasdam Laicis eodem ferme modo, ac Clericis competentes, ut musicam canere, Philosophiam, aut Theologiam docere, non video, cur Clerici bonorum, quæ hisce modis comparant, minus domini sint, quam Laici.

CONCLUSIO II. Qui sufficiens habent patrimonium, possunt eo ad victum non uti, & vivere ex bonis ecclesiasticis.

Prob. Illud Beneficiariis onus imponi non debet, quod nusquam eis imposuit Ecclesia; quo eos liberos putant SS. Ecclesiæ Doctores; quo denique si etiam

Ecclesiastici se judicant immunes, quibus nulla molliorum opinionum suspicio inuri potest: atqui sic se res habent in præsenti negotio.

I. quidem nunquam a Beneficiariis exegit Ecclesia, ut qui ex iis divites erant, Ecclesiæ bonis parcerent, & sumtibus suis vescerentur: & id patebit ex Objectionum solutione.

II. quæstionem expresse definire visus est Apostolus I. Cor. 9. *Quis*, inquit, *militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit?* & iterum: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? .... nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant?* Unde sic: I. qui dum spiritualia seminant, carnalia metere possunt, quibus licitum est de altari vivere, dum altari deserviunt; iis de reditibus ecclesiasticis vivere concessum est: atqui Evangelii ministri sic se habent sine distinctione, juxta S. Paulum; ergo possunt de reditibus ecclesiasticis victum percipere. II. eorum, qui militant in bello, multi sunt, qui stipendiis propriis militare possent, nec tamen militant suis, sed regiis: atqui ex S. Paulo eadem est Evangelii ministrorum conditio, quæ eorum, qui militant in bello. III. non multum differt dives ab eo, qui potest arte aliqua victum sibi comparare: sed qui arte aliqua victum sibi comparat, potest stipendium percipere pro officiis, quæ Ecclesiæ impendit, ut innuit ibidem Apostolus; ergo & id potest, qui dives fuerit.

III. Idem colligitur ex variis Conciliis. Sic Concilium Agathense relatum cap. 20. 1. q. 2. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum consequantur*. Sed ibi nulla fit pauperum, & divitum Clericorum distinctio; ergo.

IV. Illi ex bonis ecclesiasticis vivere possunt, qui de patrimonialibus bonis disponunt ad nutum, tum inter vivos, tum causa mortis, sive ea parentibus, sive aliis donando, aut relinquendo: atqui ipsimet Episcopi juxta sacros Canones disponunt .... Minor probatur ex canone 39. inter Apostolicos: *Privatas quidem res Episcopus (si modo privatas habet) cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occasione rerum ecclesiasticarum intercidant res Episcopi, &c.* Idem habet Concilium Parisiense: *Decrevimus*, inquit, *ut Episcopus res sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem canonicam quiquid vult faciat, & cui vult conferat .... res autem de facultatibus Ecclesiæ .... non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant.*

V. Eadem est S. Thom. sententia. (1.2.q.185. *a.7. ad* 3.) *Dicendum*, inquit, *quod non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus largienda, nisi forte in articulo necessitatis .... & in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset*. Censet ergo S. Doctor Clericum propria habentem ex bonis Ecclesiæ vivere posse, præterquam *in articulo necessitatis*.

Obj. I. Variis sancitum est Canonibus, ne quis Ecclesiæ bonis ad victum utatur, nisi cum vere est indigens: atqui vere indigens censeri non debet, qui de reditibus patrimonii sui vivere potest. Minor constat, major probatur I. can. *Ex his* 12. q. 1. *Ex his, quibus Episcopus indiget, si tamen indiget, ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus, & ipse accipiat, ut nihil ei omnino possit deesse*. II. ex can. *Clericos* 1. q. 1. ubi hæc habentur ex Epistola S. Hieronymi ad Damasum: *Clericos illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, & per abusionem talium judicium sibi manducant, & bibunt*.

R. I. Sunt, qui generatim dicant antiquæ Ecclesiæ ordinationi per usum contrarium derogatum fuisse. Ita P. Antoine, juxta quem statuerat olim Ecclesia, ut reditus sui, quia exigui, iis solum distribuerentur, qui patrimonium non haberent; quæ disciplina deinceps immutata fuit.

R. II. ad 1. verba hæc, *si tamen indiget*, non solum ad ista referri, *Ex his, quibus Episcopus indiget*; sed præcipue ad hæc, quæ sequuntur, *ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum*, ita ut sensus sit, Episcopum, si in eo sit loco, ubi peregrinos multos alere debeat, canonicam e bonis ecclesiasticis portionem tum ad sui, tum ad eorum, qui ad se peregrinando divertunt, sustentationem percipere posse, quam tantam percipere non posset, si hæc ad peregrinos non foret necessaria. Porro Canon sic intellectus nobis non adversatur; sic autem intelligi debet: cum enim sit quadragesimus inter eos, qui Apostolici dicuntur, non debet opponi trigesimo nono ex iisdem, qui communi sententiæ favet.

Ad 2. quod desumitur ex can. *Clericos*: dico I. Canonem hunc nullius esse auctoritatis, utpote qui tribuatur S. Hieronymo, in cujus Operibus hunc non reperitur, ut fatentur omnes.

Dico II. cum Glossa: I. vocem *accipiunt*, non ad literam intelligi debere, sed subintelligenda esse hæc verba, *& in malos usus convertunt*; & sic, inquit, intellige sequentia capitula. II. hic exhortationem contineri, non præceptum, nisi agatur de quarta bonorum ecclesiasticorum portione pauperibus debita, quæ dari prohibetur abundantibus: atque hæc ultima explicatio facile textui accommodatur, si duas dividatur in partes. *Clericos illos convenit, &c.* en prima pars, quæ merum est consilium. *Illi vero Clerici, qui parentum bonis sustentari possunt, & quod pauperum est*, id est, portionem egenis attributam usurpant, &c. en secunda pars, quæ præceptum complectitur.

Dico III. cum S. Thoma canonem hunc intelligi debere de *casu necessitatis, in quo etiam pro redemtione captivorum, & aliis necessitatibus pauperum vasa cultui divino dicata distrahuntur*.

Obj. II. S. Augustinus Ep. 185. n. 35. hæc habet: *Si privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem* quod-

*quodammodo gerimus, non proprietatem nolis usurpatione damnabili vindicamus.*

R. dist. Si privatim possidemus, id est, si legitima nobis assignata fuerit ecclesiastici boni portio, jam quæ reliqua sunt, nostra non sunt, sed pauperum, C. si privatim, id est, si sæcularia habeamus bona, N. In textu enim Augustini nihil est onde ad talem sensum determinetur. Vel disting. ut supra S. Thomas, non sunt illa nostra cum pauperes necessitate laborant, C. non sunt nostra, id est, ecclesiasticis uti non possumus, cum suppetunt nobis propria, N.

Obj. III. Si Clericis liceat ecclesiasticis reditibus uti ad victum, jam facila enervantur sacri Ecclesiæ Canones; Ecclesiastici enim virtualiter ax altaris reditibus familiam ditabunt; interim vero dicent hæc, unde vivunt, ecclesiastica esse, quæ autem parentibus largiuntur, essa mere patrimonialia.

R. abusum opinionis alicujus non sufficere, ut hæc rejici possit, si gravibus sit momentis suffulta. Cæterum Canones Ecclesiæ ab iis non violabuntur, qui cognoscent boni proprii superfluum ex charitate pauperibus deberi, & Deum vere diligent; qui vero non diligent, licet opinionem nostræ oppositam speculative teneant, ab ea in praxi recedent. Et vero quot visi sunt, qui nobiscum sentientes, de patrimonialibus perinda ac ecclesiasticis bonis pie disposuerunt; quoti vero, qui opinionem nostra rigidiorem amplexi, neutrum bonorum genus eo, quo par erat, modo impenderunt?

# APPENDIX

*De obligationibus Confessariorum.*

UT sacrarum functionum Candidati mature intelligant generali saltem modo, quot, & quantis dotibus instructos esse oporteat eos omnes, qui animarum regimini se se devovent, præcipuas Confessariorum qualitates summatim indicabo. Sit igitur

CONCLUSIO I. Io Confessario non sufficit potestas Ordinis, sed requiritur insuper potestas jurisdictionis, quæ confertur, vel approbatione Ordinarii, vel certorum Beneficiorum collatione.

Prob. ex Tridentino Sess. 14. c. 7. ubi expresse definitur *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quam ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Quemadmodum igitur secundum legis dispositionem, qui in jure Doctor est, aut Licentiatus, non potest vi horumce graduum jus dicere, nisi ei a Principe assignentur cives, in quos sententiam ferat; sic & Sacerdos tandiu potestatem sibi vi characteris traditam exercere nequit, donec ei subditos assignaverit Ecclesia, quos vel liget, vel absolvat.

Porro subditos assignat Ecclesia ministerio primorum Pastorum, qui, sicot sæculares Principes, jurisdictionem eo gradu, & modo conferunt, quo conferre volunt.

Hinc I. si quem pro certis tantum personis, peccatis, loco, aut tempore approbent, non poterit in præfixos sibi limites transgredi. Quapropter si approbatus ad annum expleto anno absolvat; si approbatus in uno genera, v. g. pro peccatis non reservatis, absolvat in alio; si approbatus pro sæcularibus absolvat Moniales; si approbatus pro certa Monialium specie, aut domo, aliam aut domum, aut speciem absolvere præsumat, invalide prorsus absolvet. Idem est, si approbatus hac vica idem munus obita velit. Hæc extendenda sunt ad ipsos Regulares, etiam relative ad Moniales suo Ordini subjectas, prout declaravit Gregorius XV. per Bullam *Inscrutabili*; quæ tamen non obique viget: bene an male, viderint alii.

At, inquies, si res ita sit, non poterit Parochus Parochum alium delegare ad excipiendas Parochianorum suorum confessiones; quod tamen experientiæ repugnat.

R. Parochum alterius Parochi subditorum etiam ex alia Diœcesi confessiones excipere posse, cum id usu certo, & ab Episcopis permisso constitutum est: quia tunc mutua jurisdictionis communicatione alter alterius gregem quoad præsens punctum regere potest. Sed caute notandum, licentiam hanc ab Episcopi nutu totam pendera, quia Parochi jurisdictio, quoad proprias oves ordinaria, quoad alienas, est tantum delegata, jurisdictio autem delegata a solo Episcopo, vel Ordinario pendet, qualis non est simplex Parochus.

An Regulares intra Diœcesim Episcopi approbantis possint etiam alterius Diœcesis, in qua approbati non sunt, pœnitentes, qui in fraudem non veniunt, absolvera, controvertitur. Nobis ob materiæ gravitatem satius videtur, ut Regulares parti tutiori adhæreant, ac proinda ut se præsentent Ordinario Diœcesis ei proximæ, in qua situm est eorum Monasterium.

Hinc II. qui in decursu confessionis animadvertit pœnitentem commisisse peccatum aliquod reservatum, eundem ad superiores remittere debet, aut saltem ab iis reservata dimittendi licentiam obtinera. Ubi nota, licentiam absolvendi a reservatis nec extendi ad vota,& irregularirates, nec ad hæresim, saltem quoties hæc publica fuerit; qua de re consulendum est Diœcesis Ritoale.

Hinc III. (& id caute notandum) Parochus, qui solum approbatus erat ratione Parochialis, quod obtinuerat, Beneficii, si illud etiam sponte dimittat, nova indiget approbatione, etiam in eadem Diœcesi, prout declaravit sacra Congregatio.

Hinc IV. gravi se periculo exponunt, qui a Diœcesi in Diœcesim transeuntes, Diœcesana Statuta legere differunt: sic enim fit, ut temere credant sibi in una Diœcesi licitum esse, quod poterant in alia; imo ut aliquando contrahant censuras, iisque præ imperitia, quam auferre debuerant, violatis, irregularitatem. Neque vero Statuta sola quamprimum legi debent, sed & civilis locorum consuetudo, ne hic valere putes, quæ alibi valida esse cognovisti.

CONCLUSIO II. In Confessariis sequiritur scientia, eaque ratione objecti multiplex.

Prob. 1. pars, tum ex iis, quæ supra dicta sunt, ubi de scientia Clericali; quæque præcipue in Confessarios cadunt; tum quia Confessarius quilibet triplex officium habet, ducis scilicet, judicis, & medici: atqui I. ut dux, seu sector, cui incumbit, ut gregem ab erroris via ad viam salutis revocet, necessum est, ut apprime cognoscat, quid in unaquaque via pœnitentium suorum, ac eorum præsertim, quos communius dirigit, subsit erroris, & mali. Atque hic tot se jam a limine offerunt scientiæ, quot in negotiatoribus usuræ, & fraudes; in Clericis simoniæ; in justitiæ Ministris Regiarum sanctionum violationes; in Principum Officiarus rapinæ; in Pastoribus, dominis, Patribus-familias negligentiæ; in omnibus simul Ecclesiæ præcepta non observandi inanes prætextus. II. quia medicus nosse debet naturam morbi, vim remediorum, quænam, & quando applicanda. Hinc peccatum, & peccati species, qui pœnitentium morbi sunt; item varia pœnitentiarum genera, quibus vel præterita diluat, vel arceat a futuris, probe comperta habere debet. III. quatenus judex necessum est, ut instructus sit scientia, gravitate, & vigore legum, quas qui ejus se tribunali sistunt, transgressi fuerint. Eæ autem leges, cum aliæ omnibus communes sint, ut divinæ, & Ecclesiasticæ; aliæ nationales, ut Regum Edicta; aliæ certæ conditionis propriæ, ut leges mercatorum, &c. quantam, bone Deus! scientiam prærequirunt.

Hinc probata manet 2. pars, quam tamen, ne videar exaggerasse, confirmare lubet auctoritate S. Caroli, quo nemo unquam res æquiori lance trutinavit. Hæc ille in Confessariorum instructionibus: *Confessarius Sacramenti Pœnitentiæ doctrinam omnem recte nosse studebit, ita ut quæ illius ratio, qui effectus, quæ partes, quæ illarum partium vis, & natura perite intelligat: quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat: peccati circumstantias sciat, quæ præsertim mutant speciem peccati, & quæ in confessione explicandæ sunt; quæ restituendi onus inducant. Censurarum rationem, & vim recte intelliget, & quibus criminibus annexa sunt. Casus reservatos in promtu habebit, ita ut recte sciat, qui jure Canonum Summo Pontifici, qui rursus Episcopo.... quique pro varietate temporum Episcopo reservati sunt. Differentiam satisfactionum pœnitentialium etiam probe noscat, & præterea Canones pœnitentiales.... memoria tenebit casus, quibus confessio sit iteranda. Cognitum etiam habere Confessarius omnis debet, ac prætereà animadvertere, antequam ad audiendas confessiones accedat, quanta sit auctoritas potestasque jurisdictionis suæ: ita ut, cum norit, & quos, & a quibus peccatis, censurisque absolvere possit; tum etiam caveat, ne facultatis suæ fines prætergrediatur.* Temere igitur, & periculose sibi blandiuntur, qui experientiam sibi scientiæ loco esse posse arbitrantur. Experientia enim facit, ut audiantur multa, non ut bene dijudicentur; cum ad id & studio, & eruditorum colloquiis, & meditatione plurima opus sit. Hinc pejor est senis experientia sua freti, quam juvenis adhuc imperiti conditio: in isto enim satis est, ut seratur, in illo evellendi vepres, & removenda tumidæ fiduciæ obstacula.

Ergo, inquies, vix ullus est in orbe Christiano Sacerdos, qui digne, & ut par est, obeat munus Confessarii; cum vix ullus sit, qui scientiam a S. Carolo requisitam possideat.

R. in primis omnes fateri, e Sacerdotibus plures esse, qui cæcis ducatum præstantes cum ipsis pereant.

R. II. non absolute requiri, ut præfata omnia memoriter actu teneantur, sed satis esse, ut teneantur virtualiter. Scit autem virtualiter, qui generalia omnium principia capite gerens, de communibus prudenter judicat; de arduis vero dubitare novit, seu quia ex iis, quæ olim legit, confuse colligit in proposito casu esse non parum difficultatis; seu quia intelligit relationem rei ignotæ cum alia sibi notiori. Hinc ad dubium vera requiritur scientia, hinc strenue imperiti, nullibi hærent, sed nodos omnes secant, vel potius nequidem animadvertunt. Porro evidens est scientiam, quæ sufficit in pago, non semper sufficere in urbe mercatoria, aulica, vel forensi, quæ casus offert admodum implicatos.

(✝) Ignorare non debet doctus Confessarius, quæ sapientissime determinavit Bened. XIV. in Constitutione contra quamdam pravam praxim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, quæ incipit: *Ad eradicandum pravum zizanii semen*, ubi inter cætera diserte prohibet, ne Confessarius complicis nomen exquirat, vel ad illud sibi revelandum Pœnitentem inducat; immo ne complicis ejusdem, nedum nomen, verum neque habitationis locum sibi designari permittat. (✝)

Quæres, an rudis Sacerdos licite, & valide absolvat.

R. I. absolvere valide, si nihil desit ex parte pœnitentis; quia scientiæ defectus jurisdictionem per se solum non excludit; licet, si quodam sit in gradu, excludere possit, inducendo irregularitatem. Quod si pœnitens Confessarium imperitum scienter eligat, peccat mortaliter, nedum absolvatur, quia malæ Sacramenti administrationi sine necessitate, ut supponimus, cooperatur.

R. II. absolvere illicite, quia exponit se periculo graviter errandi: unde reus etiam videtur, cum eos absolvit, qui absolvendi sunt, non secus ac medicus rudis, qui dum multos occidit, quosdam quasi fortuito liberat.

Excusantur tamen a peccato, qui ad excipiendas confessiones minime destinati (ut Solitarii quidam, & forte cantores, quibus vix per Officia diurna, ac nocturna licet vacare studiis), hominem absolvunt seu in articulo mortis, seu quia ob pestis periculum doctior alius opem suam recusat. Addunt aliqui id etiam habere locum, si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, & venialia, quæ quandoque angunt, confiteri assuetus.

Cæterum Sacerdos suæ sibi ignorantiæ certo conscius, ne de Prælati quidem imperio, sacrum Tribunal ingredi potest. Aliud est si a Superiore post legi-

legitimum examen approbatus, tanto muneri par judicetur: habet enim tunc fundamentum deponendi scrupuli.

CONCLUSIO III. Confessarius singulari eget prudentia.

Prob. Munia Confessarii sunt, ut a pœnitente integram confessionem solerter, & caute eliciat; ut eum proportionatis consiliis juvet; ut salutarem imponat pœnitentiam; ut neque absolutionem neget, cum impertienda est, nec tribuat, cum negari debet; ut & a pravis habitibus, & ab occasionibus peccandi retrahat; ut infantes, & senes, sanos, & infirmos, tepidos, & propriæ perfectionis studiosos, sua unumquemque via deducat; ut secreti fidem servet illibatam: atqui in his & omnibus, & singulis opus est prudentia singulari. Minor, quam nemo, nisi hostis recti sensus, inficiari ausit, confirmabitur facta partium inductione, & explicatione.

Primo itaque Confessarius agere debet, & ut integram a pœnitente confessionem eliciat, cum peccata gravia, nisi simul omnia, dimitti non possint, & ut eam eliciat caute, id est, tum sibi, tum pœnitenti consulendo; ergo ut plurimum necesse est I. ut eum deducat per varios vitæ status, quos decurrit, per varias, quibus obnoxius fuit peccandi occasiones, per singula Dei, & Ecclesiæ præcepta, per capitalia peccata, per ea item, quibus fœdari solent personæ ejusdem professionis, ac demum per circumstantias, quæ vel speciem mutant, vel intra eandem speciem notabiliter aggravant. Ubi animadverte in peccatis exterioribus detractionis præsertim, & impudicitiæ, inquirendum esse coram quot personis ea perpetrata sint: cum aliud sit hominem coram uno, aliud coram decem denigrare, &c.

II. ut quibus timet, ne vocem præcludat pudor, hos sensim adducat ad sufficientem eorum, in quibus lapsi sunt, expositionem, incipiendo a cogitationibus pravis, prosequendo a desideriis, finiendo ab exteriori opere.

III. ut caute, & sagaciter interroget, ne vel pœnitentes quædam doceat iisdem hactenus ignota; vel ipse nativam sensualitatem, ac curiositatem foveat, aut fovere judicetur.

IV. ut tamen interroget quantum satis est ad dignoscendum, an pœnitens in cogitatione morosa steterit, an non ad desiderium usque progressus sit; quod item fuerit hujus vel cogitationis, vel desiderii objectum.

V. ut judicet, an pœnitens confessiones iterare teneatur. In his porro, & innumeris aliis, quæ recensere prolixius fuerit, quanta opus est circumspectione, prudentia, attentione ad Deum, &c. Merito igitur hortabatur S. Carolus, *ut nunquam ad tantum hoc officium se se Confessarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione lucem a Domino petat, ut non solum in nullam reprehensionem, vel errorem incidat; verum aliorum sordes sic abstergere valeat, ut se ipse non polluat... habeant igitur singuli Confessarii versiculos Psalm.* 50. *ut antequam confessiones aggrediantur, legant: Cor mundum crea in me, Deus*, & quatuor sequentes.

Secundo satagendum est Confessario, ut pœnitentes idoneis consiliis juvent: ad id autem quanta opus sit sagacitate, vel hinc patet, quod vir imprudens timoratas animas, quas consolari debuerat, impleat terroribus, qui mentem perturbent; quod consuetudinarios, qui terrendi erant, utpote *dura cervice*, reficiat, & consoletur; quod scrupulosos perinde tractet, ac si effrænis essent conscientiæ; quod non moneat eos, qui moneri debent, quales sunt I. quicumque in errore culpabili versantur, & hoc etiamsi nullus ex monitione speretur fructus. II. qui errore quidem invincibili laborant, sed qui vergat in damnum, vel scandalum proximi; ac demum quod non moneat eos, qui moneri non debent saltem hic & nunc, quales sunt aliquando, qui matrimonii sui nullitatem ignorant, & ea comperta prævidentur formaliter peccaturi, vel grave innocenti proli damnum, aut proximo scandalum præbituri: unde hi sæpius non sunt monendi, nisi jam obtenta dispensatione; imo nec semper, eadem etiam obtenta, moneri debent, ut colligitur ex cap. 6. *De consang. & affinit.*

Tertio Confessarii salutares debent imponere pœnitentias, neque tales sine prudentia imponere possunt. Pœnitentia siquidem id habere debet, ut & satisfactoria sit, quæ præteritas labes diluat, & medicinalis, quæ a futuris præservet. In utraque autem quædam serio spectari debent, ut quod resarciatur damnum proximo per furta, detractiones, & similia illatum; quod non præcipiantur, quæ vergerent in præjudicium vel pœnitentis, ut quædam corporis castigationes, vel alterius, ut jejunium diuturnum, aut longæ peregrinationes respectu servi, mariti, uxoris; quod, juxta Rituale Romanum, publica *pro peccatis occultis, quamtumvis gravibus*, non imponatur pœnitentia; quod pœnitens extremum vale dicere jubeant iis occasionibus, quibus ad peccandum abreptus est; quod labores suos offerat Deo, sæpiusque ad eum in diei decursu mentaliter recurrat. In his autem omnibus quam *serio* ponderanda conditio, vires, locus, aliæque circumstantiæ.

Quarto & neganda est absolutio, cum periculose daretur, & largienda cum periculose differretur. Hic autem, si usquam, maturo rerum omnium examine indiget Confessarius; cum hinc & inde immineat periculum seu irritum faciendi Sacramentum, seu eos novo exponendi peccato, quos tueretur Sacramenti gratia. Interim absolutionis dilatio, modo ne nimia, & salutaribus stipata monitis, minus regulariter loquendo periculi habet, quam præfestina ejusdem largitio, quæ, & Confessarios plures, & pœnitentes innumeros perdit.

Iis porro differenda absolutio, qui pro virili non recedunt a proxima peccati occasione; qui segnes sunt in deponendo mali habitu; qui, & hoc in militibus caute observandum, retinent voluntatem duelli offerendi, aut acceptandi; qui sumtus superfluos, unde debitis fiunt impares, coercere nolunt; qui aliis vel amatoriis libris, vel pectoris nuditate peccandi occasionem præbent; qui pueros, & domesticos de rebus ad salutem necessariis etiam necessitate præcepti erudiri non curant, præsertim si jam moniti non acquieverint; qui ad eos, quos læserunt, reconciliandi

accedere nolunt; aut eos recipere, a quibus læsi sint; qui Confessario quædam ut usuraria gravibus de causis prohibenti fidem denegent.

Aliud esset: I. si pænitens non imperitus bona fide opinionem suam credat esse probabiliorem: alioqui cum in materia morum docti doctis quotidie adversentur, nemo unus alium absolvere posset. Et vero an non moleste ferret, si pari jure, & potestate ab alio Confessario cogeretur ab ea opinione recedere, quam rebus coram Deo sincere ponderatis judicat esse probabiliorem? Aliud esset: II. si pœnitens de re ancipiti cum viris virtute, atque eruditione præstantibus deliberaturum se pollicetur; & huic ob probitatem compertam, aut certa sinceritatis indicia fides haberi possit.

Quinto nec minor esse debet Confessarii prudentia erga eos, qui vel in habitu, vel in occasione peccandi versantur. Circa priores, præsertim si jam obfirmata sit mali consuetudo, cavere debet Confessarius: I. ne eorum assertionibus, & lacrymis fidem habeat. Jactant quidem consuetudinarii firmum quod habere se putant, non peccandi propositum, sed ei vulgo simile, quod habet nauta ingruente unda oppressus, quodque una cum ventis & tempestate evanescit. II. ne eos non probet sufficienti tempore. III. ne credat multo minori probatione opus esse tempore Jubilæi, Paschatis, Missionisve, aut secessus: quasi tempus, aut vox exterius sonans per se sola cor pridem induratum convertere nata sint. IV. ne rite conversos censeat eos, qui certo tempore lapsi non sunt, quia defuerit peccandi occasio. V. ne moveatur inconvenientibus, quæ dilationem absolutionis consequi possunt, ut quod omnibus jam ad nuptias dispositis, instet vel scandalum, si Matrimonium differatur, vel Sacramenti profanatio, si ad illud accedat quis non absolutus. An enim mediæ horæ spatio conversus censebitur, qui hactenus vixit in crimine? an fornicationes præteritas intus, & ex corde detestari censetur, qui nuptias inhiat, ut *suæ vacet libidini sicut equus, & mulus* (*Tob.* 6.)? an contritio instar fungi nascitur in corde corrupto? an profutura judicari potest absolutio, quæ non datur, nisi quia probabilissime timetur relapsus, & quæ proinde datur homini, qui supponitur non abhorrere a peccato? VI. & id etiam curare debet Confessarius, ne in longum tempus remittat eos, qui sæpius cadunt: multo quippe consultius est, ut octava quaque die ad tribunal revocentur; hac enim arte sustentantur, & ex brevi triumpho sensim assuescunt ad longiorem.

Quæres quoto tempore pœnitentes præsertim consuetudinarios probari oporteat.

R. id nulla generali regula posse definiri, sed de arbore judicandum esse ex fructibus. Rem totam solide exprimit S. Chrysostomus Homil. 14. in II. ad Cor. *Verum, inquis, satis pœnas expenderunt. Quandiu, quæso? annum unum, & alterum, ac tres. Atqui temporis moram non quæro, sed animæ emendationem: hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius mutati, & res tota confecta est.*

Hinc absolvi possunt consuetudinarii non tantum in articulo mortis, vel instante prælio, quia in extremis dubia remedia adhibere licet, sed etiam cum extraordinaria seriæ conversionis indicia præbent, ut cum usurarii quidquid lucri percepere restituunt; cum viri officio suo impares, illud etiamsi honorificum sit, & utile abdicant; cum dediti impudicitiæ, idola cordis sui generose abjiciunt: quas quidem mali privationes congruis froctibus pœnitentiæ stipari supponimus: hi porro fructus, nisi confessionem præcesserint, aliquandiu probandi erunt. Interim probationis diuturnitatem ex habitus diuturnitate metiri nolim: cum sæpe fiat, ut qui plures per annos in scelere volutati sunt, plenius, & perfectius resipiscant, quam qui quatuor solum mensibus passioni servierunt. Nullum porro peccatum est, quod plus exigat probationis, quam adhæsivum incontinentiæ crimen; unde videat Confessarius, ne qui ab eo per tres, aut circiter hebdomadas abstinuerit, putet serio emendatum. Plures vidi, qui duorum ad minus mensium probationem vellent, quique, concessa absolutione, Eucharistiam non statim concederent.

Quod de consuetudinariis, idem sentiendum de iis, qui contra datam fidem in eadem relapsi sunt peccata, nisi forte relapsi sint semel tantum ex vi occasionis, vel tentationis extraordinariæ, non quæsitæ, vel prævisæ; & relapsum secutus sit sincerus cordis dolor. Uno verbo generatim extra mortis articulum probandi sunt ii omnes, quorum dubia apparet contritio, & quos Confessarius prudenter judicare nequit firmum, efficax, & universale habere de cætero non peccandi mortaliter propositum.

De iis, qui sunt in occasione peccandi, consule Tract. de Peccat. sup. a p. 149. ad 152.

Sexto multiplici, ac varia pro statuum varietate opus est prudentia; cum, ut cæteros omittam, aliter infantes, aliter provectæ jam ætatis viros; aliter sanos, aliter qui ad interitum vergunt, &c. dirigi oporteat. Quod ad infantes attinet, ii blande excipiendi sunt, ne vel deinceps tribunal refugiant, vel celent peccatorum partem. Caute interrogandi circa quasdam ætatis hujus propensiones plane carneas; Dei potius, quam hominum judicio terrendi; non facile absolvendi, quia raro contriti.

Quod pertinet ad ægrotos, iis eo sedulo magis consulendum est, quo periculosior est eorum status. Hinc mature invisendi sunt, monendi, sed absque nimio terroris impulsu, ne differant confessionem, qua sublevata conscientia, & corpus sublevatura sit; impellendi, ut domesticis rebus prospiciant; absolvendi si jam elingues dederint contritionis signa, imo etiamsi non dederint, quia cum necdum definitum sit actus pœnitentis esse materiam Sacramenti, absolutio pro materia, & forma saltem in tanto discrimine haberi potest.

Quæres quid faciendum in casu nobis olim proposito. Petrus Viaticum defert ad Joannem, qui, ut exoneret se a quibusdam culpis, quæ ab ultima confessione apud alium peracta redierant in memoriam, precatur, ut se Petrus audire velit. Annuit is, & ex brevi Joannis confessione agnoscit iterandas esse ab eo confessiones omnes, quas ab annis ut minus quadraginta emisit. Quid, inquam, juris in hoc casu, ubi

vel

vel Eucharistia conferenda est indigno, vel non sine gravi eorum, qui comitati sunt, aut in domo versantur, scandalo deneganda.

R. difficultatem hanc ea morbi violentia, & statu dijudicandam esse: si enim eo usque morbus urgeat, ut periculum sit in mora, debet Confessarius, postquam audierit graviora quædam ægrotantis peccata, eumque ad contritionem, & fiduciam adhortatus fuerit, & absolutionem largiri, & Viaticum administrare. Sin autem satis ægrotanti superest virium, ut per unam, aut alteram diem differre queat receptionem Sacramenti, efficiendum est, ut declaret se in præsenti mentem non habere liberam satis, & tranquillam, ut Eucharistia fructuose refici possit; eadem porro ad templum reportata, præsto aderit Sacerdos, & plenam, quantum ferent ægri vires, exomologesim elicere conabitur: hac arte & Sacramento, & ægri famæ consuletur. Quod si forte æger, ad extremos usque halitus hypocrita, actu Viaticum petat, non poterit denegari; ipse sibi imputet.

De prudentia prout sigillum confessionis spectat, dicam ubi de Pœnitentia.

CONCLUSIO IV. Probitas Confessario cuilibet est summe necessaria.

Prob. Nomine probitatis eam hic intelligimus virtutum complexionem, cujus ope Sacerdos, præciso humano quocumque sui ipsius intuitu, pœnitentis salutem digne, ac sancte intendit: atqui probitas, eo etiam latiori sensu intellecta, necessaria est omnibus Confessariis.

I. quidem indigent omnes ea probitatis specie, quæ proprii commodi humanum quemcumque intuitum excludat. Alioqui enim ambient divitum mensas, item dona, & munera, quæ *excæcant oculos sapientum*, & ministerii libertatem minuunt, si non auferunt prorsus; legata extorquebunt a moribundis, eaque contra Regias sanctiones invalide recipient; feminis, quæ ut in ipsas homo, sic naturaliter in hominem propendent, eo periculose magis, quod sub pietatis prætextu, adhærebunt; unde non secus ac de fonte venenoso scaturiunt innumera mala; jactura scilicet temporis; visitationes superfluæ; teneriora in utroque morbi, & valetudinis statu obsequia; timor, ne ea ovili nostro in alienum transmigret ovis impensius dilecta: Confessio pene sine verecundiæ, & doloris sensu, quia, peracta apud amicum, cui sua quæcumque aperire dulce est. Accedunt quandoque murmura domus, atque etiam totius Parochiæ, despectus, & suspiciones perditorum hominum, proborum scandala, &c.

Quæres quid faciendum a Confessario pio, qui pœnitentem aliquam sibi humano quodam, nec moderato satis affectu inhærere sentit.

R. eam breviter, & asperius solito tractandam esse. Breviter, ne vel foveantur inanes scrupuli, qui alii ea aliis pullulant, vel longioris colloquii mora sit libidinis incentivum. Paulo asperius, ut sentiat se non aliter Confessario placituram, quam si Deo placere conetur. Quod si hæc non succedant, & periculum sit, ne malum augeatur in dies, multo satius, imo quandoque necessarium erit vincula adhuc lignea dirumpere, ne, si ferrea evadant, frangi jam non possint. Et hæc durior in speciem agendi ratio cum iis etiam servanda est personis, quæ licet solida eniteant virtute, existimare videntur se non alio, quam hujus Confessarii auxilio ad cœlum evehi posse.

II. Indigent Confessarii ea specie probitatis, quæ teneram charitatem, ac zelum salutis animarum importat. Est enim Confessarius pastor pœnitentium, eosque inter, & Deum mediator: atqui ad utrumque hoc munus requiritur & tenera charitas, & ingens salutis animarum zelus. Pastor enim, & mediator solliciti esse debent, ut ovem errantem quærant, ad ovile reducant, & supremo Pastori per preces suas, & gemitus reconcilient. Hæc porro, & similia num præstabit homo charitatis expers? an erit de aliena reconciliatione sollicitus, qui non est de sua?

III. & ea indigent probitate, quæ facit, ut Sacramenta digne administrentur, quæque consequenter peccati letalis statum excludit. *Necesse est enim, ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat ..... scriptum namque est* Isaiæ 52.: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (1. q. 1. c. 93.). Et vero Confessarius judicis munus exequitur: porro *judicans alium, qui ipse judicandus est, condemnat se ipsum.* Ita ex Augustino S. Antoninus 3. part. tit. 17.

Hinc colliges I. mortalis sacrilegii reum esse Sacerdotem, qui in habitu peccati confessiones excipit; imo tot admittere peccata, quot audit confessiones, sicut plures incurrit censuras, qui plures percutit Clericos. Unde necesse est, ut, quantum potest fieri, aperiat Confessario, quot audierit pœnitentes. Nec satis esse videtur, ut dicat se obvios quoscumque audisse, cum ea declarationis species nihil exprimat clari, nisi forte Confessarius inde rem totam percipiat. Censent tamen viri graves necessum non esse, ut Confessarius exprimat speciem peccati, in cujus habitu versabatur, nisi forte malus ille Sacerdos gravissimo aliquo crimine detentus esset, quale, quidquid alii sentiant, fornicationis peccatum esse arbitrarer.

Sed erit ne reus malus Sacerdos, qui in casu necessitatis quempiam absolvit?

R. affirmative: etsi enim secundum doctrinam S. Thomæ Laicus, vel Sacerdos, qui in necessitate baptismum conferunt, non peccant, eo quod ne Sacerdos quidem in hoc casu *exhibeat se Ministrum Ecclesiæ*, cum non agat vi consecrationis in ordinatione receptæ, *sed subveniat necessitatem patienti*; quia tamen Sacerdos, etiam alias non approbatus, ex officio agit, cum excipit moribundi confessionem, non excusatur ob urgentem casum, cum in uno instanti contritionis actum elicere possit. Si tamen eo usque urgenti, & repentina necessitate moveretur, ut statim in absolutionis verba erumperet, non videtur peccati reus.

Colliges II. quod Sacerdos Pœnitentiam, aut aliud Sacramentum ministraturus *sollicite, & intime recogitare debet, an alicujus peccati mortalis* (*quod sanctissima cautione vitare debet*) *sibi conscius sit. Quod si reum se esse novit, prius Sacramentali confessione se expiare studebit. Contritionem certe habere quam diligentissime curet.*

Ita S. Carolus in Instructionib. pro administrandis Saeramentis. Concinit Rituale Pauli V. tit. 1. *Sacerdos*, ait, *si fuerit mortalis peccati sibi conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat. Sed si habeat copiam Confessarii, & temporis, locique ratio ferat, convenit confiteri*: quibus ex verbis communiter inferunt Theologi, *convenire* quidem, haud tamen necessum esse, ut Sacerdos Saeramenta ministraturus actu deponat peccata, quod & confirmant, quia nec Tridentinum, nec ulla alia Ecelesiæ lex requirit Confessionem nisi ante susceptionem Eucharistiæ.

Quoniam tamen rara est contritio, quæ extra Sacramentum justificet, salubriter sibi consulit, qui, cum facile potest, recurrit ad Confessarium. Imo id non pauci cum Synodis Atrebatensi, Cameracensi, & Iprensi, Adriano item &c. plane necessarium judicant: I. quia militat in præsenti ratio, quæ Tridentinos Patres movit ad sanciendum sess. 13. c. 7. ut *nullus* omnino *sibi conscius peccati mortalis, quantumcumque sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam*, vel Missæ celebrationem *accedere debeat*. II. quia nunquam licet exponere se probabili peccandi periculo: atqui huic se periculo exponit, qui hic & nunc peccata confiteri valens eadem non confitetur. Qui enim ad Sacramentum Pœnitentiæ recurrere negligit, seque solo contritionis actu contentum habet, dubio utitur remedio, cum certo, vel saltem multo certiori uti potest. Nemo enim per contritionem justificari potest, nisi perfectam; hæc autem adeo est ardua, & incerta, ut pauci admodum illam habeant, prout docet Catechismus Romanus 2. p. c. 5. n. 31.

Ob hæc momenta secundam opinionem sequerer in praxi, eique omnes adhærere precor. Interim si ex duobus Confessariis, quos æque pungit conscientia, alter alterius confessionem excipere teneatur, quia desunt alii; non est pueriliter decertandum, uter alterum prior audiat; etsi eum, qui pie magis vivit ante audire deceat, quam audiri.

Quæres quandonam Confessarius pœnitentem adigere debeat ad iterandas confessiones.

R. Quoties prudenter de earum validitate dubitat. Hinc exigendæ novæ Confessiones I. ab iis, qui de proposito peccatum aliquod celavere, nisi quod rarum est, celaverint ad consulendum vitæ suæ, &c. II. ab iis, qui idonei examinis defectu, quem non supplevesit charitas Confessarii, vel peccata quædam, vel eorum numerum, vel circumstantias, quæ exprimendæ erant, suppresserunt. III. & ab iis, qui aliquid grave reticuerunt ex ignorantia mortaliter culpabili. IV. & ab iis etiam, qui confessi sunt, quo tempore Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis, & Dei Remuneratoris Mysteria ignorabant etiam invincibiliter, quia horum explicita fides necessaria est necessitate medii ad justificationem; prout dicam ubi de Fide. Idem dic si quis contritionis necessitatem ignorasset. V. ab iis quoque, qui debito dolore caruerunt, quales reputari debent, qui paulo post ad vomitum reversi sunt; nisi forte, ut supra dictum est, extraordinaria tentatione, & occasione supti celserint, casumque suum paolo post ubertim doluerint.

Porro in casibus modo recensitis, si confessio invalida apud alium Confessarium iteretur, omnia mortalia secundum numerum, speciem & circumstantias necessarias repetenda erunt. Si vero res apud eundem agatur Confessarium, satis erit generaliter dixisse: *Accuso me de peccatis omnibus, quæ tibi invalide confessus sum: insuper de tali, quod de industria, vel gravi negligentia omiseram; ac denum de sacrilegio in illa confessione commisso.* Limitat hoc ultimum Ethica amoris n. 2380 si Confessarius adhuc memor sit peccatorum confessorum, memor, inquam, generali modo, de quo infra.

Quæres II. an semper subsequas confessiones iterare teneatur, qui prævias iterare debet.

R. negat. ignoravit quis, v. g. Mysterium aliquod necessarium necessitate medii, & confessus eo tempore absolutionem recepit invalidam; post aliquot annos de eodem Mysterio instructus pluries peccata deposuit, nec tamen confessiones ante factas iteravit, quia nesciebat iterandas: comperit tandem invalidas fuisse prævias instructioni suæ confessiones, satis est, ut eas repetat; quia validæ fuerunt confessiones subsecutæ, & peccata præcedentia indirecte deleverunt; eadem tamen peccata clavibus subjici debent, quia sic a Deo constitutum est.

Idem contingere potest iis, qui ad Deum serio conversi, post aliquot a conversione annos detegunt ex librorum quorumdam lectione se pluries invalide fuisse absolutos; aut qui recordantur se olim aliquod celasse peccatum, quod tempore conversionis non expressere, quia ejusdem obliti, modo oblivio hæc non fuerit culpabilis saltem graviter. His ergo satis est, ut confessiones, quæ conversionem præcessere, repetant. Eadem de causa qui reticuit etiam ex verecundia peccatum aliquod, quod pro levi habebat, cum esset grave, ad hujus confessionem, non ad iterationem totius confessionis adigi debet, si inculpate erraverit circa naturam peccati hujus, quod & eruditis contingere potest. Inculpate autem errasse censebitur, qui sic affectus erat, ut maluisset mori, quam grave peccatum culpabiliter reticere.

Quæres III. an ad totam confessionem teneatur, qui certas tantum suppressit circumstantias, v. g. circumstantiam scandali.

R. Si id factum sit sine culpa mortali Pœnitentis, qui ea de re nec instructus fuerit, nec interrogatus a Confessario, quod sæpius contingere compertum est, satis esse, ut caute suppleatur quod minus caute omissum est. Idem dicendum, si quis peccatorum numerum non bene expresserit. Si tamen, ait Rituale Parisiense pag. 89. Pœnitenti *occurrat* peccatorum numerus, *qui probabiliter judicetur ad verum accedere, is etiam sufficiet, ac licet peracta confessione recordaretur pœnitens veri, ac certi numeri, non debebit esse anxius de illo iterum in alia confessione aperiendo, sed liber erit ab illa obligatione per illum numerum probabilem ante expressum*; quia scilicet ea eo satis intellexerit Confessarius statum Pœnitentis.

Quæres IV. an iteranda sit Confessio facta ei, qui jurisdictionem non habebat.

R.

R. Vel Confessarius omni carebat jurisdictione, & tunc iteranda est confessio eidem facta, non autem subsequæ propter allatas supra rationes: vel Confessarius aliquam, sed non omnimodam habebat jurisdictionem, puta quia pro reservatis approbatus non erat, & Pœnitens bona, ut supponimus, fide quædam reservata confessus est, quædam minime reservata; & tunc divisi sunt Theologi. Plures tamen absolutionem tunc datam valere putant directe quoad non reservata, indirecte vero quoad reservata: unde sequitur confessionem quoad minime reservata iterandam non esse, sed solum quoad reservata, non ut dimittantur, cum jam dimissa sint, sed ut satisfiat reservationis scopo. Ita sentit Lugo disp. 16. n. 598. Nauarrus in Summa cap. 9. n. 6. ubi omnes de hoc convenire dicit, Sylvester, Tabiena, Fumus in Armilla, & alii, quos citat nec improbat Cabassutius Lib. 3. cap. 11. n. 6. in fine.

Ex prima responsionis nostræ parte sequitur invalide absolutum iri, qui non nisi reservata Sacerdoti pro reservatis non approbato peccata subjiceret: quia nihil subjiceret, in quod jurisdictionem directam haberet Sacerdos. Verum de his adeundi Theologi ubi de pœnitentia, qui omnes extricant se ut possunt.

Quæres V. an iteranda confessio cum pœnitens impositæ pœnitentiæ defuit; aut hæc ei excidit e memoria.

R. ad 1. Si pœnitens, quo tempore absolutionis beneficio donatus est, intenderit non implere pœnitentiam, confessio invalida fuit, & iterari debet. Si vero serio intenderit exequi pœnitentiam, cui deinceps voluntate in malum versa defuerit, expendendum est; quo tempore malæ huic voluntati cesserit. Si brevi post absolutionem tempore, dubia admodum est ejus conversionis sinceritas; quia sincere conversus remedia a Confessario præscripta non negligit saltem in continenti; (nisi forte extraordinaria quædam supervenissent, ut iter festinum.) Si vero non nisi post tempus satis longum, duos v. g. aut circiter menses, aliter dicendum erit; quia absolutio impeccabilem non facit, nec impedit, quin firmiora proposita tandem evanescant.

R. ad 2. docet Henno Tom. 8. pœnitentem hoc in casu satisfacere debere, prout sibi prudenter omnibus attentis visum fuerit. Sed male, quia satisfactio, de qua nunc loquimur, & virtute clavium imponi, & Sacramenti completiva esse debet: neutrum autem ei competit pœnitentiæ, quam sibi pro libito imponit pœnitens; & idcirco fatentur omnes, eum non posse in aliquid etiam melius impositam sibi pœnitentiam commutare.

Quæres VI. an qui suam sibi vult pœnitentiam commutari, confessionem iterare debeat.

R. I. pœnitentiam si salutaris sit, & conveniens non posse in aliam, quæ etiam conveniat, & salutaris sit, sive ab eodem Confessario, sive ab alio mutari; tum quia nulla est illius mutandæ causa; tum quia Deus alligando in cœlis, quæ alligata sunt in terra, sanxit, ut quæ præcepit Confessarius, clave non errante, observentur a pœnitentibus. Itaque tunc solum pœnitentiæ mutationem exigere potest pœnitens, cum hæc ob supervenientes circumstantias sit animæ, vel corpori moraliter periculosa, aut acerbior est, quam par sit; ut jejunium in pane, & aqua pro verbo otioso, aut sine infamia impleri non potest, aut demum, ait Pontas, alia speratur *utilior futura*, qualis, ut præsumatur, videtur sufficere, ut cum multo majori animæ gaudio implenda sit, modo tamen semper sit delicto proportionata.

R. II. Vel pœnitentia ab eodem, qui eam imposuit, Confessario mutari debet, vel ab alio. Si ab eodem, necesse quidem est, ut hæc mutatio fiat in alia confessione, quia agitur de usu clavium, qui non nisi in tribunali exercetur; at non opus est nova eorumdem peccatorum confessione, si Sacerdos adhuc memoria quadam confusa, qualem pene necessario habent, qui multas excipiunt confessiones, recordetur statum pœnitentis. Addit Simonnet Tom. 9. nec nova opus esse absolutione, *saltem si hæc commutatio fiat non diu post priorem confessionem, & absolutionem*. Mihi quidem, si pœnitens alia habeat peccata, quæ deponat, satius videtur, ut nova donetur absolutione, quæ & in peccata hæc cadat, & in ea, quibus imposita erat satisfactio, de cujus commutatione agitur. Unde novo circa antiquiora hæc peccata contritionis actu opus erit.

Sed si pœnitentia ab alio Confessario mutanda sit, necessum est, ut nova fiat ei confessio peccatorum, pro quibus imposita fuit hæc pœnitentia. Ratio est I. quia pœnitentia sacramentalis debet imponi per modum judicii: porro judicium hoc prærequirit accusationem pœnitentis, quæ in ipsa confessione sita est. II. quia pœnitentia imponi debet, quæ conveniens sit, & salutaris: ad hoc autem necesse est, ut causa, quantum satis est, cognoscatur; quod non nisi per confessionem fieri potest.

Dixi, *quantum satis est*, quia, ait Habert, non requiritur, ut iteretur confessio integra, & *singula peccata quoad speciem, & numerum exponantur, sed satis est si summatim declarentur graviora peccata, & peccandi consuetudo, propter quæ verisimilius gravior hæc pœnitentia injuncta est*. Atque hæc decisio, quæ mitior videri possit, hinc confirmari potest, quod qui multas tota hebdomade confessiones audiunt, & generalem in uniuscujusque fine pœnitentiam imponunt, non nisi summatim cujusque pœnitentis statum sibi revocent. Unde si ex statu, & testimonio pœnitentis intelligat secundus Confessarius parem pius, vel minus fuisse statum pœnitentis, cum ei a priori Confessario injuncta fuit pœnitentia, quam sibi commutari optat, non alia opus est confessione.

Duo hic exurgunt dubia: I. an possit inferior mutare pœnitentiam a Superiore pro reservatis impositam. II. an pœnitens, qui eamdem apud alium iterat confessionem, eo ipso sit a priori pœnitentia immunis, quo novam recepit a secundo Confessario.

R. ad 1. negat. I. quia inferior qua talis non potest moderari legem impositam a Superiore qua tali: porro pœnitentia pro reservatis imposita est a Superiore qua tali; ergo mutari nequit ab inferiore, nisi is quoad hoc fiat æqualis Superiori per acceptam ab eo potestatem. II. quia secundus Sacerdos non potest

mutare priorem pœnitentiam, nisi quatenus potest novam proferre scientiam, perinde ac si esset prima: sed qui pro reservatis approbatus non fuit, non potest oblatam sibi causam judicare velle, perinde ac si esset hæc prima ejusdem causæ cognitio, & sententia; ergo.

R. ad 2. negat. sententia enim legitime lata subsistit, donec revocetur; ergo necessaria est ex parte Confessarii, sive is idem sit, sive alius, intentio eam revocandi, ac proinde de revocatione hac seu partiali, seu totali pœnitentem a Confessario moneri oportet. *Cæterum*, ait P. Antoine, *ne prius Sacramentum sua integritate privetur, relinquendum est aliquid ex priore pœnitentia præstandum*. Addit Lugo fieri posse, ut secundus Confessarius non possit sine gravi peccato Pœnitentiam a primo impositam mutare, si nimirum hæc adeo præservativa sit, ut eam pœnitens, seclusto etiam Confessarii præcepto, sibimet imponere teneatur: secus si pœnitentia præservativa possit mutari in aliam æquivalentem quoad effectum, & quæ eo sensu utilior futura sit, quod fidelius, & sanctius implenda.

## CAPUT SECUNDUM.

*De obligationibus Religiosorum.*

MAteriæ hujus cognitio non iis tantum, qui Religionem amplexi sunt, sed & sæcularibus etiam Presbyteris necessaria est, cum seu in itineribus, seu in stationum decursu confessiones Religiosorum excipere teneantur. Hæc tamen quam brevissime fieri poterit expediemus, omissis etiam iis, quæ ad Novitios spectant, & quæ a fusiori nostra Theologia repeti poterunt.

Status Religiosus est stabile vitæ institutum approbatum ab Ecclesia, & tendens ad perfectionem jugiter acquirendam per solemnia vota, castitatis præsertim, paupertatis, & obedientiæ.

Dicitur I. *institutum stabile*: licet enim Religiosi aliquando a Superioribus dimitti possint, ipsi tamen jugum excutere non possunt.

Dicitur II. *approbatum ab Ecclesia*, seu, ut hic intelligitur, ab Apostolica sede; quia sanxit, & merito Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X., ut nulla jam exurgeret Religio, nisi approbante Papa.

Dicitur III. *tendens ad perfectionem*, unde status is vocatur a S. Thoma Scholare, seu Schola perfectionis adipiscendæ; quo titulo distinguitur ab Episcopatu, qui status est perfectionis alias impertiendæ, & ideo jam acquisitæ. Ne tamen hinc inferas eum, qui Religionis ingressum vovit, voto satisfacere acceptando Episcopatum; quia Episcopatui licet perfectiori multa inhæreant pericula, quæ humilis Religio facile devitat.

Dicitur IV. *per solemnia vota castitatis, &c.* per quæ nimirum non modo præceptis, sed potioribus Evangelii consiliis homo se sponte devovet: & tria hæc Christi sequitur: *Vade, & vende omnia, quæ habes*, Matth. 19. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. 16. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*, Matth. 19. Cæterum vox *solemnis*, si de solemnitate substantiali intelligatur, moraliter accipienda est. Prima enim Jesuitarum vota & simplicia sunt, & eosdem *vere, & proprie Religiosos* constituunt, ita ut *si a Societate deficiant, excommunicationis, & aliis Apostatarum pœnis sint subjecti*; prout statuit Gregorius XIII. per Bullam, *Ascendente Domino* an. 1584. Porro tribus prædictis votis alia junguntur speciali Monasteriorum lege, ut votum vitæ quadragesimalis in Religione S. Francisci de Paula.

Hinc colliges I. graviter adversus substantialem statum sui perfectionem delinquere Religiosum, qui ad perfectionem tendere negligit; & Ordinis sui regulas quasi frivolas, & inutiles abjicit, & dedignatur. Hæc sententia, ait Navarrus, multis est formidanda Religiosis, qui nec actu, nec virtute proficiendi animum habentes, non curant abundantiorem, quam sæcularium bonæ frugis Clericorum, justitiam assequi. Et hoc in primis ponderare debent, qui de amplectenda Religione cogitant, ne forte cum aliis dicant aliquando saltem in praxi: *Sufficit nobis, nolumus esse meliores, quam Patres nostri*. Hos utique S. Bernardus fulminea hac voce obrueret (*Epist.*254.): *O Monache, non vis proficere? Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo, & manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio: hoc ergo vis, quod fieri non potest.*

Colliges II. eos, quibus Candidatos admittere licitum est, graviter peccare seu eos, qui digni sunt, excludendo, seu eos passim, & temere admittendo, quos constat in amplexu crucis, non ipsam crucem quærere, sed id moliri solum, ut vel inopiæ, vel paternæ vexationi se subducant, vel inconsulti, & labilis fervoris impetum sequantur. Merito igitur Nicolaus III. cap. *Exiit, de verb. signif.* in 6. eos solum admitti jubet, *qui suffragantibus eis litteratura, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint utiles esse Ordini, sibique per vitæ meritum, a ilisque proficere per exemplum.* His obiter præmissis, videndum. I. ad quid teneantur Religiosi ratione votorum. II. quid debeant Ecclesiæ, & Episcopis.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Ad quid teneantur Religiosi ratione Professionis.*

REligiosi quadruplex contrahunt onus, stabilitatis nempe, paupertatis, castitatis, & obedientiæ, de quibus sigillatim dicendum.

### SECTIO PRIMA.

*De Stabilitate.*

PRæcipua Religiosi obligatio est immota in Religione, quam professus est, stabilitas. Unde graviter peccat. I. qui sciens se validam professionem emisisse, aut primo invalidam scienter renovasse, aut du-

dubium esse validene, an non, professus sit, reclamat, quasi nulliter, & invalide professus. II. qui temere a Religione ad Religionem transit.

Quod ad primum attinet, si *Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa; aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superioris, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario*. Trid. Sess. 25. cap. 19. *De Regular.* Circa hoc decretum quædam animadvertenda.

I. Quinquennium, intra quod reclamare licet, non computatur in multis Galliæ Diœcesibus *a die professionis*, sed a die, quo vis, metus, errorve juris, aut facti desiere: unde in iisdem Diœcesibus, qui ex vi, vel metu professus est, non indiget per idem quinquennium Pontificio Brevi, quo in integrum restituatur. Imo certa sunt impedimenta, contra quæ semper reclamari potest, ut si vir invita uxore professus sit. In locis, ubi invaluit usus, ut reclamandi licentia ab Apostolica sede obtineatur, rescriptum vel a Papa, vel a Legato, vel a Congregatione seu Concilii, seu Regularium obtineri potest.

II. Superior, & Ordinarius, coram quibus causa hujusmodi reclamationis disceptanda sit, sunt & localis Superior Monasterii, in quo emissa fuit Professio, & Ordinarius ejusdem Diœcesis. Ita declaravit S. Congregatio die 1. Decemb. an. 1593. Ratio fuit, quia *probationes, & oppositiones ex eodem loco, in quo professum fuit, facilius innotescunt*. Cæterum nihil proficitur, nisi reclamatio fiat simul coram Superiore, & Ordinario: Ordinarii autem nomine, quo usa est Synodus Trid., veniunt etiam Prælati, qui licet Episcopi non sint, jurisdictione fruuntur quasi Episcopali.

III. Qui reclamat, in primis cavere debet, ne habitum motu proprio dimittat; alias enim, ait Tridentinum ibid., *ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur*. Si quis tamen post fugam duxisset uxorem, staret matrimonium, posito quod invalida esset Professio a parte rei, puta ex defectu consensus interioris (de quo tamen ne juranti quidem fides habenda, ut qui omne, sicut tempore professionis decipere possit); tunc vero damnum omne, quod ex ficta professione subiit religio, resarciri debet. Qui habitum justa de causa dimisit, reclamare potest: idem dic si resumto, quem temere exuerat, habitu ad Monasterium redeat.

An autem qui reclamare non potest, puta quia invaliditatem probare nequit, teneatur ad ratificandam professionem, controvertitur. Iis adhæreo, qui inficii volunt, unde orta fit professionis nullitas. Si ab ipso professo, qui ficte consenserit, eam ratificari oportet, sicut a pari dicitur in matrimonio: hic enim intercessit gravis contra innocentem injuria; quæ non nisi vero consensu resarciri potest. Si vero ex vi, metu, aut ex simili quopiam nata sit prædicta invaliditas, non credo necessum esse, ut rata habeatur Professio; quia non est cur id oneris & immerito, & nolenti imponatur.

IV. Reclamatio nec per sola verba, nec per testes solos, qui corrumpi facile possent, sed per instrumentum publicum fieri debet.

V. Reclamare potest, qui professionem suam valuisse ratus, eamdem pluries renovavit; quia renovatio errori innixa non magis valere potest, quam valuerit in prima origine: excipe nisi quis hanc eo expresse animo ratificet, ut si aliquo ex capite sibi ignoto nulla fuerit, ratam facere intendat.

Quod spectat ad transitum ab una Religione in aliam, is quidem generatim suaderi nequit, tum quia *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*. I. Corint. 27. *Tum quia*, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 8. *ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit*; tum denique quia vix ulla est Religio, quæ viros moribus conspicuos non nutriat, vix ulla, cui vir sanctus verbis, & exemplo proficere non possit.

Quia tamen teste eodem S. Thoma *potest* nonnunquam *aliquis laudabiliter de una Religione transire ad aliam*, quod & convincit totius Ecclesiæ praxis, non abs re erit hic paulisper immorari.

Religio ad aliam comparata vel strictior est, vel laxior, vel æqualis. Ad strictiorem transiri posse, positis ponendis, una est omnium vox; sed quæ debeat strictior judicari, non una est omnium opinio. Nobis ea videtur strictior, quæ, inspecto fine, & mediis ad finem, nobilior est, atque perfectior, non autem, quæ præcise austerior est. I. quia honos Dei, & major nostri perfectio spiritualis sunt causæ, cur ab una Religione ad aliam transmigrare liceat: atqui austeritas præcise sumta, nec plus Deo honoris: nec plus homini spiritualis perfectionis tribueret; ergo non eo precise arctior est Religio, quo asperior ob corporis cruciatum, sed quo ex fine proximo, & mediis eidem congruis perfectior; ac proinde major hæc perfectio est ratio ab una ad aliam transeundi. II. quia a perfectiori Religione, sed minus austera transire ad austeram magis, & minus perfectam, esset descendere, & votum commutare in aliquid minus; quod non licet.

Sed quæ tandem Religio inspecto fine, & mediis ad finem censeri debet perfectior?

R. talem censeri, quæ vitam ex activa, & contemplativa mixtam agit præstantiori modo, seu quæ cum prædicatione verbi, doctrina, & animarum zelo vitæ austeritatem majorem in vigiliis, macerationibus, vestitu pauperiore, carnium abstinentia conjungit. Ratio est, quia vita hæc ad eam propius accedit, quam professi sunt Christi præcursor, Christus ipse, ac præceptore Christo ejusdem Apostoli, quibus vetitum fuit, ne portarent *sacculum, peram*, aut *calceamentum*; & qui *in jejuniis multis, in vigilis, in fame, & siti, in frigore, & nuditate* dies suos transigendo quotidie moriebantur, seque impendebant, & superimpendebant.

Hic notandum non raro fieri, ut Religio ex primæva conditione severior tam collapsa sit, ut & illicitum sit ad eam transire; & ab ea ad mitiorem, quæ secundum se totam observatur, liceat avolare.

Ut

Ut explicentur quædam difficultates,

Quæres I. quæ requirantur, ut quis ab Ordine mitiori ad strictiorem transeat.

R. præcipue requiri: I. ut non id fiat ex levitate, ex acceptæ offensionis sensu, similibusve motivis, sed ex sincero perfectioris vitæ desiderio; & hoc quidem præsumi debet, nisi adsint legitimæ dubii rationes: in dubio autem, puta si quis accepta offensa, vel graviter correptus minatus fuerit se recessurum a domo, consulendus est Superior Superioris, apud quem degit, qui cogitat de discessu.

II. ne talis transitus cedat in gravamen, jacturam, infamiam, aut dedecus religionis desertæ, quia communis totius Ordinis utilitas privatæ utilitati præfertur. Ex quo inferunt aliqui non licere Doctori, hominive in arte aliqua admodum perito, viro item notabili alium a suo statum amplecti. Hæc tamen cum grano salis videntur intelligenda; alioqui vir summi meriti vel ad perfectiora vocari non posset, vel vocanti Deo non posset obsequi; quin & redarguendus veniret S. Ant. de Padua, qui e Canonico Regulari Seraphicam Religionem amplexus est, non obstantibus fratrum suorum querelis. Neque vero injuriam facit, qui jure suo utitur; nec desinit sancta esse Religio, quæ deseritur, sed solum haberi pro minus perfecta: quod omnibus satis notum esse solet. Interim quia de jure alterius agitur, non est temere procedendum.

III. ut petatur Superioris licentia, quam, si nulla subsit resistendi causa, sine peccato mortali denegare nequit; imo quam tunc *sine difficultate, & pravitate qualibet debet indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum*. Quod si rebus, ut decet, pensatis, aut pensandis, pergat refragari Superior, nullamque repulsæ suæ rationem exhibeat nisi frivolam, *libere potest* Religiosus *sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati*, cap. *Licet De Regul.* Interim Superior licentiam hanc negare tenetur, donec, ait Fagnan., sibi *constet secundam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit*: & is, nisi recta eo se transferat, sed, quo placuerit, vagetur, fugitivus habebitur, & Apostata, ut qui nullius obedientiæ subsit; ita definiit S. Congregatio.

Quæres II. a quo, & qua de causa permitti possit Religioso, ut ad Ordinem vel æqualem, vel laxiorem transeat.

R. ad I. id, quoad Instituta laxioris disciplinæ, a solo Papa posse concedi. Potest tamen Societas Jesu ex singulari privilegio permittere Professis suis transitum ad quamcumque Religionem.

Quoad instituta æqualia, docent Regulares Prælatos suos ad ea transeundi licentiam suis justa de causa largiri posse: nituntur sane & usu, & specialibus privilegiis, quibus non derogat Tridentinum Sess. 25. c. 19. de Reg.

R. ad 2. varias ab iis, quos res ista propius tangit, afferri legitimi ad laxiora transitus causas.

Prima est si major inde speretur spiritualis profectus, quia qui ad onera laxioris Ordinis idoneus est, ad ferenda rigidioris ineptus sit. II. si ex pravo habitu, aut innata indole gravem in exequenda Regula strictiori difficultatem sentiat: hi enim affecti raro suas, ut par est, regulas observant. III. si in Ordine strictiori male, & inique tractatur, sicque murmuri, impatientiæ, & lædendæ charitatis periculo exponitur. IV. si ob delictum, cujus jam pœnas subierit, & emendationem procuret, odio habeatur, & despectui. V. si ob culpam in Ordine suo infamatus, continuis ibidem pudore, & tristitia afficiatur. VI. si parenti graviter egenti subvenire possit in laxiori Ordine, non in strictiori. VII. si minima valetudine laborans, impar sit austeritatibus rigidioris Regulæ, in qua proinde onerosus sit, qui in alia prodesse potest. Item si prava aeris intemperie vexatus in Monasterio, salubriorem alibi auram spirare nequeat. Ita passim Regulares, qui merito annotant minus requiri, ut ad æqualem, quam ut ad laxiorem vivendi formam transeatur.

Censet Ducasse ex his causis nullam esse, quæ ad laxiora indubie sufficiat, præter eam, quæ e virium defectu repetitur; unde hic omnia ab Officialibus æqua lance ponderanda erunt.

Quod spectat ad Religiosos, quorum parentes necessitate premuntur, non ægre admiserim totam ea de re Sylvii doctrinam: hæc ille 2. 2. q. 101. a. 1. „ Si parentum necessitas esset tam urgens, ut „ proxime accederet ad extremam, neque ullo mo„ do foret verisimile, quod aliter posset eis succurri, „ quam per egressum filii Religiosi e Monasterio; veluti „ si proborum virorum judicio satis certum apparet, „ quod alioquin sint fame morituri, videtur, quod „ tunc petita, quamvis non obtenta licentia, posset „ tantisper egredi, dum ejusmodi necessitas transie„ rit: quia eadem pene est ratio talis necessitatis, „ quæ extremæ: in extrema vero parentum neces„ sitate id esse licitum, imo filium Religiosum ad „ hoc esse obligatum, multorum est valde probabi„ lis sententia; propterea quod præceptum de hono„ randis parentibus, cum sit affirmativum, maxime „ obligat in casu extremæ necessitatis, & cum ad „ primaria juris naturæ præcepta pertineat, nun„ quam desinit obligare, saltem pro casibus tam evi„ dentibus, unde & docetur esse indispensabile 1. 2. „ q. 100. a. 4. Confirmatur; per votum Religionis „ nemo eximitur legibus naturæ, vel Dei præceptis; „ ergo debet eis satisfacere etiam post professionem. „ Neque vero, si petita, sed non obtenta licentia „ egrediatur *in hoc casu* Religiosus, aut Deo, aut „ Prælato erit injurius; quia non aliter servitium „ suum eis promisit, quam salva lege naturæ, nec „ Deus aliter acceptavit.

Quod urget Pontas non defuisse Religiosos, qui hoc pretextu e claustro egressi scandalum dederint, & transacta suorum necessitate longiorem in sæculo moram traxerint, incommodum est, non argumentum; neque licitum, & sanctum esse desinit id, quo quidam abutuntur. Interim & Religiosus exire nequit, nisi antea & apud Superiores & apud amicos egerit, ut parentibus suis succurratur.

Re-

(+) Circa reclamationem adversus professionem Religiosam plura statuit Bened. XIV. Constit. 47. Tomi II., quæ incipit: *Si datam*. 1. inter cetera, ait, quod reclamatio adversus professionem factam per vim, & metum, aut ante debitam ætatem, fiat intra quinquennium tantum a die professionis coram Superiore suo, & Ordinario juxta Decretum Concil. Trid. 2. quod actio serio intentata intra quinquennium, licet deserta, adhuc post elapsum dictum quinquennium, judicanda sit ab Ordinario, & Superiore Regulari. 3. quod si Superior tale judicium assumere nolit, vices suas delegare valeat alteri. Videatur integra Constit. (+)

## SECTIO SECUNDA.

### *De voto Castitatis.*

CAstitatis Religiosæ votum consistit in actu, quo quis Deo spondet abstinentiam ab omni delectatione venerea, sive intra, sive extra matrimonium. Hinc id omne, quod in sæcularibus est quoquo modo peccatum contra castitatem, est in Religioso sacrilegium, ac proinde peccatum duplex, seu mortale, seu veniale, prout materia vel gravis fuerit, ut solet, vel levior, prout item sufficiens adfuerit, vel defuerit advertentia.

Quandoque tamen id, quod in sæculari leve est, grave esse potest in Religioso, seu ratione regulæ, quam professus est, seu ratione scandali. Si tamen peccatum, etsi grave in ratione scandali, leve supponitur in ratione impudicitiæ, negant plures illud reservatum iri, etiamsi in aliquo Ordine peccatum impudicitiæ reservatum foret.

Quod dicunt aliqui, ei, qui acceptis Ordinibus sacris, & emissa professione contra castitatem delinquit, etiamsi Generalis sit, aut Episcopus, satis probabiliter esse, ut in confessione dicat se peccasse contra castitatis votum, sine eo quod amplius exprimat; idemque judicandum de muliere, quæ eum talibus lapsa est; id, inquam, adversum est primoribus sanioris Ethices principiis. An enim duplex votum solemne, duplicemque consecrationem violare quasi inanis circumstantia reputabitur? an non conditio personæ Episcopi, vel primi Superioris facinus ab iisdem admissum insigniter aggravat? Multo magis veritati consonum est, quod docent iidem, eum, qui voto ligatus cum alio, vel alia eodem vinculo innodatis peccat, & suum, & alterius votum exprimere debere; ut qui & peccaverit, & alieni peccati adjutor fuerit.

An autem peccatum contra castitatem sit ex iis, quæ pugnant contra bonum commune, quæstio est apud Regulares gravis; quia id genus peccata, & Superiori tanquam judici (præmissa utique, si præmitti debuit, correctione fraterna,) denuntiari debent, & ab eo juridice puniri; secus de peccatis mere, ut ajunt, personalibus. Res mihi ex specie peccati, quod quis frequenter perpetrat, & ex circumstantiis definienda videtur. Si enim peccatum tale sit, quod solus quis, & sine scandalo committat, ut est mollities, culpa videtur personalis, neque aliter in Religionis detrimentum cedit, quam aliud quodcumque grave peccatum. Si vero, ut pene semper evenit, ubi præsertim viget habitus, ita quis affectus sit, ut vel alios sollicitet ad crimen, vel liberiori loquatur ore, vel de excessu suo sacrilege, &c. utique quasi publici boni subversor exagitandus erit.

Religiosæ castitatis effectus triplex: I. enim dirimit sponsalia ante, & post ipsam contracta. Ante quidem, quia ex communi Ecclesiæ sensu sub hac tacita conditione fiunt, *Nisi me Deus ad perfectiorem statum vocet*: postea vero, quia sunt de re & illicita, & seclusa Romani Pontificis dispensatione, prorsus impossibili. II. irritat matrimonium subsequens, imo & illud, quod præcessisset, necdumque esset consummatum. III. omnem, & internum, & exteriorem actum pudicitiæ adversum interdicit.

## SECTIO TERTIA.

### *De voto Paupertatis.*

SAlebrosam Paupertatis materiem, quam breviter & solide fieri poterit, exponemus; quod ut fiat, videndum: I. an Religio in communi sit dominii capax. II. an id hac in parte possint privati, quod ipsum Religionis corpus. III. nonnullæ, quæ ad id spectant, difficultates sunt enucleandæ. Sit

CONCLUSIO I. Religiosi in communi & bona possidere possunt, & eorum, quæ possident, eodem modo domini sunt ac Beneficiarii sæculares.

Prob. I. quia Tridentinum Sess. 25. cap. 3. *De Regularib.* concedit *omnibus Monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum sancti Francisci* (idem est domibus Professis Societatis Jesu), *ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat*.

II. quia non potest Papa sine gravi causa bona Monasterii unius ad aliud transferre, quin peccet contra justitiam: atqui hoc posset si Communitates bonorum suorum dominio non fruerentur.

III. si Communitas non haberet tale dominium, maxime quia paupertatem profitetur: atqui hæc ratio non valet: Paupertas enim non excludit dominium in communi, sed efficit tantum, ut nemo in particulari possit de re ulla tanquam dominus disponere, & independenter a nutu Superioris; ergo.

CONCLUSIO II. Nemo Religiosus in particulari capax est proprietatis.

Prob. I. ex cap. 6. *De statu Monach.* aliisque Canonibus plurimis, qui *sub obtestatione divini judicii* prohibent, *ne quis Monachorum* in particulari *proprium aliquo modo possideat*; sanciuntque, *ut si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur*. Monachi, ait Concilium Lateranense (*Ibid. Can.* 1.), *non pretia recipiantur in Monasterio, nec peculium habere permittatur*.

Prob. II. si Religiosus dominii capax foret, utique in pensionem sibi a parentibus concessam: atqui ne hu-

hujus quidem pensionis dominium habere potest Religiosus. Illud enim peculium non subjacet dominio Religiosi, quod eo ipso ad Monasterium pertinet; quod recta ad Superiores deserendum est; quod ab iis sine injustitia alios in usus potest impendi, quod sine sacrilegio tanquam proprium repeti nequit a Religioso; quod, si contractu constitutum sit, non ab eodem, sed a sola Communitate relaxari potest: atqui hæc omnia constant, & ab iis etiam admittuntur, qui plus peculio favent: aliunde vero id sæpius definitum est a Sacra Congregatione, quæ tamen judicavit e re esse, ut Abbatissa *primum prospiciat necessitatibus Monialis*, cui pensio constitura est, sic ut id, *quod reliquum fuerit, in usus totius Monasterii convertat*; ergo.

Ex his principiis quædam inferemus magni momenti corollaria: I. igitur peccant contra paupertatis votum Religiosi, qui rem temporalem pretio æstimabilem sine licentia Superioris accipiunt, retinent, absumunt, destruunt, permutant, commodant, alienant, aut ea utuntur; item qui debitum remittunt: hæc enim omnia, cum fiunt proprio arbitratu, sunt actus proprietatis, adeoque illiciti Religioso, qui per votum paupertatis abdicat se potestate possidendi, aut donandi aliquid ut proprium.

II. peccant etiam mortaliter contra idem votum, & contra justitiam, qui sæpius quid leve recipientes, aut destruentes ex bonis Communitatis, v. g. libris, vestibus, candelis, scienter perveniunt ad quantitatem, quæ in materia furti sufficit ad mortale: & hoc verum est, ajunt multi, licet ista sint poculenta, & esculenta domus; cui sententiæ adhærendum puto, saltem cum esculenta, vel poculenta sine rationabili necessitate, aut legitime præsumto Superiorum consensu insumuntur.

III. & ii peccant, qui a sæcularibus invitati manducant, aut bibunt absque Superiorum licentia; quia tunc aliquid prætio æstimabile recipiunt. Ita Suares, P. Antoine, &c. quod tamen aliis durum videtur, & difficile, seclusa speciali Religionum lege, quæ apud Jesuitas hac in parte strictior est, quam apud alios.

IV. qui sic animo dispositi sunt, ut ad Superioris nutum exui nolint rerum sibi permissarum possessione, & usu; item qui rem cum licentia acceptam abscondunt, ne Superior eam repetat; vel qui querelis Superiores fatigant, adeo ut licentiam datam revocare non ausint.

V. qui se sibi ad unum usum concessa ad alium etiam honestum utuntur sine Superioris consensu.

VI. qui earum etiam rerum, quas consumere possunt, ut esculentorum, aut pecuniæ ad iter datæ, partem sibi subtrahunt, ut eam aliis donent, aut in alios usus, ut libros, expendant.

VII. qui in conservandis rebus sibi ad usum concessis eam non adhibent diligentiam, quam in rebus suis adhibere solent diligentes.

VIII. *mobilium usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit*. (Trid. Sess. 5. c. 2.) Unde qui pensionibus suis, etiam cum Superioris consensu utuntur in usus vanos, & qui sæculari magis, quam Religioso conveniunt, peccant contra paupertatem, quia Superior nihil permittere potest, quod sacris Canonibus, aut veræ paupertati adversetur. Unde qui vestes sericas, picturas inanes, aut magni pretii, horologia parvula valoris excedentis, tapetia, cortinas, & alia parietum ornamenta penes se habent: item qui sumtuosa convivia præstant, peccant contra votum, sicut ii, qui ludunt; tenenturque, qui aliquid cum Religiosis ludendo lucrati sunt, id restituere, perinde ac si accepissent a fure; potest tamen Religiosus cum Prælati licentia aliquam modicam quantitatem ludo exponere, absque eo quod perdentes, aut lucrantes ab eo restituere Religioni teneantur, nisi ludus sit illicitus vel a jure, vel a regula Religionis. Ita Salmanticenses, qui monent non posse Superiorem licentiam præbere subditis *ad exponendum ludo notabilem quantitatem*; unde qui eam tunc lucraretur, non esset a restituendo immunis.

IX. controvertitur, an Religiosi veram suorum manuscriptorum proprietatem habeant. Crediderim ego id esse definiendum ex ipsa Ordinis constitutione. Quod enim apud aliquos prætio æstimabile est, apud alios potest in nullo esse prætio, atque vel igni, vel muribus reservari.

X. non peccant contra votum, qui etiam sine consensu Superioris rem sibi ex liberalitate oblatam recusant, quia vi voti non obligantur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, accipiendum, utendumve sine licentia. Qui tamen sine justa causa recipere nollet id, quod alii sibi offerunt, peccare posset contra charitatem, impediendo bonum Religionis, cui acquirit Monachus, quidquid acquirit; secus si recuset, ut Sacramenta liberius conferat, aut ædificationem præstet. Quod si quis oblatam sibi pecuniam precaretur egenis suis parentibus impendi, it nisi rem expresse, aut tacite quasi nomine suo dandam acceptaret, non posset dici proprietarius; sicut nec ille, qui Missas habens liberas, easdem celebraret in gratiam Sacerdotis alterius, qui debitum iis stipendium reciperet. Secus si ipse pactum pro Missa stipendium eidem Sacerdoti porrigi curaret absque Superioris licentia.

Quæ vero ea in materia sufficiat Prælati licentia non convenit inter Regulares. Sunt qui in rebus gravioris momenti, & cum patet ad Superiorem recursus, formalem, aut virtualem saltem tacitam requirentes, in iis, quæ leviora sunt, interpretativam sufficere putent: sic, inquiunt, qui ex Superioris consensu tabacum, liquores, & similia recepit, eorum aliquid fratribus suis largiri posse videtur, nisi resistat specialis locorum consuetudo.

Alii generaliter licentiam interpretativam abigunt: I. quia aliud est Superiorem consentire, aliud fuisse consensurum, si rem scivisset. II. quia admisso licentiæ interpretativæ usu, quisquis pro libito aget, primo quidem in rebus levioris momenti, deinde in gravioribus, ac demum in omnibus, quæ & justa, & sibi, si peteret, facile concedenda præsumet.

Haud

Haud tamen nego, quin inferior ex præsumta prudenter Superioris absentis licentia egere possit. Sic Monasterii amico, cui nihil denegatur, & libri aliquot commodari possunt, & pecuniæ summa mutuo dari ab eo, qui certus sit reducem Prælatum id approbaturum esse; sed & hic summopere cavendum, ne præsumantur, quæ præsumi non debent, imo nec semper, quæ sub oculis Præleti fiunt, ab eo etiam tacite approbata censeri debent: plerumque enim graviores Inferioris morosi querelæ Superiorum vocem præcludunt, & cogunt id tolerare, quod non nisi majori cum dispendio cohibere possent, seu potius cohibere tentarent.

Quæres I. quæ quantitas sufficiat, ut quis mortaliter peccet contra votum paupertatis.

R. eam sufficere, quæ sufficit ad furtum mortale; quia peccatum proprietatis est usurpatio rei, vel usus fine consensu Superioris: hæc autem usurpatio, utpote non sacrilega solum, sed & injusta, quemdam furti rationem habet. Unde sentent omnes Religiosum proprietarium teneri ad restitutionem quantum potest, sive ex bonis, de quibus licite posset disponere in alios usus, sive imminuendo expensas, quas licite posset ex Monasterii bonis facere, sive magis laborando.

Porro censent plures minus in Religioso requiri ad peccatum lethale, quam in filio-familias; quia peccatum contra paupertatem non æstimatur præcise ex damno temporali, sicut filii furtum; sed ex evarsione unius e præcipuis vitæ religiosæ fundamentis, quæ in paupertate tanquam basi stabilita est. Et certe Religiosi proprietarii sæpius eo puniti sunt modo pro voti hujus transgressione, quo nunquam puniti fuere filii-familias. Non desunt tamen qui satis probabiliter habendam velint rationem status Monasteriorum, ite ut in Conventibus ditissimis tres, eut circiter Libellæ Gellicæ e Religioso subreptæ ad peccetum mortale requirantur; in his vero, quorum mediocris est census, Libellæ duæ sufficiant; ac une demum in domibus pauperculis.

Quæres II. an quæ de Religiosis dicte sunt, eorum Abbatibus competent.

R. affirm. quie ut veri manent Religiosi, sie & manent obstricti voto paupertetis. Abbates ergo, eliique Superiores hoc solum præ cæteris habent, quod præcipui sint boni communis dispensetores. Et hoc verum est, etiamsi certa bonorum portio Abbati assigneta sit: hæc enim non tem assignatur, ut totam pro nutu impendat Abbas, quem ne aliquid amplius speret.

Quæres III. an Religiosus, qui fit Pastor, aut Beneficium simplex accipit, possit ejusdem fructus Monasterio relinquere, an non teneetur eosdem pios in usus expendere, v. g. loci pauperibus largiri.

R. Regularem hunc posse *inconsulto Prælato ea, quæ ex fructibus sui Beneficii sibi obveniunt*, nisi ii Monasterio incorporeti sint, & uniti (*ex Silvio*), *in pios, ac honestos usus inter vivos disponere*; imo & teneri per se fundetionis obligationes cognoscere, & prius loci peuperibus opitulari, quam Monasterio: I. quie sæculares inter, & regulares Beneficiarios nullum statui debet discrimen quantum ad obligationem reditus suos fideliter edministrandi. II. quia reditus Beneficiorum, quæ Monasteriis unita non sunt, ad eadem non pertinent.

Dices: Religiosi extre Monasterium defuncti hæreditas, galliee *cotte morte*, pleno jure ed Monasterium pertinet; ergo ejusdem Religiosi, dum in vivis est, reditus ed idem Monasterium pertinent.

R. I. Multi cum Theologi, tum Canonistæ negant ant. neque unanimis est ee de re *Arrestorum* Jurisprudentie. Sic enno 1633. Curie Parisiensis peculium F. Ludovici de Bel ex æquo dividi jussit inter Monasterium S. Genovesæ, & Hospitale Perisiense. Sic peculium Religiosi Cureti pauperibus, aut Febricæ sæpius adjudicetum est, v. g. Arrestis annorum 1651. & 1710. quia supponitur peculia hæc ut plurimum percimonias esse aliquando scandalosas boni pauperibus debiti.

R. II. neg. consеq. ut enim quotidie succedimus iis, in quorum, dum viverent, bona nihil habebamus juris, sic & concedi potuit Monasteriis, ut iis Religiosorum suorum bonis succedant, de quibus ipsi soli, dum viverent, disponere poterant, & hoc duplici de causa concedi potuit: I. ut ostenderetur Beneficia hæc e tali Monasterio pendere. II. ut eidem Monasterio aliquod præberetur animi bene memoris signum, eo quod viros iis Beneficiis idoneos efformet.

Sed quid si Parochus Regularis Beneficii bona in usus profanos impendat, aut parentibus, qui non indigent, eroget?

R. eum peccare contra justitiam, & contra paupertetem. Contra justitiam quidem, quia instar domini disponit de re, cujus dominus non est; unde & ipse, & qui ab eo recepit, tenetur ed restituendum. Contre paupertetem vero, quia id solum potest circa redituum suorum dispositionem, quod sibi e jure, vel consuetudine permissum est; unde in cæteris communi Religiosorum omnium legi subjacet: ergo cum neque jure, neque usu concessum ei sit, eut esse possit, ut Beneficii raditus male impendat, necesse est, ut eodem peccet pecceti genere, quo cæteri Religiosi, qui Monasterii bona male impendunt.

## SECTIO QUARTA.

### *De voto Obedientiæ.*

OBedientia Religiosa definitur Vinculum spirituale obligens Religiosum ad parendum Superiori Regulari in omnibus, quæ legitime imperari possunt. Hinc elta obedientiæ dignitas: *Magna quidem paupertas*, ait Ioannes XXII., *sed major integritas*; *bonum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa. Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo*.

Obedientia duplex ex S. Bernardo, alie perfectionis, alia necessitetis, quæ e D. Thoma *sufficiens* vocetur. Prime *terminis non coarctatur, nec contenta angustiis professionis largiori voluntate* obtemperat in omnibus, quæ contra Deum non sunt. Secunda non *quodlibet rectum* amplectitur, *sed id tantum, quod* Ordinis

dinis *Pater instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit.* Utrumque hoc obedientiæ genus, sed primum præcipue, fœcunda est meritorum radix, si debitæ intersint conditiones: eæ vero sunt quatuor.

I. ut sit cæca, quæ omnino nec præcepti motiva, nec præcipientis intentionem, aut etiam defectus scrutetur, sibique satis habeat, licitum esse id, quod præcipitur.

II. promta, in iis scilicet, quæ ad honorem, aut emolumentum inferioris non vergunt; (nam in honorificis festine, & alacriter obsequi, aliquando nonnihil saperet vanitatem.) Promta autem erit obedientia, si inferior nec excusationibus se tueatur, nec lente accedat ad opus; uno verbo si obediat ut veteres illi Monachi, qui *ante conabantur jussa implere, quam forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.* Hieronym. cap. 10. de Reg. Monach.

III. fortis, ita ut difficilia aggrediatur, & obicibus major ab inito semel tramite non deflectat.

IV. humilis, ut qui parent, haud credant habendas sibi gratias quod paruerint; sed potius dicant, *Servi inutiles sumus, quæ facere debuimus, fecimus*, Luc. 17. His præmissis,

Quæres I. quodnam sit obedientiæ Religiosæ objectum.

R. Illud omne est obedientiæ Religiosæ objectum, quod præcipitur *sive ore tenus a Prælato, sive in Regula* (*S. Thom. hic q. 86. a. 9.*): cujus nomine hic etiam veniunt Constitutiones, & Statuta Religionis. Ratio est, quia Superiores non præcipiunt solum personali mandato, sed etiam fixo, & stabili, quale est ipsius Regulæ mandatum; ergo præceptum omne sive Regulæ, sive Superioris ipsius (sensu inferius exponendo), est objectum obedientiæ. Quapropter si Regula sub culpa obliget, ut ubique obligat tum in votis, tum in iis, quæ ad vota pertinent, ejus transgressio erit contra votum, & sacrilega, seu mortaliter, si res sit gravis; seu leviter, si levis fuerit. Si vero Regula, ut extra votorum materiam fieri solet, ex voluntate institutoris non obliget sub culpa, transgressio ejusdem non erit contra votum, quia transgressio voti præceptum rigorosum supponit; non præcipitur autem rigorose, quod sine peccato omitti potest. Quia tamen regola non est consilium merum, sed vera lex a legitima auctoritate procedens, idcirco necessum est, ut qui eam transgreditur, paratus sit ad subeundam pœnam, si quæ a superiore transgressori constituatur; quia stat aliquem & legaliter solum delinquere, & pœnam mereri.

Sed hic notandum: I. vix in praxi fieri posse ut qui Regulam violat, ab omni sit peccato immunis, quantumcunque pœnam subire paratus sit. Ratio est I. quia vitiosa est actio omnis, quæ ad legitimum finem non refertur: ad hunc autem referri nequit Regulæ transgressio; neque jam transgressio foret actio legitimo fine vestita: sic qui ut amicum consoletur, aut charitatem foveat, aliquem e fratribus suis obiter alloquitur, fracti silentii reus haberi non potest. II. quia Regularum violationi semper annexum est nonnihil sensualitatis, curiositatis vanæ, negligentiæ, acediæ, & illius otiositatis, de qua, etsi eorum, qui hic irrepunt, defectuum minimus esse videtur, *rationem reddent homines in die judicii*.

Notand. II. eum, qui regulam etiam levem violat ex contemtu, graviter peccare, prout dixi agendo de Legibus.

Not. III. etsi ad obedientiæ perfectionem pertinet, ut manifestata Superioris voluntas habeatur pro lege, haud tamen inobedientem censeri, qui non obsequitur nutibus sic expressis: *Vellem, desiderarem, ut id faceres.* Requiruntur ergo voces præceptivæ, *Mando, jubeo, impero.* Imo sunt Religiones, in quibus nusquam obligat præceptum sub mortali, nisi & in scriptis, & sub hac verborum serie feratur: *In virtute spiritus sancti, sanctæ obedientiæ, & sub præcepto.* Tunc autem nullus dubitat, quin omne præceptum sub mortali obliget, quia forma tam gravis gravem obligationem indicat. In Religionibus vero, ubi parum est in usu præcipere vi obedientiæ, idem de Superioris, quod de regulæ præcepto dicendum videtur, illud scilicet graviter in materia gravi, (nisi aliud aliunde constet) leviter in levi obligare; sic tamen ut res gravis etiam sub levi culpa præcipi possit. Addit Lessius Superiorem, quoties aliquo modo mandat, obligare sub veniali, quia non intendit solum consulere, etsi tota, quam ad præcipiendum habet, potestate non utatur.

Quæres II., an inferior in omnibus omnino parere teneatur.

R. inferiorem in iis obsequi debere, quæ sunt secundum regulam; non autem quæ sunt vel infra, vel supra, vel præter, vel contra regulam.

Prob. 1. pars: quia si quando obsequium debent subditi, tunc ad minus, cum Superiores juste imperant: quid autem justitiæ consonum magis, quam id, quod secundum regulam, aut constitutiones præcipitur? Id porro secundum regulam præcipi credendum est, quod in ea etiam implicite solum continetur, ut est id, quod ad regularem observantiam, & spiritus primævi continuationem pertinet, v. g. talem pro tali culpa pœnam subire, a lodis quibusdam abstinere, Ordinis negotia prosequi, &c. hinc Monialibus præcipitur clausura, licet eam non voverint.

Prob. 2. pars. Præcipit infra regulam, qui latiora jubet: atqui præcepto huic parendum non est.

Prob. 3. pars. Præcipere supra regulam, est præcipere graviora, quam ferat lex, ad cujus observantiam se quis voto constrinxit; v. g. cogere ad abstinendum carne, vel piscibus, cum id regula concedit: ad transeundum ad infideles cum vitæ, aut servitutis periculo, quando id non fert regula, &c. atqui hoc Superior non potest; ut docet S. Bernardus de dispens. cap. 5., alias 8. his verbis: *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine necessitate.*

Prob. 4. pars. Præcipere præter regulam est præcipere res vanas, & quæ ad Institutum nihil conferunt: atqui hæc præcipienti parere necessum non est. Unde si Superior jubeat *irrisoria, ac nugatoria, ut*

*spuere*

*spuere in parietem, levare festucam, aspicere aves volantes, non tenetur ei subditus obedire*, ut docet S. Thomas hic q. 186. a. 5.

Prob. 5. pars: quia non est parendum homini auctoritate sua non in ædificationem, sed in destructionem utenti: atqui auctoritate sua fœde abutitur, qui v. g. contra regulam præcipit, ut Minimus, qui recte valet, carnes comedat, ut Frater Minor sine causa equitet, aut pecuniam recipiat; ergo.

His tamen principiis, ut & regulis generalioribus, suæ sunt exceptiones. Sic præcipere potest Superior: I. ut quis ambulet, quiescat, animum recreet cum aliis, quo vegetior fiat ad laborem, & onera regulæ.

II. ut abstineatur a quibusdam, quæ licet a regula expresse non prohibeantur, ad ejus tamen observantiam conducunt; sic merito tabaci, & chocolati usum interdixerunt aliquæ Religiones, quia hinc paupertatis votum haud parum labefactari sensere. Sic etiam ob publicas Ecclesiæ, aut Regni necessitates, ob admissam a Religioso culpam, eamve præcavendam, cujus periculum instat, potest Superior jejunia quædam, flagellationes, majorem solitudinem indicere. Sic eorum, qui in Monasterio peste corriperentur, saluti temporali, & spirituali, etiam cum propriæ vitæ periculo subveniendum esset; temporali quidem per Laicos fratres, eosque robustiores, & cæteroqui utiles minus, ait Henno; spirituali vero per Sacerdotes idoneos. Imo deficientibus Parochis, tenerentur inferiores, jubente Præposito, spiritualem exterorum curam agere; idque majorem haberet locum in Mendicantibus, qui in jure Episcoporum Coadjutores nominantur; & ob id sustentantur eleemosynis fidelium. Sic demum ad ultimas mundi plagas, aut ad loca, ubi dominatur aeris intemperies, mitti possunt Religiosi, si ibidem habeant domos; quia id ad Religionis bonum requiri potest, nec proinde censeri supra regulam. Quod spectat ad Patres Societatis, ii ob speciale ea de re votum quocumque mitti possunt, & quotidie mittuntur, etiam cum vitæ, & libertatis dispendio.

III. Et id etiam crediderim, præcipi aliqua posse, quæ licet nugatoria videantur, animi tamen superbiam, & nimiam proprio sensui adhæsionem infringere possunt. Hic tamen ab ea cavendum ridiculi specie, quæ pietatem inhonorare videatur.

Quæres III. an Superiori reformationem inducere volenti obtemperandum sit.

R. I. Si Religionis disciplina collapsa sit in substantialibus, ita ut jam quasi obsoleverint paupertas, obedientia, &c. omnino parendum esse. Ratio est I. quia ad minus parendum est Superiori, cum id præcipit, sine quo æterna salus haberi non potest. II. quia nulla consuetudo juri divino, & naturali prævalere potest: vota autem ex utroque obligant. Idem dicendum de iis, quæ immediate ad observationem votorum conducunt; unde si præcipiatur, ut nemo mulieres in Monasterium inducat, aut pecuniam servet absque licentia Superioris, utique obsequendum erit.

R. II. si disciplinæ lapsus in iis sit, quæ substantialia non sunt, videndum, an relaxatio a sola oriatur consuetudine, an non vero disciplinæ primævæ rigor Pontificia auctoritate mitigatus sit. Si secundum, potest subditus obsistere reformationi; quia regula a Pontifice mitigata est quasi nova lex, quam qui vovit, non aliam multo rigidiorem vovere intendit.

Si primum, fatentur primo communius Theologi eum, qui regulam jam collapsam professus est, pristino illius rigori non teneri, postquam ei consuetudine præscripta derogatum fuit: unde potest quis contra primitivam legem, quæ non sit sub voto, ut est apud PP. Minimos, vesci carnibus, aut jejunium non servare. Rationem dant, quod non plus habeant auctoritatis statuta Monastica, quam Ecclesiæ leges, quibus tamen in iis, quæ ad disciplinam spectant, non raro derogatur. Unde licet peccent graviter, qui vel eas inducunt consuetudines, vel iisdem utuntur ante tempus præscriptionis, non tamen, qui eas post lapsum temporis sequuntur.

At non conveniunt, an Superiori reformationem de consensu Capituli, aut majoris Professorum partis inducere volenti sit necessario parendum. Affirmat tutior, nec certe minus probabilis opinio: I. quia etsi prava consuetudo regulam infirmare potest, at non potest, vel Superioribus tollendæ hujus laxitatis facultatem, vel subditis obligationem restaurationi huic humiliter cedendi adimere; ut a simili patet in Ecclesia, quæ licet ad tempus abusus quosdam dissimulet, eosdem tamen aliquando data occasione etiam per Censuras abigere conatur. II. quia reformationis hujus inducendæ licentiam Prælatis fecit Trid. sess. 25. cap. 1. *De regul.* his verbis: *S. Synodus necessarium esse censuit, quo facilius, ac maturius, ubi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur, præcipere, &c.*

Addit Vasques particulares Religionum Præfectos etiam sine Capituli consensu posse ferre leges, quibus obligentur subditi ad ea, quæ reformationem inducant. Tum quia localis Superior domus suæ reformationem procurare potest; tum quia ea fruitur potestate ad ferendas pro vitæ suæ decursu leges, qua Capitulum ad sancienda statuta, quæ perpetuo durent.

Quæres IV. quot perpetret peccata, qui contra Superioris præceptum operatur.

R. I. eum, qui violat legem pluribus impositam præceptis Regulæ, v. g. Generalis, &c. unum duntaxat admittere peccatum, quoties præcepta hæc ex ejusdem virtutis motivo procedunt. Ratio est quia ex dictis in Tract. de peccat. qui Missam non audit die Dominica, in quam Festum cadit, gemini peccati reus non est.

R. II. eum, qui præceptum Superioris graviter obligans transgreditur, duplex specie peccatum committere, aliud quidem contra votum Deo factum, aliud contra obedientiam, quam Superiori debet. Ratio est, quia Superiori debetur obedientia non solum ratione voti Deo facti, sed etiam ratione traditionis, qua inferior suam eidem personam commisit, quæ quidem traditio etiam independenter a vo-

to subsisteret; ergo sicut servus, qui post emissum domino suo parendi votum eidem resisteret, duplicem hanc malitiam in confessione aperire teneretur, quia nempe & obedientiam negavit ei, cui debebatur, & votum fregit; ita a pari in proposito; ergo iterum si contra præceptum Superioris minus honeste cum aliquo, vel aliqua fueris conversatus, haud sufficiet confiteri, quod castitatem læseris, sed & adjiciendum erit id a te factum contra prohibitionem Superioris.

R. III. Si Superior in virtute obedientiæ aliquid præcipiat jam præceptum divina, vel Ecclesiastica lege, non unius esse peccati reum, qui secus fecerit. Ratio est, quia jejunium v. g. quod contra Ecclesiæ legem fregisti, obligabat ex virtute temperantiæ; idem vero, prout a Superiore præceptum in virtute obedientiæ, obligabat ex motivo Religionis: porro qui non unam virtutem offendit, non unum admittit specie peccatum. Vide quæ dixi ubi de Peccatis, pag. 153.

Quæres V. an inferior parere teneatur, cum dubitat, an Superior imperet, aut legitime imperet. Dubitas v. g. I. an præceptum Superioris obliget in tali circumstantia; an non sit usu contrario abrogatum. II. an Superior sit rite electus, an ab eo prodeat mandatum tibi impositum. III. an id, quod præcipitur, licitum sit, aut conducens ad finem instituti, aut supra regulam: quid juris?

R. I. si dubites, an qui præcipit, sit legitimus Superior, videndum est, an ei faveat communis Regularium opinio, quamvis ab aliquibus paucis impugnata, an non. In primo casu obediendum est, quia error communis facit jus. In secundo non teneris obedire, quia in hujusmodi dubio melior est conditio suam possidentis libertatem.

R. II. si dubites de materia præcepti, licita ne sit, aut obligatoria, sequendum id, quod diximus in Tract. de conscientia; ideoque semper parendum est, nisi multo graviora sint momenta, quæ libertati, quam quæ præcepto favent. Existimo tamen præcepti acerbitatem conjunctam dubio, ei præcipue, quo superioritatis validitas impugnaretur, differendæ ad tempus obedientiæ inservire posse.

Quæres VI. quibus ex obedientia parere teneantur Religiosi.

R. Tenentur parere I. Romano Pontifici, qui Religionum est omnium Caput II. Generali, Provinciali, & Prælato locali. III. capitulorum, tum Generali, tum Provinciali: iis enim omnibus jure ordinario competit præcipiendi facultas.

Hic quatuor animadvertenda: I. ipsos etiam hospites obedientiam debere iis, in quorum domibus moram faciunt, si id usu, vel Regula constitutum sit. II. suum esse regulari obedientiæ gradum, & ordinem, ita ut Generali contra Provincialem, Provinciali contra Præpositum localem obsequendum sit. III. Prælati mandatum ligare inferiores ubicumque sint, quia jurisdictio Regularium, secus ab Episcoporum, personas ratione sui, non ratione territorii afficit, unde & mundum omnem habent pro territorio, & fugitivum, vel apostatam, quocumque transmeaverint, censuris plectere possunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De aliis Religiosorum obligationibus.*

DUo hic explicanda: I. quid Ecclesiæ. II. quid Episcopis debeant Regulares. Circa primum tria præcipue inquiruntur. I. an Regulares professi ad Officium. II. an ad celebrationem Missæ. III. an ad studium teneantur. Circa secundum ambigitur, an, & in quibus Religiosi exemti Episcopis subjaceant.

## SECTIO PRIMA.

*An Regulares Professi ad Officium, & Missam teneantur.*

REligiosi a Clericis Psalmodiæ usum acceperunt, at eidem & diutius, & accuratius vacavere. Scribit enim Cassianus Ægypti, ac Thebaidis Monachos majorem noctis dieique partem in horis decantandis impendisse. Idem de Monialibus testantur SS. Gregorius Nyssenus in vita S. Macrinæ, & Hieronymus Epist. ad Demetriadem. Quoniam vero multa fiunt, quæ fieri non præcipiuntur, idcirco posteriori ævo quæsitum est, an, & qui Regulares ad Officii recitationem tenerentur, sit

CONCLUSIO. Religiosi ad Chorum professi, & necdum in Sacris constituti, etiam extra Chorum tenentur sub mortali ad Officii recitationem, nisi cum iis dispensatum sit a Papa, aut aliud ferat speciale Ordinis institutum.

Prob. I. ex unanimi omnium fere consensu, qui oppositam opinionem rejecerunt; alii ut temerariam, alii ut scandalosam, alii ut perniciosam animarum saluti, alii ut plane improbabilem, & ideo Clementis VIII. jussu erasam e Libro Emmanuelis Sa. Famosæ tres Hispaniarum Universitates, Hispalensis, Cæsaraugustana, Conimbricensis contra eam acriter insurrexerunt an. 1632.

Prob. II. ex sancta Ecclesiæ consuetudine, quæ Religiosis ad Chorum destinatis Breviarii pensum quotidie recitandum determinavit, si non semper præcepto scripto, at saltem ecclesiastica traditione: atqui talis consuetudo, utpote vim legis habens, graviter, & in conscientia obligat eos omnes, qui ab ea non excipiuntur; non excipiuntur autem Religiosi in Sacris non constituti, & extra Chorum versantes. Unde statim ac aliquis asserere ausus est hujusmodi Religiosos ab Officio legendo abstinere posse, eidem protinus vivide, & acriter obstiterunt horumce Ordinum Superiores.

Prob. III. quia contraria paucorum opinio singularis est, & nova: atqui opiniones novæ, & singulares in materia morum plenæ sunt periculi.

Obj. I. Assertio præcedens potissimum fundatur in Doctorum consensu: atqui ex hoc consensu certum erui non potest argumentum; cum non consentiant

tiant inter se Doctores in assignando hujusce obligationis fundamento; ergo.

R. I. neg. maj. nostra enim assertio fundatur etiam in decretis Rom. Pontificum. Sic Gregorius IX. de Monachis foras profecturis statuit, *ut ipsi horas dicant in via*.

R. II. neg. min. Tam enim consensus Theologorum assertionem nostram ab intrinseco certam facit, licet non consentiant in fundamento intrinseco istius obligationis, quam idem consensus certam faciat obligationem Subdiaconorum ad castitatem, tametsi in assignando hujusce obligationis fundamento non conveniant Doctores, quorum alii obligationem hanc fundant in voto implicito; alii in Ecclesiæ præcepto: atqui, &c.

Obj. II. Nulla obligatio recipienda est, nisi de ea constet per legem ita claram, ut probabilem non patiatur exceptionem: atqui obligatio, de qua loquimur, non nititur lege tam clara, &c.

R. neg. maj., quæ si vera sit, corruunt plutima christianæ moralis capita, quæ licet a sanioribus Theologis recepta sint, non probantur tamen argumentis ita cogentibus, ut nunquam elidi possint & imminui. Et vero e propositionibus laxis, quæ ab uno minus sæculo damnatæ sunt, & quarum multæ horrorem pariunt, vix ulla est, quæ a viris eruditis, imo & piis multiplici momentorum genere firmata non fuerit, & aliquando rationibus munita tam arduis, ut facile solvi non possint. An non ergo malæ, & periculosæ erant eæ propositiones antequam damnarentur? absit.

Circa conclusionem nostram, not. I. id, quod de Religiosis dictum est, ad Sanctimoniales esse extendendum ob paritatem rationis, & consuetudinis.

Idem etiam statuendum est de virginibus illis, quæ in Belgio, Germania, & Lotharingia Canonissæ vocantur, ut contra Lessium docent Malderus, & alii plures, quorum assertio fundatur I. in consuetudine, & Theologorum consensu. II. in eo quod æquum sit, ut quæ Ecclesiæ bona percipiunt ad hoc, ut divino sint servitio mancipatæ, saltem Officium privatim recitent, cum Choro interesse nequeunt. III. quia eæ Canonissæ ut plurimum successerunt veteribus Benedictinarum monasteriis. Idque de celebri Abbatia (*Remiremont.*) Romarici montis constat, prout ipse anno 1739. propriis oculis vidi in codice MS. quem servant Benedictini, qui vicinum montem incolunt.

Not. II. id, quod alibi dicemus de Sacerdote, cum scilicet, si excommunicetur, exilio, aut triremibus damnetur, &c. adhuc Officii recitationi obnoxium remanere, pariter dicendum de Religiosis: unde apostatæ, fugitivi, ii etiam, quibus permittitur, ut extra monasterium perpetuo vivant, ad Officium tenentur. Aliter sentiendum de eo, cui ex dispensatione Pontificia permitteretur uxorem ducere; quia dispensans in professione, censetur in iis etiam dispensare, quæ ex professione sequuntur. Eadem est ratio illius, qui vi similis dispensationis transiret de statu suo ad statum Conversorum, aut ad aliam Religionem, quam qui profitentur, non sunt ad Chorum destinati.

Quod spectat ad eum, qui per sententiam a Monasterio ejectus est, probabilius videtur eum ab Officio liberum non esse. *Is enim*, ait Navarrus, *semper remanet Monachus, nec uxorem ducere potest, & ad Ordinem suum, si volet mores mutare, redire fere semper potest*.

Not. III. ad Officium non teneri I. Novitios, & Novitias, qui in pœnalibus reputantur sæculares. II. Conversos etiam professos, qui non ad Chorum, sed ad opera manualia deputati sunt. III. Clericos, qui ex professione sua non sunt addicti Choro, sed vel studiis ut juniores Jesuitæ, vel armis ut Religiosi militares. Eorum vero, qui ad Chorum sunt deputati, obligatio incipit a die, & hora professionis, ut obligatio Subdiaconorum a tempore, & hora ordinationis.

Quod spectat ad Missæ celebrationem, I. tenentur curare Prælati Regulares, ut unum saltem Sacrum singulis in Ecclesia diebus celebretur: neque huic Officio sine populorum offensione deesse possunt. II. pro Missa hac, etsi Conventualis sit, stipendium recipere valent, nisi extet lex, aut consuetudo in contrarium. III. facilius mortaliter peccabit Regularis ex socordia diu Missæ celebrationem omittens, quam sæcularis. IV. Missam pro quo maluerint offerre possunt, nisi aliter sancitum sit. V. reprehendi tamen meretentur, qui pro Ordinis defunctis Sacrum facere negligerent; paremque, Deo permittente, vicem ipsi experirentur.

---

## SECTIO SECUNDA.

### *De studiis Regularium.*

Regularium duplex pro præsenti secernitur genus. Alii ex instituto suo saluti Fidelium sub Pastorum auctoritate allaborant spargendo semen verbi, excipiendo confessiones, &c. Alii Monasticam professi vitam, sibi primum invigilare videntur, cæteris vero vix aliter prodesse, quam orationibus suis, jejuniis, & fletibus. De prima Regularium specie nulla hic quæstio; ii enim, utpote Coadjutores Cleri, in doctrina potentes esse debent, adeoque serio Scripturæ præsertim, & Dogmaticæ, ac Moralis Theologiæ studio operam dare. Tota ergo difficultas est de Monachis, quibus an vetita sint studia, erudite disceptatunt viri duo titulis omnibus majores, ambo & Galliæ, & Monastici Status ornamentum, quorum alter Armandus Joannes Bouthillier de Rancè, Abbas & reformator Monasterii de Trappa, alter fuit Ioannes Mabillon, vir omnigena litteratura insignis, modestia insignior, & pietate. Sit cum isto

CONCLUSIO I. Monachi studiis, & vacare possunt, & vacare tenentur.

Prob. Possunt, & debent Monachi id, quod nulla generali lege sibi prohibitum est, quod e contra pluribus præceptum fuit Conciliis, quod ad rectam Monastici status administrationem, imo ad legitimam pri-

privatorum constitutionem necessarium est: atqui sic se habent studia Monastica.

I. quidem nulla generali lege prohibita sunt. Ideo enim prohibita dicuntur, quia de iis silent Regulæ: atqui præterquam id falsum esse probat Mabillonius ex regulis Magistri, S. Ferreoli, S. Isidori, &c. certum est in principiis S. Thomæ (*Opusc.* 20. *c.* 2.) illud Religiosis *intelligi concessum, quod nulla lege prohibitum invenitur*; ergo eo ipso quod studium Monachis interdictum non est, permissum existimari debet. Et vero usus præsertim Sanctorum legitimus est regularum interpres: porro jam a primis Monachorum temporibus studiis incubuere sanctiores cœnobitæ, quales fuerunt venerabilis Beda, S. Bonifacius Apostolus Germaniæ, S. Anselmus, & alii prope innumeri. Denique dato quod Monachorum Institutores studium prohibuissent, potuit illud deinceps non permitti modo, sed & ab Ecclesia imperari. Unde

II. studium plura Monachis indixere Concilia, seu generaliter, seu speciatim. Generaliter quidem, quia cum hodie Monachi contra, vel præter institutionem primævam Sacerdotio insigniantur, quæ cæteris Presbyteris scientiam commendant, & eam Monachis præcipere dicenda sunt. Speciatim vero, ut patet ex Concilio Viennensi, ubi sic: *Ut Monachis proficiendi in scientiis via opportuna non desit, in singulis ipsorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur Magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter.* Sanctionem hanc confirmavit Clementis V. successor Benedictus XII. & per primitivas scientias intellexit Grammaticam, Logicam, & Philosophiam, sine quibus reipsa ad uberem Scripturæ, ac Theologiæ scientiam nemo devenire possit.

III. studia ad rectam Monastici Status administrationem necessaria sunt. Ad id scilicet necessum est, ut in unaquaque domo adsint duo ad minus, Superior scilicet, & ejus vel ægri, vel absentis vicem gerens, qui possint confessiones suorum excipere, conscientiæ casus solvere, præcipua Ethices christianæ puncta ad Scripturarum, & Traditionis normam tractare, ac demum explanare difficultates, quæ sacrorum codicum lectioni Monachis ab ipso Ranceio concessæ inhærent: ad hæc vero quis sine studio, & scientia idoneus?

IV. demum studia ad debitam privatorum institutionem necessaria sunt. Tunc enim sana est privatorum Monachorum conformatio, cum utiliter, & fructuose sive Scripturam, sive ascetica saltem Patrum opera pervolvunt; cum legunt sine periculo res lectas alienum in sensum detorquendi; cum eorum quisque accepta a Deo talenta exercet; cum nec sibi, nec aliis tædiosi sunt; cum musæi amore ab evagandi cupidine, a tristitiis, quæ mentem vorant, ideis, a stultarum cogitationum caterva revocantur: hos porro fructus pariunt studia, neque id quispiam rem expertus diffitebitur.

Obj. cum Ranceio e Monachorum Studiis prodire superbiam, devotionis ariditatem, dissipationem, & jurgia, quin & hæreses, ut patet in Nestorio, Eutichete, Pelagio, &, ut cæteros omittam, Luthero.

At hæc nullo negotio solvuntur: I. quia optimos quoque fructus pepererunt, & etiamnum pariunt Monachorum Studia. Monachi enim fuere SS. Chrysostomus, Basilius, Epiphanius, Hieronymus, Anselmus, Bernardus, aliique, quos recensere prolixius fuerit. Hi vero quot per scientiam bona ediderunt, seu Regna ingentia convertendo ad fidem, seu etiamnum erudiendo omnes Christiani mundi populos, seu vera Patrum scripta, quæ majori sui parte e Monachorum Bibliothecis derivarunt, conservando? Ut quid ergo recensentur mali exitus, & reticentur boni? ut quid non dicitur pene omnia, quæ corruerunt Monasteria, studiorum defectu corruisse?

II. superbia, ariditas, & similia non sunt studii, sed studiosorum defectus. Fulgebant litteris, & doctrina citati Patres; & tamen tenera in Deum charitate, ac humilitate eximia commendandi erant. Et vero quæ solidior, quam Rancei, & Mabillonii pietas, quæ major, quam utriusque facundia, & eruditio?

III. ex Hæresum patribus, quos citavit Abbas B. V. de Trappa, plures Religiosi non fuere; plures a Monachis fidei vindicibus strenue impetiti sunt; plures ex imperitia, ut Nestorius, ac potissimum Eutiches, non ex scientia lapsi sunt; plures demum, ut Lutherus, & primarii ejus asseclæ, erant ex Ordinibus Mendicantium, queis tamen scientiam non interdicit Ranceius.

CONCLUSIO II. In Monachorum studiis præcauto multiplici opus est.

Prob. Monachi præ cæteris omnibus duo in studiis intendere debent, mentis scilicet, & cordis institutionem; mentis quidem per notitiam veritatis, cordis vero per charitatis augmentum: atqui duo hæc ut assequantur, multa iis sollicite, & caute vitanda sunt.

Et quidem I. ut ad veritatis notitiam deveniant, opus est iis labore serio, constanti, sagaci, libero a præjudiciis, & docili. *Serio*, ne larvam, vanumque fulgorem pro veritate ipsa amplectantur. *Constanti*, ne ab objecto in objectum avolent, resque leviter perstringant, non profunde investigent. *Sagaci*, tum ut festinent lente, quia *hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*. (*Prov.* 20. 21.) tum ut altiora se non quærant; tum ut a rerum, quæ & obscuriores sunt, & utiles parum, & multo magis quæ obscœni aliquid habent, studio abstineant. *Libero a præjudiciis*, ut abjecto partium, & Scriptorum respectu, quod verum est, undecumque sit, sequantur, neque Librum ex Auctore, sed Auctorem ex Libro æstiment. *Docili*, ut neque se cæteris perspicaciores in cogitando, nec rectioris ingenii in dijudicando temere confidant: hinc scilicet pullulant dissensiones, aliorum, & ipsius etiam Ecclesiæ contemtus, atque pertinax propriæ opinioni adhæsio.

II.

II. ut charitatem adaugeant, non philosophicam, sed christianam studiis operam impendere debent, ac proinde & ante studium eum supplices deprecari, sine quo *non sumus sufficientes cogitare aliquid* (*II. Cor.* 3.), & in ipso studii æstu animos, & corda sursum pluries erigera, & primas spiritualibus Monasticæ vitæ officiis ubicumque partes largiri. *Advertite istud vos, qui in transitu oratis, & cum mora legitis; qui ad legendum fervetis, in oratione tepetis*; verba sunt Gilleberti Cisterciensis Abbatis Serm. 7. quibus, ut materiæ huic finem faciam, hæc sponte addiderim S. Hieronymi a studiosis quibuscumque serio ponderanda: (*In Epitaph. Nepotian.*) *Quotidie morimur, quotidie commutamur: & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum, quod dicto, quod relego, quod emendo, de vita mea tollitur. Quot puncta notarii, tot meorum sunt damna temporum. Scribimus, atque rescribimus: transeunt maria Epistolæ, & scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur. Hoc solum habemus lucri, quod Christi nobis amore sociamur*.

## SECTIO TERTIA.

### *An Regulares Episcopis subjaceant.*

Hic solum expendam, an Regolares Episcopis obsequi teneantur in his, quæ spectant ad Ordines, ad Sacramentorum administrationem, ad censuras, ad celebrationem festorum, ad clausuram.

Regularium quintuplex est ordo. Regulares enim dicuntur I. Monachi, puta Benedictini, Camaldulenses, Carthusiani, &c. II. Canonici regulam aliquam solemniter professi, quales sunt Canonici S. Augustini, S. Rufi. III. & quidam Equites, ut olim Templarii, nunc autem Melitenses. IV. Mendicantes, Dominicani scilicet, Franciscani, Carmelitæ, Augustiniani, & Minimi. V. Clerici, qui solemnia emittentes vota, dicuntur regulares, puta Theatini, Barnabitæ, & Patres Societatis: quanquam isti ex speciali privilegio ante solemnia vota Religiosi censentur.

Regolares dividuntur in exemtos, & non exemtos. Exemti vel ordinaria, vel extraordinaria immunitate fruuntur. Extraordinariam immunitatem habent ii, quorum Monasteria *in loco nullius Diœcesis*, seu, ut ajunt, *in territorio separato* sita sunt; & horumce Locorum Præsules, sive Episcopi sint, sive non, *Ordinarii* vocantur, & voluntariam, ac contentiosam jurisdictionem sive in Clericos, sive in plebem finibus loci contentam exercent independenter ab Episcopo.

Immunitatem ordinariam, & communem habent plerique utriusque sexus Ordines, quibus varia a variis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus concessa fuere privilegia: sed dum iis aliqui, spreto saniorum e Fratribus suis judicio, abutuntur, Episcoporum querelas cient. Sit igitur

CONCLUSIO I. Regulares Episcopis quoad Ordines subsunt.

Prob. inductione. Primo quia vetitum est Superioribus Regularibus; *ne cujusvis privilegii prætextu* subditos suos, etsi capaces, in propria etiam Ecclesia, & ipso ordinationis die, ab extraneo Episcopo, absque Ordinarii licentia ordinari curent. *Si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi* Trident. Sess. 6. cap. 5. & Sess. 23. cap. 28. *De reform.*

Secundo neque licitum est Regularibus ab alio, quam loci, in quo ordinarie resident, Episcopo ordinari, nisi vel ab Apostolica Sede obtinuerint facultatem *de promovendo a quocumque*; vel Episcopus iisdem Ordines injuste deneget (& tunc ad Episcopi Superiorem recurrere debent; aut si forte ad Papam, eidem exponere pulsam, quam a proprio Episcopo passi sunt: alioqui obtenta ab eo facultas *de promovendo a quocumque* subreptitia foret, & ordinatus juris pœnas incurreret.) Vel demum idem Episcopus notoria percussus sit censura, quæ eum ab Ordinum collatione prohibeat: aut per totos sex menses abstinuerit ab ordinando. Idem est si vacet Sedes Episcopalis; tunc enim non indigent Capituli consensu, prout definiit S. Congregatio.

(✠) Summus Pontifex Bened. XIV. in Constitutione *de Regularibus ab Episcopo Diœcesano ordinandis*, præter ea, quæ jam sancita fuere a Prædecessoribus suis Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII., & Innocentio XIII., vult, atque decernit, ut Superiorum Regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium Antistitem directæ fuerint, propterea quod Episcopus diœcesanus extra Diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris, & momenti, nisi illis juncta fuerit attestatio Vicarii generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejusdem Episcopi diœcesani, ex qua constet, vel ipsum a Diœcesi abesse, vel Clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per Ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. (✠)

Tertio potest Episcopus per se, vel per alium examinare ingenium, scientiam, defectus corporis, imo & bonos mores Regularis ordinandi; etsi in hoc ultimo puncto testimonialibus Superiorum litteris fidem, nisi quid obstet, habere debeat.

Quarto solius est etiam Episcopi dispensare Regulares ab interstitiis: licet possint Superiores eidem exhibere quam graviter egeant ordinatis.

CONCLUSIO II. Pendent Regulares ab Episcopis in eo, quod ad Sacramentorum, præsertim vero Pœnitentiæ administrationem spectat; pendent & in officio concionandi.

Prob. quia cum gravis sæculo proxime elapso Senonis, & Andegavi ea de re exarsisset controversia, has Regularium propositiones reprobavit Conventus generalis anni 1556.

„ I. Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Sæcularium confessiones audire possint. „ Neque ex illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt, cum in Gallia receptum „ non sit, præterquam in decisionibus fidei: neque etiam

„ etiam Bulla Pii IV. pro confirmatione illius Concilii promulgata.

„ II. Ubi Concilium Tridentinum est receptum, „ non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ulla ex causa revocare; quinimo Ordinum Mendicantium Religiosi „ ad eas approbationes obtinendas non tenentur; & „ si ab Episcopis Religiosi non probentur, rejectio „ illa tantumdem valet, ac si approbatio concessa „ fuisset.

„ III. Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas „ in sua Diœcesi habentur pro approbatis in aliis „ Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi „ sæculares a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi „ ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit...

„ IV. Regulares Mendicantes petere possunt licite „ a Judicibus sæcularibus, ut injungant Episcopis, „ quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum „ in Adventu, & Quadragesima: quod si renuant „ facere Episcopi, Decretum Judicum sæcularium „ tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis „ concessa fuisset. „ Quas quidem propositiones cum aliis duabus ad Missam Parochialem, & confessionem annuam pertinentibus Gallicani Patres damnavere ut *respective temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim, & schisma inducentes, &c.*

Easdem quatuor propositiones, applicata sua unicuique nota Gallicanis qualificationibus non impari, reprobavit Alexander VII. die Januarii 30. an. 1635. Unde sapienter Paulus a Lugduno hæc loquitur: „ Regulares Episcoporum auctoritati omnino subjacent „ in approbatione pro administranda sæcularibus pœnitentia: ideoque Episcopi restringere possunt, vel „ limitare eorum approbationes ad certas personas, „ necnon ad certa loca, & tempora. Item eas revocare possunt, vel Confessarios hujusmodi ab audiendis confessionibus suspendere, ex nova causa „ ad confessiones pertinente, etiam absque individua „ hujus causæ expressione. Item approbati sine restrictione a Vicario generali Episcopi possunt iterum „ ab ipso Episcopo ad examen revocari. Item approbati „ ab Episcopo possunt ab ejus successore rursus examinari; & si minus capaces fuerint inventi, possunt „ rejici. Item in una Diœcesi generatim approbati „ confessiones in alia Diœcesi excipere non possunt „ absque Diœcesani Episcopi approbatione. Item a „ casibus Episcopo reservatis absolvere non possunt, „ nisi hæc facultas ab illo ipsis fuerit concessa, non „ obstantibus quibuslibet eorum privilegiis. Hæc omnia constant tum ex Trid. Concilio, tum ex pluribus ubique receptis Summorum Pontificum Constitutionibus, ac Decretis, Clemen. *Dudum*, Gregorii XV. *Inscrutabili*, Clementis X. *Superna*, Alexandri VII. &c.

Hic addendum I. Regulares quantumvis exemtos omnia, quæ a locorum Ordinariis circa observanda, & vitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, penitus servare teneri, & ad id censuris compelli posse; unde si Episcopus sub pœna suspensionis vetuerit, ne Missæ Canon alta voce recitetur, ut Lauduni vetitum est, huic pœnæ, sicut & alii subjacebunt Regulares. II. eosdem Regulares, ne in ipsis quidem suis Ecclesiis, contradicente Episcopo, sacras conciones habere posse. III. arcendos a ministerio verbi, qui errores spargunt. IV. Regulares, si privilegiis suis in absolutione casuum Sedi Apostolicæ reservatorum *uti voluerint, teneri ea Episcopo exhibere*, prout declaraverunt Clemens VIII. Innocentius X., Cleri Gallicani Comitia, & Ludovicus XIII. an. 1639.

CONCLUSIO III. Regulares Episcopis multipliciter subjacent quoad censuras.

Prob. possunt enim Episcopi I. cogere Regulares per censuras, ut contra canonicas sanctiones privilegiis suis non utantur. Ante tamen quam ad dura censurarum remedia deveniatur, *paternis admonitionibus* uti debent Episcopi, ut monet Tridentinum Sess. 21. cap. 8.

II. possunt Episcopi etiam per censuras *ab homine* animadvertere non solum in Regulares, qui extra claustrum degunt, præsertim Apostatas, & ab Ordine ejectos, sed & in eos, qui quædam etiam in claustro ediderint crimina, puta qui errores docuerint, qui non accepto Sacerdotio Sacrum fecerint, ante exceperint confessiones, qui in tribunali Pœnitentem sollicitaverint ad crimen.

III. possunt & exigere Episcopi, ut quas ipsi censuras tulerint, promulgent Regulares, easque Ecclesiarum suarum valvis affigi patiantur. Tunc vero eos, quos publica censura percusserit Episcopus, a domo sua abigere, & a sacris functionibus apud se peragendis arcere debent. Debent & interdicta servare, & consequenter ad monitoria crimen, quod rescierint, detegere (*V. Trid. Sess. 25. c. 12. de Regul.*).

CONCLUSIO IV. Regulares quoad Festorum celebrationem Episcopis morem gerere tenentur.

Prob. ea Tridentino Sess. 25. cap. 12. de Regular. ubi sic: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemtis omnibus etiam Regularibus serventur.*

Circa Decretum hoc quædam notanda: I. Regulares qui subessent Monasterio nullius Diœcesis, haud teneri ad servandos festos dies, qui ab ejusdem Monasterii Abbate instituerentur. II. ut Regulares Diœcesana festa rite celebrent, requiri, ut & pridie jejunent aliis jejunantibus (quanquam a jejuniis recenter inductis, præciso tamen scandalo, Regulares exemtos absolvunt Sylvius, & Pontas), & ipsa die, a quocumque servili opere sive per se, sive per suos exercendo abstineant. III. haud tamen necessum esse communiter loquendo, ut officium de Festo Diœcesano legant *tam publice, quam privatim....etsi quoad conciones, & lectiones, quas ad populum habuerint*, debeant *se conformare Evangeliis, & festis, quibus Clerus sæcularis utitur illis festis diebus*. Ita definit S. Congregatio.

Dixi *communiter loquendo*, quia satis receptum est Regulares quamumvis exemtos teneri ad celebranda festa Patroni Ecclesiæ Cathedralis, Dedicationis ejus-

ejusdem Ecclesiæ, (quamvis ad hanc ex quadam solum congruentia Regulares obliget Gavantus); Patroni item Diœcesis, si forte alius est a Patrooo Cathedralis; item Patronorum minus principalium, ubi festa eorum solemnia esse contingit; licet nullam esse legem, quæ hic stricte, & vere obliget, doceat idem Gavantus. Etsi vero Regulares ad prædicta festa teneri dicuntur, haud tamen ad earum Octavas, ut sæpius declaravit sacra Congregatio; licer eas, (eum Patroni sunt insignes, ut S. Dionysios Parisiis, S. Martinus Turonibus) celebrare laudandum magis sit, quam vituperandum. Idem dicendum de Ecclesiis, qoæ subsunt jurisdictioni Ecclesiæ Abbatialis, aut Collegiatæ per se exemtæ: illæ enim harum festa peragere debent, licet non eodem ritu peragere teneantur.

Quod spectat ad Clausuram Regularium duas ea de re nuper edidit Constitutiones Benedictus XIV. unam quidem *super clausura Monasteriorum quorumcumque virorum Regularium*, quæ incipit, *Regularis*; aliam vero *super clausura Monialium*; quæ incipit, *Salutare*, utramque die Januarii 3. an. 1742. Utraque hæc constitutio, si quando in Galliis vigebit, haud dubium, quin multis abusibus viam præcludet. Interim paucis definiemus: I. posse Episcopos, saltem ut delegatos a Papa Moniales etiam exemtas adigera ad clausuram, etiamsi eam non voverint. Clausura enim non est supra regulam, nee sopra votum, sed in regula implicite continetur, ut quæ pertineat ad commodiorem castitatis custodiam. Eadem de causa injungere possunt Episcopi, ut Moniales a sæcularibus, a quibus invisuntur, ferrei, aut lignei clathri adminiculo separentur; quod tamen Andegavi quoad celebrem Abbatiam frustra tentatum est.

(✠) Constitutiones, quas hic laodat Auctor robur omne, vim omnem apud Italos habent. Atque in prima, quæ Regolares viros respicit, Summus Pontifex omnes, & singulas Constitutiones, Sanctionesque a Romanis Pontificibus tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta super clausura Monasteriorum quorumcumque Religiosorum editas renovat, & confirmat, ac prohibet, ne intra Monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas, quocumque pietatis, ac Religionis prætextu Fœminæ quælibet admittantur, ac recipiantur. In altera autem, quæ pro Monialibus est, confirmatis etiam, & renovatis Prædecessorum suorum tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta, constitutionibus, illarum observationem iterum statuit, decernit, atque mandat, revocando, abolendo, annullando, atque irritando omnia, & singula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, quæ præfatis Constitutionibus quoquo modo contraria sint. (✠)

II. non posse Monialem etiam exemtam absque Episcopi licentia in scriptis concessa egredi e Monasterio. Ita post Tridentinom sess. 25. cap. 5. sanxit Edictum an. 1695. art. 19., atque id pro Monialibus Ordinis sui pie, & sancte constituerant Carthusiani jam ab anno 1578. At contradixere, & quidem non sine successu Abbates Cistercienses. Cæterum eo usque a Superioribus suis pendent Moniales in eo, quod spectat ad exitum e Monasterio, ut hinc nequidem ad strictiora egredi possint absque eorum consensione Pontificio brevi confirmata. Quod autem sanxit Pius V. Monialem e Conventu suo non *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ* exire posse, non viget in Gallia: unde si ad Monialis valetudinem pertineat, ut cœlum gravius in aerem salubrem mutet, sufficiet ei Superioris, & Episcopi assensus.

III. peccare letaliter Superiores, qui Monialibus e claustro exeundi licentiam faciunt leviori de causa, idemque de Monialibus, nisi eas excuset bona fides, videtur essa statuendum; quia peccato gravi cooperantur, illudque promovent.

IV. Clausuram, quidquid sentiant Religiosi quidam, & Moniales, violari: I. cum extraneis in Monasterium permittitur ingressus, eo quod murorum quædam pars corruerit; est enim hæc *consuetudo* ex numero earum, *quæ* quia *canonicis* obviant *institutis*, *nullius* debent *esse momenti*.

II. cum in Monasterium intromittuntur seu infantes utriusque sexus etiam septennio minores, quod & vetitum est art. 3. Sanctionis Blesensis; seu pauperes vel novis vestibus induendi, vel medica manu tractandi; seu Monialium etiam ægrotantium sanguinai, aut affines.

III. cum ii, qui legitima de causa intra septa domus admittuntur, alio ducuntur, quam quo duci indigent, ut si Confessarii, aut Chirurgi, quibus valetudinarium ingredi satis fuerat, in cellas, hortos, & officinas deducantur. Ita Pontas, qui tamen in hoc prostremo casu negat incurri excommunicationem latam a Tridentino sess. 25. cap. 5. *De Regularib.* adversus eos, qui *cujuscumque sint generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis, ingredi* præsumserint *intra septa Monasterii sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta*. Ut ut est, etsi non pauci Auctores tum in piorum etiam usu, tum in materiæ levitate fundati eos etiam a veniali peccaro excusant, qui curiositatis causa aliquantisper in invisendis Monasterii officinis immorantur, multo tamen satius est curiositatem hanc compescere, præsertim cum aliqui haud rigidiores moram longiorem eam voceot, quæ excedit tempus quadrantis.

De clausura Religiosorum virorum docet Bonacina: I. feminas, quæ eam illicite Monasteria ingrediendo violant, incurrere excommunicationem Papæ reservatam: quæ reservatio juxta Cabassutium locum non habet in Gallia, *etiam quando is reatus publice innotuit*. II. Religiosos, qui *faciunt, aut permittunt* easdem *feminas ingredi sua Monasteria prætextu facultatum a Summo Pontifice, vel ab aliis concessarum*, pari obnoxios esse excommunicationis censuræ, & incurrere insuper privationem dignitatum, & beneficiorum, & ad illa etiam inhabiles fieri, III. & eos, qui sine prætextu mox exposito feminas in Monasteria intromittere, vel admittere præsumunt, suspensionis vinculo irretiri, iisdemque, quibus alii mox recensiti, privationibus, & inhabilitatibus subjacere: verum prædictæ inhabilitates, ac privationes non ante incurruntur, quam

judex sententiam tulerit criminis declaratoriam.

Quæres, quæ loca sub clausura Regulari comprehendantur.

R. comprehendi communiter dormitorium, claustrum, Bibliothecam, capitulum, hortos etiam non muro, sed sepe conclusos, refectorium, valetudinaria, culinam, aliasque interiores officinas; non tamen Sacristiam, capellas Ecclesiæ junctas, quæ sine transitu per Monasterium adiri possint, vel Chorum; quanquam vix sine scandalo in chorum, qui post altare majus situs esset, admitti possint feminæ, præsertim cum mulieres omnes a choro quocumque procul fieri maxime deceat.

## CAPUT TERTIUM.

### *De obligationibus Judicum.*

JUdex est persona publica potestatem habens de eorum, qui sibi subditi sunt, controversiis, & criminibus cognoscendi, eorumque causas ex præscripto legum per sententiam definiendi.

Judex dividitur I. in Ecclesiasticum, & Civilem. Prior lites Ecclesiasticas; posterior Civilia negotia tractat, & dirimit.

II. in Judicem supremum, & inferiorem. Prior ille dicitur, a quo provocatio non est; posterior est ille, a quo ad alium appellare licet.

III. in Judicem ordinarium, & delegatum. Ordinarius ille est, qui vi officii sui habet potestatem judicandi. Delegatus is est, cui judicandi facultas non ex proprio jure competit, sed ex alterius commissione; unde in jure appellatur etiam Judex *datus*, *Commissarius*, *&c.*

IV. Judex delegatus vel est delegatus ad universitatem causarum, vel ad causam particularem. Prior aliquam suæ jurisdictionis partem subdelegare potest, non posterior, nisi a supremo Principe delegatus sit, prout dixi ubi de Legibus.

Ut materiam hanc cum aliquali methodo tractemus, videndum, quid Judex debeat sibi, quid legibus, quid iis, quibus jus dicit.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De obligationibus Judicum in ordine ad se.*

JUdicibus sedulo enitendum esse, ut omnium virtutum apparatu instructi sint, facile intelliget, quisquis cogitaverit, eisdem de fortunis, de honore, de ipsa hominum vita dijudicandum esse: sic tamen ut quidquid judicaverint, illud ad supremi Judicis tribunal sit aliquando deferendum; quod nervose indicant hæc Psalm. 81. verba: *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis: surge Deus judica terram.* Quoniam vero singulas Magistratuum dotes scrutari non vacat, idcirco præcipuas t engemus. Sit

CONCLUSIO. Judex vigere debet ingenio, intelligentia, seu, ut loquimur, bono sensu, scientia, constantia, & animi fortitudine, gravitate morum, debet & a lucri studio adversus esse.

Prob. 1. pars. Judex ex dicendis scientiam, eamque nec in gradu mediocri, nec in genere facili, sed mille nodis implicato habere debet: atqui ad id necesse est, ut ingenium dives, solidum, & ad omnia expeditum acceperit a natura; ergo qui hebes est, a Judicis officio exclusus est ex natura rei.

Prob. 2. pars. Judicis est I. sententiam ferre de rebus ut plurimum intricatis seu ex se, seu ex parte Advocatorum, qui res aliquando etiam perspicuas eo usque involvunt, ut vix certa ab incertis secerni queant. II. attendere ad omnes juris, & facti circumstantias. III. principia singulis, qui occurrunt, casibus applicare: atqui nisi intelligentia, & plurima, sensus rectitudine donatus sit, non magis hæc tria præstare potest, quam possit quis sine pedibus gradi, ut ex se patet; ergo.

Prob. 3. pars. I. ex Scriptura: Deuteron. 1. *Non valeo solus*, ait ad populum Moyses, *negotia vestra sustinere, & pondus, ac jurgia: date ex vobis sapientes, & gnaros.* Psalm. 2. *Erudimini, qui judicatis terram*; quia, ut ridiculum est picturam, aliamve quamcumque artem, quam nescias, profiteri velle, sic eo ridiculum est, ac periculosum magis ignotam exercere judicaturam, quo hæc gravius objectum habet.

Porro ut non una est judicum omnium jurisdictio, nec eædem, ejusdemque momenti omnibus veniunt definiendæ lites, sic nec una, ejusdemque gradus ab omnibus scientia expeti potest. Vulgo tamen necesse videtur, ut Judex plenam habeat cognitionem: I. juris etiam Cæsarei, quod innumeris in casibus inservit ut æqui, & veri norma. II. Constitutionum, & Edictorum, quæ a Regibus nostris emanavere. III. consuetudinum, quæ vigent in territoriis, quibus jus dicit. IV. debet & nosse quo sensu legum, consuetudinumque articulos intellexerint, qui plenioren earum notitiam habuisse censentur. V. imo & scire debet id, quod inferiores sui scire debent, ut eos, cum ex imperitia, aut libidine delinquunt, emendet, & ad meliorem viam reducat; prout reducere tenetur ex variis Regni sanctionibus. Præter hæc, quæ naturali jure obligant, sancitum est Regia declaratione an. 1680. die 26. Januarii, ut nemo nisi Licentiatus plenaque judiciarii muneris officia exercere possit. Idem in Jure Canonico requiritur gradus, ut quis Officialis munere defungatur.

Prob. 4. pars: I. ex cap. 7. Eccli. ubi sic: *Noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis.* II. quia Judex sic affectus esse debet, ut nec odio, nec amori, nec vindictæ desiderio, nec præmiorum humanorum spei, nec potentum minis, nec pœnarum, aut mortis ipsius timori cedat: atqui ad id summa opus est constantia, & invicto animi robore. Unde hic vix satis mentem firmant graviora Religionis motiva; e quibus tamen utiliter sibi revocabunt Magistratus id, quod

quod olim ad judices a ſe conſtitutos dicebar Joſaphar II. Paralip. 19. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.*

Confirm. Judex integritate præcipue indiget, & patientia. Integritate quidem, ut nec ad dextram, nec ad lævam a recto tramite deduci poſſit; patientia vero, ut ſtudiis plerumque difficilibus vacet, & obſcura partium jura penetret, & vix alienis, qui ſæpe fallunt, & falluntur, oculis credat: atqui hæc præſtare nequit, niſi conſtantia polleat, & animi firmitudine; ergo.

Prob. 5. pars. Tenentur judices ſuum & legibus, & ſibimetipſis honorem aſſerere, continere cives, & in Republica chriſtiana chriſtianum ordinem fovere: atqui eo nuſquam devenient, niſi ſe morum gravitate commendandos exhibeant. An enim legum honorem tuebuntur, qui eaſdem primi violaverint? an reverebitur populus eos, qui depravatis moribus infamiam ſibi, probrumque intulerint.

Prob. 6. pars. Præcipua judicum dos eſt integritas, quæ nec corrumpi, nec labefactari queat: atqui Judex lucrum inhians, & avaritiæ ſtudens, plenam hanc in dicendo jure integritatem habere non poterit: quia quocumque munerum intuitu flectetur, ejuſque partis, quæ plus obtulerit, jura magis certa & indubia nativo quodam mentis impetu deprehendet. Hinc illud Deuteron. 16. *Non accipies perſonam, nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*; & Proverb. 15. *Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam, qui autem odit munera, vivet*; neque pro futuro tantum, ſed & pro præſenti ſæculo domum ſuam conturbat, qui juſtitiam vendit; cum frequens doceat experientia, male partas opes peſſime dilabi. Sed de his rurſus art. 3. concl. 2.

Ex his principiis colliges: I. graviter peccare, & ad damni ſecuti reparationem teneri judices, qui ex ignorantia, non dicam craſſa, ſed levi ſententiam injuſtam proferunt. II. mortaliter peccare eum, qui ſuæ ſibi vel imperitiæ, vel puſillanimitatis conſcius munus accipit, aut non dimittit, aut ſaltem functiones ejus non ſuſpendit, donec id, quod ſibi deeſt ex parte ſcientiæ, aut ex aliis capitibus, ſupplere, vel emendare curet ſive ſtudio, ſive jugi oratione. Unde liquet officium illius, qui Judicum, juſtitiæque Miniſtrorum confeſſiones excipit, plenum eſſe periculi, & attentionem ſolita majorem requirere.

Quæres, an Judex, qui imperite, vel inattente Judicis officium geſſit per annos 20., poſſit privilegiis Judici veterano conceſſis uti.

R. negat. hæc enim privilegia, quæ in juribus honorificis, & immunitate a ſolvendis quibuſdam tributis conſiſtunt, iis ſolum ex Principis intentione tribuuntur, qui munia ſua digne, & ut par eſt, obierint: atqui indigne prorſus officium ſuum exercuit Judex, de quo loquimur; ergo nullum habet jus in mercedem æquis ſolum Judicibus conceſſam.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De obligatione Judicum in ordine ad leges.*

IN Judicibus uberem requiri legum ſcientiam paret ex dictis: expendendum hic I. an eadem ſcientia judiciariæ deciſionis norma eſſe debeat. II. quid facto opus ſit in caſu a lege vel obſcure tacto, vel etiam prætermiſſo. III. quid item fieri debeat, cum conſcientia vetare videtur, ne legem ſequaris; puta ſi lex eum ex allegatis, & probatis morti addici, aut bonis privare velit, quem nec hanc, nec illam pœnam meruiſſe cognoviſti. Sit

CONCLUSIO I. Judex ſecundum leges, & ordinem legibus præſcriptum ſententiam ferre tenetur.

Prob. I. ex Patribus, e quibus in re aperta ſufficiat adduxiſſe SS. Ambroſium, & Auguſtinum. *Bonus Judex*, ait Ambroſius Serm. 20. in Pſalm. 108., *ex arbitrio ſuo nihil facit.... ſed juxta leges, & jura pronuntiat.* Auguſtinus vero Lib. de vera Relig. cap. 31. *In temporalibus legibus*, inquit, *quanquam de his homines judicent, cum eas inſtituunt, tamen cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit Judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas.*

Prob. II. Judex eatenus legitime judicat, quatenus judicandi auctoritatem accepit: atqui nemo eſt Judicum, qui poteſtatem acceperit pro nutu, & phantaſia judicandi, ſed id omnibus præceptum eſt, ut ſecundum leges judicium ferant: atque id diſerte edixit Ludovicus Magnus ſanctione Regia an. 1667. tit. 1. art. 8. *Déclarons tous Arrêts & Jugemens, qui ſeront donnés contre la diſpoſition de nos Ordonnances, Edits, & Declarations, nuls & de nul effet & valeur; & les Juges qui les auront rendus, reſponſables des dommages & interêts des Parties, ainſi qu' il ſera par nous aviſé.*

Hinc colliges peccare Judicem, qui commiſeratione ductus minorem reo pœnam indicit, quam quæ legibus conſtituta ſit. *Miſericordia* enim *Judicis habet* quidem *locum in his, quæ arbitrio Judicis relinquuntur, in quibus boni viri eſt, ut ſit diminutivus pœnarum.... in his autem, quæ ſunt determinata ſecundum legem divinam, vel humanam, non eſt ſuum miſericordiam facere*; ſed ſolum Principis, *cui eſt plenarie poteſtas publica commiſſa*; & quem decet legum rigori detrahere poſſe. Ita S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 4.

Haud tamen peccat Judex, qui pro tempore, & loco ſpiritum legis potius, quam verba ſectatur. Unde qui crimen triremibus dignum commiſit, poteſt quandoque minori affici pœna, ſi id exigat conditio ætatis jam provectæ. Ei quoque, qui graviorem incurrit mulctam, minor ob inopiam, qua alioqui premeretur, imponi poteſt.

Quod ſi rei crimen, etſi probabilius, maneat obſcurum, nec probatum ſatis, mitius cum eo agendum erit, idque ex præſcripto Juris tum Canonici, tum Civilis. Canonici quidem, juxta cujus regulam XI. in 6. *Cum ſunt partium jura obſcura, reo favendum eſt potius, quam actori.* Civilis vero, quo cautum eſt, ut *favorabiliores rei potius, quam actores habeantur.* Leg.

125.

197. ff. eod. tit. Et vero longe minus peccat, qui crimen relinquit inultum, quam qui innocentem addicit morti. Aliud est cum de *interesse*, seu de bono civili agitur; tunc enim Judex probabiliori parti semper adhærere debet, præsertim cum cavendum est, ne quis privetur re, quam possidet.

Quod si contingat, ut uterque litigans personam possessoris sustineat, ut si duo, qui de jure venandi contendunt, suam ambo possessionem probent, præferetur ille, cujus antiquior est possessio, vel titulo munita. Si vero utrobique sit paritas, cuilibet possessio communiter, aut divisim adjudicanda erit, secundum tritum istud *Uti possidetis, ita possideatis.* Cæterum quidquid in casibus dubiis faciat Judex, nec uni præ altero, eo quod sibi amicus sit, favere; nec ab alio quidpiam accipere potest, ut ea ejus gratiam judicet: unde merito confixa est an. 1655. propositio hæc ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

CONCLUSIO II. In casibus a lege obscure tactis, aut etiam prætermissis Judex habet semper fixum aliquid, quod sequatur, & a quo recedere non potest pro nutu, & arbitrio.

Prob. I. Ut Judex in casibus utrolibet sensu ambiguis judicare pro nutu, & arbitrio non possit, sufficit, ut tunc temporis id, quod omnibus rite ponderatis æqui & veri magis simile detexerit, sequi teneatur: atqui res ita se habet. Deficiente enim lege positiva, eam sequi necesse est, quæ nunquam deficit, naturalem scilicet, quæ debito modo interrogata, semper id respondet, quod verum est; ergo.

Prob. II. Judex in casibus, qui arbitrarii dicuntur, & male, eo se debet gerere modo, quo vir prudens, cujus arbitratui rem suam partes communi voto commiserint: atqui nemo hactenus somniavit hominem hunc quidquid volet arbitrari posse, sed id solum, quod omnibus mature inspectis æquitati consentaneum magis crediderit; ergo.

(✠) Innocentius XI. reprobavit hanc propositionem, quæ ordine secunda est: *probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* (✠)

Quæres, an Judex possit ea supplere, quæ ab Advocatis imperite prætermissa fuerunt.

R. in primis ad Judicem etiam delegatum pertinere, ut parti litiganti idoneum procuret Advocatum, si hunc ob paupertatem, adversarii potentiam, aliave de causa obtinere nequeat. Ita constitutum est leg. 2. ff. *De postulando.* & vero alioqui pauperes a potentioribus opprimerentur, quod a Judicibus prohibendum.

R. II. ea, quæ sunt *de jure*, si ab Advocatis omissa aut minus bene dicta fuerint, debere suppleri: non autem ea, quæ sunt *de facto*, saltem communiter. Ita vulgo Doctores in Leg. unic. Cod. *Ut quæ desunt Advocatis partium Judex suppleat.* Hinc tenetur Judex ineptum actoris libellum rejicere, concedere dilationes, testes haud legales excludere, &c. quia ista hæc sunt *juris.* At vero monere partium alteram, ut utatur dilationibus, vel privilegio sibi concessis, ut pro injuria satisfactionem petat, ut certa producat instrumenta, nec potest, nec debet; cum nec Advocatum agere, nec de studio partium suspectum se reddere debeat.

Dixi, *regulariter*, quia si factum aliquod vel aliunde, vel ex actis notorium sit, potest illud Judex supplere, cum a partis Advocato suppressum est: puta si publice, aut ex actis constet, aliquem ex delicto inhabilem esse ad standum in judicio, item eum jam præscripsisse rem, de qua lis movetur; imo si de bono publico, causa pia, vel matrimoniali, aut pupillorum rebus sermo sit, plura poterit Judex supplere, quam alioqui possit.

Ut, & antequam solvatur tertia difficultas, quæ Theologos, Canonistas, legumque civilium peritos jam dodum exercet, quædam sunt prænotanda, quo certa ab incertis separentur.

Et quidem I. fatentur omnes Judici, qui non omnino certam rei alicujus notitiam habet, curandum esse, ut & conscientiam deponat, & secundum allegata, ac probata judicet. Debet quidem conscientiam deponere, quia *quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam* ex cap. 13. *De restit. spoliat.* sed & ex allegatis, ac probatis judicare debet; quia pessum iret judiciarius ordo, si ob privatam notitiam incertam, & forte falsam posset Judex ab allegatis, & probatis recedere.

II. & id etiam communiter agnoscunt Doctores, a Judice secundum allegata, & probata absolvendum esse reum, quem propriis oculis delinquentem perspexerit: I. quia generaliter constitutum est, ut actore non probante absolvatur reus. II. quia e duobus malis, quæ simul vitari non possunt, illud amplectendum est, quod minus fuerit: minus porro est, ut absolvatur reus, quam ut judiciarius ordo negligatur. III. quia Judex saltem ordinarius, cum unus sit testis, ac proinde nullus, gratis, & irrito ad minus conatu reum, de quo nunc, morti addicere tentaret.

III. Id etiam apud omnes receptissimum est, ut Magistratus antequam judicet ex allegatis, nullum non moveat lapidem, ut innocentis fortunæ, & multo magis vitæ consulat. Unde debet I. instrumenta, & testes plenioribus oculis perpendere, interrogare circumstantias loci, temporis, &c. ut qui hucusque convenerunt testes, tandem pugnantia loquantur; quæ artis species feliciter cessit Danieli in causa Susannæ. II. debet Judex inquirere, an non aliqua de causa, puta cujusdam exceptionis ope repellere possit actionem, vel accusationem ab iniquo teste illatam. III. si media hæc minime succedant, tenebitur Judex vel efficere, ut reus e carcere aufugiat, vel causam remittere ad Superiorem, eumque de accusati innocentia etiam jurejurando facere certiorem. Quod si idem sit Judex, qui Princeps supremus, is insonti vitam dare tenebitur. Si autem omnia hæc perperam tentata fuerint, quæritur, quid a Judice fieri debeat. Sit

CONCLUSIO III. Judex potius debet duriora quæque, & ipsam mortem pati, quam insontem ex allegatis, & falso probatis morti addicere.

Prob. I. Judici potius moriendum est, quam id faciendum, cujus faciendi nullam vel a Republica, vel

ab

ab ipso Deo potestatem recepit: atqui Judex nec a Republica, nec a Deo recepit potestatem interimendi virum certo innocentem. Non a Republica, tum quia nec hæc insontem morti addicere potest, etiamsi de vitando urbis incendio agatur, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 108. a. 4. ad 2. tum quia tota Reipublicæ potestas oritur a Deo: atqui Deus nullibi vel Reipublicæ, vel alii cuilibet concessit potestatem interficiendi innocentis. Potestas enim tanti momenti exprimi deberet aliquo verbi divini textu tam evidenti, tam *cogente*, ut ille vix ullo effugio declinari posset: atqui nullus in præsenti negotio profertur textus, qui sit omni exceptione major; imo nullus, qui congrue & solide elidi non possit, ut paulo post ostendam. Quæro autem, an hominis vita ab auctoritate adeo incerta, & ad minus in utramque partem versatili pendere possit?

Confirm. I. ex Exodi cap. 23., ubi sic loquitur ipse supremus Judex: *Non suscipies vocem mendacii.... non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies*: atqui contra legem hanc, quæ cum non distinguat, sine distinctione intelligenda est, peccat, qui innocentem morti devovet. Suscipit enim vocem mendacii fœdissimi; sequitur turbam ad faciendum malum; a vero deviat, ne deviet a sententia plurimorum; & nedum eruat *eos, qui ducuntur ad mortem*, (*Prov.* 24.) eosdem interimit; quandoquidem *ille aliquid facit, cujus auctoritate fit*, ut cum aliis docet S. Thomas q. 64. art. 2. ad 1., & aliunde, quidquid clament adversarii, non potest censeri agere per accidens, qui sciens, & volens agit id, unde directe sequitur alterius internecio.

Prob. II. Non potest Judex id, quod intrinsece malum est: atqui ex falsis allegatis insontem vita mulctandum judicare est intrinsece malum. Tam enim intrinsece malum est ex allegatis contra propriam scientiam quempiam insontem vita privandum judicare, quam intrinseca malum sit carnifici idem judicium contra propriam scientiam exequi: atqui hoc intrinsece malum est, cum non magis tortor publico judicio dirigi possit in ordine ad auferendam innocenti vitam, quam eodem dirigi quis possit in ordine ad cognoscendum, ut uxorem suam, eam, quam invicta scit non esse suam; & quam utique nec ut privata, nec ut publica persona cognoscere posset; ergo.

Objiciuntur quinque: I. quod Judex, ut recte judicet judicare debeat ut Vicarius Reipublicæ, ac proinde sicut judicaret Respublica; jam vero si Respublica judicaret, indubie sequeretur publicam scientiam; ergo & Judex eam sequi tenetur. II. ideo Duci turrim, in qua sunt multi innocentes, subvertenti non imputatur mors eorumdem innocentium, quia eam directe non intendit, sed solum expugnationem urbis: atqui pariter Judex non quærit innocentis mortem, sed solam observationem legum, quæ non sine gravi multitudinis offensione violarentur; ergo innocentis mors eidem Judici imputari non debet. III. posita semel opinione nostra flagitiosus quisque absolvi poterit a Judice corrupto; quia sufficiet, ut Judex palam, & audacter dicat sibi constare de innocentia accusati. IV. consultus circa præsentem casum Innocentius III. respondat, *quod cum ordinarius teneatur obsequi delegato, etsi sciat sententiam ejus injustam, exequi nihilominus tenetur eandem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*, cap. 28. *De offic. Jud. deleg.* V. idipsum non obscure definiunt sacri Codices: Deuter. 17. v. 6. *In ore duorum, vel trium peribit, qui interficietur.* Matth. 18. *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum* Verum hæc facile solvuntur. Unde

R. ad 1. neg. min. Respublica enim vel male judicaret, vel non condemnaret eum, cujus innocentiam certo compertam haberet. Unde tunc, ait Sylvius, ab omni judicio abstinere deberet: sicut enim condemnare non posset, quia resisteret jus naturale innocentem necari prohibens; sic nec posset absolvere, quia juridice absolvi nequit is, quem jura reum convincunt.

R. ad 2. neg. maj. Judex enim innocentem morti addicens, tam directe mortem ejus intendit, quam intendat mortem nocentis, quoties eum tortori tradit capite plectendum; at vero Dux urbis expugnandæ gratia turrim subvertens, solam ejus intendit subversionem, quæ non necessario, sed solum per accidens cum innocentium morte consistit. Habet ergo Dux objectum immediate legitimum, non autem Judex: neque hujus actio hinc innocens effici potest, quod formam legibus præscriptam sequi valit: quandoquidem circumstantia bona actionem de se malam honestare nequit; alioqui mundus foret, qui privata auctoritate interficeret hominem palam flagitiosum, ut ei omnem deinceps nocendi viam præcluderet.

R. ad 3. I. vix fieri posse, ut Judex hominis de actione facinorosa juridice convicti patrocinium suscipere ausit. Est anim id & actorem, & testes in calumniosos traducere, quod nec facile est, nec, si prima vice succederet, succederet altera. II. non ideo deseri debet opinio, quia scelesti quidam ea abuti possunt; præsertim cum etiam opposita & gravius, & facilius abuti possunt viri nequam sumendo ex ea occasionem conjurandi in inimicum, quem bonis emungi, vel e medio tolli cupient; persuasi nempe Judicem quocumque in casu teneri ad deferendum duobus testibus, qui fraude strenue composita innocenti stragem præparaverint: porro melius foret centum nocentes absolvi, quam innocentem unum damnari morta.

R. ad 4. I. in eo Innocentii textu non est sermo da pœna mortis, aut mutilationis: ergo ex eo nihil pro præsenti casu colligi potest. II. neque etiam in eo agitur de sententia, quæ ob adversarii dolos, aut falsas litteras nulla sit, & invalida; sed solum de sententia injusta, qualis esse potest sententia ex odii, aut vindictæ motivo in reum lata: hanc autem exequi tenetur simplex Ordinarius, cui, ut loquitur citatus Pontifex, *Non cognitio, sed executio tantum demandatur*.

R. ad 5. dist. *In ore duorum, vel trium peribit, qui interficietur*, id est, non peribit, nisi qui a duobus saltem criminis convictus fuerit, C. id est, peribit necessario, quem duo, vel tres raum esse probaverint etiam ex falsis allegatis, N. Itaque Scripturæ sensus est non posse damnari hominem ab uno duntaxat teste accusatum; unde statim addit Moyses:

*Ne-*

*Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium*. At vero neque hic, neque ullibi dixit Scripture tantam semper, & in omoi casu habendam esse fidem duobus testibus, ut innoceos ex eorum depositione semper morti eddicendus sit, cum ne in civilibusquidem duorum semper sufficiat assertio, ut patet tem in metrimoniis, qoæ ultra duos testes Parochum, & in testamentis, quæ plures, qnam duos testes requirunt.

Major est difficultes, an Judex innocentem probatum nocentem condemnare possit in caosis civilibus, aut criminalibus minoribos, io quibus tantum egitur de pœna pecuniaria, officii privatione, val exilio. Affirmat cum pluribus aliis Sylvius, posito tamen, quod neque deregi falsitas possit, nec impediri processus, & insuper *magna boni communis utilitas*, *seu potius necessitas requirat ferri sententiam*. Assertionis hujus ratio est: I. quod Judex in præseoti casu non afferat damnum irreparabile, secus cum vita quempiam, eut membris privat. II. quod Respublica de iis civium boois, quæ *fortunæ* dicuntur, disponere possit, cum id ad commuoe bonom necessarium est; ergo & Judex, cui auctoritatem suam commisit Respublice, de iis poterit disponere; sic tamen ut prohibere nequeat, quio injuste damnatus compensatione uti possit.

Hæc opinio duplici potissimum de causa difficilis videtur: I. quia non satis congruit probationibus contra S. Thomæ sententiam modo adductis. II. quia etsi Respublice suum urgente de causa bonum auferre possit civibus, at non tanquem facinorosis, cum re ipsa facinorosi non sunt: civem enim innoxium in sceleratum traducere, & ut talem plectare exilio, vel triremibus ad aliquot annos videtur iotrinsece malum. Esto igitur vir frugi, ut alii plures, qui quotidie ceusa cadunt sine dedecore, boois suis spoliari possit, com alioqui graviter turbaretur Respublice: at vix credo eidem aspergi posse infamiæ labem sive per exilii pœnam, sive per booorum privationem, quæ admissi ab eo criminis pœna esse videatur.

---

## ARTICULUS TERTIUS.

*De obligatione Judicum in ordine ad eos, quibus jus dicendum est.*

PRæcipuas, quæ hic moveri possunt, difficultates [illegible] thesibus complectemor.

CONCLUSIO I. Judex iis solum jus dicere potest, in quos jurisdictionem habet.

Prob. ex ipsa judicii natura, quæ *exposcit*, *ut sententia in subditos duntaxat feratur* (*Trid. sess.* 14. c. 7.): unde receptum istod, nullum in Judice majorem esse defectum: quam jurisdictionis. Neque vero illicite solum, sed & invalide sententiam fert Judex in non subditum, quod & expresse sanxit Luduvicus XIV. Constitutione an. 1667. tit. 6. art. 1. Hinc etiam sententententiæ, quas tulit Judex in loco a jurisdictione sua e[illegible]to, quale est cœmeterium, cassæ suor, & irritæ.

[illegible] his colliges, graviter peccere Laicos, qui Ecclesiasticam, eut Clericos, qui laicam jurisdictionem usurpant, quive contra reos decernunt pœnas, quas decernere prohibentur.

Sic cavere debeot Officiales, ne Clericos, quos punire volunt, damnent exilio, triremibus, publica flagellatione, stigmate lilioso, aut ee publicæ reparationis specie, quam gallice dicimus: *amende honorable*. Imo cum certæ summæ solutionem imponunt, non mulctæ, sed eleemosynæ vocabulo uti debeot.

Sic etiam cavere debent Laici Judices, ne in plectendis Clericorum culpis limites sibi jure concessos transgrediantur. Scilicet enim duo sunt genera delictorum, quæ e Clericis committi possunt; elia dicuntur *communia*, alia vero *privilegiata*. Communia suot ea, quæ pœnis Ecclesiasticis abonde puniuntut, vel, ut alii volunt, quæ solis Ecclesiæ legibus repugnant. Privilegiata sunt, quæ juri cuicumque adversa, eo usque atrocia sunt, ut condigne poniri nequeant e jusdum Ecclesiæ pœnis, quas aliunde aspernari solent Clerici ed omne scelerum genus conversi. De delicto commuoi solis Ecclesiæ Ministris judicare competit. De casu auteio privilegiato conjunctim judicant Ecclesiastici, & Regii Judices. Ecclesiastici quidem, quia in crimine privilegiato fere semper involvitur delictum commune, & Ecclesiasticæ legi repugnans: Laici vero, quie eorum est Regiæ legis contemtum, & violationem ulcisci.

Quæ vero delicta privilegiatis annumerari debeant, haud facile potest definiri. Optarat an. 1675. Clerus Gallicanus, ut placeret Christianissimo Regi privilegiatos casus ad octo sequentes reducere: scilicet I. crimen læsæ majestatis divinæ, & humanæ. II. infractiooem *salvæ-guardiæ* cuipiam seu quoad res, seu quoad personam concessæ. III. seditiosam armorum gestionem, & crimina hac occasione perpetrata. IV. adulteretæ monetæ scelus. V. assassinatum. VI. veneficium. VII. crimeo raptus. VIII. furtum publicum. Sed nullum hacteous prodiit diploma, quo istud tanti momenti negotium fixum fuerit, & determinatum. Unum est, quod cum Ducassio indubie asserri possit, privilegiati delicti rationem habere quodcumque scelus capitali sententia dignum. Addit du Perrai in notis ad ert. 38. Edicti ao. 1695. Clericom, qui in litis decursu falsum instrumentum cuderet, a solo Judice Laico damnari posse; quie quilque inustam tribuoali suo labem plectere potest: atque ideo superius dixi, non semper, sed fere semper in crimine privilegiato involvi delictum, quod ab Ecclesiestico Judice puniri debeat.

Hinc rursum inferes lethaliter peccare (*Prevot*) Cepitalem Tribunum, aliumve quemlibet inferiorem Judicam, qoi Clericum assassinatus publici reum, non obstante ejusdem Clerici appellatione, morte afficit: id enim concessum quidem est iisdem Tribunis erga Laicos, non autem quoad Clericos, ut patet ex art. 41. Edicti ao. 1691. Haud tamen rei censentur, qui subscribunt, non tamen acquiescunt sententiæ adversus Clericum incompeteoter latæ. Est enim in usu positum, ut judicio subscribaot ii etiam, qoibus idem judicium videtur iniquum esse. Neque vero ex unanimi subscriptiooe colligi potest unanimem fuisse Judicem

dicum sententiam, sed solummodo judicium vere, & in consueta forma latum fuisse. Aliud esset de Judice, qui metu, aut aliter iniquæ aequiesceret sententiæ, aut, qua die eandem a Judicibus corruptis latum iri cognoscit, abesset e foro.

Quæres, quibus Clericis competat jus declinatorium ad Ecclesiasticum Judicem.

R. Jus illud de jure communi iis etiam competere Clericis, qui matrimonio contracto clericaliter vivunt, id est, qui & tonsuram, & habitum clericalem gestant. Aliter se res habent in Gallia, ubi Clericus uxorem ducens, aut commercio vacans excidit a privilegio fori: haud tamen dicendum cum Pontas v. *Judex* cas. 30. iis solum prodesse fori privilegium, qui sunt in Sacris. Contrarium enim patet ex art. 38. Edicti an. 1695., ubi sic legitur: *Les Procès criminels qu' il sera necessaire de faire à tous Prestres, Diacres, Soudiacres, ou Clercs vivans clericalement, resseans, & servans aux Offices .... & qui seront accusés des cas, que l' on appelle privilegiés, seront instruits conjointement par les Juges d'Eglise, & par nos Baillis &c.*

CONCLUSIO II. Judex dona, munera, & pensiones ab iis, quibus jus dicit, accipere non potest sine gravi peccato. Unde stipendio suo, & quidem intra limites sibi permissos contentus esse debet.

Prob. I. ex Scriptura Eccli. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum, & quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Prov. 17. *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* Unde sic: Peccat graviter, qui se se exponit cæcitati voluntariæ in re, quæ totam animi perspicacitatem requirit; quique rectas judiciorum semitas pervertit: atqui hæc facit Judex, qui donorum amori cedit, idque non minus declarat ratio, quam Scriptura, ergo.

Prob. II. ex Jure Canonico. *Non licet*, ait ex S. Augustino Can. 71. xi. q. 3., *non licet Judici vendere justum judicium*. & can. 66. ibid. *Acceptio nummorum prævaricatio veritatis est, unde & pro justo dicitur: Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

Prob. III. e Regum nostrorum sanctionibus, quæ plus apud avaros Judices poterunt, quam quæcumque Scripturæ, aut Canonici Juris auctoritates. *Défendons*, verba sunt Henrici III. in Comitiis Blesensibus n. 114. *Défendons à tous nos Officiers ..... de prendre, ni recevoir de ceux qui auront affaire a eux, aucuns dons & présens de quelque chose que ce soit, sous peine de concussion.* Præiverant cum aliis pluribus Carolus VII., Ludovicus XII., & an. 1535. Franciscus I., quorum Edicta pro sua pietate confirmavit Ludovicus Magnus sua potissimum Constitutione an. 1667., ubi sic tit. 31. art. 32. legere est: *Tous les droits seront reglés suivans l' usage des Sieges, dans lesquels les condamnations seront intervenues ..... & seront les dépens taxés par les Juges Commissaires Examinateurs. Nous défendons de prendre plus grands droits, sous prétexte d' attributions, & usages contraires, à peine de concussion, & d' interdiction de leurs charges.*

Hinc colliges I. Judicem præsertim in Gallia teneri ad restituendum quidquid a partibus litigantibus ceperit; tum quia gratis jus dicere tenetur, tum quia receptio cujuslibet doni mera censetur concussio secundum Regni leges, tum quia Clerus Gallicanus an. 1700. propositionem istam: *Possunt Judices accipere munera a litigantibus, nec tenentur restituere, quæ acceperint ad pronuntiandam sententiam*, reprobavit ut *falsam, perniciosam, verbo Dei contrariam, & Judicum corruptelas inducentem.*

Colliges II. hæredes Judicis, qui magnam boni sui partem ex receptis muneribus lucratus est, ad ejus restitutionem teneri: & hæc quidem restitutio ei, qui rem suam dedit, facienda est, sive Judex extorserit, sive litigans sponte dederit: etsi eos, qui pauperibus restituissent, prout iisdem restituendum censent multi, damnare non præsumam.

Colliges III. quod licet possit absolute Judex, lite jam dijudicata, munus aliquod accipere a partibus, multiplici tamen hic præcauto opus sit. Si enim munera non tam in animi bene memoris signum offerantur, quam ut Judex ad favorem in lite propediem futura inclinetur, utique abjicienda erunt, aut si jam consumta sint, in æquivalenti restituenda.

Colliges IV. Judicem Ecclesiasticum, qui se muneribus corrumpi sinit, gravius peccare, quam Sæcularem ratione status sui. Imo *spiritualis Judex vendendo verum judicium, simoniam committit* ex S. Thoma in 4. dist. 25. a. 2.. Quod intelligo de Judice negotia spiritualia tractante: alioqui non video, cur Senator Clericus plus simoniæ reus sit, quam Sæcularis, si de negotiis pure civilibus sermo sit.

Quæres, an Judex, qui ad instantiam solius Procuratoris Regii aliquem condemnat, possit multæ, quam reo imposuit, partem retinere, eo prætextu, quod quisquis laborat, sua sit mercede dignus.

R. negat. patet id ex art. 129. Constitutionis Blesensis, quæ sic habet: *Défendons tres.expressement à nos Présidens, & à tous autres Juges de taxer aucunes pièces, ou il n' y aura que nos Procureurs Generaux, ou leurs Substituts, parties.* Cum ergo unusquisque annexum muneri suo onus acceptaverit, necessum est, ut Judex in præsenti casu gratis operetur. Neque hic allegari posset consuetudo, cum hæc non deroget legi reclamante Principe.

Quæres II. an Judex munus Collectoris vectigalium recusare possit.

R. non posse, nisi ab eodem sit immunis ex Officii sui privilegio. Alias debet reparare damnum, quod concivibus suis intulit, communia cum iisdem onera non partiendo.

CONCLUSIO III. Judex in dicendo jure nullam debet habere rationem personarum.

Prob. quia Judex nec pauperis rationem habere potest, nec divitis. Non I. pauperis: etsi enim, ut solide ait S. Thomas a. a. q. 63. a. 4. ad 3., Judex *debet pauperi subvenire quantum potest*, at id tamen facere debet *sine læsione justitiæ: alioquin habet locum illud, quod dicitur* Exodi 23. *Pauperis quoque non misereberis.* Non II. divitis, cum Deus severe admodum animadversurus sit in Judices, qui potentatum sæculi muneribus, aut timore labefactati *causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pau-*

*pauperum non judicaverunt*. Jerem. 5.

Hinc, ait S. Raimund., si Judex humani favoris servus *nullo modo voluit sententiam ferre*, *& propter hoc pauper aliquis*, *vel alius amittit jus suum*, *debet* idem Judex *restituere litis æstimationem ei*, *qui propter ejus negligentiam læsus est*. Ulterius progreditur S. Thomas, & docet, quod *quantumcumque scandalum debeat sequi*, *Judex debet facere*, *quod jus suum* unicuique privato *reddatur*: licet ab *illatione pœnarum* scelesto cuipiam inferendarum abstinere debeat seu mitigando, seu etiam prætermittendo severitatem juris, *si videt ex earum inflictione majus incommodum Reipublicæ* proventurum esse.

CONCLUSIO IV. Judex debitam in examinandis, ac terminandis litibus diligentiam tenetur adhibere.

Prob. Debita diligentia duo requirit: I. maturum rei dijudicandæ examen. II. celeritatem in ferenda sententia, quantam cum prædicto examine conciliare licet: atqui utrumque debent Judices subditis suis: I. quidem rei totius examen maturum, cum alioqui in rebus sæpe intricatissimis non omnes scrutari possint rerum facies, quarum tamen si vel una elabatur, nutabit judicium, excidetque sive a bonis possessor legitimus, sive ab honore, & vita homo innocens. II. debent & celeritatem, ne, ut toties evenit, vel ambo, litigantes omnem erogent substantiam, priusquam judicium obtineant, vel pauperes tot sumtibus ferendis impares ad iniquam transactionem, & forte aliquid deterius misere adigantur. Intendant ergo Judices in exemplum sancti Job, qui cap. 29. de se ait: *Pater eram pauperum*, *& causam*, *quam nesciebam*, *diligentissime investigabam*.

Hinc colliges ad restituendum teneri: I. Judices, qui ante discussam, ut decebat, causam judicium iniquum tulerunt; imo gravis adhoc peccati conscii essent, si in hoc casu non recessissent a justitia: quia non nisi materialiter bene judicassent. II. & eos etiam, qui dilato de die in diem rerum examine causa sunt, cur testibus jam mortuis, aut alio profectis, desint probationes; cur pupilli, quibos protectores suos mors abstulit, hæreditatis suæ jacturam fecerint, &c.

## CAPUT QUARTUM.

*De obligationibus eorum*, *qui ad Judicia concurrunt*.

AD judicia suo modo concurrunt Advocati, Referentes, Procuratores, Notarii, Scribæ, & Apparitores.

Advocatus ille est, qui in jure Licentiatus, & causidicorum matriculæ inscriptus suum in negotiis forensibus liriganti parti auxilium præbet, consilio, scriptura, vel viva voce causam ipsius agendo.

Procurator is est, qui litigantis mandato, & nomine causam in judicio prosequitor; differt ab Advocato, quod Advocatus non eodem modo agere censeatur partis nomine.

Referens ille est e Judicibus, cui litis, vel instantiæ committitur examen, ut illud Judicibus aliis referat, quo deinceps ad judicium deveniatur.

Notarius ille dicitur, qui legitima institutus est auctoritate ad scribenda acta, seu instrumenta, quæ in judicio, vel extra judicium fidem faciant.

Scriba is est, qui scribit Magistratuum judicia, & exscripta tradit partibus.

Apparitor, quem alii lictorem vocant, est justitiæ officiarios, cui incumbit assignationes, & vadimonia deferre, & exhibere pro lite inchoanda. De iis omnibus dicendum, sed paucis.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De obligationibus Advocatorum*.

ADvocati plerumque vocantur *justitiæ satellites*, *judiciorum athletæ*, *tutela privatorum*, *quin & Reipublicæ salus*: hine uno quasi intuitu prodant se præcipuæ eorum obligationes, quæ ut magis innotescant, sit

CONCLUSIO. Advocati scientia plurima, fidelitate, diligentia, justitia, charitate, & probitate conspicui esse debent.

Prob. 1. pars. Advocatus vel causas agere, vel consultus de jure respondere debet: atqui ad utrumque scientia non mediocri opus est, cum necessum sit, ut apprime teneantur Regum nostrorum Sanctiones; consuetudines sæpius variæ; innumeræ juris formalitates, & ipsum jus Cæsareum, *legum mater*, præsertim vero Justinianeæ Institutiones, quæ œconomiam totius juris complectuntur; ac demum generalis artium omnium notitia, cum non tantum de jure, sed & *de rebus sacris*, *de agro colendo*, *&c.* agere teneatur, ut docuit Oratorum princeps.

Prob. 2. pars. Fidelitatis nomine hic intelligitur tum ipsa secreti fides, tum sincera ea ingenuitas, qua Clientibus res aperiuntur nude, & ut se habent: atqui utrolibet accepta sensu fidelitas est Advocato supra modum necessaria. Alioqui enim Clientum negotia subvertit, nedum juvet; sive eorum arcana parti adversæ revelando; sive suadendo, ut incipiant litem iniquam perinde ac ruinosam: utrumque porro legibus naturæ adversatur; primum autem expresse prohibitum est a Carolo VII. an. 1453. secundum a Carolo IX. an. 1560.

Prob. 3. pars. I. quia Advocato, ut vel respondeat de causa, vel eandem agat, necesse est, ut & omnes rei aliquando intricatissimæ circumstantias cognoscat, & eandem omnibus, quibus moraliter potest, sustentet motivis, non iis solum, quæ peremtoria sunt, sed & iis etiam, quæ quandoque minutiora sibi videotur; cum ista, ut fatentur artis periti, Judices nonnullos potentius flectant, quam quæ plus nativi roboris habere creduntur: atqui munia hæc absque ingenti diligentia præstari non possunt; ergo.

II. quia nihil non moliri debent patroni, ut clientum suorum negotia, quam primum moraliter fieri po-

potest, terminent; cum mora & sumtus augeat, & ad iniquas transactiones redigat, & causa sit, cur pereant probationes; ac demum familias etiam nobiles ad xenodochium non raro conducat.

Prob. 4. pars. Justitia est virtus, quæ suum unicuique tribuit: atqui hæc virtus, si cui unquam, certe causarum patronis necessaria est. I. relative ad se ipsos, ne plus exigant, quam sibi permissum sit; ne contra leges transigant *de quota parte* litis, v. g. de dimidia, aut tertia parte, ne scripturas multiplicent, ne litem, quam primo justam crediderant, detecta ejusdem iniquitate, tueri pergant. II. relative ad clientes, ne quos amice componere possunt, ad litem mille modis periculosam stimulent, ne impensis onerent, aut fatigent dilationibus. III. relative ad adversas clientum suorum partes, ne dolo, artibus malis, aut mendacio, easdem e jure suo deturbent; ergo.

Prob. 5. pars. Charitas duos e multis effectus parit: I. ut pauperum, viduæ præsertim, & pupilli patres simus. II. ut proximi famam non violemus temere, sed tunc solum perstringamus, cum absolute necessum erit: atqui neutrum præstabit, sed oppositum Advocatus, cui defuerit vera, & christiana charitas. I. quidem non juvabit viduam, & pupillum pauperes, præsertim cum adversus divites mundi hujus juvandi erunt. Una enim est charitas, quæ non quærens quæ sua sunt, is sponte opem ferat, a quibus nihil expectat retributionis. II. nedum parcat proximi famæ, eandem carpet quo asperiori dente poterit, & innumera, quæ ad rem non faciunt, convicia jaciet in miseros, eos præsertim, quibus non arriserit multitudo; prout testatur frequens experientia de tot Advocatis, qui, ut cum Apuleio loquar, *linguæ suæ venenum vendunt*; ergo.

Prob. 6. pars: quia si probitate destitutus sit Advocatus, nihil implebit eorum, quæ hactenus dicta fuere. Consultus respondebit pro nummo; utrique parti consilia dabit, utramque impellet ad inchoandam litem, &c.

Hinc colliges graviter ex natura rei peccare, & ad restituendum teneri Advocatum: I. quoties ex malitia, imprudentia, aut etiam ignorantia causa fuit, cur cliens vel malam litem inchoaret, vel a justa causa excideret, vel indebitas impensas faceret. Neque, ut Advocatus restituere debeat, requiritur negligentia crassa, sed sufficit levis, ut colligere est ex iis, quæ dicam in Tract. de Justitia.

II. cum adversæ parti, ejusve Procuratori secretum clientis revelat, & arma contra eundem præbet, & tunc *ultra peccatum injustitiæ, & proditionis, tenetur ad omne damnum, & interesse læso*, prout cum communi docet S. Anton. 2. part. tit. 6.

III. cum rem judicio maturam iniquis artibus protrahit, sive in clientis, sive in adversæ partis præjudicium.

IV. cum causam, quæ primo justa videbatur, etiam comperta ejusdem iniquitate non deserit: atque in hoc casu tametsi retinere possit stipendium ei debitum labori, quem bona fide præmisit, nihil deinceps recipere valet, alioqui recepturus in stipendium injustitiæ. Debent ergo, ait S. Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. ad 2., *Causam deserere, vel eum, cujus causam agunt, ad cedendum inducere, vel ad componendum sine adversarii damno*: neque tamen tunc licitum est Advocato prodere secretum partis suæ, *ut aliam partem juvet*. Nihilominus censet Lugo eam S. Thomæ doctrinam limitari debere: I. si reus capite damnandus sit, nisi Advocatus revelet actoris injustitiam. II. si ageretur de celeberrima fama, honore, & statu personæ illustris. In his tamen casibus antea monendus esset actor, ut ab injustitia desisteret, quam prolendos. Quin & expendere deberet Advocatus, an non sibi tantum nociturus esset, quam alteri profuturus; an non procreaturus grave scandalum.

Quod si patronus iniquæ litis actor causam vincat, leges abrogatas citando, eas, quæ subsistunt, alienum in sensum detorquendo, producendo falsos testes, vel falsa instrumenta, tenetur de damno partis immerito condemnatæ.

V. cum ea detegit adversæ partis crimina, quæ ad rem non faciunt: puta si a Judicibus obtenturus, ut qui puellam decepit, prolem nutriat, alios ejusdem in hac, vel alia materia lapsus in foro conclamet. Cætera omitto consectaria, quæ attendenti cuilibet sponte se offerent.

Quæres I. an Advocatus causam dubiam, aut minus probabilem agere possit.

R. ad 1. Advocatum tueri posse causam dubiam. Ratio est: I. quia clientes rem, quæ tam sua esse potest, quam alterius, alteri dimittere non tenentur; ergo de ea Judicem interrogare possunt, si aliter inter se convenire non possint; ergo & eis coram Judice ministerium suum præbere possunt Causidici: sic tamen, ut eos antea moneant rem vere esse dubiam; si enim eam pro certa, & indubitata darent, & cliens sic affectus esset, ut comperta dubietate abstineret a litigando, jam Causidici essent efficax causa litis, & damnorum, quæ sequuntur ex lite. II. quia nisi Advocatis liceret in causa dubia patrocinari, supprimi possent universa Orbis tribunalia; cum lites ut plurimum sint de causis dubiis.

Hæc tamen locum non habent: I. in causa capitali; quia sicut graviter peccat actor, qui vult morte affici hominem, cujus culpa, & innocentia æquale dubium habent, sic & peccat Advocatus eidem actori deserviens. II. neque etiam juxta multos, cum agendum est contra possessorem, qui eo ipso, quod in dubio versatur, melioris est conditionis secundum leges. Si tamen actoris motiva vere dubiam facerent possessionis validitatem, jam uterque ejusdem conditionis esse videretur.

Cæterum si res ut Advocato, sic & Judicibus dubiæ videantur, non video qua æquitate totum uni, alteri nihil assignare queant. Unde censeo necessum esse, ut Judex vel litigantes componat, vel rem dividat inter illos, vel si ea dividi nequit, fructuum partem alterutri assigoet, aut aliter compenset.

R. ad 2. Advocatum nec consulere, nec patrocinari posse pro parte minus probabili contra probabiliorem. Ratio est, quod nemo alium juvare possit in actione, quam is sine peccato exequi non potest; atqui

atqui cliens non potest exigere, ut sibi adjudicetur res, quam probabilius judicat alienam esse., non suam; neque hanc ipsi sine injustitia tribuere possunt Judices; ergo.

Hæc nostra opinio non obtinet solum in causa sanguinis, vel omnium bonorum, sed in iis etiam, quæ levioris sunt momenti: cum nemo ut suum repetere possit aliquid etiam leve, quod probabilius judicat esse alterius.

At, inquies, medicus ægro jam desperato subvenire potest; ergo & Advocatus causæ minus probabili.

R. neg. conseq. medicus enim neque ægro nocet, neque alicui tertio: at vero Causidicus clienti suo nocet, si enim non monuerit, aut saltem adversæ ejus parti, quam adigit ad molestiam, & impensas pro re jam satis sua. Atque hinc denuo colliges, Advocatum teneri deserere causam, quæ primo dubia sibi, vel æqua videbatur, deinceps vero visa est minus probabilis: nisi forte prudenter æstimet, id, quod sibi in tali materia videtur minus probabile, Judicibus probabilius visum iri. Quanquam & in hoc casu malim Advocatum clienti liberum facere, ut recurrat ad alios, qui de re aliter sentient, quam ipse sentiat: nisi tamen exuat conscientiam, quam de re proposita gerit, existimando scilicet præ modestia, quæ non semper fallit, se aliorum judicio magis, quam suo inniti debere. Hic addo non omnem causam, quæ secundum humanas leges indubia sit, ab Advocato suscipiendam esse. Sic quem norit alteri summam debere, quam creditor defectu chirographi sibi debitam esse satis probare nequit, debet ut malæ fidei hominem repellere, absolvendum quidem ab hominibus præsumtione deceptis, sed a Deo condemnandum.

Quæres II. an Advocatus debeat agere causam pauperis, a quo nihil præmii expectare possit.

R. cum S. Thoma 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. & q. 71. a. 1. Advocatum teneri gratis opem ferre pauperi, *cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promtu, qui ei subveniat*. Unde quod alibi diximus de eleemosyna pauperi facienda a divite, in præsenti locum habet, eique merito applicatur a Sylvio in eand. q. 71., sed hic urget id Proverb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*. Quod si nemo pauperis hujus causam agere velit, debet is ad Judices recurrere, qui eidem de Advocato providere tenentur.

---

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De obligationibus Procuratorum.*

NE quod in materiis affinibus contingit, eadem sæpius repetere cogamur, præcipua hic recensere sufficiet peccata, quæ a Procuratoribus, Notariis, & similibus committuntur: inde enim potissimæ eorum obligationes intelligentur. Itaque

Peccant Procuratores I. cum aliquid faciunt eorum, quæ Causidicis prohibita esse diximus sive erga clientes, sive erga adversas clientulorum partes, ut cum scripta inaniter multiplicant. II. cum clientes vel ad compositionem iniquam inducunt, ut faveant adversæ parti, vel a justa compositione retrahunt in lite dubia, quam certam esse jactitant. III. cum majus accipiunt stipendium, quam lege, aut recepta proborum consuetudine sibi permissum sit. IV. cum stipendium accipiunt pro scripturis lite jam judicata confectis, aut pro præambulis inventariorum, quod vetitum est Constitutione Ludovici XIV. an. 1667. tit. *des Dépens* art. 11.. V. cum partium sacculos ea, qua par est, diligentia non custodiunt, cum earum secreta vel ex garrulitate, vel quia ab iis revocati sunt, propalant. VI. cum causam primo acceptam primo non procurant, servato tamen Juris ordine, qui quandoque exigit, ut gravia negotia levioribus præcurrant &c.

Peccant Referentes I. cum rem, cui referendæ impares sunt, referendam suscipiunt. II. cum partium instrumenta per se non legunt, sed excepta solum aliena manu exarata, nisi manus hæc sit admodum perita, & fidelis. III. cum rem referunt tardius, quam decebat, ita ut ex mora crescant litigantium impensæ. IV. cum in referendo aliquid omittunt substantiale, unde contingit litigantem excidere causa saltem ex parte. V. cum jus unius magis, quam alterius exponunt. VI. & idem de cæteris Judicibus dicendum, cum revelant, quis uni vel faverit, vel adversatus fuerit suffragando: quæ secreti proditio malorum ferax pluribus Regum nostrorum Edictis severe prohibita est.

Peccant Notarii, ac Tabelliones: I. si ea imperitia, vel iniquitate instrumenta rite non conficiant; aut ambiguas apponant clausulas, quæ lites sint paritura.

II. si testimoniis testium, aut partium dictis, vel factis aliquid addant, vel detrahant; neque res sincere scribant ut se habent, aut saltem sincere, ac proinde ab homine in iis rebus abunde versato scribi curent.

III. si conficiant acta legibus reprobata; puta si excipiant testamentum hominis ratione destituti, si simoniacum, confidentialem, aut usurarium recipiant contractum, eo etiam in casu, in quo licitum est mutuanti mutuum petere sub usuris.

IV. si extorquendæ pecuniæ animo differant instrumentorum expeditionem, aut denegent acti transumtum, ex cujus defectu non possit quis sua sibi jura vindicare.

V. si loco veri Testamenti, quod casu interierit, aliud simile confingant: item si ex post facto testamentum interpretentur, minuendo, aut addendo.

VI. si ab officio suo interdicti pergant, ut antea, instrumenta conficere.

VII. si instrumenta non custodiant caute; iis enim sua culpa perditis tenentur de damno.

VIII. si juratum secretum violent, puta si aliis, quam contrahentibus instrumenti exemplar largiantur absque prævia Judicis sententia.

IX. si scribant solutam coram se fuisse summam, quæ in rei veritate non fuerit persoluta.

X.

X. si suadeant alicui, ut mutuam det pecuniam homini, quem solvendo imparem cognoscant: nedum enim id facere possint, debeat admonere clientem, cum aliquid norunt, quod vergat in damnum illius. Hinc Toletus Lib. 5. c. 62. docet Notarium, qui confecerit Testamentum, quo quis Legatarius instituitur, eundem monere debere, ut rebus suis consulat, postquam tamen eos monuerit, qui legatum tradere debent, & ex culpa sua non tradunt.

Quæres I. quid de iis sentiendum sit Notariis, qui contenti servare breve quoddam instrumenti summarium, extensa instrumenti exemplaria partibus tradunt. R. si protocolla hæc vel eo modo, vel in iis regionibus fiant, ubi in judicio fidem facere non possint, peccare Notarios, quoties præsertim per longum tempus differunt plenam, & integram instrumenti confectionem. Ratio est, quia moriente Notario partes, quæ nihil habent, unde se tueantur in judicio, grave hinc damnum percipiunt. Debent ergo Confessarii urgere Notarios, ut omnia quamprimum in forma debita reponant: iisque absolutionem negare, nisi spes affulgeat futurum, ut huic malo citius medeantur: quod de iis non præsument, qui hoc jam semel, & iterum promiserint, nec steterint promissis: aut qui ex lucri fame tot quotidie instrumenta recipiunt, ut omnia ad extensum perducere non possint.

Quæres II. quid facere debeat Notarius, qui falsa cudit instrumenta, nec imminente jam morte habet unde restituat. R. Debet efficere, quantum in se est, ut pars, cui nocet instrumentum, servetur illæsa; sive exigendo, ut ille, in cujus gratiam cedit dolus, sibi restituat instrumentum; sive minitando se rem totam, ut est, aperturum esse; sive tradendo Confessario schedulam, qua declaret falsitatem instrumenti. Sed, quia Notarius bonum habens nomen non magis tenetur se infamare, quam mulier adultera, idcirco expendendum est, an tanti sit damnum, quod feret quis falsi instrumenti occasione, ut debeat illud reparari per jacturam boni ordinis superioris, qualis est fama. Hæc igitur ex circumstantiis pensari debent.

Quæres III. an semper ad restituendum teneatur Notarius, qui scienter fecit instrumentum pro mutuo usurario.

R. I. si contractus manifeste usurarius sit, nullam esse restituendi obligationem; quia nemo est usurarius, qui tale instrumentum in judicio proferre ausit; nemo Judex, qui regulariter loquendo ullam ejus rationem habere possit. Si tamen alicubi Judices usuras solvi præciperent, teneretur Notarius de damno in defectum Judicis, ut & Judæa in defectum usurarii. Idem dico si mutuans eo usque simplex esset, ut crederet, se vi ejusdem contractus posse in usuras conveniri.

R. II. si contractus palliatam sub alterius debiti nomine usuram contineat, vel contractus fit invito mutuatario, & in gratiam usurarii, vel fit ad preces mutuatarii, qui eundem a Notario efflagitat, ne non obtineat summam, qua indiget. Si primum, constat Notarium ad restitutionem teneri; quia hominis inviti damno cooperatur. Si secundum, I. Notarius peccat mortaliter contra juramentum, quo spopondit se talia instrumenta nusquam conditurum esse. II. incurrit excommunicationem latam in Clement. *de Usuris*, si hæc vigeat in loco, ubi conficitur instrumentum. An autem obnoxius fiat restitutioni, controvertitur; negant Toletus, Lugo, Navarrus, Sylvius 2. 2. q. 78. art. 3. quia volenti, & consentienti non fit injuria; mutuans autem ex hypothesi est volens; cum sollicitet Notarium, qui plerumque importunitati cedit.

Dices: Si valeat hæc ratio, immunis etiam erit a restitutione usurarius; cum ei mutuatarius usuras promittat sciens & volens.

R. neg. maj. I. quia mutuatarius promittit *interesse*, ut liberet se a vexatione iniqua mutuantis: at vero Notarius nullam infert vexationem, a qua mutuatarius se redimere teneatur. II. mutuans intendit deinceps pactas usuras exigere a nolente: Notarius vero non habet animum quidpiam deinceps exigendi ab invito. Quod hic de Notario, idem de Testibus dicendum.

Quantum ad Scribas, seu Graffarios attinet, peccant ii contra juramentum a se præstitum, & contra justitiam: I. cum ea revelant, quæ silentio premere debent. II. cum Judicis sententiam in Registrum fideliter non referunt, aut falsificatam tradunt partibus. III. cum instrumenta exhibere nolunt iis, qui jus habent, ut ea sibi exhibeantur. IV. cum in Scripturis non sequuntur id Sanctionis Aurelianensis an. 1560. art. 80. *Toutes Ecritures, Enquestes, Procès verbaux, Declarations de depens & autres expeditions de Justice, fors & exceptés les Arrests & Sentences interlocutoires & definitives, seront faites & delivrées en papier, raisonnablement escrites à raison de 25. lignes en chacune page, & 15. syllabes en chaque ligne*. V. cum in distribuendis litibus non sequuntur ordinem juris.

Apparitores pluribus modis, & quidem graviter delinquunt: I. cum aliquid ultra justum stipendium exigunt; ut si cum plures eadem die assignationes in locis paulo dissitis dedere, tot computant diætas, quot executiones confecerunt. II. cum accepto mandato hominem, ejusve bona apprehendendi, spe muneris moneat, ut is sibi, suisque rebus caveat. III. cum in occupatione bonorum durius agunt, minantur, &c., ut extorqueant munera. IV. cum metu, aut pretio corrupti munus sibi commissum non exequuntur tempore præscripto, unde damnum partibus evenit. V. cum extra limites jurisdictionis suæ operantur. VI. cum in supellectilium venditionibus vel constitutum ad licitationem tempus non largiuntur, vel certis emtoribus favent. VII. cum finita venditione pecuniam ex ea provenientem iis, ad quos eadem pertinet, remittere sine causa differunt.

## CAPUT QUINTUM,

*De Obligationibus Dominorum Temporalium.*

PEr temporales Dominos eos hic intelligimus, qui præcipuam ratione feudi in Parochia auctoritatem habent. Videndum, quid Ecclesiæ, quid vasallis suis debeant. Sit

CONCLUSIO I. Domini, seu ut ajunt, Dynastæ Ecclesiam, ejusque Ministros verbo, & facto tueri debent.

Prob. quia tota, quæ in Dynastis residet auctoritas, a Deo est, ac proinde juxta Dei intentionem exercenda: atqui ea auctoritas melius exeri nequit, quam in Ecclesiæ, & Ministrorum ejus tutamen; ergo. II. quia Magnates sunt primarii Ecclesiæ filii; ergo ei omnem præstare reverentiam debent: non præstant autem, nisi & a vasallis suis præstari curent.

Hinc colliges gravius peccare Dominos, qui Ecclesiam non frequentant, qui cæremonias ejus derident, qui Pastores ejus pro vilibus mancipiis habere videntur, qui eosdem, cum suam pro Dei honore opem implorant, abjiciunt, & dedignantur; qui Officiorum tempos frequenter, & notabiliter invertunt non sine gravi fatigatæ multitudinis præjudicio, & * Regiarum Sanctionum contemtu; qui festivas dies saltationibus, aut litigiis inhonorari patiuntur, cum impedire possent; qui forenses causas in Ecclesiæ vestibulo, aut cœmeteriis actitari patiuntur, & ad eas vocant campanæ sonitu; item & qui contra Regni hujus Jurisprudentiam colligunt Campi partem, Gallice *Campart*, priusquam Parochus collegerit decimas; qui demum decimas ipsas usurpant, nisi eæ sint infeudatæ; aut qui metu, vel minis prohibent, ne vasalli sui conducant Ecclesiæ, vel Monasteriorum decimas, aut prædia, ut hæc ipsimet viliori pretio condocant: quod Regiis Constitutionibus severe interdictum est.

Sed & hic notandum graviter peccare Parochos, qui improvida agendi ratione Dominorum animos a se abalienant; qui iisdem honorifica jura tribuere renuunt; qui contra eorum excessus quasi nominatim e suggesto invehuntur, &c. Hæc enim turbant concordiam, qua semel Parochos inter, & Dynastas labefactata, res Dei feliciter promoveri non possunt.

CONCLUSIO II. Dynastæ vasallis justitiam debent, & immunitatem ob oneribus indebitis.

Prob. quia alioqui Dynastæ vel justitiam per se ipsos violant, vel ab Officiariis suis violari patiuntur: utrumque autem æquitati repugnat.

Hinc colliges: I. peccare, & ad restitutionem teneri Dominos, qui Judices imperitos, dubiæ, aut inexploratæ probitatis constituunt: *Qui enim occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. fin. *De injur.* Si Ballivi plus exigant, quam sibi legibus permissum sit, tenentur Domini *ex Officio* hisce concussionibus, si graves sint, manifestæ, frequentes, obsistere pro virili. Quin & Ballivos destituere, vel agere, ut destituantur.

Colliges II. *Lethalis violentiæ reos esse nobiles*, qui habent *jus gladii*, *si maleficos, ac sceleratos pœnis legum sanctione constitutis plecti non curent, sive ut sumtibus parcant, sive*, quod multo deterius, *ut commodum aliquod ex patrocinio flagitiosis illis hominibus impenso consequantur.* (*ex Nat. Alexan.*). Ratio est, quia ii ex officio vasallorum tuitioni incumbere debent, & obstare, ne opprimantur; aliunde vero ex condemnatione jus habent in maleficorum bona, sicque præstitos a se sumtus recuperant. Adde, quod ex vasallis multa percipiant, quæ stipendii loco esse videntur.

Quin & Domini curare debent, ne vasalli sui etiam volentes decipiantur: unde Bohemos, magos, & fatidicos e territorio suo abigere debent, prout eis injungitur Sanctione Aurelian. art. 104.

Colliges III. restitutioni obnoxios etiam esse Dominos, qui oneribus quoad substantiam, aut modum indebitis vasallos gravant. Tales sunt: I. qui vasallos cogunt, ut frumenta sua deferant molenda ad pistrinum suum, etsi illud bannale non sit, seu ex consuetudine, seu, ut alicubi necessum est, ex titulo speciali; aut qui servitutem hanc exigunt ab iis, qui ad eam non tenentur, quales sunt Parochi in Presbyterio suo degentes, & cæteri, qui nimium a molendina distant (*qui ne sont pas dans la banlieue*), aut qui ad eam pervenire nequeunt sine gravi dispendio propter viatum difficultatem, &c. Idem est de iis, qui rusticos cogunt, ut uvas premant in torculari suo, vel ad furnum panes coquant. Item qui columbaria sine jure construunt, neque ii niti possunt vasallorum silentio, cum illud non approbatio, sed metus parere consueverit. Unde Domini restituere debeant pro numero columbarum, jugerum suorum paucitate, & sterilitate locorum.

II. qui molendinas ad punctum, ut ajunt, quadratum habent, quando ex locorum usu ad punctum rotundum habere debent.

III. qui corvada, gallice *Corvées*, id est, operarum obsequia exigunt, vel quæ non debentur, vel quæ tali modo non debentur: ut si Domini, qui pluribus annis nihil operæ exegerunt a vasallis, omnes præteritorum annorum operas uno anno perfici velint: quod & iniquum est, & adversum Jurisprudentiæ nostræ, in qua tritum est istud: *Les corvées ne sont pas comme les rentes, & elles ne tombent nulle part an arrerages.* Item qui operas sibi debitas, & quibus non indigent, in vicinorum suorum gratiam præstari volunt; nisi tamen locorum consuetudo aliud ferat. Item qui in summam pecuniæ etiam modicam onera sibi debita convertunt, nisi conversioni huic consentiant vasalli.

IV. qui in locis non circumseptis herbas colligi vetant, ne abigantur perdices; quasi privata hominis unius voluptas publicæ necessitati anteferenda sit.

V.

* *Defendons tres-expressement au Seigneurs temporels, & autres personnes quelconques, de contraindre les Curés ou leurs Vicaires, de changer ou différer les heures de Service Divin ordinaire & accoustumées.* Ordonnances de Charles IV. 1571. art. 3.

V. qui garenam auctoritate privata constituunt, vel jam pridem extinctam renovant; aut e loco in in locum, ubi multo plus nocitura sit, transferunt; aut eo usque cuniculos multiplicari patiuntur, ut inde gravis subsequatur vicinarum segetum, aut vitium strages.

VI. qui vasallos cogunt, ut in ipsam Domini domum transferant ea, quæ transferre non tenentur.

VII. qui exigunt, ut vasalli census in alia solvant specie, quam qua constituti sint, v. g. in grano, quæ pecunia solvi debent, aut vice versa. Ubi nota graves hic ex Dominorum parte irrepere abusus, ut I. cum granum recipere nolunt quasi deterius, cum tamen tale sit, quale colligitur in fundo censuarii. II. cum iis annis granum rejiciunt, quibus viliori pretio venit, & exigunt cum valor plurimum increvit: quo in casu censuarius etiam in mora non debet pretium, quo actu venduntur frumenta, sed quo venundabantur vel anno, vel saltem tempore, quo persolvi debuerant.

Cogit brevitatis studium plures omittere Dominorum injustitias præsertim in iis, quæ ad talliarum *assisias*, ut ajunt, seu, tributorum impositionem pertinent; ut cum toparchæ villicis suis parcituri, vel potius commodo proprio consulturi, in pauperiores refundi præcipiunt, quæ a ditioribus solvenda erant; & tunc Domini primo loco, tum deinde Collectores, qui ex metu, aut assentandi animo cooperati sunt injustitiæ, damnum illatum reparare tenentur; neque illis, vel istis absolutionis beneficium impendi potest.

Si graviter peccant Domini in vasallos, graviter nec raro in Dominos peccant vasalli. Quod ut intelligatur, sciendum est, Dominis quædam competere jura: I. ex contractu; ut census dominici, jus relevii, jus certos a rusticis labores exigendi. II. ex communi Provinciarum jure; sic competit jus columbarii, jus in thesauros, in animalia expavefacta. III. ex præscriptione; sic tursum competere potest jus columbarii. IV. ex privilegio; sic competit jus venandi, piscandi, &c. V. per modum pœnæ: & sic iisdem competit jus inducendi mulctas, & confiscationes.

De postremo hoc jure certum est illud non deberi ante Judicis sententiam debite significatam. Cætera vero jura in conscientia debentur: unde alibi colligam eos, qui columbas occidunt, qui inventum thesaurum, quem cum Domino partiri debuerant, totum asservant sibi, qui cuniculos apprehendunt, teneri ad restituendum.

At nullum est fortassis genus, in quo gravius peccetur, quam in solutione Laudemiorum, gallice *Lods & ventes*; quod ut saltem generatim intelligatur,

Quæres I. quando prædicti census debeantur.

R. Laudemia deberi in triplici casu: I. cum prædium venditione acquiritur. II. cum acquiritur conductione sub censu redimibili, *acquisition par bail a rente rachetable*. III. cum acquiritur per commutationem. Ita sancitum est an. 1674. a Ludovico XIV., cujus tamen verba a Jurisperitis * nostris temperari videntur.

Quæres II. an vasalli hosce census, antequam a Domino requirantur, solvere debeant.

R. affirmat. unde & instrumentum contractus eidem Domino exhibere debent, quia vasallus suum vendendi jus habet a Domino, qui illud ea solum conditione indulsit, ut sibi certa in mutationibus portio redituum solveretur.

Quæres III. an, si venditor censum persolvere nolit, ad id teneatur emtor in solidum.

R. affirmat. si, ut fieri solet, emtor iniquitati illius, quicum contraxit, fuerit cooperatus. Idem de venditore respectu emtoris dicendum, si ex pacto, vel loci consuetudine emptor de Laudemio teneatur.

Quæres IV. quid juris, si duo in dubio, an deberent censum, contraxerint in aliena provincia.

R. eos cogi non debere ad solvendum id, quod forte non debent, sed cogi debere ad exhibendum Domino contractum; quod si, in ambiguo casu jus suum exegerit Dominus, recurrendum erit ad Judices.

Quæres V. sed quid, si contrahentes sine honoris, & forte boni dispendio contractum suum jam exhibere nequeant; puta, quia juraverint se non contraxisse?

R. consulendos esse Advocatos, qui definiant, an debeatur census. Si Advocatorum alii ab aliis dissentiant, ita ut dubium perseveret, adigendi sunt contrahentes ad solvendum secreto census dimidium, pro rata dubii, quod expendi non potuit a Domino contractum ignorante propter malam contrahentium fidem.

## CAPUT SEXTUM.

### *De obligationibus Studentium.*

CIrca Studentes videndum, quid Deo, quid Professoribus, quid sibi debeant.

CONCLUSIO I. Juvenes, qui studiis vacant, pietatem, & virtutem impensius sectari debent.

Prob. Ut juvenes studio dediti virtutem impensius sectari debeant, duo sufficiunt, nempe ut ad id teneantur qua juvenes, & qua Scholastici: atqui ad id tenentur: I. qua juvenes. Id enim iis præcipit Scriptura pluribus in locis. Eccle. 12. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis.* Thren. 3. *bonum est homini, cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Proverb. 22. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* II. & ad id tenentur qua Scholastici, tum quia pluribus indigent gratiis, cum & communes ætatis suæ passiones, quæ etiam in Academiis potentius grassantur, & tentationes status sui proprias, acediam præcipue, tædium, & vanitatem debellare teneantur

* *Les droits d'échange n'appartiennent pas aux Seigneurs, mais au Roi, à moins que les Seigneurs n'en ayent traité avec le Roi.* Argou Tom. 1. p. 250.

tur. Tum quia recipiendæ ſapientiæ idoneos ſe, & pares efficere debent: atqui *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* (*Sap.* 1.); ergo eniti debent, ut de ſe dicatur, quod de Tobia dictum eſt: *Cum eſſet junior omnibus, nihil tamen puerile geſſit in opere.*

Erit autem optima pietatis colendæ ratio I. frequens, & fervens Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptio. II. quotidiana, eaque devota auditio Miſſæ, per quam, ſi aliter fieri poteſt, ut poteſt fere ſemper, duas ad ſummum minores Horas ab iis, qui Officio addicti ſunt, recitari velim, alteram initio, alteram ſub finem, ita ut pars potiſſima Sacrificii ab Offertorio ad Communionem Sacerdotis animo, & corde teneatur. III. tenera in Deiparam propenſio, quæ ſingulis diebus aliqua fuſione precum, quas approbavit Eccleſia, ſe ſe prodat. Illa ſcilicet eſt virgo virginum præclara, quæ mites facit, & caſtos. *Ipſam ſequens non devias; ipſa tenente non corruis; ipſa protegente non metuis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis.* S. Bernard. Homil. 2. ſuper *Miſſus eſt* n. 17. IV. lectio bonorum Librorum, & conſequenter receſſus ab iis, qui, ut Comœdiæ complures, Romanenſes item libri, amorem, vindictam, & omne libidinum genus ſpirant. V. plurima cum juvenibus bonæ frugis neceſſitudo, cæterorum fuga: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis.* Proverb. 1.

CONCLUSIO II. Scholaſtici debent Profeſſoribus aſſiduitatem, docilitatem, reverentiam, & animum bene memorem.

Prob. 1. pars de aſſiduitate: I. quia *ſapiens corde præcepta ſuſcipit*, Proverb. 10. Porro non ſuſcipit præcepta, ſed abjicit, qui iiſdem aſſiduus non eſt. II. quia ſe ferme habent variæ ſcientiarum partes ſicut annuli catenæ, quorum primum niſi teneas, vix unquam poteris aſſequi ſecundum. III. quia ſi Diſcipulis aſſiduas debent lectiones Magiſtri, aſſiduam Magiſtris debent attentionem Diſcipuli.

Prob. 2. pars de docilitate: quia indocilitas nimiam proprio ſenſui adhæſionem redolet, & ſcandala, diſputationeſque ſæpius otioſas inducit. Et id tamen ſatis familiare eſt vitium juventutis; quæ confidens ſe Magiſtris ſuis callidiorem eſſe, reſponſa eorum temnit, & aliquando tandem labitur in errores, a quibus revocari nequeat. Interim Profeſſori, qui opiniones ab Eccleſia proſcriptas tradiderit, neminem aſſentire velim: prima enim docilitas Eccleſiæ debita eſt.

Prob. 3. pars tum exemplo Theodoſii magni, qui filios ſuo coram Arſenio ſtantes loqui præcepit: tum quia non inepte dixit Philoſophus, accipere nos a parentibus eſſe, ab inſtitutoribus bene eſſe; ergo utroſque pro patribus habere, ac proinde ſpecialiter revereri tenemur.

Prob. 4. pars: quia animam bene memorem iis debemus, qui grande nobis obſequium præſtant, idque non facili negotio, ſed in ſudore vultus, & in patientia multa: atqui ea eſt erga nos conditio Profeſſorum, qui ſuo, ut par eſt, officio fungi volunt. Quot enim diu noctuque libros terere, ſecum invicem conferre, ac meditari debent, priuſquam e ſuggeſtu loquantur? quot auditorum tarditatem, ac duritiem vel pati, vel frangere neceſſum eſt? &c.

CONCLUSIO III. Qui Scholas adeunt, ſerium ſibimetipſis laborem, ac ſtudium debent, &, ſi omiſerint, graviter peccant.

Prob. quia Scholaris, qui ſtudium abjicit, vel ſegniter amplectitur, officium ſuum negligit in materia gravi, & cujus neglectus multa invehit peccata contra Deum, contra parentes, contra Eccleſiam, prout diximus ſupra.

Prob. II. quia ſola temporis jactura, cum ad certam excrevit quantitatem, quæ definiri facile non poteſt, ſufficit ad peccatum lethale, ut patet in ſervo inutili, qui nec ludo, nec comeſſationi, nec impudicitiæ ſeſe dederat: atqui temporis jacturam facit Scholaſticus, qui ſtudio non vacat; idque verum eſt, etſi aliunde rebus de ſe licitis exerceat animum, quod rarum eſt; quia ab eo ſtudium exigitur, non ea, quibus vacat.

Prob. III. *Qui amat periculum, peribit in illo*: atqui juvenes, qui ſtudium negligunt, amant periculum præcipue duplex: I. nempe criminum omnium, quæ parit otioſitas. II. amplectendi officia, quibus præ imperitia obeundis ex parte, vel ex toto impares ſint; ergo merito dixit Salomon Prov. 17. *Qui evitat diſcere, incidet in mala.*

Hæc porro in ſtudiis ſervare debent Candidati præſertim Theologiæ, quos hic potiſſimum intuemur: I. non ante ad ſtudium accedent, quam brevi, & efficaci oratione imploraverint Spiritus ſancti lumen, ut fuget tenebras mentis, & revelet *occulta ſapientiæ*.

II. non ita ſcientiæ cupidini ſe permittent, ut nihil aliud cogitent, quam ſtudium. Diuturnior enim animi contentio ſpiritum pietatis imminuit, ingenii vires hebetat, & frangit corpus.

III. multo plus cavebunt ne omnia ſimul addiſcere velint, ut ii faciunt, qui Matheſi, Theologiæ, &c. ſimul incumbunt; nihilque aliud e ſtudiis reportant, quam confuſas rerum imagines, & neſcio quam ſcientiæ farraginem, quæ faſtidium parit, non lucem.

IV. dum ſtudia auſpicantur, pauciſſimis utentur libris, ne dicam uno; memores triti hujus: *Cave ab homine unius Libri.* Profecto qui auctorem unum probatæ notæ callet, pugnat efficacius, & difficilius vincitur. Ubi paulo profecerint, aliquot oppoſitarum partium ſcriptores evolvent, quos non eligent proprio marte, ſed ab iis accipient, qui ſtudia eorum moderantur.

V. a lectione Librorum hæreticorum abſtinebunt, donec in fide radicati nihil hinc ſibi diſcriminis impendeat. Ad id autem oportet, ut præceſſerint duorum ad minus annorum ſtudia, prout dicemus agendo de Fide.

VI. in Libris id præſertim proſequentur, quod ad fidem, regimen conſcientiarum, veterem, & novam Eccleſiæ diſciplinam pertinet: hæc nempe ſolide eruditum faciunt; cætera, quæ quibuſdam ingenium acuere videntur, diſcuſſurem inſulſum, ſeu alterum, ut ajunt, Palæmonem.

VII. ante omnia veritatem diligent, quam *diligit Deus*, & diligi præcipit Pſalm. 83. ſed nuſquam

obli-

oblivifcentur, verum non affe quidquid reprobat Ecclefia. Imo in Mataphyficis, ubi quifque fuo in fenfu abundare poffe magis videtur, cavebunt, ne juveniliter laceffant eos, qui fecus fentiunt.

Ex dictis colliges graviter peccare eos, qui ex inertia, vel faftidio non dies tantum, fed & hebdomadas quandoque vel fina ftudio, val cum ftudio multo minore, quam opos effet, mifere tranfigunt. Quid ergo de iis dicendum, qui propria negligentia minime contenti alios ratrahunt a ftudendo?

Atque utinam intra folius negligantiæ terminos fifterent Adolefcentes minime ftudiofi; fed quia *multam*, vel omnam *malitiam docuit otiofitas* (*Proverb.* 33. 29.), nullum pene eft crimen, impudicitiæ potiffimum, & comeffationis, in quo fefe turpiter non volutent, idque fæpius dum patar, mater, & fratres tenuem, & anguftam domi vitam agunt, portantqua *pondus diei*, & *aftus*, ut impenfas, & pecuniam præftent homini, quem fibi, & Ecclefiæ utilem futurum effe inaniter confidunt. Interim nullus dubitat, quin hujufmodi adolefcentes ad reftituendum teneantur, five patri, aut matri, five fratribus; cum tota eorum agendi ratio fit quædam latrocinii fpacias. Adde, eofdem, fi vi graduum, quos in Academiis confecuti funt, Beneficium obtineant, abfque eo quod Scholas cum affiduitate morali frequentaverint, teneri ad cedendum eidem Beneficio.

## CAPUT SEPTIMUM.

*De obligationibus Medicorum, &c.*

H*Onora Medicum propter neceffitatem*, ait Sapiens Eccli. 38. *Difciplina Medici exaltabit caput illius; & in confpectu magnatorum collaudabitur*; fi nempe officium fuum obierit, ut decet; de quo fit

CONCLUSIO I. Medici fingulari peritia, diligentia, charitata, piatata, propriæ utilitatis neglectu, ac fidelitata præditi effe debent.

Prob. I. quidem Medici fcientia fulgere debent, cum abfque ea nec morbum a morbo, nec remedia idonea ab inutilibus, aut noxiis fecernere valeant. Et vero fua funt, eaque magni momenti Medicis privilagia; quorfum vero, nifi ut peritam ægris manum admoveant? Porro fcientiam Medici modeftam effe oportet, ne temere rejiciat id, quod alius etiam junior, & quandoqua fagacior propofuerit, &c.

II. uti debent diligentia fingulari fiva in inveftigandis morbi principiis, progreffibus, & natura, five in invifendis ægris, circa quos mora quæcumque funeftos animæ, ac corpori exitus habere poteft. Hinc Medicum, ficut & Sacerdotem quacumque diei, & noctis hora paratum effe oportet ad ferendam opem morienti: ac confequentar procul, & perpetuo ab iis diftara vitiis, quæ, ut crapula, & ebrietas, mentem hebetant, & corpus torpidum afficiunt.

III. Magna effe debet medicorum charitas tum erga concives fuos in genere, tum erga egenos, qui nihil præter animum bene memorem rependere poffunt. Unde graviter peccant tum ii, qui precibus victi imperitum Collegio fuo adfcribunt cum gravi multitudinis difpendio; tum qui æneam animam gerentes ab invifendis pauperibus, eo uno quod pauperes funt, abftineant contra id S. Antonini 3. p. tit. 7. c. 1. *Medicus pauperibus non valentibus folvere gratis mederi debet, & non fe ab eorum cura fubtrahere; quia hoc effet indirecte occidere.* Haud tamen irregularis fieret Madicus. qui quempiam invifere noluiffet; (nifi a Communitate, aut alio quovis conductus effet ad invifendos omnes certi loci incolas) quia tunc folam charitatem læfiffet.

IV. Medicum pietate commandari oportet: I. ut ægros, quam primo necaffarium erit, de recipiendis Ecclefiæ Sacramentis five per femetipfum, fiva per eos, quibus infirmi cura incumbit, commoneat. II. ne iifdem facilius indulgeat ufum carnis, aut a jejunio præfcripto avertat. III. ne remedia præbeat contra Dei legem, puta quæ ganarationi obftent, aut abortum pariant.

Quod fpectat ad neceffitatam ægros quamprimum admonandi, ut ad Sacramenta recurrant, extat celebris Innocentii III. Conftitutio cap. 13. *De pænitentiis & remiff.* ubi fic: *Directe præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipfos ante omnia moneant & inducant, ut Medicos advocent animarum; ut poftquam infirmo fuerit de fpirituali falute provifum, ad corporalis medicinæ remedium falubrius procedatur, cum caufa ceffante ceffet effectus.* Sum hujus legis rationem hanc reddit Pontifex, quod ubi peffima viget ægrotos tardiffime commonendi confuetudo, illi da fe actum effe ex ipfa admonitione fufpicantes, *in defperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt. Si quis autem Medicorum hujus noftræ Conftitutionis poftquam per Prælatos locorum fuerit publicata* (ut a Parifienfi Concilio jam ab anno 1429. publicata eft) *tranfgreffor extiterit, tandiu ab ingreffu Ecclefiæ arceatur, donec pro tranfgreffione hujufmodi fatisfeceris competenter.* Hinc Medicus, qui præ pufillanimitata, aut pietatis defectu infirmum non monet, cum monendus eft, *peccat mortaliter*, prout docet S. Antoninus.

(✠) Quas Auctor probat legas, innovavit S. Pius V. Conftit. 2. addendo, ne Medici ultra tertiam diam ægrotum invifant, nifi de illius confeffione fibi aperte conftet; quum fcilicet morbus gravis eft, vel pertimafcunt, ne gravis fiat. (✠)

V. Nec lucrum inhiare, nec commodis fuis impenfius fervire debant Medici, fed jufto contanti effe ftipendio. In Gallia Medicus non eft capax legati cujufcumque, vel donationis, fi fiant in eo, quo quis decefferit morbo. Quin & refert Peleus Areftom, quo in irritum ducta eft donatio filio Medici facta ab ægrotante. Si tamen Medicus ab ægro quidpiam receperit titulo confanguinitatis, vel neceffitudinis antiquæ, nulla erit reftituendi obligatio.

Cæterum non *peccat Medicus accipiendo ftipendium de cura ægritudinis, quam per principia medicinæ credit effe incurabilem, nifi forte malitiofe, non indicando illis, qui illius curam habent, vel fuperfluos fumtus faciendo, vel eam curare omnino promittendo; fed indicata veritate, quem novit*

*vit de ægritudinis cura, tandiu juste potest accipere stipendium suum, quandiu exhibet in cura fidele ministerium.* Ita S. Antoninus ubi supra c. 2. §. 6. Hinc etiam post ægroti mortam jus habet Medicus ad stipendium labori suo proportionatum.

VI. Requiritur in Madicis ea probitatis species, quam fidem dicare consuevimus; ne scilicet pudendos infirmorum morbos detegans contra Facultatis suæ Decreta. Et vero quoti perire mallent, quam quosdam sui morbos propalari? Unde, nisi aliud suadeant circumstantiæ admodum speciales, ne ipsum quidem venereæ luis morbum detegi velim, ut innocens puella a nuptiis deterreatur; quia satius est unius dispandium permittere, quam fiduciam admere multitudini.

Ex dictis colliges peccare Medicum: I. cum absque sufficienti peritia morbos curare aggreditur.

Si tamen nemo alius præsto sit, non videtur arguendus, qui modesta indicat remedium aliquod nec in se, nec relativa ad ægri conditionam periculosum; hoc enim & ii facinnt, qui medicinam non profitentur. Si quis vero, ut moris est, peritum se jactet cum non sit, & ægro val impensas, vel mortem afferat, tanetur ad restituendum.

II. si operam ægritudinis gravitati parem non impendat; ac multo plus si infirmos invisat, cum piæ vino non est satis animi compos.

III. si medicamenta minus certa, minusva probabilia ralictis iis, quæ certiora sunt, aut magis probabilia adhibeas. Item si dubia, vel inexplotata præbeat *ad faciendam*, ut ajuns, *experientiam in anima vili*. Ratio est, quia dubium censetur madicamentum, quoties incertum est sitne nociturum, an profuturum: porro hujusmodi remedia applicare non licet; quia applicata necare possuns eum, qui forte sanandus sit, si non applicansur.

Si vero unicum suppetat remedium, I. debet Medicus ax variis circa idam remedium opinionibus sequi tutiorem, eam nempe, cui fraquentior axperientia suffragatur. II. si rebus, ut decet, expensis pergat dubitare de bono, vel malo effectu remedii, tunc, si desperata sit infirmi salus, cansent viri graves illud in quemcumque eventum applicari possa, imo & debere; quia melior est salus incerta, quam mors certa. Contrariam sentiunt Azor, aliique plures relati a Sanche: quia si non applicatur medicamen dubium, mors infirmi subsecuta non culpæ Medici, sed morbi violentiæ tribuetur. Si vero applicetur, exponitur periculo vita ægri, qui forsan eo non applicato ad sanitatem restitueretur, aut saltem diutius viveret. Esti materia gravis est, sunt qui neutram opinionem in praxi redarguare ausint, modo qui altarutram sequentur, nihil contra conscientiam agant.

IV. si lucri causa protrahat curationem morbi, sæpiusve, & inutilitar ægrum visitet. Item si optet frequentiam morborum, aut da aliis Medicis datrahat, ut solus laborat.

V. si remedia suadeas divinis legibus prohibita, puta si consulas ægro, ut illicite coeat, aut ut se inebries, vel abortiat, etiamsi id ex ignorantia consulat; imo si non consulas, sad his utatur verbis: *Non tibi consulo, sed si quidpiam faceres, sanareris*. Ita Navarrus c. 25. Man. n. 61.

VI. si eganis graviter ægrotantibus non medeatur gratis. Quin & avarum divitem solvare nolentem etiam in periculo vitæ repellere non deberet, sed misaricordiuar invisere, postaa laboris sui stipendium in judicio repetiturus.

CONCLUSIO II. Pharmacopolæ, quorum est parare medicamina; Chirurgi item, quibus competit, ut medaantur urendo, incidendo, calvariam terabra perforando, iisdem qualitatibus præditi assa dabent, quas in Medicis requisiimus.

Prob. quia Pharmacopolæ, & Chirurgi verum medicinæ partem exercens, nec minus utilem, si sagacitar; nec periculosam minus, si imprudenter exerceatur.

Hinc peccant Pharmacopolæ: I. qui absque sufficienti *simplicium* notitia artam suam exercent. II. qui evanida ramedia præbent, etiamsi dascendant in pretio, nisi qualitatem compensens quantitate, si compensari potest. III. qui pro suis remedia instruunt, non ex Madici præscripto, cui inhærere dabent, nisi in ao errorem deprahendant; quo in casu Medicum admonere tenerentur, &c.

Quod spectat ad Chirurgos, ii præter obligationes hactenus recensitas, geminam hanc habens: I. ut mature consulant, de amputando membro, quod semel abscissum reparari nequeat. II. ut in certarum corporis partium inspectu grassantem malæ voluptatis sensum coercaant pro virili, ne dum alieni corporis curant vulnera, profundiorem animæ suæ plagam inurant.

## CAPUT OCTAVUM.

*De Moderatoribus, & Collectoribus tributorum.*

TRibutum, quod *Talliam* vocant infimæ Latiaitatis scriptores, definitur Pensio imposita subditis ad Principis dignitatem, impendiava communia sustinenda. Tributum strictiori hoc sensu acceptum differt I. a vectigali, quod penditur pro rebus in Provinciam, aut civitatem invectis, val evectis. II. a Portorio, quod solvitur pro mercium transvectione per pontes, ac flumina. III. a Pedagio, quod pro viarum custodia, & refectione exigitur.

Tributum dividitur in raale, quod solvitur ratione prædiorum; & personale, quod cadit in personas ratione industriæ, & lucri ex eadem percepti.

Certum est I. tributa justa & a principibus imponi posse, & a subditis deberi in conscientia. Patat id ex dictis ubi de Legibus cap. 5.

Certum ast II. non omnes obnoxios asse legi tributorum. Ab ea siquidem in Galliis immunes sunt tum Clerici, tum Nobiles, tum qui val apud Regem certa Officia exercent, val quædam in gratiam civium munia gerunt. Ne vero, si Clerici, & Nobiles prædia sua non locarent, sed suis, servorumve manibus incolerent, plebs infima nimium gravaretur, sanxit Ludovicus XIV. an. 1667., ut utrique non nisi unum prædium quatuor aratris constans, idque in eadem Parochia per se exercerent; cætera vero vel locarant

curi-

ruricolis, vel tributis plebeiorum more obnoxia haberent.

Certum est III. tributorum moderatores in id unum eniti debere, ut proportionatam uniuscujusque facultatibus taxam imponant. Hoc enim iis præcipiunt Regiæ Constitutiones, & æquitas naturalis, quæ publica onera proportionaliter imponi jubet, ita ut debiliores onera potentiorum non ferant. Quapropter hic servandæ sunt quatuor regulæ sequentes.

I. In distribuendis tributis habenda est ratio bonorum tum privati cujuslibet, tum etiam totius Communitatis, ita ut per Censitorem relevetur, qui relevari ob paupertatem debet, & plus ferat, qui plus bonorum habet.

II. Neque tamen boni solius ratio habenda est, sed & onerum personæ annexorum. Unde inspiciendum quot quis liberos habeat, an alieno ære gravatus sit, an non grandine, vel morbis oppressus, an non sæpius Collectoris officium peragere debeat, quod aliqui totis ferme quinquennis subeunt non sine dispendio 300., aut 400. libellarum.

III. Inspiciendum non modo quantum quis hoc in loco habeat boni, sed & quantum alibi possideat; nisi tamen ex bonis alibi positis tributum solvat; quia non bis in idem.

IV. Ut onera, sic onerum sublevatio dividi debent. Unde patet, quam graviter delinquant, qui concessam a principe imminutionem sibi, suisque solum applicant. Quanto autem peccarent gravius, si taxam imponerent Regia majorem!

Quoniam vero tam facile est errare in consectariis, quam facile est non errare in principiis, & sæpe dubium est, an non certis in casibus restringi debeant principia, quæ primo intuitu generalia videntur; idcirco varios hic proponam casus, qui non minimam viris cæteroquin doctis difficultatem fecere. Ex his porro casibus alii spectant immediate Collectores, alii locorum Dominos, aut Magistratus impositioni tributorum præpositos, aliosve similes, qui metu, vel dolo causa sunt, cur tributa inique distribuantur. De utrisque seorsim dicemus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Collectoribus.*

Materiam hanc se tota practicam interrogationibus, & responsis comprehendere, & dilucidare visum est. Itaque.

Quæres I., quid sentiendum de Collectoribus, qui Titium virum divitem minus gravaverunt, quam debuissent, his de causis: I. quod ei multum debeant, & actu solvere non possint. II. quod majore anni parte pro eo laborent, & sic lucrentur unde vivant. III. quod qui antea tributum collegerunt, non plus eum gravaverint. IV. quod minetur Titius, se, si plus solito gravetur, aliam in Parochiam recessurum; quod si faceret, oneraretur Parochia ea tributi portione, quam Titius solvit. V. quod Collectores quotam tributi partem singulis distribuendo agant nomine Communitatis, quæ cum sciat mitius agi cum Titio, id approbare censetur. VI. quod si cui hac in re incumbat obligatio restituendi, hæc incumbat Titio, cui soli prædicta indulgentia cedit in lucrum, non Collectoribus, qui nihil inde percipiunt emolumenti.

Respondet Pontas v. *Vectigalia* cas. 1. prædictos Collectores obnoxios esse restitutioni; quia nulla unquam ratio efficere potest, ut alterum cum alterius præjudicio exonerare liceat: multo minus divitem cum dispendio pauperis.

Nec nocet, quod hinc forte eventurum sit, ut Collectores vel opprimantur a Titio, cui plurimum debent, vel deinceps ab eo non admittantur ad solitum laborem. Quia nemini, ut rebus suis consulat, alios expoliare licitum est.

Nec nocet II. quod qui antea tributa collegerunt, pepercerint Titio; quia aliena iniquitas iniquitatis meæ excusatio esse nequit.

Nec nocet III. quod minatur Titius recessurum se e Parochia; tum quia multa minitantur homines, quæ non præstant; tum quia dispendium, quod quis sine culpa sua peperit, imputari eidem non debet. Hæc utcumque infra limitabuntur p. 250.

Nec nocet IV. quod Collectores, qui Titio pepercerunt, nihil inde lucri receperint. Neque enim ad contrahendam restituendi obligationem necessaria est iniqua acceptio, sed sufficit iniqua damnificatio, quæ in præsenti contingit. Attamen Collectores nonnisi in defectum Titii restituere debent.

Multo majoris est momenti id, quod quinto loco objiciunt Collectores, nempe Communitatem censeri approbare, ut mitius agatur cum Titio. Sed neque ea ratio peremtoria est: I. quia deberet constare de consensu totius Communitatis, ac eorum præsertim, qui ut pauperes, plus gravantur ex remissione Titio facta, secundum hanc Juris regulam 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. II. quia Regia Constitutio an. 1614. consensum in pari casu ab ipsa etiam Communitate datum irritat: utique quia timendum est, ne consensum hunc extorqueant viri potentes præsertim a pauperioribus, qui plus ab iisdem dependent. Quod si aliquam sibi stragem metuant Collectores a Titio, debent, qua meliori via poterunt, rem totam aperire Magistratibus, qui pensum Titii facultatibus proportionativum imponent ex officio; quod gallice dicimus *taxer d' Office*. Hactenus Pontas.

Si tamen vir dives multo plus in gratiam Parochiæ totius impenderet, quam perciperet ex imminutione tributi, tantumque ex quadam animi pertinacia, & ne rusticanis Collectoribus perinde ac alii subjici videretur, pensum suum augeri nollet, damnare non auderem Collectores, qui summam justa minorem eidem imponerent, vel semel a prædecessoribus suis impositam servarent, modo tamen id fieret de communitatis totius consensu. An autem postrema hæc decisio in Gallia inservire possit, dubitari potest ob citatam Constitutionem an 1614. Quoniam tamen ex Reg. 61. in 6. id, quod

*quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*; idcirco Collectores, qui ex prævio Communitatis assensu cuipiam in casu proposito pepercissent, non redarguerem, nisi amplius de Regis voluntate constaret.

Quæres II. quid Juris in hoc casu: Petrus omnium cujusdam pagi incolarum ditissimus, ab annis jam 15. tributi pensum singulis partitur de consensu totius Communitatis. Contingit autem, ut Petrus quibusdam parceret an. 1742. Joannes, & Marcus pro eodem anno Collectores designati teneuturne de hac Petri injustitia?

R. affirmat., quia ambo Collectores per se ipsos censentur intulisse damnum, quod ab alio, quem poterant, & debebant prohibere, inferri permiserunt.

Addit Pontas (*Ibid. cas.* 3.) pauperem rusticum, qui ad laborem necessarium peregre profecturus, tributorum impositioni quempiam ex amicis suis pro viro frugi habitum præficit, de culpa ejus non teneri: quia qui virum probum constituit, persuadere sibi debet, quod inique factum est, non ejus culpa, sed sociorum contigisse.

Hæc decisio indubia videtur, si Communitas substitutionem approbaverit; quia hic intervenit virtualis electio novi Collectoris: si vero substitutio inconsulta Communitate peracta sit, tunc substitutus vices gerit Commissarii: atqui committens de Commissarii gestione tenetur, & ejus injustitiam reparare tenetur; ergo. Ita judicarunt an. 1731. Doctores Sorbonici duo. Quapropter si erraverit Collector eum substituendo, quem falso crediderat virum frugi, videtur obnoxius restitutioni. Sed in dubio præsumere potest virum probum omni, quo potuit modo, restitisse iniquitati.

Quæres III. an hæres Collectoris, cujus tempore pauperes inique gravati sunt, ad restituendum teneatur.

R. id ex defuncti Collectoris bono, vel malo nomine esse definiendum. Si Collector pro viro timoratæ conscientiæ habitus fuit, dum degeret in vivis, nulla est obligatio restituendi. Si e contra habitus sit pro homine ad injustitiam converso, restituendum est pro rata. Si dubia sit defuncti fama, vel dubia est positive, & tunc pro ratione dubii restituendum est.; vel dubia est negative, & tunc dubium facile potest excuti, prout dixi supra p. 66. Tunc tamen salubrius est, ut hæredes Collectoris defuncti, saltem eleemosynam largiendo, paternam iniquitatem, si quæ extiterit, resarcire cogitent.

Quæres IV. an Joannes Collector, qui viva voce injustitiæ obstitit, cum facta est tributorum partitio, sed siluit coram Verificatore, teneatur ad restituendum, cum codicem chirographo suo non munivit, *lorsqu'il n'a pas signé le Rolle*.

R. si spes erat futurum, ut Verificator aliorum Collectorum injustitiam coerceret, debuit de ea conqueri Joannes; secus si nihil a Verificatore boni sperabatur, ut sæpius evenit: cum Verificatores, & tributorum receptores non raro prima sint iniquitatis origo, quatenus a Collectoribus exigunt, ut quibusdam præ aliis consulant. Ita prædicti duo Doctores, qui definierunt idem dicendum esse, etiamsi Joannes Codici subscripserit: quia nimirum subscriptio hæc solum ostendit partitionem ea, qua decet, forma peractam fuisse: sic enim Judices omnes sententiæ a majori numero latæ subscribunt, non ut denotent se eam habere pro vera, cum quandoque eandem detestentur; sed ut declarent servatas fuisse Juris formalitates.

Hæc decisio iis difficilis videbitur, qui nobiscum credent, eum, qui iniquitati jam irrevocabiliter sufficienti Senatorum, vel Canonicorum suffragio decretæ non obsistunt, teneri ad restituendum, prout dicemus in Tractatu de Justitia, ubi de Consentiente, & Palpone. Eam tamen retulimus, tum quia traditam a viris doctis, tum ut intelligant Confessarii sibi in his materiis timide procedendum esse; cum quia aliud forte sit non conqueri inutiliter, aliud positivo assensu declarare nobis id æquum videri, quod iniquum judicamus. Sequens decisio eidem pene subjacet difficultati.

Quæres V. an obnoxii sint restitutioni Collectores, qui quosdam ex officio, ut ajunt, taxatos, sed non satis, in eodem statu relinquunt. Ratio dubitandi est, quod Provinciarum (*Les Intendans*) Præpositi permittant Collectoribus, ut eos, qui ex Officio taxati fuerint, sed non satis, penso majori onerent.

R. Collectores sic bono publico consulere debere, ut sibi gratis non noceant: quapropter ad Præpositum recurrere debent, eique res indicare ut sunt, ejusque mandata expectare. Quod si id omiserint, quandoque ad restitutionem adigendi erunt, quandoque non; prout spes erat, rem bene, vel male successuram fuisse. Quanquam si Præpositus nullam hujusmodi *repræsentationum* rationem habere solet, non est quod de iis faciendis solliciti sint Collectores: quia ad actum inutilem nemo tenetur.

Quæres VI. an Simon Collector bonorum inops, nec ingenio dives, quem Communitas socium dedit viris divitibus, a quibus contemnitur, debeat restituere si præ metu, ac pudore quodam eorumdem injustitiæ non obstiterit.

R. I. in tributorum partitione morali quadam justitia opus esse, non arithmetica: neque enim fieri potest, ut vitetur excessus quicumque, vel defectus. Si ergo Simon in hisce solum casibus siluerit, non tenetur ad restituendum.

R. II. si socii Simonis justitiam vere læserint, videtur is ad restitutionem teneri, quia *facientem, & consentientem par pœna constringit*, præsertim cum consentiens tenetur ex officio resistere. Nec nocet, quod inutiliter reclamasset, quia impedìisset saltem, ne injustitia de exteriori suo consensu inferretur. Quæ ratio utcumque confirmat dubium supra tactum ad calcem quæsiti tertii.

R. III. Si Simon Parochiam non satis noverat, nec aliunde animadvertit, socios suos passione moveri, potuit eorum acquiescere judicio: quamquam optandum erat, ut modeste in casu particulari suam ipse opinionem aperiret. Ex quibus obiter colliges, quanti Parochorum intersit, ut ea de re Parochianos suos

non

non in genere solum, sed & in specie commonerant.

Quæres VII. an Collector, cui Receptor tributorum minatus est carcerem, aut graves impensas, quæ in totam Communitatem recidant, possit, ut mala hæc avertat, consentire iniquitati, quam proponit idem Receptor.

R. generatim non esse facienda mala, ut eveniant bona; unde si Receptor hunc, vel illum in particulari inique gravari velit, non erit consentiendum. Fieri tamen potest, quod gravamen eo usque modicum sit, ut quisque illud ea charitate pati teneatur ad avertendam cæterorum perniciem. Quod si Receptor aliquid exigeret toti Communitati noxium, posset illud ex formali, vel præsumto Communitatis consensu acceptari ad redimendam iniquam, eamque graviorem vexationem.

Quæres VIII. an Collector pro sale constitutus, qui centum salis mensuras recepit, iisque æqua lance distributis aliquot modios superstites habet, excessum hunc restituere teneatur.

R. teneri, si prout fieri consuevit, excessum hunc malis artibus obtinuerit, puta distributorem primarium muneribus corrumpendo. Sin autem, non videtur obnoxius restitutioni; quia spectari id potest tanquam liberalitas Principis, eorumve, qui vices Principis gerunt; vel potius ut compensatio, qua utcumqua juventur viri sub omni ærumnarum genere fatiscentes. Adde, quod cum ob temporum varietatem decrescit massa salis, damnum in Collectoribus cadat.

Quæres IX. an Collectores lictoribus uti possint ad exigendam tributi solutionem.

R. posse quempiam in gratiam Regis id, quod pro rebus suis potest, præsertim cum ea mora imminerant sibi carceris ærumnæ. Hic tamen servandæ sunt charitatis leges præsertim erga eos, qui majore penuria premuntur; & ii tamen asperius tractari solent. Quin eo usqua deveniunt furoris Collectores aliqui nequam, ut cum lictoribus sine mora adductis lucrum dividant, aut militibus gravent unum aliquem, quem oderunt, intactis cæteris, qui eum in eadem sint mora, idem onus ex æquo ferre debuerant.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Moderatoribus, & aliis, qui in negotio tributorum inique agunt.*

Certum est peccare Præpositos, qui vel imponunt summam ea majorem, quam Princeps exegerit; vel præ duritia facilius addicunt carceri Collectores; vel iis pareunt, quos taxant ex officio. His ergo prætermissis.

Quæres I. Quid sentiendum de distributoribus, qui agros solos, non autem pecora subjicientes tributo, ut antea fieri consueverat, causa sunt, cur pauperes gravius onerentur.

R. vel id Superiorum auctoritate factum est, vel secus. Si 1. non est quod redarguantur; quia rem quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit. Si 2. vel egerunt ex prævio Communitatis consensu; tuncque nihil merentur vituperii: vel auctoritate propria; tunc inspiciendum an egerint ex bona fide, & intuitu publici boni; an solum ut rebus suis consulerent, quia v. g. gregem numerosum habent. In priori casu censent Sambovius, & ex eo Pontas liberos videri a restitutione qui sic egerint; quia si quos læsere, per accidens læserunt, & in gratiam boni publici, quod privato anteferri debet. In posteriori casu, ut evidens est injustitia, sic & evidens obligatio restituendi.

Hæc decisio quatenus eximit a restituendo eos, qui proprio marte solitam imponendi tributi formam immutant, sub obtentu etiam majoris boni, quod tamen in pauperum gravamen cedit, dubia mihi videtur. Hic enim subest quædam publicæ potestatis invasio, quæ & in se, & ratione gravaminis inde subsecuti, auctoribus suis imputanda videtur. Crediderim ergo res ad priorem statum revocandas esse, aut curandum saltem ut quod divitibus cedit in lucrum, egenis non vergat in perniciem.

Quæres II. an dominus, qui precibus egit, ut in Parochia, cui præest, imminueretur tributum, possit exigera a Collectoribus, ut Villicos suos multo minus onerent, quam ii ferre possint.

R. negat. quia mens eorum, qui tributum minuunt, ea est, ut omnes ex æquo, vel pauperes magis subleventur. Nec obest, quod gratitudo exigere videtur, ut Collectores Villicis benefactoris sui indulgeant; cessat enim obligatio gratitudinis, ubi strictior viget justitiæ obligatio; nec decet Topareham ab hominibus expetere pretium charitatis, quod a Deo plenius accepturus sit. Charitatis dico, quia si dominus, Parochiæ suæ cum vicinarum Parochiarum iniquo dispendio consuleret, actum ederet injustitiæ, nedum virtutis.

Eadem de causa peccant Collectores, qui Notariis parcunt, eo quod Codicem, & Parochiæ instrumenta gratis conficiant, si remissio tributi operam laboris longe excedat, ut solet, iis præsertim in locis, ubi raro conficiuntur instrumenta.

Quæres III. ad quid teneantur vel Nobiles, qui plebeia bona subtrahunt tributo, vel plebeii, qui fingunt se certam boni sui partem dare filiabus suis, quæ nobiles viros docunt in matrimonium.

R. ad 1. viros nobiles, qui serva prædia habent, si proportionatam iisdem prædiis taxam solvere renuant, & cæteros incolas, quos lapsis retro annis gravaverunt, indemnes facere recusent, posita facti evidentia a Sacramentis esse abigendos, tanquam alienæ rei detentores. Ita casum hunc solverunt Doctores triginta ab Alectensi Episcopo consulti.

R. ad 2. dubium non esse, quin plebei illi ad restituendum teneantur; quia *fraus & dolus alicui patrocinari non debent*.

Quæres IV. an Principes e Regia stirpe possint aliquem tributorum oneri subtrahere, eidem honorarium domestici nomen tribuendo.

R. eos solum e Principum Regiorum domesticis a tributo liberos esse, qui actu iisdem principibus fa-

famulantur, & libellarum sexaginta stipendio donantur: unde qui alia conditione famulorum albo inscribuntur, in fraudem inscribi censendi sunt, & ad restitutionem adigendi.

Quæres V. an Andreas vir dives, cui tanquam exemto nusquam impositum est onus tributi, licet eidem revera subjaceat, teneatur petere tributariorum catalogo inscribi.

Responderunt prædicti duo Sorbonici Doctores, eidem curandum esse, ut & deinceps tributum solvat, & pro eo, quod hactenus non solvit, restituat ad judicium viri probi. Hæc decisio tenenda videtur, ut qua sola constitui possit æqualitas; non enim pauperibus solis nocet, qui tributi portionem debitam non pendit, sed & ipsis etiam divitibus, qui plus gravantur, quam gravarentur. Quia & si Andreas tributo obnoxius, obnoxius sit tributi ejusdem collectioni, erit & illud gravamen, quod in alios cadit, proportionaliter resarciendum.

Quæres VI. an qui prædium locat sub ea conventionis specie, quæ gallice dicitur *bail a moitie*, possit totum tributi onus in Locatarium transferre.

R. conventionem, de qua sermo est, licitam esse, modo cum Locatario descendatur in pretio propter impositum eidem tributi solvendi onus. Ideo autem descendendum est in pretio cum hujusmodi Villicis, quia tenentur ii non eam solum pendere tributi portionem, quæ mediæ prædii parti, sed quæ toti prædio correspondeat; cum & de eo convenisse supponantur, & alioqui gravaretur Parochia ea tributi parte, quam solveret Proprietarius, si fundum ipse suum exerceret.

Quæres VII. An viri Nobiles, vel Clerici exigere possint, ut minor Villicis suis imponatur taxa eo prætextu, quod prædia sua per se exercere possint; quod si facerent, onerarentur incolæ quantula ea portione, quam ex iisdem prædiis percipiunt Collectores.

R. gratiam non prodesse nisi sub conditionibus, quibus alligata est. Unde cum Princeps ea solum prædia tributo subduxerit, quæ Nobiles per se tenerent, æquum est, ut sublata privilegii conditione communem sortem subeant. Si tamen sentiant Collectores, quorumdam Nobilium animis serio fixum esse, ut prædia sua locare desinant, nisi cum Villicis suis mitius agatur, possunt, & debent de Communitatis consensu istorum taxam imminuere; quia id necessum est ad bonum Communitatis.

Quod spectat ad Clericos, crederem distinguendum. Vel enim bona, quæ locant, sunt pure Ecclesiastica, vel, si ita loqui fas est, non sunt Ecclesiastica nisi per accidens, quatenus a Clericis possidentur, dum a Laicis possideri possunt, ut patet in bonis patrimonialibus. Si primum, bona hæc utpote proprium Crucifixi patrimonium se ipsis libera sunt, solisque Cleri impositionibus subdita: unde duplici titulo agere possunt Clerici, ut hæc, sive propriis, sive alienis manibus gerantur, non graventur tributo. Si secundum, ejusdem videatur esse conditionis, ac bona Nobilium, de quibus proxime actum est; quia a solo Principum favore suam habent immunitatem, quæ certis conditionibus alligari potuit. Hæc resolutio iis in locis inservire posset, ubi quæcumque Clericorum bona a tributo sub prædicta conditione eximerentur.

Ob rationem mox propositam, qui decimas locato habent, minus gravandi esse viderentur.

Quæres VIII. quam agendi rationem servare debeant Confessarii cum Collectoribus, quos quandoque publica vox iniquitatis reos facit; & qui tamen constanter declarant se intra æqui limites stetisse.

R. hic, si usquam, sapientia, & præcauto opus esse. Quapropter videat Confessarius, ne quem in specie assignet quasi non satis taxatum. Hoc enim statim propalant Collectores; unde Parochum inter, & Parochianos oriuntur jurgia, quæ grave Ministris, & Ministerio nocumentum inferunt. Hic ergo generalibus utendum motivis; interrogandum, an, si immineat articulus mortis, id velint fecisse, quod fecerunt; pensandum ex tota agendi ratione, num ex bona, vel mala fide egerint. Si præsumatur bona fides, absolvendi erunt, præsertim quia nec in materia tributi, nec in alia quacumque idem esse potest capitum omnium sensus. Si vero aperta sit injustitia, satius forte fuerit, ut remittantur ad extraneum, qui secreto de injustitia publice nota commoneatur, & quem pœnitens multo facilius judicabit ab omni partium studio alienum esse, quam proprium Pastorem.

Quæres IX., an Collector, qui non æqua lance tributa divisit, absolvi queat, si non aliter, quam per eleemosynas pauperioribus loci incolis distributas restituere velit.

R. non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum, iis scilicet, quibus ablatum est: & vero an eleemosyna Petro collata injustitiam Joanni illatam resarcit? neutiquam sane, nisi a Joanne approbetur tanquam nomine suo erogata, aut eroganda. Hic ergo casus ex generalibus circa restitutionem principiis resolvi debet.

# TRACTATUS
## DE PRÆCEPTIS
## DECALOGI.

DECALOGUS, græca nominis origine, decem sermones significat; ex usu vero Judæorum, & Christianorum, decem significat Præcepta, quæ pluries in Scripturis *verba fœderis decem* (*Deut*. 4. 29.) appellantur, & omnia hominis, sive ad hominem, sive ad Deum officia continent. Et hæc est ampla quidem, sed plane necessaria præsentis Tractatus materies, quam Deo dante decem Capitibus exequemur; postquam tamen prævias aliquot quæstiones præmiserimus.

Quæres itaque I. quis sit Decalogi auctor. R. Deus ipse, qui decem præcepta ore ad os Moysi dedit, & eadem proprio digito *scripsit in tabulis*, *juxta id quod scripserat* in prioribus tabulis a Moyse confractis. Vide cap. 19. &. 20. Libri Exodi.

Quæ-

Quæres II. an omnia Decalogi præcepta sint de jure naturæ. R. affirmat. excepto tertio, quod sub aliquo respectu cæremoniale est. Ratio est, quia præcipit natura, ut debitus supremo Numini honos ad creaturas non transferatur, ut parentes veneremur, ut neminem lædamus.

Dixi, *excepto tertio*: etsi enim natura ipsos Gentiles docuit, tempus aliquod publico Numinis cultui consecrandum esse, haud tamen præcepit, ut hæc potius quam illa dies eidem cultur deputetur: unde Sabbato Judæorum successit apud Christianos dies Dominica.

Quæres III, an Christiani Decalogo teneantur. R. affirmat. I. quia Decalogus pertinet ad legem naturæ: porro homines omnes naturali lege tenentur. II. quia Christus observationem præceptorum Decalogi districte commendavit his verbis: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* 19.). III. idexpresse docet Synodus Tridentina sess. 6. can. 19. & 20. ubi anathemate percellitur quisquis dixerit, *decem præcepta nihil pertinere ad Christianos*.

Hinc colliges eos graviter peccare, qui Decalogum saltem quoad substantiam memoria non tenent. Quisque enim præcepti sæpius urgentis notitiam habere debet, ut in occasione meminisse possit, quid sibi præceptum sit, aut prohibitum. Si quis tamen Decalogi verba, vel ordinem non teneat memoriter, non erit reus peccati mortalis, nisi hæc ignoret ex contemptu, aut verborum ignorantia periculum ingeneret ignorantiæ ipsarum rerum. Neque vero memoria solum, sed & alterius animo præcepta Dei imprimi necesse est, ita ut Psaltæ exemplo sincere dici possit: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: (*Ps.* 118.) secundum id Proverb. 6. *Conserva, fili mi, præcepta patris tui .... liga ea in corde tuo jugiter... cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te.* Unde Pastores, e quorum ore divinam legem requirere debent populi, plenam eorum omnium, quæ ad Decalogum pertinent, notitiam assequi tenentur, ut dent *scientiam salutis* (*Luc.* 1.) populo Dei, ejusque peccata, sibimetipsis alioqui imputanda, avertere conentur.

Quæres IV. quibus mediis Pastores debeant, & possint populos ad Decalogi observantiam accendere. R. his præcipue: I. ostendent mandata hæc non esse ad *observandum impossibilia* (*Trid. Sess.* 6. *c.* 22.), quidquid contra doceant Novatores, quorum blasphemia verbo Dei directe adversatur. *Mandatum hoc*, ait Deus ipse Deut. 30. *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est.... sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

II. Varia Scripturæ, & Patrum testimonia, quibus eorumdem mandatorum difficultas & facilitas adstruuntur, sic conciliabunt, ut neque segnes existiment negotium salutis rem esse, quæ absque nisu vehementi, & tremore continuo peragi possit; neque, ii qui viam perfectionis ingredi volunt, eandem sibi repræsentent ut terram monstris obsitam, quæque suos devoret habitatores. Prioris generis Christiani monebuntur, Regnum cœlorum vim pati, arctam esse viam, quæ ad vitam ducit, &c. Posteriores docebuntur id, quod apud homines impossibile est, apud Deum *suave* esse ac *leve* (*Matth.* 11.); viam salutis, quæ sæculi amatoribus dura, & angusta videtur, amantibus Deum latam esse; leges mundi Dei legibus longe asperiores esse; unde Sap. 5. fatentur impii lassatos se fuisse *in via iniquitatis*, &c.

III. Exhibebunt uberes fructus, qui mandatorum Dei observatores sive in hac vita, sive in altera manent. In hac quidem vita custodia legum I. *illuminat oculos* (*Psalm.* 18.), atque tam sublimi rerum divinarum cognitione mentem replet, ut viri idiotæ de Deo plerumque melius discurrant, quam Philosophi. II. *sapientiam præstat parvulis*, qui ad finem debitum doctis mediis properant, dum Sapientes hujus sæculi suis in cogitationibus evanescunt. III. pacem multam procurat & gaudium: unde quicumque legi divinæ adhæserunt, *egentes* etiam, *angustiati, & afflicti*, in omni tribulatione sua superabundabant gaudio (*Heb.* 11.). Est ergo *in custodiendis Dei mandatis retributio multa* jam nunc, sed major in futuro, talisque, ut oculus non viderit, nec auris audiverit, *quæ præparavit Deus iis qui*, verba ejus servando, *diligunt eum*.

Quæres V. quomodo dividantur Decalogi præcepta. R. Dividuntur in affirmativa, quæ aliquid fieri præcipiunt: ut hæc duo: sanctifica Sabbatum, Honora parentes; & negativa, quæ aliquid fieri vetant, v. g. Ne quis alium occidat. Duplex præcipue est inter ea præcepta discrimen: I. negativa obligant semper & pro semper, seu in omni loco & tempore: nunquam enim v. g. innocentem interficere licet. Affirmativa vero obligant quidem semper, sed non pro semper; neque enim in omni loco & tempore parentes honorare tenemur, sed loco & tempore debitis, quando cum iis tractamus. II. præcepta negativa violantur peccato commissionis; affirmativa, peccato omissionis. Primum patet in eo, qui alium occidit; secundum in eo, qui patrem non honorat. Hic tamen animadvertendum est in præcepto negativo, quo malum aliquod prohibetur, includi præceptum affirmativum, quo bonum malo huic oppositum imperatur; sicut a contrario præceptum affirmativum, quo actio bona jubetur, involvit præceptum negativum, quo opposita prohibetur.

## CAPUT PRIMUM.

### De primo decalogi præcepto.

PRimum Decalogi præceptum sic habet: *Non habebis deos alienos coram me*, &c. (*Vid. S. Th.* 2. 2. *q.*16. *art.* 1.) ubi sic prohibetur adoratio creaturæ, ut stricte præcipiatur cultus Dei. Quia vero juxta Augustinum cap. 2. Enchirid. *colitur Deus fide, spe, & charitate*, idcirco de his virtutibus disseremus in præsenti.

AR-

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Fide.*

TRia nobis hic discutienda sunt: I. quid sit fides, & quomodo dividatur. II. an necessarium sit internos, & externos fidei actus elicere. III. quæ vitia, vel peccata fidei opponantur.

## SECTIO PRIMA.

### *De essentia, & divisione Fidei.*

FIdes describitur ab Apostolo (*Hebr.* 11.) *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: I. quidem *substantia*, seu, ut fert græcus textus, *hypostasis*, id est, ut aliqui volunt, basis & fundamentum spei nostræ; vel, ut alii malunt, repræsentatio, ne *persuasio super his, quæ sunt in spe, ac si jam essent* (*Estius hic*) a nobis possessa: II. *rerum sperandarum*, non quod ea solum credamus, quæ speramus, cum credamus infernum, quod spei nostræ objectum esse nequit; sed quia Deus, quem speramus, præcipuum est fidei objectum, ad quod quidquid revelatum est, refertur. III. *argumentum non apparentium*, id est ostensio, ac demonstratio earum rerum, quæ licet nec percipiantur sensu, nec comprehendantur ratione, mentis tamen oculo repræsentantur ut tam certæ, ac si reipsa coram expositæ essent.

Fides strictius definitur: Virtus theologica divinitus infusa, inclinans mentem ad assentiendum firmiter ob veracitatem Dei omnibus, quæ revelavit Deus, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit. Voces, *virtus theologica divinitus infusa*, conveniunt spei, & charitati, adeoque locum habent generis; aliæ vero voces solius fidei propriæ sunt, ideoque gerunt differentiæ vices.

Dicitur I. *virtus*. Quia fides est habitus bonus, ad praxim inclinans, reddensque habentem, & actum ipsius bonum.

II. Dicitur virtus *theologica*. Fides enim Deum habet pro objecto immediato, sive *materiali & quod*, quia Deus ut gratiæ, & gloriæ auctor primario attingitur a fide; cetera vero ratione ipsius, sive *formali & quo*, quia quidquid creditur, sive Deus sit, sive aliud, propter veracitatem Dei creditur: unde motivum fidei ultimate resolvitur in auctoritatem Dei loquentis.

III. Dicitur *divinitus infusa*. Nam ne ipsum quidem initium fidei solis naturæ viribus haberi potest, ut contra Semipelagianos definiit Ecclesia.

IV. Dicitur *inclinans mentem*. Mens enim habitu virtutis fidei donata ex eo disponitur ad eliciendos actus eidem habitui conformes.

V. Dicitur *ad assentiendum firmiter*, &c. nullus enim assensus firmior esse potest, quam qui ipsa Dei veracitate innititur: unde hæc propositio: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus*, proscripta est ab Innocentio XI. anno 1679. & an. 1700. a Clero Gallicano, ut *scandalosa, perniciosa, & quæ Apostolicam fidei definitionem evertat.*

VI. Dicitur, *omnibus, quæ revelavit Deus*: res enim revelatæ sunt adæquatum fidei objectum materiale, quia ad eas omnes, & solas se extendit fides.

VII. Dicitur, & *per Ecclesiam credenda proposuit*. Fictitia enim est immediata revelatio, quam admittunt Protestantes: unde in materiis fidei recurrendum est ad propositionem Ecclesiæ, juxta tritum illud S. Augustini Lib. contra Epist. Fundam. c. 4. *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Hinc prætensi Ecclesiæ reformatores, quibus, ut pote ducibus gregis, amplior rerum fidei notitia communicari debuisset, non modo circa insignes fidei articulos dissenserunt inter se, dum alius v. g. præsentiam realem negat, quam alter adstruit, sed circa ipsos Scripturæ libros, dum Calvinus epistolam S. Jacobi ut Dei Verbum veneratur, quam ut stramineam rejicit Lutherus.

(✠) *Credere* igitur, egregie docet S. Thomas 2. 2. q. 2. ar. 1. *est cum assensu cogitare*. *Assensus autem hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum*. Enimvero alicui propositioni assentiri idem est, ac prædicati cum subjecto convenientiam in ea deprehendere, quod est *cum assensu cogitare*. Jam vero quum in propositione fidei, quæ obscura est, convenientiam hanc cognoscere nequeat humanus intellectus ex sola subjecti, & prædicati consideratione, necesse omnino est, ut a voluntate determinetur ad illam cognoscendam, sicque ex voluntatis imperio fidei propositioni intellectus firmiter adhærescit. Adeoque vel ex hoc ipso evidens est adversus Semipelagianos ad fidei initium necessarium esse gratiæ divinæ adjutorium.

Voluntas enim quum nunquam deliberate velit absque motivis; ratio cur hic & nunc intellectum determinet ad assensum præbendum divinitus revelatis, supernaturalia equidem esse debent motiva, quibus efficaciter, atque indeclinabiliter movetur voluntas ad determinandum intellectum, ut firmiter divinitus revelatis adhæreseat; atque id tanto efficacius, quam si intellectus ex ipsamet objecti perspicuitate moveretur, quanto supernaturalia motiva naturalibus sunt præstantiora, & efficaciora. Hinc jure merito concludi potest a Semipelagianis semitis eos non deflectere, qui rationem, qua homo vult credere aliunde, quam a gratiæ virtute, & efficacia malunt repetere. (✠)

Fides dividitur I. in habitualem, quam modo definivi, & actualem, quæ est actualis, & firma adhæsio rebus revelatis, & ab Ecclesia propositis: eaque si exterius verbis, aut aliter se prodat, vocatur fides exterior, interior vero, si in animo remaneat, ibique consummetur;

Dividitur II. in explicitam, & implicitam: Explicita est ea, qua assentimur alicui articulo speciali, & determinato, puta Trinitati personarum, sive hic paulo distinctius concipiatur, ut ab eruditis, sive confusius, ut a plebe. Implicita est ea, qua generatim assentimur omnibus a Deo revelatis, sive ab Ecclesia propositis, sive aliquando proponendis.

Di-

Dividitur III. in formatam, quæ gratiam habitualem, & charitatem sibi in eadem anima conjunctas habet; & informem, quæ justitia, & charitate destituta manet: talis est fides hominis Catholici in statu peccati mortalis constituti. Neque enim qui a charitate excidit, excidit necessario a fide, ut definiit Tridentinum sess. 6. can. 28. Hinc merito proscripta est ista Quesnelli propositio: *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum?*

Dividitur IV. a SS. Augustino (*Tract. 29. in Joan.*) & Thoma in *credere Deo*, *credere Deum*, & *credere in Deum*. Credere Deo est credere id omne, quod revelavit Deus, ob infinitam ejus veracitatem: credere Deum est credere, quod Deus sit: credere in Deum est credere Deum non simpliciter, sed ex affectu, qui in Deum tendat: *Possumus dicere*, ait Augustinus, *credimus Paulo, sed non credimus in Paulum ... Quid est ergo credere in eum? credendo amare, credendo diligere*, &c.

## SECTIO SECUNDA.

*De necessitate actus Fidei.*

NOT. I. Potest quid ad alterius consecutionem esse necessarium necessitate vel medii, vel præcepti. Illud est necessarium necessitate medii, sine quo, etiamsi inculpabiliter omitteretur, finis haberi non potest: talis est Baptismi necessitas respectu infantis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod ita imperatum est, ut sine eo finis obtineri non possit (*Vid. Polm.*), nisi omissionem illius excuset causa rationabilis: sic restitutio boni ablati necessaria est ad salutem, nisi a restituendo excuset justa causa, ut impossibilitas.

Not. II. Non hic movetur quæstio de fidei habitu; ejus enim necessitas certo constat, quia non potest obtineri salus absque gratia sanctificante: & hæc nunquam infunditur sine habitu fidei. Tota igitur difficultas est de fidei actu; idque respectu adultorum duntaxat, cum infantes actus fidei capaces non sint, & tamen per Baptismum capaces sint salutis.

Not. III. Actus fidei duplex: interior, qui consistit in assensu præstito veritatibus a Deo revelatis, & exterior, qui ipsa est exterior fidei professio ore, vel opere, aut alio nutu sensibilis effecta. De utriusque actus necessitate agitur in præsenti. Sit

## PUNCTUM PRIMUM.

*De necessitate actus interioris Fidei.*

Videndum hic I. an ad salutem necessarius sit interior fidei actus. II. quod debeat esse ejus objectum. III. quo tempore urgeat obligatio eliciendi actus fidei. Sit

CONCLUSIO I. Interior fidei actus ad obtinendam salutem necessarius est necessitate tum medii, tum præcepti.

Prob. 1. pars: quia sine aliquo fidei supernaturalis actu, etiamsi inculpabiliter omitti supponatur, salus obtineri non potest. Nemo enim salutem obtinere potest, nisi accedat ad Deum, eique placeat: atqui per solam fidem accedit quis ad Deum, eique in ordine ad salutem placet, juxta id Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est*, & rursus: *Sine fide impossibile est placere Deo*, quod de fide actuali intelligitur, ut probat vox *accedentem*, quæ significat actu tendentem.

Prob. 2. Illud necessarium est ad salutem, quod ad justificationem necessarium est: atqui ex Tridentino, fides actualis necessaria est ad justificationem. Fundamentum enim, & radix ad id omnino necessaria sunt, cujus sunt radix, & fundamentum; ut patet in trunco respectu ramorum, & fundamento respectu ædificii: atqui fides est *radix*, & *fundamentum justificationis*, ex Trid. sess. 6. c. 7. ergo.

Prob. 2. pars: quia fides actualis expresse & pluries imperata est in Scripturis. Joan. 13. *Creditis in Deum, & in me credite*. Marc. ultim. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Merito itaque damnata est hæc propositio: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*.

Obj. I. Cornelius Centurio nondum habebat fidem cum monitus est, ut accerseret Petrum, a quo fidei mysteria edoceretur: atqui tamen jam justus erat, cum jam esset *vir religiosus, ac timens Deum &c.* (*Act. 10.*); ergo potest quis sine fide justificari.

R. neg. maj. ut enim docet S. Thomas, (*2. 2. q. 10. art. 4.*) *De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat; alioqui ejus operatio non fuisset accepta Deo, cui sine fide nullus placere potest: habebat autem fidem implicitam, nondum manifestata Evangelii veritate*. Atque, ut ait S. Gregorius Homil. 19. in Evang., *bona actione promeruit, ut Deum perfecte cognosceret, & incarnationis ejus mysterium cognosceret* eo tempore, quo explicita Christi fides tanquam medium obtinendæ salutis proponi incipiebat.

Obj. II. Quod impossibile est adultis, necessarium esse nequit, saltem necessitate præcepti: atqui habere fidem impossibile est pluribus adultis. Non enim possunt credere, nisi audiant: porro multi sunt, penes quos non est audire verba fidei.

R. dist. min. Impossibile est pluribus adultis habere fidem, impossibile, inquam, proxime, & immediate, C. mediate, & remote, N. Illi enim mediatam habent potestatem perveniendi ad fidem, qui ope gratiæ, quæ ne infidelibus quidem deest, possunt naturæ legem servare, & servando ea consequi, quæ ad salutem proxime necessaria sunt: atqui Infideles ope gratiæ sibi concessæ possunt ..... Prob. min. ex S. Thoma q. 14. de veritate art. 11. *Si*, inquit, *aliquis in sylvis, vel inter bruta animantia nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*.

(+) Quamvis eo loci S. Doctor dicat, quod si esset Infidelis in sylvis, *qui de Evangelio nihil audisset, mitteret ei Deus Angelum potius, aut prædicatorem* ex-

*extraordinarium, ut eum in fide erudiret, dummodo naturalis rationis ductum sequeretur*; attamen ad caput decimum Epistolæ ad Rom. lect. 3., ubi eandem tradit doctrinam, subjungit: *quod autem est facere, quod in se est in observantia legis naturæ, non est ab hominibus ex se, sed a Deo*. Revera observantia legis naturæ, primi præcepti, quod est Dei dilectio, observantiam complectitur; at, ut primum illud adimpleamus præceptum in statu viciatæ naturæ, atque propter peccatum a Deo aversæ, sufficienti non tantum, sed & efficacissimo hominem indigere adjutorio, & qui vix a limine Angelici Præceptoris doctrinam salutarunt, in dubium revocare non audent; ergo nec ambigere quis audebit ex Sancto Doctore *observantiam legis naturæ non esse ab hominibus ex se, sed a Deo per illius gratiæ adjutorium*. (✠)

Inst. Si Infideles mediatam credendi potestatem habeant, eorum infidelitas vincibilis erit, & ideo culpabilis: atqui falsum consequens. Alioqui infidelitas negativa esset peccatum, ac proinde male damnata esset hæc Baji propositio n. 68. *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*.

R. ad 1. neg. maj. ut enim infidelitas non sit peccatum in iis etiam, qui prioribus gratiis utendo ad ipsam fidem aliquando devenissent, sufficit, ut prævidere non possint Deum ipsis subtracturum esse fidem, si legis naturæ præcepta violent: atqui moraliter loquendo Infideles prævidere non possunt fidem, Trinitatis v. g., aut Christi, sibi esse subtrahendam, ex eo quod naturæ præcepta transgrediantur, cum tota, quæ inter præceptorum naturalium observantiam, & fidem Christi est connexio, pendeat a libera Dei voluntate, & humanæ mentis intelligentiam excedat; ergo Infideles ex ipso fidei defectu non peccant, & tamen remotam habent credendi potestatem.

Confirm. Non magis reus est fidei non adeptæ Gentilis, qui gratiæ ad observantiam legis naturalis sollicitanti resistit, quam reus sit peccati mortalis Beneficiarius, qui mane debens, ut poterat, Officium persolvere, illud ad decimam horam distulit, qua correptus ardenti febre, deinceps recitare non potuit: atqui is erit quidem reus alicujus negligentiæ, non tamen peccati mortalis, quia prævidere non potuit futurum ut recitare non posset; ergo a pari.

(✠) Cæterum hanc objectionem melius solvit S. Thomas 1. 2. q. 2. ar. 5. ad primum, *dicendum, quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum; & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hæc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscunque divinitus datur, misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in lib. de correp., & gratia*. (✠)

Quod si Gentilis tot a Deo gratias reciperet, ut implicite præsentiret fidei necessitatem, & ab ea se averteret, tunc infidelitas ejus fieri posset peccatum, desineretque esse pure negativa, quia gratia idem in eo præstaret, ac minister exterior verbi.

Quod spectat ad objectum fidei, non conveniunt etiamnum Theologi, quid præcise ad justificationem credi debeat: ut ergo, quantum fieri poterit, dubium ea de re tollatur, sit

CONCLUSIO II. Christianis necessaria est necessitate medii fides explicita, non solum Dei ut remuneratoris, sed etiam Trinitatis, & Incarnationis.

Prob. 1. pars de fide Dei ut remuneratoris: I. ex Apost. Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ubi requiritur fides, quæ pro objecto habeat Deum, non simpliciter, sed ut remuneratorem; in hac autem propositione, *Deus est*, continetur quod sit unus, independens, summe bonus; in illa vero, *remunerator inquirentibus se*, quod sit boni supernaturalis auctor, & quod anima non intereat cum corpore. II. quia propositio hæc: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii non autem explicita remuneratoris*, ab Innocentio XI. damnata est, & a Clero Gallic. an. 1700. III. quia ad justificationem & salutem necesse est eam in Deum habere fidem, qua spes nostra in Deum excitetur: atqui spes nostra excitari nequit, nisi Deum credamus, qui inquirentibus se remunerator sit; ergo.

Prob. 2. pars de fide Incarnationis: I. ex Joan. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit; jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei*. Ubi non minus necessaria est fides Christi ad salutem animæ, quam aspectus ænei serpentis necessarius fuit ad salutem corporis.

II. Ex Tridentino sess. 6. c. 6. ubi decernitur ad obtinendam justificationem credenda esse, *quæ divinitus revelata, & promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu*: unde sic: Nullius veritatis fides magis est necessaria, quam illius quæ *in primis* credenda est: atqui redemtio per Christum præcipue & *in primis* credi debet ad justificationem; ergo vel nullius alterius veritatis, vel redemtionis fides necessaria est necessitate medii.

Probatur 3. pars de fide explicita Trinitatis. Ex modo probatis fides Incarnationis explicita necessaria est necessitate medii ad justificationem & salutem: atqui *mysterium Incarnationis Christi explicite credi non potest, sine fide Trinitatis: quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod filius Dei carnem assumserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, &c.* ergo *post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis*. Ita S. Thom. 2. 2. q. 2. art. 8.

Obj. Ex opinione, quæ explicitam Trinitatis, & Incarnationis fidem requirit, sequitur eos, qui ita hebetes sunt, ut mysteria tam ardua apprehendere non valeant, salutem non posse consequi. Idem dicendum de mutis ac surdis a nativitate, qui vix per signa de horum mysteriorum substantia instrui possunt, &

qui-

quibus proinde neganda essent Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ tamen iis satis communiter conceduntor.

R. neg. ant. & dico, oullum esse hominem ingenii adeo rudis, qui si sit rationis compos, mysteria Trinitatis, & Incaruetionis, sibi sufficienter proposita, quantum ad substantiam, & confuse apprehendete non possit, maxime ex auxilio gratiæ, quæ omnipotens est, & a Deo non denegatur. Et vero homines illi, qui obtusi adeo, & hebetes supponuntur, satis in humanis rebus habent ingenii, ut alios decipiant, & se decipi non patiantur; quidni ergo cum Dei auxilio id præsteot, quod solis naturæ viribus, vel Diaboli adjutorio quotidie exequuntut? Idem servata proportione dicendum de mutis, & surdis, qui per imagines, & signa rudem aliquam mysteriorum nostrorum notitiam haurire possunt; vel, si perseveranter orent, neque gratiæ obicem ponant, a Deo ipso erudientur, quantum ad salutem sufficit.

Si quis tamen contendat aliquos esse adultos, qui præ ingenii debilitate non possint, quantumcunque enitantur, fidei mysteria percipete, dico eos se habere quantum ad hoc, sicut amentes, & parvulos, qui sine ullo fidei actu salvantur. ( *ex Gen. p.* 311.)

Hinc colliges quantum peccent sive parentes, præceptores, patrini, & similes, qui pueris, statim ut rationis usum nacti sunt, non expoount præcipua fidei mysteria, & motivum, ex quo credi debent; sive Parochi, & alii, quibus incumbit animarum cura, si ovibus suis fidei obligationem sedulo non iuculcent, sicque eos exponant periculo damnationis æternæ, quæ non nisi per explicitam Dei remuneratoris, trini, & incarnati fidem vitari potest. Certe intimo, & justo quidem doloris sensu percelluntur Pastores, si resciant e Parochianis suis unum decessisse oon recepto Pœnitentiæ Sacramento; & tranquilli manent, dum sciunt, aut scire possunt, multos e suis quotidie mori absque ulla Incarnationis fide: horom tamen, quam illorum, certior est damnatio, cum pœnitentiæ votum vices ministri supplere possit, nihil autem supplere valeat notitiam mysterii, cujus fides necessaria est necessitate medii. Væ ergo Curatis, qui satis esse putant, si hasce veritates e suggestu, vel in Catechismo aliquoties annuntient, cum constet nec omnes cuilibet instructioni interesse posse, nec ea, quæ palam in genere dicuntor, a rudioribus apprehendi in particulari. Væ dominis, qui in pagis, & oppidis vix servis concedunt ut intersint Missæ, nec domi supplent id, quod suis aliunde deest.

CONCLUSIO III. Ad salutem necessaria est insuper necessitate præcepti divini: I. fides eorom omnium, quæ necessaria sunt necessitate medii. II. fides eorum (quoad substantiam scilicet), quæ in Symbolo Apostolorum continentur. III. fides Sacramentorum, quæ necessaria sunt necessitate medii, vel aliquando recipienda sunt. His addenda est notitia tum Orationis Dominicæ, ejusque necessitatis, tum præceptorum Decalogi.

Prob. 1. pars: quia quo jure constituta est fides alicujus objecti ut medium ed salutem necessarium, eodem jure præcipitur obligatio medium illud usurpandi.

Prob. 2. pars: quia hæc Christi verba, *Prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* 16. 15.) ut imponunt Apostolis obligationem prædicandi Evangelii, sic & populis imponunt obligationem audiendi, & credendi eidem Evangelio: sed oecessitas credendi Evangelio saltem importat oecessitatem credendi articulos Symboli; ii enim præcipua sunt capita Evangelii, atque veluti ejus summa; unde ab ipso Ecclesiæ exordio Catechumeni ad Baptisma non admittebantur, nisi prius recitarent, & intelligereot Symbolum.

Prob. 3. pars: quia præceptum recurrendi ad quædam Sacramenta supponit præviam eorum notitiam, & fidem: atqui extat præceptum Christi universale recurrendi ad Baptismum, ad Pœnitentiam, & Eucharistiam: imo, & juxta multos ad Confirmetionem; ergo horumce Sacramentorum fides, & notitia omnibus, qui ejus capaces sunt, est præcepta. Unde necessaria est Pœnitentiæ cognitio iis etiam, qui necdum mortaliter peccarunt, ut si peccent, aot saltem dubitent an peccaverint, quod omnibus contingit, non ignorent secundam tabulam, qua ex nantragio redimi possunt.

Prob. 4. pars: quia omnes conveniunt necessum esse ut Fideles sciant esse orandum Deum, ab eoque petenda corporis, & animæ bona: atqui hoc ipsum est scire Orationem Dominicam quoad substantiam, ejusque vim, & necessitatem credere; ergo.

Prob. 5. pars de præceptis Decalogi: quia jure naturali, & divino tenetur quilibet eadem observare; ergo, & ea cognoscere.

Dixi, ea, quæ mox enumerata sunt, ex jure divino scienda, aut credenda esse *quoad substantiam*, circa quod notandum est: I. quod articulorum fidei substantiam scire censetur, qui etsi nec ipsa præcise verba, nec verborum ordinem memoria teneat, de quolibet tamen articulo interrogatus, respondere potest, quantum exigit fundus, seu substantia articuli. Ita aliqui, qui consequenter docent, non multum vexandos, sed benigne tractandos esse, qui rudes adeo sunt, vel memoria destituti, ut ista hæc rerum, & verborum ordine memoriter retinere nequeant: quod lubens quoque admiserim, si viri illi rudes debitam adhibuerint diligentiam, ut hæc ediscerent; alioqui enim, juxta Suarem, Navarrum, & alios plures, peccant venialiter; atque hoc peccatum sufficiens est ratio differendæ absolutionis, cum pœnitens jam monitus discere neglexit, nec aliter a somnolentia sua excitari potest.

II. Eorumdem articulorum substantiam vere ignorat, qui totum v. g. Symbolum memoriter tenet, sed idiomate sibi ignoto; non enim creditur id, cujus omnis, & quæcunque notio deest.

III. Non omnes articuli Symboli sunt ejusdem necessitatis. Sic Passio Christi longe alterius est momenti, quam circumstantia ejus *sub Pontio Pilato*; unde ignorantia ipsius, ob materiæ parvitatem a culpa saltem gravi excusari potest.

IV.

IV. Licet stando in jure divino sufficiat, ut Symbolum, Oratio Dominica, & Decalogus quoad substantiam teneantur; Ecclesiastico tamen jure necessum est, ut hæc memoriter teneantur; ut patet ex Can. 105. dist. 4. *De consec.* qui sic habet: *Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam & vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite*. Merito igitur præcepit S. Carolus, ut qui *articulos omnes Symboli Apostolorum* non tenet, (*Act. part. 4. tom. 1. pag. 765. Ed. 1569.*) *insuper, & præcepta Dei, sanctæque matris Ecclesiæ universa, quæ sub mortali obligant*; item *Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem*, ut alibi (*V. Conc. 5. p. 211.*) innuit idem S. Pontifex, non absolvatur, *quin primo quoque tempore ut addiscendis operam daturum se promiserit. Quanquam si aut a Confessario suo eodem, vel diverso, vel sua ipse privatim conscientia jam alias monitus (quod diligentissime exquiretur) eam adhibere diligentiam neglexerit, quæ pro illius ingenii captu ad ea discenda sufficiens sit, non prius absolvatur, quam huic obligationi aliqua saltem ex parte fecerit satis. Si vero ea de re nusquam antea monitus fuerit, poterit tum ei gratiam absolutionis impertiri; ea tamen præmissa semper instructione, quam pœnitenti sufficere censuerit, ut tanto beneficio non sit indignus*.

Præterea *tenentur tam majores, quam minores habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & proponuntur*, ait S. Thomas: unde inferunt Sylvius, & Nat. Alexander explicite credi debere & sciri non ea solum, quæ ad Sacramenta singulis necessaria pertinent; sed & ea quoque, quæ spectant ad Sanctorum cultum, venerationem Reliquiarum, usum indulgentiarum, existentiam Purgatorii, modum juvandi animas ibidem detentas: hæc enim omnia in Ecclesia solemnizantur: & id quoque sciendum est, Ecclesiæ parendum esse, extra illam neminem salvari, &c.

Antequam ulterius progrediamur, juvat aliqua prælibare de Symbolo. Itaque

Quæres I. quid, & quotuplex sit Symbolum.

R. I. Symbolum accipitur in Ecclesia pro collectione articulorum fidei, ad quam multi concurrerunt, & pro signo, quo Fideles se produnt exterius ut veros Christi milites, & ab iis, qui tales non sunt, distinguuntur.

R. II. quatuor recenseri posse Symbola. Primum est *Apostolorum*, qui, ut una esset credentium omnium loquela, sicut erat cor unum, collegerunt brevem capitum fidei summam, ante cetera Proselytis tradendam. Secundum est *Nicænum*, quod editum est in Concilio Nicæno, ad convellendam Arii impietatem, qua negabat Filium Patri consubstantialem esse. Tertium est *Constantinopolitanum*, quod a Nicæno non discrepat nisi ob duas additiones, quarum prior impugnat Manichæos asserentes Deum non esse rerum *visibilium* conditorem; posterior Macedonianos ferit, qui abnegata Spiritui sancto divinitate, negabant consequenter eum cum Patre & Filio adorandum esse & conglorificandum. Quartum circumfertur sub nomine S. Athanasii; quia plene exhibet doctrinam, quam S. Doctor mira eruditione, & patientia, labores inter, & ærumnas, ad mortem usque propugnavit.

Quæres II. quid circa unumquemque ex 12. Symboli Apostolici articulis explicita fide credendum.

R. circa, primum, credendum est unum esse Deum, cui nihil sit impossibile, quique omnia creaverit.

Circa II. *Christum* esse Patris æterni *Filium unicum*, ac proinde naturalem; eundemque esse *Dominum nostrum*, cui proinde, non ut alicui e Sanctis, sed ut summo mortalium Principi, obsequium & honos impendi debent.

Circa III. eundem Christum, qui utpote unicus Patris Filius est ab æterno: in tempore tamen *conceptum esse de Spiritu Sancto*, ac proinde absque operatione humana, & sic de *Virgine*, cui nomen *Maria*.

Circa IV. Credendum est Christum passum esse, & mortuum, idque non simpliciter, *sed propter nos homines, & propter nostram salutem*: Christus enim explicite credi debet ut Redemtor noster, & ut objectum tenerrimæ nostrum omnium gratitudinis *ob nimiam charitatem, qua dilexit nos*. (*Ephes.* 2.)

Neque mors solum, sed & mortis genus seu crucifixio credi debet: I. quia is Symboli articulus ita gravis est, ut Apostoli eum crebro, & constanter seorsim a passione, & morte Christi explicuerint, juxta id Pauli, *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum*. (*I. Cor* 2.) II. quia signum crucis est quasi visibile symbolum, quo Christiani ab exteris distinguuntur; (unde plures peccati mortalis eos accusant, qui culpa sua crucis signo signare se nesciunt.) porro necessum est ut Christiani noverint signum suum; neque illud nosse possunt, nisi crucifixionis mysterium noverint.

Quintus articulus duo proponit, descensum ad inferos, & resurrectionem a mortuis tertia die. De resurrectione a mortuis non ambigitur, quin necessario sit credenda sub pœna peccati gravis, cum speciale sit fidei, & spei nostræ fundamentum, juxta id Apostoli, *Si Christus non resurrexit .... inanis est fides vestra*. (*I Cor.* 15.) Sed quæritur, an necessario credenda sint, sive circumstantia diei tertiæ, sive descensus ad inferos.

R. ad 1. Circumstantia diei tertiæ non potest ignorari sine peccato: I. quia in omnibus Symbolis apposita est, & ab Apostolis aperte inculcata; Act. 10. *Hunc Deus suscitavit tertia die*. & I. Cor 15. *Tradidi vobis in primis, quoniam Christus .... resurrexit tertia die*. II. quia hujus circumstantiæ cognitio multum conducit ad confirmandam mortis ipsius veritatem, tollendamque suspicionem, ne reipsa mortuus non esset, qui statim vivus appareret. III. quia eadem circumstantia & in Scripturis, & ab ipso Christo expresse prædicta fuit. Non tamen ausim, ait Lugo, peccati mortalis damnare hujus solius circumstantiæ ignorantiam: quia cum Petrus die Pentecostes Christi doctrinam, & resurrectionem prædicavit, hanc omisit circumstantiam, solumque dixit: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*. (*Act.* 2.).

R. ad 2. certius videri, ignorantiam circumstantiæ descensus ad inferos pro gravi peccato habendam esse. Quia descensus ad inferos non tam est alterius

terius articuli circumstantia, quam articulus per se stans, ut ita loquar, continetque aliquid, quod ad notitiam Christi redemtoris plurimum conducit; cum hinc doceamur Christum Redemtoris partes agentem, non in terram modo, sed & in inferos descendisse, ut inde educeret animas Sanctorum, qui pretio nondum pro ipsis soluto, ibidem detinebantur.

Sexto articulo docemur Christum ascendisse ad cœlos, ibique sedere ad dexteram Patris: quibus tria præcipue significantur: I. Christum secundum corpus ascendisse ad cœlos. II. eum, prout Deus est, esse æqualem Patri in gloria. III. eum, prout etiam est homo, supremam accepisse potestatem in Angelos & homines; ita ut *data* sit ei *omnis potestas in cælo & in terra*. ( *Matth.* 28. ). Hæc autem quoad sensum & substantiam ab omnibus Fidelibus vulgo cognoscuntur, & cognitu necessaria sunt.

Docet articulus septimus, Christum e cœlis *iterum* venturum esse *judicare vivos & mortuos*; id est bonos & malos, ut explicat Augustinus. Et is articulus dubio procul a Fidelibus necessario explicite credi debet, ut constat ex Act. 10. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum.*

Octavus articulus, quo credunt Fideles *in Spiritum sanctum*, supposita Trinitatis fide, quam medii necessitate necessariam esse diximus, nihil speciale habet.

Articulus nonus duo complectitur, fidem scilicet sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, & sanctorum communionis. Quod ad primum spectat, nemo est Christianus, qui ignoret dari Fidelium multitudinem congregatam sub uno visibili capite successore S. Petri: neque mirum est articulum tam fundamentalem Symbolo insertum fuisse; cum ii, qui ad fidem accedunt, in primis credere debeant existere veram Ecclesiam, quæ sola veritates ad salutem necessarias, genuinosque Scripturæ fontes in quibus eædem reperiuntur, tradere, & explicare potest.

Ex unitate Ecclesiæ sequitur communio Sanctorum, seu mutua bonorum spiritualium communicatio, qua Fideles, utpote ejusdem corporis membra, se invicem juvant, quatenus bona unius opera ceteris prosunt.

Articulus decimus profitetur *remissionem peccatorum*, quam sicut qui peccato infecti sunt, sibi procurare tenentur, sic & media, quibus ea procuratur, explicite scire debent: unde duo unicuique Fideli scienda sunt: I. esse in Ecclesia remittendi peccati potestatem. II. potestatem hanc in Baptismi, & pœnitentiæ Sacramentis præcipue exeri.

Articulus undecimus exhibet *carnis resurrectionem*, quæ scilicet fiat in eodem corpore, quod vivi olim habuimus: & id explicite credendum est.

Articulus ultimus *vitam æternam* promittit, seu, *vitam venturi seculi*: porro vitæ nomen generale est, & utramque vitam, beatam iis, qui pie vixerunt; infelicem iis, qui male, complectitur.

Ut expendatur quo tempore eliciendi sint fidei actus, not. I. cum S. Thoma ( 1. 2. *q.* 6. *art.* 1. ) dari *præcepta in lege divina de actibus fidei, spei & charitatis*; *dicitur enim Eccl.* 2. *Qui timetis Deum, credite illi*: unde proscripta est ab Innocentio XI. propositio ista: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*. Hæc item ab Alexandro VII. *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium*.

Not. II. duplex esse fidei præceptum, aliud negativum, prohibens ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut de iis dubitet; affirmativum aliud, præcipiens ut iisdem veritatibus assensus detur. Primum obligat pro semper, quia nullum est tempus, quo fidei mysteria sufficienter proposita rejici possint. Secundum aliquando quidem obligat, ut ex dictis patet, sed quo præcise tempore controvertitur. Sit

CONCLUSIO IV. fidei præceptum sæpius urget in vita, tum ratione sui, tum per accidens.

Prob. 1. pars I. quia præceptum de re gravis momenti, quæ vitæ christianæ basis est, & sine qua diu in justitia perseverare non possumus, non raro, sed sæpius obligat: atqui præceptum fidei est de re gravis momenti, cum primum sit ex omnibus præceptis, & millies in Scripturis inculcetur: est etiam vitæ christianæ basis, cum ut ad primam justitiam, sic & ad ejus augmentum, necessarium sit: tale demum est, ut sine eo in justitia diu perseverare non possimus, cum ii soli Diabolo circumeunti resistere valeant, qui *fortes* sunt *in fide* ( *I. Pet.* 5. ); ergo.

Prob. II. quia *justus ex fide vivit*; ( *Gal.* 3. ) ergo eo ferme modo fides est animæ necessaria, quo corpori cibus: atqui non semel, sed sæpius cibum sustentando corpori sumi necesse est; ergo & sæpius fidei actus elici oportet: unde qui per eos actus, prout dat Dei gratia, virtualiter adhærere Deo negligunt, venialiter peccant; nec dubium est, quin, si eos omittant in variis occasionibus, in quibus strictius urget fidei præceptum, mortaliter peccare possint, licet non possit mathematice definiri quo momento tanti peccati reatum incurrant.

Porro casus, in quibus potissimum urget per se præceptum fidei, sunt juxta saniores Theologos: I. cum fides Catholica sufficienter proposita est Infidelibus, Hæreticisve, vel iis, qui in infantia baptizati, rationis usum attingunt. Ratio est, quia quæ credenda proponuntur, vel credenda sunt ex necessitate medii, vel ex necessitate præcepti. Si 1. grave subit periculum salutis, qui differt credere, quia culpa sua medium omnino necessarium omittit. Si 2. gravissime etiam peccat, qui Symboli substantiam discere, ac proinde credere negligit; quia non paret in re gravi, cum parere debet. II. in quolibet probabili mortis periculo: tunc enim tenetur unusquisque saluti suæ consulere quantum potest; tenetur omni nisu ad Deum accedere, ut non confundatur in die mala; tenetur superare tentationes, quæ in hoc instanti maxime desæviunt; tenetur munire se contra mortis terrores, & in se divinæ misericordiæ spem excitare: quæ omnia sine fidei usu præstari non possunt; *Hæc enim* ( *I. Joan.* 5. ) *est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*: ea spes salvos facit, quæ ni-

titur fide Christi pro perditissimi cujusque salute mortem perpessi. III. cum pulsat gravis contra fidem tentatio: contraria enim contrariis repelli debent. IV. cum quis in hæresim, vel voluntariam dubitationem circa fidei mysteria lapsus est: I. quia injuria primæ veritati illata resarciri debet. II. quia explicitus fidei actus ad justificationem necessarius est in adulto, qui excidit a fide.

Prob. 2. pars; quia sæpe fit, ut sine actu fidei varia Dei, vel Ecclesiæ præcepta, ut par est, impleri, varia item peccata vitari non possint. Sic seclusa fide magis, aut minus explicita, nec Deum orare digne Deo, nec peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ remissionem consequi, quisquam potest: sic etiam aliquando tam graves carnis adversus spiritum exurgunt motus, ut certo succumbat, qui non quæsierit robur a fide, repræsentando sibi eum judicem, qui corpus, & animam gehennæ tradit.

Ex dictis colliges: I. eum, qui cum nesciret fidei mysteria absolutionem recepit, teneri ad præteritarum confessionum repetitionem, ut pote quæ nullæ fuerint, cum per eas justificationem consequi non potuerit. Quod si instet periculum mortis, curabit ante omnia Confessarius, ut pœnitentem instruat de præcipuis fidei mysteriis, ac præcipue de his, quæ necessaria sunt necessitate medii; excitabit etiam in eo dolorem de præterita negligentia. II. Confessarium teneri ad examen penitentis, quoties cum fundamento suspicatur in hacce materia ignorantiam, quam quidem de iis suspicari debet, qui rudes sunt, salutis incurii, & in frequentandis Catechismis, aut Concionibus negligentes: atque hoc examen ad eos etiam extendi debet mundanos homines, qui in tractandis sæculi rebus pleni solertiæ, vix Deum, & multo minus intricata fidei mysteria scire, & credere videntur. III. Confessarium, etiamsi Pastor non sit, teneri aliquando ex charitate ad edocendos pœnitentes, qui non possunt, vel præ pudore non audent ad proprium Pastorem recurrere.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De exteriore Fidei actu.*

NOT. I. Actus exterior fidei nihil est aliud, quam exterior testificatio, vel professio sive fidei totius, sive alicujus ex ejusdem mysteriis.

Not. II. dari indubie præceptum fidem exterius profitendi: quia ex Apost. (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Not. III. Duplex est circa confessionem fidei præceptum: aliud affirmativum, quo jubemur aliquando fidem profiteri, aliud negativum, quo prohibetur ejusdem fidei negatio seu expresse, & per verba, seu virtualiter per signa, nutus, tergiversationes, & similia. His positis videndum est, quando utrumque obliget, & censeatur violari, sit

CONCLUSIO I. Præceptum confitendi exterius fidem *non semper.... est de necessitate salutis, sed* duplici in casu, *quando scilicet per omissionem hujus confessionis aut subtraheretur honor Deo debitus, aut etiam utilitas proximis impendenda*. S. Thom. hic q. 3. art. 2.

Prob. 1. pars, quia præceptum affirmativum non obligat semper, & pro semper.

Prob. 2. pars, quia in duplici, quem assignavimus, casu omitti non potest fidei professio sine Dei contemtu, & damno proximi. Contemnitur enim Deus, cum honos eidem debitus aufertur, sicut etiam infertur damnum proximo, cum retardatur a suscipienda fide, quam non habet, vel ab ea, quam jam tenet, ubi opus est profitenda: atqui utrumque, vel saltem alterutrum contingit in casibus, de quibus loquimur. Ubi tamen notandum vocem *subtrahendi*, qua utitur S. Thomas, accipi contrarie, vel privative, ita ut tunc censeatur Deo honor subtrahi, quando Deus magna afficitur injuria, vel magno privatur honore, quod non contigisset, si quis fidem professus esset. Similiter utilitas proximo impendenda subtrahitur, cum vel avertitur a fide, vel a necessaria ejusdem professione.

Hinc peccant debitum Deo honorem subtrahendo: I.º qui a persona publica, etiam a Tyranno, & non legitimo judice interrogati, an Christiani sint, silent; tum quia in hoc casu tacere, est Christum, si non negare, saltem erubescere: porro *qui me erubuerit*, ait Christus, *& sermones meos, hunc Filius hominis erubescet* (*Luc.* 8.); tum quia Martyres, cum steterunt ante Reges & Præsides, ad Christi confessionem se semper crediderunt obligatos, si non ob auctoritatem interrogantium, at certe ob honorem Dei, quem qui non confitetur in hoc casu, ipsius Christi præcepto resistit. Merito igitur reprobata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tamen ut peccaminosum per se non damno.*

Eadem urget obligatio, etiamsi auctoritas publica non publice interroget, ut cum Judex solus solum Fidelem exposcit, quæ sua sit Religio. Ratio est: I. quia Judex, etiam cum solus est, servat aliquid publicæ auctoritatis, nec ei, ut alii privato dici potest: *Quid tua refert, simne, an non Christianus?* II. quia Judex, qui privatim interrogat, paulo post publice interrogare potest; ergo id privatim responderi debet, quod publice respondendum esset, ne Judex occasionem habeat fidem nostram insimulandi æquivocationis, &c.

Sed poteritne tacere, qui privatim interrogatur, ut majus ab eo vectigal extorqueatur? Non poterit: ideo enim Judex Ethnicus majores a Christiano, quam ab alio divitias extorquere nititur, quia Religionem ejus odit; ergo qui ne divitias perdat, fidem dissimulat, fluxas opes fidei præferre convincitur, cum tamen ne ipsam quidem vitam eidem præferre debeat.

Fatendum tamen eum, qui a privato, sine charactere, & auctoritate interrogatur, quam teneat fidem, posse absque ullo peccato quasi ad ineptam interrogationem respondere, *Quid tua refert? quis te constituit judicem?* & id patet tum ex communi Fidelium sensu, tum quia nemo est, qui ex hoc responso colligere possit eum, qui ita respondet, Christianum non esse, sed solum contemni eum, qui stulte interrogat. Si tamen vir gravis hac sua taciturnitate gra-

ve

ve scandalum pareret in populo, vel in eo esset statu, ut ingens utilitas, aut necessitas populi positivam fidei professionem exigeret, teneretur fidem suam aperte profiteri.

Peccant II. ex eadem divini honoris subtractione Fideles, qui Gentili, aut Hæretico fidem palam irridenti, sacrasve Imagines conculcanti non resistunt, etiam cum vitæ periculo: nam illatas Deo injurias ferre patienter, hominis est re minus, quam nomine Christiani. Si tamen prudenter judicatur impios ex contradictione ansam arrepturos gravius impetendi fidem, tolerandum est id, quod impediri nequit: unde nec apud Infideles, qui Diis immolant, nec apud Hæreticos, qui corruptos festæ suæ ritus exercent, tenentur Catholici palam resistere. Imo sæpius, seclusa speciali S. Spiritus notione, sine peccato non resisterent Mahumetanis Christiani, & Sacerdotes, qui apud Turcas degunt; hoc enim agerent unum, ut in certam, & infructuosam mortem se se præcipites darent, non sine magno detrimento captivorum, quibus utilia obsequia impendere possunt.

Peccant III. ex eadem causa, qui fidei professionem omittunt, cum omissio hæc est implicita fidei negatio: ut si dum plures simul interrogantur, an sint Christiani, aliis affirmantibus, alii taceant, & abire permittantur, dum priores servantur ad necem; aut contra, si dum multi de fide interrogati eandem abnegant, alii tacent, & una cum negantibus dimittuntur.

Peccant quoque proximum debita utilitate privando, qui fidem retinent: I. quando adest dubium prudens, quod alii publica eorum confessione commoti, vel fidem amplexuri sint, alias in falsa Religione permansuri, vel in vera fide confirmandi sint, alias vacillaturi. II. cum ex suppressione confessionis futurum est, ut alii in errore, aut falsa Religione confirmentur, quod ultimum iis temporibus, quibus grassatur hæresis, sæpius evenire potest.

Quæres, an persecutionis tempore liceat Tyrannum fugere, ut declinetur confessio fidei.

R. I. id aliquando licitum esse, ut patet tum ex Matth. 10. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam*, tum quia (*Joan.* 10. *II. Cor.* 15.) Salvator, & ejus Apostoli e manibus persecutorum fidei quandoque aufugerunt: quod & fecere Martyres, & Confessores non pauci, ut Sylvester, Cyprianus, Polycarpus, & in primis Athanasius, qui multo plus fidem juvit fugiendo, quam juvisset pro ea moriendo.

R. II. Non tamen semper licitum est fugere: unde graviter peccant ii, quorum præsentia necessaria est sive ad promovendam fidem, sive ad confirmandos in ea imbecilles, qui auxilio destituti fidei negandæ periculo exponentur: tunc enim urget illud Christi: *Debemus pro fratribus animas ponere*, ne ei similes simus, *qui videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, quia mercenarius est* (*Jo.* 10.).

Quia tamen *non vituperatur* quis præcise, *quia fugit, sed quia dimittit oves*, ideo si possit fugere non dimittendo oves, non peccabit: ut autem judicetur, an Pastor oves periculose dimittat, videndum est, an persecutio Pastorem solum impetat, an gregem una cum Pastore. Si solus Pastor impetatur, grex vero tranquillus maneat, aut non careat aliis, quis vices Pastoris supplere possint, Pastor sibi fuga consulere potest, prout fecerunt Sancti. *Si autem* (*S. Thom.* 2. *in Jo.*) *quæratur totus grex, aut oportet, quod Pastores omnes simul remaneant cum ovibus, aut oportet, quod aliqui ex eis remaneant, & aliqui recedant: si enim totaliter deserant gregem*, charitatem simul, & justitiam violant, & multo plus peccant, quam nautæ, qui sub mortali tenentur, etiam cum periculo vitæ, tempestatis tempore non deserere navim.

Hic quædam notanda: I. in dubio an fugere licitum sit, prudenter se geret Pastor, si aliorum, qui Deum vereantur, & Ecclesiæ necessitates cognoscant, consilio se regi sinat, ne in causa propria nativo vitæ suæ amore ducatur, aut ductus existimetur. II. si comministri inter se non consentiant, quis fugere, quis remanere debeat, res, si vere dubia sit, sorte definiri potest. III. qui jam ob fidem captus destinatur morti proximæ, aliquando fugere potest, ut fugit S. Petrus Act. 12., aliquando non, ut si prævideat eos v. g. qui secum captivi tenentur, confirmatore, & duce destitutos, recessuros a fide.

Sed quid si Tyrannus jubeat Christianos gestare signum, quo ab aliis secernantur, ut eosdem morte condemnet, censebunturne fidei proditores, qui idem signum non ferent? R. cum pluribus secluso scandalo nullam esse legi huic obtemperandi obligationem: I. quia lex ea vere injusta foret, imo etiamsi justa esset, non obligaret cum tanto incommodo. II. quia alioqui posset Tyrannus condere legem, qua quisquis ultro non compareret, vel persecutionem fugeret, censeretur fidem abnegasse; quod nemo dixerit.

CONCLUSIO II. Datur præceptum negativum, quo prohibetur negatio fidei, & id *pro semper* obligat.

Prob. contra Priscillianistas, quorum hæc erat formula: *Jura, perjura, secretum prodere noli*: I. quia fidei abnegatio sub æternæ damnationis pœna prohibetur, tum a Christo Matth. 10. ubi dicitur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*; tum II. ad Timoth. 2. *Si negaverimus, & ipse negabit nos*. II. quia fidem negare est quid ab intrinseco malum. Vel enim negat quis fidem exterius, simul & intus, judicando eam esse falsam, vel exterius tantum: si 1. est infidelitas divinæ veracitati opposita; si 2. est mendacium in re gravissima, quod ne cruciatus quidem licitum reddere possunt.

Cæterum etsi censent aliqui eum, qui exterius solum contradiceret rei revelatæ, quæ relative ad mores, & fidei dogmata levis esset, non nisi venialiter peccaturum; contraria tamen opinio longe verior apparet: I. quia ex S. Thoma 2. 2. q. 100. a 4. *mendacium, si sit circa res divinas, non solum opponitur virtuti charitatis, sed etiam virtuti fidei, & religionis: & ideo hoc mendacium est gravissimum, & mortale*: sed qui scienter, aut temere aliquid docent contra Scripturam, mentiuntur in materia, quæ ad fidem, & ad religionem pertinet; ergo. II. qui vocat Deum in testem mendacii, quantumlibet levis, peccat lethaliter: ergo & lethaliter peccat qui mentitur contra id, quod in

in Scriptura revelatum est, quidquid illud esse possit; quia sicut in priori casu Deus efficitur testis rei falsæ, sic & in posteriori exhibetur ut revelator rei, quæ vera non est. III. qui quantum de se est, movet auditores ad exhibendam errori fidem divinam, eo ferme modo se habet, ac qui scienter exhibens populo hostiam non consecratam, eundem movet ad exhibendum pani honorem uni Deo debitum: atqui is peccat mortaliter; ergo & ille. Jam videndum quibus modis præceptum negativum fidei violari censeatur.

## PUNCTUM QUINTUM.

*Quis negativum Fidei præceptum violare censeatur.*

QUæres I. an neget fidem, qui negat se esse Christianum. R. affirm. cum S. Augustino, qui Tract. 113. in Joannem docet, *non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum, sed ab eo etiam, qui cum sit, negat se esse Christianum.* Atque hoc fuit crimen Petri, qui præ metu ter negavit se esse Christi discipulum.

Hinc qui ab Hæreticis interrogatus sitne Papista, negat se talem esse, fidem negat, quia negat se sectatorem Ecclesiæ Apostolicæ, quam Protestantes iisce nominibus per contemtum designant. Haud tamen negaret fidem Monachus, aut Sacerdos, qui etiam in odium fidei interrogatus, ut fit in Anglia, negaret se Monachum esse, aut Sacerdotem, quia stat quempiam Monachum non esse, & esse Christianum.

Quæres II. an fidem neget, qui de Religione sua interrogatus, respondet se Turcam esse, aut Lutheranum. R. affirm. quia sic profitetur sectam Catholicæ fidei essentialiter adversam.

Quæres III. an licitum sit falsam fidem simulare. R. negat. I. quia nunquam licet Christum erubescere; sed qui falsam simulat Religionem usurpando ejusdem ritus, adolendo v. g. thus Idolis, erubescit Christum, cujus hosti palam, & aperte sacrificat. II. quia non licet etiam exterius cultum tribuere dæmoni: sed qui Idolis thus adolet, exteriorem dæmoni cultum tribuit; ejus enim actio pro loco & tempore significat eum idem de Idolo sentire, ac qui ipsum colunt: sicut locutio illius, qui dicit se Mahumetanum esse, exprimit eum de Mahumeto idem sentire, ac ejus sectatores. Hinc Libellatici, qui ne cruciarentur pro fide, vel ad Magistratus traherentur, numerata pecunia emerant a Judicibus Libellos, quibus constaret eos ea Imperatorum præscripto Idolis sacrificasse, hi, inquam, fidem negasse existimati sunt, & gravissima affecti pœnitentia, ut videre est apud S. Cyprian. Epist. 15. 31. &c.

At, inquies, Naaman ab Idololatria ad fidem conversus, adorabat ficte Idolum in Templo Remmon: atqui tamen nihil unquam in hoc fecit mali, cum ageret sciente, & approbante Eliseo. Major & minor constant ex IV. Reg. cap. 5.

R. neg. maj. & dico Naaman solummodo civilem, & politicum cultum exhibuisse non Idolo, sed Regi, cujus manum de more sustinere non poterat, si Rege flectente genu ipse rectus pedibus stetisset. Neque magis dici potest, Naaman Idolum ficte adorasse, aut adoranti domino cooperatum esse, quam impietati domini cooperentur servi, qui nudo capite Synagogam, aut Idolorum Templa ingrediuntur, & caudam dominorum deferentes, variis eorum motibus intra ut & extra Templum sese accommodant, sicque ad eos velut mechanice, & per accidens se habent: atqui isti non peccant secluso perversionis, aut scandali periculo; ergo neque etiam peccavit Naaman, qui nec subversionis periculum subibat, nec cuiquam poterat esse scandalo, eo quod utique palam profiteretur se non Idolorum, sed solius veri Dei cultorem esse, prout non clanculum, sed coram toto comitatu suo promiserat Prophetæ dicens: *Non faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino.*

Inst. Naaman veniam a Deo precatur pro actione sua; ergo hæc erat peccatum.

R. concipi non posse, quo pacto Naaman petierit veniam peccati, cujus denuo committendi propositum servabat: sensus ergo verborum ejus, ex Elisei responsione depromi debet. Cum itaque responderit Propheta, *Vade in pace*, id est, noli ea de re turbari; verba Naaman non debent haberi, ut petitio veniæ pro crimine deinceps committendo, sed ut quædam interrogationis species, an in talibus circumstantiis peccaret, suum, ut antea, ministerium exhibendo Regi Syriæ, sed animo plane, & quidem palam & evidenter dispari.

Ex dictis colliges I. gravissimi peccati reos fore, qui coram Idolo genu flecterent, tametsi suam hanc actionem ad Deum, aut ad Crucifixum sub veste sua, vel aliena absconditum dirigerent. II. eos etiam peccare, qui, ut hæreticos aliorum sensus detegant, simulant se eandem cum ipsis habere fidem. III. non eos solum peccare, qui dissimulant in materia fidei, sed & eos etiam, qui dissimulant in materia morum quales sunt I. Confessarii, Concionatores, Pastores, & tot hodie Ecclesiastici, qui Magnatum mensas aucupantur, quique de arcta Cœli via convicti, metu tamen mundano, sanctam Evangelii severitatem mitigant, & ut omni, qua possunt, arte pœnitentibus faveant, eadem in praxi rejiciunt principia, quæ speculative admittunt. II. tot utriusque sexus, qui doctrinam Christi non confitentur in iis circumstantiis, in quibus confitenda est, puta cum ab impiis facto, aut verbo impugnatur, aut qui contemtus timore, quæ meliora vident, & probant, in praxim reducere non audent; spectaculis intersunt, ne consuetudini resistere videantur; vestes parum modestas gerunt, &c. Hi utique, cum non ea prudentia, sed ea mollitie muti remanent, Christum erubescunt, si non ut magistrum fidei, certe ut magistrum morum, quod utrumque prohibuit Salvator his verbis: *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet.* Christi enim sermones ad fidem, sic & ad morum directionem pertinent.

Quæres IV. an fidem dissimulare censeatur, qui Infidelium, vel Hæreticorum vestibus, aut signis utitur. R.

R. I. non licet ad occultandam fidem uti Infidelium vestibus per se primo institutis ad Idoli cultum, aut quamcumque aliam falsam fidei professionem. Ratio est, quia ex S. Thoma 2. 2. q. 111. a. 1. *non refert, utrum aliquis verbo, vel quocumque alio facto mentiatur*, & fidem abnegat: sed qui utitur vestibus ad falsæ fidei professionem institutis mentitur facto, quia utitur signo ad falsi cultus significationem determinato; sicut ergo magni scandali reus esset, qui diceret se adorare Baal, cujus nomine Deum verum tacite intelligeret; sic & in caso proposito magni conscius esset peccati, qui Sacerdotalibus Judæorum, aliorumve Infidelium vestibus uteretur, quia non minus hoc facto Judæum se, vel Turcam diceret, quam si id exprimeret verbis. Et vero qui videret hominem iisce vestibus indutum, prudenter judicaret eum a vera fide ad falsam defecisse: atqui non potest quisquam sine gravi peccato dare alteri occasionem tale judicium ferendi; ergo.

R. II. neque etiam licitum videtur uti vestibus institutis ad distinguendam, non dico nationem a natione, sed sectam a secta. Ita S. Antonin., Navarrus, & alii multi contra multos. Ratio est: I. quia qui utitur vestimentis sectæ alicujus propriis, v. g. qui gestat pileum flavum iis in locis, ubi soli Judæi tali pileo utuntur; item qui tobaliam (*Turban*) assumit in ea regione, ubi, qui tali utitur, ab omnibus accipitur pro Musulmano, palam dicit, & testatur, non quidem verbis, sed factis, se Judæum esse, vel Musulmanum; nec est quispiam, qui prudenter non judicet eum, quem cum talibus signis obvium habet, non esse Christi discipulum, sed hostem infensissimum.

R. III. licitum est Christianis apud Infideles degentibus assumere vestes, quibus natio uti consuevit, quæque non sunt infidelitatis, sed nationis characteres. Ratio est, quia exigit prudentia Christiana, discretio, & charitas, ut seposito scandali periculo, iis in victu, & vestitu conformemur, quibuscum degimus, juxta receptum id: *Cum Romæ fueris Romano vivito more*.

Obj. contra secundam responsionem: I. licitum est Religioso per Hæreticorum terras transeunti habitum suum dimittere, ut fit in Anglia; ergo & licitum est Christiano cuilibet Infidelium vestes gerere. II. licitum est exploratoribus, vulgo *Espions*, uti lingua, & signis Infidelium; licitum quoque est Christianis contra Turcas dimicantibus, eorum vexillis uti, ut eos capiant, aut ne ab iis capiantur; ergo a pari.

R. ad 1. neg. conseq. licet enim fidem aliquando celare, & hoc solum facit Religiosus habitum dimittens; at nunquam licet fidem negare, aliisve præbere causam existimandi nos ab ea recessisse. Porro qui Infidelium vestibus, sectam ut sectam profitentibus, utitur, negare videtur fidem, &c.

R. ad 2. dato antecedente, neg. conseq. qui enim signum sectæ infidelis, qua talis, proprium gerit, non solum Religionem suam celat, sed & virtualiter profitetur falsam, absque eo quod quispiam prudenter judicare possit eum a fide pristina non recessisse: qui vero varios in acie motus fingit, nihil molitur, quod hostibus ambiguum, & suspectum videri non debeat; sciunt enim hostes, aut scire debent hæc esse posse totidem belli stratagemata.

(✠) Silentio prætermittendum non est Benedictum XIV. in aureis Decretis, quorum princ. est: *Inter omnigenas* dat. Romæ die 2. Febr. an. 1744. damnare abusus catholicæ fidei contrarios, qui in Serviæ Regno, finitimisque regionibus irrepserunt; quales sunt præ cæteris, inquit, *Qui nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumunt: abominanda Infidelium Templa, quæ Moschæas vocant, frequentant: Ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanant, & hæc eo fine, ut Mahumetani credantur, opera faciunt, quæ mendacium in re gravissima continent, & virtualem fidei negationem maxima cum Dei injuria, proximique scandalo includunt; hinc decernit Summus P. eos, qui obstinate in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces esse Sacramentorum in vita, & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quæ nullus Ecclesiæ Minister illos admittere præsumat; alioqui a proprio Episcopo canonicis pœnis plectendus erit.*

Rursus in Const. quæ incipit: *Omnium sollicitudinum* dat. Romæ die 12. Sept. ann. 1744. *prohibetur deferre collo appensum in signum contracti matrimonii* Taly, *quod prefert imaginem, licet informem, Pullejaris, seu Pyllejaris Idoli nuptialibus cæremoniis Præpositi*. Qua de re legendus est Liber eruditissimus ab Eminentissimo Cardinali Ludovico Maria Lucino Ord. Præd. Benedicto XIII. consecratus, cui titulus *Esame, e difesa del Decreto pubblicato in Pudisceri da Monsig. Carlo Tommaso di Tournon* &c. editus Romæ, & Venetiis, atque confirmatus a Bened. XIV. in citata Constit. *Omnium sollicitudinum*. Videatur & Constit. *Ex quo singulari*, quæ est *De ritibus Sinensibus*.

Quæres V. an Hæreticorum vel Infidelium Templa adire liceat, eorumve concionibus interesse.

R. I. id esse licitum: I. in casu necessitatis, ut si quis in Templum se recipiat, ut ab hostibus se tueatur. II. in casu obsequii, ut si servus, vel ancilla herum, vel dominam ad Templum comitari teneantur; modo tamen non possint id effugere sine gravi incommodo, & ita se gerant, ut solum dominis suis, non autem Hæreticorum ritibus reverentiam exhibere videantur. III. in casu publicæ utilitatis, ut si negotium aliquod hic tractandum sit absque ordine ad cultum loci.

R. II. si immineat periculum seductionis, aut scandali, licitum non esse Hæreticorum concionibus interesse; e contrario licitum id esse doctis, ad detegendos, & confutandos Infidelium errores, tum quia assistentia hæc non est falsæ fidei professio, tum quia id docet communis virorum etiam timoratorum praxis.

R. III. non eodem arguendi sunt modo, qui curiositatis causa infidelium Templa ingrediuntur, quam qui concionibus eorum intersunt: tum quia in uno nullum, in alio magnum esse potest periculum subversionis; tum quia Infidelium Templa invisuntur sicut ædes profanæ ob architecturæ elegantiam.

R. IV. non possunt plebeii indocti sine peccato Hæreticorum conciones audire; imo peccatum hoc est mortale, saltem si pluries iis concionibus intersint.

Ratio primæ partis est, tum quia curiositas illa

præcise sumta virum Catholicum non decet, tum quia sæpius aliquid habet periculi, unde sæpius fieri potest, ut mortaliter peccet etiam, qui semel tantum iis concionibus interest, puta si iis intersit qua die prævidet futurum, ut Hæretici contra præsentiam realem, aut alia, in quibus a nobis diffident, fidei capita, insurgant; item si intersit, incertus quæ materia in concione tractanda sit, quia exponit se periculo gravi. Non arguerem tamen peccati gravis eum, qui concionem audiret, cum certus est nihil ibi agitandum esse, nisi quod in Catholicorum Cathedris tractari consuevit, & qui solum animadvertere vellet methodum, quam suis in concionibus sequuntur Hæretici. Et hæc omnia ex circumstantiis loci, & personæ loquentis, vel audientis æstimanda sunt.

Ratio secundæ partis est, quia qui frequenter Hæreticorum Templa ad audiendas eorum conciones ingreditur, & gravi se exponit periculo, & aliis grave scandalum ingenerat, cum prudenter judicetur saltem Hæreticorum amator.

Quæres VI. quid faciendum, si Princeps hæreticus, ut suam promoveat, vel honoret Religionem, præcipiat Catholicis, ut Hæreticorum Templa adeant, concionibus eorum, aut precibus adstituri. R. moriendum potius esse, quam impio huic edicto parendum: I. ob triumphum, quem ex hoc Catholicorum concursu reportare solent Hæretici. II. ob definitionem Pauli V. qui consultus a Catholicis Angliæ, an tali Regis sui edicto obsequi possent, his respondit verbis: *Non licet vobis hæc facere sine detrimento Dei cultus, & vestræ salutis.*

Quæres VII. an citra seductionis periculum liceat Hæreticorum Templa ingredi ad recipienda ab eis Sacramenta in casu necessitatis.

R. I. licitum non esse a Calvinianis, aut Lutheranis Eucharistiam recipere, quia non habent verum Sacramentum ex defectu Sacerdotum; imo nec velim Eucharistiam recipi a Græcis, & Armenis, licet valide consecrent. Si quis tamen in eorum Ecclesiis occurrat, dum post consecrationem corpus Christi elevant, utique debet ipsum adorare, sicut & ibidem imagines Sanctorum, qui in Ecclesia Romana coluntur, venerari: neque enim sic approbat cultum schismaticum, sed cultum Catholicis, & Schismaticis communem.

R. II. Baptismum, cum a Catholicis haberi non potest, a quibuscumque Hæreticis exigi posse: est enim eorum Baptismus idem cum nostro, nec institutus est ad cultum falsæ, sed veræ Religionis.

Quæres VIII. an Catholicis inter Hæreticos degentibus licitum sit diebus prohibitis carnes edere, ne ab Hæreticis agniti plectantur.

Constat. I. id extra casum necessitatis illicitum esse, quia semper, & ubique obligant Ecclesiæ præcepta, cum sine gravi incommodo servari possunt. II. id nunquam est licitum in casu, in quo id præciperet Tyrannus in contemtum veræ Religionis, quia divina & naturali lege Religionis contemtum etiam cum propriæ vitæ periculo vitare tenemur Jam

R. si esus carnium sit solum omissio confessionis fidei, licitum erit vesci carnibus, cum non obligat præceptum fidei profitendæ: si vero idem esus importet falsæ fidei professionem, plane illicitus erit. Ratio primæ partis est, quia sicut non peccat Religiosus, qui habitum suum dimittit, quia non negat, sed solum tacet se Catholicum esse, quod aliquando licitum est; sic nec peccat, qui in eadem suppositione carnes comedit. Ratio secundæ partis evidens est: nunquam enim licet id facere, quod fidei negationem involvit.

Sed difficultas est, quandonam esus carnium importet fidei negationem. Circa quod credo, eum non importare negationem hanc in iis Regionibus, ubi Infideles carnibus utuntur ex antiqua Gentis consuetudine, & sine ullo ad Catholicos respectu. In Anglia vero, ubi instituta est carnium comestio *ad hæreseos protestationem*, & ut signum, quo Reformati a Catholicis distinguantur, illicitum videtur carnibus vesci: I. quia is carnium esus in hoc casu non minus habet mali, quam usus vestimenti proprii sectæ infidelis qua talis: hujus autem vestimenti usum esse illicitum, supra docui cum S. Antonino. II. quia cum res ex indifferenti sit determinata ad unum falsum, jam ea uti non licet: atqui esus carnium in Anglia determinatus supponitur ad protestationem hæreseos; ergo licet ex se non sit signum falsæ Religionis, est tamen falsæ hujus Religionis signum eo in loco, cum Hæretici hac carnium comestione significent, & ab aliis credant, & velint significari Ecclesiæ Romanæ contemtum, ejusque legum irrisionem. III. quia hæc nostra opinio & securior est, & non minus probabilis, quam opposita.

At, inquies, si Hæretici instituere possint, ut fidem negare censeatur, qui carnes comedit, poterunt hoc instituere de eo, qui panem, piscesve comedit; unde ne negetur fides, erit pereundem fame.

R. fieri aliquando potest, ut potius inedia, & fame moriendum sit, quam cibo aliquo utendum, ut si Tyrannus in contemtum legis Ecclesiasticæ præcipit, ut carnem comedas, nisi comederis occidendus: hoc enim casu illicita est ex omnium consensu ista comestio; II. si Princeps ut ad cibi prohibiti comestionem adigeret, quodcumque aliud cibi genus auferret, vel juberet te escam omnem, qua uti paratus esses, in honorem Idoli comedere, ridiculum hoc præceptum cum risu potius, & contemtu excipiendum esset, quam serio, servandaque lex naturalis, quæ vitam quocumque modo foveri jubet, quoties necessitas, etiamsi ab extrinseco sit, transit in necessitatem naturæ, ut transiret in præsenti. Censet tamen Lugo, præmittendam tunc esse protestationem, qua quis declaret se non in odium fidei, sed solus vitæ tuendæ gratia cibis aliunde illicitis frui: quod an plane necessarium sit, dubitari potest, quia necessitatis casus per se loquitur.

## SECTIO TERTIA.

*De peccatis fidei oppositis.*

NOt. I. fidei opponitur infidelitas, eaque vel est negativa, vel privativa, vel positiva, seu con-

contraria. Infidelitas *negativa* est carentia fidei in eo, qui vel nihil de fide audivit, audireve potuit, vel cui fides non est annuntiata sufficienter, (*Polman.*) ut credere possit, & debeat. Infidelitas *privativa* est carentia fidei in eo, cui fides sufficienter est annuntiata, ut credere debeat, & qui tamen credere omittit, tametsi nec dissentiat positive, nec ullum errorem fidei contrarium admittat. Infidelitas *positiva* est carentia fidei in eo, qui non solum non credit revelatis, sed positive negat aliquid revelati, vel errorem fidei contrarium tenet.

Not. II. positivæ infidelitatis tres assignantur species a S. Thoma (2. 2. *q.* 10. *a.* 5.). Paganismus scilicet, Judaismus, & hæresis, ad quam reduci potest apostasia. *Paganismus* est infidelitas eorum, qui renituntur fidei nondum susceptæ, & qui rejecto moraliter veteri, & novo Testamento, nullum agnoscunt Redemtorem, qui venerit, aut venturus sit: hinc Mahumetismus, sicut & Atheismus ad Paganismum reducitur. *Judaismus* est infidelitas eorum, qui vetus Testamentum admittunt, novum rejiciunt; Messiamque expectant venturum, sed venisse negant. *Hæresis* est infidelitas eorum, qui vel admisso utroque Testamento, vel saltem suscepta Christi, ut præsentis, professione, aliquas tamen fidei veritates negant. *Apostasia* est infidelitas eorum, qui a Christianismo, totaque ejus professione discedunt.

Ceterum quia Hæretico, qui fidem in re suscipit, & fides, & fidei motiva multo notiora sunt, quam aliis, sicut etiam notiora sunt Judæo, qui fidem in figura suscepit, quam Pagano, qui eam numquam suscepit; ideo hæresis est gravius peccatum, quam Judaismus, &c. unde qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, debet confiteri qualitatem infidelitatis, in qua fuit: & quia ex hæresibus aliæ aliis graviores sunt, ipsa hæresis qualitas aperiri debet.

Circa hæresim, quæ in his partibus solam moram injicere potest, videndum I. quid, & quotuplex sit, & quibus subjiceat pœnis. II. an, & quid cum Hæreticis commercii haberi possit.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De essentia, divisione, & pœnis Hæreseos.*

HÆresis definiri potest Error voluntarius, & pertinax contra aliquam veritatem Catholicam in homine Christianismum profitente.

Dicitur I. *error voluntarius*, quia hæresis grande est peccatum, ac proinde voluntarium.

Hinc qui ex metu, aut malitia thus adoleret Idolo, aut Christi corpus conculcaret, nec tamen cessaret idem interius sentire quod antea, esset quidem immanis peccati reus, sed reipsa Hæreticus non esset, quia nulla est hæresis sine voluntario dissensu veritatibus Catholicis. Unde ulterius homo ille non incurreret in foro interno pœnas contra Hæreticos latas. A fortiori Hæreticus non est, qui nolens graves infidelitatis, & blasphemiæ contra Deum, ejusque Sanctos tentationes patitur. Imo docet S. Bonaventura prædictas tentationes contemni debere, eodemque cum iis agendum esse modo, ac si non sentirentur.

Dicitur II. *pertinax*, quia ex Augustino Epist. 43. *qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt... corrigi parati, cum verum invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi*. Unde Hæreticus non est, qui ex ignorantia etiam crassa, & affectata credit aliquid fidei contrarium, quia non est in errore pertinax. Atque licet non habeat voluntatem adhibendi diligentiam, ut sciat quæ sint a Deo revelata, potest tamen universalem habere voluntatem credendi firmissime omnia, quæ sibi proponentur ut a Deo revelata, quæ voluntas non compatitur cum pertinacia ad hæresim requisita. At vero indubie Hæretici sunt: I. qui ita propriæ sententiæ adhærent, ut parati sint eam non abjicere, etiamsi ab Ecclesia damnetur. II. qui judiciorum Ecclesiæ formam ita ordinant, totque conditiones scitu impossibiles eidem apponunt, ut quandiu volent, negare possint Ecclesiam esse locutam. III. qui contra Ecclesiæ determinationem sentiunt, parati, inquiunt, a sententia sua recedere, si argumentis convincantur. IV. qui credunt fidei capita non ob ipsius Ecclesiæ definitionem, sed ob evidentiam rationum, quam sibi affolgere putant, alias minime credituri. V. qui voluntarie de rebus fidei dubitant sive judicando incertum esse id, quod sibi proponitur, sive suspendendo consensum ob motiva fidei contraria.

Dicitur III. *contra aliquam veritatem Catholicam*. Ea porro dicitur veritas Catholica, quæ a Deo revelata est, & ut talis per Ecclesiam proponitur.

Dicitur IV. *in homine Christianismum profitente*: qui enim etiam Christianismum abjicit, non dicitur Hæreticus, sed Apostata.

Hæresis dividitur in formalem, & materialem. Formalis ea ipsa est, quam definimus. Materialis est error, quo quis aliquid credit contra fidem, ignorans id esse contra fidem. Hæresis formalis dividitur in mentalem, seu pure internam; & externam simul, & internam. Mentalis ea est, quæ nullo exteriori signo se prodit: interna simul, & externa ea est, quæ non in sola mente consummatur, sed exterius se manifestat.

Prima hæreseos pœna est excommunicatio major latæ sententiæ, quæ in toto titulo *De Hæreticis* decernitur adversus *Hæreticos universos, quibuscumque nominibus censeantur* (*Cap.* 13. De Hæret.). Hæc censura in Galliis non est reservata Papæ.

Quæres an Hæretici sint excommunicati jure divino.

R. negat. I. quia Christus nullam per se censuram instituit, ut alibi docebimus (*Part.* 1. *de Cens.* c.2.).

II. Quia licet excommunicatio contra Hæreticos omnium censurarum, quæ jure canonico institutæ sunt, antiquissima videatur, reipsa tamen hæc antiquiori jure non erat latæ, sed ferendæ sententiæ, juxta quod antiquum jus locutus videtur S. Thomas 2. 2. q. 11. art. 3. his verbis: *Ecclesiæ misericordia non statim condemnat Hæreticum, sed post primam & secundam correptionem, ut Apostolus docet. Postmodum vero si adhuc pertinax inveniatur, Ecclesia .... aliorum saluti providet, eum ab Ecclesia separ-*

*rando per excommunicationis sententiam*. Jam vero si Hæretici divino jure excommunicati essent, excommunicatio eorum non posset per Ecclesiæ misericordiam suspendi, & satis inutiliter decernerentur ab Ecclesia, cum jam ab ipso Deo lata esset.

III. Quia si excommunicatio in Hæreticos jure divino lata esset, eodem quoque jure suos omnes haberet effectus: atqui falsum consequens. Effectus enim excommunicationis minui possunt, & suspendi ab hominibus. Sic admittit Ecclesia Hæreticos ad participationem suffragiorum communium feria sexta majoris hebdomadæ.

Obj. varios Scripturæ textus Gal. 1. Si quis vobis *evangelizet, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit*. ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*. II. Joan. *Nec ave ei dixeritis* &c.: atqui hæc verba exhibent excommunicationem ab Apostolis institutam; ergo.

R. neg. min. & dico. I. nullum esse e prædictis textibus, qui de excommunicatione proprie sumta necessario intelligi debeat. Et quidem de ea intellig. non debet textus Epistolæ ad Galatas, cum in eodem S. Paulus dicat anathema Angelo, qui falsam doctrinam afferret: Porro Angelus censura proprie dicta affici non potest, cum Ecclesia nullam in eum habeat jurisdictionem. Et vero vult idem Apostolus I. Cor. 16. ut *si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*; an ergo excommunicati sunt peccatores omnes, qui Dominum non amant?

Quod ad alium S. Pauli textum attinet, nihil est in eo, unde colligatur Hæreticum jure divino excommunicatum esse; imo est, unde eruatur contrarium: si enim Hæreticus ipso divino jure excommunicatus esset, vitandus esset, simul ac de ejus hæresi constaret, nec post alteram ejus correptionem differenda esset devitatio.

Ad textum S. Joannis, dico eum intelligi debere non de omni Hæretico, & quocumque in casu, sed de Hæretico hæresim suam disseminante; vel de Hæretico, qui ex bona Catholici receptione audacior redditur, ut sæpe evenit; aut demum de Hæretico, quem qui recipit, aliis scandalum præbet: porro nihil mirum si ne *ave* quidem talibus dici possit.

Dico II. etiamsi in citatis textibus ageretur de vera excommunicatione, non statim sequi eam juris esse divini, ut alibi dicemus.

Secunda pœna præcedenti affinis est privatio jurisdictionis spiritualis, circa quam grandis hac nostra ætate exarsit controversia. Alii censent hæresim eo ipso, quo publica est, & notoria, inducere privationem jurisdictionis, absque eo quod ulla opus sit denuntiatione. Alii privationem jurisdictionis hæresi quidem alligatam esse fatentur, non tamen ratione ipsiusmet hæreseos, sed ratione excommunicationis eidem annexæ: unde quia excommunicati non privantur jurisdictione, nisi nominatim denunciati sint, colligunt Hæreticos non excidere a jurisdictione sua, nisi nominatim denuntiati sint: ac proinde eosdem valide approbare ad excipiendas confessiones, valide etiam absolvere a peccatis, valide dispensare, & ad eos recurri posse in iisdem casibus, in quibus Sacramenta a malo Sacerdote recipi possunt. Unde etiam fatentur plures esse casus, in quibus ad Hæreticum recurri non potest, ut si inde oriatur scandalum, vel periculum subversionis, si Sacramenta ritu hæretico ministrentur, si ad alium Sacerdotem recurri possit; &c. Hæc opinio cum iisce limitationibus omnino tenenda videtur.

I. Quia opinio adversariorum, ex qua, ut eorum aliqui palam conclamant, sequitur vix ullum in toto Regno esse Sacerdotem, qui valide absolvat, & cujus Missa sine peccato audiri possit, quatenus, inquiunt, alii Hæretici sunt notorii, alii vero nihilominus cum iisdem mediate, vel immediate communicant: opinio, inquam, tam gravis consequentiæ, totque scrupulos, ne dicam turbas parere nata, nec potest, nec debet admitti sine argumento cogente, & ineluctabili: atqui talia non sunt adversariorum argumenta. Quis enim ea argumenta pro cogentibus habet, quæ e decem Theologorum millibus, qui pro tuendis Ecclesiæ decisionibus sanguinem fundere parati sunt, vix unum, aut alterum movent, & quæ aliunde probabiliter solvuntur?

II. Quia ideo, juxta adversarios, Hæretici a jurisdictione excidunt, quia jure divino excommunicati sunt: atqui id communiori Theologorum sententiæ repugnat, ut statim dictum est.

III. Si nulla in Hæreticis notoriis remaneat Jurisdictio, vel propter excommunicationem, qua ligantur, vel ex natura rei propter hæresim, quam profitentur: atqui neutrum dici potest. Non 1. quia alioqui excommunicati omnes notorii a jurisdictione exciderent, quod post bullam *ad vitanda scandala*, falsum est. Non 2. si enim Hæretici etiam ante excommunicationem privati sint omni jurisdictione, I. exponant adversarii, quem notorietatis gradum habere debeat hæresis, ut jurisdictionem auferat. Sufficietne, ut duo noverint Parochum suum hæresim profiteri? Poteritne iis duobus ab eo valide absolutio impertiri? Privabiturne erga eos jurisdictione, quam erga alios servabit? Quo pacto revincentur, qui hæresim duobus solum cognitam negabunt notoriam esse? II. exponant, quare Hæreticus occultus, aut etiam pure mentalis non excidat a jurisdictione, sicut eum excidere putat Turrecremata. Nam exterior fidei professio efficere quidem potest, ut Ecclesia, quæ de internis non judicat, suam Hæretico jurisdictionem non auferat: at in adversariorum systemate jurisdictio a solo Deo dependet; ergo ubicumque erit hæresis, quæ ex natura rei jurisdictionem aufert, cessabit hæc jurisdictio. Quod si Deus eam conservare dicatur, donec hæresis foras erumpat, quidni dicatur eam conservere, donec Hæreticus per sententiam excommunicetur? III. Ideo Hæreticus juxta adversarios excidit a jurisdictione, quia ipsa sua hæresi constituitur extra Ecclesiam: atqui hæc ratio nulla est. Nam excommunicati notorii sunt etiam extra Ecclesiam, ut docent plures cum Sylvio (2. 2. *q.* 39. *a.* 3.): atqui tamen excommunicati notorii non privantur jurisdictione, nisi nominatim denuncientur; ergo potest quis extra Ecclesiam esse, & tamen ex Ecclesiæ dispensatione jurisdictionem servare.

Obj.

Obj. Patres constanter docent *omnes omnino Hæreticos, & Schismaticos nihil habere potestatis, & juris.* Ita S. Cyprianus Epist. 76. atqui ubi nulla est potestas, ibi nec esse potest jurisdictio.

R. frequens est apud Patres (*ex Sylvio*) ut qui potestatem, quam recepit, sine peccato exercere non potest, eam perdidisse dicatur. Mirum certe est, quod adversarii auctoritate S. Cypriani utantur, cum in Epistola citata non tam loquatur de potestate jurisdictionis, quam de potestate Baptismi valide administrandi, quam Hæreticis male denegabat Cyprianus. De his consule Gallicas quinque Epistolas, quas dedi sub hoc titulo: *Lettres d' un Theologien au P. de Graçac.*

Tertia pœna est irregularitas, de qua vide, quæ dicam in Tract. de Irregularit. parte 3. cap. 5.

Quarta pœna est privatio Beneficiorum antea acquisitorum, & inhabilitas ad nova deinceps acquirenda. Circa hanc inhabilitatem nulla est difficultas; quia cum Hæreticus excommunicatus sit, & irregularis, collatio Beneficii eidem facta pleno jure irrita est, & expresse irrita declaratur in jure, cap. 2. *De Hæret.* in 6. In Gallia cum cessat hæresis, cessat & irregularitas: qui tamen durante hæresi Beneficium recepit, nova indiget provisione.

Quod spectat ad vacationem Beneficiorum, quæ quis ante hæresim possedit, dicendum est ea ipso facto non vacare per hæresim saltem in Gallia. *Vide fusiorem nostrum Tract. de Fide p.* 315.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De commercio cum Hæreticis.*

DUo hic inquiruntur. I. an Fideles possint Hæreticos in matrimonium ducere. II. an cum Infidelibus disputare, vel Hæreticorum libros legere liceat. Sit

CONCLUSIO I. Matrimonia Fidelium cum Hæreticis jure Ecclesiastico prohibita sunt, non sunt tamen nulla; imo accedente Romani Pontificis dispensatione contrahi aliquando possunt.

Prob. 1. pars ex Concilio Calcedonensi can. 14. ubi sic: *Hæreticum conjungere matrimonio nulli liceat, nisi utique persona, quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat.* Idem decernunt plures Synodi, & præcipue Concilia duo Provinciæ Burdigalensis an. 1583. & 1584. quæ sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ vetant, ne quis, seu regularis sit, aut secularis, Hæreticos conjungere ausit. Idem locum habet in Diœcesi Parisiensi.

Prob. 2. pars; quia si matrimonia hæc invalida forent, vel jure naturali, vel jure divino, vel demum jure positivo: atqui non sunt invalida: I. jure naturali; nam Moyses duxit Sephoram filiam Sacerdotis Madian, Esther Assuerum gentilem, & hæc matrimonia semper pro veris, & legitimis nuptiis agnita fuere; ergo non erant nulla; imo nec absolute prohibita jure naturali, in quo ne ipse quidem Deus dispensare potest. Non II. jure divino; quia alioqui Joseph, Moyses, & Esther divinam legem violassent in puncto admodum gravi, quod nemo dicere ausit. Non III. jure positivo; cum e contra jus illud supponat matrimonia Catholicorum cum Hæreticis valida esse, ut patet ex cap. 14. *De Hæret.* in 6.

Nec nocent Canones Ecclesiæ Græcæ, quia hæresis potest matrimonium dirimere apud Græcos, absque eo quod illud dirimat apud Latinos.

Prob. 3. pars; quia causæ, propter quas Moyses, & alii ducere potuerunt Infideles, in novo Testamento occurrere possunt. Aliunde etiam fieri potest, ut nullum in ea conjunctione subsit periculum subversionis; imo ut ex ea multum boni sperari possit, puta conversio Principis hæretici, favor ab eo præstandus Catholicis, qui ditioni ejus subsunt, &c. atqui in hisce circumstantiis potest Papa dispensare, prout de facto sæpe dispensavit: sic enim concessit Clemens VIII. an. 1603. ut Dux Barensis Catharinam Henrici IV. Francorum Regis sororem, sed hæreticam duceret. Idem an. 1625. permisit Urbanus VIII. Henricæ Ludovici XIII. sorori erga Carolum I. Anglorum Regem hæreticum, ut Catholici in Anglia degentes humanius tractarentur.

Circa difficultates e Sacramenti profanatione petitas vid. Tournely de Matrimonio pag. 107. Ut solvantur cetera, quæ hic moram injicerent,

Quæres I. an necessaria sit Papæ dispensatio, si Hæreticus conversionem promittat. R. stando in jure dispensationem Pontificis non esse hoc in casu necessariam, quia Concilium Calcedonense supra citatum permittit hæc matrimonia, cum Hæretici *se ad orthodoxam fidem convertendos spondent.* Si tamen, aie Lugo, (*Disp.* 22. *n.* 17.) usu receptum sit, ut in hoc etiam casu petatur dispensatio, utique petenda erit, quia consuetudo vim habet legibus derogandi. Adde quod longe tutius sit in hoc casu recurrere ad superiorem.

Quæres II. an liceat nuptias contrahere cum Hæretico, qui nullam conversionis spem injicit. R. affirm. tum quia, etiam sublata conversionis spe, cessare potest periculum, propter quod matrimonia hæc jure naturali prohibita essent; tum quia etiamsi non speretur hæretici conversio, sperari possunt alia bona, quæ defectum hunc insigniter compensent, v. g. libertas fidei profitendæ, quæ antea negabatur, Catholica prolis educatio, &c. tum denique quia Sancti, qui in antiqua lege Infidelibus nupserunt, ut Esther Assuero, nullam eorum conversionis spem conceperant.

Ceterum, communiter loquendo, gravior requiritur causa, ut Hæreticus accipiat uxorem Catholicam, quam ut Catholicus accipiat Hæreticam, quia vir uxoris animum potentius movere solet, quam uxor moveat animum viri.

CONCLUSIO II. Matrimonium inter baptizatos contractum non dissolvitur quoad vinculum per hæresim alterius, bene vero quoad thorum, & habitationem.

Prob. 1. pars ex Concilio Trid. (*Sess.* 24 *Can.* 5.) *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Prob. 2. pars ex eadem sacra Synodo (*Trid. ibid. can.* 8.) quæ sic loquitur: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad*

*quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri posse decerait, anathema sit*. Porro hæresis, qua exitialius nihil fingi potest, non infimum habet locum eas inter causas, quæ ad divortium sufficere possunt; præsertim cum sit fornicatio quædam spiritualis corporali deterior, ut docent S. Augustinus, & S. Thomas.

Nec nocet, quod Christus Matt. 5. insinuare videtur uxorem a marito, *excepta fornicationis causa*, discedere non posse. Hic enim loquitur Christus de separetione perpetua, quæ in solo fornicationis casu locum habet: sed non ideo alias excludit causas divortii ad tempus, douec scilicet is, a quo separatur alter, ad meliorem sensum redierit. Ratio autem, cur fornicatio rigorosius puniatur, hæc est, quod crimen illud committatur in materia matrimonii propria, & per ipsum violetur carnis unitas.

Quæres I. an Catholicus teneatur redire ad conjugem, qui ab hæresi sue recessit. R. vel Catholicus auctoritate proprie ab hæretico discessit, vel interveniente Judicis auctoritate. Si 1. Catholicus ad hæreticum reverti, aut eum suscipere debet, & *si reverti noluerit, compellatur*, ait Urbanus III. cap. 6. *De divortiis*: idque verum est, etiamsi Catholicus Ordines sacros receperit, vel voverit in Religione: quia citatum caput indistincte loquitur. Si 2. potior, sicut & communior nobis videtur eorum sententia, qui existimant Catholicem a viro suo judicio Ecclesiæ separatam, non teneri ad eum, cum resipuerit, redire, si Religionem professe fuerit; secus, si necdum professa fuerit. Ratio est, quia non aliter conciliari possunt variæ Pontificum Decreteles eodem titulo relatæ.

Quæres II. an Catholicus teneatur ad seperandum se a comparte hæretica. R. Catholicum aliquando teneri ad separationem, quoties scilicet hæc necessaria est seu ad vitandum propriæ perversionis periculum, seu ad retrahendam ab hæresi compartem, si hac via retrahi potest. Alionde vero potest aliquendo Catholicus cedere juri suo, etiam post seotentiam Judicis, quia totum divortii jus conceditur Catholico in ipsius favorem; potest eutem quilibet renunciare favori sibi concesso, si nihil aliud obsit.

Quæres III. an copula Catholici cum hæretico sit tacita, & virtualis condonatio, qua semel posita jam non possit Catholicus divortium facere. R. per copulam condonari adulterium, non antem hæresim: quia non eadem ratio militat in utroque casu. Injuria enim adulterii est divisio carnis, quæ per subsequentem copulam quasi connaturaliter redintegratur: hæresis vero est peccatum infidelitetis contra Deum, circa quod copula subsequens codem modo non operatur, nisi ex parte Catholici intersit explicita, vel implicita condonendi voluntas.

Cæterum si Catholicus nuptias contrehat cum hæretico, renuntiat juri divortii: frustra enim contraheret, si non intenderet, non obstante hæresi, thorum habere communem. Si tamen hæreticus conversionem suam, vel præstandum Catholicis favorem spopondisset, nec staret promissis; item si Catholicus ex cohabitatione cum hæretico amittendæ fidei periculum sibi imminere sentiret, posset a comparte recedere; quia in priori casu frengenti fidem in re tanti momenti non est servanda fides; in posteriori vero non obligat promissio de re, quæ illicita evadit.

Quæres IV. an sicut in adulterio carnali datur compensatio, sic & detur in spirituali hæreseos adulterio. R. si ambo conjuges in hæresim lepsi sunt, non magis unum ab alio recedere posse, quam si ambo adulterium commiserint; quia jus divortii nonnisi Catholico conjugi concessum est. Idem dicendum, si ambo redierint ad fidem; quia jus divortii non conceditur, nisi contra hæreticum in hæresi permanenrem. Si vero alio in hæresi permanente alter ad fidem redeet, poterit ab alio recedere: quia hæresis præterita neque dat jus ad divortium, neque jus conjugis ad fidem reversi impedire potest; imo & jus illud potest adaugere, cum uxor conversa plus aliquando mali timere possit a conjuge hæretico, quam si semper Catholice sensisset. Jam dicendum de disputetione cum hæreticis.

Disputetio de rebus fidei duplex institui potest: alia *formalis*, quæ fit ad defendendum, aut persuadendum alteri id, quod ab eo negatur; alia *materialis*, quæ fit cum duo idem credunt, solumque exercendi ingenii gratia disputant. Non loquimur hic de disputetione solum materiali; hæc enim *per se* licita est, cum & animo catholico fiat, & eo fine, ut fidei veritates nervosius defendantur contra hæreticos. Cavendum tamen, ne hujusmodi concertationes vel habeantur lingua vulgari coram plebe, quæ difficultates facile percipit, solutiones non ita, vel ex aliqua disputantis dubitatione procedant: alioqui enim peccaret *tanquam dubius in fide, & infidelis*, ait S. Thomas (2. 2. q. 10. *a.* 7.). Quæstio igitur tota est de disputatione formali circa fidei dogmata.

CONCLUSIO III. Disputatio cum Hæreticis, si fiat cum debitis conditionibus, licita est, sed non omnibus.

Prob. 1. pars I. ex Scriptura. Ad Tit. 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possit eos, qui contradicunt, arguere*. I. Petr. 3. *Parati semper* estote *ad satisfactionem*, græce, *ad apologiam omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe, sed cum modestia*. Atqui non potest is, qui secundum doctrinem est fidelis sermo, defendi contra infideles absque aliqua cum iis disputatione, & hæc necessarie etiam est ad faciendam fidei apologiam, quam Christienis imperabat Apostolorum Princeps.

Prob. II. ex constanti SS. Patrum exemplo, qui, ut ex polemicis eorum operibus constat, omne omnino infidelium genus impugnarunt, debellarunt, protriverunt, secundum id Augustini (*Epist.* 93. *alias* 8.) *Cum Hæreticis, verbis etiam agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendam*.

Prob. 2. pars: ad disputationem enim duo requiruntur ex parte disputantis: I. ut eam habeat in fidei firmitatem, quæ impediat, ne disputationis occasione dubii quidpiam patiatur: alias fieri posset, ut excideret a fide, dum fidem persuadere satageret. II. ut doctus sit, & capax, quantum opus est. Hæc autem capacitas ex adversariorum viribus metienda est:

minus

minus enim requiritur scientiæ, ut quis cum hæretico imperito congrediatur, quam ut cum docto & & sagaci. Porro eruditio ad hujusmodi prælia non tam ex ipso scientiæ fundo æstimanda est, quam ex usu, ac facilitate quadam sese explicandi ad captum audientium, quæ si desit, disputatio facile cedet in contemtum fidei, & auditorum periculum.

Ex parte vero illius quicum initur disputatio, requiritur ut hæc ei profutura prudenter judicetur. Regulariter enim loquendo, illicitum est cum iis disputare, qui non ex ignorantia, sed ex malitia errant; & qui nihil verentur magis, quam ne aperiantur sibi oculi. Ratio est, quia tunc disputatio non solum otiosa est, sed & scandalosa, quatenus sine utilitate præbetur infideli occasio committendi nova peccata per obstinatam proprii erroris defensionem.

Dixi *regulariter*: quia permissa, aut etiam necessaria esse potest disputatio cum hæreticis: I. si speretur auditores, qui hæretici sunt, hinc convertendos esse. II. Catholicos in fide, a qua forte deficerent, confirmatum iri. III. hæreticos ipsos deinceps timidiores fore, nec tam insolenter Catholicis insultaturos.

III. requiritur ex parte auditorum, ut disputatio iisdem nocere non possit; quod magis cavendum est, cum auditores alias in fide tranquilli, argumentis contra fidem proponendis facile moveri possunt, quia rudes sunt, & imperiti; item cum locus est timendi, ne perturbari incipiant, cogitando ea in dubium revocari, de quibus nusquam hactenus dubitaverant: qui primus est ad introducendam hæresim gradus. Si tamen viri simplices probabiliter sollicitandi sint ab hæreticis, & timeri possit, ne ex silentio nostro colligant malam esse causam quam tuemur, tunc instituenda erit coram iis disputatio, ut saltem confuse intelligant Ecclesiæ fidem suis niti momentis, licet hæc non satis possint ab omnibus percipi.

IV. Ex parte modi requiritur modestia, & sincerus veritatis amor in disputante, adeo ut adversarios tam moribus vincat, quam rationum pondere: unde procul abesse debent injuriæ, æmulatio, &c. Et vero ne disputatio fructu careat, necesse est ut adversarius grate audiat: *Grate autem affici eum, qui injuriis afficitur, vix contingere potest*, ut belle ait S. Chrysostomus.

Prob. 3. pars ex c. 2. *De Hæret.* in 6. ubi sic: *Inhibemus, ne cuiquam Laicæ personæ liceat publice, vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*; ergo jure positivo graviter prohibitum est Laicis, ne disputent.

Fatendum tamen legem hanc per usum contrarium abrogatam videri in regionibus ubi grassantur hæreses: unde iis in locis, sub oculis, & cum plausu Episcoporum, Laici vere capaces frequenter disputant cum hæreticis. Ita Suarez, Lugo, &c.

Jam de lectione librorum hæreticorum, sit

CONCLUSIO IV. Lectio hujusmodi librorum multis prohibita est jure naturali, & multo pluribus jure ecclesiastico.

Prob. 1. pars, quia lectio hæc ex natura rei periculosa est multis, cum pauci vafritiem & tricas Hæreticorum detegere valeant; pauciores ab eorum laqueis & difficultatibus se expedire; ergo merito dixit Sylvius, rudes, & in Theologia leviter instructos, quales, inquit, sunt ii *fere omnes, qui duobus, aut tribus* tantum *annis Theologiæ studuerunt, non sine gravi peccato legere posse istiusmodi Libros, etiamsi nulla esset lex ecclesiastica*.

Prob. 2. pars ex Bulla 76. Pii IV. per quam omnibus quantacumque dignitate fulgentibus, exceptis pravitatis hæreticæ Inquisitoribus, librorum hæreticorum lectio severe interdicitur.

Verum in Galliis pleno jure Hæreticorum libros legunt tum Episcopi, eorumque Vicarii Generales, qui & hanc facultatem iis impertiunt, quibus expedire judicant: (*Babin. tom. 1. in Decal. p.* 116.) tum Doctores, qui hæresim, & hæreticos impugnare, libros approbare, de iisdem judicium doctrinale ferre consueverunt: quæ omnia præstare nequeunt, nisi eorumdem libros evolvant. Quædam hic animadvertenda:

I. itaque librorum hæreticorum lectio etsi speciali locorum lege interdicta non sit, est tamen jure naturali prohibita iis omnibus, quibus periculosa esse potest, id est, pluribus. Hæc autem juris naturalis prohibitio, pro iis etiam locum habet, qui obtenta a Superioribus Ecclesiasticis libros illos perlegendi facultate, sese ea lectione moveri, & in fide debilitari sentirent. II. Multæ sunt Diœceses, in quibus speciali statuto vetita est librorum hæreticorum lectio, eorum præsertim, qui a posterioribus Hæreticis conscripti sunt; idque, ut fieri solet, sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Hæc autem censura incurritur I. ab iis, qui etsi lingua non exprimant id, quod legunt, percurrunt tamen oculis: nam & ii legere dicuntur. II. & ab heris, qui præcipiunt famulis, ut sibi tales libros legant. Si quis tamen, ait Sylvius, neque hæresi, neque hæretico favens, quempiam audiat tales libros legentem, valde probabile est, quod censuram non incurrat: tum quia is nec per se nec per alium proprie legit; tum quia verba pœnalia stricte accipienda sunt. III. Qui legeret librum auctoris Catholici, cui addita essent scholia auctoris hæretici fidei contraria, is si etiam scholia legeret, non esset a censura immunis, quia volumen illud duos, ut ita dicam, continet libros, quorum alter est auctoris hæretici. Imo subjaceret censuræ, qui solum libri prooemium, vel Epistolam dedicatoriam legeret: tum quia prohibito libro, quælibet ipsius pars prohibita censetur; tum quia periculum est ne lectio procemii, vel Epistolæ dedicatoriæ, quæ vulgo magna cum arte exarata sunt, ad reliqui operis lectionem trahat.

Quæres an in lectione libri hæretici detur materiæ parvitas. R. negat., quia libri hæretici præcipue & communiter prohibentur ob periculum seductionis, a quo nemo nisi superbior, & hoc ipso decipi facilior, immunem se æstimare debet in materia tam lubrica: atqui periculum illud in qualibet libri hæretici parte rationabiliter timeri potest. Una enim linea continere potest vel gravissimæ contra fidem pro-

Nec nocet quod ſpes reperiatur in peccatoribus, qui qua tales boni non ſunt. Virtus enim non dicitur *facere bonum habentem ſe*, quaſi quælibet virtus hominem ſimpliciter, & abſolute perfectum efficiat; ſed quia nulla eſt virtus, quæ hominem non perficiat in genere ſuo, & id ipſis quoque peccatoribus convenit, qui licet, ut peccatores, mali ſint, ut tamen in Deo ſperant, laudabiles ſunt, & hoc ſenſu boni.

II. Virtus *theologica*, quia pro objecto immediato habet Deum ut ſummum hominis bonum, & ſupernaturaliter poſſidendum.

III. *Per quam certa cum fiducia expectamus &c.*: quia ſpes Dei promiſſis potenter innixa, animam firmat velut anchora, juxta id Hebr. 6. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*.

IV. Per quam expectamus *a Deo beatitudinem, & media illius*, quæ verba exhibent duo ſpei objecta, aliud primarium, quod eſt ipſa Dei poſſeſſio; ſecundarium aliud, quod a Deo, & a nobis pendet. A Deo, quia ſine ejus gratia nihil poſſumus; a nobis, quia quiſque debet eniti, ne gratiam Dei in vacuum recipiat.

Spes ſicut & fides dividitur in *formatam*, quæ in juſtis cum charitate reperitur; & *informem*, quæ reperitur in Chriſtianis, qui a charitate exciderunt per peccatum, modo peccatum illud non ſit deſperationis; quia ſicut fides per peccatum infidelitatis deſtruitur, ſic & ſpes per peccatum deſperationis extingui debet. Quod autem ſpes informis ſit vera virtus, & donum Dei ſupernaturale, patet ex Trid. Seſſ. 6. c. 6. ubi de peccatoribus dicitur, quod *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*.

Jam quæritur quodnam ſit ſpei objectum. Nulla quidem eſt difficultas de objecto materiali. Patet enim ex dictis primarium ſpei objectum eſſe Deum, ſecundarium vero eſſe media omnia ſeu ſpiritualia, ſeu temporalia, per quæ Deus decrevit homines adducere ad ſui poſſeſſionem. At de objecto formali variæ ſunt Theologorum opiniones. Alii objectum formale ſpei reponuntur in *arduitate* objecti ſperari, alii in bonitate relativa ejuſdem objecti, &c. Sit

CONCLUSIO I. Arduitas objecti ſperati non eſt ratio formalis ſpei.

Prob. Ratio formalis virtutis alicujus ea eſt propter quam eadem virtus ad actum reducitur; ſic eliciuntur actus fidei, & charitatis, tum ob auctoritatem Dei loquentis, tum ob infinitam ejus bonitatem: atqui arduitas non eſt id propter quod ſpes ad actum reducitur; cum e contra arduitas ſæpius retrahat a ſperando, ut ſæpe docet experientia; ergo.

Prob. 2. Se habet arduitas ad ſpem, ſicut obſcuritas ad fidem: atqui obſcuritas non eſt ratio formalis ſub qua fides objectum ſuum attingit, ſed tantum modus objecto fidei inhærens, ergo a pari arduitas eſt ſolum modus ſpei objecto inhærens. Porro evidens eſt non id omne quod intrinſecus eſt objecti modus, formalem ejus rationem ingredi, ſed id ſolum, quod eſt ratio primaria, ſub qua objectum aliquod conſideratur. Sic etſi corpus prout eſt medicinæ objectum, ſit extenſum phyſice, corpus tamen prout phyſice extenſum, non eſt objectum medicinæ, quia ratio ſpecifica, ſub qua medicina corpus attingit, eſt ſola ejuſdem ſanabilitas.

CONCLUSIO II. Bonitas Dei relativa non eſt adæquatum ſpei objectum formale.

Prob. Ratio formalis virtutis theologicæ ea eſt in quam prædicta virtus ultimate reſolvitur. Sic ratio formalis fidei eſt Dei teſtificantis auctoritas; unde rogatus quis cur credat, illico reponit ſe credere, quia Deus revelavit: atqui ſpes adæquate ſumta, non reſolvitur ultimate in bonitatem objecti ſperati. Alioqui interrogatus quis cur ſperet, reſpondere deberet ſe ſperare, quia res ſperata ſibi commoda eſt & conveniens: porro nemo eſt qui reſpondere poſſit ſe ſperare aſſecutionem rei præciſe, quia bonum eſt ut rem illam aſſequatur. Dicet quidem ſe rem cupere eo, quod hæc ſibi bona ſit; at non dicet, ſi ſapit, ſe hanc eadem de cauſa ſperare. Sic mercator non eo præciſe divitias ſperat, quod ſibi bonum ſit divitem eſſe; ſed quia confidit ſe laboris auxilio poſſe divitias aſſequi; ergo.

CONCLUSIO III. Objectum formale ſpei, prout ſpes eſt deſiderium beatitudinis, eſt bonitas Dei reſpectiva: objectum vero formale ejuſdem ſpei, prout eſt erectio mentis adverſus difficultates, quæ a conſequenda beatitudine retardant, eſt virtus Dei auxiliatrix, prout per divinam promiſſionem nobis quodammodo obligata.

Prob. 1. pars, quia deſiderium eſt eſſentialiter motus animi bonum aliquod qua tale proſequentis; ergo ſpes theologica, prout eſt deſiderium, tendere debet in Deum qua bonum: atqui non tendit in Deum quatenus abſolute, & in ſe bonus eſt: is enim Deum proſequendi modus, pertinet ad charitatem, quæ Deum, propter Deum diligit; ergo ſpes tendit in Deum prout nobis bonus eſt.

Prob. 2. pars illud eſt *ratio ſub qua* ſpei, cui ſpes innititur tanquam medio obtinendi vitam æternam: atqui ſpes virtuti Dei auxiliatrici, prout ſibi per divinas promiſſiones quodammodo obligatæ, innititur tanquam medio beatitudinis obtinendæ. Ideo enim ſpero vitam æternam, quia confido; & Deum ſatis eſſe potentem, ut mihi conferat gratias, quarum ope beatitudinem conſequi valeam, & ſatis in me miſericordem, ut eas de facto mihi conferre velit. Hinc Pſaltes in medium ſpei aſſumit auxilium Dei, non poſſibile duntaxat, ſed certum, & quoties opus fuerit, præſto futurum: *Deus meus*, inquit, (*Pſ.* 117.) *adjutor meus, & ſperabo in eum*. Hinc Deus ipſe ut Abrahæ animum ad ſpem beatitudinis erigeret, ſuam ei protectionem ſpondet: *Ego* inquit, (*Gen.* 25.), *ſum protector tuus, & merces tua magna nimis*.

Obj. Objectum ſpei debet eſſe Deus ipſe; alioqui ſpes non erit virtus theologica: atqui virtus Dei auxiliatrix non eſt ipſe Deus, ſed aliquid creatu a Deo dimanans.

R. I. neceſſe non eſt ut virtus theologica ſolum Deum habeat pro objecto, ſed ſufficit ut ipſum ha-

beat

beat pro objecto partiali primario, ita ut tamen Deus ipse sit ratio, per quam eadem virtus in alia objecta minus præcipua tendit: idque evidens est. tum in fide, tum in charitate, quarum prior pro objecto habet, non Deum modo, sed & id omne, quod revelatum est; posterior vero attingit bonum omne, quod creatura Creatori propter ipsum velle potest.

R. II. neg. min. nam objectum spei non est solum auxilium creatum, quo Deus nobis succurrit, sed & ipsa increata Dei bonitas, prout gratiæ ad salutem nostram necessariæ fons & origo: unde se habet gratia nobis in tempore concessa ad spem, sicut se habet revelatio exterior ad fidem; ergo sicut fides ita innititur externæ Dei revelationi, ut simul quoque increatæ ejusdem veracitati innitatur; sic spes ita creato Dei auxilio confidit, ut ulterius iis innitatur Dei atributis, a quibus auxilium illud descendit; potestati scilicet, & pietati divinæ.

Inst. auxilium Dei, quod spei naturam ingreditur, non potest esse nisi gratia efficax; alioqui spes incerta esset: atqui auxilium efficax non potest esse spei motivum; cum Deus illud suis etiam amicis sæpe deneget; ergo ratio formalis spei in auxilio Dei reponi nequit.

R. neg. maj. & dico spei motivum esse gratiam, quæcumque ea sit, modo certus sit homo eam sibi defuturam non esse, nisi prior ipse eidem defuerit. Hæc veritas diserte traditur a Trid. sess. 6. c. 13. his verbis: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debent; Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet*. Ergo auxilium, cui innititur spes nostra, tale est, ut ei homines deesse possint & sæpius desint; ac proinde non est gratia efficax, cui homo nunquam resistit.

Quæ sit spei certitudo, & qualiter hæc cum systemate nostro concilietur, dicam inferius. Unum annotare sufficiat, impossibilem esse spei theologicæ actum in systemate Janseniano: spes enim præcipue nititur promissis Dei, ut expresse docet Catechismus Meldensis * ab Illustr. Bossueto compositus; ergo sublata Dei promissione necesse est spem tolli: jam vero nulla est Dei promissio de danda cuipiam gratia efficaci; ergo.

Quæres quod sit spei subjectum, seu in quibus reperiatur spes.

R. I. Spes reperitur in omnibus viatoribus, nisi sint infideles, Hæretici, aut de salute sua desperantes. Ratio est, quia Christiani viatores, vel sunt justi, & tunc omni virtutum theologicarum apparatu instructi esse debent; vel sunt peccatores, & in his perseverat spes, nisi vel excidant a fide, quæ spei & charitatis fundamentum est, vel in desperationem spei capitaliter infensam abeant. A contrario Infideles, & Hæretici, qui fidem non habent, nec spem theologicam habere possunt, sed solum acquisitam, quæ est amor quidam naturalis summi boni, & humana quædam in ipsum tendentia.

R. II. remanet spes in animabus, quæ purgatoria flamma torquentur: I. quia eædem animæ fidem, quæ spei fundamentum est conservant, cum non videant facie ad faciem. II. quia in his occurrit expectatio sancta boni absentis, & ita ardui ut non nisi per graves cruciatus obtineri possit; quod ad spem satis est.

R. III. nulla manet spes in damnatis: quia ad eorum statum pertinet, ut de ejus perpetuitate certi sint, juxta id Job. 15. *Non credit, quod reverti possit de tenebris ad lucem*.

R. IV. in comprehensoribus non remanet spes, saltem prout est in nobis: quia jam fruuntur beatitudine, quæ in nobis præcipuum est spei objectum.

Non expendam an, homo cui facta esset futuræ suæ damnationis revelatio, adhuc teneretur ad sperandum: quia hic casus repugnat de potentia ordinaria, ut docet S. Thomas q. 23. de verit. a. 8. *& si alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per motum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur supposita conditione meritorum*.

## SECTIO SECUNDA.

### *De proprietatibus Spei.*

SPei proprietates sunt I. ejus certitudo. II. necessitas eliciendi actus ejusdem. III. honestas eorumdem actuum, præsertim vero amoris concupiscentiæ, quem spes naturaliter importare videtur.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De certitudine & necessitate Spei.*

PSeudo-reformati existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas: unde sequitur unicuique firmiter esse credendum se esse ex prædestinatorum numero. Contra eos sit

CONCLUSIO: Spes est certa ex parte Dei, incerta vero ex parte nostri: debet tamen dici spes simpliciter & in se certa.

Prob. 1. pars I. ex Scriptura. Rom. 8. *Spes non confundit*. II. Timot. 1. *Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum servare*. Unde sic: Si spes incerta esset ex parte Dei, spes suo quandoque frustraretur effectu, quia Deus creaturis suis deesset, sicque confunderentur ii, qui sperant in Domino: atqui hoc repugnat citatis Scripturæ textibus; ergo.

Prob. II. Illa virtus est certa ex parte Dei, quæ certis, & inconcussis Dei attributis innititur: atqui spes.... Spes enim innititur tum omnipotentiæ Dei, tum ejus fidelitati in promissis, ut patet ex his Apostoli

* *D. Pourquoi dites vous que vous esperez la vie éternelle que Dieu à promise? R. Parce que la promesse de Dieu est le fondement de nostre esperance*. Catech. Meld. 3. p.

ftoli verbis: *Per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam* (*Hebr.* 6.). Porro quid inconcuſſum magis, quam omnipotentia, & veracitas Dei? *Fidelis eſt, ſe ipſum negare non poteſt.*

Prob. 2. pars: quia ſpes pendet a conditione, de qua nec certi ſumus, nec, ſecluſa Dei revelatione, certi eſſe poſſumus. Spei enim exitus pendet a bono gratiæ nobis concedendæ uſu: atqui de bono illo uſu certi non ſumus. Alioqui enim nullus eſſet nobis locus ex parte noſtra timendi in negotio ſalutis, ſicut non eſt timendi locus ex parte Dei: id autem toti Scripturæ repugnat. Eccleſ. 9. *Neſcit homo, utrum amore, vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Rom. 11. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time.* Phil. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Quæ loca dum timorem, & ſollicitudinem imperant, neceſſario excludunt certitudinem abſolutam, quæ cum metu, ac tremore tanto compati non poſſet.

Prob. 2. pars ab abſurdis. Si ſpes ex parte noſtri abſolute certa ſit, poterit, ac proinde tenebitur unuſquiſque certo credere ſe eſſe ex prædeſtinatorum numero: atqui conſequens eſt pluſquam abſurdum; ipſi enim Proteſtantes pro certo habere debent paucos eſſe ex ipſis, qui electi ſint: qui ergo fieri poteſt, ut ii omnes indubitata fide ſe prædeſtinatos eſſe credant? Merito itaque Tridentina Synodus (*Seſſ. 6. can.* 14.) *Si quis dixerit... neminem vere eſſe juſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum.... anathema ſit.*

Prob. 3. pars. Res quælibet denominari debet ex iis, quæ ſunt ei propria, non autem ex iis, quæ ipſi per accidens adveniunt: atqui ex dictis ſpes eſt ratione principii ſui & intrinſece certa, cum præcipue fundetur in omnipotentia, & provida Dei bonitate, quæ ſine peccato in dubium revocari non poſſunt. Quod autem ſperans incertitudini obnoxius ſit, non oritur a motivo ſpei, quo nihil firmius, ſed ex inſtabilitate humanæ voluntatis, qua nihil debilius; ergo ſicut ars, & prudentia merito habentur ut habitus in ſe certi, & infallibiles, tametſi ſubjectum, cui inſunt, ſæpius aberret a ſcopo; ita & a pari ſpes veriſſimo illo ſenſu dici poteſt in ſe, & ſimpliciter certa.

Obj. Ea virtus non eſt certa ratione ſui, quæ eſt cauſa timoris, & anxietatis: atqui ſpes, &c. Ubi enim eſt ſpes, ibi neceſſario eſt deſiderium poſſidendi bonum obtentu difficile: atqui ubi eſt tale deſiderium, ibi neceſſario eſt anxietas, & timor, nempe non obtinendi idem bonum; ergo.

R. diſt. maj. ea virtus certa non eſt, quæ ratione ſui eſt cauſa timoris, C. quæ per accidens ſolum, & propter defectum alterius eſt cauſa timoris, N. Porro timor excidendi ab objecto ſpei, non naſcitur ex ipſa ſpe, ſed ex defectu hominis, qui merito timet, ne divinæ bonitatis divitias contemnat: at nihil inde contra ſpei ipſius certitudinem colligi poteſt; ſicut ex eo quod artifex, cum preſertim materiam pretioſam tractat, anxius ſit, & plurimum timeat, ne contra artis regulas peccet, nihil contra ipſam artis certitudinem inferri poteſt.

Ceterum timor, quem parit ſpes, ſuam habet ſuavitatem; imo hoc habet, quod objecti ſperati deſiderium adaugendo ſpem ſuam adaugeat, juxta id Pſalm. 13. *Qui timent Dominum, ſperaverunt in Domino.* Unde colliges I. eum, qui vere ſperat in Domino, exuere utcumque humanitatem, & induere fortitudinem Dei, ut jam cum Apoſtolo dicat: *Cum infirmor, tunc potens ſum: omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quid enim non poſſit, qui innititur omnipotentiæ, & bonitati divinæ, quam docet fides nobis non eſſe defuturam, niſi priores ei defuerimus? Hinc confidenter S. Bernardus (*Serm.* 9. *in Pſal.* 90.) *Si inſurgant adverſum me prælia, ſi ſæviat mundus, ſi fremat malignus, ſi ipſa caro adverſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo.* II. in id præcipue Confeſſariis, & Paſtoribus incumbendum eſſe, ut ſpei ſpiritu eos impleant, quorum ſaluti deſerviunt, eoſque doceant timorem illum, quem Eccleſia donum Dei eſſe credit, nedum animos dejiciat, & removeat a Deo, imo ad ipſum totis velis impellere; quod ut præſtet, & in ſpem erigi debet, & annexam habere ſui ipſius diffidentiam.

Unum addo, quod licet ſpes ex parte noſtri ſit incerta, non deſunt tamen ſigna, ex quibus & amor Dei in nos, & noſtri in Deum affectus quaſi certo cognoſci, ac proinde mens in ſpem firmam erigi poſſit? ut ſi nihil in nobis grave & lethale redarguat conſcientia; ſi conſtans divinæ legis deſiderium experiamur; ſi crebro revocemus illud Scripturæ, *Qui timet Deum nihil negligit* (*Eccleſ.* 7.).

Quod ſpectat ad neceſſitatem ſpei, quæritur an, quando, & quibus ſpes neceſſaria ſit. Qua de re

Dico I. Spes eſt neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti tum naturalis, tum divini.

Prob. 1. pars. Homo vel eſt peccator, vel juſtus: atqui utrique neceſſaria eſt ſpes: I. quidem peccatori: is enim ſine ſpe juſtificationem obtinere non poteſt, cum Tridentinum inter diſpoſitiones adultis peccatoribus neceſſarias exigat, ut *in ſpem erriganttur, fidentes ſibi Deum propitium fore* (*Seſſ.* 6. c. 6.). Atque hinc ſpem requirebat Chriſtus his, ſimilibuſve verbis: *Confide, dimittuntur tibi peccata tua.* II. Nec minus eſt neceſſaria ſpes homini juſto, cum ea ſecluſa gratias ad perſeverandum in bono neceſſarias nec poſtulare, ut par eſt, nec proinde aſſequi valeat, juxta id Scripturæ: *Non ergo æſtimet homo ille* (*Jacob.* 1. v. 7.) qui hæſitat diffidentia, & proinde germanam ſpem non habet, *quod accipiat aliquid a Domino.*

Prob. 2. pars. Quod enim neceſſarium eſt neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti naturalis, cum præcipiat lex naturæ, ut media ad finem neceſſaria adhibeamus: ſed quæ mox dicta ſunt, probant ſpem eſſe neceſſariam neceſſitate medii; ergo.

Prob. 3. pars I. quia lex divina innumeris prope in locis ſpem imperat. Sic Pſalm. 65. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* Oſee 12. *Spera in Deo tuo ſemper.* II. Petri c. 1. *Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam.* II. quia Alexander VII. hanc reprobavit propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium:* eadem-

demque anno 1700. a Gallicano Clero proſcripta eſt ut *ſcandaloſa*, *in praxi pernicioſa*, *erronea*, *fidei*, & *Evangelii oblivionem inducens*; ergo datur præceptum divinum de eliciendis ſpei actibus, ac proinde ſpes neceſſaria eſt neceſſitate præcepti divini.

Jam ut intelligatur, quando urgeat præceptum ſpei, notand. ſpei præcepto duo imperari, nempe ſpem ipſam beatitudinis, & damnationis æternæ timorem; duo item prohiberi, deſperationem ſcilicet, & temerariam præſumtionem. His poſitis

Dico II. Præceptum negativum ſpei *pro ſemper* obligat, præceptum vero affirmativum ejuſdem ſpei aliquando obligat per ſe, aliquando per accidens.

Prob. 1. pars, quia hæc eſt præcepti negativi conditio, ut ſemper & pro ſemper obliget; unde nunquam eſt deſperandum, nunquam præſumendum.

Prob. 2. pars. Ut præceptum ſpei aliquando obliget per ſe, aliquando per accidens, ſufficit, ut detur ſpeciale præceptum ſpei, tunc enim obligabit per ſe; & ut ſæpius aliarum, quæ ad ſalutem neceſſariæ ſunt virtutum actus, ſine ſpei auxilio exerceri non poſſint, tunc enim obligabit per accidens: atqui I. datur ſpeciale ſpei præceptum, ſicut & datur de aliis virtutibus theologicis, ut patet ex cenſura propoſitionis mox adductæ. II. ſæpius contingit, ut virtutum ad ſalutem neceſſariarum actus ſine prævio, aut concomitante ſpei actu elici non poſſint: ſic ex Tridentino pœnitentiæ, & contritionis actus requirunt, ut homo in ſpem erigatur, *& Deum ſibi propitium fore confidat*; ergo.

Porro ſpei præceptum ſeu per ſe, ſeu per accidens in iiſdem caſibus obligare videtur, in quibus & ipſum fidei præceptum, de quo ſupra.

(✠) Per ſe hoc præceptum obligat I. quoties gravis tentatio contra ſpem animum pulſat; quia tum efficax remedium eſt ſpes directe deſperationi oppoſita; II. ſub rationalis vitæ initium, atque inſtante vitæ termino. Per accidens autem obligat I. quando pœnitentiæ ſacramentum quis ſuſcipere cupit; eſt enim ſpes ex Concilio Tridentino Seſſ. 6. c. 6. diſpoſitio ad juſtificationem. II. quando gravioribus premimur tribulationibus; quandoquidem tunc imbecillitas noſtra ſpe futurorum bonorum adjuvanda eſt. Denique quum vita hominis Chriſtiani debeat eſſe ex fide, ita & vivere debet ex ſpe juxta illud Oſee 12. *Spera in Deo tuo ſemper*. (✠)

Tertia hic occurrit quæſtio, an ſpes in omni præſentis vitæ ſtatu ſit neceſſaria. Non defuerunt poſtremis hiſce temporibus Myſtici, qui crediderint Fideles aliquos eo uſque perfectionis aſſurgere, ut jam nullo niſi puri amoris motivo conducantur: qui quidem purus amor ita ab omni *intereſſe* proprio remotus ſit, ut ipſum felicitatis æternæ deſiderium, velut aliquid mercenarii, excludat; unde fit, ut anima abſoluto ſacrificio ſalutem ſuam æternam devoveat, & ſuæ reprobationi ſimpliciter acquieſcat. Ita ſentiebat Michael Molinos Hiſpanus Presbyter, vir ad deceptionem natus: atque hoc ejus ſyſtema exhibet iſta ejuſdem propoſitio, quæ ſeptima eſt inter 68., quas anno 1687. damnavit Innocentius XI. *Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiſo, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate.*

Ceterum quia docebant ſpurii Myſtici hominem ad ſublimem hunc perfectionis gradum pervenire, *non reflectendo amplius ad proprias operationes* (*Prop.* 58.), ſed manendo in quiete, & ſinendo ut Deus operetur in nobis ſine nobis, hinc inditum iis Quietiſtarum nomen.

Doctrinam hanc quatenus ſpem e perfectorum ſtatu excludit, & abſolutum æternæ ſalutis ſacrificium continet, renovare, ac proinde Semiquietiſmum inducere viſus eſt vir omnimoda pietate, ſublimitate ingenii, teneroque in Eccleſiam affectu commendandus, Illuſt. D. Franciſcus de Fenelon Archiepiſcopus, Dux Cameracenſis, in Libro cui titulus: *Explication des maximes des Saints*, ut patet vel ex prima hac ejus propoſitione: *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Contra quod

Dico III. Non datur in hac vita ſtatus, in quo mens Deum tam pure diligat, ut jam nec pœnarum metu, nec mercedis deſiderio moveatur, & multo minus in quo imperfectum ſit elicere actus ſpei, & virtutum, quæ ad utilitatem noſtram relativæ ſint.

Prob. I. quia hæc Quietiſtarum, & Semiquietiſtarum opinio dum charitatem commendare videtur, eam ſubvertit de facto. Primum enim maximum Dei (*Matth.* 22.) mandatum unicuique præcipit, ut proximum diligat ſicut ſeipſum: atqui in ſtatu, in quo Deus unice propter ſe diligeretur, abſque ullo ad nos reſpectu, jam homo ſemetipſum non diligeret, ſed ita Deum quæreret, ut nec ſollicitus eſſet de merito ſuo, nec de propria ſua perfectione, & felicitate æterna; ergo in hoc ſtatu non impleretur primum Dei mandatum.

Prob. II. Hæc Chriſti verba, *Quærite primum regnum Dei*; hæc item, *Sic orabitis..... adveniat regnum tuum* (*Matth.* 6.) ad omnes prorſus Fideles diriguntur: atqui hæc verba ſpem neceſſario involvunt, & ad proprium hominis commodum relativa ſunt. *Non* enim, ait Auguſtinus (*Serm.* 57. *de diverſ.*) *ſic dicimus, adveniat regnum tuum, quaſi optemus ut regnet Deus; ſed hoc eſt quod cogitamus, & rogamus, ut nobis veniat.*

Prob. III. Myſtici hujus temporis perfectiores non ſunt, quam fuerint Abraham, Moyſes, David, S. Paulus, & alii, qui *de omni corde* ſuo Deum dilexerunt: atqui ii nunquam eo uſque profecti fuere, ut deſiderium remunerationis nullam apud eos partem haberet; imo fictitiam eam perfectionem ubique a ſe excluſam voluerunt. Abraham enim *expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus*, Heb. 11. Moyſes *aſpiciebat in remunerationem*, ibid. David, *Inclinavi*, ajebat (*Pſalm.* 118.), *cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* S. Paulus de Chriſtianis omnium perfectiſſimis hæc loquebatur Rom. 8. *Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum expectantes..... ſpe enim ſalvi facti ſumus.*

Prob.

Prob. IV. ratione theologica. Si spei, & timoris motivum e summo perfectorum statu exulare debeat, jam quo quis perfectior erit, eo plus circa salutem suam æternam habebit indifferentiæ: atqui absurdum consequens: I. quia si nobis circa propriam salutem indifferentes esse liceat, idem licebit a fortiori circa salutem sive temporalem, sive æternam aliorum; unde imperfecti esse debuerunt homines Apostolici, qui tanto cum ardore mundi totius conversioni operam suam impenderunt. II. quia indifferentia hæc omne laboris proprii studium extinguit,& inertiam fovet,dum qui se jam ad summum perfectionis gradum pervenisse eredent, inertes, & otiosi manebunt, & mere passive se habentes expectabunt, donec Deus in ipsis id omne operetur, quod volet; ergo Quietisticum systema in præcipitium trahit.

Obj. I. caput 32. Exod. & cap. 9. Epist. ad Romanos, in quorum priori Moyses optat deleri de libro vitæ, in posteriori vero Paulus a Christo anathema esse desiderat. Sed utrumque locum solvemus in tractatu de Religione.

Obj. II. Ex Apost. I. Corint. 13. *Charitas non quærit quæ sua sunt*: atqui quæreret quæ sua sunt, si proprium *interesse* quæreret; ergo.

R. dist. Charitas non quærit quæ sua sunt, modo inordinato, C. nullo modo, subd. id est, qui ex charitate agit, pro tunc solo Dei intuitu movetur, C. id est, male, vel imperfecte agit, cum spirante Dei gratia motivo spei, aliisve similibus conducitur, N. Sic enim sæpe egerunt Sancti, ut patet ex tertia nostra probatione.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*De bonitate seu honestate Spei.*

JAnseniani nullum vitiosam inter cupiditatem,& laudabilem charitatem medium admittentes, actum spei, nisi a charitate ipsa imperetur, defectuosum esse crediderunt. Quod ut impugnemus, sit

CONCLUSIO I. Amor concupiscentiæ, quo Deum prosequimur ut summum nostri bonum, honestus est, & supernaturalis; unde licitum est, ac virtuosum operari intuitu beatitudinis solius.

Prob. I. ex Tridentino sess. 6.can. 31. *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*: atqui in systemate adversariorum peccat qui intuitu æternæ mercedis operatur; quia in hoc systemate peccat quisquis non agit ex motivo charitatis stricte sumtæ: porro ex eo motivo non agimus, dum Deum non propter se, & absolute, sed prout nobis bonum diligimus, & prosequimur; ergo adversariorum opinio a Concilio Tridentino reprobata est. Reprobata quoque fuit ab Alexandro VIII. qui has propositiones damnavit: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*. & iterum: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est bona, nec Deo placens*.

Prob. II. Ideo censent adversarii actum spei, seu amoris concupiscentiæ per se solum non elici sine peccato, quia existimant nullam esse actionem ex omni parte bonam, nisi quæ refertur ad Deum propter se dilectum: atqui id omnino falsum est, ut probavimus in Tract. de Actibus humanis p. 51.

Prob. III. quia alioqui vituperandi essent quotquot fuerunt in utroque Testamento viri sanctiores, qui, ut supra probatum est, *propter retributionem* operati sunt, unamque beatitudinem intendere videbantur: atqui impium consequens.

Nec solum honestus est amor ille, sed & supernaturalis: I. quia per hunc amorem diligimus Deum ut summum nostrum bonum supernaturale, nobisque per actus beatificos uniendum: porro amor, quo sic diligimus Deum, necessario superat naturæ vires. II. quia amor, per quem disponimur ad justificationem, debet esse supernaturalis, & a gratia proficisci: atqui per amorem spei ad justificationem disponimur, ex Tridentino supra citato; ergo.

Obj. I. Amor cupiditatis est ex omni parte vitiosus: atqui amor spei, seu concupiscentiæ est amor cupiditatis ex S. Bernardo Tract. de diligendo Deo c. 12. ubi sic: *Facit & mercenarius opus Dei; sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Porro ubi proprietas.... ibi sine dubio sordes*.

R. dist. min. amor concupiscentiæ malæ, de quo loquitur S. Bernardus, est amor cupiditatis, C. amor concupiscentiæ bonæ, & sanctæ, qualis ille est, quo quis vult Deo *frui*, ut ait S. Thomas, N. Is enim fuit amor Prophetæ, qui *unam petiit a Domino*, Domini ipsius possessionem. Is est amor, quem Deus in hominibus accendere curat, cum iis se ut eorum mercedem magnam nimis proponit: is denique est amor, qui aliorum hominis amorum scopus est; cum juxta omnes mundi Catechismos homo ideo creatus sit, ut Deum cognoscat, & amet, & hoc pacto vitam æternam consequatur.

Inst. Ille amor non est bonæ, sed malæ concupiscentiæ amor, per quem homo Deum ad se refert, ac proinde se, non autem Deum amare convincitur: atqui talis est amor spei, cum is Deum amet non propter Deum, sed ut ex eo sibi bene sit.

R. dist. min. homo per amorem concupiscentiæ Deum ad se refert, relatione sibi permissa, nec permissa solum, sed & præcepta, C. relatione Deo injuriosa, & homini prohibita, N. Qui enim Deum ad se referunt hoc sensu, Deo ipsi obsequuntur; idipsum enim est quod præcipitur Deuter. 12. his verbis. *Observa, & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi*. Ecquis redarguere ausit amorem, qui prorsus est secundum ordinationem Dei? Quis vituperet amoris ordinem a Deo ipso institutum, & præceptum?

R. II. aliter dist. Per amorem spei homo Deum ad se refert, ut ad subjectum, cui tantum bonum desiderat, C. ut ad finem ultimum, N. Nedum enim homo Deum ad se ut ad finem referat, imo cum Deum unice concupiscit, refert se ad eum ut in bonum, quo obtento nihil amplius desiderare possit.

Obj. II. Amor proprius est vitiosus: atqui amor concupiscentiæ, quo Deum diligimus ut nobis bonum, est amor proprius. Est enim merus amor benevolen-

tiæ respectu nostri; ergo.

R. dist. maj. amor proprius, quo bona sensibilia nobis inordinate concupiscimut, est amor vitiosut, C. amor proprius sumtus pro amore, quo Deum ut nostri summe perfectivum nobis uniri desideramus, est amor vitiosus, N. Amor enim ille nedum vitiosus sit, imo a vitio retrahit, atque in id unum tendit, ut nos Deo intime conjungat. Quia vero alii in extremum aliud impingentes amorem hunc ab ipsa charitate oriri volunt, sit

CONCLUSIO II. Amor, quo Deum diligimus ut summum nostrum bonum, non est amor charitatis, quæ proinde pro objecto habet Deum propter se dilectum, & ita dilectum propter se, ut adhue diligeretur, si futurus non esset summum hominis bonum.

Prob. I. auctoritate S. Thomæ, quo nemo majori cum præcisione in hisce materiis locutus est: *Spes*, inquit, ( 2. 2. *q.* 17. *a.* 8. ) *& omnis appetitivus motus ex amore derivatur .... Amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidem amor est, quo aliquis secundum se amatur, utpote cui aliquis vult bonum, sicut homo amat amicum: imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundum ipsum, sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundum seipsum: sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit; & ideo in via generationis spes est prior charitate*, &c. Idem expresse docet Scotus in 4. dist. 27. n. 3.: docet proinde universa Thomistarum, ac Scotistarum Schola; neque ii solum, sed & *pars multo maxima Theologorum tradit id omni actui charitatis intrinsecum esse, ut anima Deum diligeret, etiamsi nullam ab eo speraret beatitudinem*, verba sunt ipsius Bossueti in Tractatu, cui titulus, *Mystici in tuto* p. 99.

Prob. II. ex S. Augustino, a quo not recedere clamitant adversarii. Sic ille lib. 21. de civ. Dei c. 15. *Sed si, quod absit, illius tanti boni spes nulla esset, malle debuimus in hujus conflictationis molestia remanere, quam vitiis in nos dominationem non eis resistendo permittere*. & serm. 385. n. 4. *Amicus gratis amandus est, propter se se, non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas; quam gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas?* Unde sic: Amor, ad quem hic exhortatur Augustinus, est amor charitatis, ut patet: atqui amor ille ita tendit in Deum propter se, ut Deum diligat gratis, atque etiamsi nulla spes esset ejus possidendi; ergo amor charitatis habet pro objecto Deum propter se dilectum.

Prob. III. ratione: I. Non minus Deus præcise propter seipsum diligi potest, quam homo: atqui homo quotidie propter se ipsum, & absque ullo ad proprium commodum respectu diligitur. Sic quandoque heroes, & summi ingenii viros ob præclaras, quibus referti erant, cordis, & animi dotes eo usque diligimus, ut æternam eorum damnationem serio defleamus. II. Si Deus absque æternæ mercedis intuitu diligi non possit, jam diligendus non fuisset ab homine, si æternam ei mercedem non destinasset: atqui id falsum est, & communi Theologorum Catholicorum sententiæ repugnat; ergo.

Obj. I. Augustinut lib. 2. de Doct. Christ. c. 22. *Tunc*, inquit, *est optimus homo, cum tota sua vita pergit ad incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi*. & S. Bernard. Serm. 25. de divers. *Hæc sunt pro quibus incessanter .... ad Deum clament desideria tua, ut.... gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis*; ergo non datur amor Dei pure gratuitus, ac proinde amor charitatis ad Deum ut in se, simulque nobis bonum tendit.

R. neg. conseq. ii enim & similes textus probant quidem contra Novatores licitum, & sanctum esse operari intuitu mercedis æternæ; sed non probant vel Deum non fore amandum, si mercedem non destinasset homini, vel neminem esse, cui quandoque tota Deum diligendi ratio non sit summa, & absoluta Dei amabilitas.

Obj. II. Amor, quo Deum ut nobis summe bonum prosequimur, est amor, quo tendimus in Deum ut finem ultimum: atqui amor, quo tendimus in Deum ut finem ultimum, pertinet ad charitatem stricte sumtam; ergo amor, quo diligimus Deum ut nobis bonum, est amor charitatis.

R. neg. min. ille enim solum amor juxta nos, & *juxta Theologorum partem multo maximam*, pertinet ad charitatem, quo Deus diligitur propter se solum, seu propter absolutam sui bonitatem: atqui Deus non diligitur gratis, & propter se solum per amorem omnem, quo in eum ut in finem ultimum tenditur. Qui enim tendit in Deum, ut sibi ab eo bene sit, utque in eo obtento suaviter conquiescat, ille profecto non alium habet finem ultimum, quam Deum: porro implicat in terminis, ut quis in sensu composito Deum, ut sibi ab eo bene sit, quærat, & tamen Deum gratis diligat & propter se; alioqui enim & gratis, & simul *mercenarie* diligeret; ergo aliud est operari propter Deum propter se dilectum, aliud operari propter Deum tanquam ultimum finem.

Quæres qui, & quot sint vivæ spei effectus.

R. quatuor: I. enim spes sperantem reddit bonis operibus intentum. Si enim spes spectata ut mera passio id habet proprii, ut acuat solertiam, prout monente Christo cernere est in hujus seculi filiis, qui ut divitias comparent, improbo labori incumbunt, quid non præstabit, quid non aggredietur spes viva Christianorum? habet hæc pro objecto bonum, quod oculus non vidit, nec auris audivit; ergo quo nobilior est finis ille, eo ardentius media omnia, quibus in eum tendat, inquiret fidelis homo, & inquisita amplectetur.

II. Spes theologica firmat in adversis, & mentem inter innumeras vitæ hujus varietates Deo arctis nexibus conjungit. Hinc justi tot ab Apostolo encomiis ditati adversa quæque contemserunt: *Circuierunt in melotis.... egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus* (*Heb.* 11. *v.* 37.). In his autem omnibus superabundabant gaudio: quare vero? quia expectabant *fundamenta habentem civitatem, cujus artifex, & conditor Deus* ( *Ibid. v.* 10. *&* 14. ).

III. Eadem spes timorem mundanum fugat: mundanut enim dicitur ille timor, quo quis bonis temporalibus ita addictus est, ut, ne ea perdat, paratus sit vel legem aperte transgredi, vel eam falsis inter-

ter-

terpretationibus eludere: atqui timorem hunc ut plane sibi oppositum procul ejicit spes viva, secundum id Scripturæ, Isai. 51. *Quis tu, ut timeres ab homine mortali... qui quasi fœnum ita arescet?* Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Ergo quisquis spe viva instructus est, id solum timet, ne quidquam præter Deum timeat.

IV. Demum spes Dei amorem inspirat, & fovet. *Timor* enim, ait S. Thomas, (2. 2. *q.* 19. *a.* 3.) *ex amore nascitur*; quandoquidem *illud timet homo amittere quod amat*: atqui in spe theologica reperitur amor Dei, ejusque possidendi desiderium; ergo ex eadem spe nascitur timor supremum hoc bonum amittendi, qui ipsissimus est timor Dei.

# APPENDIX

## De Dono Timoris.

(✠) *Sicuti objectum spei*, inquit S. Th. 1. 2. q. 42. ar. 3. in c., *est bonum futurum arduum, quod quis potest adipisci, ita timor est de malo futuro arduo, quod non potest de facili vitari*. Quapropter recte definiri potest Timor: Animi affectus, qui oritur ex apprehensione mali nobis appropinquantis. Nam si nobis malum tantum possibile repræsentamus, non Timor, sed proprie metus dicitur.

Timor recte dividitur in filialem, initialem, servilem, & mundanum. *Enim vero*, inquit S. Doctor 2. „ 2. q. 19. ar. 2. in c., *cum objectum timoris sit malum*, „ *quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit, & iste dicitur timor humanus, vel mundanus, qui* „ *semper est malus* ex Sancto Doctore. Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum „ convertitur, & ei inhæret. Quod quidem malum „ est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei „ inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; *qui ex parte servilitatis habet quod sit malus*; „ *licet ipse simpliciter non sit malus, quia servilitas non* „ *est de ratione timoris servilis. Et ideo timor servilis secundum suam substantiam bonus est, sed servilitas ejus* „ *est mala*. Si autem propter timorem culpæ erit „ timor filialis: nam filiorum est timere offensam „ patris. Si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem. „ Tantum S. Thomas.

Solus timor filialis est donum Spiritus Sancti. Enim vero, ut egregie argumentatur S. Thoms hic art. 9. in c., Dona Spiritus Sancti non possunt esse cum voluntate peccandi. Verum timor humanus semper est malus; timor servilis, licet sit a Spiritu Sancto, quia tamen, ut S. Aug. dicit lib. de nat., & grat. c. 18., potest habere annexam voluntatem peccandi, non est numerandus inter dona Spiritus Sancti. Unde relinquitur quod timor Dei, qui numeratur inter septem dona Spiritus Sancti, sit timor filialis, sive castus.

Timor iste utut sit Spiritus Sancti donum, non est tamen virtus theologica, quia proprium, & principale illius objectum est malum; unde concludit S. Thomas *est aliquid minus virtute theologica*.

At, inquiunt cum S. Aug. Enchirid. cap. 121., qui timore aliquid facit, etsi bonum sit quod facit, non tamen bene facit; ergo timor esse nequit Spiritus Sancti donum.

R. S. Th. hic artic. 4. ad 1. „ Dicendum quod „ verbum illud Augustini intelligendum est de eo, „ qui facit aliquid timore servili, in quantum est „ servilis, ut scilicet non amet justitiam, sed solum „ pœnam timeat. „ Cætera videantur supra in Disquisitiona &c. (✠)

## SECTIO TERTIA.

*De peccatis Spei oppositis.*

Dupliciter contra spem peccatur, omissione scilicet, cum non elicitur actus spei eo tempore, quo urget ejusdem eliciendi præceptum, de quo supra; & commissione, cum de misericordia Dei præsumitur, aut desperatur.

Præsumtio est inordinata fiducia beatitudinem a Deo obtinendi aliter, quam ipse statuit obtinendam esse: ut cum quis confidit se consecuturum gloriam vel per solas naturæ vires, quæ est præsumtio Pelagiana, vel per auxilium B. Virginis, cui satis esse credunt aliqui, si quoddam orationis pensum quotidie persolvant, & si interim vivant carnaliter, vel, ut vulgo dicitur, per bonum *peccavi* in horn mortis emittendum.

Desperatio est voluntaria animi dejectio, per quam abjicitur spes obtinendæ beatitudinis *pro, ter existimatam impossibilitatem ejusdem obtinendæ* (S. Thom. 1. 2. *q.* 8. *a.* 4.); ut cum quis ob peccatorum suorum multitudinem exclamat cum Cain: *Major iniquitas mea, quam ut veniam merear* (Gen. 4.). Item cum apprehendit aliquis peccati fugam, aut mandatorum Dei executionem ut adeo difficilem, ut desperet futurum, ut illa vitare, & ista implere possit.

De præsumtione, & desperatione tria inquiruntur: I. an sint infidelitati conjunctæ. II. an sint peccata lethalia, & lethalium gravissima. III. quæ sint eorum causæ, & remedia. Sit

CONCLUSIO I. Præsumtio, & desperatio semper denotant fidem infirmam, non tamen semper infidelitati connexæ sunt in Catholicis.

Prob. 1. pars. Præsumtio spem injicit divinæ bonitati male intellectæ innixam; desperatio vero avertit oculos ab eximia ea charitate, qua *Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (Joan. 3.): atqui utrumque fidem admodum infirmam designat. Qui enim fide viva instructus est, cum timore, & tremore salutem suam operatur (Eccli. 3.), & non tardat converti ad Dominum, quia fide cognoscit eos qui in peccato suo consenuerunt, a via sua difficile admodum recedere; ergo ubi est fides viva, ibi præsumtio locum non habet. Aliunde vero neque ibidem locum habet desperatio: quia fides viva hanc Apostoli sententiam præ oculis semper habet; *Qui etiam proprio Filio non pepercit... quomodo non etiam cum*

 illo

*illo nobis omnia donavit; Quis ergo nos separabit a Charitate Christi ?* ( *Rom.* 8. ) Hæc autem sententia spem inflammat, ac proinde desperationem abigit; ergo.

Prob. 2. pars: quia ex his, qui desperant, multi sunt, quibus persuasum est Deum omnium hominum salutem velle, & iis media ad eam consequendam necessaria largiri, licet hæc ob ignaviam, & vim tentationis non amplectantur. Aliunde multi ex iis, qui præsumunt, pœnitentiæ difficultatem, horrorem judiciorum Dei, angustam salutis viam abunde norunt, & data occasione prædicant, tametsi iidem officia sua perfunctorie adimpleant, languide orent, studium, & plerumque nugas præferant meditationi &c.; ergo potest quis & fidei dogmata speculative credere, & eadem non credere in praxi, ut ii faciunt, qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant* ( *Ad Tit.* 1. *v.* 16. )

CONCLUSIO II. Desperatio, & præsumtio, si sufficiens adsit consensus, sunt peccata ex genere suo lethalia, non tamen omnium maxima, nisi hoc sensu, quo omnium sint maxime perniciosa.

Prob. 1. pars: I. ex S. Augustino Serm. 87. de verb. Evangel. *Ista duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes.*

Prob. II. ratione S. Thomæ. *In quolibet peccato mortali principalis ratio mali, & gravitas est ex hoc, quod avertit a Deo*: atqui peccata, de quibus loquimur, necessario avertunt a Deo. Et id quidem evidens est: I. in desperatione; qui enim desperat, sic a Deo avertitur, ut jam ad comparandam ipsius possessionem laborare nolit. II. idem patet in præsumtione; qui enim præsumit, pœnitentiam differt spe misericordiæ, & tacite dicit: Per annos 20. vel 30. leges omnes infringam, & tunc remittes quidquid deliquero, quia deliquisse pœnitebit: hæc agendi ratio teteram a Deo aversionem involvit.

Dixi I. *Si adsit sufficiens consensus*: quia licet conscientiæ timidioris homines se aliquando desperationis accusent, plerumque tamen aut nullum, aut nonnisi imperfectum præstant consensum turbulentis, quibus quatiuntur, desperationis motibus. Unde veritatem explorare debent Confessarii inquirendo præsertim, an pœnitens ex illo affectu consueta pietatis officia intermiserit. Si enim, ut solebat, officio suo satisfecerit, judicandus est non consensisse; quia desperatio ab exercitio virtutis, ut pote jam inutili, avocat; secus si neglexerit, præsertim urgente præcepto: tunc enim pro negligentiæ gradu, & præcepti gravitate plus, aut minus consensisse reputabitur.

Dixi II. *Peccata ex genere suo lethalia*: quia sicut levis offensa contra charitatem proximo debitam, charitatis habitum non aufert, sic videtur posse fieri, ut leviter peccet, qui leve aliquod peccatum committit, præsumens se ejus veniam facile obtenturum; aut qui aliquem virtutis actum omittit desperans se eum, ut par est, exequi posse.

Raro tamen præsumtio, & desperatio a mortali vacant: unde gravis peccati reos se faciunt: I. qui ex diffidentia de Dei bonitate vellent nunquam fuisse, vel annihilari: II. qui se vitam æternam absque pœnitentia consecuturos temere confidunt. III. qui ex spe misericordiæ Dei vel in peccatis perseverant, vel postquam in unum mortale lapsi sunt, alia plura perpetrant, hoc prætextu, quod tam facilis sit plurium, quam unius venia.

Prob. 2. pars: quia desperatio minus est peccatum, quam odium Dei, blasphemia, & sacrilegium, cum criminia hæc Deum, ut in se est, impugnent, & majorem ejus contemtum includant; idem dicendum de præsumtione.

Prob. 3. pars: quia spes revocat a malis, & inducit ad bona; ergo a contrario sensu qui desperant, vitiis omnibus laxant fræna, ut saltem in hoc mundo bonis aliquibus fruantur. Hinc Jerem. 18. *Desperavimus: post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.*

Eundem effectum parit præsumtio; quia qui præsumit, facile cujusque criminis veniam sibi spondet. Merito igitur Augustinus Serm. 20. *Si desperes, peris: si speres, peris, ubi tibi tutus locus erit, ut ab utraque fovea te eripias? male desperabas, audisti*: In quacumque die conversus fuerit iniquus, omnes iniquitates ejus obliviscar; *male sperare ceperas, audisti*: Ne tardes converti ad Dominum.

Obj. contra secundam Conclusionis partem. Peccatum contra Spiritum Sanctum cæteris est gravius, cum ideo sit remissu difficilius: atqui ex S. Thoma, aliisque omnibus desperatio, & præsumtio sunt peccata contra Spiritum Sanctum.

R. neg. maj. & dico, peccatum minus grave aliquando & periculosius esse, & remissu difficilius, quam peccata alia in se graviora; quia fieri potest, ut peccatum, etsi minus grave quam aliud, majorem habeat oppositionem cum spiritu pœnitentiæ, sine quo non remittuntur peccata. Sic, & hoc utinam aliquando ponderent & ponderari faciant Oratores Christiani, furens vindictæ appetitus facile magis coercetur, quam frigiditas erga proximum, etsi hæc minus sit gravis quam ille; ergo non semper ex remissionis difficultate æstimanda venit gravitas peccati, sed ex oppositione peccatoris cum spiritu pœnitentiæ. Hanc porro cum pœnitentiæ spiritu oppositionem habent peccata contra Spiritum sanctum, ut saltem de desperatione, & præsumtione patet ex iis, quæ hactenus dicta sunt; ergo licet minus gravia, sunt tamen condonatu difficiliora.

CONCLUSIO III. Duæ sunt desperationis causæ, luxuria, & præcipue acedia: duæ item causæ præsumtionis, superbia, & inanis gloria.

Prob. 1. pars; quia homo luxuriæ deditus ita venereis delectationibus abripitur, ut cœlestia bona nihili ducat; vel cum ad proprium cor reverti incipit, desperet tum de miseræ, & adhæsivæ libidinis victoria, tum de beatitudinis consecutione.

Prob. 2. pars: quia acedia est languor, & tædium in exercitio virtutis, quam quis nimis difficilem reputat, & ideo abjicit: atqui vitium illud præcipue est desperationis causa, cum impediat ne bonum sperandum videatur possibile, & ideirco maxime adversetur spei, quæ subsistere nequit, nisi subsistat objecti sperati possibilitas.

Prob.

Prob. 3. & 4. pars, præsumtio aut propriis viribus innititur, cum existimat homo se propria industria consequi posse id, *quod propriam virtutem excedit*; aut *innititur inordinate divinæ misericordiæ*, cum quis *sperat se obtinere gloriam sine meritis*, *vel veniam sine pœnitentia* (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 21. *a.* 4.); vel demum se cum volet, & ubi volet facturum esse pœnitentiam: atqui prior præsumtionis species oritur ex inani gloria, cujus proprium est, ut in id tendat, quod supra vires suas positum est: posterior vero nascitur ex superbia; quia qui sic præsumit, *tanti se æstimat*, ut credere videatur, quod *Deus eum etiam peccantem non puniat*; *vel non excludat a gloria*, aut saltem & tempus, & efficacem pœnitentiæ gratiam ad nutum sit ei concessurus (*Habert*). Et vero an non intolerandæ est superbiæ, quod vir mortis, dignus gehenna, nedum Deum sibi precibus, & lachrymis propitium reddere enitatur, de illius misericordia disponere præsumat, tanquam dominus qui famulo diceret: Recede nunc, non placet opera tua uti, præsto eris cum voluero, vel in id solum nunc adesse te volo, ut iniquitatibus meis servias: atqui hæc tamen est præsumtoris agendi ratio. Cum enim pœnitentiam differt, nonne legem Deo imponit, præscribitque ei tempus, quo debeat opitulari? Nonne se gerit, quasi salus non jam sit Dei miserentis opus, sed volentis hominis?

Cum contraria contrariis curentur, luxuriæ, quæ desperationem parit, opponendus est amor castitatis, cui annexa est spes beatitudinis, secundum id Mat. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Acediæ substituendus cœlestium gustus, ita ut mens cogitet, quæ sursum sunt. Superbiæ vices excipere debet humilitas, & humilitatis comes profunda justitiæ Dei, ejusque judiciorum meditatio. Cogitandi sunt dies antiqui, & sæpe revolvendum id I. Thess. 5. *Dies Domini sicut fur in nocte*. *Ne tardes converti ad Dominum*, *neque differas de die in diem*, Eccli. 5.

---

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Charitate.*

CUm charitas sit ea nuptiarum vestis, quam qui non habet, mittitur in tenebras exteriores, quam e contra qui gestat, multitudinem eauit peccatorum; ideo nobis de ipsa quam fieri poterit accurate differendum est. (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 23., *& seq.*) Itaque dicemus I. de essentia, divisione, & objecto charitatis. II. & III. de necessitate, & ordine ipsius. IV. de ejus actibus internis, & externis. V. de peccatis charitati oppositis.

## SECTIO PRIMA.

### *De natura, & objecto charitatis.*

CHaritas, ait Augustinus Ser. 349. *alia est divina, alia humana, alia humana licita, alia illicita ... licita est humana charitas, qua uxor diligitur, illicita, qua meretrix vel uxor aliena*, &c. De charitate primo sensu accepta loquimur in præsenti. Hæc vero in genere habitus considerata definitur: Virtus infusa theologica, qua Deum propter se super omnia diligimus, & cetera propter ipsum.

Dicitur I. *virtus*. Charitas enim facit hominem simpliciter, & ex omni parte bonum, cum & ab eo excludat omne peccatum saltem grave, & virtutes omnes perficiat; ceteri vero habitus non faciunt hominem bonum nisi secundum quid.

Dicitur II. *infusa*; quia tanta virtus propriis viribus comparari nequit: unde Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, &c.

Dicitur III. *theologica*, quia Deum pro objecto immediato habet, eumque attingit perfectissime: fides enim credit, spes inquirit, at charitas quasi tenet; & aliunde non evacuatur; sed manet in æternum; *major* ergo est omnium virtutum *charitas*. (*II. Cor.* 13.)

(✠) Fides, & spes, docet S. Th. 2. 2. q. 23. in c. ar. 6. attingunt Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipsum Deum ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo charitas est excellentior fide, & spe, & per consequens omnibus aliis virtutibus. (✠)

Dicitur IV. qua Deum *propter se* diligimus; & sic distinguitur amor charitatis ab amore spei, qui pro objecto habet bonitatem divinam, non in se simpliciter, sed prout est bonum nostrum. Hinc amor charitatis dicitur amor *benevolentiæ*, quia per eam Deo bene volumus, & facimus quantum in nobis est, non nostri, sed illius gratia. Unde pro praxi sequitur charitatem non in sterili complacentia de Dei perfectionibus, sed in operatione totam consistere, secundum illud S. Joannis (I. *Ep.* c. 3.) *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Qui ergo verba hæc ingeminat, *Sanctificetur nomen tuum* (*Habert.*) & tranquillus manet, cum læditur honor Dei, eum detrahitur proximo, cum impura verba proferuntur, ille profecto verbo tenus, non reipsa Deum amat amore benevolentiæ.

Dicitur V. *super omnia*: quæ paucis exponam infra Sect. 3.

Dicitur VI. *Deum, & proximum propter Deum*: quæ indicant adæquatum charitatis objectum.

Charitas dividitur in habitualem, & actualem. Actualis dividitur in perfectam, quæ multos habet intentionis gradus, & imperfectam, quæ pauciores habet. An autem imperfecta homini justificando per se sufficiat, expendunt Theol. ubi de Pœnitentia. Hic ergo sufficiet charitatis objectum aperire.

Ut autem intelligatur charitatis objectum, notandum est cum S. Thoma, ( *Hic q.* 25. *art.* 2.) aliquid diligi posse: I. ut diligitur amicus II. ut diligitur res amici. Aliud enim est persona ipsa amici, cui bonum volumus, aut de cujus bono delectamur; aliud bonum ipsum, quod volumus amico, aut quod in eo esse gaudemus. Ut quis ex charitate diligatur tanquam amicus, necesse est, ut in eo eluceat divina bonitas, & ut capax sit beatitudinis, in cujus communicatione fundatur amor charitatis; sed hæc necessaria non sunt, ut quid tanquam res amici diligatur. His positis, Sit

CONCLUSIO I. Objectum charitatis, cui bonum volumus, est I. Deus. II. nos ipsi. III. proximus.

Prob. 1. pars, quia charitas ad Deum primario terminatur; cum Deus ametur propter se, cetera vero non nisi propter ipsum.

Prob. 2. pars. Qui jubetur proximum diligere sicut seipsum, ille seipsum diligere debet: atqui homo seipsum diligere jubetur his Christi verbis: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. ( *Luc.* 10.)

Prob. 3. pars. quia charitas id omne pro objecto materiali habet, in quo relucet objectum formale charitatis: porro formale charitatis objectum, quod est divina bonitas, & in nobis, & in proximo relucet. Quod enim Deus per essentiam habet, hoc proximus, & nos habemus per participationem.

Hic autem proaimi nomine intelliguntur ii omnas, quibus beatitudinem, aliaque supernaturalia bona ad ipsam conducentia velle possumus. Unde proximi nostri sunt: I. omnis homo viator etiam infidelis, & peccator, quia iis omnibus beatitudinem, & media ad ipsam, puta fidem, vel resipiscentiam velle debemus. II. omnis homo comprehensor. III. eadem de causa Angeli, quia de aorum felicitata gaudandum est: & aliunda si non de ipsis nos, at ipsi da nobis bena merari possunt; IV. Christus ut homo, qui qua talis capax est, & particeps summæ beatitudinis.

CONCLUSIO II. Objectum materiale charitatis, quod diligitur tanquam res amici, est illud omne, quod aliis velle possumus in ordine ad beatitudinem. Res per se patet. Porro ea, quæ Deo, vel proximo volumus, sunt: I. propagatio divini cultus. II. ipsamet charitas, aliæque virtutes, quas proximo exoptamus, &c.

CONCLUSIO III. Objectum formale charitatis, qua Deum, & proximum diligimus, est bonitas Dai absoluta; seu est infinita illa perfectio, qua Deus redditur summe amabilis.

Prob. 1. pars de charitate erga Deum. Objectum formale virtutis est ratio formalis, sub qua eadem virtus objectum suum attingit; seu, ut loquuntur alii, est motivum, quo agens ad ejusdem virtutis exercitium determinatur: atqui summa, & infinita Dei persactio illa est ratio, illud motivum, quo ad charitatis exercitium determinamur. Hæc enim unica assignari potest ratio charitati; quæ si proprium in excrcitio suo commodum, & *interesse* quæreret, jam non esset charitas, sed amor concupiscentiæ, ut patet ex dictis supra p. 274.

Confirm. Objectum charitatis debet omnium esse præstantissimum; ergo motivum ajus debet esse omnium præstantissimum: atqui nullum esse potest motivum præstantius, quam ipsa infinita Dei persectio propter se solam dilecta; ergo.

Prob. 2. pars de charitate erga nos, & proximum. Ut divina bonitas sit objectum formale charitatis, qua nos, & proximum diligimus, satis est, ut par charitatem non diligamus proximum in se, & simpliciter, sed vel prout in eo relucet divina perfectio, vel prout proximus est quoddam bonum, quod Deo volumus propter Dei ipsius gloriam: atqui res ita se habet. Dilectio anim proximi propter ipsum non esset virtus theologica, quia Deum non haberet pro objecto; sed esset *alia amicitia differens a charitate secundum alias rationes, quibus homines amantur*, ait S. Thomas ( 1. 2. *q.* 103. *n.* 3. *ad* 2. ); ergo ratio diligendi proximum ex charitate est sola Dei bonitas, quæ in proaimo consideratur, vel sola Dei gloria, cui proaimum volumus ut bonum quoddam, quo ipsa extrinsece augeri potest.

## SECTIO SECUNDA.

### *De necessitate, & conditionibus Charitatis.*

CErtum est I. dari præceptum de diligendo tum Deo, tum proximo. *Diliges*, ait Christus Matth. 22. *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Atque ea diligendi proaimi obligatio ad ipsos etiam inimicos eatanditur; unde Matth. 5. *Ego autem dico, Diligite inimicos vestros*.

Cettum est II. præceptum charitatis negativum obligara omni tempore, quia nihil unquam agere licet, quod Dei, proaimive charitati adversetur. Tria igitur hic discutienda manent: I. quando obliget amor Dei. II. quando amor proximi. III. quæ in amore inimicorum servandæ sint leges.

CONCLUSIO I. Præceptum charitatis Deo debitæ, prout affirmarivum, non obligat semper, & pro semper; obligat tamen sæpissime.

Prob. 1. pars tum auctoritate S. Thomæ ( 1. 2. *q.* 100. *a.* 10. *ad* 1.), tum ratione, qua utitur S. Doctor, & quæ sic proponi potest: Si præcaptum charitatis obligaret pro semper, seu, ut loquitur S. Thomas, si modus charitatis cadaret sub præcepto erga omnes cujuscumque virtutis actus, quisquis eliceret actum virtutis absque charitatis imperio, peccaret mortaliter, quia, ut expresse docet Angelus Scholæ, *quicumque non servat præceptum* charitatis quo tempore obligat, *peccat mortaliter*: atqui *hoc est inconveniens*, & eo usque inconveniens ut sit hæreticum; quia alioqui homo nunquam peccaret, nisi mortaliter; ergo.

Prob. 2. pars: I. ex censura tum a Romanis Pontificibus, tum an. 1700. a Clero Gallic. lata adversus scandalosas laaiorum Casuistarum propositiones, quarum prima est: *Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis*. Secunda, *Probabile est-*

ne

*ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*. Tertia, *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus*. Quarta, *Tunc solum obligat quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus*. Quinta, *Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative; hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitæ moralis*. Quæ ultima propositio damnata est ut hæretica.

Prob. II. ex Deuter. 6. *Diliges Dominum Deum tuum.... eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis* (notent Parochi, ut per eos notent parentes) *& meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens*. Quare autem meditandum est præceptum de dilectione Dei, nisi quia implendum est? quare vero tam crebro meditandum est, nocte scilicet & die, nisi quia crebro implendum est?

Prob. III. ratione fidei, naturæque innixa. Charitas homini imperata quædam est amicitia cum Deo; amicitia, inquam, *ex corde puro, & fide non ficta*, (*I. Tim. 10.*) seu, ut loquitur Christus ipse, *ex tota anima, & ex omnibus viribus*. (*Luc. 10.*) Quæro autem, an talis charitas potuerit præcipi cum licentia suspendendi exercitii ejus per annos plures, vixque semel intra quinquennium exercendi. An non amicum contemnere censetur, qui raro de eo cogitat, & rarius loquitur, præsertim eum hæc facile, æque ac utiliter præstare potest? An pater, & quisquis jus habet exigendi ut ab alio ametur, sibi satis esse factum credet, si raro, aut velut ab invito, & in casu necessitatis diligatur? Sæpius ergo obligat præceptum divinæ dilectionis, licet expresse definiri non possit per quot dies absque gravi culpa differri queat.

Sunt tamen casus non pauci, in quibus saniorum Theologorum judicio charitatis actus sub præceptum cadit. Sic I. juxta multos docet S. Thomas (1. 2. q. 89. *art.* 6.) hominem a primo usus rationis momento teneri sub mortali ad eliciendum amoris Dei actum, quo Creator cæteris omnibus præferatur. Hæc doctrina, etsi non paucis videtur severior, ad duo tamen inservire potest: I. ut moneantur parentes, magistri, tutores, quanta cura parvulis suis Deum prout super omnia amabilem proponere debeant, ut sensim adolescentes ratione ad efformandum veræ charitatis actum habiles, & prompti efficiantur. II. ut in dubio, an officio huic satisfecerimus in infantia, peccatum hoc, quod multi contra multos grave esse putant, apud Confessarium deponamus.

II. Urget charitatis præceptum in quolibet probabili mortis periculo, etiamsi recepta sint Sacramenta. Ratio est: I. quia veniente sponso virgo prudens lampadem suam ornare debet, eique obviam exire ardentissimo, quo possit amore. II. quia tunc, si unquam, necessarius est charitatis actus ad muniendum cor adversus tentationes, quæ in hoc instanti præcipue deseviunt. Merito igitur Pastores, & Confessarii a morientibus fidei, spei, & charitatis actus exigunt; & nisi exigant, graviter delinquunt.

III. Cum vitandum est mortale peccatum: tenetur enim quisque amplecti media ad peccati fugam necessaria.

IV. Cum necessarius est contritionis actus, puta si Confessarii copiam non habens, Sacramenta conficere, aut ministrare debeat: quia is contritionis actus actum charitatis involvit.

V. Addit Habert Orationem dominicam vel mendaciter recitari, vel non recitari sine aliquo charitatis actu. Quid enim exprimunt hæc verba, *Sanctificetur nomen tuum*? nisi nos Deo summam gloriam expetere. Quid hæc rursus, *Fiat voluntas tua*? Sane, ait S. Cyprianus (*L. de Orat. Domin.*) *voluntas Dei est, quam Christus & docuit, & fecit .... Deum toto corde diligere, amare in illo, quod pater est, timere, quod Deus est*; ergo ne ex eorum numero simus, qui *dilexerunt* Deum *in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei*, (*Psal.* 77.) necessum est, ut lingua amorem exprimente cor amorem eliciat.

Ex iis colliges ne unam quidem hebdomadam, (*Grandin. p.* 121.) ne unam quidem (sponte dicam) diem sine actu charitatis pretermittendam esse, ut si forte sæpius nos amare contingat, quam tenemur sub peccato, tantum saltem amemus quantum tenemur. Curent ergo qui Seminariis præsunt, juvenes sibi commissos ad eliciendos virtutum theologicarum actus sic assuefacere, ut eos illi nulla unquam die omittant, & deinceps plebem in Parochiis sibi credendam, ad eandem praxim, quæ jugum leve est, informent.

Charitatis conditiones quatuor numerantur: I. enim debet esse interior, quia alioqui non potest esse ex toto corde. II. summa, eo sensu quod *nihil amplius diligere debeamus*, quam Deum; (*Aug. Lib. de morib. Eccl. cap.* 11.) *qui enim amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*, ait Salvator Matth. 10. Unde S. Bernardus (*Lib. de dil. Dei.*) *Modus diligendi Deum est diligere sine modo. III.* gratuita, *Causa diligendi Deum Deus est*, ait idem ibid. .... *non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit*. Et vero non distinguitur amor charitatis ab amore concupiscentiæ, nisi quia prior Deo propter Deum adhæret, posterior non item. IV. efficax, & in opere universalis: neque enim charitas est mera de divinis perfectionibus complacentia, sed affectus voluntatis efficaciter movens ad faciendum id omne, quod sine peccato saltem gravi omitti non potest, & e contra. Quapropter verus Dei amor continet propositum actuale, vel virtuale omnibus Dei mandatis adhærendi, secundum id I. Joan. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*. Unde Christus (*Joan.* 4.) *Qui habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me*.

CONCLUSIO II. Tenemur proximum diligere actu interno, & hoc præceptum sæpe obligat.

Prob. 1. pars, I. quia tenetur unusquisque proximum suum diligere, sicut seipsum: atqui nemo est, qui seipsum non diligat amore interno. II. Joan. 15. *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos*: atqui Christus interno amore dilexit nos; ergo jure proscriptæ sunt ab Innocentio XI. an. 1679. duæ istæ propositiones: I. *Non tenemur proximum di-*

*ligere actu interno. II. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Ad legitimam proximi dilectionem tria requirit S. Thomas: I. ut sit sancta. II. ut sit justa. III. ut sit vera. Tunc enim & non aliter proximi dilectio similis erit ei, qua unusquisque semetipsum prosequi tenetur.

Ut proximi dilectio sit *sancta*, necesse est ut sicut nos, sic & proximum propter Deum diligamus; *ille* enim, ait Augustinus, *veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo* (*Serm.* 337.). Unde amicitia, qua sponsus uxorem, pater filium, aut alius alium naturaliter diligit, licet honesta sit, toto tamen cœlo differt a charitate primo Dei præcepto imperata. Numquid, ait Augustinus, *pro magno laudatur us sum in homine, quod video in tigride? Si non amaveris*, pater, filium, *a serpentibus viceris.*

Ut dilectio proximi sit *justa*, requiritur: *ut aliquis non condescendat proximo in aliquo malo; sed solum in bonis; sicut & suæ voluntati satisfacere debet homo solum in bonis* (*S. Thom. Ibid.*) Concinit Augustinus Serm. 335. ubi sic: *Cum inveneris* in proximo *iram, indignationem, odium, & iniquitatem, sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus sæculi morbum corporis. Ad hoc ama, ut facias, quod tu es, & erit in te perfecta charitas.*

Ut dilectio proximi sit *vera*, necessum est *ut non diligat aliquis proximum propter propriam utilitatem vel delectationem....* alioqui enim *non vere diligit proximum, sed seipsum.*

Ex his genuinæ charitatis characteribus perspicuum est, raro admodum impleri hoc præceptum: *Diliges proximum tuum*, &c. Ut enim filios sæculi prætermittam, qui in amicis suis vel ipsa eorum vitia, vel propriæ libidinis gustum inquirunt, nonne in usu est, ut patres in filiis, cognati in cognatis sanguinem ament; ut qui aliorum consuetudine lubenter utuntur, vel indolis similitudinem, vel commodum temporale sectentur, &c.? Et tamen is unus proximum diligere censendus est, *qui agit quantum potest ut proximus salvus corpore, salvusque animo sit* (*Aug. de morib. Eccl. c.* 26.). Quoti vero proximum tam sancte, tam juste, tam vere diligunt?

Prob. 2. pars. Duplex distingui potest amor proximi: *affectivus*, qui in benevolo voluntatis erga proximum affectu consistit; & *effectivus*, qui ipse est effectus a prædicto affectu exterius erumpens: atqui præceptum charitatis fraternæ ad utrumque sæpius obligat: I quidem ex præcepto charitatis fraternæ sæpe tenetur homo ad amorem proximi effectivum, quoties nempe proximo sive spiritualiter, sive corporaliter indigenti suppetias ferre potest, prout infra dicam agendo de Eleemosiyna, & Correctione fraterna. II. sæpius quoque ex eodem præcepto tenetur ad amorem effectivum. Ratio est tum quia præceptum dilectionis fraternæ *simile est* præcepto dilectionis Dei: hoc autem sæpius obligat, ut mox dictum est; ergo & illud: tum quia Oratio dominica pro omnibus fundi debet, & quidem frequenter, ut ex ipsa ejus lectione constat: atqui hæc Oratio pie, & utiliter dici non potest, sine aliquo charitatis saltem latius sumtæ impulsu; hæc autem charitas etiam latius sumta, cum disponat ad charitatem proprie acceptam, pertinet ad primum Decalogi præceptum, ut docet S. Thomas. Verum hæc ex modo dicendis magis elucescent.

CONCLUSIO III. Præceptum charitatis fraternæ prohibet sub mortali odium inimici, & internum ejus amorem; idque multis in occasionibus præcipit etiam sub mortali.

Prob. 1. pars, ex I. Joan. 3. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est*; porro homicida mortaliter peccat.

Prob. 2. pars Matth. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Grave præceptum*, ait Augustinus, *sed grande præmium*: atqui per præceptum illud interior erga inimicos imperatur charitatis affectus: I. quia vox *diligite*, distinguitur contra vocem *benefacite*: ac proinde si hæc externum, illa interiorem charitatis motum significat. II. quia ibidem præcipitur oratio pro inimicis; hæc autem sine interiori cordis affectu vera oratio esse non potest.

Prob. 3. pars, recensendo praxim & occasiones amoris iis, qui oderunt nos, exhibendi: I. itaque, cum inimici nostri vere proximi nostri sint, id omne iis debemus, quod debemus proximo. II. omnem in eos odii, & vindictæ affectum procul abjicere debemus; adeo ut etiam perseverante in eis contra nos omni mala voluntate, perseveret in nobis erga eos charitas: & exterius charitatis testimonium. *Benedicite persequentibus vos*, ait Apostol. Rom. 12. *benedicite, & nolite maledicere.... nulli malum pro malo reddentes.* Et vero, *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* (*Matth.* 6.)

Hinc peccant contra charitatem: I. qui de malo inimici, prout ejus malum est, lætantur; qui de bono ejus, prout ejus bonum est, dolent; qui ex malo in personam affectu, injuriæ sibi illatæ vindictam a Deo, & ab hominibus expectant. II. qui excludunt inimicum a communibus orationibus, & resalutatione, a venditione mercis expositæ, ab eleemosynis, quæ toti communitati sunt, vel certis diebus porriguntur egenis omnibus, qui ad januam se offerunt. Eadem de causa peccat, per se loquendo, qui a salute, quam vicinis omnibus dat, inimicom excludit; qui ad prandium cui interesse solebat, accedere non vult, eo quod ad idem invitatus sit inimicus; qui inimicum alloqui se volentem arcet a colloquio; qui inimico in necessitate constituto non benefacit, quantum proximo benefaciendum est: ut si bestiam ejus errantem non reducat, si malum ipsi in fama aut bonis imminens non impedit, cum impedire facile potest. Et hoc peccatum grave est, si malum, quod avertere potuisti, grave sit.

Si quis tamen inimicum suum invisere, aut alloqui noluit, vel quia novit eum ingenii adeo periculosi esse, ut nihil nisi mali ab ejus commercio expectandum sit, vel quia, ut loquitur S. Bernardinus, *probabiliter timet ex hoc aliquid pejus accidere*, abstinendum erit ab exteriobus illis amicitiæ signis, cum

duplici

duplici tamen cautione; prima, ut hujus suæ agendi rationis causam *debeas intuentibus propter vitationem scandali propalare, si bono modo hoc facere potest*: secunda, ut cordi suo invigilet, ne sub circumspectionis pretextu intus serveiur odium.

Quod spectat ad specialia charitatis signa, docet S. Thomas ( *Hic q.* 25. *a.* 9. ) eorum exhibitionem non esse de *necessitate salutis, nisi secundum præparationem animi, ut scilicet inimicis subveniatur in articulo necessitatis*, secundum illud Proverb. 26. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. Ratio est, quod ut impleatur præceptum dilectionis proximi ut sic, satis est communiter loquendo, ut extra casum necessitatis ametur in communi, eique communia benevolentiæ signa pro cujusque conditione, & statu exhibeantur.

Aliquando tamen & specialis erga inimicum charitas in corde vigere debet, & specialia eidem charitatis hujus signa exhiberi. Et id locum habet: I. cum, accepta gravi ab aliquo injuria, imminet periculum odii, vixque ab optando ei malo abstineri potest: tunc enim exurgentis innimicitiæ sensus opposito amoris, & orationis actu cohiberi debet; quia amor ille medium est ad peccati fugam, & mandati observationem necessarium. II. cum alioqui futurum est, ut proximo scandalum detur. III. cum inimicus veniam orat, vel specialia amicitiæ indicia prior exhibet; tunc enim non respondere, est vindictam charitati contrariam exercere. IV. cum exigit spiritualis, aut temporanea inimici necessitas, ut plus ejus gratia præstes, quam alioqui consueveras. V. cum subest probabilis ratio sperandi fore, ut inimicum Deo, tibique reconcilies, si speciali amore, salutatione v. g., vel alloquio eum prævenias: quia obligat charitas ad avertendum grave proximi damnum, præsertim spirituale, licet ex ejus culpa proveniens, cum illud absque gravi incommodo avertere possumus. VI. si ante injuriam consueveras inimicum salutare, alloqui, &c. hæc, etsi specialia sint benevolentiæ signa, eodem post offensam modo, ac ante præstare debes; tum quia specialia amicitiæ signa nunquam ex solo injuriæ acceptæ motivo denegari possunt, cum hoc ad vindictam pertineat; tum quia horumce signorum suppressio odium nutrit, & proximo scandalum creat, ut quæ contemtus indicium reputetur.

Fatentur tamen omnes, alias circumstantias aliam aliquando agendi rationem postulare. Ut I. si prudenter judicetur specialis dilectionis exhibitionem plus obfuturam inimico, quam profuturam. II. si prævideatur eum austeriori vultu ad agnoscendam culpam adductum iri. III. si is, qui læsus est, certam in eos, qui læserunt superioritatem habeat, qualem habent pater in filios, Prælatus, aut alius Superior in inferiores. In his tamen sedulo cavendum, ne ex passione agat, qui ex zelo agere se putat, aut ne officio suo desit Superior, cujus est turbatos subditorum animos ad sanam mentem reducere; quod plerumque non faciet, nisi jure suo cedat paulisper, & ovem a grege profugam misericorditer inquirat.

Hinc casus in hac materia frequentes ex circumstantiis, & injuriarum natura definiri debent. Nec enim reum habebo maritum, patremve, qui, ut vim conjugi, vel filiæ illatam publice detestetur, non iisdem ac ante oculis stupratorem intuetur; imo haud satis scio, an cuipiam ejus agendi ratio placeret, si eodem ac prius modo cum infami hoc homine conversaretur: quanto severius gerere se debebit, si præceps delicti condonatio novæ insultationis periculum inducat? Sed hic stringendæ magis, quam laxandæ habenæ, ob summam hominis in vindictam, & odia propensionem.

Ut solvantur aliæ loci hujus difficultates,

Quæres I. quis in ineunda recontiliatione servandus sit ordo. R. hunc esse servandum: I. qui alterum injuste offendit, is prior viam ad pacem aperire debet: id enim exigit justitiæ ratio. II. si duo mutuam sibi injuriam intulerint, tunc, si offensio utrinque ejusdem sit gravitatis, nec ulla sit ratio, cur alter alterum præveniat, utrique incumbit obligatio fratrem suum præveniendi: si autem offensio unius gravior fuerit, debet is præire, etsi in offendendo posterior. III. etiamsi inferior a Superiore gravius læsus sit, nunquam tamen potest ei salutationis, allocutionisve officium subtrahere: hæc enim officia iis, qui erga nos Dei locum tenent, tam stricte debita sunt, ut vix unquam subsit legitima ratio, quæ ab iis etiam ad tempus dispenset.

Quæres II. an inimico veniam petenti statim ac injuriam intulit, exteriora veniæ signa statim exhiberi debeant. R. affirmative, si de privatis agitur. Ratio est: I. quia Christus, & Sancti suis id nos exemplis, & verbis docuerunt. Sic enim Salvator & discipulo neganti, & latroni gratiam primum postulanti pepercit. Sic etiam Stephanus pro inimicis actu lapidantibus oravit. Sic Christus Luc. 17. *Si frater tuus septies* ( imo & septuagies ) *in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi*. II. quia in eadem mensura, qua nos metitur Deus, & nos proximo remetiri debemus. Hinc S. Chrysologus Sermone 67. *O homo, qui vis semper tibi dimitti, dimitte semper*.

Dixi, *si de privatis agitur*: quia, ut jam dixi, possunt aliquando Superiores externa veniæ signa differre, ut qui contra eos peccarunt, culpam suam sentiant: quanquam & hæc in Superioribus veniæ dilatio suos habere deber limites, ne subditos hinc ultra modum affligi contingat. Cæterum non una omnium est veniæ petendæ ratio: neque enim filius, aut famuli, si a patre, vel hero læsi fuerint, eadem ab ipsis exigent humiliationis signa, quæ pater, aut herus a famulis, vel filiis.

Quæres III. an pars læsa possit apud judices satisfactionem prosequi, cum is, qui læsit, satisfactionem offert prudentum arbitrio sufficientem. R. negat. I. Quia qui tam rigorose proximum insequitur, non facit alteri id, quod sibi fieri rationabiliter optaret. II. quia qui pro centum denariis tam acerbe vexat, ut quid decem talentorum millia sibi remissum iri confidere potest? III. quia inimicum expensis onerare, absque eo quod quidpiam inde capias utilitatis, ipsis etiam justitiæ legibus repugnat.

Et

Et vero etsi litigatio in universum prohibita non sit, est tamen hæc plena periculi: I. quia qui litigant eo impelli solent nimio temporalium amore, vixque ab odio, & detractione abstinere possunt. II. quia litibus quasi ex natura rei annexa est jactura temporis, & pacis illius internæ, sine qua difficile admodum moventur pedes in via pietatis: unde litigatores pro temporali bono, a quo etiam excidunt, sæpius in discrimen boni longe præstantioris veniunt.

Aliquando tamen expedit, vel etiam necesse est satisfactionem injuriarum coram judicibus prosequi; ut si offensa gravem creet infamiam, quæ in totam familiam recadet, nisi satisfactione juridica diluatur. Item si reus sit noxius Reipublicæ, & concives injuria afficere solitus.

Quæres IV. quis sit sensus horumce Christi verborum, Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, &c.*

R. cum S. Augustino sensum esse, quod pergendum sit ad fratrem, *non pedibus corporis, si longius absit, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem cara cogitatione cucurrerit, in conspectu ejus, cui munus oblaturus es*, id est sincere protestando ei, qui corda, & renes scrutatur, paratum te esse ad placandum quacumque legitima via læsi fratris animum, quod statim, ac penes te erit, exequeris. Quod si frater tuus non absit longius, adeundus est, quam primum *prudentiæ ratio, tempus, & locus permittunt* (*Jansen. hic*). Et hæc obligatio leniendi fratris juste irati tam arcta est, ut qui proximum graviter læserunt, non ante, communiter loquendo, debeant absolvi, quam cum eo redierint in gratiam, vel redire pro virili conati fuerint.

## SECTIO TERTIA.

### *De ordine Charitatis.*

RECte Augustinus Lib. de doct. Chr. c. 27. *ille juste, & sancte vivit; qui ordinatam dilectionem habet; ne amplius diligat, quod minus est diligendum; aut æque diligat, quod vel minus, vel amplius diligendum est: aut minus, vel amplius, quod æque diligendum est.* De hoc charitatis ordine nobis est in præsenti disserendum: quod ut fiat, hominem comparabimus I. cum Deo. II. cum semetipso. III. cum proximo. Sit

CONCLUSIO I. Tenetur homo Deum, magis quam se, & proximum diligere tum objective, tum appretiative.

Prob. 1. pars: quia aliquem magis diligere objective est ei majus velle bonum, sive per complacentiam, sive per desiderium: atqui majus Deo bonum velle debemus tum per complacentiam, quia magis de infinitis ejusdem perfectionibus gaudere debemus, tum per desiderium, quia majorem ei gloriam quam omnibus simul creaturis velle, & optare debemus, secundum id Rom. 16. *Soli Deo honor, & gloria.*

Prob. 2. pars. Ille plus unum, quam alia quæcumque diligit æstimative, qui sic affectus est, ut malit cæterorum omnium jacturam pati, quam hujusce unius: atqui homo sic Deum diligere debet, secundum id Christi: *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Unde S. Paulus: *Quis separabit nos a Charitate Christi?*

Quæres, quibus signis dignosci possit, an Dei amor dominetur in nobis.

R. quatuor præcipue. Primum est summa Deo placendi cura, ac proinde declinandi a malo, & bonum prosequendi, juxta id Joan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Et vero, ut belle notat Augustinus Præfat. in Psalm. 31. *Numquid charitas permittit aliquid mali facere ei, quem diligis? .... dilectio vacare non potest, nisi & mali nihil operetur, & quidquid potest boni operetur.*

Secundum signum est constantia in observatione mandatorum, & fuga peccati. Sicut arbor vi ventorum facile, & cito dejecta, non videtur bene radicata fuisse, tametsi aliquando vere radicata fuit, sic charitas quasi momentanea, admodum suspecta esse debet.

Tertium signum est frequens, & libens cogitatio de Deo: quia, ut docet Christus Matth. 6., *Ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum est*: ubi autem cor, ibi cogitatio, & oculus. *Libenter* enim *aspicimus, quem multum diligimus*, ait Richardus Victorinus.

Quartum signum est sincerus proximi amor. *Redeat*, ait Augustinus Tract. 5. in Ep. Joan. *unusquisque ad cor suum, si ibi invenerit fraternam charitatem, securus sit.*

CONCLUSIO II. Unusquisque vi præcepti charitatis tenetur se magis, quam proximum æstimative diligere quoad bona spiritualia necessaria; imo &, communiter loquendo, quoad bona temporalia, quæ homini præcipiuntur, ut vitæ propriæ conservatio. Aliud est, si agatur de iisdem bonis temporalibus comparate ad spiritualia proximi bona, eidem proximo necessaria.

Prob. 1. pars. Bona spiritualia nobis necessaria ea sunt, quorum privatio ab æterna salute, aut saltem a Deo nos removeret: atqui tenemur nos proximo in hisce bonis præferre. Alioqui licitum nobis esset peccare, ut proximi peccatum impediremus, & proximi salutem, etiam cum propriæ salutis dispendio procurare; & id etiam illicitum esset, etiamsi mundi universi salus per leve mendacium procuranda esset, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom. 3.

Hinc colliges animarum Directores, ac divini verbi Ministros, quos experientia docet se munia hæc sine peccato non exequi, ab iis, quantum in se est, abstinere debere, nec ad ea reverti, nisi postquam omni bonorum operum genere se se contra peccatum præmunierint.

Obj. I. Magis placet Deo, ut unum fiat veniale peccatum, quam ut mundus totus ob peccatum mortale damnetur; ergo debeo paratus esse ad peccandum venialiter, ut mundi totius damnationem avertam.

R. dist. magis placet in genere, quia Deus generatum

ratim mavult leviter offendi, quam graviſſime, C. magis placet in particulari hoc ſenſu, quod Deus velit me venialiter peccare, ut mortalem aliorum offenſam, & annexam ei damnationem removeam, N. Imo contrarium vult, qui vult, ut me plus amem, quam proximum.

Obj. II. Poteſt quis, eeteroqui pie magis in Religione victuros, manere in ſeculo, ut proximorum ſaluti allaboret: atqui hoc fieri non poſſet, ſi unuſquiſque ſpirituale bonum ſuum proximi bono præferre teneretur; ergo.

R. neg. min. & dico I. theſim noſtram procedere de bonis ſpiritualibus neceſſariis, qualia non ſunt ea, de quibus loquitur Objectio. Dico II. eum, qui Dei intuitu ſpirituale quoddam lucrum abjicit, aliunde compenſatum iri. Certe magis impoſſibile eſt, ut qui de bono ſibi alioqui plurimum profuturo ſpiritualem proximo eleemoſynam erogat, non recipiat eentuplum a Deo, quam ut idem non recipiat, qui de bono corporali ſibi neceſſario eleemoſynam facit.

Quæres, an ob ſpirituale proximi bonum liceat exponere ſe periculo peccandi.

Nota, bonum proximi duplex: alind neceſſarium, ut ſi homo ſine baptiſmo moriturus ſit, niſi ad eum baptizandum convoles, aliod ooo neceſſarium. Periculum vero triplex a quibuſdam diſtinguitur, remotum, proximom, &, probabile, quod inter utrumque medium eſſe putant. His poſitis,

R. I. Licitum eſt exponere ſe remoto peccandi periculo propter bonum proximi etiam non neceſſarium. Hoc enim faciunt, qui aliorum peccata excipiunt in confeſſione etiam abſolute non neceſſaria: ibi enim multiplex occurrit periculum negligentiæ, tædii, impatientiæ, &c.

R. II. Nunquam licitum eſt proximo etiam venialiter peccandi periculo exponere ſe ob boaum ſpirituale etiam neceſſarium proximi. Ratio eſt, quia in moralibus idem eſt peccatum committere, & proximo illius committendi periculo ſe exponere: idque præcipue verum eſt, quando periculum eſt in materia determinata, in qua ſe quis fragilem eſſe jam ſcoſit. Ergo cum nunquam liceat etiam leviter mentiri ob ſpiritualem proximi ſalutem, neque etiam ejuſdem peccati proximo periculo ſe ſe exponere licitum eſt.

Confirm. ex ceoſura hojus propoſitionis: *Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.*

Major eſt difficultas de periculo probabili, circa qood arbitror cum Sylvio, quod ſi periculum ita ſit probabile, ut probabilior ſit lapſus, quam perſeverantia, non liceat ei ſe propter alios exponere: I. quia unuſquiſque plus ſuam, quam aliorum ſalutem diligere debet. II. quia probabile periculum vix differt a periculo proximo, quicum etiam ſæpius confunditur: non licet autem proximo peccandi periculo ſe objicere; ergo tunc ſolum proximo perículoſe opitulari tenemur, *quando, etſi ſit periculum, magis tamen ſperatur peccatum non ſecuturum* (*ex Silvio*): & hoc quidem magis ab eo ſperari poteſt, qui non temporali, ſed præſtanti fraternæ charitatis motivo ducitur. Quod ſi, ait Suarez, periculum in confuſo animadvertatur, oon poteſt certa tradi regula, ſed res pro ratione neceſſitatis, & periculi abſolute, vel relative ſumti penſanda erit.

Prob. 2. pars Concluſionis, nempe quod communiter loqoendo quilibet ſe etiam proximo præferre debeat quoad booa temporalia neceſſaria; prob. inquam I. quia, ut ait Auguſtinus lib. de mendacio c. 6. *Si quis pro alterius vita temporali ſuam ipſam temporalem perdat, non eſt jam diligere ſicut ſeipſum, ſed pluſquam ſeipſum, quod ſanæ doctrinæ regulam excedit.* II. quia ſe habet vita noſtra ad vitam proximi ſicut anima noſtra ad animam proximi; ergo ſicut hanc, ſic & illam alteri præferre debemus.

Dixi, *communiter loquendo*: quandoque enim neceſſarium eſt homini privato vitam ſuam exponere pro ſervanda vita alterius hominis, puta Principis, aut alterius perſonæ ad Reipublicæ ſalutem neceſſariæ; item ſi malum communitatis imminens aliter averti non poſſit: quandoque autem illud licitum eſt: ſic I. licet incurrere ſat probabile mortis periculum, ut proximus eripiatur morti certiſſimæ; quia periculum reipſa incertum mortis meæ, minus eſt malum, quam mors non ſolum probabilis, ſed etiam certiſſima proximi mei. II. licet ab eo mortem accipere, cui utpote injuſto invaſori mortem inferre poſſes, tom quia ſic conſulis æternæ ejus ſaluti, tum quia præceptum ſervandæ vitæ, quatenos affirmativum, noo obligat cum graviſſimo incommodo: porto hominis alterius occiſio eſt medium, quod pluribus duriſſimum videri poſſit.

Gravior eſt difficultas, an poſſit quis certæ morti ſe objicere, ut alterius ſibi plane æqualis vitam conſervet. Circa quod docet Sylvius (*pag.* 46.) id eſſe illicitum: I. ſi is, qui morti ſe exponit, vel æternæ ſalutis diſcrimen merito vereatur, quia ſentit ſe etiamnum peccato adhærere; vel multum utilis ſit Reipublicæ, aut iis, quorum ipſi cura incumbit. II. ſi vitam pro amici vita profundendo ſolam, ut olim Ethnici, moralis virtutis, quæ huic agendi rationi annexa eſt, honeſtatem attendat. Ratio eſt, quia in his caſibus charitas eſſet prorſus inordinata, ut pote quæ rem minoris pretii, qualis eſt honeſtas pure naturalis, præferret rei, quæ erga nos multo majoris eſt momenti.

Tota igitur, quæ hic ſupereſt quæſtio, in eo jacet, an alterius privati vitam vitæ tuæ diſpendio ſervare poſſis ex motivo Chriſtianæ virtutis, puta quia ſic proximum ſubtrahes damnationi æternæ, aut inſigne animi bene memoris exemplum exhibebis, conſervando vitam patris, alteriuſve intimi amici, cui pro collatis in te beneficiis nihil æque dignum rependere potes. Qua de re

Dico cum S. Thoma in 3. diſt. 29. a 5., quod in caſibus modo allatis, aliiſve ſimilibus *tradere ſeipſum morti propter amicum eſt perfectiſſimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuoſus, quam vitam propriam corporalem.* Ratio eſt I. quia *majorem hac dilectionem nemo habet; ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* (*Joan.* 15.): atqui hæc Chriſti ſenteotia intelligi poteſt non ſolum de ſpirituali, ſed etiam de temporanea proximorum ſalute, & ſic ſeipſa intelligi-

ligitur a S. Chryfoft. L. 2. de Sacerdotio.

II. quia Apoftoli verba Rom. 5. *Vix pro jufto quis moritur, nam pra bona forfitan quis audeat mori ?* infinnant eum laudabiliter acturum effe, qui pro alio moreretur, fed paucos effe, qui id faciant: porro mors his verbis commendata ea eft, quæ pro jufto in extrema neceffitate corporali conftituto fubiretur; neque enim vir juftus in extrema neceffitate fpirituali fupponi poteft.

III. quia quamvis illicitum fit plus amare vitam amici, præcife qua vita eft, quam propriam vitam, licet tamen plus amare actum præftantiffimæ virtutis, quam propriæ vitæ confervationem, prout ibidem docet S. Thomas: at qui vitam pro vita proximi profundens amat, & facit actum preftantiffimæ virtutis, cum fupponamus eum hoc uno virtutis motivo determinari. Et vero fummis omnium laudibus eatolluntur, tum Tobias, qui pro fepeliendis fratrum corporibus fe toties morti expofuit, tum ii, qui pefte infectis temporalia miniftrant, moraliter certi fe hinc evafuros non effe, tum fanctus Eduardus, qui dum confervandæ virginitatis gratia a nuptiis abftinendo, mortem fubiit, non alio titulo excufari poteft, quam quia magnam virtutem innato vitæ amori præpofuit.

Ea his fequitur, quod fi duo fint in extrema neceffitate, poteft alter ea virtutis motivo cedere panem, quem unicum, & uni tantum fufficientem habet (*ex Silvia*). Si in naufragio, poteft ei dimittere tabulam, eujus auailio falvari poffet. Non poffet tamen tabulam, qua jam uti ipfe cepiffet, cedere alteri, fi cedere non poffet nifi conjiciendo fe in mare, quia hæc fui in mare projectio ad fui ipfius occifionem pertinere videtur, nifi ob natandi peritiam abeffe judicetur periculum mortis.

Diai in Conclufione, teneri hominem fe plus, quam proaimum diligere in bonis temporalibus neceffariis; nam aliud eft, fi agatur de bonis, quæ non fint nobis, noftrifve neceffaria: fi enim ea contemnere poffumus, poffumus & in alios conferre rationabili de caufa, ac proinde alios nobis hoc in puncto præferre.

Ut probetur tertia Conclufionis pars, nempe quod fpiritualia proximi bona eidem neceffaria bonis noftris temporalibus etiam neceffariis præferre teneamur, not. I. triplicem effe proximi neceffitatem, extremam, gravem, & communem. *Extrema* ea eft, in qua falus vel eft abfolute impoffibilis proximo, nifi hic & nunc juvetur, ut fi infans ob peftem inter Infideles derelictus fine baptifmo deceffurus fit, vel difficultatis tantæ, ut moraliter loquendo cenferi poffit impoffibilis vitatu. *Gravis* eft ea, in qua poteft quidem aliquis fine alterius auxilio falvari, fed valde difficile, ut fi homo pefte infectus, & inveteratam habens peccandi confuetudinem, non habeat Confeffarium; is enim, etfi per veram contritionem peccati veniam obtinere poteft, rationabiliter judicatur fine contritione moriturus, fi nemo eum pœnitentiæ viam hactenus pene ignotam docere feftinet. *Communis* ea eft, in qua poteft quis abfque magna difficultate falvari fine alterius auxilio: talis eft neceffitas eorum, qui expofiti funt communi peccandi periculo, leviori in aliis, in aliis graviori.

Not. II. non omnes habere eofdem refpectus ad proximum: alii enim ea officio eidem invigilare debent, alii ad ejus curam non nifi generali charitatis lege tenentur. His pofitis,

Dico I. unumquemque teneri ad fubveniendum cum periculo vitæ propriæ proximo fuo fpiritualem eatremam neceffitatem patienti, fi fpes fit, quod juvari poffit. Ita communiter.

Prob. I. quia ex Chrifto Joan. 13. & 15. tenemur proaimum diligere, ficut diligimus nos, & *ficut dilexit nos Chriftus*: atqui fic nos diligere debemus, ut æternam vitam vitæ corporali præferamus, fic etiam nos dileait Chriftus, ut vitam fuam pro falute noftra tradiderit (*I. Joan. 3.*); ergo & *nos debemus pro fratribus animas ponere*: quæ Chrifti lex faltem in eatrema fratrum neceffitate fpirituali obligat.

Prob. II. ea S. Auguftino lib. de mendacio c. 6. ubi fic: *Temporalem plane vitam fuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriftianus amittere*. Hic tamen obfervandum cum Sylvio (*Hic pag. 162.*) *eos, qui ex pura malitia exponunt fe damnationis periculo, non neceffario tractandos, tanquam qui fint in extrema neceffitate, cujufmodi funt qui bellum injuftum fponte ingrediuntur, duellum fufcipiunt, & fimiles, qui propria voluntate facile poffunt fe eripere, fi velint*.

Ex his colliges I. infanti, qui Chriftianorum filius fit, (nam de filio Infidelis dubitant Doctores) & qui alioqui fine baptifmate ftatim fit moriturus, fubveniendum effe etiam cum propriæ vitæ periculo. Haud tamen licitum eft, ut alteri fubvenias, quidpiam facere, quo tibimetipfi mortem directe inferre videaris: quapropter ut puerum baptizes, non potes te in aquam dare præcipitem, fi nulla affulgeat fpes evadendi: effet enim hæc directa tui occifio, quæ lege Dei prohibita eft.

Colliges II. defendendam effe cum vitæ tuæ periculo vitam adulti, qui ebrius, dormiens, vel non cogitans occidendus fit in ftatu peccati mortalis, in quo eum effe certo moraliter cognovifti.

Colliges III. matrem gravidam in defperatione partus naturalis teneri ad patiendum fectionem cæfaream, ut baptizetur proles, quam utero geftat, & quæ alias fine baptifmo moritura fit: modo tamen & mulier ita robufta fit, & Chirurgus ita follers, ut fpes adfit probabilis operationem illam nec matri, nec infanti fatalem fore; etfi numquam fieri poffit, ut ea careat periculo.

Colliges IV. obftetricem fagam, quæ infantes abfque folita baptifmi forma baptizavit, abfolutionis incapacem effe, nifi crimen fuum reparare velit, etiam prodendo fe Magiftratui, a quo confequenter extremum luat fupplicium, fi omnibus mature perpenfis nulla alia tanti fceleris reparandi via poffit excogitari. Ratio eft, quia licet in hoc cafu nihil debeat intentatum relinqui, ut obftetricis vitæ confulatur, poftulant tamen juftitia, & charitas, ut multo magis provideatur æternæ infantium faluti, qui per fummam injuriam in tantum difcrimen conjecti funt. Eadem de caufa prægnans eatra matrimonium non poteft inftante morte abfolvi, nifi cum jactura famæ det

Con-

Confessario licentiam crimen ab ea commissum revelandi, ut infantis saluti consulatur.

Colliges V. teneri te cum eodem periculo ad ferendam opem peccatori etiam rationis compoti, quem extremo morbo laborantem prudenter judicas sine sufficienti contritione ea instructionis defectu moriturum. Imo, ajunt multi, si vir instructus, sed nequam, sit in proximo periculo moriendi absque confessione, sine qua non nisi difficillime salvari potest, quamvis absolute possit perfectæ contritionis actum elicere, ei tamen succurrendum est, quia ubi proximi salus tantopere periclitatur, necessitas censeri debet extrema.

Haud tamen tenemur proximo in extrema necessitate posito opitulari: I. cum valde probabile est inutilem ei fore operam nostram, puta si infantulus nondum baptizatus ante certo moraliter debeat in flammis suffocari, quam ad eum perveniri possit: unde, ut alteri cum vitæ periculo subvenire tenearis, oportet, ut prudenter judices te illi profuturum; quia nemo tenetur ad opus prorsus inutile, aut quod prudenter tale præsumitur cum proprio gravi damno. Si valde probabile sit operam tuam alicui necessariam non esse, puta quia est vir doctus, prudens, pius, solitus sæpe peccata confiteri, non teneberis ei cum certo vitæ periculo subvenire, nisi sis proprius Pastor; quia homo ille, etiamsi supponeretur a gratia excidisse, non est in extrema, sed ad summum in gravi necessitate, cum assuetus sit actibus contritionis, &c.

II. neque etiam proximo succurrere tenemur, cum alius est, qui possit, & velit succurrere. Unde non tenetur privatus quisque ad Indos proficisci, quia non desunt qui id velint, & faciant; aliunde vero quoti sunt, Turcæ v. g. & Sinenses, apud quos spes est certa promtæ mortis, nulla vero, aut pene nulla prosperi successus.

III. idem dicendum de iis, quorum vita, vel etiam bona communi Ecclesiæ, aut Reipublicæ bono necessaria sunt: quod locum habere potest in Regibus, & in iis, quorum vita præservandæ ab Hæreticis multitudini necessaria est; debent enim ii publicum bonum particulari bono anteponere. Certe Principis unius internecio innumera mala non temporanea solum, sed & spiritualia invehere solet: quapropter quod diximus in conclusione, intelligendum est, per se loquendo, comparando salutem proximi cum vita nostra, non autem salutem unius cum salute multorum.

Dico II. in casu gravis, non autem extremæ necessitatis, nemo cum periculo vitæ aliis succurrere tenetur, nisi vel ad id obligetur ratione officii, vel necessitas sit publica.

Prob. 1. pars, quia non exigit charitas, ut morti me exponam ad liberandum eum, qui absolute liberare se potest, & cujus specialem curam non suscepi.

Tenemur tamen ex charitate proximo in gravi necessitate spirituali constituto subvenire non solum cum levi, sed etiam cum gravi aliquo damno temporali proprio. Exigit enim ordo charitatis, ut magis diligamus proximum in spiritualibus, quam nosmetipsos in temporalibus: atqui ad hoc necesse est, ut spiritualem, eamque gravem proximi necessitatem removeamus cum gravi damno temporali proprio, ita ut comparetur gravitas necessitatis tollendæ cum gravitate damni subeundi.

Prob. 2. pars: I. quia Pastores, qui ex officio tenentur ad avertenda gregis sui mala, arctius ad id tenentur, quam cæteri: atqui cæteri tenentur cum vitæ suæ periculo subvenire proximis extremam necessitatem patientibus; ergo alii, quibus ea officio cura hæc incumbit, ad id tenentur in gravi proximi necessitate. II. quia Pastores ex officio tenentur subditos suos pascere tum Sacramentis, tum verbo Dei, & hoc præsertim, cum id ad eorum salutem est vel absolute, vel graviter necessarium.

Hinc colliges Parochum in prædicto casu non posse officio suo renuntiare; alias nullus Pastor ad ferendam ovibus suis opem teneretur; sed unusquisque cessionis beneficio quamprimum uti posset. Videtur tamen Parochum ea duntaxat cum vitæ periculo Sacramenta administrare teneri, quæ absolute necessaria sunt ad salutem, ut baptismus, & pœnitentia; addi posset & extrema unctio, si pœnitentia moribundo administrari non posset.

Prob. 3. pars: I. quia gravis necessitas communitatis semper conjuncta est cum extrema quorumdam privatorum necessitate, cum admodum probabile sit futurum, ut multi in hac necessitate pereant. II. quia periculum vitæ privati alicujus minus est malum, quam gravis multitudinis totius necessitas, quæ profecto non minoris æstimanda est, quam extrema necessitas alicujus privati. Hinc si Hæreticus falsa doctrina plebem inficiat, teneris etiam cum periculo vitæ obsistere, si possis, & nemo præter te adsit idoneus (*ex Sylvio pag.* 122.); aut si adsint quidem alii idonei, sed qui neque se opponant, neque videantur se opposituri. Item si in persecutione, vel hostium incursione plebs gravibus peccandi periculis exposita foret, teneretur Sacerdos ei opem ferre, si deesset, aut etiam ex nimio mortis metu recessisset proprius Pastor.

Dico III. *Proximo in communi spirituali necessitate constituto nemo succurrere tenetur cum periculo vitæ, imo nec cum gravi bonorum temporalium detrimento; tenetur tamen, si potest, sine suo damno, vel cum exiguo* (*Idem ibid.*).

Prob. 1. pars, quia communis necessitas non est simpliciter, & absolute necessitas, cum qui eam patitur, pluribus modis ab ea expedire se possit.

Prob. 2. pars, quia *mandavit Deus unicuique de proximo suo* Eccli. 17.; ergo proximo consulere tenemur, cum facile possumus: possumus autem facile, cum vel sine ullo, vel sine gravi damno possumus.

Jam videndum, an sicut homo se rebus extraneis præferre, sic & ex rebus extraneis alias aliis præferre teneatur. Sit

CONCLUSIO III. *Oportet magis unum proximorum, quam alium diligere*. Ita S. Thomas q. 26. a. 6.

Prob. quia si proximus omnis æqualiter diligi deberet, æqualia forent peccata omnia contra dilectionem proximi: falsum consequens; gravius enim peccat, qui patrem, quam qui alium, non amat. *Unde Levit.* 20. *præcipitur, ut qui maledixerit patri, aut ma-*

tri

*tri morte moriatur : quod non præcipitur de his , qui alios homines maledicunt* ( *Idem ibid.*)

CONCLUSIO IV. In eodem bonorum, & necessitatum genere, qui nobis conjuncti sunt, seu sanguine, seu amicitia, officio , Religione , aut convictu, extraneis præferri debent.

Prob. quia charitas non destruit, sed perficit naturam : atqui natura constanter ad hoc inclinat , ut plus eos diligamus, qui arctius nobis conjuncti sunt, quam extraneos. Unde Apostolus ( 1. *Tim.* 5.) *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Dixi, *in eodem genere* &c. : si enim in eodem bonorum genere extraneus gravem, conjunctus vero communem tantum necessitatem patiatur, extraneo potius, quam ei, qui tibi conjunctus est, succurrendum erit. Rursus si ambo gravi necessitate laborent, sed extraneus spirituali, consanguineus vero corporea, erit is dimittendus, ut alteri provideatur. Ratio est, quia hæc agendi ratio charitati congruit, opposita vero eidem repugnat.

CONCLUSIO V. E conjunctis ii, per se loquendo, in eodem bonorum, & necessitatum genere aliis præferri debent, qui nobis propinquiores sunt, & ex æque propinquis, qui sunt digniores.

Prob. 1. pars, quia si conjunctio naturæ, aut alia similis efficiat, ut consanguineos extraneis præferre debeas; major conjunctio efficere debet, ut propinquiores præferas minus propinquis.

Prob. 2. pars, quia magis diligibiles præ cæteris diligi debent; porro ex æque propinquis digniores majori dilectione digni sunt.

Per accidens tamen fieri potest, ut plus charitatis, & subsidii dignioribus, quam propinquioribus debeatur : puta si digniores sint personæ publicæ; vel nobis causæ fuerint vitæ spiritualis, a qua nos avertere conati sint consanguinei; vel demum conjunctio secundum spiritum sit maxima, quæ vero secundum carnem est, valde remota, ut in quarto, aut quinto gradu.

E contrario potest aliquando indignior præferri digniori. Sic si duobus, qui mox a sicario interficiendi sunt, vitam servare non possim, præferendus aliquando erit peccator, qui v. g. in somno occidendus est, homini justo: quia, nisi quid aliunde obstet, melius est hunc perire secundum corpus, quam alium secundum animam, cui ex hypothesi provideri non potest.

CONCLUSIO VI. Qui nobis secundum sanguinem propinquiores sunt, debent præferri aliis in iis, quæ ad naturam pertinent.

Prob. quia conjunctio sanguinis unitate fundata omnium est prima, & maxime immobilis. Aliæ enim, quæ fundantur in gratia, in ejusdem loci incolatu, imo in professione ejusdem Religionis accidentales sunt, & aliquando cessant, ut cum homo excidit a gratia, alium in locum transit, aliam Religionem amplectitur; ergo.

Dixi, *in iis, quæ pertinent ad naturam* : in iis enim quæ ad alias conjunctiones pertinent, pater postponi potest. Sic *in bello magis obeditur duci, quam patri*; ( *S. Thom.* ) in Religione magis Superiori, &c.

Sed nonne saltem parentes spirituales carnalibus sunt in eadem necessitate præferendi? non sunt; quia, ut docet S. Thomas in 3. dist. 29. a. 7. *charitas ordinem naturæ non mutat, sed perficit*: atqui ordine naturæ parentes præferuntur aliis; ergo etiam ordine charitatis, ac proinde non solum in naturalibus, sed & in spiritualibus, quia ad hæc duo extendit se charitas.

Ut hæc melius percipiantur, is inter consanguineos statuendus est ordo: I. aliis omnibus præferendi sunt parentes, etiam filiis; tum quia unusquisque plura a patre recepit beneficia, quam a filio; tum quia pater eminentiorem boni rationem habet erga filium, quam filius erga patrem: pater enim est principium, filius est solum effectus; porro plus debet effectus causæ, quam effectui causa.

II. pater per se loquendo præferendus est matri, ut qui nobilius sit prolis principium.

III. uterque parens uxori præferendus est appretiative; quia patri magis, quam uxori succurrendum est in extrema necessitate; licet enim vir, & uxor fiant una caro, filius tamen spectatur ut totum cum patre, eique plus debet.

IV. uxor a marito præferenda est filiis, sicut & a parentibus filii fratribus præferendi sunt. Uxor enim, utpote quodam sensu una caro cum marito eidem est conjunctior, quam filiis; filii vero, utpote pars a parte decisa, plus cum eo necessitudinis habent, quam fratres. Censet tamen Sylvius ordinem mox expositum non obligare sub mortali, quia, inquit, excessus unius supra alterum non est notabilis.

V. fratres cognatis, & ex iis viciniores remotioribus anteponi debent. Unde in naufragio filius patrem matri, matrem uxori, uxorem filiis, filios fratribus, fratres consanguineis, consanguineos pro suo quemque ordine præferre debet.

Hic tria notanda: I. exigere possunt circumstantiæ, ut is alteri præferatur, qui naturaliter deberet postponi. Sic mater bona, & quæ prolis curam dignam gerit, plus diligenda est, quam pater helluo, & malus: neque etiam saltem graviter delinqueret maritus, qui uxori clamosæ, & inutili filium sibi in temporalibus pene necessarium præferret. II. eadem doctrina non habet locum, nisi in casu extremæ necessitatis; extra enim enim debet uxor maritum præferre patri, & pater filios propriis genitoribus: *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* ( *I. Cor.* 12.) III. cum necessitas spiritualis sit corporali gravior, si pater gravi corporea, alii vero etiam extranei gravi spirituali laborent, erunt hi parentibus anteponendi; quia proximum in hoc casu etiam cum gravi fortunæ nostræ dispendio adjuvare tenemur, ut supra dixi.

## SECTIO QUARTA.

### *De Actibus Charitatis, & primo de Eleemosyna.*

ACtus charitatis alii sunt interni, amor scilicet, gaudium, pax animi, & misericordia. ( *S. Thom. q.* 27. *a.* 1.) Alii vero externi, beneficentia nempe, fraterna correctio, & eleemosyna. His duobus immo-

morabimur, quia plus habent difficultatis.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *An, & quando obliget præceptum Eleemosynæ.* ( *S. Thom. q.* 32. )

ELeemosyna vel latius sumitur pro omni misericordiæ etiam spiritualis actu, vel strictius pro eo actu, quo aliquid ex misericordia datur indigenti ad sublevandam ejus necessitatem. De ea sic accepta sit

CONCLUSIO I. Datur præceptum eleemosynæ.

Prob. I. ex Scriptura. Proverb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit; & non exaudietur*. Eccli. 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere.* Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedisti mihi manducare*. Jacobi 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam*; quod satis superque probat exemplum divitis Epulonis, qui æternis ignibus cruciatur, eo quod Lazari pauperis misertus non fuerit: atqui hæc omnia testimonia præceptum indicant, & quidem sub mortali; cum constet neminem damnari propter omissionem actus, qui vel nullatenus, vel graviter præceptus non fuerit.

Idem adstruunt Patres: notum est id S. Ambrosii: *Pasce fame morientem, si non pavisti, occidisti*.

Prob. II. Illud graviter obligat, sine quo non potest conservari charitas toties, & tam serio præcepta: atqui sine eleemosyna non potest servari charitas, ut docet S. Joannes his verbis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?*

Jam expendendum, quando urgeat lex eleemosynæ, circa quod

Not. I. ut quis ad eleemosynam teneatur, requiri, ut proximi miseriam sublevare possit, & ut eandem cognoscat saltem modo generali, quomodo cognoscitur eos, qui in carceribus includuntur, multis indigere. Quin & Pastores, aliique, qui ex officio multitudini providere debent, tenentur inquirere, nonne aliqui e subditis suis indigeant. Si vero non geramus aliorum curam, *non oportet nos quærere quibus* stipem *impendamus, sed sufficit, quod impendamus eis, qui nobis occurrunt* (*S. Thom.*): modo tamen ii, qui curam pauperum ex officio habent, ea, ut par est, fungantur; alias enim vera est hæc regula Nat. Alexandri: *Non obviis tantum pauperibus eroganda est eleemosyna, sed pauperes quærendi, & illis maxime subveniendum, qui præ verecundia petere non audent*.

Not. II. bona, quibus pauper sublevari potest, duplicis esse generis, alia *necessaria*, alia *superflua*. Porro tam necessarium, quam superfluum aliud est respectu *naturæ*, aliud respectu *status*.

Necessarium naturæ dicitur illud, sine quo non potest aliquis sustentare vitam suam, & suorum, id est eorum, quos alere tenetur, cujusmodi sunt parentes, uxor, filii, & domestici, qui absolute dimitti non possent: qui enim absolute dimitti possunt, magis pertinent ad decentiam status, quam ad conservationem naturæ. Hinc superfluum naturæ est id, sine quo potest quis se, & suos sustentare.

Necessarium status est illud, sine quo non potest quis decenter vivere secundum conditionem suam. Superfluum status est, sine quo quis vivere potest secundum decentiam status sui.

Sed quid statui superfluum censeri debeat, hoc opus, hic labor, hæc fœcunda laxiorum opinionum origo, adeo ut stupenda hæc verba alicubi legantur: *Vix in secularibus invenias, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix tenetur aliquis ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui*. Quæ propositio anno 1700. proscripta est a Cleto hujus Regni, *ut temeraria, scandalosa, perniciosa, erronea, & Evangelicum de eleemosyna præceptum pessumdans*.

Ut media via procedamus, supponendum est: I. necessarium seu vitæ suæ præcipue status non consistere in indivisibili, sed moraliter accipiendum esse, & ideo viri prudentis arbitrio sæpius dimittendum, ut perpendat, an hoc, vel illud sit vitæ, vel statui necessarium, aut superfluum ( *ex Silvio* ). Hinc sicut non statim habendum est pro superfluo id, quod assumit aliquis in usus honestos, a quibus alii ejusdem conditionis homines abstinent, ut cum vir nobilis nobiles, alios paululum excedit in ornatu sui, vel suorum, in hospitibus excipiendis &c., sic nec existimandum est omnem vestium, ciborum, aut famulorum abundantiam, omnemve copiam munerum, quæ larga manu conferuntur iis, qui non indigent, computari posse inter necessaria status. Res ergo tota coram Deo cordium scrutatore ponderanda est, & ibi quidem *si* detegas, quod *nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi aut in victu, aut vestitu rationabili, aut mediocri sufficiat; sola tibi potest bona voluntas sufficere. Sed rogo te, diligenter conscientiam tuam interroga, ne forte aliquoties per ebrietatem*, per ludum, & similia *perdas quod per eleemosynam dare potueras*. ( *Serm.* 306. *apud S. Aug.*)

Supponendum II. in æstimatione necessarii non solum habendam rationem temporis præsentis, sed & futuri. Unde prudentis arbitrio necessarium judicari potest id, quod licet nunc necessarium non sit, probabiliter tamen *intra aliquot menses, aut annos* futurum est necessarium; ut pro nuptiis, & dote filiorum, aut filiarum, pro infirmitatibus, pro senectute; ( *Syl. ibid.* ) imo & *pro augendo decenter patrimonio, vel etiam statu*. Unde, ait Sylvius, si quis probabiliter speret statum altiorem, non debent superflua judicari, quæ nunc reservat ad statum illum acquirendum.

Sed quia principia hæc, licet in se sana, perpetuam duritiei divitum in pauperes occasionem præbent, magna hic intentionis sinceritate opus est, quam rarissimam esse constat.

1. itaque cavendum ne, ut sæpe fit, omittatur eleemosyna sub prætextu necessitatis non tam futuræ, quam imaginariæ. *Non oportet*, ait solide S. Thomas, ( *Hic q.* 32. *a* 5. ) *quod* homo *consideret omnes casus, qui possunt accidere in futurum: hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet, sed debet dijudicari superfluum secundum ea, quæ probabiliter, ut in pluribus, occurrunt*, attenta conditione negotiorum,

quæ

quæ alicui incumbunt, valetudinis, ætatis, &c.

II. quod dicit Sylvius de spe altioris status, nisi sane intelligatur, multos in præcipitium trahit. Ut ergo spes status altioris eleemosynam reddat legitime parciorem, necesse est I. ut sit *probabilis*, & bene fundata, non autem mere, aut quasi mere possibilis. II. ut ambitionis peccatum excludat; ad quod necesse est, ut innitatur meritis propriis, & capacitati de Republica, vel Ecclesia bene merendi, non autem soli pecuniæ, & desiderio exeundi a statu, *in* quo plerumque vult Deus nos esse, & extra quem salvare nos non consuevit. Unde Apostolus ajebat I. Timot. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere*, nec proinde statum suo majorem ambire.

Nemone igitur e nativo suo statu assurget? Absit; homines enim opulenti, & potentes sunt quasi Reipublicæ nervi, & ossa: sed ii ad majora assurgent; quos ad majora natos declarabit Deus ipsa ingenii, omniumque animi qualitatum conditione: alii vero, quorum labori aspiraverit Deus, vel commodiorem in eodem statu vitam agent, vel ad statum statui suo priori vicinum pedetentim gradum facient; quod utique iis præsertim contingit, qui clamori pauperum aures suas non obturaverint: hæc enim est benedictio misericordibus multoties promissa in Scripturis, & sæpius concessa.

Sed nonne possunt parentes filiis divitias relinquere? Possunt, sed moderatas, & in quarum collectione nunquam omittatur pauperum cura. Possunt, sed attendendo filios, qui absque labore ullo omnibus abundant, desides manere, Reipublicæ inutiles, vitiis omnibus deditos; unde eos omnia sua paucos intra annos cum extraneis devorare contingit, secundum id Eccle. 6. *est & aliud malum sub sole, & quidem frequens apud homines: vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem..... nec* tamen *tribuit ei Deus potestatem, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.*

Supponendum III. tot esse divites, qui contra præceptum eleemosynæ peccent ob præsentem boni sui abusum, quot qui ob male providam ejusdem boni in futurum reservationem. Neque enim ii soli violatæ charitatis rei sunt, qui congerunt pecunias in superba ædificia, fastuosos currus, hortos regales; sed & ii qui mensam, supellectilia, statuas, gemmas, & similia ex divitiarum copia metiuntur; quique, cum sint homines novi, viros nobiliores æquant, aut vincunt fastu, crescentibus divitiis delicias, luxum, famulos ingeminant, eleemosynam vero vel minuunt, vel non adaugent; qui accepta pingui hæreditate non sunt in pauperem largiores, sed profusiores in commoda sua; qui orbati filio, quem secundum decentiam status sui cum aliis sustentabant, defuncti partem jam superfluam non dividunt cum pauperibus, sed quasi filiis superstitibus necessariam servant.

Hæc doctrina, si ob corruptos sæculi mores paulo asperior videbitur, non est mea, sed Patrum. *Si plus habes*, ait Hieronymus Epist. 150., *quam tibi ad victum & vestitum* conditioni tuæ convenientem *necessarium est, illud eroga.* S. August. in Psal. 83. divites, qui hinc se excusatos volunt, quod filiis suis superflua servent, carpit in hunc modum: *Ista est excusatio iniquitatis.... filios habes? unum plus numera; da aliquid & Christo.*

Supponendum IV. triplicem distingui pauperis necessitatem extremam, gravem, & communem. Necessitas *extrema* ea est, quam patiuntur ii, quos defectus cibi, potus, vestitus, aut alterius rei exponit evidenti mortis periculo sive statim, sive in posterum, & consequenter ad actualem inediam subeundæ. Necessitas *gravis* ea est, quæ inducit periculum damni alicujus minoris quidem morte, sed tamen notabilis, morbi v. g. gravis; item cum decentia status vel absolute servari nequit, vel non nisi cum maxima difficultate. Necessitas *communis* est quidem vera indigentia, & aliquo sensu gravis momenti, sed infra gravem sensu mox exposito acceptam. Talis est regulariter necessitas eorum, qui de aliorum charitate communiter vivunt. Etsi enim ii valde indigent, tantumque videntur poscere necessaria ad vitam tenuiter sustentandam, quia tamen ab omnibus petunt, & a multis accipiunt, non sunt in gravi necessitate, sed in communi. His positis, sit

CONCLUSIO II. Proximo in extrema necessitate posito tenemur eleemosynam erogare ex iis, quæ vitæ superflua sunt, licet sint necessaria ad decentiam status. Eidem in necessitate gravi constituto succurrere tenemur ex iis etiam, quæ ad aliqualem status decentiam necessaria sunt. Eidem demum communem necessitatem patienti succurrere debemus ex iis, quæ statui superflua sunt. Et hæc triplex obligatio urget sub mortali.

Prob. 1. pars: I. quia bonum ad solam status nostri decentiam necessarium, est longe inferius bono proximi in extrema necessitate constituti, cum proximus tunc solum in extrema necessitate constitutus dicatur, quando vitæ, vel sensus, vel ut alii volunt, famæ totius, aut omnium bonorum discrimini obnoxius est. II. qui extremam patitur necessitatem licite diviti surripere potest ea, quæ naturæ superflua sunt; neque in hoc dives rationabiliter potest esse invitus: atqui si dives posset sine peccato pauperi extremam necessitatem patienti denegare id, quod propriæ vitæ superfluum est, jam esset rationabilitar invitus, cum illud sibi subripitur; alioqui daretur bellum ex utraque parte justum; ergo pro certo statuendum est teneri unumquemque sub mortali proximo in extrema necessitate posito subvenire, etiam cum gravi bonorum suorum dispendio, atque ideo detrahere de status sui splendore, famulorum numero, vestium, & domorum ornatu.

Dixi, *ex iis, quæ vitæ superflua sunt*; quia postulat ordo charitatis, ut unusquisque vitam suam vitæ alterius præferat, exceptis casibus, de quibus supra.

Prob. 2. pars: I. ex hac Christi sententia, *Ite maledicti in ignem æternum: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare.* Unde sic: Multi ob violatum eleemosynæ præceptum damnabuntur, cum significet Christus plerosque divites ob id præcipue damnatum iri: atqui pauci damnarentur, si præceptum eleemosynæ in extrema solum necessitate obligaret, cum hæc sit admodum rara, ergo. Et vero necessitas, cui non

occur-

occurrerunt divites a Deo maledicendi, consistit in esurie, siti, nuditate, creditoris molestia: porro hæc frequentem indicant necessitatem, quæ proinde extrema non est.

II. idem docent SS. Patres, quorum instar sit Ambrosius Lib. 1. de Offic. c. 7. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat, si scias eum.... fame laborare, ærumnam perpeti, præsertim si mendicare erubescat, & non adjuves.* Ubi S. Doctor loquitur de necessitate ad summum gravi, & tamen grandis culpæ accusat divites, qui eidem non succurrunt.

III. idipsum probat ratio. Qui enim amicum deserit non solum in extremâ, sed etiam in gravi necessitate, censetur amicitiæ renunciare; ergo qui gravi pauperis necessitati opem negat, peccat contra charitatem tum proximi, tum Dei, cui denegatur, quod pauperi denegatur, secundum id Matth. 25. *Quandiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.*

Quod autem pauperi in gravi necessitate posito subveniendum sit, etiam cum aliqua proprii status imminutione, sic ostendi potest. Tenetur quilibet proximum suum amare sicut seipsum, *non verbo, & lingua; sed opere, & veritate*: sed qui non vult incommodi aliquid pati, ut proximum suum a gravi malo liberet, eum non diligit sicut seipsum. Non enim facit ei id, quod rationabiliter sibi fieri vellet in eodem casu. Quisque enim rationabiliter vellet a malo valde gravi liberari cum aliquo alterius incommodo longe minori, qualis est diminutio aliqua decentiæ status, ut si quis de splendore convenienti, de ornatu vestium, de lautitia mensæ etiam aliquid notabile detrahat.

Dico, *aliquid etiam notabile*: quia ut gravitas necessitatis suam habet latitudinem, sic & imminutio decentiæ status aliquando major, aliquando minor esse debet; ita ut tanto minus sibi ex hac parte concedant divites, quanto plus ex alia parte exigunt pauperes. Sunt tamen quædam adeo requisita ad decentiam status, ut nemo iis carere teneatur, nisi cum extremæ necessitati succurrendum est; qua in re ad viri prudentis judicium recurri debet.

Prob. 3. pars: nimirum quod pauperi communem necessitatem patienti succurrendum sit ex iis, quæ naturæ, & statui superflua sunt, idque sub pœna damnationis æternæ. Probatur, inquam, I. ex Scripturis. Deuter. 15. *Præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi*; ergo pauperi omni, quisquis fuerit, eique promde, qui gravem necessitatem non patitur. I. Timot. 6. *Divitibus hujus seculi præcipe... facile tribuere*: sed qui extremam, gravemve proximi necessitatem expectaret, non tribueret facile, sed solum in magnis rerum angustiis. Matth. 25. *Ite maledicti*, quæ verba, ut jam ponderavi, æternam damnationem comminantur ei omni, qui in communi, & obvia necessitate non adjuverit.

Prob. II. ex SS. Patribus. S. Basilius homil. de avaritia: *Vidi*, inquit, *multos jejunantes, orantes, prætentorum pœnitentia suspirantes, egentibus vero ne obolum quidem prælucentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodest? non propterea regnum Dei consequentur.* Augustinus in Psalm. 147. *Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.*

Prob. III. quia non diligit proximum sicut seipsum, qui ne sua quidem superflue vult partiri cum proximo, sic enim magis diligit superflua, quam ipsum proximum.

Obj. contra 2. partem, ex ea duo absurda sequi: I. scilicet virum nobilem, ut servet vitam rustici, quem alioqui prædones occisuri sunt, teneri opulentum patrimonium distrahere. II. divitem teneri ad dandum gratis egenti, satis vero non esse, ut eidem det mutuo.

R. ad 1. neg. sequelam. Nemo enim tenetur in pauperem esse liberalior, quam in semetipsum: porro si quis ab hostibus captus esset, non teneretur se quantacunque summa redimere cum totali status sui, suæque familiæ subversione, nisi talis esset persona, ex qua penderet salus Reipublicæ; ergo multo minus tenetur alium tanto cum incommodo redimere.

R. ad 2. divites aliquando teneri ad dandum gratis, aliquando satis esse, ut dent mutuo. Sufficit mutuum vel commodatum: I. si is, qui hoc in loco indiget, alibi habeat, aut paulo post sit habiturus, unde satisfacere possit. Hinc si agricolæ nec habeant frumentum, quod serant, nec pecuniam, unde emant, satis vulgo erit eis vel commodare, vel credito vendere. II. si res, qua quis indiget, non sit usu consumtibilis, neque sit ei quoad substantiam, sed tantum quoad usum necessaria, ut si cui opus fuerit equo, quo periculum fuga devitet. III. si non desperetur eum, qui indiget, aliquando ad meliorem fortunam esse reversurum, sive ope pinguis hereditatis, quam consequi potest, si plures moriantur: sive ope laboris non insoliti; tunc enim extrema ejus necessitas satis sublevatur per mutuum. Si vero indigens vel absolute, vel non nisi labore insolito, & nimio emergere possit a necessitate, tunc ei gratis succurrendum erit ab iis, qui poterunt, quales sunt advocati patrocinando, medici invisendo, &c. quia mutuum esse non potest, ubi rationabiliter exigi, vel prævideri non potest accepti redditio: Et certe ex constanti Ecclesiæ doctrina eleemosyna cadit sub præceptum: atqui sola gratuita donatio est proprie eleemosyna: mutuum enim dare, commodare, vel credito vendere, non est proprie dare eleemosynam; cum is, qui tunc recipit, maneat ex justitia obligatus, non is, qui recipit eleemosynam.

Objiciuntur multa contra tertiam partem: I. quod alioqui innumeri divites damnarentur; uno & continuo peccarent superfluum retinendo. II. quod nemo ad altiorem statum posset ascendere: quod virorum etiam piorum agendi rationi repugnat. III. quod nemo ex superfluis Ecclesias ædificare, dotare, aut ornare, aliosque in usus pios pecuniam suam impendere posset. IV. quod sufficiat curare, ut pars boni vitæ tempore collecti detur pauperibus post mortem. Verum hæc facile solvuntur.

Ad 1. itaque nego absurde dici, quod divites multi damnentur, cum hoc primus omnium dixerit Christus Matth. 19. his verbis: *Facilius est camelum*



*per*

*per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Quibus consonat id I. ad Timot. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Ponderent id divitum Confessarii, qui aliquando satis habuere roboris, ut nudi nudam crucem sequerentur; sed satis non habent, ut absolutionem denegent divitibus, qui notabiles prodigunt summas in luxus vestium, conviviorum delicias, canum turbas, &c. dum interim nec communi, nec sæpius etiam gravi pauperum necessitati sibi notæ medentur.

Ad 2. neg. sequelam. Ratio est, quia communis pauperum necessitas per modicum quid juvari potest: porro modicum illud non arcet a superiori gradu. Sed hic quatuor attendenda: I. ut ascensus ille sit probabilis. II. ut non sit effectus cupiditatis. III. ut non impediat, quominus communis pauperum necessitas sublevetur. IV. ut in casu gravis pauperum indigentiæ renuncietur ascensui, ne renuntietur eleemosynæ.

Ad 3. utile est, & sanctum diligere decorem domus Dei; sed male eum diligeret, qui quidquid haberet boni in materialia templa profundendo, spiritualia, pauperes nimirum, negligeret: *Hæc ergo oportuit facere, & illa non omittere.* Unde qui pie in Ecclesiam affecti sont, saltem ex parte pauperibus in necessitate etiam modica positis subvenire debent; alioqui enim letaliter peccant, ait Azot.

Ad 4. neg. ant. præceptum enim, quod actu urget, actu impleri debet: atqui præceptum eleemosynæ e superfluo in communi necessitate pauperibus erogandæ actu urget.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Quanta, & quibus e bonis fieri debeat Eleemosyna.*

CIrca primum variæ fuerunt variorum opiniones. Hæc cæteris brevior, & tutior, quam filium suum docuit Tobias (4. 3.): *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*; ergo moraliter loquendo dandum est pauperibus, vel saltem iis ante omnia curatis, pios in usus impendendum est, quidquid superfluum remanet: ita tamen ut nunquam minus detur, quam superfluum, & aliquando plus detur; quia, ut dictum est, exigit interdum gravis pauperum necessitas, ut iis aliquid tribuatur de necessario status.

Circa secundum duplex occurrit difficultas: I. an eleemosyna fieri possit ex bonis alienis. II. an ex illicite acquisitis. Sit

CONCLUSIO I. Regulariter loquendo non licet dare eleemosynam ex alienis bonis.

Prob. quia unicuique præceptum est, ut proximum adjuvet ex substantia boni sui, juxta id Isaiæ 58. *Frange esurienti panem tuum.* Unde si multi sint divites, qui proximo subvenire nolint, tu ex propriis eum, quasi in solidum, juvare teneberis.

Dixi, *regulariter loquendo*: tum quia præsumtus proximi consensus aliquando sufficere potest, tum quia Magistratus agens auctoritate publica posset ex alienis largiri, si divitet sponte largiri nollent, tum quia si propria non haberes, posses aliena tollere, ut homini in extrema necessitate posito subvenires.

An autem excusandus esset vir honestus elanculum subripiens, ne mendicare cogeretur, non convenit inter Casuistat. Negat Navarrus, nec immerito: tum quia opinio contraria viam furti bene multis aperiret, tum quia, qui hanc servaret agendi rationem, patibulo se exponeret.

Quæres, an qui ex bonis per usuram partis stipem dedit homini cetetoqui morituro, possit id, quod dedit, pro soluto habere. R. affirm. modo donator alia tunc bona non haberet: quia non magis obligati potest ad restituendum, qui in hoc casu dedit alienum, quod habebat apud se, quam si hoc in alterius domo positum sustulisset.

CONCLUSIO II. Eleemosyna fieri nequit ex bonis injuste acquisitis, sed fieri potest ex iis, quæ licet illicite comparata, juste retinentur.

Prob. 1. pars: quia bona injuste acquisita reddi debent domino suo, si eidem sine gravi incommodo reddi possunt, ut communiter reddi possunt per manus Confessarii; ergo ex iis eleemosyna fieri non potest. Hinc usurarius bona per usuram parta pauperibus largiri non debet, sed ea iis reddere, a quibus ioique extorsit.

Aliud est I. si ignoretur dominus: tunc enim bona hæc, cum neque retineri possint, neque reddi vero eorum domino, qui ignoratur, pauperibus restituenda sunt. II. si obstet dispositio legis: sic pretium pro Beneficio acceptum, non ei, qui dedit, sed Ecclesiæ restituendum est.

Prob. 2. pars: quia fieri potest, ut proprietas boni illicite acquisiti vere tamen nostra sit. Sic pecunia homini data propter laborem die festo peractum vere est ipsius. Sic etiam lucrum a comœdis perceptum, ab iisdem illicite, simul & valide percipi videtur, saltem ob Reipublicæ concessionem.

## PUNCTUM TERTIUM.

*A quibus dari possit Eleemosyna.*

DIfficultas est de servis, de Religiosis, de filiis-familias, & de uxoribus. Sit

CONCLUSIO I. Servi nihil ex dominorum bonis donare possunt, nisi legitime consensum eorum, aut ratihabitionem præsumant.

Prob. quia alioqui donarent alienum, quod non licet.

Possunt tamen servi ex iis, quæ sua sunt, dare; imo & ad id tenentur, si ex bonis, vel ex pretio, quo conducti sunt, ultra necessarium habeant. Ii tamen, quorum totus fundus est labor, vel famulitatis stipendium, plus in futurum servare possunt, quam qui annuos habent reditus sibi semper certo adfuturos.

CONCLUSIO II. Superiores Religionum possunt, & debent eleemosynas facere.

Prob. quia licet bonorum Communitatis domini non sint, debent tamen ea prudenter, & ad Evangelii normam

eam dispensare: atqui id faciunt, cum sublatis Fratrum necessitatibus, eadem in eleemosynas erogant.

Inferiores vero non possunt stipem dare nisi in quibusdam casibus, ut I. si adsit *licentia Abbatis, vel expresse habita, vel probabiliter præsumta* (*S. Thom. hic art.* 8.); ea autem præsumitur, cum pauper magnam patitur necessitatem, nec ad Superiorem recurri potest. II. si occurrat pauper *in articulo extremæ necessitatis*: tunc enim *licitum esset* Religioso *furari*, ut eleemosynam daret. III. si ex consuetudine Religionis sufficienter a Superioribus approbata, pios in usus impendere possit ea, quæ sibi ab amicis, aut a consanguineis donantur. IV. si Beneficium aliquod Monasterio non incorporatum possideat: omnis enim titulus Beneficii canonice obtenti tribuit facultatem impendendi reditus in congruam sui sustentationem, & opera pia, cum Beneficii administrator sit etiam administrator fructuum. V. idem est de Regulari, qui extra Monasterium moraretur, sive studio, negotiive, aut peregrinationis causa. Ratio est I. quia ita habet consuetudo recepta. II. quia scandalum daret Religiosus longum cum secularibus iter agens, eorumve in mensæ somtibus imitator, si ne obolum quidem porrigeret pauperi.

CONCLUSIO III. Potest filius-familias ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus eleemosynam etiam invitis parentibus facere; non potest vero communiter ex bonis parentum.

Prob. quia filii plenum in bona prioris generis dominium habent, non autem in bona generis alterius, ut dicam inferius.

Dixi, *communiter*: quia potest filius *dare pauperi panem, & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile damnum, de quibus satis constare potest, quod parentibus placeat*. (*S. Thom.*) II. quia si filius absit studiorum causa, vel parentum negotia gerat, potest eas erogare eleemosynas, quas solent alii ejusdem conditionis filii, & generaliter eas omnes, quas bona fide credit placere parentibus. III. idem est, si filius parce vivendo aliquid de iis, quæ sibi ad victum concessa sunt, reservet: hujus enim proprietatis capax est, non item Religiosus.

CONCLUSIO IV. Uxor ex bonis viri dispositioni subjectis *eleemosynas dare non debet sine consensu viri vel expresso, vel præsumto, nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est*. (*Idem art.* 8.) *Sed si habeat alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur*. Conclusio paulo fusius explicanda est.

Itaque uxor eleemosynam erogare potest, & debet: I. cum possidet bona paraphernalia, sibi scilicet a parentibus, aut aliis suos in usus præter dotem concessa.

II. Cum sufficientem dotem dedit viro, & nihilominus arte, vel industria quædam lucratur, absque eo quod debitam familiæ administrationem deserat: de hoc enim lucro, sicut & de bonis paraphernalibus libere disponere potest, nisi resistant leges loci, quæ idcirco consulendæ erunt.

III. Quando licet uxor nihil præter dotem habeat, usu tamen, & consuetudine loci receptum est, ut modicas panis, vini, & minutæ pecuniæ eleemosynas donet. Tunc enim id facere potest, quod communiter faciunt ejusdem conditionis feminæ: & licet maritus id aliquando prohibeat, ipsa tamen, ait Sylvius, potest credere, vel quod maritus hic & nunc approbaret ejus eleemosynam, si præsentem pauperis necessitatem videret, vel quod non nisi excessum prohibere velit. *Solent enim mariti*, ait S. Raymundus lib. 2. Summæ tit. 8. c. 9. *facere prohibitionem uxoribus absolute, ut sic temperent eas non a toto, sed ab excessu, quem suspicantur*. Si tamen uxor certa sit eleemosynam suam marito displicere, nec suam ea de re conscientiam deponere possit, docet idem Sanctus eam teneri abstinere a dando, *& dolere quod non potest dare, nisi videret pauperem indigere ad mortem: tunc enim deberet dare intrepide; alias peccaret*. Idipsum docet Pontas. v. *Eleemosyna* cas. 12.

## PUNCTUM QUARTUM.

*Quibus facienda sit Eleemosyna.*

Etsi præstat eleemosynam dare ei, qui fortasse non indiget, quam negare vere indigenti: unde nec curiosius inquirendum est, an, qui petunt, paupertatem simulent; quia tamen eleemosynam prudentem esse oportet, & nonnulli sunt casus, in quibus ambigi potest, an sit prudens, puta si dandum sit homini nequam, vel ei, qui aliunde dives est, idcirco sit

CONCLUSIO I. Hominibus etiam facinorosis eroganda est eleemosyna.

Prob. I. ex Tob. 4. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Luc. 6. *Omni petenti te tribue*. Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*: atqui ii textus neminem ab eleemosyna excludunt; imo sub ejus lege includunt inimicos, qui qua tales coram Deo mortui sunt.

Obj. id Eccli. 12. *Da misericordi, & ne suscipias peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio*.

R. non hic agi de eleemosyna, sed de collatione beneficiorum, quæ ex amicitia, aut justitia distributiva tribuuntur: in his autem magno opus est delectu, ne iis conferantur, qui ea contra nostram, aut proximi utilitatem adhibeant. Addit Sapiens non esse dandum impio, imo prohibendum, ne panes illi dentur, hoc est arcendum eum esse a convictu, & communione familiari, ne inde prævaleat, & benefactoribus suis paulatim factus potentior eosdem opprimat.

Hic duo moventur dubia: I. an facienda sit eleemosyna inimicis Reipublicæ. II. an iis, quos si ex necessitate extrema, in qua positi sunt, eripuerimus, certum est nobis mortem illaturos esse.

R. ad 1. Reipublicæ hostes in ordine ad animæ salutem diligendos esse, non in ordine ad vitam corporis, quam, ut gladio, sic & inedia eis auferre licet. Imo peccaret, qui hostibus in bello justo ad angustias redactis victum præberet.

R. ad 2. eum, qui quempiam aggressurus est, deferi

feri posse in necessitate extrema, si constet mortem ab eo certo inferendam esse, adeo ut neque fugi, neque aliter declinari possit. Vide quæ dicam ad quintum Decalogi præceptum.

CONCLUSIO. II. Pauperibus, qui voluntarie tales sunt *voluntate* virtutis, erogari debet eleemosyna; secus si tales *voluntate otii*.

Prob. 1. pars: quia iis facienda est eleemosyna, qui legitimum sunt misericordiæ objectum: porro tales sunt ii, qui propter Christum sive intra, sive extra Religionem pauperes se fecerunt. Ii enim Evangelicum sequuntur consilium, & eo solum fine omnia abjiciunt, ut liberius orationi, & piis operibus vacent.

Prob. 2. pars: I. quia hujusmodi segnes non sunt vere egeni, ac proinde non licet iis ex eleemosyna vivere: cum ex proprio labore vivere possint. II. quia eleemosyna fovet eorum ignaviam, quæ vitiorum omnium mater est; ergo eos insequi debent Magistratus Christiani, ut vel laborent, si id ferat ipsorum conditio, vel exeant ex urbibus; ergo vel nulla, vel modica, nec ita facile eleemosyna iis erogari debet.

Quæres I. quid dicendum de Magistratibus, qui solos pauperes indigenas mendicare permittunt, extraneos vero abigunt ex urbibus suis. R. Magistratibus potiorem quidem de pauperibus indigenis curam habendam esse, ab ea tamen non omnino excludendos esse peregrinos & advenas: I. quia sic violatur præceptum hospitalitatis in Scriptura pluries iteratum. II. quia charitas ad omnem proximum se extendit. III. quia multi sunt pauperes, qui e natali solo secedere coguntur sive ob persecutionem, quam ibi sustinent, sive quia fortunæ ludibrium facti mendicare cogerentur, ubi primas sedes tenuerunt, sive demum quia, ut S. Ignatius, contemni apud extraneos vivere volunt, qui apud suos honore sibi debito donarentur.

Quæres II. an is, cui committitur distributio eleemosynarum, possit, si indigeat, earum partem sibi applicare. R. posse, quia non est pejoris, quam cæteri, conditionis. Et hoc verum est I. de ipso etiam Confessario, qui vere pauper esset: neque enim ea præsumi potest fuisse pœnitentis ejus dura, & mala intentio, ut ipsum excluderet. Cavere tamen debet Sacerdos, si præsertim paupertas ejus ignoretur, ne ullam fidelitatis suæ suspicionem ingerat.

II. Idem locum habet in distributore, cujus inopiam cognoscebat dominus pecuniæ: neque enim eum exclusisse censendus est, eo quod suam ei pecuniam committendo nullam ejus mentionem fecerit; sed e contrario credendum est eum vel oblitum esse inopiæ distributoris, vel noluisse ei pudorem afferre, permittendo conceptis verbis, ut aliquam hujus pecuniæ partem sibi applicaret. Aliud foret, si cui commissa est eleemosynæ distributio, huic assignatæ sint personæ, quibus eadem sit dividenda: tunc enim secluso necessitatis extremæ casu, non posset quidpiam sibi ex ea retinere, alias violaret & fidem domino datam, & justitiam debitam aliis pauperibus, quorum rem usurparet. Posset tamen idem distributor dicere domino se cognoscere aliquem non minus, quam alios indigum, & cui, si eleemosynæ suæ partem dari permittat, valde coram Deo merebitur.

Quæres III. ad quid teneantur, qui simulata paupertate eleemosynam recipiunt. R. eos & peccare, quia veris pauperibus nocent, & teneri ad restituendum quidquid acceperunt: quia in casu præsenti non subsistit causa finalis eleemosynæ, quæ est paupertas sublevanda; ergo hæc eleemosyna debet restitui sive pauperibus aliis, si modica sit, iisque perinde ac tibi donata fuisset, sive ei qui dedit, si tanta sit, ut prudenter judicare queas hanc ab eo aliis donandam non fuisse, sed ideo solum concessam tibi, quia paupertatem tuam hoc, vel illo modo exposuisti. Atque hinc obiter inferes, divites, qui Collegiorum bursas pauperibus destinatas sibi arripiunt, ad restitutionem obligari.

## PUNCTUM QUINTUM.

*Eleemosynæ effectus, & conditiones.*

QUinque sunt eleemosynæ effectus: I. enim, si fiat ex supernaturali Dei auxilio, disponit ad uberiorem gratiam, secundum id Luc. 11. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. II. *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat*, Tob. 4. Unde S. Chrysostomus Homil. 21. in Acta Apost. *Non est*, inquit, *peccatum, quod non possit purgare eleemosyna*, ea scilicet, quæ fructus est pœnitentiæ. III. si fiat ex charitate vitam æternam promeretur juxta id Matth. 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est... Esurivi enim*, &c. Eleemosyna vero in peccati statu facta de condigno non meretur gloriam, prout docet id Apostoli (*I. Cor. 1.*): *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas.... charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. IV. auget fiduciam apud Deum, juxta id Tobiæ ibid. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam*. Unde Psaltes (*I. Psalm. 40.*): *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. V. Eleemosyna plerumque majoris abundantiæ temporalis causa est, juxta id Prov. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*.

Suas, ut ex omni parte bene fiat, habere debet conditiones eleemosyna. Et quidem I. debet esse *justa*, id est ex bonis propriis: *Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*, Eccli. 34. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*, Isaiæ 61. Unde id Malach. 2. *Operiebatis lacrymis altare Domini, fletu, & mugitu*; id est, consecrabatis Deo, quæ a plebe gemebunda extorseratis.

II. *Discreta*, ita ut detur iis, quibus danda est, & ex iis, quibus danda est, ii aliis præferantur, qui præferri debent: puta consanguinei propinquiores remotioribus, remotiores extraneis, justi peccatoribus, personæ publicæ privatis, beneficus non benefico, creditor non creditori, nobilis ignobili.

III. *Liberalis*, & copiosa secundum uniuscujusque facultates, ut egenos inter, & divites aliqua *fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundavit, & qui*

*qui modicum non minoravit*, II. Corint. 8. Certe *qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, ibid. c. 9.

IV. *Prompta*, non autem quæsita per vim extorta. *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare* (*Prov.* 3.). Hinc Job pauperum pater: *Si negavi*, inquit cap. 31., *quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci*. Perdunt ergo magna ex parte eleemosynæ meritum, qui vel ob solam pauperis importunitatem stipem donant: *Non enim est perfecta eleemosyna, quæ precibus extorquetur* (*August. hom.*); vel eam post extrema fata donandam reservant, quasi vero multum mereatur, qui donet id, quod jam retinere nequit; quasi etiam certus sit se semper habiturum bona, qui hodie bonis abundat; quasi demum in usu sit, ut suprema morientis voluntates ab hærede superstite adamussim impleantur.

V. *Cum hilaritate fieri*, secundum id Eccli. 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Cui consonat id Apostoli: *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*. Unde Augustinus in Psalm. 42. *Si panem dederis tristis, panem, & meritum perdidisti*.

VI. *Cum humilitate*. Matth. 6. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.... amen dico vobis receperunt mercedem suam*; *vani vanam*, ait Augustinus. Etsi vero humilitas eleemosynam comitari debet, haud tamen latebras quærere semper debet Christianus, ut egenis medeatur, cum exemplum charitatis præbere debeat.

VII. *Perseverans*, ne audiatur id Apoc. 2. *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti*.

VIII. *Urbanitatis, & amicitiæ plena*; ac proinde ab omni asperitatis & contemtus sensu aliene. *Qui enim despicit pauperem, exprobrat factori ejus* (*Prov.* 17.) Curent ergo divites, ut testentur pauperi, quantum miseriæ ejus compatiantur, quam enixe plus in ejus gratiam fecere vellent.

IX. Demum, adjuncta, quantum licet, habere pietatis verba, quibus pauperes, gratiæ ut plurimum magis egeni, quam pecuniæ, ad patientiem, spem in Deum, curam animæ corporis curæ ad minus parem peterne incitentur. Certe nusquam efficaciora sunt divitum verba, quam cum eleemosynam sibi conjunctam habent.

Haud tamen approbendi sunt, qui pauperi eleemosynam, aut mendicandi licentiam negant, donec sacramentaliter confessus fuerit, tum quia omnibus etiam impiis, imo & infidelibus danda est eleemosyna; tum quia, si generatim, & indistincte præexigatur confessio, periculum est sacrilegii: unde sæpius decepti sunt Confessarii, qui vix aliis, quam pœnitentibus suis stipem erogant. Utendum ergo bona bonorum pauperum voluntate; mali vero ad meliorem frugem sensim, & discrete adducendi sunt.

## SECTIO QUINTA.

*De Correctione fraterna.*

CORrectio fraterna est externus misericordiæ, ac proinde chenteris actus, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur (*S.Thom.* 2. 2. *q.* 33.). Hinc differt a correptione paterna, qua Superior cum auctoritate corrigit delinquentem, tum ut is emendetur, tum ut tolletur scandalum: hæc enim & specielem supponit auctoritatem in corripiente, & ad commune bonum ordinetur. Ampla admodum est correctionis fraternæ materia; eam tamen breviter tractabimus, quia fusius tractare non licet.

### PUNCTUM PRIMUM.

*De necessitate, & objecto Correctionis.*

CONCLUSIO I. Datur præceptum correctionis fraternæ.

Prob. I. ex Scriptura. Eccli. 19. *Corripe amicum... ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte iteret*. Matth. 18. *Si peccaverit in te*, id est, coram re, vel contra te, *frater tuus, vade, & corripe eum*. Ubi species peccati contra nos ponitur pro quocunque peccato: cum ideo corripere debeamus fratrem, ut lucremur eum, prout ibidem monet Christus II. Thess. 3. *Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem*.

Prob. II. ex Patribus. *Legem corrigendi*, ait Augustinus, *æternam, catholicam, atque invariabilem omnibus Christianis indixit* Deus.

Prob. III. ratione: Major est necessitas subveniendi proximo spiritualiter laboranti, quam si corporaliter solum laboret; ergo cum hæc stricte obliget, & illa stricte obligare debet. Unde S. Bernardus L. 4. de Conf. c. 6. *Cadit asina, & est qui sublevet eam: perit anima, & nemo est qui reputet*.

Hinc colliges præceptum hoc obligere sub mortali ex natura sua, tum quia est in meteria gravi, tum quia non minus, imo plus obligare debet præceptum correctionis fraternæ, quam eleemosynæ; quod tamen gravissime obligat.

Dixi, *ex natura sua*: quia qui proximum venialiter duntaxat peccantem non corripit, peccat solum venialiter, ob materiæ parvitatem, nisi tamen subsit periculum morale, ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel demum megnum spirituale in aliqua Communitate. Quapropter tenentur Doctores, eos, qui Communitatibus præsunt, teneri sub pœna mortalis ad obsistendum culpis venialibus, quæ disciplinæ regularis vigorem notabiliter lædunt: notabilis enim disciplinæ jactura etiam per defectus leves, est grave Religionis malum, quod Superiores ex officio avertere tenentur.

Porro sicut mortaliter aliquando peccat, qui venialibus culpis non obsistit, sic & venialiter solum peccare aliquando potest, qui graves non coercet: Ut I. si omittatur gravis peccati correctio ex inad-

vertentia minime crassa. II. *quando timor & cupiditas tardiorem facit hominem ad corripienda delicta fratris* ( *S. Thom. hic. art.* 2. ). Tunc enim homo pudore quodam correptus, & timore amittendi boni temporalis, quod juste desiderat, non invenit verba, & modum, quibus prudenter corrigat, sine quibus correctio sale sapientiæ destituta, sæpius nocet, quam prosit.

CONCLUSIO II. Præceptum correctionis non in solos Superiores, sed & in inferiores cadit.

Prob. I. ex Script. Eccl. 17. *Mandavit unicuique de proximo suo*: si unicuique; ergo nemo correctioni faciendæ idoneus ab ea immunis est. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum*: ubi sermo dirigitur ad eos omnes, qui fratris sui peccatum coercere possint.

Prob. II. ex cap. 12. *De Hæret.* ubi sic: *Fratrem peccantem occulte corripere..... quisque tenetur..... secundum regulam evangelicam.*

Prob. III. ratione. Dives tenetur in eo genere, in quo dives est, ad erogandam pauperi eleemosynam in eo genere, in quo iste pauper est: sed qui sanum habet rationis judicium, dives est in genere correctionis, cum utiliter emendare possit: contra vero in eodem genere pauper est, qui opus habet, ut emendetur; ergo.

Dices: Si res ita sit, inferior tenebitur ad corrigendum Superiorem, & ipse peccator ad corrigendum eum, quem viderit delinquentem: atqui utrumque repugnat. Primum quidem ordini naturali: secundum vero his Christi verbis Matth. 7. *Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.*

R. neg. min. I. enim corrigendi sunt ipsi etiam Superiores, quia sunt ex charitate diligendi; unde S. Paulus Colossenses monet, ut Archippo hujus Ecclesiæ Presbytero dicant: *Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas* ( *Cap.* 4. ).

Verum hic tria præcipue servari debent: I. ut qui Superiorem corripit, non sit moribus, & conditione vilis, alioqui non prodesset emendando, sed noceret exasperando: talis ergo muneri suo satisfaciet, si personas digniores admoneat, quæ possint, & velint corripiendi Superioris onus assumere. Si tamen ( *ex Sylvio.*) *periculum salutis Prælatorum esset admodum grave, nullusque alius eos corriperet, corripere deberent inferiores quamvis viles, modo esset apparentia profectus*. II. ut inferiores Superiorem correpturi sequantur id Apostoli: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* I. Timoth. 5. III. ut Superiorum correctio non fiat palam: *Patrem enim suum delinquentem nulli licet reprehendere manifeste* ( *C. 12. De Hæret.* ). Si tamen peccata Prælatorum admodum scandalosa sint, & multitudini perniciosa, puta si hæresim, aut aliquid aliud bonis moribus contrarium doceant, possunt pubblice reprehendi, si hac via speretur eorum, vel populi salus. Unde hic duo verbi divini præconibus sunt attendenda. I. ut cum Superior mala exempla præbet, generatim ostendant, obediendum esse Superioribus, dum recta docent; at *secundum opera eorum* non esse faciendum, cum male vivunt. II. ut palam coram promiscua plebe non insectentur Sacerdotes, aut Religiosos, qui aliquando vel pauci adsunt, vel nulli: hinc enim nullus fructus, sed sola plebeculæ offensio expectari potest.

Potest etiam peccator delinquentes redarguere. Etsi enim expedit valde, ut qui alios redarguit, ipse redargui non mereatur, fieri tamen potest, ut utiliter arguat, quia ad corripiendum utiliter sufficit *rectum judicium rationis* ( *S. Thom.* ); aliunde vero peccatum neminem liberat ab obligatione præcepti divini, quale est præceptum correctionis fraternæ. Arguit quidem Christus Pharisæos objectis Matthæi verbis; sed quia corripiebant non ex charitate, sed ad ostentationem. Quanquam summopere optandum est, ut priores a peccato recedant, qui alios a peccato avertere satagunt. Imo ad id vi præcepti correctionis tenentur: I. ii, qui cum alios erudire debeant ex officio, animadvertunt se inefficaciter ob depravatos mores suos loqui, & instruere. II. & ii, qui licet ad erudiendos alios ex officio non teneantur, iisdem tamen pravo exemplo facti sunt causa peccandi, nec jam eos a peccato monitionum ope revocare possunt, nisi saltem exterius resipiscant.

Quæres, an non Superiores strictius, quam alii ad correctionem fraternam teneantur. R. affirmat. quia tenentur ex officio. Unde colliges: I. non sufficere, ut Prælatus, qui in hac re mortaliter peccavit, dicat se omisisse fraternam correctionem alicujus, sed exprimere debere, quod subditi sui. II. Prælatos ad fraternam correctionem aliquando teneri, cum alii ad eam non tenentur, imo etiam cum vitæ suæ periculo, si nempe subditus sit in gravi necessitate. III. eosdem Prælatos in subditorum vitam, & mores inquirere debere, ut eos, cum deviant, emendent. Hic tamen prudentia opus est, ne nimia, aut temeraria inquisitio Superiorem reddat odiosum, & in suspicando præcipitem: unde non debet inquirere per homines, qui magis solliciti sunt, ut inveniant vitia, quæ reprehendant, quam ut detegant virtutes, quas prædicent. Qui vero aliorum curam non habent, eorum vitam, & mores insidiose observare non debent, ne ex eorum numero esse videantur, qui quærunt *impietatem in domo justi* ( *Prov.* 24. )

Quæres II. quinam nomine Prælatorum hic intelligantur. R. Prælati, & Superioris nomen in re præsenti non solum competere Parocho, Abbati, vel *Episcopo regenti plebem suam; sed etiam pauperi regenti familiam suam, marito regenti conjugem suam, patri regenti prolem suam, judici regenti provinciam suam, Regi regenti gentem suam* (C. 35. xxiij. q. 4.)

Observat tamen Sylvius Principes, cum bonum politicum pro fine respiciant, non teneri omnia populi sui peccata corripere, sed solum graviora, ea præsertim, quæ in aliorum detrimentum cedunt, & tranquillitati adversantur. Quanquam id curare debent Principes, ut Magistratus, ac Episcopos gubernandis populis idoneos præficiant, & identidem resciant, an ii, ut par est, officio suo fungantur.

Cum objectum correctionis sit peccatum, & ipse peccator, duo hic quæruntur: I. an peccatum etiam leve sit materia correctionis. II. an corripiendus sit

qui

qui nondum peccavit, aut qui actu peccat, sed ex ignorantia.

CONCLUSIO III. Peccatum tum mortale, tum etiam veniale correctioni fraternæ est obnoxium; mortale tamen præcipue.

Prob. Tam ad minus peccat qui, cum potest, non avertit spirituale proximi malum etiam leve, quam qui, cum potest, non avertit damnum ejus temporale etiam leve: atqui peccat iste; ergo & ille.

Hæc Conclusio, prout peccata venialia correctionis fraternæ materiam facit, negatur a pluribus.

Qui vero eam admittunt, docent simul neminem fere, nisi admodum familiaris sit, aut ex officio peculiarem proximi curam gerat, teneri ad corrigendum de venialibus proximum: I. quia emendatio singulis ferme passibus necessaria, perpetuam scrupulorum causam inveberet. II. quia gravem proximo molestiam facile procrearet, & exprobrandi potius, quam corrigendi animo fieri videretur. III. quia indubie traheret ad peccata graviora, qualia sunt murmur, indignatio, piorum derisio. IV. quia qui minima quæque vellicaret, intolerandum se faceret in societate civili, & omnis boni incapacem: unde nec coerceret a veniali, nec, data etiam occasione, a mortali. In his ergo casibus satius est ut plurimum dissimulare, quam arguere, nisi, ut mox dixi, emendatio fiat vel a familiari amico, vel ab eo, qui bene novit piam indolem proximi. Aliquando tamen culpæ etiam leves sub pœna gravis peccati corrigi debent, ut dictum est supra.

CONCLUSIO IV. Peccata commissa, & non emendata sunt propria materia correctionis, ad quam etiam aliquatenus pertinent peccata proxime committenda.

Prob. 1. pars. Ad correptionem pertinet, ut qui persistit in peccato, ab eo statu revocetur, cum non aliter videtur revocandus, quam salutari monitione; ergo in hoc casu urget præceptum correctionis fraternæ, præsertim vero, ait Sylvius, si frater sit in periculo iterum peccandi.

Prob. 2. pars: quia qui fratrem in proximo peccandi periculo positum non admoneret, cum potest, peccaret mortaliter, utpote qui non diligeret eum, sicuti diligendus est: porro monitio tunc proximo debita revocari potest ad correctionem fraternam ob suam cum ipsa connexionem.

Quæres, num corripiendus sit qui nec in affectu peccati commissi persistit, nec in periculo relabendi, sed tamen nullam de peccato suo pœnitentiam egit. R. affirm. quia verum est, quod is peccaverit, & quod permaneat peccator, ac proinde quod charitatis nostræ objectum esse debeat.

CONCLUSIO V. Qui ex culpabili sive facti, sive juris vel divini, vel humani ignorantia male operatur, corrigi debet, si fructuose corrigi potest. Qui vero ex inculpata juris divini, vel humani ignorantia jus idem transgreditur, corrigi aliquando debet, aliquando non.

Prob. 1. pars: quia transgressio peccaminosa corrigi debet, cum utiliter corrigi potest: atqui transgressio procedens ex ignorantia culpabili facti, vel juris est peccaminosa; ergo.

Imo si actio transgressoris in aliorum perniciem cedat, ut si quis ex ignorantia doceat hæreses, erit is etiam a privato homine corrigendus, tametsi ejus conversio non speretur, modo tamen ejus reprehensio possit aliis prodesse. Pastores vero, & alii, qui plebem ex officio docere tenentur, eos etiam docere debent, quos putant non emendandos; quia quæ sui sunt officii, adimplere debent *opportune*, & *importune*. Hinc Paulus Act. 19. *Mundus sum*, inquit, *a sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis*.

Hinc etiam corrigi, vel potius instrui debet, qui propter ignorantiam versatur in proximo lethaliter peccandi periculo, si spes sit futurum, ut monitio eidem prosit. Quia sicut teneris, cum sine gravi incommodo potes, fratrem ab imminente mortis periculo tueri, sic, & multo plus eum servare debes ne in peccatum mortale incidat.

Prob. 2. pars. Ut quis corripi debeat, duo necessaria sunt: I. ut speretur emendatio. II. ut non timeantur majora mala: atqui hæc duo aliquando occurrunt, aliquando non, cum quis ex inculpata juris divini, vel humani ignorantia operatur; ergo in his casibus aliquando omitti debet, aliquando admitti correctio fraterna. Hinc a simili, qui ex ignorantia facti contra legem divinam, aut humanam agit, non semper est admonendus, cum prudenter judicari potest monitionem plus invecturam mali, quam boni. Quapropter, ait Sylvius, si quis matrimonium inire velit cum aliqua, quam invincibiliter ignorat sibi consanguineam esse, vel affinem: qui impedimentum hoc cognovit, tacere debet, si majora ex sua revelatione mala jure & merito vereatur. Hac de causa Innocentius III. consultus de quibusdam invalido matrimonio junctis: *Dissimulare poteris*, ait cap. 6. *De consang., ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione grave videas scandalum imminere*. Quo fundamento nixus idem Sylvius negat mulierem, quæ se viduam bona fide existimans, alteri nupsit, esse admonendam, si vel futurum sit, ut non credat, ideoque divortium facere nolit; vel ex divortio majora sequi debeant mala. *Vide quæ dixi supra, ubi de Conscientia erronea*.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De tempore, & conditionibus Correctionis.*

JAm pluries monui sub omni præcepto, quo præcipitur actus virtutis, involvi præceptum negativum, quo peccatum eidem virtuti oppositum prohibetur. Sit itaque

CONCLUSIO I. Præceptum correctionis fraternæ negative sumtum obligat *pro semper*.

Prob. Præceptum correctionis negative sumtum prohibet, ne verbis, aut quomodocunque approbetur proximus, cum peccat, puta cum detrahit, impudice loquitur &c.: atqui tale præceptum semper obligat, cum nunquam licitum sit malo, aut male agentibus blandiri; ergo.

Imo non sufficit, ut non applaudas malo, sed ne-

ecſſum eſt inſuper, ut exteriori vultus compoſitione oſtendas illud tibi non probari, ſecundum id Proverb. 25. *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*; adde impudicam, blaſphemam, inopiam, &c. Certe plerique detractionis, & impudicitiæ ſermones non alio fine palam proferuntur, quam ut oblectent; ergo niſi oſtendas te eorum participem fieri nolle, cauſa es, cur protrahantur; ergo præceptum correctionis fraternæ etiam negative ſumtum hoc aliquali ſenſu, & his in circumſtantiis obligat ſemper, & pro ſemper.

Quia tamen correctio fraterna ſæpius ſumitur pro ſalutari monitione alıter quam hujuſmodi ſignis expreſſa, & aliunde multa debent corrigi, quæ vel hujuſmodi ſignis corrigi non potuerunt, ut ſi quis te abſente peccaverit, vel iiſdem ſignis ſufficienter correpta non fuerunt, ſit

CONCLUSIO II. Præceptum correctionis fraternæ hoc ultimo ſenſu acceptum non obbligat, niſi ſub certis conditionibus.

Prob. earumdem enumeratione. Prima eſt, ut corripiens ſit moraliter certus proximum vel jam peccaſſe, & permanere in peccato, vel eſſe in proximo labendi periculo. Ratio eſt, quia correctio de culpa incerta, regulariter loquendo, eſſet actus imprudens, & temerarius. Cum enim correptio pudorem ingerat, & aliquid habeat odioſi, homo intempeſtive correptus juſte conquereretur de temerario corripientis judicio, ipſumque laceſſens correctorem, oſtenderet eum peccare contra id Eccli. 20. *Priuſquam interroges, non vituperes quemquam*. Et vero in dubio utrinque æquali potius præſumendum eſt pro juſtitia fratris, quam contra illam, quia *charitas non cogitat malum*. (I. *Cor.* 13.)

Si tamen adſint probabiles mali conjecturæ cum aliqua infamia, proximus licet non debeat abſolute corrigi ut reus, debet admoneri, ut, ſi quas dedit ſuſpicionis cauſas, amoveat. Verum hæc Superiores magis ſpectant, quam æquales, niſi vel familiares ſint, vel proximus ſit in proximo mortis periculo conſtitutus, & deſit Paſtor, qui illum commoneat. Regulariter enim nemo in alterius mores inquirere tenetur, niſi Superior, cui etiam ſufficit ſuſpicio, vel dubia cognitio; quia cum ex officio gregi ſuo invigilare teneatur, tenetur etiam malis dubiis occurrere. Quod ſi reus merito præſumatur abſque correctionis auxilio emendandus, ut præſumi poteſt de his, qui Deum vere timent, & peccato aſſueti non ſunt, nulla erit correctionis neceſſitas, quia hæc ſpiritualis eleemoſynæ ſpecies nonniſi in neceſſitate proximi locum habet.

Secunda conditio eſt, ut ſit ſpes emendationis. Ratio eſt, quia ad actum inutilem nemo tenetur. Sed hic notandum, non requiri ſpem certam emendationis, ſed ſufficere probabilem, modo etiam ſit probabile correptionem non eſſe nocituram. Quapropter ſi dubites de fructu correctionis, & ſimul certior ſis eam non eſſe obfuturam, teneris ipſam adhibere, quia & adeſt materia correctionis, & ea ea nihil mali, ſed boni aliquid, ipſa ſcilicet emendatio ſperari poteſt.

Quod ſi probabile quidem ſit correctionem profuturam eſſe, ſed probabilius, vel æque probabile, quod nocitura ſit, non erit *ordinarie* adhibenda: quia correctio, utpote charitatis actus, tendit in bonum proximi: porro nullum apparet bonum, cum æque timetur malum, ac ſperatur bonum; ergo, ait Habert, eos, quorum ingenium nobis ignotum eſt, non tenemur corrigere ob quodvis peccatum, etiam mortale, ne potius fiant pejores, quam corrigantur.

Dixi, *ordinarie*, quia aliquando facienda eſt correctio, etiamſi dubitetur, num ſit profutura, ut: I. ſi quis in proximo mortis periculo verſetur, nec præſto ſit alius, qui ipſum corripiat. II. ſi quis in familiari congreſſu contra fidem, vel bonos mores, aut bonum tertii, vel Reipublicæ quidpiam efferat, unde inficiantur aſtantes, corripiendus erit, quamvis deterior futurus, modo ſperari poſſit correctionem aliis profuturam. Pari de cauſa corripiendi ſunt blaſphemi, licet non ſperentur emendandi (*Sylvius*): modo id citra corripientis periculum, vel aliquod aliud malum fieri poſſit, quia ipſorum correctio ad Dei honorem quadantenus reſtaurandum directe ordinatur.

De cetero hic obſervandum, correctionem omitti non debere propter aliquam delinquentis triſtitiam, iramve cum levi aliqua culpa, ſi tandem ſperetur emendatio; quia hæc præter intentionem accidunt, & ad impediendum majus malum permitti poſſunt. Docet etiam Auguſtinus Epiſt. 210. correctionem fieri debere, ſi decurſu temporis, licet non ſtatim, ſperetur fructus.

Tertia conditio eſt, ut correctio ſit peccanti neceſſaria. Unde ſi probabile ſit proximum ſua ſponte emendatum iri, vel corrigendum eſſe ab alio magis idoneo, non teneris ad corrigendum.

Quarta conditio eſt, ut correctio opportuno tempore fiat; ſicut enim nocet corpori medicina, quæ nulla habita temporis ratione porrigitur, ſic mentem ulcerat correctio intempeſtive oblata. Videant ergo, qui zelo zelati ſunt legem Dei, ne fervore ſuo præcipitanter abrepti, id inutiliter, aut periculoſe ſtatim corrigere velint, quod utiliter poſt aliquot dies, pacatis jam animis, corrigerent.

Aliam alii conditionem requirunt, nimirum ut correctio fraterna fieri poſſit citra grave incommodum. Verum conditio hæc expoſitione indiget; unde quatuor cum Sylvio ſtatuenda ſunt.

I. Itaque, cum peccator eſt in gravi neceſſitate ſpirituali, a qua per correptionem liberari poteſt, quilibet eum corripere tenetur cum aliquo boni ſui temporalis damno: qui enim nullam rei ſuæ temporalis jacturam pati vellet pro fratris ſalute, minus eam diligeret, quam diligenda ſit.

II. In ſimili neceſſitate Paſtores, & alii, qui ex officio curam gerunt ſalutis proximi, eum, etiam cum vitæ ſuæ periculo, corripere tenentur; quia debent parati eſſe animam pro ovibus ſuis ponere.

III. in extrema ſpirituali neceſſitate quilibet delinquentem corripere tenetur, non obſtante vitæ periculo: quia quilibet magis animam proximi, quam corpus

pus

pus suum diligere tenetur, quod maxime locum habet in necessitate extrema.

IV. extra necessitatem extremam non tenentur privati peccatorem corripere cum notabili honoris, bonorumve temporalium detrimento, tum quia alioqui eadem esset privatorum obligatio, quæ Pastorum: quod nemo dixerit; tum quia salus proximi tunc tantum vitæ nostræ necessario præferenda est, cum in extrema necessitate versatur, & ei aliter succurri nequit.

Hinc deduces hominem etiam privatum, licet rarius alios redarguere teneatur, quam qui eorum curam gerit, ad id tamen satis frequenter teneri. Et quidem I. semper redarguere debet exhibendo faciem tristem, ut antea dixi. II. cum pleraque exteriora peccata vel in contumeliam Dei cedant, ut blasphemiæ, vel in malum proximi, ut calumnia, detractio, sermones bonis moribus contrarii, nemo est, qui hisce casibus frequentem correctionis materiam non habeat; cum ex dictis, qui hæc admittuot peccata, corrigi debeant, quoties sine corripientis, & correpti periculo corripi possunt.

## PUNCTUM TERTIUM.

*Quis servandus ordo in Correctione fraterna.*

CONCLUSIO. Ordo a Christo Matth. 18. præscriptus obligat sub gravi culpa, nisi aliud prudentia dictaverit.

Prob. I. quia Christus eodem modo loquitur de ordine servando in executione præcepti correctionis, ac de ejusdem substantia, ut patet ex his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum.... si te non audierit*, adhibe *tecum adhuc unum vel duos.... quod si non audiverit eos*, dic *Ecclesiæ*: atqui substantia præcepti correctionis obligat sub gravi culpa, ut supra ostendimus; ergo & ordo præscriptus sub eadem culpa obligat.

Prob. II. Lex naturæ præcipit, ut quantum fieri potest, consulamus famæ proximi; ergo si sufficit secreta monitio, non licet adhibere testes; si sufficit unus, non licet duos adhibere; si duo satis sint, non est deferendum crimen ad tribunal Superioris, ubi res non ita tractari possunt, quin inde sequatur delinquentis infamia.

Dixi, *nisi aliud dictaverit prudentia*: cum enim præceptum correctionis sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, & loco, sed juxta charitatis & prudentiæ dictamen: unde in ejus, sicut & in aliorum plerorumque executione magis attendenda est Domini intentio, quam verba. Fuit autem, & esse debuit hæc Christi intentio, ut peccantem fratrem eo, quo fieri posset, suaviori modo coerceremus: ubi vero mansuetudinis viam inutilem esse prudenter judicaremus, via paulo duriori uteremur, sive statim redarguendo coram testibus, sive omisso testium medio recurrendo ad judicem. Quapropter ex omnium consensu prædictus ordo non obligat: I. cum crimen est publicum. Ratio est, *quia tunc non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut rectior fiat; sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur*: (*S. Thom. q. 33. a. 7.*) unde cum scandalo huic nemo possit melius mederi, quam Superior, constat crimen publicum ad eundem pleno ductu esse deferendum. Quod *si crimen nondum in publicum devenit, sed est in via deveniendi, tunc etiam denuntiandum est, ut scandalo futuro occurratur*. Ita S. Thomas in 4. dist. 19. q. 2.

II. cum crimen, etsi occultum, vergit in grave aliorum detrimentum spirituale, vel corporale, ut si quis artem veneficam exerceat, monetas adulteret, civitatis proditionem, & bonorum proximi ruinam meditetur, errores disseminet, in confessione sollicitet ad turpia, & non constet eum per secretam monitionem impeditum iri. Ratio est, quia cum *mora denuntiationis est periculosa, non oportet expectare admonitionem: sed statim procedere ad denuntiationem* (*S. Thom.*) Et id præcipue verum est de hæreticis, qui, ut bene monet S. Leo Serm. 5. de jejun. 10. mensis, *humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt*: ac proinde sine dilatione coercendi sunt, & quidem efficaciter, quod fieri nequit, nisi ad Superiores deferantur.

III. non obligat etiam, cum merito judicatur nec nostram, nec aliorum privatorum admonitionem profuturam esse, ut prodesse non solet iis, qui ex habitu, vel *quasi per risum operantur* (*Prov. 10.*): tunc enim opus est potentiori remedio, ac proinde peccatum denuntiandum est Superiori, sive ut singulari personæ, quæ tenet locum testis, & quæ magis quam alii proficere valet; sive etiam ut personæ publicæ, quæ monitionibus minas, minis pœnas adjungere potest.

IV. immediate etiam Superiori denuntiari potest, qui cessit jure, quod habebat, ut privatim moneretur. Ut enim docet S. Thomas hic a. 1. *In arbitrio uniuscujusque est pati detrimentum famæ suæ* (prout sæpius fecerunt Sancti) *nisi id vergat in aliorum detrimentum*. Errant tamen, qui contendunt Religiosum Professionem esse ex se cessionem juris ad propriam famam, adeo ut cujuscunque Religiosi culpa statim, & absque prævia correctione possit ad Superiorem deferri. Imo ait S. Thomas hic a. 7. *Si Prælatus expresse præciperet contra ordinem a Domino institutum*, ut sibi immediate denuntiarentur inferiorum culpæ, *& ipse peccaret præcipiens, & ei obediens, quasi contra præceptum Domini agens*.

## SECTIO SEXTA.

*De peccatis Charitati oppositis.*

OMnia quidem peccata charitati hoc sensu adversantur, quod eandem destruant vel formaliter, si mortalia sint, vel dispositive, si venialia. Quia tamen charitas Deum habet pro objecto primario, & proximum pro secundario, manifestum est ea peccata præcipue eidem adversari, quæ Deum, vel proximum impugnant. De his hic dicendum.

PUN-

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De Scandalo.*

### §. I. *Quid, & quotuplex Scandalum* &c.

SCandalum definitur, *Dictum, vel factum minus rectum præbens occasionem ruinæ* spiritualis. (*S. Thom. hic q.* 43. *a.* 1.)

Dicitur I. *dictum, vel factum*, quia omnis & sola actio externa ruinæ spiritualis occasio esse potest. Porro hic sub dicto, & facto intelliguntur negationes oppositæ, quia affirmatio, & negatio ad idem genus reducuntur; unde sicut scandalo est qui detrahit, sic & qui Missam, Horasve omittit.

Dicitur II. *minus rectum*, quia scandalum oritur non solum ex actione per se mala, sed & ex ea etiam, quæ speciem habet mali. Sic scandalo est Clericus, qui licet castimoniam servet illibate, apud se tamen puellam retinet; quia factum ejus speciem habet mali. Contra vero fieri potest, ut fornicarius, qui sub specie negotii necessarii mulieris domum frequentat, neminem scandalizet propter rationem oppositam.

Dicitur III. *præbens occasionem ruinæ*; quia ad scandalum necesse non est, ut ruina proximi actu sequatur, satis est, ut eidem detur ruinæ occasio.

Scandalum dividitur in *activum*, & *passivum*. Activum est illud, quod mox definitum est, & subdividitur in *directum*, & *indirectum*. Scandalum directum, est dictum vel factum, quo expresse intenditur ruina spiritualis proximi, sive hæc ruina intendatur in genere moris, quod rarum est, & diabolicum; sive, ut vulgo fit, intendatur solum propter utilitatem, aut delectationem, ut cum quis puellam sollicitat ad crimen. Scandalum indirectum est, cum quis non intendens ruinam proximi, nonnulla facit in sui ipsius commodum, aut oblectationem, quæ aliis sunt occasio peccandi.

Scandalum passivum est ruina spiritualis proximi, orta ex dicto, vel facto alterius: & hoc quidem scandalum subdividitur in *acceptum quia datum*, & *acceptum licet non datum*. Primum est ipsa proximi ruina spiritualis orta ex alterius dicto, vel facto, quod reipsa natum est ad malum impellere. Secundum vero est ruina spiritualis, ex propria malitia, vel infirmitate orta, occasione dicti, vel facti recti, aut indifferentis, quod proinde non debuit peccati occasionem dare. Hinc scandalum iterum duplex distinguitur, aliud *pharisaicum*, aliud *pusillorum*. Prius nascitur ex mera accipientis malitia: tale fuit scandalum Judæorum, qui ex bonis Christi operibus, propriæ ruinæ occasionem sumserunt. Posterius nascitur ex propria scandalizati ignorantia, vel infirmitate.

Scandalum Pharisæorum semper est acceptum non datum, unde contemni debet. Quapropter cum dictum esset Christo Matth. 15. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* respondit Salvator: *Sinite illos, cæci sunt*; id est, ne habeatis rationem eorum scandali, quia oritur ex malitia eos excæcante. Hoc S. Gregorius Homil. 7. in Ezech. *Utilius*, inquit, *nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur*. Et vero justi a Deo constituti sunt tanquam luminaria in medio nationis perversæ, ut corrupta mundi opera vel tacite factis contrariis, vel verbis expresse redarguant; porro munus hoc implere justi non possent, si habenda esset scandali pharisaici ratio: virtutis enim exercitium iis, qui mali sunt, est petra offensionis; ergo negligi debet scandalum pharisaicum, licet aliquando ad tempus abscondi debeat veritas, quam infirmi non patiuntur.

At pusillorum scandalum summopere caveri debet. Unde facta nostra, quantumvis recta, sic temperari debent, ut infirmis non sint occasio ruinæ, quia alioqui haberent malitiam scandali dati. Jam videndum qualis sit hæc malitia. Sit

CONCLUSIO. Scandalum, etiam sine intentione expressa alium inducendi ad malum, est peccatum ex natura sua mortale, & speciale contra charitatem; unde ad scandalum proprie dictum sufficit intentio interpretativa. Ita SS. Thomas, & Antoninus, & alii passim.

Prob. 1. pars: I. ex Matth. 18. *Qui .... scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis; necesse est enim, ut veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Unde sic: Scandalum, de quo agitur in hoc textu, grave est peccatum, ut patet ex gravi pœna, quam ei Christus comminatur: atqui scandalum, de quo ibidem agitur, est præcipue scandalum indirectum. Nam scandalum, de quo loquitur Christus, illud est, quod passim ante oculos obversatur, quodque quasi necessario propinatur habita ratione perversitatis hujus mundi: atqui hæc non nisi scandalo indirecto conveniunt. Si enim impossibile est ut non videantur, & audiantur illicita multa, quæ continua sunt peccandi occasio: at non impossibile est ut vitentur, qui nos ad malum directe consiliis, aut suasionibus inducant; ergo cum scandalum, de quo loquitur Christus, sit frequens, obvium, & vitatu difficile, oportet scandalum illud non esse nisi indirectum.

Prob. II. ratione. Intentio interpretativa ea est, qua quis prævidet, aut prævidere potest, proximum ex dicto, vel facto suo minus recto expositum iri periculo ruinæ spiritualis; atqui talis intentio sufficit ad peccatum. Nam I. hæc intentio sufficeret ad homicidium corporale; ergo & ad spirituale sufficit. II. peccat qui delinquentem fraterne non corripit; ergo & amplius peccare debet, qui non solum non amovet, sed & ante alium ponit id quod potest, & debet prævidere eidem futurum esse peccandi occasionem. III. qui libere facit id, quocum cognoscitur, aut cognosci potest conjunctum esse alterius peccatum, aut peccandi periculum, ejusdem peccati auctor merito existimatur: atqui id facit quisquis etiam indirecte scandalosus est; ergo.

Hinc colliges eum, qui peccat coram iis, quos nec prævidet, nec prævidere potest, exemplo suo ad peccatum esse alliciendos, puta qui blasphemat coram Religiosis, esse quidem reum blasphemiæ, sed non scandali. Perfecti enim, ut docet Hieronymus Homil. in cap. 18. Matth. *scandala non recipiunt*; imo

imo ex conspectu prævaricantium ad detestationem peccati, & Dei amorem inflammantur, secundum id Psalmi 18. *Vidi prævaricantes, & tabescebam*; unde ibidem dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*. Aliud est igitur mirari, aut indignari de peccato alterius, aliud de eo scandalizari. Prius convenit sanctis, posterius regulariter loquendo, non item.

Dixi scandalum etiam indirecte datum, esse peccatum ex genere suo mortale, quia veniale est, cum non nisi culpæ venialis occasio esse potest.

Sed hic notand. I. scandalum, quod est occasio culpæ venialis, futurum mortale, si hæc culpa in grave proximi detrimentum vergat: (*Sup. p.* 293. *col.* 2.) qua de causa mortaliter peccat Superior, qui culpas etiam veniales inferiorum non corripit, cum ea iis gravis sequi potest disciplinæ subversio. II. ut actio sit letaliter mala in genere scandali, necessum non esse, ut qui eam videt, peccet de facto; sed satis esse ut possit & debeat prævideri expositus peccandi periculo: unde dari potest scandalum activum sine passivo, sicut in pharisæis fuit passivum sine activo. III. peccatum, quod grave est in se, aliquando leve esse in ratione scandali. Sic qui gravem viro sancto, quem scit inde non nisi leviter commovendum, alapam infligit, graviter peccat in ratione injuriæ, & leviter in ratione scandali.

Prob. 2. pars; quia scandalum indirecte datum pugnat contra specialem virtutem charitatis, qua proximum sicut nos diligere tenemur, ac proinde malum ejus avertere, & bonum procurare; ergo scandalum est peccatum speciale, & consequenter in confessione explicandum, cum de fide sit circumstantias, quæ speciem peccati mutant, esse explicandas.

Quin & ii etiam, qui negant scandalum indirectum esse peccatum speciale, fatentur illud exponendum esse in confessione, quia est causa cur committatur peccatum numero distinctum: unde qui foroicando peccati sui testes ad simile quid inducit, non suæ solum fornicationis reus est, sed & alienæ, etiamsi eam directe non intenderit, imo etiamsi de ea doleat, ut si commissa sit cum filia sua.

Ex his innumera infiniti momenti corollaria erui possunt; hæc e pluribus seligo: I. itaque mortaliter contra charitatem, & castitatem peccant mulieres, quæ ornatus ad lasciviam provocantes gerunt, quæque scandalosas scapularum, & pectoris nuditates exhibent, sicque pariunt scandalum infirmis, id est, multo pluribus, quos ad complacentias, & desideria prava inducunt. Idem est de puella, quæ ex mera vanitate, & sine animo amorem excitandi, se sine justa causa concupiscendam præbet iis, a quibus putat se male concupiscendam.

II. peccant in eodem genere, qui imagines nudas faciunt, aut palam exponunt, seu venales, seu in ornamentum domus: hæc enim non secus ac obscœni sermones trahunt ad peccatum.

III. & ii, qui turpes cantilenas, librosve amatorios typis exprimunt, recitant, scribunt, aliisve legendos subministrant, Idem est tum de iis, qui tragœdias vindictam spirantes, vel comœdias periculosas ratione factorum, gestuumve, componunt, vel agunt; tum de iis, qui comœdiam præsentia sua approbant, & actoribus stipendium dando, actioni cooperantur: ii enim omnes mutua sibi invicem vulnera infligunt.

IV. qui alios etiam jocularirer fatigando, eosdem inducunt ad blasphemiam, graves contumelias, aut imprecationes.

Ex quo inferes I. actum etiam ex objecto indifferentem, nonnonquam mortalem esse in ratione scandali, cum periculum est ne infirmi, vel imperiti inde sumant occasionem mortaliter peccandi: unde Apostolus I. Corint. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem* II. numerum eorum, qui scandalo spiritualiter occisi sunt, in confessione aperiendum esse, non secus ac numerum eorum, qui uno ictu corporaliter occisi fuissent: numerus enim multiplicat peccatum, & imbibitur in objecto peccati. III. aliquando abstinendum esse a quibusdam operibus, quæ licet mala non sint, habent tamen speciem mali. Quod ut amplius innotescat, sit

### §. II. *Quæ bona metu Scandali omittenda.*

Ex actionibus, quæ præsentis controversiæ objectum esse possunt, aliæ sunt bonæ, aliæ indifferentes. Bonæ vel sunt præcepti, vel consilii solum: ex his vero, & a fortiori ex indifferentibus, aliæ pro loco & tempore speciem habent mali, aliæ non. His positis

Dico I. Ad vitandum scandalum nihil unquam facere licet contra jus naturale.

Prob. quia nihil fieri potest contra jus naturale, sine peccato saltem veniali: atqui *nullus debet Deum offendere etiam parum, ne alius offendat multum*; (*S.Thom.*) *cum homo ex ordine charitatis se plus quam proximum in spiritualibus bonis diligere teneatur*.

Dixi, *contra jus naturale*: aliud enim est de jure solum positivo; potes enim, & teneris non interesse Sacro die festa, si dum intereris, exottura sit tuos inter cives cædes, vel rixa gravis.

Dico II. Bona opera, quæ sunt consilii, nec omitti, nec differri debent propter scandalum pharisaicum, quando subest rationabilis causa non differendi. Eadem vero opera omitti, vel differri debent propter scandalum pusillorum, donec tollatur occasio scandali.

Prob. 1. pars: I. quia alioqui improbus quisque opera perfectionis impediret ad libitum; ergo ne id faciat, debet contemni scandalum ejus, prout contemsit Christus scandalum Judæorum. II. quia nulla est spes, quod dilatio actus boni sit utilis ei, qui pharisaice scandalizatur; nec enim sperari potest futurum, ut hac dilatione removeatur scandalum.

Dixi, *quando subest causa*, &c. quia charitas vetat, ne sine causa offeramus proximo, etiam ex malitia peccaturo, occasionem peccandi. Unde inferes I. punitionem peccatorum esse omittendam, quando ex ea sequerentur plura, & majora peccata, ut dissensiones,

ſiones, ſchiſmata, &c. II. filium aliquando teneri ad breve tempus abſtinere ab incundo Religionis, aut Clericatus ſtatu, cum inde futurum eſt, ut parentes ejus graviter turbentur, & peccent jurando, malum imprecando; non tamen ad longum tempus, quia ſi pergant ſcandalizari, ſcandalum hoc tandem deſinet in phariſaicum. III. mulierem non teneri ad dimittendum ornatum ſtatui ſuo convenientem, niſi forte ad breve tempus, & cum valde probabile eſt, eam, ſi cum tali ornatu prodeat, alteri lapſus occaſionem eſſe præſtituram. Eſſet enim grave onus, ſi propter incerta ſcandala, vel alicujus malitiam, diu ab ornatu licito abſtinere cogeretur. (*ex Sylvio*)

Prob. 2. pars: I. ex Chriſti exemplo, qui ut ſcandalum vitaret, ſolvit tributum, ad quod non tenebatur; ergo & nos, quæ ſine peccato, & commode a nobis omitti poſſunt, omittere tenemur. II. qui ex facto tuo ruinæ ſpiritualis occaſionem ſumturus eſt, eſt in neceſſitate ſpirituali, eaque non omnimode voluntaria, cum oriri ſupponatur ex ignorantia, & infirmitate, quæ libertatem minuunt; ergo eidem ſubvenire debes, id omittendo, quod alioqui laudabiliter fueras præſtiturus.

Dixi, *donec tollatur occaſio ſcandali*: hæc autem tollitur, cum redditur actionis noſtræ ratio, qua reddita, ſi adhuc ſcandalum duret, *jam videtur eſſe ex malitia*. (*S. Thomas a. 7.*) Si tamen hæc ratio non ſatis caperetur, ſive ob momenta, quæ apparent in contrarium, ſive ob hebetudinem mentis eorum, quibus proponitur, adhuc abſtinendum eſſet a bonis ſpiritualibus non neceſſariis, donec qui ſcandalum capiunt, plenius informentur; modo tamen bona hæc abſque notabili jactura omitti poſſint. In his enim caſibus, comparanda eſt quantitas ſcandali puſillorum, cum quantitate boni, quo privabuntur, qui ejuſdem ſcandali vitandi cauſa, ab opere bono abſtinebunt. Ut ſolvantur aliæ difficultates, quæ hic examinari ſolent.

Quæres I. an propter ſcandalum dimitti debeant bona temporalia. R. vel domini ſumus hujuſmodi bonorum, ut ſi ſint propria, vel ſolum diſpenſatores aut curatores, ut ſi ſint Eccleſiaſtica, vel aliena. Si 1. bona hæc *dimittere, vel ea tribuendo ſi penes nos ea habeamus, vel non repetendo, ſi apud alios ſint, propter ſcandalum quandoque debemus, quandoque non.* (*S. Thom.*) *Si enim ſcandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum .... tunc vel totaliter dimittenda ſunt*; modo tamen jactura non ſit magna, cum hæc non ſit neceſſario ſuſtinenda; quando proximus non eſt in extrema neceſſitate: *vel aliter ſcandalum eſt ſedandum, ſcilicet per aliquam admonitionem* & inſtructionam; *& hoc quandoque magis prodeſſet*, ne alioquin is, qui bona hæc detinet, in ſuo errore foveatur, quod ſi poſt inſtructionem adhuc perſeveret ſcandalum, communiter malitiæ potius, quam infirmitati attribuendum erit. Si tamen, ut abſolute fieri poteſt, ſcandalum pergit eſſe effectus infirmitatis, debet tunc aliqualis bonorum temporalium jactura ſuſtineri, cum ſcandalum illud aliter coerceri non poteſt. *Propter eos* autem, *qui ſcandala phariſaica concitant*, non ſunt temporalia dimittenda; quia hoc & noceret bono communi, daretur enim malis rapiendi occaſio; & noceret ipſis rapientibus, qui retinendo aliena, in peccato remanerent.

Si 2. *bona hæc non ſunt propter ſcandalum dimittenda, ſicut nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis*; quia non poſſumus alii dare id, quod noſtrum non eſt, niſi id neceſſe ſit ad avertendum malum longe gravius, puta perſeverantiam in hæreſi, quam plures ejurare nolunt, ne Eccleſiæ bona reſtituere cogantur.

Quæres II. an ei, qui aliter a graviori peccato averti nequit, liceat ſuadere minus peccatum. R. nunquam licet ſuadere directe peccatum etiam levius; quia peccat quiſquis ad peccatum etiam leve inducit. Ei tamen, qui jam omnino determinatus eſt ad adulterium, aut fornicationem, licet ſuadere, ut in fornicatione ſiſtat; quia ſic non ſuadetur commiſſio minoris peccati, ſed omiſſio gravioris.

Quæres III. an reus ſit ſcandali, qui proximo dat, aut vendit rem, vel operam, qua is male uſurus prævidetur, aut probabiliter putatur.

Reſpondent vulgo Theologi etiam accuratiores, illicitum eſſe hæc dare, aut vendere, quando ſine gravi damno denegari poſſunt: contra vero non peccari, ſi adſit cauſa juſta & proportionata excuſans, & deſit intentio cooperandi peccato alterius; nec alter re illa contra bonum Reipublicæ, vel Eccleſiæ ſit abuſurus; nec demum res, vel opera, quæ præbetur, ex ſe, aut ex talibus circumſtantiis proxime adjuvet ad peccatum.

Prima pars patet, quia tenetur unuſquiſque impedire malum proximi, ſaltem cum id ſine gravi incommodo poteſt; ergo & a fortiori tenetur non ſuppeditare ei materiam, vel operam, qua uſurus eſt ad peccatum. Unde peccant mortaliter caupones, qui præbent carnes die jejunii, illis, de quibus dubitant, aut dubitare debent, an non iiſdem contra Eccleſiæ prohibitionem uſuri ſint; vel vinum copioſum iis, quos inebriandos prævident.

Secunda pars, quæ meo quidem judicio, non parum habet difficultatis, probari poteſt; I. ex communiori Theologorum ſenſu. II. quia qui aliis rem de ſe licitam, v. g. vinum militibus eo ad ebrietatem abuſuris, ſuppeditat, cum illud ſine damno vitæ, vel bonorum denegare nequit, non cenſetur in hoc caſu eorum peccato cooperari, ſed ſolum illud permittere ex urgenti cauſa: porro urgenti de cauſa licet permittere alterius peccatum; imo & id ponere, unde contra noſtram intentionem ſecuturum eſt. Sic licitum fuit Judith juſta de cauſa offerre ſe Holoferni cum *omnibus ornamentis ſuis, & incomparabili decore, cui etiam Dominus contulit ſplendorem*, (*Judith. 10.*) etſi prævideret ipſa Holofernem oculis ſuis capiendum eſſe. Sic gravi de cauſa poteſt juramentum exigi a Mahumetano, qui licet ſine peccato jurare poſſit, prævidetur tamen ſuper Alcorano juraturus. Licet etiam ab uſurario mutuam pecuniam poſtulare, quam is non ſine peccato conceſſurus eſt. Ratio eſt, quia in his caſibus gravior urget obligatio, quam vitandi ſcandali, cujus materia ſubminiſtratur.

Si

Si dicas cauponem, qui militibus vinum præbet, velle interpretative eorum ebrietatem, dicam I. eum si vinum deneget, velle interpretative mortem suam, vel excidium domus, aut blasphemias, & execrationes, ipsa ebrietate majores, dicam II. non censeri quempiam velle interpretative id, quod contra intentionem suam justa, & gravi de causa fieri permittit.

Hic tamen certas exigunt conditiones Theologi. Prima est, ut materia peccandi, quæ proximo subministratur, sit ex se bona, vel indifferens. Si enim communiter ad usus malos soleat destinari, ut venenum, illud præcipue, quod vix ad aliud, quam ad nocendum deservire potest; tunc neganda erit hæc materia, nisi hic, & nunc moraliter constet cessare periculum pravi usus, v. g. venenum illud peti ad confectionem remedii, vel colorum. Eadem de causa non possunt artifices vendere id, quo certa hominum conditio nunquam utitur absque peccato, puta idolum Pagano.

Secunda conditio est, ut subministratio materiæ, aut facultatis etiam remotæ, non fiat ex prava intentione, v. g. inducendi, aut juvandi hominem in actione peccati. Is enim influxus est directa ad malum cooperatio semper prohibita.

Tertia, ut qui materiam hanc indifferentem præbet, non teneatur ex officio peccatum impedire, ut Pastor, Superior, Magistratus.

Quarta, ut quamvis non subministrares materiam peccandi, peccatum tamen eodem modo committendum sit; alioqui enim esses reipsa causa peccati, nisi tamen aliunde tunc gravius urgeret præceptum, ut jam dictum est.

Quinta, si is, cui materiam subministras, ea contra justitiam abusurus sit, tunc subministrare non potes, (nisi damnum, quod alioqui tibi ille comminatur, tam grave sit, ut non tenearis illud subire ad impediendum damnum tertio inferendum:) strictior enim est obligatio impediendi alterius peccatum tertio nociturum, quam si soli suo auctori noceret; quia is quidquid subit damni, voluntarie patitur; alter vero, cui vides malum præparari, hoc non subit nisi invitus. In his quidem decisionibus multa hinc, & inde stabiliuntur principia, quæ non admodum cohærent: sed quid in praxi melius, quam a saniorum Theologorum placitis non recedere?

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De aliis peccatis Charitati oppositis.*

QUæres I. quid sit odium, quotuplex, & quale peccatum?

R. I. odium est actus mentis objectum aversantis. Odium duplex, aliud *inimicitiæ*, quo quia personam odimus, optamus, ut ei male sit. Aliud *abominationis*, quo personam aversamur, non præcise ratione sui, sed ut nobis noxiam.

R. II. odium quodcumque Dei est gravissima noxa; odium vero proximi, si sit inimicitiæ, semper peccatum est; si autem sit abominationis, quandoque est peccatum, quandoque non.

Prob. 1. pars, tum quia odium Dei directe evertit formalem rationem charitatis, & expresse contemnit id, quod est summe diligendum; tum quia non sine gravi supremi entis injuria optari potest, ut non sit, aut ut aliqua careat perfectione; quod fit per odium.

Prob. 2. pars, quia ex I. Joan. 3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Potest tamen proximi odium veniale esse ob materiæ levitatem, ut si ex levi personæ displicentia, leve ei malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod materiæ levitatem non admittit, quia vel levissimum malum exoptare Deo, est gravissimam eidem injuriam irrogare.

Prob. 3. pars, quia, si, ut justi solent, personam diligas, solumque vitia ejus oderis, laudem mereris, nedum vituperia. Unde sic ajebat Psaltes Psal. 138. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam? Perfecto odio oderam illos*; quæ verba expendens Augustinus: *Hoc est*, inquit, *perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.*

Hic nota I. circumstantiam eorum, qui odio habentur, si sit specie diversa, esse in confessione aperiendam. Unde qui odit parentes, uxorem, filios, fratres, benefactores de se eximie meritos, Superiores Ecclesiasticos, Principem suum, &c. id in confessione exprimere debet. II. exprimendum etiam esse in confessione malum, quod proximo exoptatum est. Nam exoptare proximo æternam damnationem, mortemve, vel infamiam, sunt actus, qui licet ab uno eodemque specifice odio imperentur, diversas tamen habent deformitates. III. illicitum esse optare, vel imprecari malum proximo ut ejus malum est; aut dolere de ejus bono qua tali: quia hæc totidem sunt actus charitati repugnantes; adeoque mortales ex genere suo, nisi excuset consensus imperfectio, aut levitas materiæ. Item illicitum est gaudere de malo proximi, quamvis non ut malo ipsius, sed præcise propter bonum minus sive nostrum, sive proximi. Hinc damnata est ab Innocentio XI propositio ista: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum obventura est ei pinguis hereditas.*

Potest tamen aliquis, ait S. Thomas in 3. dist. 30. a. 1. *salva charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, vel Ecclesiæ .... vel secundum quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus.* Sic desiderare potes affectu inefficaci, ut insignis nebulo morbo afficiatur, quo tandem resipiscat a peccato. Sic gaudemus de justo hostium excidio, de Tributorum damnis, de scelestorum supplicio, ob utilitatem regni, vel Ecclesiæ.

Ex dictis colliges maledictionem, seu imprecationem, qua quis sibi, vel alteri malum optat, esse peccatum nunc grave, nunc leve (*Vid. Syl.* 2. 2. *q.* 76.) Grave quidem I. si tibi, vel alii optes ex animo malum grave, puta ut diabolus te rapiat, ut moriaris, &c. II. si, quamvis id non exoptes ex animo, exoptes tamen vel *scandalose*, ut faciunt parentes coram

liberis

liberis, quos hoc suo exemplo sibi, vel aliis malum grave imprecari docent, vel *contumeliose*, ut si persona, cui mala hæc ore taans imprecaris, singulari veneratione digna sit. Est tamen a gravi culpa immunis, qui *ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.* (*ex S. Thom.*)

Hic tamen discernendum est tempus passionis a tempore quietis: quandoque enim evenit, ut præterita passione nollet quis avenire malum, quod tamen invalescente passione satis serio, & deliberate imprecatus est: sicut ei accidit, qui vehementi tentatione abreptus concupiscit mulieem, quam uno post momento aoncupiisse pœnitet, & tunc neuter a peccato letali excusatur (ex *Sylvio*). Curabunt ergo Confessarii, ut maledicos interrogent, an ex animo, vel non; an unum, vel plura mala, & cujus generis; an iis, quibus plus charitatis, & reverentiæ debent; an uni, vel multis, fuerint imprecati. Id etiam attendent, quod creaturis irrationalibus diabolum, vel mortem optare, ut rustici solent, sit per se peccatum veniale, eum sit *otiosum, & vanum, ac per consequens illicitum* (ex *S. Thom.*). Imo vacat a culpa maledictio illata non rei secundum se, sed consideratæ ratione mali, quod in ea, aut per eam accidit, aut cujus origo fuit & principium. Sic David maledixit montibus Gelboe. Graviter tamen peccaret, qui malediceret creaturæ irrationali, vel quatenus est homini utilis, vel quatenus est opus Dei: in primo enim casu censeretur æquivalenter maledicere homini; in secundo adversus Deum blasphemaret.

Quæras II. quid sit discordia. R. discordia est dissensio voluntatis a volantate alterius in iis, in quibus alter alteri consentire tenetur ex charitate Dei, vel proximi (*S. Th. 2. 2. q. 37.*). Est autem peccatum ex natura sua mortale, cum dicat Deus Provarb. 6. se detestari *eum, qui seminat inter fratres discordias*. Si quis tamen bona fida putet malum, vel minus bonum esse id, quod alteri bonum videtur, poterit hic vel leva, vel nullum subesse peccatum; & sic excusatur dissensio Paulum inter & Barnabam suborta. (*Act.* 15.) Quod si dissensio nimiæ pertinaciæ annexa sit, vel sit eum erroce circa ea, quæ sunt de fide, aut necessitate salutis, difficile est, ut diu a peccato etiam gravi immunis sit.

Quæres III. quid sit contentio. R. est altercatio verborum, quibus inordinate alter alteri contradicit. Est autem culpa mortalis: I. si impugnetur veritas *formaliter*, id est ex intentione eam impugnandi serio; veritas, inquam, ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave proximi bonum pertinens. II. si impugnetur varitas *virtualiter*, ut cum Hæretici impugnant id, quod male credunt falsum esse. III. si veritas licet *materialiter* solum impugnetur, solius nempe exercitii, vel inquisitionis causa, impugnetur tamen cum gravi aliorum scandalo, vel cum excessu notabili in verbis, conviciis, maledictis. (*Habere*) Nihilominus non solum homunciones, ac mulierculæ, sed & viri ceteroqui spectabiles, sæpe etiam Theologi, & Sacerdotes, etsi data occasiona in eosdem excessus semper prolabuntur, vix unquam suam hanc agendi rationem, ab Apostolo inter opera carnis, quæ excludunt a regno Dei, enumeratam in se redarguunt. (*Galat.* 5.)

Quæres IV. quid sit schisma, quotuplex, quale peccatum, & quibus pœnis subjaceat?

R. ad 1. schisma, seu scissio est actio, qua baptizatus se voluntarie separat ab unitate Ecclesiæ (*ex S. Thom. q. 3.*), prout hæc unitas consistit, vel in mutua membrorum inter se communicatione, vel in ordine membrorum omnium ad unum caput: præcipua enim ratio cur Ecclesia sit una, est ipsa membrorum inter se, & cum capite connexio. Unde schisma tribus modis contingera potest: I. cum quis separat se a capite, licet non expresse a ceteris membris, ut is faceret, qui institueret, vel sequeretur Pseudopontificem. II. cum quis etsi non separet se expresse a capita, separat se a membris Ecclesiæ, ut si quis nolit communicare Gallis, aut Hispanis, quantum ad ea, quæ sunt Religionis; aut *ab Episcopo suo ita se dividat, ut nolit ipsi tanquam Pastori subjici.* (*ex Silvio.*) Quin & separatio ab uno Fidele cum ceteris communicante est virtualiter separatio ab omnibus aliis, quibuscum ille communicat. III. cum quis expresse, vel opere ipso recedit a capite, & membris, adeo ut nec capiti subesse velit, nec iis communicare, qui ipsum ut verum Pontificem sequuntur.

R. ad 2. Duplex est schisma: aliud *parum*, quod paci solum, charitati, vel obedientiæ opponitur; aliud *conjunctum hæresi*, quod dissensionem in fide annexam habet. Schisma purum est actio, qua quis totam Ecclesiæ Romanæ fidem conservans, separat se a capite, vel a membris. A Capite, inquam, non quidem negando Romanum Pontificem esse Caput Ecclesiæ; jam enim esset istud schisma hæresi conjunctum, sed negando tamere hunc in particulari esse Papam, aut sic se gerendo cum eodem, ac si Papa non esset, ut si quis Antipapam aligere velit, &c. & is est usitatior schismatis modus. A membris vero, ut si quis ita se separat a reliquo corpore Ecclesiæ, ut cum eo in Sacramentorum participatione communicare nolit. Schisma conjunctum hæresi importat dissensum in ipsa fida, tale est schisma Græcorum, qui negant primatum Papæ, &c.

R. ad 3. Schisma est peccatum speciale, & gravissimum. Speciale quidem, quia specialis in eo reperitur deformitas, læsio scilicet unitatis tam speciali modo facta, ut eam non violeat eodem modo etiam scelestissimi peccatores, qui non obstante peccato suo Ecclesiæ uniri pergunt. Gravissimum vero, tum quia lædit præclarissimum quoddam bonum, scilicet unitatem Ecclesiæ, tum quia semper a Patribus inter immania quæque scelera recensitum est. Unde Augustinus Epist. 152. *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christianitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

R. ad 4. Schismatici I. excommunicantur tum in Bulla Cœnæ, quæ in Galliis vim non habet, tum, ut satis probabile videtur Suarezio, in capite *Nulli*, dist. 19. II. inhabiles sunt ad suscipienda beneficia,

donec

donec, adjurato schismate, cum eis fuerit dispensatum, cap. 5. *De elect.* III. nec beneficia valide conferunt, nec licitam dant Ordinum executionem: unde ab iis scienter ordinati, ab eorumdem Ordinum exercitio suspensi sunt cap. 1. & 2. *De schismat.* Censet tamen Suarez hasce pœnas non incurri a schismaticis puris ante condemnationem; quia, inquit, omnia jura continentia easdem pœnas loquuntur de schismaticis simul hæreticis; & hæc est communis sententia. A fortiori ergo non privantur schismatici jurisdictione, cum ne hæretici quidem ea priventur, ut dixi supra pag. 264.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De secundo Decalogi præcepto.*

SEcundum Decalogi præceptum his exprimitur verbis Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum: nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra.* Præceptum hoc quatenus affirmativum est, præcipit, ut *sanctum* Dei nomen honoretur, quatenus vero est negativum, prohibet, ne idem nomen *terribile* quacumque irreverentia violetur.

Porro Dei nomen multipliciter honoratur: I. *cum in omnium conspectu Deum ac Dominum nostrum fidenter confitemur, Christumque salutis nostræ auctorem prædicamus* (*Catech. Trid.*); de quo supra pag. 258. &c.

II. *cum verbo Dei, quo voluntas ejus enuntiatur, sancte, & diligenter operam damus, in ejus meditatione assidue versamur, studiose illud addiscimus aut legendo, aut audiendo, perinde ut cujusque personæ, & muneri*, seu statui *aptum, & consentaneum est* (*Ibid.*). Unde colliges inhonorati divini nominis reos esse non tantum Pastores, qui verbi ministerio instare negligunt, quive e sacro suggestu res ineptas proferunt, aut Scripturas adulterant, vel in alienos sensus detorquent; sed & eos etiam, qui sic vivunt, ut per ipsos *nomen Dei blasphemetur in gentibus* (*Rom.* 1.): item & eos, qui impietati non obsistunt, cum utiliter obsistere possunt, aut qui saltem non dolent, quod Dei nomen tam indigne profanetur. Alia sane fuit agendi ratio Mathathiæ, cujus profundum ex conspecta Judæi unius impietate dolorem tam graphice expressit Scriptura, Machab. I. c. 2. *Et vidit, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum legem.* Alia S. Pauli, cum Athenis *videns idololatriæ deditam civitatem incitabatur spiritus ejus in ipso* (*Act.* 17.) Alia, ne Sanctos omnes nominem, Theresiæ, quæ infidelium tenebras perpetuis deflebat lacrymis.

III. *divinum nomen veneramur, & colimus, cum officii, & religionis causa divinas laudes celebramus, ac de omnibus rebus tum prosperis, tum adversis illi singulares gratias agimus* (*Ibid.*) secundum id Psalm. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*: cui mire concinebat Job, cum in ipso dolorum æstu hæc placide verba proferebat: *Sit nomen Domini benedictum*, &c. 6. *Qui cœpit, ipse me conterat....& hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus sancti.*

IV. *neque minus Dei nomen honoratur, si fidenter opem ejus imploramus, quo scilicet aut nos ab* ærumnis, ceterisque malis *liberet, aut ad eadem fortiter perferenda constantiam & robur largiatur. Hoc enim fieri vult Dominus*: Invoca, *inquit Psalm.* 49. me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

V. denique *Dei nomen honore prosequimur, cum fidei faciendæ causa Deum testamur* ope juramenti legitimi; vel cum vota sancte emittimus, & emissa fideliter implere conamur.

Non minor est extensio ejusdem præcepti, si sumatur, ut negativum est: I. enim eo prohibetur juramentum quodcumque imprudenter, & temerarie prolatum. II. & a fortiori perjurium omne. III. votorum debite emissorum neglectus, & inobservantia. IV. blasphemia, & quidquid ad irreligionem pertinet. V. indiscreta, nec pia satis divini nominis usurpatio, cujus reos ex malo quodam habitu faciunt se viri timoratæ ceteroqui conscientiæ. Ne vero gratis id, & quasi judaice dictum videatur, oro ponderari tum id Eccli. 23. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis*; tum id Theodoreti interrog. 41. Exod. *Ego puto divinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronunciet sine aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariæ cujuspiam occasionis. Solent enim nonnulli, etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum Dei nomen lingua proferre. Hoc arbitror divina lege prohiberi.*

Quod de nomine Dei, idem servata proportione tum de Mariæ nomine, tum de Scripturæ verbis intelligendum, quæ multi ad vilissima, quin & ad nugatoria temere, irreverenter, ac proin non sine culpa quotidie insumunt.

Circa hanc tanti momenti materiam non est quod pluribus hic immorer; quia præcipuas, quæ circa votum, juramenta, & blasphemiam moveri solent difficultates, expendam in Tractatu de Religione.

## CAPUT TERTIUM.

### *De tertio Decalogi præcepto.*

TErtium Decalogi præceptum exhibent hæc verba Exodi 20. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices... non facies omne opus in eo*, &c. Huic Sabbato diem Dominicam substituerunt Christiani: I. quia ea die resurgens Christus a laboribus suis quievit in perpetuum. II. quia eadem die in Apostolos illapsus est Spiritus Sanctus. III. quia extincta Judaica lege Festa ejus extingui debuerunt. Haud tamen extingui debuit publicus, & solemnis cultus Dei; quia præceptum de sanctificatione Sabbati, licet quoad hunc diem cæremoniale, morale erat quantum ad necessitatem certo quodam tempore divina beneficia contemplandi, & celebrandi nomen Omnipotentis, quo meliori modo fieri possit.

Ut

Ut autem Judæis quædam die Sabbati prohibita, quædam imperata erant, sic & Christianis: ea porro ut bene intelligantur, sit

## ARTICULUS PRIMUS.

*Quæ Christianis Dominica die prohibita sint.*

CErtum est: I. non id omne Christianis prohiberi Dominica die, quod Judæis Sabbato vetitum erat. Licet enim apud nos parare cibum, & coquere, colligere fructus mensæ apponendos, animalia minora, pullos v. g., & lepores occidere, non tamen majora, ut vitulos, & oves, nisi anticipatam eorum occisionem impedierit caloris æstus. Ea quoque tolerantur, quæ pertinent ad nitorem domus, aut ad decentem hominis compositionem, ut sternere lectum, quædam ædium loca verrere, leviter lavare vasa nonnulla, vestium sordes abstergere, in iisdem vestibus parum quid reficere, quod ante prævisum non fuerit: quæ enim ex istis pridie peragi facile possunt, ad ipsam Domini diem remitti non decet.

Certum est II. quædam esse, quæ Christianis non minus interdicta sint, quam Judæis: quod ut intelligatur, triplicis generis opera distingui debent, servilia scilicet, liberalia, & communia. *Servilia* opera sunt ea, quæ a servis, & infima plebe, seu mercenariis hominibus exerceri solent, qualia sunt artium omnium mechanicarum opera, ut fodere, arare, suere, &c. Hæc porro opera etsi gratis fierent, aut recreationis, vel piæ intentionis causa non desinerent esse servilia, quia intentio non mutat naturam operis, unde si plebeis prohibita sint Dominicis diebus, sunt etiam ingenuis prohibita. Opera *liberalia* sunt ea, quæ sive habeant, sive non habeant effectum materialem, animo magis, quam corpore exercentur, aut ad animum ordinantur principaliter, ut v. g. docere, canere, studere, scribere, dare consilia, & responsa, linearum domus, munimenti, picturæ, vel operis textorii adumbrationem ducere (*Babin*). Opera *communia* sunt ea, quæ plebeis perinde ac nobilibus competunt, ut iter agere, venari, piscari, ludere & similia. His positis, sit

CONCLUSIO I. Peccant graviter, qui Dominicis, Festive diebus exercent opera servilia, aliaque divino, vel humano jure prohibita, nisi excuset pietas, necessitas, aut levitas materiæ.

Prob. 1. pars, tum ex praxi, & sensu timoratorum omnium, tum ex consuetudine in Ecclesiis omnibus recepta, tum ex traditione Patrum. *Vacatio a servilibus operibus imperatur*, ait S. Augustinus Epist. 36., *unde illud est, quod lapidare Deus hominem jussit, qui ligna collegerat.* S. Leo Lib. XI. Epist. 3. *Dominicorum die*, inquit, *a labore terreno cessandum est, atque omnino orationibus insistendum.* Atque id Deus ipse pluries, & terribiliter docuit: *Multi nostrorum visu*, ajunt Patres Concilii VI. Parisiensis, *multi etiam quorumdam relatu didicimus, quosdam in hac die ruralia opera exercentes fulmine interemtos, quosdam artuum contractione multatos, quosdam etiam visibili igne corporibus, ossibusque simul sub momento absumtis in cinerem subito resolutos, pœnaliter occubuisse. Et multa alia terribilia judicia extiterunt, & hactenus existunt, quibus declaratur, quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur.*

Prob. 2. pars, quia Festa violantur per opera, quæ licet stricte servilia non sint, sunt tamen juxta Dei, vel hominum leges pejora servilibus, aut iisdem æqualia. Sic Festa violantur per peccatum, & quidem magis, quam per quodcumque *aliud corporale opus licitum*, ut docet S. Th. 2. 2. q. 122. a 4.

(✠) His valde consona sunt quæ habentur apud S. Antoninum p. 2. tit. 9. c. 7. „ Festum violatur, inquit, & male celebratur ex triplici negligentia, „ seu defectu. Primo quia non cavetur a delictibus „ criminalibus. Secundo quia non inhæretur actibus „ spiritualibus. Tertio quia non abstinetur ab operibus manualibus... Peccatum ergo mortale commissum die festo est multo gravius, quam alia die „ idem peccatum, ratione festi; nam ultra propriam „ deformitatem, puta furti, vel fornicationis, & „ hujusmodi, habet specialem deformitatem ex illa „ circumstantia temporis sacri, qua festum violatur. „ Unde talis, ut dicit Niculaus de Lyra, non solum agit contra unum præceptum, scilicet, *Non mœchaberis &c.*, sed etiam contra illud de sanctificatione Sabbati „. Videantur Scotus, Alexander Halensis, Abulensis, S. Bonaventura, S. Raymundus, aliique inter veteres.

Animadvertere tamen debet Confessarius, quod licet teneantur Fideles hanc peccati circumstantiam in confessione declarare, attamen non ideo præteritas confessiones iterandas esse propter illius omissionem; si hujusmodi obligationem invincibiliter ignoraverint. (✠)

Sic etiam vetant leges plurimæ: I. ne diebus Festis habeantur strepitus forenses, imo quidquid fit tunc temporis judicialiter, ipso facto irritum est. II. ne feratur sententia capitis, aut alterius pœnæ; (quod juxta aliquos locum non habet sive in castris, ubi quis ad aliorum terrorem sine processu, statim ut apprehensus est in delicto, suspenditur; sive cum metuere est, ne dilata sententia executioni mandari non possit.) III. ne fiat juramentum quodcumque etiam extrajudiciale, puta ad confirmationem contractus, nisi illud exigat utilitas gravis, aut pia quædam cæremonia, vel fidei professio. IV. ne habeantur mercatus, sive ii consistant in nundinis solemnibus, idve, ad quas singulis hebdomadibus concurrere solent rustici, grana, butyrum, & similia vendituri; sive consistant in qualibet emtione, venditione, conductione, locatione, & similibus, quæ profestis diebus fieri debent, si possint. De his adi Pontas * v. *Dominica*

* *Pontasii doctrinam in eo quod pertinet ad nundinas restringit auctor Coll. Andeg. Tom. 2. in Decalog. p. 208. ita ut nundinas non quidem diebus Dominicis Festisve Patroni, aut solemnibus; sed iis, quæ minus solemnia sunt, haberi permittat, & ita statuisse videtur Senatus Parisiensis, præsertim Arresto an. 1667. quo vetantur mercatus, & nundinæ Festis diebus Paschatis, Pentecostes, Sanctorum omnium, Nativitatis Domini, Corporis Christi, B. Virginis, Ascensionis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Patroni, & aliis quibuslibet Dominicis.*

ea caf. 5. & N. Alexandrum Reg. 1. 2. &. 3., ubi fuse demonstrat convivia publica, comessationes, choreas, ludos theatrales. & quævis spectacula Dominicis, Festisve diebus agi, aut frequentari sine gravi peccato non posse, quibus præsertim horis Officia divina celebrantur.

(✠) Benedictus XIV. duabus Constitut., quarum prima incipit: *Paternæ charitatis*, dat. Romæ die 24. Augusti 1744., altera vero: *Ab eo tempore*, prohibet diebus festis Mercatus, & Nundinas, imo has *aperte asserit ecclesiasticis legibus quovis tempore fuisse vetitas*. Videatur Concil. Med. 1. Const. p. 1. tit. ult. *de festorum dierum cultu*.

Rursus idem S. P. peculiari Constit. quæ incipit: *Nihil profecto*, dat. Romæ die 12. Augusti 1742. prohibet, ne diebus festis *Christianus populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis, aliisque id genus licentiis vacet*.

Hæc jam pridem a Religiosis Principibus statuta fuerant. Sic præ cæteris Victor Amedeus II. Sardiniæ Rex in suo Codice lib. 1. tit. 2. §. 4. piissime præcepit: I. *Non sarà lecito a veruna persona di qualunque stato, grado, o condizione ella sia di esercitare pubblicamente ne' giorni suddetti* (id est diebus festis) *alcuna sorta di opera servile, se non ne' tempi, che per l' esigenza de' lavori di campagna, o per altri casi di simile necessità saranno permesse; nè di far fiere, o mercati, ne di vendere, o comprare cosa alcuna*. II. §. 5. *Nel predetto tempo de' divini offizj non sarà permesso a veruno di tenere giuochi pubblici, o giuocare in essi, saltare in banco, far maschere, circoli, radunanze, o balli*. III. §. 7. *Nelle osterie saranno proibiti i giuochi, le maschere, i balli, non solo nel predetto, ma in ogni altro tempo di giorno festivo, sotto pena tanto per il presente, quanto per gli altri casi sopra espressi, di scudi due d'oro per ciascun contravventore.* (✠)

Prob. 3. pars, quia *non vetantur ea opera, quæ ad divinum cultum attinent, etiamsi servilia sint, ut altare instruere, templa alicujus Festi diei causa exornare, & reliqua hujus generis.... Sed neque earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die Festo prætermittantur*. Ita Catechismus Tridentini Concilii, cujus tamen doctrina cum aliqua limitatione intelligenda est, ut patebit Coroll. 2.

Hinc colliges I. prohibita esse feriatis diebus non crassiora tantum opera, ut metere, fœnum siccare vertendo, exercere artes ferrariam, textoriam, fabrilem quoque cujuslibet ea sit generis, ut sculpere sigillum, celare in auro, &c. sed & ea etiam opera, quæ a nobilibus feminis fiunt, ut acu pingere, versare fusum, & similia, quæ licet a quibusdam Confessariis permittantur hoc prætextu, quod melius sit iis vacare, quam ludo, & aliunde humana mens cœlestium meditationem tota die ferre non possit, haud tamen videntur esse permittenda: I. quia repugnant Ecclesiæ legi, quæ generalis est; imo quæ acupictiles operas expresse prohibuit in Concilio Aquisgranensi c. 22. II. quia sine fundamento repetitur servilitas operis ex intentione lucri; alioqui princeps, torni, aliarumve hujusmodi artium scius, iisdem sine culpa vacare poterit per longum temporis festivi intervallum. Quod si cui ludus opere servili deterior videatur, abstineat ab utroque, ut faciunt non pauci. Quanquam dubito, an Dei jussu lapidatus fuisset Judæus, qui ligna collegit Sabbato, si tantum honesta aliqua recreatione etiam ludi animum levasset.

Colliges II. prohiberi ea etiam servilia opera, quæ pietatem sapiunt. Unde peccant I. Monialis, quæ diebus Festis Scapularia, vel Rosaria conficit; quo ferme modo peccaret artifex, qui Christi, aut Virginis statuam ex pia etiam intentione fabricaret. II. aulæorum opifex, qui iisdem diebus tapetibus ornat Ecclesiam, quam prius ornare potuerat; item qui serta pro altaribus conficeret, qui panes consecrandos faceret, qui mappas, corporalia, aut Ecclesiam lavaret, nisi gravis urgeret necessitas; quia hæc opera remote tantum, & præsuppositive ad Dei cultum, & ad Festos dies se habent. III. peccant a fortiori qui tabellas pingunt, sicut & qui exculpunt statuas: item qui Typographicos caracteres ordinant, aut subjiciunt prælo.

Colliges III. graviter peccare tum patresfamilias, qui pro virili non obstant, ne filii sui serviliter laborent, tum eos, qui domesticis suis boves, vel oves pascendas committunt, quo tempore Sacrum peragitur, ita ut servi Missam quandoque non audiant; tum Œnopolas, & alios, qui tempore Officii divini tabernas aperiunt pro concivibus, quod Ecclesiastico, perinde ac civili jure prohibitum est.

Colliges IV. innumeros circa hanc materiam, ut & alias plerasque, proponi casus, qui non aliter quam ex circumstantiis definiri possunt. Quæritur v. g. an barbitonsores, pistores, minutarum mercium propolæ Festis diebus operari, aut merces vendere possint; qua de re videndum est, an, & quale passuri sint, vel aliis procreaturi incommodum, si ab artis suæ exercitio abstineant. Si enim abstinendo tantum damni ferant, ut se, suosque jam sustentare non possint, indubie laborare possunt: rursus si ex labore profesti temporis satis quidem lucri percipiunt, ut hinc vivere possint, sed grave aliis incommodum parituri sint non laborando, non sunt arguendi, si laborent, aut vendant. Hinc qui in pagis barbam radunt diebus feriatis, non peccant ut plurimum; quia rustici perpetuo depressi labore, vix ac ne vix quidem alio tempore sibi prospicere possunt. Pariter urbium mercatores rusticis calceos, vestimenta &c. modo citra scandalum, vendere possunt, cum ii non alia die ad urbem accedere valeant. Demum transitorios pisces, ut sunt halecia, & scombri, piscari licitum est *ingruente necessitate, præterquam in majoribus anni solemnitatibus*, c. 3. *De feriis*.

Sed hic nota eos, qui in gratiam solius gulæ laborant, quales sunt, qui panes a furno calentes præbent, vel artocreata conficiunt, non excusari, nisi cum alioqui grave sibi damnum imminet. Quin cupedinarii pistores, qui diebus Dominicis, & Festis compluribus laborant, rei sunt perjurii, cum in receptione sua spoponderint, se prædictis diebus abstenturos a labore, de quo loquimur: utique enim crustula, seu, ut ajunt, biscotia pro infirmis conficere non prohibentur.

Colliges V. non peccare eos, qui ob aeris intem

 periem;

periem, hostiles incursus, &c. messem, vindemiam, foena colligunt. Necessum tamen est, ut ante obtineant Pastoris consensum, nisi periculum sit in mora: tunc enim laborare possent ex præsumto ejus consensu; sed cum magna cautione utendum ejusmodi licentia præsumta. Interim in casu privatæ necessitatis certo cognitæ sufficit licentia Parochi: si vero publica sit necessitas, & laborem per plures Festos dies duraturum postulet, recurrendum est, si commode possit, ad Episcopum, ut omnia fiant secundum ordinem (*Babin*).

Ex eadem necessitatis causa excusantur sartores, qui vestes funereas ipso necessarias die, aut vestes militum eadem die profecturorum absolvunt. Item & salinarii, nautæ, aurigæ, ii etiam, qui coquendis lateribus, calci, vitro, ferro, & cerevisiæ allaborant, quoties opera hæc semel inchoata sine gravi damno intermitti non possunt, ut non possunt communiter. Circa viatores autem sequenda est hæc regula N. Alexandri: *Itinera diebus Dominicis, & Festis licita faciunt pietas, & necessitas, non quæstus, & utilitas temporalis, sive lucrum minime necessarium, aut voluptas, sive recreatio*. Unde stricte prohiberi debent vanæ eæ peregrinationes, in quibus permixti utriusque sexus juvenes, pietati fere nihil, sed gulæ, & libidini potissimum indulgent.

Quæres quoti temporis labor gravis in hac materia censeatur. R. unam laboris horam videri quid grave. Nihil autem interest, an quis per se, an per famulos laboret, quia per se quis facit, quod per alium. Imo ne quidem Ethnicum labori addicere velim, tum quia alias nusquam is obligaretur tertio præcepto, quod tamen majori ex parte morale est; tum quia pejor esset infidelis servi conditio apud Christianos, quam apud Judæos, quorum servi indistincte a laborando abstinere jubebantur.

CONCLUSIO II. Opera liberalia, vel communia Festis diebus prohibita non sunt; iis tamen non nisi intra justos limites vacandum.

Prob. 1. pars, quia Ecclesia prohibet solum opera servilia; non ergo cetera.

Hinc per se licitum est studio vacare, disputare, legere libros, aut componere, Advocatum consulere, consilia dare in scriptis, scribere, & transcribere ea, quæ pertinent ad litis informationem, accepti, & expensi rationes inire, ac subducere, easdem e diurno libro in alium transferre, instrumenta musica movere, digladiare, exercere milites, præliari; quia hæc vel servilia non sunt, vel pro servilibus non reputantur. Item nec illicitum videtur piscari arundine, leporem insequi cum uno, aut altero cane, aucupari retibus exiguis. Aliud esset, si venatio, & piscatio tali fierent retium, & instrumentorum apparatu, qui plurimum exigeret laboris, & tumultus.

Etsi labor Notariorum proprie non est servilis, quia tamen comites habere solet partium disceptationes, multo salubrius est, ut ab eo penitus abstineatur, nisi urgeat necessitas exscribendi v. g. testamentum, aut instrumentum hominis jam profectum, vel multitudinis, quæ alia, quam Festiva die, convocari facile non possit.

Prob. 2. pars, quia sic prædictis laboribus serviendum est, ut nihil eorum prætermittatur, quæ ad piam festivitatum celebrationem necessaria sunt: hinc indubie peccat, qui secluso urgentis necessitatis casu, brevi Missa contentus, ceteras Officii divini partes negligit. Quin & eo gravius delinquit, quo vacat operæ vel inutili magis, vel quæ plus a Deo avocet. Unde vir nobilis, qui audita Missa, majori diei parte venatur, videtur reus dubii saltem peccati mortalis; imo hic letale peccatum arguerem, si vir ille a venatione reversus, nihil amplius in gratiam Dei faceret. A fortiori sacrorum dierum violatores censeri debent, qui magnam eorum partem in popinis transigunt, aut vinum transigentibus præbent.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Quid a Christianis die Dominica præstandum.*

CErtum est ad sanctificationem Festorum haud satis esse, ut quis ab opere servili cesset, & otio indulgeat, cum otiositas sit ex S. Bernardo *mors animæ, & sentina omnium malorum*. At non ita facile definiri potest, quid præcise requiratur, ut fideles obligationi suæ faciant satis, quantum necesse est, ut vitent peccatum leve, vel grave. Quæ certiora videbuntur proponemus, parati quod minus recte dictum fuerit, ex Doctorum judicio emendare. Rem totam duplici Sectione expediemus, quarum prior de Missa differet, posterior de ceteris pietatis operibus.

### SECTIO PRIMA.

*De Missa.*

CIrca Missam quatuor hic indaganda: I. an audiri debeat. II. quæ. III. quomodo. IV. quibus de causis omitti aliquando possit.

CONCLUSIO I. Fideles omnes rationis usum adepti, sub gravi peccato Missam Festis, ac Dominicis diebus audire tenentur.

Prob. I. ex unanimi Doctorum, & simplicium fidelium sensu. II. ex innumeris Conciliis, quæ, ut Aquense an. 1585. *Missam sine gravissimi peccati culpa prætermitti non posse* declarant. III. ex censura hujus propositionis, quam reprobavit Innocentius XI. *Præceptum servandi Festa, non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemtus*: porro eo ipso, quo præceptum servandi Festa obligat sub mortali, debet & in eodem genere obligare præceptum audiendæ Missæ, quod præcipuam divini cultus partem importat.

CONCLUSIO II. Fideles Parochiali Missæ identidem interesse tenentur sub mortali.

Antequam probetur hæc magni momenti Conclusio, animadvertendum est eos, qui pro, & contra pugnant, convenire: I. eum esse Ecclesiæ spiritum, ut fideles quantum possunt, Parochiali Missæ intersint. II. ubicumque viget lex Missam solemnem audiendi, eidem esse obediendum sub peccati pœna; quia lex ea justa est, & *leges si justæ sunt, habent vim obligandi in conscientia* (*S. Thom.*). III. peccare mortaliter

taliter eos, qui continuis Dominicis tribus absfuerint e Missa solemni iis in locis, ubi sub censuræ pœna prohibetur, ne quis eidem culpabiliter desit. IV. ejusdem letalis peccati reos esse, qui desunt eidem Missæ vel ex contemtu, vel cum scandalo, vel cum periculo ea ignorandi, quæ in *Pronao* edocentur. His præmissis, quæ utrinque recepta sunt, tota lis est, an eo præcise peccet quis letaliter, quod Missæ Parochiali tribus continenter Dominicis non intersit, quæ lis ut pro modulo dirimatur.

Prob. Conclusio. Ut fideles sub gravi peccato teneantur interesse Missæ Parochiali, quatuor sufficiunt: I. ut id iisdem præceptum sit. II. ut præcipi potuerit. III. ut præceptum illud etiamnum sit in vigore. IV. ut sit in materia gravi: atqui hæc omnia constant. I. quidem præceptum est fidelibus, ut Parochiali Missæ intersint, idque naturali, & Ecclesiastico jure. De jure naturali patet; quia si naturali jure tenetur Pastor oves suas informare, eodem tenentur jure oves audire vocem Pastoris, ut qui pervigilet quasi rationem pro earum salute redditurus: atqui hæc nullatenus præstare possunt, qui Missæ Parochiali defuerint. Cum in ea, & quidem sola Pastores Dei legem exponere, idonea Parochianorum malis remedia propinare, Episcoporum Documenta perlegere consueverint; ergo.

At, inquiunt, suppleri potest Parochialis instructio per conciones in Ecclesiis Regularium habitas.

R. I. saltem hinc sequi maximam rusticanorum partem interesse debere Missæ Parochiali; quia pluribus in locis desunt Regulares, nec ubicumque sunt, publice concionantur.

R. II. Regularibus quibuscunque deesse tria, quæ obstent, ne cum majori etiam scientia, & forte zelo id præstent, quod Parochus. Is enim I. gregis sui morbos, usuras v. g., dissidia familiarum, artificum fraudes, superstitiones, &c. melius nosse debet, quam Regulares intra ædium suarum limites conclusi. II. majori pollet auctoritate, qua eorum frangat contumaciam, qui ex malitia, & temeritate peccant. III. potiorem Dei gratiam sibi a Deo spondere potest, qui, quos regendis populis præfecit, adjuvat potentius. Hinc tantopere præcepta Parochis residentia, & merito, cum experientia compertum sit, eorum absentiam nequidem Vicarii periti, æque ac vigilantis cura, & laboribus suppleri.

Quod spectat ad jus Ecclesiasticum, sufficiet hic adduxisse Concilium Trid. Sess. 24. c. 4. *De reform.* ubi sic: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*, quod *inter Missarum celebrationem* exponi debet ex eod. Concilio Sess. 22. c. 8. Male igitur Henno contendit hoc Decreto, & similibus *ad summum inculcari obligationem Missam in Parochia propria audiendi, sive interim sit privata, sive solemnis*, quod & aliqui confirmare nituntur ex voce *moneat*, qua utuntur Tridentini Patres, quæque, inquiunt, exhortationem sonat, non præceptum. Male, inquam, I. quia vox *teneri* de se, & natura sua strictam importat obligationem, eamque gravem, si ejusdem capax sit materia, prout in aliis agnoscunt adversarii. II. quia, ut dixi, sacra concio in Missa solemni habetur, & ut plurimum haberi debet juxta veterem, & novam Ecclesiæ disciplinam. III. quia vox *moneant*, millies invenitur applicata ad actiones stricte præceptas: sic Tobias c. 1. *Monita salutis dabat*, id est, docebat ad salutem necessaria: sic Deuteron. 21. Pater, & mater de filio præceptis paternis rebelli aiebant: *Monita nostra audire contemnit*; sic nos in Missa dicimus: *Præceptis salutaribus moniti*.

Idem docent: I. multæ Provinciales Galliarum Synodi, quæ ut plurimum a Summis Pontificibus approbatæ sunt, puta Bituricensis, an. 1584. a Sixto V., Turonensis, Burdigalensis, & Remensis an. 1583. a Gregorio XIII. In his porro tanquam potissimum Ecclesiasticæ disciplinæ caput præcipitur etiam sub excommunicationis pœna auditio Missæ Parochialis. II. omnia Regni hujus Ritualia, quæ expresse consuluit Parisiensis quidam Doctor; ergo quidquid in aliis ditionibus sit ea de re, indubium esse debet vigere in Galliis legem de audienda Missa Parochiali, saltem e tribus Dominicis una.

II. Eadem lex ferri potuit. Qui enim ordinaria potestate Ecclesiam regunt, possunt statuere legem sanctam, plenam utilitatis, & ad fidelium regimen quasi necessariam: atqui Episcopi ordinaria potestate regunt Ecclesiam, unde multa sive in Synodis, sive alibi constituunt, quæ nec a Pontificibus Romanis, nec a Conciliis generalibus sancita fuerunt: aliunde vero lex, quæ Parochiali Missæ fideles adstringit, sancta est, plena utilitatis, &c. ut hinc patet, quod purioribus Ecclesiæ seculis fuerit in usu, & gravibus subnixa momentis; ergo.

Confirm. ex Clero Gallicano, qui an. 1700. geminam hanc Jacobi Vernantii propositionem: *I. nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas Parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, &c. II. Talem legem in hac materia nec Episcopi, nec Concilia Provinciarum, nec Nationum sancire; nec delinquentes aliquibus pœnis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt*, his confixit notis: *Harum propositionum doctrina falsa est, temeraria, jam a Clero Gallicano graviter condemnata, sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Apostolicæ Traditioni contraria, dicente Apostolo* Hebr. 10. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.

III. Lex Missæ Parochialis audiendæ in vigore est: tum quia executionem ejus quotidie urgent Episcopi, & Parochi; tum quia eam exequuntur melioris notæ fideles. Certe si lex a pluribus neglecta vim suam amittat, delenda erit in urbibus amplissimis lex Jejunii, imo & abstinentiæ. Merito igitur Clerus Gallican. an. 1655. ajebat: *On ne peut prætendre qu' il y ait en France, ou qu' il puisse y avoir une coustume contraire.*

IV. Demum, prædicta lex versatur in materia gravi, quæ seriam plurium Conciliorum attentionem promeruit, quæ generalia Cleri Comitia multoties exercuit, quæ debitæ fidelium institutioni summopere prodest, quæ Parochos inter, & eorum subditos pacem conciliat, vel dissolvit: atqui talis est frequentandæ Parochiæ obligatio; ergo.

Obj. I. Innumeri fere Pontifices sanxerunt secula-

rēs universos *libere Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus Festis audire in Eccl. sis Fratrum Mendicantium licite posse, dummodo in contemtum Ecclesiarum Parochialium non faciant.* Ita Clemens VIII. an. 1592. quod & statuit Urbanus VIII. an. 1625., uterque, ut liquet, post Synodum Trident.

R. Breve Clementis VIII. obreptitie fuisse impetratum. Scilicet expositum fuerat Clementi quosdam Regularium hostes contendere eum, qui Parochialem Missam audire non valens, privatam audiret apud Mendicantes, non facere satis Ecclesiæ præcepto; quod idem Pontifex merito rejecit. At ubi compertum habuit Mendicantes eo tendere; ut a Parochiali Missa fideles averterent, iisdem *auctoritate Apostolica* per Legatum suum præcepit, *ut in concionibus, & catechismis populum ipsum tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Missas præsertim Dominicis, & aliis solemnibus diebus audiendas frequenter moneant, & adhortentur.* Eodem solvitur modo Breve Urbani VIII. quod permittit quidem, ut quis apud Regulares Missam audiat, sed supponit semper, quod jam ab an. 1517. supposuerat Leo X. id non fieri *in contemtum Ecclesiarum Parochialium*, ac proinde justa urgente causa, cum quisquis sine causa, & ex mera negligentia non obtemperat Superioris præcepto, illud contemnere censeatur; de quo judicent vel ipsi Regularium Superiores.

Obj. II. Si fideles stricte ad Missam Parochialem teneantur, utique ad audiendum Dei verbum: atqui hæc obligatio non potest esse stricta: I. quia alioqui peccarent graviter etiam semel Parochialem Missam omittendo. II. quia iis liberum non esset solemnem Cathedralis Ecclesiæ Missam audire, cum in ea jam dudum desint præconium, & sacræ conciones; atqui falsum utrumque consequens.

R. ad 1. I. neg. maj. quia divini verbi auditio est quidem gravis Parochialem Missam audiendi ratio, sed non tota, cum insuper agendum sit, ut plebs adunata Pastori, spiritum gratiæ potentius attrahat, & multa in communibus Præconiis annuntientur magni momenti, puta quæ ad matrimonia, ad monitoria, ad jejunia, ad pauperum necessitates pertinent.

R. 2. neg. min. ad 1. probat. Agnoscunt Sorbonici quatuor Doctores in decisione an. 1701. eos, qui vel semel a Parochiali Missa absunt, cum interesse commode possent, peccare; & reipsa jam supponuntur contumaces, licet misericors Ecclesia eorum contumaciam puniri nolit; nisi cum tribus Dominicis perduravit. Quale vero sit illud peccatum; item an *semper, & in omnibus circumstantiis* incurratur, *peritioribus dijudicandum relinquo*, prout reliquit Merbesius. Interim qui tribus septimanis Parochiam rite non frequentaverit, peccati letalis reus videtur, etsi idem Merbesius absentiam toto mense ab iis, qui gravi instructionis necessitate laborant, continuatam utcumque exigat.

Ad 2. prob. dico cum Doctoribus modo citatis, non satisfieri Ecclesiæ præcepto per auditionem Missæ in Ecclesia Cathedrali, nisi ibidem officia Pastoralia exerceantur. Adde & nisi Cathedralis in iis solemnitatibus frequentetur, in quibus seu ob ipsam Festivitatem, seu ob insolitos populi labores, nulla in Parochiis concio, nulla monitio haberi solet.

(✠) Duo hic Auctor docet teneri fideles sub gravi peccato interesse Missæ Parochiali: I. Jure naturali. II. Jure ecclesiastico. Verum probe distinguendum est præceptum audiendi Missam diebus festis a præcepto audiendi proprium Pastorem. Primum est ecclesiasticum, alterum est juris naturalis.

Primum, utpote ecclesiasticum, etsi adhuc in vigore sit apud Gallos, sicut in Belgio minime abrogatum esse docet Van-Espen; attamen potuit legitima præscriptione abrogari: hinc S. Antoninus 2. p. Sum. Theol. tit. 9. c. 10. §. 1. ait, *Ubi est consuetudo audiendi indifferenter in quibuscumque locis, quod quasi ubique est, non peccat, qui audit Missam extra propriam Parochiam*; deinde subjungit: *Si tamen Diœcesanus hoc præciperet, scilicet audiri in propria Parochia, obediendum esset.*

Benedictus XIV. in suo eruditissimo opere *de Synodo Diœcesana* lib. 7. c. 64. eandem movet quæstionem, ac productis Pontificiis decretis a nostro Auctore citatis, ad hanc inclinat sententiam: *Integrum hodie omnibus esse, in qualibet Ecclesia, modo non sit Capella, seu Oratorium privatum, sacris Mysteriis interesse, quia contraria consuetudine in toto Christiano orbe recepta derogatum est præcepto audiendi Missam parochialem, docent Sylvester, Navarrus &c.* Hanc sententiam sequitur vel ipse Pontas V. *Missa* casu 53., & P. Daniel Concina lib. 1. de Decal. præcep. Diss. 3. §. 2. (✠)

CONCLUSIO III. Ad legitimam Missæ auditionem requiritur præsentia moralis, integrà, & religiosa.

Prob. 1. pars; quia lex Ecclesiæ est de audienda Missa: atqui ipsum *audiendi* verbum, præsentiam moralem requirit, cum non audiat, nisi qui humano modo præsens est, quod est moraliter præsentem esse.

Hinc Missam non audiunt I. ebrii. II. qui per Missæ tempus dormiunt. III. qui per idem tempus peccata confitentur, nisi excuset brevitas confessionis. IV. qui alios etiam venialia confitentes audiunt. Ratio est, quia ii omnes materialem solum præsentiam exhibent Sacrificio. Et vero attentio, quam Missa requirit, debet esse per modum orationis, qualis non est in perscrutandis culpis, earumque circumstantiis, & in dialogismis inter pœnitentem, & Confessarium. Sed audiunt, adeoque & audire tenentur. I. cæci, ac surdi, quia eo ipso, quod pie sunt in loco, unde restitutis sensibus audire, & videre possent, sicut alii, merito judicantur moraliter præsentes. II. & ii quoque, qui post altare, vel templi columnam, vel in loco Capellæ conjuncto, vel e domo seculari templo contigua per fenestras intersunt Missæ. Idem est de iis, qui extra Ecclesiam multitudinis totius non capacem, consistunt: modo tamen ad multitudinem assistentia moraliter pertinere censeatur, ac proinde nimio ab ea intervallo non distent. III. qui pauculo tempore pulsant campanas, vinum quærunt, excitant thuribulum, tum quia hæc ad actionem Sacrificii aliqualiter pertinent, tum quia cum his mens ad Deum attendere potest. Qui tamen majori Missæ parte cæremoniis intendere debent, & experti sunt se sua ad eas attentione plurimum distrahi, male sibi consulunt, nisi privatam Missam audiant.

Prob.

Prob. 2. pars ex Concilio Aurelianensi ao. 511. prohibente ne *populus ante discedat, quam Missæ solemnitas compleatur*. Idem jubent Concilia Burdigalense an. 1582. & Turonense an. 1583.

Hinc colliges I. cum S. Antonino non satisfacere præcepto, qui tertiam Missæ partem omiserit. Imo, ait Cabassut. *Communior & probabilior sententia est docentiam omissionem auditionis a principio usque ad Epistolam exclusive, non esse* quidem *partem notabilem; sed si ipsa quoque omittatur Epistola; neque ulla excuset necessitas, materiam esse mortalis delicti*.

Colliges II. eos, qui culpabiliter non ab initio, sed ante lectam Epistolam Sacrum audiunt, eos item, qui peracta Communione egrediuntur, venialiter peccare; imo non dubitem, quin mortaliter peccent, qui recederent, vel voluntarie distraherentur tempore Consecrationis; quia ex S. Cæsario Arelat. *tunc fiunt Missæ, quando munera offeruntur*, præcipue vero *cum Corpus, vel Sanguis Domini consecrantur*.

Colliges III. eum, qui ad Missam peracta jam Consecratione accedit, teneri reliquum audire, si aliam audire non possit: se enim habet, uti qui caret Breviario; is autem etiam ad quartam Officii partem tenetur, si eam memoriter sciat.

Colliges IV. merito proscriptam esse ab Innocentio XI. hanc propositionem: *satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Ratio est, quia Missa necessario est quid constans ex Oblatione, Consecratione, Communione, ac proinde ex partibus successivis; porro implicat, quod partes necessario successivæ simul & una ponantur.

Colliges V. eum, qui audita Missa a Consecratione ad finem, aliam audit ab Introitu ad Consecrationem, non implere præceptum. Ratio est, quia ex iis partibus, quæ nullum ad se ordinem habent, non fit unum Sacrificium, sicut nec fieret, si Sacerdos Hostiam sumeret, quam heri consecravit; quia sumtio unius Hostiæ, & Consecratio alterius Missam non constituunt; sicut mactatio ovis unius, & alterius combustio non faciunt Holocaustum.

Quæres, an possit quispiam duas, quæ simul inchoantur, Missas audire. R. negat. I. quia Missa auditur per modum actionis unius. II. quia id repugnat communi sensui fidelium: ii enim ita ad unam Missam se determinant, ut non ausint derelicta longiore, quam elegerunt, ad breviorem se convertere, nisi sub initium, cum alterutra tam parum provecta est, ut qui eam ab hoc puncto audit, integram audire censeatur.

Prob. 3. pars: I. quia Ecclesia Missæ auditionem præcipit ut actum præstantissimum religionis: atqui sine reverentia exteriore, & interiore non impletur actus religionis. Qui enim actum religionis vere adimplet, nonnihil habet meriti: sed qui irreverenter se gerit, nihil meretur, nisi maledictionem latam Jerem. 47. contra eos, qui faciunt *opus Domini fraudulenter*.

Prob. II. ex censura nefandæ hujus propositionis: *præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro satisfit per reverentiam exteriorem tantum, animo licet voluntarie in aliena, imo & prava cogitatione defixo*; quæ quidem propositio juxta Gallic. Patres an. 1700. *temeraria est, scandalosa, erronea, impietati favet, & præcepto Ecclesiæ illudit*.

Hinc colliges præceptum Ecclesiæ non impleri I. ab iis, qui Missæ tempore confabulantur, corrident, oculos quoquo versum convertunt. II. neque ab iis, qui ad Ecclesiam præcise veniunt, ut *videant, vel videantur ab Amatoribus* (*Sanct. Antonin.*), ut dominos comitentur, ut funebrem pompam honorent. III. nec ab iis, qui ut omnes decori modos servent, in id pene unum intendunt, ut salutent, & resalutent. IV. nec ab his, qui toto tremendi Sacrificii, quod cum primum in Cruce oblatum est, sol obtenebruit, terra mota est, petræ scissæ, & aperta monumenta, qui, inquam, toto tanti Sacrificii tempore stant, vel sedent sine necessitate, vixque cum elevantur Mysteria genu alterum flectunt, mente utetrim minus, quam corpore compositi. Ut hæc plenius intelligantur.

Quæres I. quoti temporis interna, vel externa distractio peccatum mortale inducat. R. indevota auditio idem esse, ac omittere prorsus, ac proinde illud sufficere tempus, quod æquivalet omissioni partis notabilis, de qua statim. Porro voluntarie distracti censentur: I. qui cum ad Missam veniunt, mentem habent negotiis, profanisve cogitationibus gravidam, nec, ut par est, corda sursum habere enituntur. II. qui licet devote accesserint, mentem, quam alio abire sentiunt, revocare non student.

Quæres II. an novum committat peccatum, qui Missæ interest in statu peccati.

R. I. eum, qui est in statu peccati, novum audiendo Missam peccatum non admittere, sed e contra, si pie, & attente audiat, ut potest auxilio gratiæ actualis. Unde Tridentinum Sess. 22. c. 2. docet Altaris *Sacrificium vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur* ...... Vide infra, ubi de Eucharistia.

R. II. cum Tournely Tom. 2. de Eucharist. pag. 329, peccatorem novi peccati reum esse, *si obfirmata in malo voluntate, & cum actuali affectu peccati, sine debita reverentia, sine ullo de peccatis dolore, vel saltem aliquo desiderio resipiscentiæ, ac divinæ gratiæ obtinendæ, Mysteriis nostris intersuerit*. Ratio est 1: quia Christiani Missæ adstantes Sacrificium quadantenus offerunt, & ipsi in Sacrificium spirituale offeruntur. Offerunt quidem, ut publico Ecclesiæ Ministro quodammodo cooperantes, suamque intentionem ejus intentioni conjungentes, prout indicant hæc Sacerdotis verba: *Orate fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat, &c.* hæc item: *Memento, Domine .... omnium circumstantium .... pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Offerunt vero, quia ut egregie docet S. Augustinus, (*L. 10. de Civ. Dei c. 6.*) *in ea re, quam offert Ecclesia, & ipsa offertur*: atqui utraque hæc oblatio Deo ingrata est, si fiat a peccatore, qui nullum de peccatis sentit dolorem, aut saltem ab iis resipiscendi desiderium gerat. Hic certe, si alicubi, locum habet

 id

id Scripturæ: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*; & ita longe, ut nedum de placando furore meo cogitent, habitu quasi continuo novat iniquitatet meditentur.

II. Si abjiciat Deus eorum munera, qui ad Altare accedunt necdum tentata sua cum iratis fratribus reconciliatione; an ad eorum munera respiciet, qui ne quidem pedem movent, ut cum eo in tempore reconciliationit reconcilientur? *Quomodo* igitur, ait S. Chrysost., *cum Dominus adest in mensa, non oportet adesse famulos, qui offenderunt, nisi veniam petant, ita hic quoque cum offertur Sacrificium.*

Neque tamen ab audienda Missa deterrendi sunt peccatoret etiam obdurati, sed agendum ut spiritum meliorem induant, & sanctissimam religionis actionem ea, qua decet, pietate exerceant. Quin & si non respectu humano, sed ex sincero servandæ Ecclesiasticæ legis desiderio Ecclesiam frequentent, palam est eos moveri quodam Dei timore, qui sapientiæ initium esse possit.

Quæres III. quæ potior sit Missæ audiendæ ratio. R. eam cæteris præstare, qua tacite sequimur Sacerdotis actionem, & orationes. Neque hæc est ardua methodus, cujus plebs incapacem se credere debeat. An enim difficile est, ut, dum Sacerdos *in plano* peccata sua confitetur, tu tua sincere detesteris. Dum gloriam Deo in excelsis peroptat, & in terra pacem hominibut bonæ voluntatis, tu nomen Dei laudes, eique de acceptis beneficiis gratiam referas. Dum ille Epistolam, Evangelium recitat, petas tu verbum Dei a corde tuo vacuum non reverti. Dum offert dona, tu corpus, animam, & passiones eo, quo voluerit modo, immolandas offerre coneris, & sic ab initio ad finem & Sacerdotis, & Victimæ oblatæ spiritum ingrediaris.

Quia tamen nonnulli imaginationis suæ parum compotes sunt, suadet Collator Andeg. ut hi Ordinarium Missæ pie pervolvant. Id quidem improbant aliqui; sed jam eo usque Ordinarium illud in innumeris Libris, saniorum etiam Præsulum jussu editis, habetur, ut qui id arguunt, Pastores suot carpere videantur. Qui vero legere nesciunt, vocales preces, aut B. Virginis coronam percurrant, habita nihilominus identidem ad actiones Sacerdotis attentione.

CONCLUSIO IV. Triplex est legitima Missæ non audiendæ ratio: impotentia, charitas, & Officium. Incertum an his addi possit consuetudo.

Prob. 1. pars. Impotentia vel est physica, quæ vinci absolute nequit, vel moralis, quæ vinci quidem potest, sed non sine gravi difficultate: atqui excusat tum prima, quia de ea saltem intelligitur tritum istud: *Ad impossibile nemo tenetur*; tum secunda, quia non obligant teneræ matris Ecclesiæ præcepta cum graviori incommodo. Quia tamen hic annexum est Ecclesiastico præcepto præceptum naturale, qui Sacro interesse nequit, tenetur id Oratione, lectione pia, internis animi affectibus, aliisve ejusdem generit compensare, secundum id Augustini Serm. 367. *Qui ad Ecclesiam venire non possit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo..... reddere pensum servitutis.*

Hinc audire Missam non tenentur. I. incarcerati, detenti lecto, aut domi, navigantes in mari, aliique quotquot vel Sacerdotem non habent, ut in quibusdam infidelium terris, vel habent interdictum a divinis, aut ipsi interdicti sunt; quia non possumus, nisi quod possumus sine peccato. II. qui Sacro interesse non possunt sine gravi vitæ, honoris, aut bonorum periculo. *Vitæ*, ut si languidus e morbo recidivam metuas, si pestem, si mortem a sicario per viam verearis. *Honoris*, ut si puella, quæ bonum nomen habet, nec alibi delitescere potest, templum adire nequit, quin se gravidam prodat, aut si ratum timet. *Bonorum*, ut si domus, vel oves ob furum, vel hostium incursus deseri non possunt: si a focis iter erit, qui Missam audire nolunt, discedere non possit propter ignorantiam, aut pericula viarum.

Sed hic not. I. infirmum, qui debitis ad recuperandas vires mediis non uteretur; excommunicatum item, qui a censuris absolvi non satageret, reos fore non audiendo Missam, quia qui ad legem tenetur, tenetur & ad removendos legis exequendæ obicet. II. eum, cui ex privilegio concessum esset interdicti tempore audire Missam, & ad eam obligatum iri, quia cessante impedimento præceptum vires resumit. Eadem de causa ad Missam teneri puto tum infirmos, qui jus habent ut ea coram se in cubiculo celebretur; tum eos, qui nonnisi stipendio Sacerdotem accersere possunt; modo tamen id satis commode possint. III. eos, qui in terra infideli, ubi nulla celebratur Missa, sine causa degunt, tandiu versari in peccati mortalit habitu, donec ad Catholicot redeant. Est autem legitima causa salus animarum, necessitas Reipublicæ, aut utilitas magna? item mercatoris indigentia, cui, nisi ad infideles identidem divertat, mederi non possit. Ceterum liquet hæc omnia ex circumstantiis plurimum metienda esse; sic viæ difficultas, & imbrium copia, quæ fœminam una leuca a templo distantem excusat, non continuo rusticum robustum, & toto ævo assuctum aeris inclementiæ excusabit.

Prob. 2. pars, tum quia propter charitatem convenienter omittitur, quod propter eandem institutum est; tum quia in concursu legis naturalis, & Ecclesiasticæ, hæc illi postponi debet.

Hinc I. qui curam agunt infirmi, Missam omittunt meritorie, si ex absentia sua grave eidem periculum immineat; aut si inde multum pati debeat anxietatis. Neque enim ad periculum grave necessum est, ut morbus notabiliter augeri debeat: sed ret ex æquo & bono pensandæ sunt. In dubio an periculosum sit ægrum deserere, non censeo deserendum; sicut in dubio an convalescens capax sit Officii recitandi, satius est omittere.

Hinc II. qui præsentia sua fures gravem proximi bono stragem parantes arcere valet, debet abstinere a Sacro: sicut & is qui prævidet aliqui futurum, ut eorum, qui jam rixari cœperunt, alter alterum graviter vulneret. Unde sequi videtur, posse quem deesse Sacro, ut blasphemias, & similia coerceat, vel ut præveniat rixas, quæ ob vetera odia, vel sessionis ordinem, & gradum indubie suboriuntur. Hæc tamen licet

licet a Soto, & aliis pluribus admiſſa, multum pendent a circumſtantiis. Quidni enim homo vere Chriſtianus infimum in Eccleſia locum occupet ad tempus, donec debitam ſibi ſedem in judicio recuperet?

Prob. 3. pars. Quod debetur ex officio, debetur ex juſtitia, ac proinde ex præcepto naturali: atqui præceptum naturale præire debet Eccleſiaſticæ legi de audienda Miſſa; ergo.

Hinc I. nec miles ſtationem, nec dux, milites, tempore prælii deſerere poſſunt, ut Miſſam audiant. Imo graviter peccarent ambo ob grave damnum, quod inde ſuboriri poſſet. II. idem quandoque dicendum de nutricibus, quas ſæpius non decet infantes ad Eccleſiam ducere. III. de paſtoribus, qui ſæpe nec latum unguem a pecoribus recedere poſſunt. IV. de famulis, quibus per dominos non licet adire Eccleſiam. V. de opificibus qui in fuſuris ferrariis, aut vitrariis agentes, ab incœpto opere, ſine gravi tum ſui, tum dominorum jactura diſcedere nequeunt. Eæ tamen regulæ cum grano ſalis intelligendæ ſunt. Sic bubulci, & ovium cuſtodes, niſi aliud ferat omnimoda neceſſitas, pecora domi continere poſſunt per tempus Miſſæ, aut aliam adire Miſſam in vicinis pagis ſi poſſunt, etiam cum aliquo ordinarii ſomni diſpendio. Sic qui dominis impiis ſerviunt, quæritare debent religioſiores, qui non negent tempus ſerviendi Deo: neque hic excuſaret lucri majoris intuitus; ſi enim alibi habeant alimenta, & quibus tegantur, contenti eſſe debent. Sic demum vitricæ officinæ artifices alii aliis ſuccedere debent, ut reddentes dominis, quæ dominorum ſunt, Deo reddant, quæ Dei ſunt. Quod ſi ſervi, & operarii, quorum ſundus totus eſt labor, a dominis, quibus neceſſario adhærent, impie detineantur, dum Officio, vel ſacris Catecheſibus intereſſe oporteret, utique immunes erunt, modo mentem, quo meliori poterunt modo erigant ad cœleſtia.

Prob. 4. pars. Conſuetudinis eſt quibuſdam in locis: I. ut feminæ per aliquot poſt partum dies, etiamſi plene convaluerint, ab Eccleſiæ ingreſſu abſtineant. II. ut viduæ ſtatim poſt obitum mariti non exeant e domo, ſicque Miſſam omittant, aliæ diutius, ut nobiles, aliæ tempore breviori, ut plebeiæ. III. ut nobiles puellæ, quæ jam nubiles ſunt, e maternis ædibus non diſcedant: atqui demta hac tertia conſuetudine, quæ evidens eſt abuſus, incertum videtur an prima, & ſecunda conſuetudo ab audienda Miſſa diſpenſent. Nam I. affirmant viri graves, ut S. Antoninus, cui juxta Suarem ſuffragantur *fere omnes Thomiſtæ*, favetque pro priori caſu Innocentius III. c. unic. *De purificat.* II. aſſentiri videntur Epiſcopi, qui non reclamant; imo quorum aliqui, ut S. Carolus in Concilio I. Mediolanenſi, ſinunt ut viduæ *ſint* per menſem, non tamen amplius, *ſine Miſſæ auditione*. III. exigit uſus, a quo quæ recedere vellent, plus probabiliter murmurum, ſcandali, & ſuſpicionum præberent, quam facerent boni Miſſam audiendo. Aliunde vero ex adverſa parte pugnat Pontas v. *Miſſa*, caſ. 46. ubi nititur I. auctoritate Concilii Mexicani quod an. 1585. conſuetudinem hanc reprobavit. II. ipſa conſuetudinis hujus natura, quæ cum antiquis Eccleſiæ legibus repugnet, nec ulla tranſgreſſionem præcepti compenſet utilitate, ad abuſus amandari debet.

Poſtremam hanc opinionem ſequerer in praxi, ſed cum multiplici præcauto: I. enim non clamarem altis faucibus damnatum iri viduas omnes, quæ patrium morem ſecutæ abſtinuiſſent a Miſſa. II. paulatim edocerem quam adverſetur conſuetudo illa ſinceræ charitati in defunctos, qui devota ſacri unius auditione juvantur efficacius, quam exteriori quocunque luctus apparatu. III. conſacerdotes deprecarer in Chriſto, ut quod adſtruerem, & ipſi adſtruerent; imo ea de cauſa recurrerem ad Epiſcopum ſi liceret. IV. eximiæ pietatis matronas hortarer, ut induto ſpiritu virili, adverſus antiquam ſuperſtitionem, chriſtianæ pietatis vexillum attollerent. V. tandem rebus jam maturis loquerer altiori voce, & quæ ſecus facere pergerent, facerem extorres a Sacramentis.

## SECTIO SECUNDA.

*An aliis piis operibus Fideles vacare oporteat.*

SUppono in primis præceptum de ſanctificatione Sabbati male impleri ab iis, qui ſola Miſſa, quam breviorem invenire queant, contenti, reliquam diem in otio, ludis, aut curſibus tranſigunt. Quantum hæc ab Eccleſiæ, & religionis ſpiritu abhorreant, aperiunt hæc verba Concilii Turonenſis an. 813. Can. 40. *Die Dominica oportet omnes Chriſtianos in laude Dei, & gratiarum actione uſque ad veſperam perſeverare.*

Sed quia conſilia cum præceptis confundere non licet, diſtrictius expendere juvat quænam his diebus ſine peccato prætermitti non poſſint. Movetur autem difficultas: I. de actu Contritionis. II. de actibus Virtutum theologicarum. III. de lectione ſacræ Scripturæ. IV. de auditione Verbi divini. V. de Officii veſpertini frequentatione. Sit

CONCLUSIO I. Neceſſarium videtur, ut exiſtens in peccato mortali actum eliciat contritionis, aut aliquid ſimile.

Prob. quia ex dictis ſupra, qui poſitus in peccati ſtatu audit Miſſam, abſque ullo vel ſenſu doloris, vel deſiderio reſipiſcendi, novum admittit peccatum, aut de eo plurimum & ſuadare ſuſpectus eſt; ergo ſi ſibi quantum ad impletionem gravis præcepti conſulere velit, neceſſum eſt, ut ad Deum recurrat, per dolorem, aut reſipiſcendi deſiderium.

CONCLUSIO II. Etſi mathematice definiri nequit quando præciſe eliciendi ſint Virtutum theologicarum actus, hortandi tamen ſunt fideles ut explicitos earumdem virtutum actus Dominicis, feſtiſque diebus exerceant.

Prob. quia fideles diebus præſertim Dominicis Deum colere debent: atqui Deus non meliuscolitur, quam fide, ſpe, & charitate; cum illæ virtutes omnium ſint nobiliſſimæ; ergo.

CONCLUSIO III. Ad ſanctificationem diei Dominicæ neceſſaria non eſt ſacræ Scripturæ lectio.

Prob. ut vera ſit noſtra hæc aſſertio, ſufficit, ut merito proſcripta fuerit hæc Queſnelli propoſitio n. 22.

*Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum Scripturarum*: atqui hæc propositio merito proscripta est: I. quidem quia proscripta est ab Ecclesia, ne contradicente quidem in Orbe toto una vel minima Provincia Ecclesiastica, cum sicubi repugnavarit Metropolitanus, contra eum steterint suffraganei; si e contra refragati sint suffraganei quidam, contra eos steterit cum ceteris suffraganeis Metropolita. II. quia gravibus de causis proscripta est. ( *Triden.* ) Propositio enim, quæ necessarium facit id, quod necessarium non est, imo id, quod non raro periculosum foret; propositio, quæ multiplicis Ecclesiæ, ac præsertim Romanæ praxim ut damnosam reprobat: propositio demum, quæ pluribus Gallicanæ Ecclesiæ Decretis adversatur, jure ac merito proscripta est: atqui talis est allata Quesnelli propositio.

II. Quidem necessariam facit lectionem sacræ Scripturæ, quasi ea omissa Dominicæ dies sanctificari non possent; & tamen qui pie Missam, ceteraque Officia audiret, a nemine posset redargui. Et vero nascentis Ecclesiæ fideles dies Festus debite sanctificabant: ii porro novum Testamentum, quod juxta Quesnellianos præcipue legi debet, nec legebant, nec legere poterant, cum non statim scriptus traditum fuerit. Quin & per duo, & amplius sæcula quædam substiterunt Ecclesiæ absque Scripturis, prout tradit Augustinus Lib. 1. Doct. Christ. c. 39. Accedit, quod semper magna fidelium pars legere nesciverit; Gallique, & finitimæ nationes per multa sæcula nullam habuerint Bibliorum versionem.

III. Eadem propositio conformiter ad hanc propositionem 79. *Utile, & necessarium est, omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere .... sacræ Scripturæ*, necessarium facit id, quod non raro plenum esset periculi. Nihil enim est periculosum magis quam sinistre interpretari Scripturam, nihil vero frequentius quam sinistre interpretari id, quod plurimum habet obscuritatis: atqui Scripturam densa nec rara caligine involvi docent, & Scriptura ipsa, & Patres, & experientia. Scriptura quidem II. Petri 3. *in quibus* Pauli Epistolis, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*. Patres vero, qui cum Ambrosio in c. 4. Lucæ agnoscunt, quod *satanas de Scripturis ipsis divinis sæpe laqueum fidelibus parat: sic hæreticos facit, sic eviscerat fidem*. Hinc Lutherus ipse Scripturam aliquando vocavit *Librum hæreticorum*; & Erasmus in Epist. ad Melanct. in Sectariis temporis sui, sibi, ut hodie Jansenianis, ad furorem usque contradicentibus pulchre dixit: *Omnes unum occinunt Evangelium, sed cujus ipsi volunt esse interpretes*. Suffragatur hic omnium sæculorum experientia; quæ enim hæresis, quæ errorum portenta Scripturam suam esse totam non jactitaverunt. Adde quod quidam Scripturæ Libri, & inter alios Canticum Canticorum non parum habeant periculi.

III. eadem propositio ut damnosam reprobat praxim multarum Ecclesiarum, ac præcipue Ecclesiæ Romanæ, quæ ceterarum caput est & magistra: hæc enim quarta Indicis Tridentini regula vetat; ne *Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur*. Porro hæc regula a Pio IV. Clemente VIII. & Innocentio XII. confirmata, ac religiose suscepta a S. Carolo Borromeo, & suffraganeis ejusdem Episcopis septemdecim, non in Italia tantum, & Hispaniis, sed in multis insuper regionibus, quæ pietatem colunt, assidue observatur. Hanc sane observabat illa tam sublimis ingenii virgo Theresia, quæ puellæ cuidam postridie ad novitiatum admittendæ, & interroganti, an sua secum afferre deberet Biblia, respondit: *Biblia, o Filia: nec te volumus, nec tua Biblia*.

IV. demum eadem propositio pluribus adversatur Ecclesiæ Gallicanæ Decretis, quæ jam ab Albigensium temporibus Scripturæ lectionem vetuerunt, quoties id judicarunt expedire. *Prohibemus etiam*, ajunt Concilia Tholosæ an. 1119. & 1229. habita, *ne Laici libros veteris Testamenti, aut novi habere permittantur*. Idem statuunt Concilia Bituricense an. 1584. Aquense ann. 1585. Burdigalense an. 1624., & alia sive apud Gallos, sive apud exteros plura. Quæro autem, an tot Conciliorum Patres ignoraverint jura fidelium, aut damnosam erga eos agendi rationem tenuerint.

At, inquiunt, sacra Scriptura continet Testamentum Dei ad nos; unicuique autem necessum est, ut legat patris sui Testamentum.

R. I. hinc reprobari praxim virorum Apostolicorum, qui Ecclesias quasdam non per aliquot annos, sed per plura sæcula *sine charta, & atramento*, id est, sine Scripturis reliquerunt.

R. II. Scripturam esse Testamentum Dei ad Ecclesiam, non ad quoscunque indistincte fideles, nisi hoc sensu, quod eis ejusdem Testamenti Summam explicari necessum sit. Et vero an non provide aget tutor, qui sentiens futurum, ut pupillus ex paterni Testamenti lectione turbetur, lectione hac eundem privat, nihil interim celans eorum, quæ ipsi necessaria sunt. Atque hinc Facultas Parisiensis proscripsit an. 1527. quinque Erasmi propositiones, Quesnellianis non absimiles, & an. 1567. Versionem Renati Benedicti, qui asserebat *Scripturam sacram quasi ex necessitate ad salutem ab omnibus legendam esse*.

CONCLUSIO IV. Diebus Dominicis fideles concioni, & vespertinis Officiis interesse debent.

Prob. Ex Concilio Remensi an. 1583. tit. *De dieb. Fest.* ubi sic: *Diebus Dominicis, & Festis in suas Parœcias populus conveniat, & Missæ, Concioni, ac Vesperis intersit*. Plura non congero in re ubique præscripta.

Quæres, an, & quale committat peccatum, qui Vesperis non interest, cum posset. R. videri eum venialis peccati reum; quia hic quædam apprehenditur obligatio ab iis etiam, qui conscientiæ sunt paulo latioris; unde cum sine causa Vesperas omiserunt, solent de eo se accusare. Unde etiam discipulos magistri, filios patres, servos domini ad hæc Officia urgere consueverunt. Haud tamen gravis est hæc culpa, cum nec consuetudo, nec Ecclesiastica lex gravem hic subesse culpam insinuent.

Ce-

Ceterum qui Vesperis non intersunt, absentiam suam aliis virtutis operibus compensare debent. Graviter enim intra lineam venialis peccaret, qui mediam diei partem in otio, vanisque confabulationibus tereret, ut ii faciunt, quibus quæcunque occasio legitima est se se divinis ab Officiis dispensandi causa.

## CAPUT QUARTUM.

*De quarto Decalogi præcepto.*

Quartum Decalogi præceptum iis redditum est verbis Exodi 20. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*, seu in præsenti sæculo, si id saluti expediat; seu præsertim in futuro, ubi Deo dante fruemur *terra viventium*.

Etsi vero patris, & matris nomine ii præcipue intelliguntur, a quibus corporalem vitam hausimus; *in hoc* tamen *præcepto intelligitur mandari quidquid pertinet ad reddendum debitum cuicunque personæ* superiori (*S. Thom.* 2.2. *q.* 122. *a.* 5.) Hinc etiam nomine parentum intelliguntur: I. Ecclesiæ Pastores, qui *in Christo Jesu per Evangelium* genuerunt nos. (*I. Corint.* 4.) II. ii, qui Reipublicæ præsunt, seu suprema pollent auctoritate ut Reges, seu precariam habent ut Magistratus. III. qui legitimam in alios jurisdictionem, quæcunque ea sit, exercent, ut viri in uxores, domini in mancipia heri in famulos, &c. IV. qui ex ipsa, quam adepti sunt, provectiori ætate non nihil superioritatis habent. Horum omnium præcipua, quæ difficultatem parere valeant, nec alibi a nobis discussa fuerint, exponemus in præsenti.

### ARTICULUS PRIMUS

*De mutuis Patrum, ac Filiorum obligationibus.*

Duo hic investiganda: I. quid filiis debeant parentes. II. quid parentibus filii.

### SECTIO PRIMA.

*De obligationibus Parentum erga liberos.*

CONCLUSIO I. Parentes temporalem filiis suis curam exhibere tenentur.

Prob. Temporalis liberorum cura duo exigit: I. ut avertatur ab iis corporale detrimentum. II. ut iis suppeditentur ad vitam necessaria: atqui parentes filiis suis utrumque debent, tum jure naturali, quod monet, ut quibus vitam dederis, iis vitam conserves, alioqui immanitate superatus feras ferissimas, quæ fœtus suos nutriunt, & tuentur; tum Jura seu civili, ut videre est Leg. 1. 2. & 3. Cod. *De alendis liberis*, seu canonico, ut patet ex c. 14. dist. 30. ubi sic: *Si quis dereliquerit proprios filios suos, & non eos aluerit..., sed sub occasione continentiæ negligendos putaverit, anathema sit.*

Hinc graviter peccant parentes: I. qui, quantum moraliter fieri potest, non cavent ne quid liberis, præsertim cum pueruli sunt, eveniat mali; puta ne lusci, claudi, vel aliter deformes fiant; ne noceant sibi nimio ploratu; ne cadant in ignem, vel aquam; ne in eodem secum lecto dormientes suffocentur; qui casus multis in Diœcesibus reservatur. A fortiori peccant gravidæ matres, quæ immoderato labori vacant, currunt, saltant, comedunt nociva non sine gravi temporaneæ, ac perpetuæ infantium salutis dispendio. Item patres, qui cum periculo fœtus conjuges percutiunt, vexant, ærumna, & dolore afficiunt, &c.

II. Qui victum, vestitum, habitationem, medicamenta tempore morbi, imo post mortem congruentes funeris impensas, & preces pro defunctorum requie filiis denegant. Item qui iisdem non provident in futurum (saltem cum mediocri diligentia, quæ sufficere creditur, nisi majorem requirant urgentiores circumstantiæ) seu edocendo per se, vel alios artem, unda vivant, seu congruas opes iisdem præparando, quod utinam plures tam pura præstent manu, ut nec proximo noceant, nec duriores fiant in egenos.

III. Qui, ut sumtibus parcant, & extra casum necessitatis vere gravis, infantes suos exponunt, neque tunc deest restituendi obligatio, ut docent S. Antoninus, & Pontas. Qui vero criminis occultandi, vel inopiæ causa filios exponunt, observare debent locum, tempus, ac circumstantias, quin & signo aliquo efficere, ut prolem deinceps agnoscant, quo institutioni ejus provideant, si pinguior sibi fortuna obtigerit. Certe qui plures diversi sexus exponunt, vereri debent, ne frater sororem ducat.

IV. Qui competentem filiæ nubere volenti dotem negant. Idem dic, si negent dotem ad ingressum Religionis, vel ad Clericalis status professionem. Neque tamen hic necessaria est, ut in causa nuptiarum, ea paternum consensum inquirendi ratio, quam gallice dicimus, *sommations respectueuses*. Hinc anno 1718. judicatum est a Curia Burdigalensi licitum esse puellæ annis 25. majori ingredi Religionem, ejusque patrem de pensione Novitiatus, eleemosyna dotali, ceterisque impensis teneri.

V. Qui post primæ uxoris fata ad secundas nuptias transvolando falsa cudunt inventaria, ut filios ex priori conjugio susceptos *legitima* defraudent. Item qui tot erogant bona in pias fundationes, ut non possint pueris suis decenter providere.

Hic quædam notanda: I. nomine filii intelligitur etiam spurius, proscriptus a Principe, excommunicatus, &c. Quin & filiorum nomine veniunt filiorum uxores: pater enim non solum filiis alimenta præbere, sed etiam filios in sustinendis istorum oneribus adjuvare tenetur: porro filii est onus, ut uxorem suam alat. II. in filiorum nutricio aliæ sunt patris, aliæ matris partes. Siquidem mater filios ad triennium usque alere debet, seu per bonam, nec morbo infectam nutricem, seu per se ipsam, nisi obster infirmitas, aut gradus splendor. At vero patrum est triennes

ftitiam fcandalofi ii patres, qui coràm pueris blafphemant, detrahunt, loquuntur obfcœne, ebrietati ftudent, tabefcunt ira, obvios quofque præfertim e familia fua conviciis impetunt, Ecclefiam raro frequentant, rarius conciones, rariffime Sacramenta. Horum filii, fi in æternum pereant, ut pereunt fæpius, ingement his S. Cypriani verbis Lib. de lapfis: *Perdidit nos aliena perfidia, parentes fenfimus parricidas*.

XI. Curandum, ut pueri non in paterno lecto quiefcant. Satius utique eft, ut durius fubeant cubile, quam ut teneris unguibus difcant, quæ ignorare licitum, fcire nefas. Eadem de caufa nunquam tolerandum, ut frater cum forore recumbat: inde enim denfa oritur feges malorum, quæ liberalis Confeffarius facile avertet, aliquid impendendo, unde egeni parentes lectum comparent.

XII. Cavenda filii unius præ ceteris dilectio, ipfis etiam Sanctis pertimefcenda. *Ifrael*, ait facer textus Genef. 37. *diligebat Jofeph fuper omnes filios fuos.... fecitque ei tunicam polymitam*. Sed quo ceffit ea prædilectio? *Videntes fratres ejus, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui*. Neque eft, quod regerat pater fe alii alium præferre, quod formæ fit elegantioris, urbanioris ingenii, animi ad fcientias multo expeditioris. Eæ enim frivolæ funt iniquæ agendi rationis excufationes: quia filius quocunque fit in ftatu, non definit effe filius, imo quo miferior eft ratione corporis, vel animi, plus indiget ne novis afficiatur ærumnis.

Hinc colliges plerumque non expedire, ut parentes in bonorum fuorum diftributione fortem unius alterius forte meliorem faciant, etfi id fecundum loci leges facere permittantur. Is enim inæqualis parentum amor exitialia fæpe parit odia filiorum in parentes, & fratris in fratrem. Quidquid ergo leges hac in fpecie indulgeant parentibus, debent hi meminiffe id Apoftoli: ( *I. Cor.* 6. ) *Omnia mihi licent, fed non omnia expediunt*. Hæc tamen non obftant, quin plus quidpiam erogari poffit filio, qui id fpeciali in parentes affectu promeruerit, aut aliis feriantibus rem familiarem adauxerit improbo labore: quin & is par labori fuo ftipendium repetere poteft, prout dicam fuo loco.

XIII. Adhuc diligendi funt filii cum ad vitium flectuntur. Inhærendum veftigiis fanctæ Monicæ; quæ tam crebros totis decem annis ante Deum gemitus pro Auguftino fudit, ut non poffet *filius iftarum lacrymarum* perire. Quod fi filius *in fe reverfus* fanctiorem viam ingredi cœperit, ea debet benignitate fufcipi, quam expreffit Chriftus in parabola filii prodigi. ( *Luc.* 15. )

## SECTIO SECUNDA.

*De officiis Liberorum erga parentes.*

Etfi plurima parentibus debent filii, ea tamen ad quatuor capita revocari folent, quæ ut plenius intelligantur, fit

CONCLUSIO I. Filii fincerum amorem, & exteriora ejus figna debent parentibus.

Prob. quia exigit natura, ut eos fincere diligamus, qui nobis plura, majorifque momenti bona contulere: atqui in hoc ordine primas tenent parentes refpectu filiorum, quos & edidere cum non effent, & multis curis aluerunt; *Memento* igitur, *quoniam nifi per illos natus non fuiffes: & retribue illis, quomodo & illi tibi*. ( *Eccli.* 7. )

Hinc peccant graviter: I. qui perentes interius oderunt, vel afpernantur, de temporanea, vel æterna eorum falute nihil anxietatis habent, non curant mature muniri Sacramentis, teftamenta vel negligunt, vel differunt exequi, preces, & facrificia mortuis denegant. Item qui de eorum adverfitate lætantur, de profperis dolent, infortunia optant, aut, quod deterius eft, ipfam mortem. II. qui, etfi parentes diligunt interius ( fi tamen verus is amor eft ); eofdem tamen affligunt exterius, torvis oculis intuentur, & alloquuntur tam afpere, ut eos odiffe videantur. Audiant hi id Proverb. 30. *Oculum, qui fubfannat patrem, & qui defpicit partum matris fuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ*.

CONCLUSIO II. Filii parentibus reverentiam omnimodam debent.

Prob. Reverentia duplex: interior, quæ pofita eft in recognitione fuperioris, ac venerabundo quodam ejus timore; & exterior, quæ confiftit in fignis, quibus interior is animi fenfus manifeftetur: atqui præceptum honorandi parentes utramque reverentiæ fpeciem exigit. Quippe ex Eccli. 3. *Qui timet Dominum, honorat parentes; & quafi dominis ferviet his, qui genuerunt fe*: porro fervus internam, externamque reverentiam dominis præftat, fi vere fervus eft, eofdem agnofcit ut fuperiores, humiliter, & modefte alloquitur, &c.

Contra hoc pietatis officium graviter peccant: I. qui parentes percutiunt contra id Exod. 21. *Qui percufferit patrem fuum, aut matrem, morte moriatur*. Neque excufat a mortali levitas percuffionis ob conditionem perfonæ; unde etiam non effet a gravi noxa immunis, qui manum attolleret ad percutiendos parentes, etiam fine animo percutiendi.

II. Qui patri, vel matri maledicunt, quod etiam Exodi & Levit. 20. fub pœna mortis vetitum eft: hanc autem pœnam non raro per fe infligit fupremus læfæ pietatis vindex, fecundum id Prov. 20. *Qui maledicit patri fuo, vel matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*. Sceleris hujus rei funt, qui parentes fubfannant, aut deridendos præbent, ad iram provocant, etfi non fequatur ira. De cetero fibi potiffimum invigilare debent filii, cum parentes hebent præ fenio aliquo ex cafu jam deliros. Certe debitus patri honor non innititur ejufdem virtutibus, quas fæpe nullas habet; fed ipfius naturæ legibus, quas conftanter fervari neceffe eft. Hinc Eccli. 3. *Fili, fufcipe fenectam patris tui & non contriftes eum in vita illius. Et fi defecerit fenfu, veniam da; & ne fpernas eum in virtute tua*.

III. Qui nativitatis fuæ obliti parentes egenos agnofcere erubefcunt. Si quis tamen fe hujus filium profitendo, vitæ, honoris, aut fortunæ bonorum grave difcrimen incurreret, poffet ortum fuum diffimulare.

Ne-

Neque ad id ſemper requireretur parentum couſenſus etiam tacitus, ut patet in caſu de vitanda morte, aut gravi infamia, ea præſertim, quæ parentibus nihil profutura ſit.

IV. Qui parentes criminis accuſant, quive contra eos teſtari vellent. Excipiuntur caſus tum hæreſeos, quam pater diſſeminaturus ſit, tum proditionis regiæ, quam idem pater meditetur: tunc enim eſſet is, poſt impenſam omnem malo avertendo operam, ante criminis perpetrationem accuſandus, quia commoue bonum privato bono etiam patris præferri debet.

Circa hæc, & ſimilia generaliter ſupponendum: I. filios gravis peccati reos eſſe poſſe etiam ea facto levi, aut quod ab omni peccato vacet, ut ſi coram patre id faciant, unde eum ira gravi commovendum eſſe ſuſpicantur. II. odium, injuriam &c., quæ contra extraneum eſſet aliquid mediocre, grave quid reputari adverſus patrem, ob ſingularem, quæ ipſi debetur, reverentiam, III. quidqoid contra extraneum foret peccatum mortale, id duplicam habere malitiam, cum de parentibus agitur, quia ultra virtutem, quam violat hoc, vel illud filii peccatum, ſemper violatur pietas.

CONCLUSIO III. Filii tenentur parentibus obedire in iis, in quibus iidem ſubſunt.

Prob. I. Epheſ. 6. *Filii obedite parentibus in Domino: hoc enim juſtum eſt*, & ita juſtum, ut filius patri, ac matri rebellis, Deo mandante, lapidibus obrui deberet Deuter, 21.

Prob. II. exemplo Chriſti, qui non tantum Patri æterno obediens fuit uſque ad mortem, ſed & Mariæ, ac Joſepho tanquam parentibus *ſubditus* eſſe voluit (*Luc.* 2.). Extant præclara obedientiæ exempla in veteri Lege, Sic Iſaac patri, a quo immolandus erat, nihil reluctans, nihil interrogans obedivit. Sic Rechabitæ a vino conſtanter abſtinuerunt; quia, ajebant (*Jerem.* 39.), *Jonadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii veſtri in ſempiternum.*

Dixi *in iis, in quibus filii parentibus ſubſunt.* Subſunt autem; I. in iis omnibus, quæ ſpectant ad bonos mores, & ſalutem, qualia ſunt abſtinere a periculoſis occaſionibus, a tabernis, a contractibus, qui uſuram, aut ſimoniam ſapiant. Item catecheſes, Eccleſiam, ac Sacramenta frequentare. II. in his, quæ ſpectant ad regimen domeſticum, pacem, bona, & decus familiæ. Unde ſi præcipiat pater, ut filius tali hora maneat domi, ut tali arti vacet, ut nihil de familiæ rebus diſtrahat, item ut filia dulces litterulas non recipiat, aut furtim munuſcula, vel ut maneat in Monaſterio, donec nuptui tradatur, erit prorſus obediendum. Imo in caſu alienationis rei domeſticæ generali quodam præcepto vetitum cenſetur, quidquid expreſſe permiſſum non fuerit, niſi res levioris ſit momenti.

Non ſubſunt vero parentibus filii in iis, quæ præceptis, aut conſiliis Evangelii adverſantur. Unde filius patri duellum, aut pravos contractus imperanti, filia matri comœdias, ſpectacula, choreasve, pectoris nuditatem, & ſimilia præcipienti obedire non tenentur, ſecundum id Act. 5. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.*

Quæres, quid parentibus debeant liberi in ordine ad electionem ſtatus. Quæſtio præcipue movetur de fixo Sacerdotii, Religionis, aut matrimonii ſtatu. Quoad hanc enim, vel illam profeſſionem, ſi æquum eſt, ut filius obtemperet patri, æquum etiam eſt, ut pater non cogat filium, cui ars (utique nec mala, nec indecora reſpective), in quam naturaliter propendet, ſuccedet ſelicius, quam ars inviſa. Jam

R. I. graviter peccare parentes, qui directe, vel indirecte prolem cogunt ad ſuſceptionem ſtatus fixi. Ratio eſt, tum quia non hominis eſt, ſed Dei hominem vocare, quo voluerit, tum quia ex coacta vocatione peſſimi quique exitus ſcaturiunt. Hinc perpetua in matrimoniis odia, odiorumque effectus adulteria, hinc ſacrilegia, & ſcandala in Clericali ſtatu, ac demum in monaſteriis tædium, rebellio, furor, & deſperatio. Vide Tridentin. Seſſ. 25. de Regul. c. 18.

R. II. peccare etiam parentes, qui cæco liberorum, aut ſui amore eoſdem a Religione, Clericatu, vel matrimonio retrahunt ſine cauſa. Si enim retrahant a Religione, vel Clericatu, jam avocant a meliori propoſito, & privant Eccleſiam bonis, quæ iidem parituri erant: proh! quantum Eccleſiæ damnum, ſi S. Thomas domeſticis ærumnis victus a pio Dominicanorum inſtituto receſſiſſet. Si autem retrahant a matrimonio, imo ſi diutius conſenſum ſuum differant, innumeris eoſdem peccatis, ſi non facti, certe oris, aſpectus, & cordis exponunt, non animadvertentes *melius* eſſe *nubere, quam uri.*

Dixi, ſi retrahant *ſine cauſa*. Poſſunt enim, & tenantur parentes impedire, ne filius ineptus Clericalem, Religioſumve ſtatum ingrediatur; aut ne eam Religionem ampleatatur, unde exulat ordo, vel ſana fides, niſi, quod rarum eſt, conjici poſſit futurum, ut mala hæc, & eeſſent deinceps, & Candidatum ab iis corde, & animo diſtantem non inficiant, Interim ſibi, ſuiſque ſancte conſulunt parentes, qui prolis vocationem ſedulo examinant, & eorum propoſito opponunt ſe ad tempus, ut probent, an ex ſincero crucis ferendæ deſiderio Monaſterium ſubire velint, an non ex volatili fervoris æſtu agant.

R. III. Non poſſunt filii, quibus de divina vocatione conſtat, obſequi parentibus, qui Religionem, aut Clericatum diſſuadent: quia ut ſolide docet S. Hieron. *Scriptura quidem præcipit parentibus obſequendum; ſed quicunque eos ſupra Chriſtum amat, perdit animam ſuam* (*Epiſt.* 1. *ad Heliod.*): porro parentes ſupra Chriſtum amat, qui ne diſplicea iiſdem, divinam vocationem abjicit.

Nequa etiam filii parentibus obſequi debent, cum iidem iniqui aliquid præcipiunt, vel ſuadent in ordine ad ſacri miniſterii functiones, vel Beneficiorum fructus. Hic, ſi unquam, dicant cum Scriptura *patri ſuo, & matri ſuæ: Neſcio vos; & fratribus ſuis: Ignoro vos.*

R. IV. Quod ſpectat ad matrimonium graviter peccant filii: I. cum inconſultis parentibus conjugium ineunt. Vult enim Scriptura, ut pater filiam ſuam tra-

tradat *homini sensato* ( *Eccles.* 7. ) quomodo autem eam tradet, si possit hæc, inconsulto patre ei oubere, quem voles? Et vero matrimonium ees est aleæ tam gravis, ut etiamsi filius sui plane juris esset io cæteris, in hoc esse non posset. II. cum eam noo ducunt uxorem, quam duci præcipiunt parentes, ut sopiantur simultates periculosæ, vel magnæ parentum necessitati subveniatur.

Excusantur tamen, qui poellam a parentibus propositam rejiciunt, cum ejus nuptiæ nec pacem domus, nec conscientiæ tranquillisatem spondent, ot si moribus sit male compositis, si deformis, infirma, aut talis, quam ex naturali antipathia filius diligere non possit. Item, qui sine prævio parentum consensu ineunt matrimonium, quia ab iisdem parentibus tractantur aspere, vel quia parentes ea avaritia consensum denegant, aut filiorum collocationem ad diuturnum tempus remittunt sine causa: quanquam cavendum, ne præ amoris magnitudine videatur diuturnum tempus, quod reipsa breve sit.

CONCLUSIO IV. Filii parentibus subvenire tenentor in spiritualibus, & in corporalibus.

Prob. I. ex Eccli. 7. *Honora patrem suum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris, & retribue illis quomodo & ipsi tibi*: atqui parentes in spiritualibus, & in corporeis proli suæ provident; ergo & hæc illis in utroque hoc genere providere debet.

Prob. II. quia subventio prædicta primarius est quarti præcepti finis. Unde Chsistus Matth. 15. graviter increpat Phasisæos, qui bona a filiis eroganda parentibus in oblationem accipiendo, *irritum* faciebant *mandatum Dei* de honorandis parentibos. Merito igitur S. Ambsosius Lib. 8. in Luc. *O filii*, inquit, *si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non reddidisti obsequia, quibus te illa gestavit*. Posterioe hæc probatio necessitatem juvandi spiritualiter parentes a fortiori demonstrat. Si enim tanti sceleris reus est, qui patrem corporaliter non fovet, quanti reus erit, qui negligit salutem ejus?

Hinc colliges I. graviter peceare filios, qui cum animadvertunt parentes blasphema, vel impudica loqui, alienum retinere, nullam gerete salutis suæ eoram, eosdem amice, & reverenter oon admonent. Multo magis delinquunt, qui iisdem in periculo mortis de prudenti, & docto directore non provident, imo qui quos eorum saluti otiles esse posse norunt, eliminant. Item qui impediunt, ne parentes testamentum condaot, stipemve, & preces pro æterna sua pace indicant, qui differuns legata eorum præsertim pia, quæ hic & nunc exsolvere possent, qui demum bona ab iis male parta apud se retinent.

Colliges II. reos etiam esse eos omnes: I. qui parentibus graviter ègenis vestitum, & alimenta denegant, hoc prætexto, quod artem statui suo indecoram exercendo, victitare possint. II. qui eosdem non visitant, cum infirmi sunt, nec eorum sanitati consulunt ad minus ut suæ. III. qui eosdem eum injuste gravati sunt, non tuentur pro virili. IV. qui eorum exequias secundum facultatem suam non curant. Hæc de filiis etiam illegitimis dicta sunto: & hi enim vere filii sunt, sicus in præsenti vere patres censentur non ii saotum, a quibus psoxime trahimus osiginem, sed avi quoque, proavi, & eeteri ascendentes.

Quæres I. an, & ob quam parentum necessitatem teneatur filius ab ingressu Religionis abstinere.

R. I. Nemo tenetur ab ingressu Religionis abstinere ob *communem* parentum necessitatem: I. quia hæc necessitatis species habetus pro levi, eom tolerabilis sit eorum conditio, qui licet eareans utilibus, necessariis tamen non carent, sed ea, etsi serio labore, sibi comparans. II. quia ubique eeceptum est, ut filius eo in easu sibi potius, quam alii cuicunque provideat.

R. II. Debet filius Religionis ingsessum omittere, com parentes ejus sunt in *extrema*, vel *gravi* necessitate. Extrema quidem, ut si parentes alioqui fame perituri sint: gravi vero, ut si iidem vel non nisi cum notabili legitimi status jactura victitare possint, vel non possint sustentari absque magna rerum necessariarum penuria. Ratio est, quia non potest impleri consilium eum præjudicio præcepti naturalis: quod in præsenti agnoscis ipsa naturæ voa.

Ampliatur hæc responsio: I. etiamsi patrum necessitas nondum sit præsens, modo probabiliter esedatur fotura, talisque, quam filius avertere valeat. Et id præsertim locum habet, cum parentes ære alieno gravati sunt, vel onusti puellis, quæ si deserantur, in apertum honoris discrimen venient. II. etiamsi filius vovisset Religionis ingressum; quia vel vovit, eum jam indigebant parentes, & tunc votum, utpote cum præcepto naturali incompossibile, non obligat pro tempore santæ egestatis, vel vovit ante parentum indigentiam, & tunc eaecutio voti propter materiæ mutationem suspenditur. ( *ex Sylvio*. ) *Quod si filius, non obstante hac parentum necessitate, Religionem ingrediatur, non licet ei facere Professionem: si fecerit, valebit quidem*, ot docent communiter Theologi, *sed tenebitur egredi, & voti, seu Professionis executionem suspendere, quando, si egrediatur, tali patris necessitati poterit subvenire*.

Quatuor autem, ut filios ab ineunda Religione abstineat, eonditiones exigit Henno. Prima est, ut filius in sæculo semanens non sit in proxima peccati mortalis occasione: quia, inqoit, quisque spiritualem suam corporeæ parentum saluti anteferre debet. Fatendum tamen occasionem peccandi per preces, & Sacramenta vinci posse: quanquam hæc perieulosius imminet puellis, iis præcipue, quarum pudicitiam exponunt parentes, ut a divitibus earum amasiis subleventus. Secunda, ut desiot alii, qui possint, & velint parentibus candidati succusrere. Tertia, ot vera subsit spes parentibus subveniendi, ot est communiter in maribus, rarius in puellis, quæ sæpius gravant, quam levent. Quarta, us Religionis susceptio subventionem hanc impediat. Si enim in Religione parentibus æque ac in sæculo mederi possim, noo est eur ab eadem deterreas.

R. III. In extrema, aut quæ ad eatsemam accedat, parentum necessitate potest filius etiam Professus e Monasterio egredi, petita, licet non obtenta,

ta, superiorum licentia. Ita multi contra paucos. Ratio est, quia filius etiam post Professionem manet vere filius; ergo in eo subsistit tota naturalis præcepti obligatio, coi cedere debet quæcunque obligatio voti, Et id verum credo etiamsi dicat pater se cedere juri, quod habet in prolem suam. Reipsa enim ut pater mortem sibi inferre oequit, sic nec potest cedere juri, quod habet, ut in extrema miseria sublevetur a filio.

Porro Religiosus e Monasterio in parentum gratiam exiens, debet I. essentialia Religiosi servare quantum potest. II. habitum ferre regularem, nisi is obsit lucro ad parentum sustentationem necessario. III. ad Religionem reverti, statim ac providerit parentibus.

Ceterum arbitror valere votum illius, qui Religionis ingressum vovit, quo tempore parentes ejus tanta penuria vexabantur; unde is transacta necessitate parentum tenetur ingredi Religionem. Ratio est I. quia, in pari casu valeret ipsa Professio Religiosa, ut agnoscunt communiter Doctores. II. quia voti hujus objectum est res bona; ex eo autem, quod hæc non possit actu impleri, fit quidem ut suspendatur obligatio voti, non autem ut extinguatur. III. quia maritus, qui Religionis ingressum vovit, eandem ingredi debet post mortem uxoris, licet eadem vivente, oec consentiente, non possit valide profiteri, ex c. 3. *De convers. conjug.* ergo a pari.

R. IV. Si parentum necessitas sit gravis tantum; vel hæc Communitati nota erat, cum filium admisit, vel ignota, seu quia hanc celaverit filius, seu quia hæc Professionem ejus fuerit subsecuta. Si 1. debet Superior, si per eleemosynas Monasterii opem ferre non valeat, inferiori exitum permittere; quia ad id virtualiter se se obligasse videtur, quatenus rem acceptando, onus rei annexum acceptare debuit. Si 2. ( etsi asperius agi potest cum eo, qui celata patris necessitate Communitatem utcumque decepit ) existimo pensandam esse conditionem patrum, & naturam necessitatis, cui ex filiorum carentia obnoxii sunt. Si v. g. pater, vir sit ingenuus ac militaris, qui apud Principem inique accusatus, exciderit ab omnibus bonis, adeo ut jam oon nisi famulando vitam tolerare possit, difficile crediderim peccare filium, qui ut eidem opituletor, exit e claustro, petita humiliter, sed oon obtenta Prælati sui facultate: ( modo, quod ubique supponendum est, non judicetur incurrere grave propriæ salutis periculum. ) Si vero pater sit homo plebejus, cui multo minus indecorum est famulari, arare, &c. crederem tunc cum vulgo Theologorum, non posse filium citra obtentam superioris licentiam egredi è Monasterio, ut eidem succurrat. Posset tamen in hoc casu filius clanculum vices pietatis implere laborando, celebrando, eleemosynas sollicitando, servata tamen de cetero observantia regulari.

Quæres II. an propter fratris, vel sororis necessitatem abstinendum sit ab ingressu Religionis. R. si frater, aut soror adhuc subsint paternæ curæ, non licet Religionem ingredi; quia tunc eorum necessitas ipsissima est parentum necessitas, cui occurrere debet filius cum potest. Si vero frater, aut soror sint extra patriam potestatem, etsi absolute loquendo committi possint providentiæ, ut propria salus ponatur in tuto, tantæ tamen est charitatis personas tam arcte conjunctas fovere, ut propter id differri possit, vel omitti Religionis ingressus: & hoc præcipue viget, cum soror premitur penuria. Puellæ enim fragiliores sunt, & periculis gravioribus obnoxiæ.

Quæres III. quid sibi debeant consanguinei collaterales, atque etiam affines. R. eos mutuum sibi debere amorem, & in necessitate subsidium; idque ratione speciali. Si enim præcipit Scriptura, ut fideles omnes se diligant, sibique mutuo opitulentur, quanto plus id a natura censeri debet præceptum iis, qui carnis, aut affinitatis nexibus sibi cohærent.

Hinc colliges I. prædictæ cognationis circumstantiam, ut quæ speciem mutet, aperiendam esse in sacro tribunali, quoties agitur de gravi injuria, detractione, contumelia, odio, percussione, & similibus. II. consanguineos, vel affines sibi invicem auxilium debere, etiam in necessitate ordinaria: quia sibi invicem majori ligantur obligationis vinculo, quam extraneis quibuslibet. Quin & viget obligatio hæc, ubi etiam frater, soror, &c. facti sunt sua culpa indigentes: quia culpa hæc etsi vituperium meretur, haud tamen naturalis pietatis vinculum tollit. Ut tamen iis demeretur in eosdem excessus relabendi cupido, utve ad laborem assuefierent, possent deseri ad tempus, modo desertio hæc nihil vitæ, vel sanitati noceret.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De mutuis Patrum, Filiorumque spiritualium officiis.*

PAtrum spiritualium nomine hic veniunt: I. Pastores, qui gregem suum informare debent, ut Episcopi, Parochi, Superiores. II. Præceptores, qui alumnorum mentibus pietatem, & scientiam instillare teneotur. III. patrini seu in Baptismo, seu in Confirmatione. De his ea solum dicam, quæ superius omissa sunt.

CONCLUSIO I. Pastores gregem suum *pascere* debent *exemplo conversationis*, *verbo prædicationis*, *fructu orationis*. Ita S. Bernard.

Prob. ex Joan. 21. ubi Christus gregem suum Petro his verbis ter commendat: *Simon Joannis amas me? Pasce agnos meos .... pasce oves meas*: atqui hoc Christianas oves pascendi onus nec sancte magis, nec magis efficaciter impleri potest, quam exemplo conversationis, &c.

I. Quidem opus est exemplo conversationis, ( cujus nomine non intelliguntur colloquia sola, sed vitæ totius institutum. ) Hinc Apostolus Timotheum erudiens, ait: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate* ( *I.Timot.4.* ) & ad Titum cap. 2. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*. Hinc. S. August. Serm. 45. *Omnis, qui male vivit in conspectu eorum, quibus præpositus est, quantum in ipso*

*ipse est, occidit & fortes oves*, & S. Gregor. Pastor. part. 3. Admonit. 5. *Scire Prælati debent, quia si perversa unquam perpetrent, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ, faciunt non soli moriuntur.* Multo tamen gravior est mors, quam sibimetipsis inferunt Pastores. Qui enim obscœnum quid v. g. coram plebe effutiunt, triplex sibi in uno crimine crimen parant, quatenus & castitatem lædunt ex hypothesi; & charitatem, cui opponitur scandalum datum; & justitiam, iis nocendo, quibus ex officio prodesse debent.

II. Debent Pastores gregem pascere verbo prædicationis. Patet id I. ex Ezech. 33. *Si .... non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram*; ergo æternam sibi mortem adsciscunt *canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia*. (*Isai.* 56.) Hinc Apostolus II. ad Timoth. 4. Pastores omnes in persona unius sic compellat: *Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*.

Patet II. idem ex Concilio Trident. Sess. 5. de reform. c. 2. ubi *statuit omnes prorsus Ecclesiarum Prælatos teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium..... Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtineant, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis; docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadant, & cælestem gloriam consequi valeant.* Quam ergo graviter peccant, qui absque scientia competenti, & proportionata dicendi facultate, Pastorale onus suscipiunt; qui Catechismos, quibus pene solis tenera juventus in bonum flecti queat, omittunt quasi rem nullius momenti; qui nullas pene, aut jejunas admodum conciones habent; qui e contra sublimiori stylo utuntur, ita ut nec capiantur ab aliis, nec semper capiant se ipsos; qui in pœnitentiæ tribunali quasi elingues manent, nihilque habent unctionis, quo terreant eos, qui terreri debent, & qui indigent solatio, amice consolentur; qui demum a confessionali abhorrent, quoties saltem de excipiendis plebeculæ confessionibus agitur.

III. Tandem debent Pastores gregem pascere fructu orationis: I. quia *neque qui plantat, atque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus* interiori gratiæ suæ rore: atqui gratiam hanc bonorum feracem solis columbæ, seu Ecclesiæ gemitibus largiri consuevit Pater Cœlestis; unde Act. 6. ajebant Apostoli: *Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Unde etiam qui plures ad Deum animas converterunt, ut Franciscus Xaverius, & Salesius, tempus fere totum orationem inter, & ministerium verbi ex æquo partiebantur. II. quia Pastor se habet, ut mediator Deum inter, & homines; ac proinde ab iis iram Dei avertere, & eorum infirmitati subvenire debet: atqui neutrum hoc aliter exequi potest, quam orationibus, sacrificiis, &c. Sic nempe Dei furorem sedarunt Moyses, & Aaron. *Aaron stans inter mortuos, & viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit*; Num. 16. *Moyses orabat Dominum....... placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat*, Exod. 32. Ergo *Inter vestibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: parce, Domine, parce populo tuo*, Joel 2.

CONCLUSIO II. Debent fideles Pastoribus amorem sincerum, obedientiam in iis, quæ ad salutem pertinent, reverentiam, & vitæ subsidia.

Prob. 1. pars: quia Pastor quilibet est pater, & quidem in eo genere, cui multum amoris debeatur: veri enim Pastores in gratiam pecoris sui nihil relinquunt intentatum; parce vescuntur, ne quid desit egenis; studio vacant, ne quid subtrahant utilium; media nocte, spreta rigidi cœli inclementia, surgunt e lecto, ne pereat ovicula, &c. quis porro, nisi ferrei cordis sit, tanto amori mutuas amoris vices deneget?

Prob. 2. pars ex Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; & Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis*, &c. Etsi vero oves Pastorum voces audire debent, non eorum tamen, qui contra Superiores suos rebellant, & in mortifera pascua deducunt.

Prob. 3. pars, quia eos insigniter revereri debemus, qui Christum speciali ratione repræsentant; qui dignius exercent tum in se, tum erga nos ministerium, qui plus apud Deum possunt, & prosunt; atqui sic se habent Pastores nostri.

Prob. 4. pars: quia *dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* 10.); & eo dignus magis, quo impensius laborat, secundum id I. Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, & doctrina*.

Hic nota, quod sicut Regi etiam improbo debitus est honos respondens regiæ ejus dignitati, sic & improbo Sacerdoti etiam suus esse debet honos ob sacram, qua inunctus est, dignitatem. Atque id sub nos docuit exemplo Christus *Rex, & Judex, & Deus noster*. Is enim, ait S. Cyprian. Epist. 65. *usque ad passionis diem servavit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Christi servassent.*

CONCLUSIO III. Patrini filiolos suos ad virtutem informare tenentur sub gravi.

Prob. quia, ut solide ait S. Thomas q. 67. a.8., *unusquisque obligatur ad exequendum officium, quod accepit: sed qui accipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi*; & id patet ex multiplici patrinorum nomine: vocantur enim a Patribus sponsores, fidejussores, fidei Doctores, hodieque vulgo patrini, quasi patrum carnalium substituti: porro rem variis iis nominibus expressam adimplere non possunt, nisi eos, quos de lavacro susceperunt, erudire, redarguere, & omni, qua possunt via, ad pietatem movere conentur.

Hinc

Hinc colliges: I. ad patrini officium neminem a Parocho admitti debere, *nisi ea sit ætate, judicio, & moribus, ut prædictis omnibus satisfacere possit*; ita sanciunt Synodi plures. II. cavendum ne hæreticus unquam in patrinum assumatur, cum patrini munia obire non possit. III. etsi censent plures officium patrini cessare, cum is, quem levavit e fonte sacro, jam est sufficienter eruditus; existimo tamen cum aliis teneri patrinum omni, qua poterit, ope filiolum ab hæresi v. g., aut dissolutis moribus revocare ad fidem, & bonos mores, sive jam careat parentibus, sive habeat quidem, sed qui ex inertia non satis proli suæ invigilent. Patrini enim semper sunt quidam patres; ergo semper corrigere debent, quandiu ex correctione non nihil successus sperare possunt. Ceterum non est, quod anxii sint patrini circa filiolos, qui piam domi educationem habent, catecheses, conciones've sacras frequentant, &c.

CONCLUSIO IV. Filii spirituales patrinis suis debent amorem reciprocum, reverentiam filialem, & obedientiam.

Prob. quia efficere debent filii spirituales, ut patrini officio suo fructuose, & cum gaudio defungantur: porro ad id requiritur, ut amorem amori rependant, ut patrinos velut alteros patres revereantur, ut demum iis obtemperent in his omnibus, quæ patrinorum partes sunt; alioqui specialiter peccant contra pietatem.

## ARTICULUS TERTIUS.

*Quid debeant alii quasi patres suis respective &c.*

AD parentes suo etiam modo revocantur: I. qui famulos habent in ministerio. II. Tutores, Curatores, &c. Sit

CONCLUSIO I. Debent domini famulos amare, instruere, corripere, eorumque operam justo stipendio remetiri.

Prob. 1. pars. Eccli. 33. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi fratrem sic tracta eum.* Et vero servi eundem, ac heri Dominum, & Patrem habent in cœlis; insuper si vere servi sunt, student dominis placere; demum non raro fit, ut iis famulentur, quorum patres patribus suis servierant; ergo diligi debent ut fratres, ut amici suo modo, ut quorum conditio mansuetudine leniri debeat, non imperio rigidiore asperari. Hinc Ephes. 6. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis.*

Prob. 2. pars ex I. ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit:* atqui hanc suorum curam non habet, qui eorum saluti non consulit seu per se, seu per alios, qui non curat, ut Dei, & Ecclesiæ mandata sciant, & adimpleant, ut mane, & vespere Deum orent, (ad quod in domibus pie constitutis tota simul familia, vespere præsertim convenire solet) ut Dominicis, Festisque diebus Missæ, ceterisque, quantum fieri potest, officiis intersint, ut Sacramenta frequentent, ut a periculosa inter se familiaritate procul distent. Hæc tamen est plerumque dominorum somnolentia, ut vix sciant, quam profiteantur Religionem servi sui. Si quempiam in famulum admittere velint, pluribus interrogant, quid sciat, quid possit, ubi servierit, de pietate vero ne voculam quidem habent: quin & sæpius eos non ferunt, qui plus in virtute propensionis nacti sunt, iisque vix concedent tempus audiendæ Missæ, omniumque brevissimam audiri præcipient: & tamen ex famulorum corruptione ut plurimum sequitur filiorum familias depravatio.

Prob. 3. pars, quia ex S. Augustino Lib. 19. de Civ. Dei c. 16. domini *veri patres-familias sunt*: atqui ex eodem S. Doctore verus pater-familias eum, *qui in domo per inobedientiam domesticæ paci adversatur, corripit seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio pœnæ genere justo, atque licito, quantum societas humana concedit &c.*; ergo.

Hic quædam notanda: I. pœnam, ut *justa* sit, & *licita*, culpæ parem esse debere. Unde sanctæ correptionis limites excedunt, qui pro leviore culpa, ne dicam defectu, aspera quæque verba, aut etiam verbera adhibent. II. eas præ ceteris culpas plecti debere, quæ Deum offendunt; & hæ tamen ut plurimum inultæ manent. III. pensandum esse dominis id Concilii III. Mediolan. *Ne patiatur in familia esse quempiam, qui blasphemus sit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obscœni quidquam vel loquatur, vel agat,* qui aleis ludat, qui *ceteris turpis vitæ exemplum præbeat*.

Si grave non fuerit famuli crimen, ejusque expulsio magnam domino perniciem allatura sit, & verisimile appareat, eum expulsum deteriorem fore, consultius est eum retinere domi, opportuna adhibendo remedia, nisi esset scandalo, ut esset famulus, qui in domo heri sui concubinam retineret.

Prob. 4. pars, quia ex Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*, & mercenarius mercede sua: unde Levit. 19. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.*

Hinc peccant juxta materiæ gravitatem, qui famulis necessaria ad victum denegant, qui stipendium eorum differunt, qui famulos, quibus indigent, ultra infimum pretium conducunt, aut nulla facta pactione, recusant quod justum est, qui ægrotos non curant, vel statim dimittunt, nisi mittant ad xenodochia, in quibus, ut decet, curari debeant. Hæc tamen deportatio confestim facienda non est, quia merito affliguntur famuli, & ancillæ, qui tam cito se a dominis abjici vident. Alia sane fuit agendi ratio Centurionis, qui per seipsum sanitatem servi sui flagitavit a Christo.

Non debent tamen domini stipendium famulis pro tempore, quo infirmi decubuerint; imo nec majores eorum expensas Medicis exsolvere tenentur extra casum exigentiæ, aut gravis necessitatis: at omnimode efficere debent, ne servis suis desint spiritualia Ecclesiæ remedia.

CONCLUSIO II. Servi dominis obedientiam debent, reverentiam, obsequium, & fidelitatem.

Prob. ex Scriptura, quæ hæc omnia a servis exigit; obedientiam quidem Ephes. 6. *Servi obedite dominis*

*minis carnalibus*, *& non tantum bonis*, *& modestis*, *sed etiam dyscolis* (*I. Petri* 2.). Reverentiam, seu honorem I. Timoth. 6. *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur*. Obsequium rationabile, ut non fiot *ad oculum servientes*, *quasi hominibus placentes*, *sed ut servi Christi*, *facientes Dei voluntatem ex animo* (*Coloss.* 3.): est aotem hæc Dei voluntas, ut qui stipendium recipit, non stet otiosus, sed pactum pensum impleat. Fidelitatem denique, nam *servos* oportet *dominis suis subditos esse... non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes*, ad Tit. 2.

Contra hæc officia peccant: I. qui in obmurmurationes erumpunt, cum sibi quidpiam præcipitur, qui id se fecisse simulant, quod non fecerunt, qui laboris sui partem committunt aliis, quos domini ære compensant, qui cum arguuntur, paratum habent mendacium, quo se defendant. II. qui occultos dominorum defectus extraneis detegunt, & ita exaggerant, ut vix inveniant, qui sibi famulari velint. Item qui dominos intee se derident, quod tamen ita frequens est, ut *inimici hominis* esse soleant *domestici ejus*. III. qui debitam rerum sibi creditarum curam oon habent, easque aut compilari ab alus etiam conservis, aut fieri deteriores sinunt. Item qui pacto sibi salario minime contenti, clanculum quid subripiunt titulo compensationis, qui demum cibos, grana, & alia id genus furantur etiam pro filiis, aut pecoribus dominorum. Et vero forte legitimam habet rationem dominus prohibendi, ne plus jomentis suis detur, & parcendi sumtibus. Adde quod non sit famulorum de domini rebus disponere eodem invito, vel non consulto, com dubia est ejus voluntas. Aliud esse posset, si avarus senex omnino necessaria pecudibus denegaret: quanquam satius forte fuerit ab ejus obsequio discedere, præsertim si diutius in eadem agendi ratione perseverandum esset.

Ceterum meminisse debent famuli, & ancillæ, Deo magis obediendum esse, quam hominibus, quoties ab eis exigitur quidpiam divinæ voluntati adversum; ut si jubeantur vinum, & similia promere alicui, qui jam ad ebrietatem vergat: carnes parare bene valentibus, literas ad venerem, aut ad duellum sollicitantes deferre, dominum vehere, quo non licet, puta comœdiam, fuco vultum pingere, serviliter operari Festis diebus.

CONCLUSIO III. Tutores temporaneam, & spiritualem curam debent pupillis suis.

Prob. Tutores in vicem parentum constituuntur jure publico; ergo pupillis debent in ordine spirituali, quidquid iis debent genuini patres, ac proinde eos monitis, adhortationibus, bonis præsertim exemplis ad pietatem accendere tenentur. Debent insuper rem eorum domesticam, ad minus ut suam tractare, augere, prout possunt secundum Dei, & Ecclesiæ leges, tempore præscripto rationem reddere, &c.

CONCLUSIO. IV. Pupilli tutoribus debent amorem, honorem, & obedientiam in iis, quæ ad tutelam spectant. Sequitur ex ipsa conditione patrum, quam habent tutores. Unde si his pupilli resistaot, aut erga eos gerant se irreverenter in materia gravi, mortalitee peccant.

Hic addendum suam quoque senibus reverentiam deberi, quod de iis præcipue verum est, qui vitam labis puram agunt. Etsi vero vitium in senibus, qui jam æternitatis limen pulsant, nescio quid habet magis odiosi, nihilominus qui cum corrupto sene agunt, præ oculis habere debent id Apostoli I. Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris*, *sed obsecra*, *ut patrem*. Quanquam & ipsa senum depravatio, cum aliter oppressæ innocentiæ succurri nequit, palam est referenda, prout fecit Daniel in causa Susannæ.

Ut senibus honorem, & reverentiam debent adolescentes, sic adolescentibus omnimodæ virtutis exemplum debent senes, cui si officio desint, grave recipient judicium a supremo judice, ad quem, velint, nolint, totis pedibus properant. Sensit hoc, & in praxim redegit Eleazarus ille senex, qui rogatus instanter, ot mortis vitandæ gratia fingeret vesci porcina carne, restitit constanter, ne *multi adolescentium*, *arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum*, *& ipsi propter ejus simulationem* deciperentur (*II. Mach.* 6.).

## ARTICULUS QUARTUS.

*Quid sibi debeant Conjuges.*

CONjugum debita sigillatim exponemus, ut solvantur præcipui casus unicuique obligationi correspondentes.

### SECTIO PRIMA.

*De obligationibus a debito conjugali distinctis.*

CONCLUSIO I. Conjuges ad mutuum, sanctum, & specialem amorem obligantur.

Prob. ex Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras*, *sicut & Christus dilexit Ecclesiam*: atqui Christus sancto, specialique amore dilexit Ecclesiam; ergo idem facere debent conjuges. Quod enim hic de viris dicitur, cadit in uxores, quibus etiam præcipitur ad Titum 2. ut *viros suos ament*.

Contra hanc legem graviter peccat uterque conjux: I. si rixas suscitet, aut foveat, si alium ad iram gravem, vel aliud grave peccatum excitet, si vir uxorem, & a fortiori si uxor virum graviter percutiat. II. si se dedat xelotypiæ vitio, unde tot perversa judicia, tot diu noctuque perturbationes, quibus una fere mederi potest oratio acris, & intensa. III. si cæco quodam amore se rapi sinant: is enim gravia crimina parit, præsertim vero coitos nefandos, & in coitu *retractum*, ne nascatur proles vitæ matris nociva.

CONCLUSIO II. Conjuges secum cohabitare debent quoad domum, & thorum, nisi legitima causa excuset.

Prob. I. ex his Christi verbis: *Dimittet homo patrem*, *& matrem*, *& adhærebit uxori suæ*, *& erunt duo in carne una* (*Math.* 19.): quod sine prædicta cohabitatione fieri non potest. II. quia susceptio prolis, conveniens ejusdem institutio, obsequia sibi mu-

tuo a conjugatis præstanda, &c. absque conjugali hae societete subsistere non valent.

Licitum est tamen viro a domo recedere ad breve tempus sine licentia uxoris, sed non vice versa: imo posset vir abesse diu, si id exigeret res familiaris, Principis obsequium, aut gravis infirmites: alias, *Cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altere* (nisi de ejus consensu) *esse diutius*, ex c. 1. *De conju. leprof.*

Quæres I. an teneatur uxor sequi maritum qui alio divertit. R. non teneri: I. si maritus vegari velit quo sibi videbitur. II. si uxori eundem secuturæ immineet periculum gravis peccati, mortis, eut defetigetionis maximæ, ut si meritus ad bellum proficiscatur. III. si maritus absque necessitate vera in Regionem admodum remotam, ut Indias, migrare velit: est enim transmigratio hæc onus tam grave, ut nemo eam absque præcedenti pacto censeatur imposuisse. IV. si inter pertes convenerit ut habitationem non mutent: hæc tamen conventio non impediret, ne uxor maritum sequi teneretur, si hunc alio evocaret justa & gravis necessitas, puta insalubre coelum mutandi, exequendi jussa Principis, & similia; ex quibus tamen mulier grave periculum non subeat.

Quæres II. an, & quibus de causis possint conjuges sive quoad tectum, sive quoad thorum a se invicem separari. R. licitum esse utrique conjugi ab alio secedere, idque in perpetuum propter adulterii crimen. Petet id ex Metth. 5. *Omnis, qui dimiseris uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*; ergo, ait S. Augustinus Lib. 2. de adult. conjug. e. 5. *licite dimititur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris* conjugii.

Circa hoc not. I. non minus uxori, quam viro licitum esse divortium propter fornicationem: quia non minus vir, quam uxor fidem violat conjugalem adulterando; quæ injusta fidei læsio divortium inducit. Non potest tamen in Gallia uxor ob adulterium solum insequi conjugem intuitu separationis quoad tectum, licet eidem marito adulterium objicere efficaciter possit, ne ab eodem separetur. II. adulterium hic sumi etiam pro concubitu sodomitico, & bestialitate activa, vel passiva: quia sic etiam dividitur caro contra matrimonii fidem, quæ exigit, ut *duo* sint *in carne una*. Aliud est de amplexibus, vel tactibus impudicis, si desit copula, etsi non desit proprii, aut alieni corporis pollutio. Hæc enim licet adulterii suspicionem parere possint, haud tamen ad divortium sufficiunt, tum quie per hosce actus non violatur consummate fides matrimonii, tum quia in odiosis stricte leges intelligi oportet. III. quatuor esse casus, in quibus adulterium non sit legitima cause divortii.

Primus est, cum adulterium vecet a culpa, ut si femina ab eo cognoscatur, quem virum suum esse credit: si vi opprimatur, nisi, monita ut fugeret, fugere noluerit: si rebus, ut decebat, exploratis, novum ineat matrimonium; modo ab eo recedat, statim ut certior facta fuerit de vita legitimi conjugis.

Secundus est, cum vir fuit, vel est uxori suæ edulterandi causa, veluti si eam prostituat, si ui factum ejus consentiet, a fortiori si idem consulat. Ratio est, quia consentienti non fit ea injuriæ speciee, quæ divortii causa fit. Idem est de eo, qui scit crimen, & non prohibet, quando posset prohibere: quia *qui in hoc casu tacet, consentire videtur* (*Reg.* 43. *in* 6.). Aliud est, si taceat ex metu gravi. Imo mulier, quæ virum non reprehendit, non censetur communiter consentire; quia vocem præcludunt timor, & reverentie: si temen uxor commode contradicere posset, jam consentire judicaretur, nisi forte dissimularet ad tempus, ut indubie detecto per testes facinore, divortium juridice prosequi posset.

Si maritus uxorem domo ejiciet, eive neget alimente, vel debitum, & hæe dedat se crimini, negaot plures cum Thoma in c. 7. I. Corint. eam dimitti posse: quia licet adulterium nullam recipiat excusationem, haud tamen æquum est, ut illud quasi minime reus plectere possit, qui ad ipsum quasi coegit iniqua sue, ac crudeli agendi ratione.

Tertius casus est, cum conjux alter ipse quoque adulterium commisit; ita omnes ex e. 7. *De adulteriis &c.* ubi *paria crimina mutua compensatione* deleri dicuntur. Nec refert, quod alter altero prius, graviusve, eut sæpius ceciderit: quia licet in crimine desit paritas quoad numerum, aut malitiam, est tamen paritas quoad conjugalis fidei violationem, quam jura præcipue attendunt, & ut radicem divortii assignant.

Sed an non poterit is, qui occulte solum peccavit, ab ea, quæ publice peccavit, seperari, eut ei saltem debitum denegare? Negant SS. Thomas, & Bonaventura, & cum iis plures; quie, inquiunt, *non videtur, quod pari crimine infectus alium de eodem punire possit.* Quia tamen aliquando fieret, ut maritus alioqui parum patiens, non reclamando seipsum adulterii suspectum redderet, addunt Canonistæ quidam posse eum se gerere quasi qui injuriam publice nocenti condonet: imo, ejunt iidem, si ob publicum scandalum teneretur publice nocentem dimittere, dimittere deberet ad breve tempus, & iterum recipere simulendo injuriæ condonationem, vel potius injuriam, qua parte publica est, vere condonando. Quod *si vir egisset pœnitentiam, & uxor nollet agere, sed perseveraret in adulterio, posset sine peccato accusare, & dimittere* (*S. Anton.*).

Quartus casus, in quo conjux compartem adulteram dimittere non potest, est cum suum ipsi crimen condonavit, ut condonare potest non solum marito uxor, sed & maritus uxori, nisi hæc in crimine palam vivere pergat; tunc enim urgeret illud Proverb. 18. *Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens*; imo & adulteræ peccati *reus, & particeps* ex c. 3. *De adulteriis*, &c.

Porro potest conjux innocens nocenti adulterium remittere, vel *expresse*, cum in verbis, aut literis manifeste indicat, vel *tacite*, quod fit: I. cum conjugem ad copulam admittit. II. cum ei amicitiæ signa seu licite, seu prohibita concedit. III. eum eum, non obstante criminis notorietate, retinet domi, nisi tamen retineet vel ex ignorantia juris sui, vel ex male fundeto judicis præcepto, vel ex metu præjudicii sibi imminentis. Ceterum prædicta signa idem operantur postquam

quam partes judiciali ſententia ſeparatæ ſunt, ac antea; quia ſemper licita eſt condonatio extra caſum ſcandali.

Sed quid ſi conjugibus poſt alterius adulterium reconciliatis, fornicetur qui ante innocens alterum dimiſerat, poteritne is vice ſua dimitti. R. affirm. quia prior injuria fuit omnino deleta per reconciliationem. Æquum tamen eſſet, ut qui tibi reſipiſcenti pepercit, & ai parceres reſipiſcenti.

Ut huic adulterii materiæ imponatur finis, expendendum: I. an privata auctoritate divortium fiari poſſit. II. an, & quando innocens teneatur ſootem dimiſſum recipere. III. an facto ex adulterii cauſa divortio licitum ſit partibus Religionem ingredi; de quibus dico

Ad 1. Si ſermo ſit de ſola ſeparatione quoad thorum, fatentur omnes partem innocentem ab adulteea diſcedere poſſa anta judicis ſententiam: modo tamen inſonti de ſontis crimine conſtet certo moraliter, id eſt, per indicia non *probabilia*, ſed adeo *violenta*, ut in judicio fidem facere poſſint; (C. 12. De præſumpt.) puta ſi *nudum cum nuda in eodem lecto jacentem* viderit, &c. Si vero ſermo ſit de omnimoda ſeparatione, generatim ſaltem in Galliis opus aſt prævia Judicis ſententia etiam in caſu notorii adulıarii, niſi tanta ſit criminis notorietas, ot hoc nemo in dubium vocet, ut ſi conjux cum adultero palam vivat, ſi liberos habuerit, quos certum ſit mariti foetum non eſſe, ſi adultera crimen ſuum juridice confiteri coacta ſit. Aliud eſſet, ſi adulter ſuum, & mulieris crimen confaſſus eſſet, quia ex cap. fin. xv. q. 3. *Nemini, præterquam de crimine læſæ majeſtatis, de ſe confeſſo credi poteſt ſuper alienum*.

Ad 2. dico I. Semper licet innocenti conjugem adulterii cauſa dimiſſum, ac pœnitentem recipere; ita omnes ax c. 7. xxxii. q. 1., neque vero innocens acquieſcendo ſententiæ Judicis ceſſit juri ſuo, cum eidem ſententiæ non niſi in ſui favorem acquieſcat.

Dico II. Non tenetur innocens dimiſſum recipere etiam pœnitentam. Ratio eſt, quia pœnitentia tollit quidem culpam apud Deum, ſed nec injuriam homini factam, nec pœnæ reatum tollit. Et vero poteſt innoceas adulterum conjugem, cujus crimen didicit, io ordine ad divortium inſequi, etiamſi is pluribus jam ab annis inculpate vivat, ut colligunt omnes ex cap. 8. xxxii. q. 2. ergo multo magis poteſt ipſum etiam pœnitentem non recipere. Quanquam ſi innocens ſine magno incommodo recipera poteſt conjugem emendatam, & hoc expedit ſaluti ejus, alioqui v. g. ad vomitum reverſuræ, ad id teneri videtur ex charitate. Non deſunt tamen caſus, in quibos adulter dimiſſos recipi debeat: hi nempe: I. ſi dimittens in adulterium ceciderit. II. ſi condonaverit. III. ſi comperiat ſententiam Judicis ax falſa præſumtione latam fuiſſe. IV. ſi patitur incootinentiæ periculum: hoic enim, ſecluſo, ut diximus, ſcandali metu, mederi debet per legitimum conjugem, cum per alium non poſſit.

Dico III. Tenetur pars adultera, atiam poſt ſententiam Judicis, ad innocentem revarti, ſi revocetur. Ratio eſt: I. quia divortium in favorem innocentis inſtitutum eſt: *Quod autem ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.* II. quia alioqui præberetur conjugibus maritorum pertæſis adulterandi occaſio.

Ad 3. Licet innocenti edere votum ſimplex caſtitatis, vel Ordines recipere, vel ingredi Religionam, ibique irrevocabiliter profiteri poſt divortii ſententiam. Sed non aadem eſt conditio nocentis. Is anim ſine innocentis licentia non poteſt ingredi Religionem; quia revocari poteſt ab inſonte. Si tamen adultera peracta biennio toto pœnitentia adhuc rejiciatur ab innocente, poſtquam hunc Epiſcopus, aut alius vir gravis crebro hortatus fuerit ad veniam, poteſt ea in Monaſterio profiteri; quia tunc vel conceſſa eſt ai facultas profiteodi, ot amplius lavetur ab iniquitate ſua, vel injuſte danegata cenſetur. Addit Pontas v. *Divortium*, caſ. 12. uxorem a viro revocari non poſſa, cum is cognito ejuſdem Novitiatu, ac Profeſſione non reclamavit: quia tunc tacere idem eſt, ac aſſeutiri.

Seconda divortii toralis cauſa eſt fornicatio ſpiritualis, ſeu lapſus in hæreſim, aut gentiliſmum. De quo vide quæ dixi ſupra p. 265. *col.* 2.

Tertia cauſa eſt periculum animæ, quando ſcilicet conjugum alter alterum ita inducit ad crimen, puta ad ſodomiam, vel furtum, ut is jam cum eo habitare non valeat ſina gravi ſalutis periculo. Haud tameu poteſt conjux in exteriori foro a coujuge diſcedera afficaciter, niſi probet ſe ab illo ad ea crimina vivide ſollicitari: quia ſollicitatio hæc, utpote crimen, non præſumitur, ſed probatur. Quod ad forum interius ſpectat, mulier cujus ſaluti verum a viri cohabitatione periculum imminet, cohabitara non poteſt, etiamſi ad id per cenſuras compellatur.

Quarta divortii cauſa, quæ fare ſola viget in Galliis, ſunt ſævitiæ, ſeu malæ alterutrius coujugis tractationes, v. g. *percuſſiones graves, & atroces, aut abortum cauſantes, ut ſanguinolentæ, aut in capite, vel oculo illatæ: adde etiam verbera, ſi illa ſint immoderata* (*ex Sylvio*): quæ omnia a Judice definiri debent *attenta qualitate perſonarum, & fæminæ, quæ vexatur: quia ſi illa nobilis, pudica, honeſta, & morigerata fuerit, minores moleſtiæ cenſeri debent nomine ſævitiæ*; unde licet innocenti coram Judicibus agere in ſeparationem, oiſi pars, quæ ſævitiam exercuit, ſpem injiciat moderatioris convictus Si taman *capitali odio ita mulierem vir proſequitur, quod merito de ipſo*, ejuſque promiſſis *diffidat, alicui honeſtæ mulieri uſque ad cauſæ deciſionem cuſtodienda ſtudioſius committatur in loco, ubi vir, vel parentes ejus mulieri nullam poſſint violentiam inferre* (Cap. 8. de divort.): Porro ut uxori contra maritum, ſic marito contra uxorem licet agere titulo ſævitiæ. Quidni eoim a muliera dæmoniaca ſeparari velit maritus, ot hæc velle poteſt a viro ejuſdem farinæ ſeparari?

Nota tamen I. iram prætereuntem, rixas leves, minora jurgia, & ſimilia, legitimam oon eſſe cauſam divortii; quod ne propter minutiora hæc tentetur, totis viribus obſtara debent Paſtores, qui & marito prudentiam, quam debet habere majorem, & uxori patientiam, qua præſtare dabet, ſollicite commendabunt. II. percuſſionem etiam atrocem, quæ ex inſolita perturbatione proceſſerit, nullumque pro futuro ſimi-

similis excessus periculum inducit, non esse sufficientem divortii causam: I. quia ex insolito motu non colligitur sævitia viri. II. quia cum cessat mariti sævitia, eique sufficienter provisum est, tenetur uxor ad eum reverti; ergo multo magis tenetur non discedere, cum nihil est, quod in posterum vereatur.

Quæres, an sit divortio locus, si mulier pessima sua agendi ratione, conviciis, petulantia, &c. virum commoverit. R. affirm. quia potest quidem uxor ob delicti sui qualitatem puniri, sed a judice, non a marito. *Præceptoris enim nimia sævitia culpæ adsignatur*, Leg. 6. ff. *Ad leg. Aquil.*

Quinta legitimæ separationis causa est, cum timet mulier, ne in mariti sui criminibus involvatur, & propter illa vitæ, bonorum, aut honoris dispendium incurrat. Hic tamen cavendum, ne falsum imponatur crimen, vel verum detegatur, cum non debet: unde prudenti opus est consilio.

Sexta causa est pietas, quam ut impensius sectentur conjuges, ab eodem lecto divelli possunt de communi consensu, non tamen ab eadem habitatione, nisi eorum alter Ordines sacros recipiat, vel in Religione profiteatur; & tunc *si ita uxor senex est*, & casta, *quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare* poterit Episcopus, *ut ea in seculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir ejus*: alioqui & ipsa, quantumvis extra incontinentiæ suspicionem posita, si juvenis sit, ad Religionem amplectendam compellenda erit. c. 4. *De convers. conjugat.*

Quæres, an ad separationem quacunque ex causa requiratur sententia Judicis. R. separationem quoad thorum, & tectum regulariter loquendo nec licite, nec valide fieri absque Judicis arbitrio, etiamsi fiat ex causa justa, modo non adulterii. Ratio est tum quia divortiis, & iniquis accusationibus aperietur janua, si conjux alter ab altero secedere posset pro nutu, tum quia cum partes publica auctoritate conjunctæ sint, easdem simili auctoritate divelli convenit. Unde uxor, quæ a marito discessum parat, ante omnia libellum supplicem Judici laico, ut nunc fit, exhibere debet, & postea in communitatem aliquam, dum lis agitur, secedere.

Dixi I. *regulariter*, quia si ex mora immineat periculum grave, ut imminere potest præsertim ex furore mariti, licet sibi illico per fugam consulere, & deinceps implorare opem Judicis.

Dixi II. *excepto adulterii casu*: quia mulier, quæ adultero debitum redderet, censeri posset ei condonare, & sic excideret a jure divortii.

CONCLUSIO III. Conjugum alter alteri alimenta debet.

Prob. quia conjuges *non sunt duo, sed una caro* ex Matth. 19.: atqui ex Ephes. 5. *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*; ergo conjugum alter alterum nutrire debet.

Hinc, generaliter loquendo, peccat graviter maritus, qui vel negat uxori alimenta, cum habet; vel non adhibet diligentiam saltem mediocrem, ut acquirat, & conservet quantum necesse est boni ad decentem uxoris sustentationem. Sic enim lædit officium capitis familiæ, & justitiam, cum ideo dotem, dotisque administrationem recipiat, ut uxorem, & familiam sustentet.

Quod si mulier non attulerit dotem, etiam tunc tenetur vir eam etsi divitem sustentare, posito quod gratum habuerit, ut sibi dotem non constitueret. Secus, si nulla dotis mentio facta fuisset, & mulier esset dives: tunc enim tacite conventum esset de futura constitutione dotis.

Dixi, *generaliter loquendo*: non enim tenetur maritus uxorem alere: I. cum hujus pater non vult promissam dotem solvere: aliud esset, si evasisset impar solvendo. Imo si pater ex nimia duritie nec filiam recipere vellet, nec dotem pendere, teneretur maritus rem propriam cum ea partiri. II. cum uxor pro libitu discedit a viro, eumve ob causas futiles deserit, ut quia aliquid paulo durius locutus fuerit, aut leviter excesserit in ejus castigatione. Secus si recesserit propter correctionis acerbitatem, aut periculum morbi exitialis. III. si dotem consumserit inscio marito, vel ea ob perpetratum scelus meruerit a Judice privari. Quanquam nec crediderim uxorem in his casibus a marito deseri posse totaliter, etsi sponte fatebor cum ea tunc durius agendum esse. Pari de causa mulier ex bonis suis debet alimenta præbere viro, ob sua etiam delicta ad carcerem, aut triremes detruso.

## SECTIO SECUNDA.

### *De debito conjugali.*

CONCLUSIO. Conjuges in eo, quod ad debitum conjugale spectat, sibi invicem obsequi tenentur, nisi excuset ratio legitima.

Prob. ex I. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quæ verba thesim nostram continent, & probant.

Hinc inferes: I. obligationem debiti conjugalis esse sub mortali, tum quia est obligatio justitiæ, & in materia gravi, tum quia ex debiti negatione conjicitur alter conjux in periculum multiplicis incontinentiæ. Unde ei, qui serio, & rationabiliter petit etiam tacite, negare debitum vel semel sine justa causa, non vacat a noxa letali. Aliud erit, si petat remisse, & dilationem facile concedat, nec subeat incontinentiæ periculum. II. novi peccati reum esse, qui mediis illicitis v. g. voluntaria pollutione, vel commercio fornicario reddit se impotentem ad satisfaciendum uxori debitum juxta prudentiæ leges exigenti. Peccaret etiam, qui indiscretis jejuniis, vel mortificationibus se ad idem officium notabiliter impotentem redderet.

Priusquam variæ, quæ circa practicam hanc materiam occurrunt difficultates, expediantur, *Rogo vos, fratres*, cum S. Cæsario Arelat. Serm. 88., *ut mihi indulgeatis, quia pro salute animæ vestræ cum grandi timore, & cum verecundia de talibus rebus vos admonere videor, quia & hoc mihi expedit dicere, & vos oportet audire*, utpote non semel iis de rebus interrogandos. Quapropter

Quæ-

Quæritur I. an conjuges aliquando teneantur petere debitum. R. non teneri per se loquendo, cum *liberum sit unicuique juri suo renuntiare*. At tenentur per accidens: I. si alter præsertim uxor ex signis, vel dispositione remedium hoc cupere videatur, licet ex verecundia taceat; quia tacita petitio non desinit esse vera petitio. II. cum, etsi ne quidem tacite petatur, sentitur tamen conjugem alterum versari in periculo incontinentiæ. Quisque enim grave proximi peccatum impedire debet, cum facile potest. III. cum id ad fovendum amorem mutuum, vitandaque odia necessarium est. IV. cum prolis generatio necessaria est ad avertendum grave damnum Religionis præsertim, & Reipublicæ.

Quæres II. an, & quando conjux possit non reddere debitum. R. debitum negari posse: I. cum, qui petit, vere ebrius est, amens, aut furiosus, quia tunc petitio non est humana. Potest tamen, & debet uxor mariti petitioni acquiescere, ut vitentur majora mala, v. g. pollutio compartis. Si uxor ipsa amens sit, & subsit periculum abortus, non licet petitioni ejusdem acquiescere.

II. Cum, qui petit, non potest rationabiliter conqueri de denegatione, ut si debitum reddi nequeat sine periculo gravis ægritudinis ex copula secuturæ. Imo quia nemo vitæ suæ dominus est, censeo matrimonii usum graviter illicitum esse, cum mulier a medicis didicit se, si pariat, probabiliter esse morituram, aut cum videt se ex commercio maritali contracturam esse morbum, qui proxime mortem illaturus sit. At non licet negare debitum propter incommoda graviditatis, & ordinariam partus difficultatem.

III. Cum conjux a petendi jure excidit per adulterium; si tamen scelus istud ab altera parte ignoretur, aut dissimuletur, licebit, si non exigere ut stricte debitum, saltem petere, ut concedendum benevole; non enim tenetur adulter manifestare crimen suum.

IV. Cum petitur frequentius; id enim rationi dissentaneum est, & graviter incommodum.

Quæres III. quandonam debitum absolute debeat negari. R. quoties pars, a qua petitur, necessario peccaret concedendo.

Hinc I. concedi nequit, vel in loco sacro, etiam ad vitandam petentis incontinentiam, ut alibi dixi, vel cum is, qui petit, debitum concubitus modum ita prætermittit, ut non possit recipi semen, prout ad generationem recipi debet (*Pontas hic c.* 39.). Ratio est, quia talis congressus est prohibitus ob circumstantiam ipsi actui inhærentem; quare perinde est, ac si vir peteret, ut uxor sibi ad pollutionem cooperaretur. Unde ne mortis quidem ipsius timor excusaret tunc feminam reddentem. Ceterum docet Sanchez sodomiam inter conjugatos gravius esse peccatum, quam inter solutos, & veri adulterii specifice confitendi rationem habere.

II. Cum vir præ senio copulam perficere nequit. Si vero semel in uno, aut altero mense perficiat, certum videtur uxorem illius ad debiti redditionem sub peccato mortali teneri (*Pontas*).

III. Cum vir detestabile Onami crimen committit, & semen fundit extra vas, idque mulier ex continua experientia compertum habet. Aliud est si vir identidem copulam perficiat, quia non licet ob incertum crimen jure suo radicali quempiam spoliare. Interim uxor virum serio monere debet, ut a tanto crimine abstineat.

Sed quid si mulier versetur in gravi incontinentiæ periculo, poteritne debitum reddere, aut petere? Poterit, quantum existimo, saltem sine gravi culpa, si post adhibita remedia orationis, eleemosynæ, &c. idem grave incontinentiæ periculum continuare supponatur. Sicut enim ob gravem causam licet Sacramenta repetere ab infami Ministro, quia potest is id, quod petitur, legitime dare; sic & videtur uxor uti posse jure, quod habet ad copulam, quia penes maritum est legitime copulari. Equidem constat eum non id facturum sine peccato; sed constat etiam malum Parochum non daturum Sacramenta sine crimine.

Quæres an liceat reddere debitum ei, qui petit illicite ob circumstantiam inamovibilem, puta si petens sit ligatus voto, aut per incestum cum consanguinea uxoris suæ commissum exciderit a jure suo, aut serio dubitet de valore matrimonii.

R. hic dividi Theologos. Censent Sanchez, & alii non pauci post S. Antoninum, debitum tunc posse, & debere reddi. Aliter sentit Pontius Lib. 10. c. 3. ubi generalem hanc regulam post alios plures constituit: *Quotiescunque petens debitum peccat in petitione, sive ratione circumstantiæ se tenentis ex parte actus, sive ex parte personæ petentis, si non est in potestate petentis se liberare ab ea circumstantia, quæ reddit illicitam petitionem prout tunc exercitam, est peccatum in reddendo*. Ratio ejus hæc est, quod qui tunc reddit, cooperetur actioni hic & nunc malæ, quæ sine jure ullo exigitur, quia totum petentis jus voto ejusdem ligatum est quoad usum; ergo non minus peccat reddendo debitum, quam peccaret caupo ministrando cœnam ei, quem sciret hac die obstrictum voto jejunii. Aliud esset, si malitia actus posset per agentem removeri. Unde, inquit, non debet debitum negari ei, qui fornicario animo petit (& hoc ultimum docet cum Sylvio Pontas ibid. cas. 8.)

Posterior hæc opinio satis consonat iis, quæ diximus ubi de charitate (*sup. p.* 300, *col.* 2.). Quoniam vero ibidem ex communi Theologorum sensu dictum est præberi aliquando posse materiam mali, cum alioqui gravius imminet malum, addendum foret uxorem marito habenti votum castitatis obsequi posse, cum, nisi obediat, gravius impendet malum, quam quod avertere conatur, puta uxoricidium.

Alii tamen faciliorem a quocunque peccato declinandi viam aperiunt; suadent scilicet, ut compars, quæ non vovit, petat, dum prævidet a vovente petendum; sic enim utrique licita erit copula. Quod si vovens prævenerit, alter dicat petenti: Volo ego, ut tu mihi reddas.

Quæres, an qui castitatem voverat, teneatur ante matrimonii consummationem Religionem ingredi. R. negat. cum Sanche, & Cabassut.: I. quia ut quis debitum sua etiam culpa contractum solvat, necesse non

est, ut dura quæque, & extraordinaria media assumat. II. quia Religionis status requirit vocationem moraliter certam, cum in male vocatis fœcunda sit miseriarum seges. quis vero puellam v. g., quæ promissa Deo castitate nubit, illico asserere ausit ad Religionem rite vocatam esse? III. quia Joannes XXII. cap. un. *De voto* &c. statuit, ut qui inconsulta uxore sacros Ordines suscepit, *ad ingressum* Religionis, si matrimonium consummatum non fuerit, per Episcopum *instanter* moneatur: *Quod si*, inquit, *forsan renuerit adimplere, ipsum, si sponsa ejus institerit, per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus contractum matrimonium consummare*; porro si credidisset ille Pontifex necessum esse, ut homo votum habens castitatis, ejusdem servandi causa, ingrederetur Religionem, non jussisset cum per censuras adigi ad matrimonii consummationem, sed e contrario eundem, vetita per censuras matrimonii consummatione, compulisset ad ingressum Religionis.

Quia tamen aliter sentiunt SS. Thomas, & Antoninus, satius fuerit, ut in dubio recurratur ad Episcopi dispensationem.

IV. Debet negari debitum, cum uxor uterum gerit, & ex redditione incurreret periculum abortus, fœtu etiam nondum animato. An autem, & quousque secluso abortus periculo peccent conjuges, qui eo tempore matrimonio utuntur, non convenit inter Theologos. Communior opinio non nisi veniale peccatum hic cognoscit cum S. Thoma; idemque est de concubitu cum menstruata (*ex Sylvio*), vel tempore puerperii: *nisi* tamen *aliquod damnum inde sit rationabiliter timendum*, puta si probabile sit infantem necdum ablactatum, vitiato ex concubitu lacte, debilitatum iri.

V. Si mulier hactenus mortuos filios edidit, arbitror cum Sambovio, Haberto, & aliis pluribus contra Sylvium, eam marito graviter instanti obsequi debere: quia nonnunquam contingit, ut quæ pluries abortum fecerat, pariat tandem feliciter. Et vero abortus plerique e sola prodeunt culpa conjugum, qui vel intemperantius utuntur matrimonio, ita ut impediatur plena fœtus conformatio, vel sibi prægnationis tempore non satis consulunt se uterum arctius constringendo, ne gravidæ videantur, seu onera nimia deferendo.

Quæres IV. qui futiles sint negandi debiti prætextus. R. esse plures. Sic peccat mulier: I. quæ marito etiam publice excommunicato debitum negat: quia obligatio naturali jure imposita per excommunicationem non relaxatur.

II. Quæ marito hac in parte obsequi non vult, quia de recipienda sacra Synaxi cogitat, aut festam diem sanctius transigere intendit. Unde si petens monitioni non acquiescat, non erit jure suo frustrandus; quanquam is, secluso gravi incontinentiæ periculo, non sit immunis a culpa; quia *omnia tempus habent.... tempus amplexandi, & tempus longe fieri ab amplexibus* (*Eccle.* 3.).

An autem eadem die permitti possit Eucharistiæ receptio, non nihil habet difficultatis. Negasse videtur Synodus Illiberitana an. 305. Si tamen *aliqua causa oppositum suadeat, ut Festi solemnitas, dies indulgentiarum, specialis devotio, aut nota quædam ex communionis omissione* (*ex Sylvio*) licebit ad sacram mensam accedere. (Idem obiter dicendum de iis, qui nocturnas illusiones vel sine sua culpa, vel ex causa leviori passi sint). Nisi tamen *effectus aliqui maneant, ut turpium cogitationum occursus, mentis distractio &c.*: tunc enim *congruum est abstinere*, nisi gravior suppetat causa, ut *Festi solemnitas, specialis aliqua devotio, vel infamiæ evitatio communionem postulet*.

III. Nec potest saltem moraliter conjux conjugi recusare debitum metu prolis numerosæ. Est enim in diffidentia quadam de providentia, quæ dando benedictionem uteri frequenter etiam dat benedictionem boni temporalis. Aliter tamen dicendum videretur, si honesta mulier in extremam conjicienda sit necessitatem seu respectu sui, prolisve suæ, seu respectu patris, quem jam alere non possit &c.

IV. Haud licet negare debitum leproso, vel epileptico præcise, ne proles iisdem morbis inficiatur. *Melius* enim *est* prolem *sic esse, quam penitus non esse* (*S. Thom.*). Aliud esset si ipsi conjugi immineret periculum mortis ex debiti redditione.

Quæres V. quæ crimina conjugem alterum, vel utrumque privent jure petendi debitum. R. quatuor assignari, adulterium, affinitatem, baptismum, & susceptionem prolis seu communis, seu quam alter conjux ex alio genuerit. De adulterio dixi supra, de ceteris agam in præsenti.

Et quidem I. affinitas, quam contrahit alteruter conjux per commercium formaliter incestuosum, & completum cum consanguineis conjugis alterius in primo, vel secundo gradu, privat reum jure petendi debiti; ex cap. 1. *De eo qui cognovit*.

Dixi I. *affinitas, quam contrahit alteruter conjux*; quia in hac materia idem est jus uxoris, ac mariti, nec interest, an crimen occultum sit, necne; quia nulla lex requirit, ut sit publicum.

Dixi II. affinitas *per commercium formaliter incestuosum*: unde mulier per vim a mariti sui consanguineo cognita, non excidit a jure suo, quia nullam commisit culpam. (Aliud esset, si mulier metu ipsius mortis cessisset: quia non cessisset, nisi gravissime peccando.) Hinc etiam non excidit a jure suo maritus, qui cognoscit feminam, quam uxoris suæ consanguineam esse ignorat, licet affinitatem contrahat cum aliis cognitæ consanguineis. Ratio est, quia citato c. 1. *De eo qui cognovit*, &c. expresse requiritur scientia ad incurrendam petendi debiti privationem. Haud tamen excusaret ignorantia facti vel affectata, vel tam crassa, ut æquivaleret affectatæ, quia utraque dolo, & proinde scientiæ æquiparatur.

Dixi III. *& completum*, scilicet per penetrationem vasis debiti, & in eo seminis emissionem.

Dixi IV. *cum consanguineis conjugis alterius*. Si quis enim propriam suam consanguineam, cognatamve spiritualem, aut legalem, vel affinem uxoris suæ cognoscat, non erit huic pœnæ obnoxius; quia id nullibi constitutum est in jure, & sæpe minorem culpam plectant Canones, non punita graviore, quia rariori.

Dixi V. cum consanguineis *in primo vel secundo gradu*:

quia

quia cum Tridentinum affinitatem ex copula fornicaria ortam, in ordine ad matrimonium contrahendum ita restrinxit, ut non nisi in primo, & secundo gradu locum haberet, eandem indirecte restrinxit quantum ad usum matrimonii: cum cohabitatio utpote matrimonii accessoria, naturam principalis sequi debeat. Et ita declaravit Sacra Congregatio.

Dixi VI. *privat reum jure debiti*: conjux enim innocens jus suum semper retinet. Si uterque conjux incestum commiserit, videndum an id ideo factum sit, ut alter alterum fraudaret, an solo voluptatis intuitu. In secundo casu neuter petere potest, aut petenti reddere. An vero idem dicendum sit in priori casu colligetur ex iis, quæ a pari dicentur in casu, quo ambo conjuges suam prolem baptizaverint.

Sed nonne reviviscet jus conjugis incestuosi, si conjux alter adulteretur? R. negat. quia impedimentum ex affinitate, non nisi per dispensationem tollitur. Hinc etsi incestuosus debitum reddere debet, & de facto innocenti petenti reddidit; nusquam tamen exigere potest, donec obtinuerit dispensationem. Et licet eam invito innocente obtinere possit, potest semper pars minime rea eidem debitum negare, non ratione affinitatis, cujus vinculum dispensatione sublatum est, sed ratione adulterii.

Hic addo conjugem, qui alterius incestui consentit, a suo jure excidere, non secus ac si ipse commisisset incestum: ideo enim Canones innocenti permittunt ut debitum petat, quia *non debet suo jure sine sua culpa privari*: porro hæc ratio locum non habet cum alter alterius culpæ consentit.

Secundum delictum, vi cujus conjugum alter privatur jure petendi debiti, est, cum pater v. g. culpabiliter baptizat, vel in Baptismo, aut Confirmatione suscipit, seu communem, sui nempe & uxoris suæ filium, seu prolem, quam uxor sua ex alio legitime, vel illegitime habuerit. Ita Theologi plerique post SS. Thomam, & Bonaventuram, a quibus recedi nolim, tum quia hujusmodi pœnæ ope consuetudinis, quæ ambiguas leges optime interpretatur, induci possunt; tum quia a tutiori parte non est facile recedendum.

Dixi I. *cum pater v. g.* quia eadem est matris, ac patris in præsenti casu conditio.

Dixi II. cum *culpabiliter baptizat*. Si enim baptizet in casu necessitatis, aut quia nescit eum, quem baptizat, suum esse, aut conjugis filium, immunis est a pœna, sicut a culpa: unde etiam vir propriam uxorem ad fidem conversam urgente necessitate baptizans, nullam cum ea contraheret cognationem conjugalis officii impeditivam.

Sed quid si vir communem, aut uxoris filium baptizet absente quidem Sacerdote, sed præsentibus aliis, qui baptizare possent. R. cum Sambovio, Pontas, &c. posse virum hunc, ut antea, matrimonio uti: I. quia Joannes VIII. (c.7. xxx. q. 1.) subindicat tunc tantum peccare patrem cum in præsentia Sacerdotum prolem suam baptizat. II. quia pœnæ, quantum fieri potest intacta canonum litera, restringi debent. III. quia hæc nostra opinio tot in Diœcesibus docetur, ut ibidem approbata esse videatur. Si cui tamen hæc opinio minus probabilis videatur, iis ad Episcopum recurrat, dispensationem obtenturus.

Quod si quis videns filii sui necessitatem, etiam præsentibus aliis pene indeliberato accurreret, eumque periculo territus baptizaret, laudem potius mereretur quam vituperia, & a pœna immunis esset; quia in tanta necessitate vix suppetit deliberandi locus.

Dixi III. vel *suscipit in baptismo*, &c. nimirum personam gerens veri patrini; hoc enim in casu multo probabilius est incurri privationem juris conjugalis, non quod extet ulla lex, quæ id diserte probet, sed quia ita sentit longe major Doctorum copia, a quibus non est temere recedendum.

Dixi IV. *filium communem*, *aut filium uxoris suæ proprium*. Si quis enim baptizet filium concubinæ suæ, contrahet quidem cum ea affinitatem, ex qua eandem deinceps ducere non poterit uxorem, at nihil inde contrahet impedimenti relative ad propriam conjugem.

Quanquam vero conjux ex baptismo, vel susceptione prolis *amittit jus petendi debitum*, ( *S. Thom. in 4. d. 4.* ) donec secum dispensetur, *tamen debet reddere* petenti alteri, *quia ex ejus culpa non debet aliquod incommodum alius reportare*.

Sed quid si alter conjugum prolem baptizaverit altero connivente, vel si uterque idem fecerit.

R. si uterque conjux id fecerit ex malitia, id est, animo alterum fraudandi jure conjugali, quamvis uterque exciderit a jure suo, ac proinde petendo peccet, tenetur tamen alteri petenti reddere. Ratio est, quia cum hæc pœna solo positivo jure infligatur, debet restringi prout ab eodem jure restricta est: porro jus contentum c. 2. *de cognat. spirit.* sic prædictam pœnam restrinxit, ut conjugem alium alii petenti debitum reddere sanxerit, ne iis sua fraus patrocinaretur. Hæc solutio communis est, sed difficilis.

Si vero uterque culpa sua, sed non animo alterum defraudandi, contraxerit illud impedimentum, neuter tenetur, nec licite potest alteri reddere. Ratio est, & quia excidit uterque a jure suo; & non viget in hoc casu jus ei simile, quod pro præcedenti casu allegavimus.

Quæres VI. quid conjugibus licitum sit, aut vetitum in dubio de valore matrimonii sui.

Constat in primis eum, qui de conjugii sui nullitate certus sit, nec petere posse, nec reddere debitum; quia is foret accessus ad non suam, qui utpote intrinsece malus, nullis in circumstantiis licitus esse potest. Quin etsi censuris urgeretur pars nullitatis conscia, haud tamen cohabitare posset: unde generaliter pronuntiat Innocentius III. c. 44. *De sent. excomm.*, quod conjux *pro certo sciens impedimentum conjugii .... debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*. His præmissis,

R. Vel dubium, de quo agitur, fundatum est, & probabile, vel leve, & nulla innixum ratione probabili. Si sit grave, vel præcessit matrimonium, vel eidem jam contracto supervenit: vel demum eodem

angitur uterque conjux, vel alteruter.

Si dubium leve sit, *explorata ad Pastoris sui consilium conscientia levis, & temerariæ credulitatis*, *licite potest* pars dubitans, *non solum reddere*, *sed exigere debitum conjugale*. Ita Innoc. III. Ibid.

Si dubium sit grave, & matrimonium præcesserit, poterit qui dubitat, dubio permanente reddere debitum, non, autem petere. Si vero uterque in dubio matrimonium inierit, neuter petere, aut reddere poterit.

Quod in priori casu non possit peti debitum, patet, quia qui stante tali dubio debitum petit, exponit se fornicationis periculo, cui se non exponit ab eadem petitione abstinendo.

Quod autem in eodem casu debitum reddi oporteat, non minus liquet: I. quia cap. 2. *De secundis nupt.* dicitur: *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum: ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti*. II. quia qui bona fide rem possidet, non est ea ob malam alterius fidem spoliandus: porro conjux, qui nullum circa matrimonii sui validitatem dubium habet, bona fide alterius conjugis corpus possidet. III. quia in dubio minus malum eligi debet, cum utrumque vitari non potest: atqui minus est malum reddere debitum conjugi, qui jus illius bona fide possidet, quam non reddere. Reddendo enim ad summum committetur fornicatio; denegando autem gravis, & admodum periculosa committetur injuria. IV. quia ita sentiunt SS. Thomas, Bonaventura, & Antoninus.

Quod autem in posteriori casu neuter exigere possit, aut reddere. Prob. quia nemo potest uti re, de qua prudenter dubitat an sit sua, aut ejus usum permittere; sed qui ambo de matrimonii sui valore dubitant ex motivo gravi, dubitant prudenter an corpus alterius sit suum; ergo non possunt ejus usum petere; ergo nec possunt reddere alteri etiam dubitanti; cum is nec ullum habeat jus justitiæ ad petendum, nec tranquillam possessionem.

Præcipua difficultas est, quid facto opus sit, cum dubium grave suboritur contracto jam matrimonio. Hæc nobis videntur statuenda: I. si matrimonium necdum consummatum est, non erit primo bimestri consummandum; quia tunc ex Ecclesiæ concessione debitum inculpate denegari potest, ac proinde ob dubium denegari debet.

II. si jam consummatum sit, & conjugum alter nihil habeat dubii, acquiescendum erit petitioni ejus, nihil autem ab eo exigendum, donec res serio expensa fuerit.

III. si post serium examen idem, quod prius, dubium perseveret, credimus contra multos, reddi quidem debere debitum conjugi, qui non dubitat, haud tamen licitum esse illud ab eo exigere: I. quia qui post seriam inquisitionem dubitare pergit, an v. g. prima sua uxor mortua sit, exponit se evidenti fornicationis periculo; cum solide, & graviter dubitet an sua sit ea, ad quam accedit: dubitat enim sicut ab initio dubitavit; cum ex hypothesi totum, quod instituit examen, nulla ex parte dubium ejus imminuerit; ergo non magis post examen illud debitum exigere potest, quam potuerit initio dubii.

II. quia ideo censent Pontasius, & alii, eum, qui post sufficiens examen, rei veritatem assequi non potuit, dubium abjicere posse ut frivolum, quia inquiunt, jam versatur in ignorantia invincibili, quæ ab omni peccato excusat: atqui hæc ratio nulla est, & in ambiguo ludit. Etsi enim, qui rebus mature perpensis pergit ut antea dubitare, veritatem ignorat, quia nescit v. g. an reipsa prima conjux obierit, haud tamen ignorat invincibiliter peccandi periculum, cui se se objicit: cum, ut incertus est an eadem uxor mortua sit, sic & incertus sit ob gravia momenta, an non vivat; ergo non ea laborat ignorantiæ invincibilis specie, quæ excuset a peccato; quæque tunc solum occurrit, cum nulla menti serio attentæ obversantur momenta, quæ eam ab agendo deterreant.

III. quia ex c. 44. *De sent. excom. Cum conscientia* conjugis *pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamvis non evidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam*: atqui hæc verba ad minus generalia sunt; imo magis intelligenda videntur de dubio examinato, quam de dubio nascente: cum supponi soleat eos, qui in hujusmodi casibus versantur, nihil neglexisse, quo ad rerum, ut in se sunt, notitiam devenirent; ergo.

Hinc colliges, si idem sit utriusque conjugis dubium, & utrique cognitum, teneri ambos abstinere etiam a redditione debiti. An autem, & quando alter alteri sua dubitandi motiva pandere possit, res est ex prudentis Confessarii judicio definienda, qui eam ipse ex circumstantiis resolvet.

Quod si conjux non dubitet solum, sed ex momentis multo gravioribus moraliter certam habeat matrimonii sui invaliditatem, tunc nequidem petenti debitum reddere poterit; nisi forte motiva hæc viro sapienti longe minora videantur, quam ipsi conjugi.

## SECTIO TERTIA.

### *De conjugum Peccatis extra, vel intra usum Matrimonii.*

ACtus conjugalis exerceri potest: I. intuitu generationis. II. intuitu reddendi id, quod alteri debitum est ex justitia. III. vitandi peccatum proprium, v. g. mollitiem. IV. sanitatis. V. solius delectationis. VI. partim delectationis, partim generationis. Jam

Quæres I. quando peccent conjuges in usu matrimonii. R. Copula alio quocunque, quam in generationis, aut justitiæ fine exercita, semper est peccatum.

Prob. I. quia ita sensere SS. Patres, a quibus ne uno quidem passu recedet vir sinceræ Ethicæ studiosus. S. Augustinus Lib. de bono conjug. c. 10. *Concubitus*, inquit, *necessarius causa generandi, inculpabilis.... Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur*, jam

*jam non rationi, sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem.* Unde sic: Peccat qui non obsequitur rationi, sed libidini: atqui ex S. Doctore libidini obsequitur quisquis matrimonio utitur alio fine, quam ut liberos generet, aut comparti debitum reddat.

Eadem fuit sententia totius retro traditionis, ita ut in eam calculo unanimi conspirent Doctores Angelicus, Seraphicus, & Subtilis. Sic, ut ceteros omittam, S. Thomas (*In 4. dist. 31.*) *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale.*

Prob. II. Si copula extra duos casus a nobis assignatos immunis esset a peccato, maxime cum habetur ad præcavendum propriæ incontinentiæ periculum: atqui valde probabile est eam ne in isto quidem casu vacare a peccato. Prob. min. ex. Apost. I. Cor. 7. ubi, postquam dixit: *Revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram,* subdit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Quis* autem *esse peccatum neget, cum dare veniam facientibus Apostolica auctoritas fateatur,* ait Augustinus Enchir. c. 78. Unde S. Thomas ibid. ad 2. *Si* quis per actum conjugalem *intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua superfluitas, & secundum hoc est peccatum veniale, nec ad hoc matrimonium est institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.* Nempe vero, ait Nat. Alexander Reg. 3. de usu matrim. (*T. 2. p. 17. fol.*) *aliis modis convenientioribus, scilicet per orationem, jejunia, aliaque pia opera vitare quis potest fornicationem, & continentiam a Deo impetrare. Conjugis autem intemperantiæ, cui ex fide matrimoniali obviare tenetur, aliter mederi non potest, cum aliena voluntas non sit in nostra potestate.*

Hinc colliges pari de causa reum esse: I. qui in usu conjugali solam sanitatem quærit. I. qui partim prolis, partim voluptatis amore coit: quia is ex parte *obsequitur libidini.* (*August. supra.*) III. a fortiori qui solius voluptatis intuitu agit. Hinc Innocentius XI. hanc propositionem an. 1679 proscripsit: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa, ac defectu veniali.*

Obj. contra responsionem nostram, qua parte statuit venialiter malum esse usum matrimonii intuitu vitandæ propriæ incontinentiæ: I. quod hæc Apostoli verba, *Hoc autem dico secundum indulgentiam,* non significent ignoscentiam mali minoris, sed concessionem minoris boni: adeo ut is sit eorum sensus, *Revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas. Hoc autem dico* ex indulgentia, quia perfectius esset ab iis abstinere, non autem imperando; vellem *enim vos omnes esse sicut meipsum,* & æque cœlibes vivere. Et vero, inquiunt, Apostolus non potuisset dare indulgentiam venialiter peccandi. II. alioqui peccaturam esse Ecclesiam, quæ senum matrimonio assistit, cum sciat eos matrimonio usuros ad minus ob sedationem concupiscentiæ. III. matrimonium secundario institutum esse in remedium concupiscentiæ, secundum id Pauli ibid. *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat* &c. IV. non minus, imo magis licitum esse uti matrimonio ad sedandos proprii corporis motus, quam ad subveniendum concupiscentiæ uxoris, quo tamen in casu matrimonii usum approbant omnes. V. ita sentire viros graves, quos inter stat S. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 20. Verum hæc absolute solvi possunt. Unde

Ad 1. Allata a nobis expositio textus Apostolici auctores habet multos magni nominis Patres, & convenit lectioni græcæ, quæ proprie significat veniam, seu condonationem peccati. Neque tamen ideo Apostolus consuluit peccatum veniale, sed habita infirmitatis humanæ ratione tolerat minus malum, ut gravius avertat.

Ad 2. Non peccat Ecclesia nuptiis senum assistendo. Ii enim non peccant, si solum individuam vitæ societatem, mutuumque solamen intendant. Si vero intendant copulam, venialiter quidem delinquunt, sed sua, non Ecclesiæ culpa.

Ad 3. Fatemur matrimonium in remedium concupiscentiæ institutum esse, sed secundario, ut nimirum concupiscentia per copulam licitam, id est habitam amore prolis, non ita stimulat ad fornicariam; ad quod etiam confert gratia sacramentalis concupiscentiæ coercitiva. Negamus vero matrimonium sedandæ sensualitatis gratia directe, & primario institutum fuisse.

Ad 4. Potest quis suæ, non alienæ libidini mederi quia suam, non alterius voluntatem penes se habet.

Ad 5. Magna profecto est S. Antonini in moralibus auctoritas, sed major Augustini, qui ex adverso pugnare videtur.

Interim ex ea opinionum varietate colliget sagax Confessarius vix unquam vel a matrimonio contrahendo, vel ab ejusdem usu avertendos esse pœnitentes, qui ajunt, quæritare se medelam concupiscentiæ, ne forte dum Apostolo accuratior esse volet, eos in gravia peccata conjiciat, quos a venialibus ex zelo minus prudenti retrahere moliebatur. Eadem servanda est methodus cum iis, qui pari de causa ad uxores senes, vel gravidas accedunt. Neque id rigidioribus Theologis improbatum iri puto, iis præsertim, qui Fromondum legerint in citatum Apostoli textum.

Cæterum una est Theologorum sententia, peccatum, quod tunc faciunt conjuges, esse ex sua natura duntaxat veniale, juxta id Augustini L. de bono conjug. c. 7. *Reddere debitum conjugale nullius est criminis: exigere autem ultra generandi necessitatem, culpæ venialis.*

Coitus tamen intemperantia est peccatum mortale: I. quando graviter nocet valetudini petentis, vel reddentis: tunc enim se habet ut peccatum gulæ, quod in pari casu letiferum est.

II. cum quis ad uxorem animo fornicario accedit, id est, sic affectus, ut vel optet coire cum alia, quam sibi repræsentat; vel ad hanc accederat, etiamsi non esset sua. Hinc S. Hieronymus (*Lib. 1. cont. Jovin.*) *Nihil est fœdius, quam uxorem amare quasi adulteram.*

III. cum agitur ex fine graviter malo, puta ut mulier moriatur in partu; ut filii aliquando formentur ad latrocinia patris.

IV.

IV. cum actus conjugalis exercetur coram aliis: & hic potissimum eavere sibi debent pauperes, qui sub eodem tecto cum pueris degunt.

V. cum conjuges sodomitice conveniunt, aut in vase indebito inchoant copulam, etiam sine animo ibidem consummandi; est enim actus ille criminis sodomitici inchoatio, ac proinde grande scelus.

VI. cum prætermittitur naturalis concumbendi modus, & inde imminet periculum seminis perdendi: alioqui enim plures culpam hic solum venialem agnoscunt; quia illicite quidem, sed tamen intra fines matrimonii quæritur voluptas. Hæc tamen culpa, ut in genere suo gravis, serio increpanda est a Confessariis. Ceterum si vir debitum situm prætermittat, eo quod corporis dispositio naturalem situm non patitur, immunis est a culpa, secluso pollutionis periculo.

VII. dum conjuges generationem impediunt, aut prolis per abortum ejiciendæ, vel graviter lædendæ periculo se exponunt.

VIII. cum vir retrahit se, vel complete non seminat in vase. Idem est cum mulier susceptum semen de industria ejicit, aut ejicere conatur, aut semen proprium de industria privatim effundit.

Quæres II. an obscœni tactus & aspectus inter conjuges sint peccata. R. prædictos tactus aliquando esse ab omni culpa immunes, aliquando habere culpam solum venialem, aliquando demum non vacare a culpa mortali.

I. immunes sunt a culpa, cum absque pollutionis periculo adhibentur ut necessarii ad coitum vere maritalem; quia tunc non fiunt voluptatis intuitu, sed intuitu copulæ, quæ cum inter conjuges licita sit, licitum facit id, quod ad eandem disponit.

II. culpam habent venialem, cum etsi ad copulam ordinantur, ad eam tamen necessarii non erant. Ratio est, quia si ne ipsa quidem copula maritalis vacat a peccato, cum solius voluptatis intuitu habetur, minus a peccato vacant, quæ non nisi ob copulam licita esse possunt, & ad eandem haud necessaria esse supponuntur.

III. idem tactus mortaliter mali sunt, quoties proximum habent periculum pollutionis: hæc enim conjugatis ipsis graviter prohibita est; ergo & iis graviter prohibitum est ejusdem periculum. Unde ab iis sub gravi tenentur abstinere conjuges, quoties advertunt se per conjugalem actum pollutioni obviam ire non posse.

An autem iidem tactus sint mortiferi, quoties secluso etiam pollutionis periculo fiunt sine animo deveniendi ad copulam, controvertitur.

Et quidem I. fatentur pene universi quosdam esse tactus adeo infames, ut ne quidem ex copulæ intuitu excusentur a gravi peccato; quia graviter dedecent naturam rationalem, & indicia sunt libidinis maximæ.

II. fatendum est etiam impudicos tactus plus habere mali in iis, qui jam coire non possunt, v. g. ob senium, quam in aliis; quia ii tactus ne remote quidem ordinantur ad copulam, ob quam solam excusari possunt.

Tota igitur quæstio est de ordinariis tactibus, qui ad copulam ordinari possent, nec ad eam tamen ordinantur. Censent Cajetanus, Angelus, Armilla, Sotus, Habert, aliique plures, culpam hic subesse solum venialem. In oppositum inclinat Comitolus: I. quia hic fere semper occurrit pollutionis periculum, nisi forte cum obscœni tactus matrimonii usum satis proxime sequuntur. II. quia quod conjugum unus in suo corpore sine scelere facere nequit, neque hoc efficere potest in alieno corpore, quamvis conjugii jure suum sit: porro conjux alter semetipsum sine gravi peccato impudice tangere nequit, ut in se suscitet voluptatis venereæ sensum, & in eo conquiescat, prout docent Theologi meliores. Huic opinioni adhærent Paludanus, Sylvester, & alii nonnulli cum S. Antonino, qui tamen decisionem suam restringit ad eum, qui *diu insistit in hujusmodi tactibus*. In idem facile propendeo; nihilominus, etsi severe arguerem conjuges, qui pene omnia hæc sibi permissa esse putant, haud tamen forte eos statim addicerem inferis; cum a gravi excusentur a longe majori Theologorum parte. Sed hæc cum omnimoda consiliis alienis subjectione dicta sint.

Ex dictis facile colliges non immerito dixisse Apostolorum Principem, quod *non expedit nubere*. Certe conjugalis castitas tam rara est, ut teste Augustino Lib. de bono conjug. c. 13. *Multi homines facilius se tota vita ab omni concubitu abstineant, quam modum teneant non coeundi nisi prolis causa*. Quia tamen *non omnes capiunt verbum istud* (*Matth.* 19.), & aliunde (*I.Cor.7.*) *melius est nubere, quam uri*; *sciat*, & curet quisquis matrimonio junctus est, *vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderii*. I. Thessal. 4.

## CAPUT QUINTUM.

*De quinto Decalogi præcepto.*

QUintum præceptum, *Non occides*, etsi in speciem breve, multa complectitur. Ut enim ait S. Thomas (2. 2. *q.* 122. *art.* 6.) *Omnia nocumenta, quæ in personam proximi inferuntur, intelliguntur in homicidio, sicut in principaliori.* Hinc homicidii nomine veniunt ea, quibus utque multatur hominis corpus, ut verbera, injusta incarceratio, & alia id genus, quæ quædam sunt mortis inchoatio. Quin & in lege Christi, quæ spiritu magis quam opere externo adimpletur, lex non occidendi prohibet etiam interiores affectus, qui suapte natura ad inferendam proximo necem, aut vim quamcunque externam tenderent, quales sunt odium, ira, amor vindictæ, prava alienæ mortis desideria, gaudium ex ea, vel quibuslibet adversis proximo evenientibus inhumane perceptum, invidia item, contumelia, irrisio, obtrectatio, aliæque similes injuriæ. Sed quia horum præcipua alibi expendo, hic de solo homicidio loquar.

Homicidium, prout quinto præcepto vetitum est, definitur Injusta hominis occisio, seu Corporis humani

mani animati injusta peremtio. Injusta, inquam, ideoque deliberata, & ab eo facta, qui potestatem non habet: occisio enim licita non dicitur stricte homicidium. Quanquam hic latius sumam nomen homicidii: quod ut fiat

Notand. quod homicidium latiori sensu sumtum pro omni occisione justa, vel injusta, dividitur: I. in homicidium sui, & alterius. II. homicidium alterius in illud, quod fit auctoritate publica, & illud quod fit privata. III. quod fit auctoritate privata, vel fit ob necessariam sui defensionem, vel non. IV. quod fit sine hac necessitate vel est casuale, vel voluntarium. V. voluntarium, vel directe volitum est, vel indirecte duntaxat. VI. quod est directe volitum, vel fit ex condicto, vel non. Varias illas homicidii species expendemus, sed ordine paululum immutato.

## ARTICULUS PRIMUS.

*An licita sit sui ipsius Occisio.*

DUobus modis potest quis se occidere: directe, ut si gladio se confodiat, & indirecte, vel negative, ut si se quibusdam periculis exponat, vel id omittat, quo vitam servare posset.

CONCLUSIO I. Non licet homini semetipsum directe, & proprio motu occidere.

Prob. I. ex citato Decalogi præcepto, *Non occides*: atqui per hæc verba tam nostra, quam proximi occisio prohibetur, imo nostra magis, quam proximi: tum quia non plus habet juris homo in propriam, quam in proximi vitam: tum quia hæc est charitatis bene ordinatæ conditio, ut a nobismetipsis incipiat, & hac de causa jubemur proximum sicut nos ipsos diligere. Hinc Augustinus L. 1. de Civ. Dei c. 17. *Si non licet privata potestate alicui hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit; profecto etiam, qui seipsum occidit, homicida est.*

Prob. II. Non licet facere id, quod Deo, parentibus, & Reipublicæ gravem injuriam infert: atqui sui ipsius occisio: I. gravem infert injuriam Deo, cujus jura usurpantur. *Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem* (*Sap.* 16.). II. eadem occisio est perniciosa Reipublicæ, cui civem, & parentibus, quibus filium adimit. Gravior tamen esset noxa Principis, ducisve egregii, a quo penderet populi salus. Is enim majorem quam alii populis perniciem creando majorem inferret injuriam.

Obj. I. Licet id facere, quod viri sancti sancte fecerunt: atqui viri sancti sancte mortem sibi intulerunt. Sic L. Judic. 16. Samson semetipsum *cum Philistiim* obruit. II. Eleazar supposuit se elephanto, cujus mole oppressus interiit, I. Machab. 6. idem fecit Razias, II. Machab. 14. III. eadem fuit agendi ratio S. Apolloniæ, quæ se conjecit in roguın, quo consumta fuit.

R. dist. viri sancti mortem sibi sancte intulerunt speciali S. Spiritus instinctu, C. motu proprio, N. Itaque vel sancti non sunt, qui sibi mortem intulere, vel si sancti sunt, speciali S. Spiritus instinctu ad hoc determinati sunt, ut constat de Samsone, qui non nisi post imploratam Dei opem columnas concussit, adeoque se cum Philistæis interemit Spiritu latenter jubente, *qui per eum miracula faciebat.* Augustinus ibid. c. 21.

Quod spectat ad Eleazarum, & Raziam, quos Patrum aliqui redarguunt, aliqui commendant, ii vel a seipsis mortem quæsierunt, & tunc non mortui sunt *nobiliter*, nisi juxta propriam suam opinionem, vel a S. Spiritu impulsi fuere, ut de Samsone dictum est: quanquam Eleazarus mortem directe sibi non conscivit: sperare enim posuit elephantem in alterutram partem casurum, aut se recessurum, prius quam caderet.

Idem dicendum de his Christi Sponsis, quæ irruerunt in flammas. *Hoc* enim *fecerunt*, ais S. Augustinus ibid. c. 26., *non humanitus deceptæ, sed divinitus jussæ; sicut de Samsone nobis fas non est aliud credere*; cum eum Apostolus Heb. 11. Sanctis annumeret. Adde virgines illas excusari posse ex ignorantia, qua crediderint licitum esse *suicidium*; cum grave fidei, vel castitati periculum impendet.

Obj. II. Ex Christo (*Joan.* 15.) *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat pro amicis suis*, ergo saltem licet pro amicis se interimere.

R. dist. ant. ut animam suam ponat pro amicis suis, mortem sibi illatam pro iisdem patienter ferendo, ut fecit Christus, qui eo loci suam erga Apostolos charitatem commendat, C. mortem sibimet proprio motu inferendo, N. Non enim exercet charitatem, qui charitatis sibi debitæ præceptum propria auctoritate transgreditur.

Hinc colliges I. non licere ei, qui crudele ignis supplicium timet, venenum haurire, ne doriora patiatur; quia non licet medio prohibito infamiam, aut cruciatus effugere. II. nec licitum esse Magistratui auctoritate publica donato, qui grave commiserit crimen, pœnam mortis contra patriæ hostes latam in se exequi: quia is Judex non occideret se publica auctoritate, quam erga alios, non erga se recepit; sed privata: quod grande est scelus.

CONCLUSIO II. Licet homini se indirecte, & negative occidere.

Prob. quia licet homini justa de causa variis se periculis objicere. Licet etiam ei vel quædam omittere media, quibus vitam conservare posset, vel asperum vivendi genus amplecti, quo fieri possit, ut breviori tempore consumatur; ergo.

Quæres quibus in casibus censeatur homo se non nisi indirecte occidere. R. multos numerari. Primus est, cum agitur de bono Reipublicæ totius: unde nemo dubitat, quin miles possit in hostes irruere cum certo mortis periculo, si id patriæ saluti opportunum esse viderit. Sic etiam potest quis vitam exponere navigando ob publicam utilitatem. si tamen mare aliquod ita esset naufragiis famosum, ut nemo fere ab eo evaderet, haud liceret ei se committere, nisi id postularet privati, vel communis boni necessitas.

Secundus casus est, cum agitur de avertendo proximi damno sive spirituali, sive temporali. Hinc non peccat, sed magnæ charitatis actum exercet, qui

vel

vel fervit peste infectis cum propriæ vitæ periculo, vel se interimi finit ab injusto aggressore, ne eum interimendo in æternam damnationem conjiciat. Ita communiter Theologi, qui tamen hoc limitant: I. si qui se interimi permittit, persona sit publica, & Reipublicæ admodum utilis; quia salus populi suprema lex esse debet. II. si possit per fugam saluti suæ consulere. III. addunt aliqui, si ipse credat se esse in peccato mortali, quia propriam salutem alienæ saluti anteponere tenemur. Hæc tamen exceptio parum fundata videtur: quis enim credat eum vere contritum non esse, qui pro suis etiam inimicis animam ponit?

Tertius casus est, cum vita propria nonnisi difficillimis mediis servari potest. Sic non habetur ut homicida sui, qui abstinet a pretiosissimis medicamentis, in quibus profundi deberent opes patrimonii. Item qui non vult gravissimos cruciatus, pedum v. g. vel brachiorum sectionem pati, ut vitam diutius protrahat, cum hujusmodi media moraliter impossibilia sint: unde actus ille, utpote nimium difficilis, non possit præcipi a Superiore. Docent tamen Theologi hominem teneri pati membri abscissionem, si hæc sine gravissimis dolotibus fieri possit: imo & debere eum ingentes cruciatus pati, quin & ad eos cogi posse, si vita ejus bono communi necessaria foret. Quod si homo ne moderatos quidem dolores pati velit, ut vitam servet, poterit etiam invitus abscindi de mandato eorum, qui curam ejus gerunt, ut pater, tutor, Superior, &c.

Quartus casus est, cum quis, ut Deo, & justitiæ faciat satis, non arripit media, quibus incolumem se præstet. Sic licet ei, qui juste ad mortem condemnatus est, ea, quæ ad mortem præambula sunt, facere, ut I. se offerre Judici, secundum S. Thomam. II. non egredi e carcere, etiamsi se offerat opportunitas, & noverit paratam sibi esse mortem: & reipsa Martyres non crediti sunt sibimetipsis mortem inferre, cum patentibus portis e carceribus non exierunt.

Sed potest ne, qui damnatus est, ut venenum hauriat, aut aperiat sibi venas, hæc licite facere? Negat post Comitolum, & alius plures Sylvius: & Judicem, qui hæc naturæ adeo adversa præciperet, injustum vocat. Et certe qui sciens, & volens alteri potionem mortiferam propinat, eum occidit; ergo occideret se, qui hujusmodi potionem sumeret: seipsum autem occidere, est contra jus naturæ.

Quæres, quid sentiendum de funambulis, qui in fune excelsius protensu saltant &c. R. eos letalis peccati reos esse: I. quia quantacumque polleant agilitate, semper obnoxii sunt proximo mortis, aut gravis vulneris periculo, cum ad id sufficiat vertigo, irrepens imaginationis debilitas, subitus adstantium clamor ex plausu, vel tremore. Unde tot fortassis ex eo ludo periere, quot ex torneamentis, quæ tamen a Concilio Lateranensi III. severe interdicta sunt. II. quia est funambulorum conditio, ut scenis suis obscœna multa permisceant.

Quæres II. an peccent, qui ut theriacæ suæ virtutem commendent, hauriunt venenum, aut se a vipera morderi permittunt.

Negat Henno, quadruplici hac conditione: I. ut theriacæ confector sit vir artis suæ peritus. II. ut vim ejus in bruto expertus sit. III. ut certo credat nihil subesse periculi. IV. ut si forte sentiat theriacam suam propulsando veneno imparem esse, præsto habeat remedium aliud infallibile. Alias ob periculum graviter peccat.

Quæres III. an liceat corpus torquere jejuniis & pœnis, quæ vitam efficiunt breviorem?

R. I. graviter peccare eum, qui consulto, aut etiam advertenter jejuniis, aut vigiliis sanitatem, aut vitam suam immoderate læderet: tum quia faceret contra charitatem sibi debitam in re gravi; tum quia, ut ait S. Hieronymus, *nihil interest parvo, aut magno tempore te interimas*.

R. II. qui corpus moderate affligit, pietatis opus exercet: I. quia sequitur exemplum Apostoli, qui I. Cor. 9. ajebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. II. quia ejusdem Apostoli consilio paret: sic ille Coloss. 3. *Mortificate membra vestra*. III. quia viri austera pœnitentia celebres longe diutius vixere, quam qui carni blandiuntur. IV. quia tam licet jejunio, & abstinentia vitam minuere propter Christum, quam liceat propter temporale lucrum artes profiteri, quæ vitam sensim atterunt. Abesse tamen debet minuendæ vitæ intentio; qui enim vel horam sibi auferret, esset occisor sui. Deinde in his omnibus standum est sapientis Confessarii judicio, ad quem pertinet nimios aliquando nascentis pietatis impetus coercere. At ea vivimus ætate, qua tales excessus vix timeri debeant.

Plus imminet periculi ex liquorum usu, & crapula, propter quam *multi obierunt* (*Eccli*. 37.). Unde qui hujusmodi poculentis inserviunt, sunt in continuo sui homicidio, & sic in perpetuo statu peccati. Quin & cum eo devenere, ut jam quæcunque nimia potus iteratio mortem acceleret, nisi ad angustos limites reducatur, toties letaliter delinquunt.

CONCLUSIO III. Nemini licet mutilare se extra casum necessitatis.

Prob. quia non magis homo membrorum suorum dominus est, quam vitæ, cujus totalitas a membrorum integritate pendet: porro ex dictis homo non est vitæ suæ dominus. Hinc cap. 6. dist. 55. *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt*.

Dices ex Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue illum*; ergo saltem cum aliter vitari peccatum nequit, licet membrum sibi amputare.

R. neg. conseq. verba enim Christi metaphorice intelligenda sunt, & significant eas peccandi occasiones, quæ oculis ipsis cariores sint, procul abjici debere. Hinc S. Chrysostomus per *oculum dextrum* intelligit mulierem amicam; Augustinus amicum periculosum; alii aliud, quo in peccatum trahi possimus.

Ex his colliges: I. graviter peccasse Origenem, eosque ejus imitatores, qui illud Matth. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt*, ad literam sumunt. Hic enim non corpoream abscissionem, qua passiones non sedat, sed castitatis studium commendat

Chri-

Christus. II. approbari non posse factum Ammonii, qui referente Sozomeno, aurem sibi praecidit, ne Episcopus crearetur &c. III. gravioris adhuc peccati reos esse, qui pueros etiam consentientes abscindunt, ut eis vocis suavitatem etiam in Ecclesiæ obsequium conservent.

Dixi in Conclusione, *extra casum necessitatis*, quia ordo postulat, ut partem in gratiam totius resecare liceat; quia pars est propter totum, quo pereunte periret ipsa. Hinc licet: I. membrum putridum amputare. II. abscindere manum, si quis ea ligatus incendium aliter vitare non possit. III. idem docent plures de eo, cui mortem minatur tyrannus, nisi sibimetipsi aurem, aliamve corporis partem abscindat; quia etsi graviter peccat, qui barbariem hanc praecipit, haud tamen videtur peccare, qui partem ceteroqui perituram cum toto, in gratiam totius impendit.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De Homicidio publica auctoritate facto.*

### SECTIO PRIMA.

*De Reorum occisione.*

WAldenses negabant licitum esse Principibus ipsis malefactores morti addicere. Scotus vero, juxta quosdam, docuit eos solum occidi posse, quos lex divina expressit, quales sunt arioli, homicidæ, blasphemi; non alios, sit contra

CONCLUSIO. Licet malefactores occidere, & eos etiam, qui in Scriptura non exprimuntur.

Pro. 1. pars ex cap. 22. Exodi, ubi sic: *Maleficos non patieris vivere; qui coierit cum jumento morte moriatur*. & Levit. 20. interfici jubentur, qui maledixerint patri, aut matri, qui declinaverint ad magos, qui cum nuru, aut noverca peccaverint; ergo lex, quæ Exodi 20. prohibet, ne quis occidat, generalis non est, sed cum restrictione multiplici intelligenda.

Prob. 2. pars: I. ex S. Paulo Rom. 13. *Si malum feceris, time Principem: non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum operatur*; ergo Princeps, ut Dei minister, morte eos punire potest, qui mala præsertim Reipublicæ perniciosa operantur.

Prob. II. quia alioqui Catholici Principes numquam possent Hæreticos tranquillitatis publicæ oppugnatores morti addicere: atqui hoc est contra veterum Patrum sententiam. *Si enim*, ait S. Cyprianus de exhort. ad Martyrium c. 5. *ante adventum Christi hæc servata sunt*, ut falsus Propheta interimeretur (*Deut.* 17. & 18.) & morte moreretur homo, qui superbiret nolens obedire Sacerdotis imperio, *quanto magis post adventum Christi servanda sunt*. Dicendum ergo cum S. Bernardo Serm. 66. in Cant. *Melius procul dubio gladio coercentur .... quam in suum errorem multos trajicere permittantur*.

Porro ad hujusmodi malefactores occidendos requiritur auctoritas publica. *Qui enim sine publica ulla administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur; & tanto amplius, quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit*. Augustinus Lib. de Civ. Dei.

Obj. I. Lex Dei vetat Exod. 22. ne fur diurnus occidatur. II. Christus abrogavit præceptum puniendi adulterii, ut patet ex his eius verbis ad mulierem adulteram: *Neque ego te condemnabo*; ergo saltem crimina quæcunque adulterio minora puniri non possunt in nova Lege.

R. ad 1. dist. ant. vetat id, quia necessarium non erat, ut fures occiderentur, C. vetat, ut rem intrinsece malam, N. Itaque cum Hebræa gens latrociniis addicta non esset, sufficiebat mitior pœna ad cohibendos fures. At vero furtis adeo crescentibus, ut inde pax Reipublicæ, & commercii securitas turbaretur, pœnam augeri oportuit. Neque id impedire potest Lex Mosaica, quæ quoad judicialia non obligat.

R. ad 2. neg. ant. nam I. aliud est mulierem unam in casu singulari absolvere, aliud prohibere, ne ulla deinceps punietur. II. Christus eo loci non locutus est ut Legislator, sed ut pater misericors; ergo exemplum dedit, quod Judices sequi aliquando possint, non quod tenere necessario debeant.

Obj. II. cum Protestantibus: Falsum est, quod hæreticos occidere liceat: I. quia id vetuit Christus, cum ait Matth. 13. *Sinite crescere utraque*, triticum scilicet, & zizania, *usque ad messem*. II. quia Apostolus ad Tit. 3. solum præcipit, ut hæreticus *post unam, & alteram correptionem* devitetur; ergo occisio ejusdem Apostolicæ praxi repugnat. III. quia sententia, quæ hæreticos addicit morti, adversatur judicio puriorum, ac priorum Ecclesiæ Doctorum, quales fuere Ignatius Martyr, Irenæus, Justinus, Tertullianus, Augustinus, &c.

R. I. mirum esse, quod Novatores occisionem hæreticorum prohibitam esse tantopere contendant, cum ipsi tot Innocentium millia ferro, & flammis extinxerint, cum nulla doctrina ipsi vitæ Regum plus adversetur, quam quæ a Pseudoreformatis fabricata est, cum denique Calvinus ipse Servetum vivum comburi curaverit, & eos, qui profanas Anglicanæ Liturgiæ novitates impatienter ferebant *gladio ultore* coercendos esse definiat in Epist. 93. ad Angliæ Protectorem.

R. II. Si id solum velint Protestantes, Hæreticum, qui sibi soli nocet hæretice vivendo, nec venenum suum diffundere conatur, miseratione digniorem esse, quam pœna, jam id docent, quod in praxi sequi solent Magistratus Catholici, qui adversus tales ne pœnam quidem exilii decernunt. His præmissis,

Ad 1. Non soli hæretici, sed & impii quicunque intelliguntur nomine zizaniorum. Zizania, ait Christus ipse, *filii sunt nequam*: porro qui vetat, ne passim occidantur impii, non vetat, ne is, vel ille occidatur. Et vero si suspenditur latro, qui temporanea solum bona aufert, quidni interimi aliquando possit, qui auferendo fidem, bonum temporali quocun-

cunque potius aufert: præsertim cum fur etiam pœnitens necetur; hæreticus vero, non nisi post plures Ecclesiæ monitiones. Adde quod, ut notat Augustinus Lib. 3. contra Parmenian. cap. 2. non prohibet Christus, ne zizania eradicentur, sed solum ne eradicentur, cum ita similia sunt tritico, ut discerni facile non possint, aut cum subest periculum schismatis.

Ad 2. Loquebatur Apostolus non Magistratui, sed Episcopo, cujus est solis censuris animadvertere in hæreticos.

Ad 3. quod prioribus Ecclesiæ sæculis in hæreticos capitali pœna animadversum non sit, partim accidit, quia Principes necdum erant Christiani; partim quod experientia paulatim docuit lenioribus remediis malum non minui, sed augeri. Primo enim adhibita est excommunicatio, deinde pecuniariæ mulctæ, subinde exilia, quæ cum parum proficerent, ad extrema supplicia deveniendum fuit. Et id ægre quidem tulerunt, atque etiamnum ferunt viri christiane mansueti, sed tulerunt tandem, & hodie ferunt, ne modicum fermentum totam massam vitiet. Hinc Augustinus ( *Epist.* 43.) cujus ea *primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum,* alios tandem spiritus induit quasi invitus. Unde Parmeniano conquerenti, quod Constantius Donatistas capitali pœna damnasset, his respondet verbis Lib. 1. c. 8. *Quid non isti juste patiuntur? prius probent se non esse Hæreticos, vel Schismaticos, tum demum de indignis pœnis suis lividam emittant vocem,* & Tract. 11. in Joan. *Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur.*

Quæres I. an reus morte condemnari possit, non servato juris ordine. R. vetitum esse Deut. 19. ne quisquam *occidatur, uno contra se dicente testimonium.* Porro si reus sine sufficienti testimonio occidi nequit, nec a fortiori damnari potest sine examine, accusatione, convictione, ac defensione.

Hinc peccat Judex: I. qui gravem non adhibet diligentiam in examine rei, circumstantiarum, accusatoris, & testium. II. qui reum contra se testimonium dicentem facile audit, & ex dictis condemnat, quia ea trito apud sanos Judices axiomate, *Nemo auditur perire volens.* III. qui eundem reum in sui gratiam verba facientem perturbat, audire renuit, sive negat Advocatum. IV. qui eum interrogat de rebus, quarum ne indirecte quidem præcessit accusatio ulla, vel juridica suspicio. V. qui eum addicit torturæ sine probatione semiplena, qualis ea est, quæ petitur a teste *de visu*, eoque omni exceptione majori, (& is nec esse potest reus ad mortem damnatus, nec qui ab alio vulneratus declaraverit in ipso mortis articulo, se ab hoc, vel illo vulneratum fuisse) aut ab indiciis pluribus, quæ gravia sint, vehementia, & manifesta. VI. qui eundem gravius, aut inutiliter *torqueri* mandat, ut cum jam satis constat de crimine per testes indubios; nisi tamen legitime præsumatur crimen non ab uno solum perpetratum fuisse, sed a sociis pluribus, quos detegi oporteat.

Cæterum tortura, *sed quæstio res est fragilis, & periculosa, & quæ veritatem fallat.* ( *L.* 1. *ff. de quæst.*) *Nam plerique patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi veritas nullo modo possit: alii tanta sunt impatientia, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta, velint.* Flebile veritatis hujus exemplum refert Charondas de marito, qui tormentis victus, confessus est se uxorem suam furno inclusam combussisse, quæ tamen in litis decursu sana comparuit.

Si Judex ex cognitione injuste extorta reum damnet, peccabit graviter, & restitutioni obnoxius erit: quia cognitio injuste extorta nullum dat jus, ac proinde ea uti non licet, cum medio injusto uti non liceat.

Porro inique extorquetur criminis confessio, cum reus interrogatur nulla præcedente infamia, vel semiprobatione, vel sine indiciis competentibus. II. cum elicita est confessio ex quæstione, cui reus injuste subjectus fuerit; sive quia deerant indicia, ob quæ pœna hæc de se gravis inureretur; sive quia non patiebatur infirmitas, ætasve, privilegium, aut dignitas, ut reus torturæ addiceretur: quanquam in Gallia potissimum *reatus omnem dignitatem excludit.* III. cum delicti confessio dolose obtenta fuit, v. g. promissa impunitate, aut pœna mitiori: tunc enim reo servanda erat fides, quæ etiam hosti servanda est. IV. cum criminis confessio pendet a confessione sacramentali, puta cum improbus Sacerdos pœnitentis crimen revelavit absque expressissima istius licentia; aut cum testes, qui alterius elatiori voce peccata deponentis delictum audierunt, contra eundem deponunt judicialiter; aut demum cum inventa est schedula continens peccata in confessione sacramentali deponenda, aut deposita. Licet tamen Judici veritatem elicere blandis verbis, & quibusdam industriis, ut fecit Salomon, cum infantem jussit vivum dividi.

Ceterum potest aliquando reus præmisso generaliter processu judiciario in ipso temporis articulo interfici: I. cum periculum est, ne elabatur seu arte magica, seu quia illico aderunt, qui eum liberent. II. cum Reipublicæ graviter interest, ut qui in flagranti delicto repertus fuerit, statim ad aliorum terrorem plectatur, ut quandoque contingit in bello. Operæ tamen pretium fuerit, ut capitalem Judicem, qui milites quosdam continuo suspendi jubet, semper comitetur Confessarius, qui iisdem ad seriam contritionem excitatis absolutionem largiatur. Imo in defectum Confessarii debet Judex reum monere de eliciendo contritionis actu.

Moris est Romæ, & pluribus in locis, ut Eucharistia reis morte damnatis ipsa etiam supplicii die administretur, & id fieri posse, absque eo quod ii jejuni sint, docent complures; quia tunc datur per modum viatici. Alia est Galliæ praxis, eaque improbari nequit: quia Christus hanc Ecclesiæ potestatem concessit, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, id statueret, quod Sacramentorum venerationi judicaret expedire. Hac fretus potestate S. Cyprianus sanxit in Concilio Episcoporum, peccatorem, qui non nisi in mortis periculo cœpisset veniam depre-

deprecari, Communione sacra prorsus esse privandum: quanto plus servari id debet erga eos, qui ad mortem usque impœnitentes esse solent, & crimina sua, etiam prævio veritatis aperiendæ juramento constanter negate? Hic obiter nota Confessariis cavendum, ne a reis, qui in carceribus diu languent, decipiantur præsertim tempore Paschali: unde hi benigne quidem in confessione audiendi sunt; sed haud facile absolvendi, nec absolvendi unquam, nisi parati sint Judici juridice interroganti veritatem aperire.

Quæres II. de quibus homicidam, aut mutilatorem interrogare debeat Confessarius. R. interrogare debet: I. an occiderit ex repentino furoris motu, an ex veteri odio, vi cujus occidendi voluntatem pluries iteraverit, an provocaverit occisum, aut ab eo provocatus fuerit, an plures adhibuerit socios, quia pro eorum numero multiplicantur peccata ipsius. II. an occisus affinitate, vel sanguine sibi jungeretur, an non Clericus foret, aot Religiosus, an non plus, vel minus superior, ut Magistratus, Tutor, Præceptor, Herus. III. an idem occisus prolem haberet, aut uxorem, quam labore suo susteotaret, an non plures tempote morbi in medicos expensæ factæ fuerint, &c.

Quæres III. quid sentieodum de legibus, quæ patri, & marito permittunt ut filiam, aut uxorem turpiter inventam occidant. R. eas leges justas esse, quatenos hanc patris, aut mariti agendi rationem non puniunt; quia admodum difficile est, ut pater, & maritus altum, quo hisce in circumstantiis utuntur, dolorem coerceant. Unde Ecclesia ab excommunicatione eximit eum, *qui in Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas.* (*Cap. 3. de sent. excom.*) At eædem leges injustæ sunt, si supponantur hujusmodi homicidia approbare: I. quia nullibi data est potestas patribus, aut maritis filias, aut uxores pro libito necandi. II. quia non patitur æquitas, ut quis inauditus, & non condemnatus occidatur: forte enim dicet puella se vim pati &c. III. quia charitati repugnat, ut quis eo occidatur in statu, in quo damnationem æternam fugere vix, ac ne vix quidem potest. Merito igitur reprobata est ab Alexandro VII. sequens ista propositio: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

Quæres IV. an aliquando liceat interficere innocentem. R. oegat. quia hoc & natura vetat, ut malum intrinsece, & expresse prohibuit Deus Exod 23. his verbis: *Insontem, & justum non occides.* Hinc non licet suffocare rabiosos, ne aliis noceant, sed includere, & alligare. Hinc etiam homicidæ sunt, qui in bello etiam justo interficiunt innocentes, ut sunt parvuli, mulieres, agricolæ, peregrini, Religiosi, Moniales, Clerici. Quod si innocentes nocentibus permixti ab iis discerni non possint, licet alios cum aliis involvere, sed tunc tantum, quando bellum justum aliter expediri non potest.

Sed quid si tyrannus civitatem obsidens innocentis mortem petat, minitando se alioqui omnes Reipublicæ cives peremturum. R. eum non posse a civibus occidi, tum quia generaliter vetat Deus, ne innocens occidatur, tum quia etsi civitas civium suorum vitam exponere potest jubendo, ut contra hostes pugnent, iis tamen auferre vitam nequit, nisi Reipublicæ perniciosi sint: porro innocens, qoa talis, non nocet Reipublicæ, sed potius prodest.

Imo nec tyranno tradi potest innocens ab eo occidendus; sed tunc ut suorum concivium stragem avertat, tenetur ex charitate, & justitia legali se tradere, potestque id ei Respublica præcipere; & nisi obediat, jam ab ea tradi poterit, ut qui non sit amplius innocens, quatenus & privatum bonum suum pluris æstimat, quam commune, & Superioribus id, ad quod jam tenetur, præcipientibus obedire recusat.

## SECTIO SECUNDA.

*De Occisione, quæ fit in bello.*

Bellum definitur Publica armorum assumtio, Reipublicæ ab extraneis tuendæ, aut vindicandæ gratia. Hinc bellum duplex est: aliud defensivum, quo vis ab aggressore illata vi propulsatur; aliud offensivum, quo hostis hostem aggreditur, ut ab eo illati sive in bonis, sive in honore damni compensationem obtineat. Hinc etiam bellum distinguitur a seditione, quæ inter ejusdem Regni incolas suboritur, quanquam bellum civile nuncupatur seditio, in qua pars quædam Regni contra aliam dimicat.

Jam quæritur: I. an bellum licitum sit, & qua conditione. II. quæ in bello, aut ejus occasiooe committantur peccata.

### PUNCTUM PRIMUM.

*An licitum sit Bellum, & quibus conditionibus.*

Bellum rem esse de se malam censuerunt Manichæi. Lutherus vero ita bellum contra Christianos, Papam præsertim, & Papistas approbavit, ut docuerit non licere bellare cum Turcis; quia est id reluctari Deo nostras per eos iniquitates visitanti. Sit

CONCLUSIO I. Licitum est etiam Christianis belligerare, positis ponendis.

Prob. I. quia antiqui Patriarchæ, ut Abraham, Moyses, Josue, Gedeoo, David, aliique innumeri pie, & sancte bella gesserunt: atqui hæc belligerandi licentia nullibi io nova Lege revocata est, sed e contrario satis aperte confirmata. II. quia rogatus Joannes Baptista a militibus (*Luc. 3.*), quid sibi ad æternam salutem facto opus esset, non præcepit, *ut se militiæ subtraherent*, prout notat S. Augustinus Ep. 5. III. quia Christus Matth. 8. Centurionis se milites suo se habere dicentis fidem laudavit; non autem imperavit militiæ desertionem. IV. quia Centurio alius Act. 10 prædicatur ut vir justus, ac timens Deum; & is tamen & miles erat, & miles esse non destitit; ergo.

Et vero quia vim vi repellere omnia jura, legesque permittunt: porro inter Principes vis illata armis, non aliter quam armis, repelli potest.

Obj. Qui prohibet, ne resistatur malo, & mortem per gladium comminatur iis, qui acceperint gladium

dium, ille bellum omnino vetat: atqui Christus utrumque hoc fecit. Primum quidem Matth. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo*. Secundum autem Matth. 26. vbi ait: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*.

R. ad 1. part. dist. min. Christus prohibet, ne resistatur malo animo passionis, C. prohibet pure, & simpliciter, N. Itaque cum bella, & lites sint innumerorum malorum radix, monet Salvator, ut ad hæc remedia raro, & caute deveniatur. Atque idem docuit Apostolus I. Corint. 6. ubi ait: *Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis patimini?* Sed neque Magister, neque Discipulus absolute prohiboit, ne suam quisque rem juridice repeteret, seu armis, seu lite coram Judicibus intenta, cum ipse Paulus, qui Christi mentem textu citato genuine reddidit, non absolute lites Christianis interdicat, sed vel eas, quæ ad ethnicos Judices cum Infidelium, & Fidelium scandalo deferebantur, vel eas, quæ ex injustitia fiebant, aut saltem avidiori rei suæ repetendæ desiderio, quod Apostolus vocat *delictum*, id est, virtutis infirmitatem.

Ad 2. part. dist. Christus mortem comminatur iis, qui propria auctoritate gladium acceperint, prout fecit S. Petrus plus agens, quam sibi fuerat imperatum, C. qui gladium acceperint auctoritate publica, N.

CONCLUSIO II. Ut bellum sit omnimode licitum requiritur, ut fiat: I. auctoritate publica. II. justa de causa. III. recta intentione. IV. cum justo moderamine.

Prob. 1. pars. I. quia privati habent Superiores, coram quibus jus suum prosequi possint; ergo illud insequi non debent vi armorum, quæ tunc solum licite sumuntur, cum & auctoritate publica sumuntur, & deest alia quævis juris sui consequendi via. II. quia bellum est actus justitiæ vindicativæ; porro injurias vindicare ad eum solum pertinet, qui publicam habet auctoritatem.

Hinc bellum indicere non potest nisi Princeps supremus, aut Respublica perfecta, id est, quæ alterius Reipublicæ pars non sit. Potest tamen quævis Communitas etiam imperfecta injustum invasorem armis repellere; est enim id consonum rationi, nec deest tacita Superioris licentia.

Prob. 2. pars. Bellum est actus justitiæ vindicativæ, & quidem gravis: atqui actus tanti momenti non nisi justa de causa exerceri potest.

Porro belli causa, generaliter loquendo, una solum est, illata scilicet injuria, nec resarcita. Verum necesse est: I. ut illata injuria vel sit gravis, vel nisi compescatur, in gravem abitura sit. II. ut bellum non sit illaturum majora Christianæ Reipublicæ damna, quam ea sint, quorum intenditur reparatio: quia tunc se habet Princeps ut pars Reipublicæ totius, cujus commune bonum particulari suo præponere tenetur. III. ut non ante ad bellum deveniatur, quam tentatæ fuerint aliæ satisfactionem obtinendi viæ. Unde teneri videtur ex justitia Princeps acceptare satisfactionem sibi oblatam flagrante jam bello; quia statim ac congrua offertur satisfactio, bellum desinit esse necessarium; ergo & licitum esse desinit, cum ob innumera, quæ parit mala, non nisi ob necessitatem licitum esse possit, ut docet Augustinus.

Hæc tamen vix inservire possunt in praxi; quia cum sæpe offeratur satisfactio, ut hostis a fausta confligendi occasione deturbetur, utve exercitus numerosior habeat spatium accedendi, vix ut plurimum definiri potest, an hostis satisfactionem paret, an insidias.

Sed quid si dubitetur, justane sit belli causa?

R. vel Princeps ipse dubitat, vel subditi ejus, vel extranei, qui sub vexillis ejus dimicare vellent.

Si I. ante omnia serium rei totius institui debet examen. Et quidem si de injuriæ causa agitur, non licet movere bellum; quia nec licet dubiam injuriam certa tot hominum strage ulcisci. Si vero de possessione sermo sit, in dubio favorabilior est conditio possidentis. Res tamen discutienda erit, admissis illius, qui non possidet, legatis, qui si rejiciantur, bellum indicere licebit. Si competitorum alter plus altero juris habeat, ei rem pro rata juris sui prosequi concessum est.

Si II. subditi Principis, & militiæ nomen dare possunt, & jam inscripti decertare debent absque examine: I. quia in dubio quisque Superiori parere tenetur, cum id exigat & subordinatio debita, & possessio potestatis præcipiendi, quæ Principi inest. II. quia grave caperet præjudicium publica res, si ob militum dubia quiesceret bellum, cum nec omnes de causis belli instrui possint, nec qui instrui possent, semper instrui expediat.

Quod de militibus subditis, idem dicendum de iis, qui ante bellum stipendiarii erant. Habet enim Princeps jus certum in eorum operas, quo in casu dubii privari non potest.

Si III. tenentur extranei illi investigare justitiam belli, & quandiu perseverat dubium abstinere a militia. Ratio est, quia abstinendo ab armis, nulli injustitiam faciunt, cum extraneo Principi obedientiam non debeant: militando autem exponunt se periculo gravem hostibus injuriam inferendi.

Prob. III. pars de intentione recta: tum quia hæc in singulis actionibus requiritur, & a fortiori in iis, quæ sunt gravioris momenti: tum quia, ut ait Augustinus Ep. 189. bellum geritur, ut pax acquiratur.

Is tamen rectæ intentionis defectus charitati solum, non autem justitiæ adversaretur. Unde suppositis æqua bellandi causa, & auctoritatis publicæ sigillo, nulla incumberet obligatio restituendi, nisi vindictæ libido traxisset ultra metas.

Prob. IV. pars: quia dum geritur bellum, meminisse debent duces, & milites se non latronum, aut sicariorum partes agere, sed legitimæ vindictæ ministrorum: unde etsi occidere possunt, spoliare, &c. debent tamen vitare quidquid crudelitatem sapit, & ordinarios limites prætergreditur. Hinc quoad vitam parcere debent innocentibus, quorum nomine hic veniunt infantes etiam Turcarum, pueri, senes, rustici, mercatores, peregrini, advenæ, Clerici, Religiosi, & quicunque gestandis armis impares

sunt

sunt. Si tamen Clerici, Religiosi, aut ipsæ mulieres se se bello immisceant aggeres erigendo, &c. jam digni sunt aliorum sorte, eorumque mors directe intendi potest.

Etsi vero Clericorum, & advenarum, qui se ut tales gerunt, vitæ parcendum est, possunt tamen eorum auferri bona, si prævideatur hostem iis usurum esse. Si quid tamen ex iis supersit finito bello, restitui debet: quia res Deo sacræ v. g. tolli non potuerunt, nisi ad præcavendam hostium utilitatem, quæ jam indiget præcaveri.

Quod ad eos attinet, qui in bello nocentes reputantur, quia consentnr inique præliari, his, etsi se supplices victori dedant, quandoque vita eripi potest in pœnam criminis, ad aliorum terrorem, quandoque benignius agendum est, & id pendet a circumstantiis tum temporis, tum & hostium quibuscum manus conseruntur.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*De Peccatis eorum, qui Bello inserviunt.*

QUæ hactenus de bello dicta sunt, paucis prodeorunt Confessariis; multo majoris sunt usus quæ nunc veniunt disputanda. Sit

CONCLUSIO I. multipliciter peccant Duces exercituum seu primarii, seu subordinati.

Prob. quia peccant: I. cum vi, fraude, vel dolo milites conscribunt, de quo infra.

II. cum sine necessitate, aut Papæ licentia Clericos in sacris, etiam sponte se offerentes recipiunt; quia gravi eorum sacrilegio cooperantur. (*Sylv. pag.* 241.)

III. cum eosdem pro Clericis sacris cognitos non dimittunt.

IV. cum milites suos vendunt, aut commutant, nisi de eo conventum sit saltem tacite.

V. cum eorum curam quoad animam, & corpus non gerunt, eum percutiunt injuriose, cum asperioribus verbis alloquuntur.

VI. cum promissam abeundi copiam suo tempore invitis denegant: aliud enim esset, si amice ad longius ministerium allicerent.

VII. cum debita militibus stipendia subtrahunt, vel minuunt, potumve, vel cibum vitiatum, aut periculosum præbent, ut parcant sumtibus. Et hi restituere debent stipendia militibus, & damnum a militibus illatum, ut viverent.

VIII. cum militum rapinas, concussiones, stupra, aliaque crimina nec puniunt, nec impediunt, quantum licet. Item cum merces interdictas contra Codicis militaris legem vel transferunt ipsi, vel a militibus transferri sinunt.

IX. cum periculosæ gloriæ avidi urbem vi capiunt, quam in deditionem certis, & æquis conditionibus accipere potuerant. Urbem enim expugnare impetu vix unquam licet ob immania, quæ inde subsequuntur, flagitia.

X. cum in expugnatæ urbis deprædatione non obstant pro virili, ne spolientur Ecclesiæ, aut comburantur, nisi arcium instar munitæ sint; ne milites virginum Monasteria ingrediatur.

XI. cum pagos quosdam nimia militum copia gravant, vel militum instar recipi faciunt, qui milites non sunt; vel a certis pagis munera recipiunt, ut milites ducant, vel mittant in alium pagum hospitaturos: sic enim duo loca gravant pro uno contra justa civium.

XII. cum accipiunt xenia ad impediendas militum vexationes, quas ex officio impedire tenentur.

XIII. cum temere ineunt prælium, aut absque rationabili causa exponunt militum vitam.

XIV. cum ignaviter decertant, & militibus extra casum necessitatis præbent fugiendi exemplum: multo magis cum ante conflictum e capite phalangis suæ discedunt.

XV. cum in spoliorum, aut onerum distributione justitiam distributivam violant.

XVI. cum pauciores habent milites, & stipendium recipiunt pro pluribus, nisi, quod satis raro evenit, in id consentiat Princeps, ut duces perpessis damnis fatigati novas cogere copias possint. Item si in turbarum lustratione suppositos milites educant coram Inspectore.

Neque id licet etiam in compensationem stipendii, quod de suo contulerint militibus: I. quia compensatio mendaciter extorta non vacat a peccato. II. quia hæc agendi ratio potest esse admodum exitialis Principi, qui ratus se tot habere milites non plures mittit ad castra: unde fit, ut hostes, si non vincant, at saltem non vincantur. III. quia causa sunt gravis peccati, quod committunt fictitii illi milites, injustitiæ cooperando, quam & in defectum Ducis resarcire tenentur, nisi egerint metu gravioris mali; quo sensu excusari solent rustici, qui prædas vehunt.

Etsi vero in plerisque ex casibus modo recensitis inferiores Duces ad restituendum teneantur, hæc tamen restitutionis obligatio quandoque cadit in Principem supremum, ejusve ministros: I. cum imperio, aut consilio iniqua bella movent. II. cum in bello justo milites a deprædationibus iniquis, incendiis, stupris, &c. pœnarum severitate non coercent. III. cum militibus non subministrant necessaria, unde eos, ne fame pereant, furari necessum est.

CONCLUSIO II. Multipliciter quoque peccant milites gregarii.

Prob. I. quia peccant contra Principem, cum bona ejus tueri non curant, cum eum produnt seu transmigrando ad hostes, seu secreta belli revelando, cum deserunt stationem suam tametsi periculosam, cum latentes hostes non indicant, cum in prælio ignaviter pugnant, vel fugiunt victoria necdum desperata. Hæc peccata sunt contra justitiam, quia milites stipendio conducuntur, ut cum ipsius vitæ periculo fideliter serviant.

II. Peccant contra subordinatos Duces: I. cum a signis discedunt: unde desertores non modo equum, vestem, & arma, aut pretium, quod inscriptionis tempore receperunt, restituere debent, sed & valorem obsequii, quod præstituri erant, attento spatio temporis, quo inservire tenebantur. Peccant etiam

tunc & contra Deum ob violatam juramenti militaris fidem, & contra seipsos, quia certo mortis periculo se objiciunt, si deprehendantur. II. cum Duci parere detrectant. III. cum sine ejus licentia recedunt a castris, a quibus, si pro nutu abesse liceret, qui superessent, irruenti hosti strenue excipiendo impares efficerentur. IV. cum a militia ante condictum tempus sub mendaci prætextu excedunt: pacta enim conventa servari debent.

III. Peccant contra hospites suos, aliosve, cum eos indebite gravant, vel dicteriis impetunt. Neque eos excusat dissimulatio Principis (*Sylvius*), aut Capitanei auctoritas, (nisi hoc fieret in pœnam civibus juste inflictam, vel istis per modum tributi impositum sit, ut minora quædam subministrent copiis apud se transeuntibus, aut hiemantibus.) Inde vero quanta restitutionum seges, & quam raro ab iis, quibus debetur, collecta.

IV. Peccant contra hostilium terrarum incolas, cum injussi, & a fortiori cum contra Ducis prohibitionem ferro, & flammis omnia depopulantur; cum eos, qui *contributiones* pendunt, barbare spoliant, & a fortiori cum abutuntur virginibus. In his autem injustitiæ casibus tenentur ad restituendum vel ipsis rerum dominis, si dignoscantur, vel multitudini læsæ, idque per manus Episcopi, vel Parochorum.

Hic notandum & duces, & milites plerosque ob paratam duelli inferendi, vel acceptandi voluntatem esse absolutionis incapaces.

CONCLUSIO III. Multipliciter quoque peccant castrensis annonæ venditores, seu Vivendarii, & provisores, seu Ammonitionarii.

Prob. 1. pars. Vivendarii communem mercatorum legem sequi debent; ergo peccant, & ad restituendum tenentur: I. cum facto inter se monopolio conveniunt, ut panis, vinum, paleæ, avena aut nimio, aut non nisi rigoroso pretio distrahantur. II. cum taxatum castrensi lege pretium transgrediuntur. III. cum Duces muneribus circumveniunt, ut milites obligent ad emendum apud se, non apud alios.

Prob. 2. pars. Graviter enim peccant victuum provisores: I. cum frumentum, avenam, fœnum, & alia vel corrupta, vel vilioris pretii, quam de quo conventum erat, subministrant extra casum necessitatis, & tunc de natura rerum monere debent, ut quantum fieri licebit, avertatur damnum ex rei vitiatæ usu impendens. II. cum Provinciarum Præpositos, seu Intendentes donis inducunt, ut grani pretium taxent viliori pretio, aut privatos prohibeant ab emendo, ut interim emant ipsi, quo pene voluerint pretio. III. cum opinatores (*Controleurs*) excæcant muneribus, ut fraudem, quam vident, reticeant. IV. cum de indebito panum, candelarum, liquorum numero conveniunt cum belli Ducibus in præjudicium Principis. V. cum non provident tempore suo militibus necessaria; unde eos fame, frigore, & miseria confici evenit., aut ubilibet deprædari. VI. cum Regis nomine abutuntur, ut ab iis frumenta extrahant, qui ab eo onere immunes sunt.

Peccant etiam ærarii bellorum Tribuni, seu Thesaurarii: I. cum fingunt se non habere pecuniam Regiam, ut extendant munera a militibus, quibus se ex ære proprio anticipatam facere solutionem simulant. II. cum solutionem differunt, ut interim mutuo dent pecuniam Regiam, & ex ea lucrentur. III. cum in stipendiorum solutione utuntur cambiis usurariis, fingendo v. g. se in Alsatia solvere id, quod Parisiis solvunt. IV. cum in militum inspectione conveniunt de substituendis suppositis militibus (*Passevolans*), ut stipendia, quæ fictitiis hujusmodi turmis reipsa non solvuntur, dividant inter se: quod & jure naturali vetitum esse liquet, & Regiis Constitutionibus prohibitum est sub pœna exauctorationis.

Ut solvantur quædam difficultates,

Quæres I. an qui vigente bello justo sine Principis auctoritate decertant, ad restituendum teneantur? R. affirmat. si desit etiam tacitus Principis consensus. Ratio est: I. quia sic fieret bellum privata auctoritate, quod non licet. II. quia male ordinata privatorum prælia plus plerumque nocerent Principi, & Reipublicæ, quam prodessent. Nescit enim plebs sibi permissa intra moderationis limites sistere: unde sæpius aggeraret iras hostium, etiam cum leniri expedit.

Hinc peccant rustici, qui cum militiæ nomen non dederint, occidunt, spoliant, &c. (*ex Sylvio*). Si tamen rustici a parte hostium stantes rusticos nostros expolient, his videtur licitum excurrere in agros eorum etiam hostium, a quibus nihil damni pertulere; quia sunt membra Reipublicæ, quæ quam fecit injuriam reparare non vult, & censetur virtualiter consentire Princeps, ut hoc modo jacturam suam reparent, qui eandem aliter reparare non possunt.

Quæres II. an bellum utrinque justum esse queat? R. bellum non posse utrinque justum esse materialiter: quia fieri nequit, ut res, quam repetit alter ut suam, alter autem reddere non vult, sit simul utriusque. At vero bellum potest utrinque justum esse formaliter, idest, justum utrinque bona fide reputari. Se enim habet bellum, ut privatorum lites, in quibus tam petitor, quam defendens, rem, de qua lis est, suam ambo esse inculpate credunt.

Quæres III. an peccent qui per vim ad militiam cogunt, & ad quid teneantur.

R. ad 1. peccare eos graviter: I. quia in materia gravi Regiis Sanctionibus contradicunt. II. quia homini invito durum onus imponunt. III. quia parentes, totamque aliquando familiam solatio, & subsidio privant.

R. ad 2. eos teneri de damno toto, quod patitur, seu is, qui vi, aut dolo militiæ inscriptus est, seu parentes ejus, uxor, liberi, creditores, &c. sequitur ex dicendis, ubi de Justitia.

(✠) Agit Auctor de iis, qui privata auctoritate vi, vel dolo ad militiam alios cogunt; quandoquidem *sicut non pertinet ad personam privatam bellum movere*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. in c., *similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam*. Quum autem cura Reipublicæ commissa sit Principibus, & ad eos *pertinet Rempublicam Civitatis, Regni, seu provinciæ sibi subditæ tueri*; adeoque ob Reipublicæ bonum sibi subditos ad bellum adigere. (✠)

Quæ-

Quæres IV. an in bello insidiis, & stratagematibus uti liceat? R. affirmat. Sic licitum est hostium vestibus, ac signis militaribus uti, & fugam simulare, prout mandante Deo fecit Josue. Unde Augustinus q. 10. in Josue. *Cum*, inquit, *justum quis bellum susceperit, utrum aperta pugna, an per insidias vincat, nihil ad justitiam interest* (*Josue* 8. v. 8. & 15.); secundum id Poetæ: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat*? Et vero jam ab unicuique belli limine præmoniti sunt hostes se ab hostibus omni, qua poterunt, via circumveniendos esse; ergo si falluntur, culpa sua falluntur.

Neque tamen quibuscunque insidiis contra hostes uti licebit. Sic nec excubias agentem inebriare licet, nec quemquam sollicitare ad occidendum Principem suum, ad prodendam civitatem, &c. est enim id inducere ad grave peccatum, & facere mala, ut eveniant bona.

Quæres V. an diebus festis præliari licitum sit. R. affirmat. Patet id: I. exemplo Machabæorum (*Lib. 1. c. 2.*), & eorum etiam e Christianis Principibus, qui majori pietate floruerunt. II. quia Festorum observatio non impedit, quominus possit suam quisque vitam tueri. Quin & bellum offensivum Festis diebus licitum est, ut obtineatur, quæ alias fortassis obtineri non posset, insignis victoria. Extra necessitatem vero bellare prædictis diebus, modo non omittatur auditio Missæ, non excedit culpam venialem ex Sylvio, & aliis pluribus.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De homicidio privata auctoritate facto.*

Homicidium, quod fit independenter a Judicis auctoritate, vel est *accessarium*, cum quis occidit, ne occidatur; vel *voluntarium*, cum quis vult mortem alterius seu in se ipsa, seu in causa ab eadem morte prorsus inseparabili; vel *casuale*, idque duplex est: casuale *simplex*, quod præter agentis intentionem sequitur ex actione, ex qua nec prævidebatur, nec moraliter prævideri poterat secuturum; & casuale *mixtum*, quod quis reipsa non intendit, sed prævidere potuit, & ideo impedire.

Constat homicidium simpliciter casuale utpote involuntarium excusari a culpa. Hinc non est homicidii reus: I. qui inculpabiliter ebrius alium occidit; imo nec reus esset homicidii, qui sua culpa ebrius, haud prævidere potuisset homicidium, quod perpetravit. II. qui admisit quidem culpam, sed inefficacem respectu homicidii: ut si quis leviter vulneravit alium, cui vulnus vel chirurgi negligentia, vel incuria propria corruptum mortem attulerit. III. qui causam de se mortiferam posuit, sed adhibita omni, quæ viri prudentis judicio adhiberi potuit, diligentia, ut si venator explosa fistula, postquam satis circumspexit, num adesset aliquis, hominem occiderit.

Constat rursus homicidium mixtum esse peccatum plus, aut minus grave, prout plus, minusve habet voluntarii. Hinc homicidii rei sunt: I. qui actum etiam licitum, sed periculosum faciunt, non adhibita sufficienti diligentia, ut patet in nutrice, quæ infantulum relinquit in loco, unde decidere potest. II. qui actum ponunt periculosum, nec in potestatem habent, ut sint sufficienter diligentes. Hinc graviter peccant parentes, qui cum somni tempore in omnem partem se versent, tenellos infantes in eodem secum lecto reponunt; quia cum nec a somno abstinere, nec sibi dormiendo invigilare queant, in perpetuo suffocandæ prolis periculo, adeoque & statu peccati versantur. III. qui omittendo aliquid, ad quod tenentur, causa sunt, cur alter pereat, ut Medici, quorum negligentia, vel imperitia ægro mortem affert; Advocati, qui innocentis causam male tuendo causa sunt, cur capite plectatur, &c. Etsi vero graviter peccat, & homicidii late sumti reus est, qui omisit quidpiam, ad quod ex charitate sola tenebatur, non est tamen restitutioni obnoxius, aut irregularitati, de quibus alibi.

(✠) Bened. XIV. in Constit. 88. Tomi I., quæ incipit: *Alias*, dat. Romæ die 24. Jan. an. 1744., statuit, ut si homicidæ sint tonsurati, non Beneficiati, licet servantes Concil. Trid. præscripta, post duo homicidia priventur privilegio *Fori* §. 1. Quod si fint Clerici in minoribus, non Beneficiati, nec præscripta Tridentini Concilii servantes in hisce causis *Fori* privilegio non gaudeant, atque etiam expleta delicti pœna, eodem privilegio privati censentur. Ibidem §. 2. (✠)

Jam dicendum de abortu, de occisione ad sui, suorumve defensionem, & de duello.

## SECTIO PRIMA.

*An liceat Abortum procurare.*

Abortus est ejectio præmatura fœtus animati, vel inanimati, quem mulier gestat. Unde ejectio seminis ante conceptionem nec proprie abortus est; nec abortus pœnas inducit.

Abortus intendi potest vel directe; vel indirecte, & tunc melius aliquando diceretur permitti, aut non impediri, quam intendi. Directe quidem, ut si mulier potionem sumat eo fine, ur uteri sui fructum ejiciat; indirecte vero, ut si quidem faciat, unde per accidens, & contra intentionem sequi possit ejusdem fructus extinctio. Patebit utrumque gemino exemplo: Mulier, quæ infamiam veretur, projicit se per fenestram, ut abortum faciat; en directa abortus intentio. Mulier, quæ multis precibus prolem poposcit a Deo, irruente flamma per eandem fenestram se projicit, en abortus non tam intentio, quam permissio. Prima agit *ex desiderio* abortus: secunda agit *cum periculo* abortus, sed abortum vere non intendit. Sunt tamen multi casus inter utrumque medii: sic non eadem est conditio mulieris gravidæ, quæ ut saltet elegantius, uterum cingit zona strictiori, quam illius, quæ ut victum lucretur, fert onus nimium; & hæc plurimum adhuc differt ab ea, quæ ne viva comburatur, insilit per murum.

Jam tria quæruntur: I. utrum puellæ, quæ honori suo aliter consulere non potest, liceat abortum si-

bi procurare, saltem cum fœtus nedum est animatus. II. an peccet Medicus, qui aliter vitæ matris succurrere non valens, tradit ei potionem, ea qua moraliter certus est secuturam esse fœtus ejectionem. III. quibus subjaceant pœnis, qui abortum procurant. Sit

CONCLUSIO I. Abortum procurare in primo casu, mortale est peccatum.

Prob. I. ex Concilio Ancyrano an. 314. ubi sic: *De mulieribus, quæ agunt, ut partus utero conceptos excutiant, antiqua Concilii Illiberitani definitio, usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet: humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum præfixos gradus pænitentiæ largiamur.* (*Concil. Illiber. an.* 305. *Can.* 63.). Grande profecto oportuit esse scelus, propter quod usque ad exitum vitæ aliquis ab Ecclesia ejectus erat, & deinde per indulgentiam decem pœnitentiæ annis subjectus.

Prob. II. ex Tertulliano Apologet. c. 9. *Homicidii festinatio est prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui est futurus*: atqui homicidii festinatio peccatum est mortale; ergo.

Prob. III. ea censura geminæ hujus Propositionis: I. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur. II. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Quas quidem infandas theses, ne quis defenderet, merito prohibuit Innocentius XI., idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & Apostolicæ Sedi præterquam in articulo mortis reservatæ.

CONCLUSIO II. quando fœtus est, aut esse putatur animatus, imo cum de hoc dubitatur, non licet matri etiamsi alioquin versetur in certo mortis periculo, præbere medicinam de se tendentem ad occisionem fœtus.

Prob. I. quia hoc esset directe cooperari ad occisionem innocentis: quod per se malum est. II. quia ex c. 10. xiv. q. 5. *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum*. III. quia inde futurum est, ut infans spiritualem, & corporalem vitam perdat, vel saltem dubium est, an non tali periculo exponatur.

Sed licetne, si fœtus nondum sit animatus, præbere matri alioqui certo perituræ medicinam, quæ ex natura sua ad abortum tendat? R. negat. I. quia non magis licet mulieri abortum procurare ad vitandum mortis periculum, quæ ipsi ab intrinseco impendet, quam eidem liceat impedire conceptionem ad vitandum idem periculum, quod experta est sibi imminere ex partu, aut eidem ex detectione criminis imminet, si concipiat, & fœtus in lucem prodeat: atqui non potest mulier in secundo casu conceptionem impedire &c.; ergo nec in primo abortum procurare sibi potest.

II. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona: sed abortum procurare, per se malum est, ut patet ex dictis; ergo.

III. Non potest etiam ad vitæ conservationem procurari pollutio ope pharmaci, aut ciborum, ea quibus futura putetur: atqui abortus procuratio majorem habet mali speciem, quam pollutio: hæc enim unum semen, illa duo destruit; ergo multo tutius est, ac proinde necessarium, ut mulier se divinæ committat providentiæ, quam ut fœtus etiam inanimati perniciem intendat.

Quid ergo, inquies, quid præcise in tota abortus materia fieri potest?

R. cum sanioribus Theologis, quibus religiose insistam: I. nihil unquam sumere licet, aut dare ea intentione abortus procurandi, etiamsi agatur de servanda, non dico, fama, sed etiam vita matris. Et id locum habet, tametsi fœtus necdum anima donatus sit. Sequitur ex dictis.

R. II. Cum mater vexatur morbo, quo minime verisimile est illam extinctum iri, prolem vero perdendam, si aut venam incidat, aut sumat certum aliquod medicamentum, non licet remedia hæc tentare: quia mulier pluris animam fœtus, imo procreationem hominis inchoatam æstimare debet, quam propriam valetudinem. Quin si dubium duntaxat fuerit, an ex potione perdenda sit proles, censeo potionem prorsus esse repudiandam; quia ratio præcedens etiam pro casu dubii militat.

R. III. Si prudenter judicent Medici matrem certo morituram esse, nisi utatur medicamento, quod inducat periculum abortus, potest medicamentum hoc dari, & recipi, si fœtus necdum sit animatus, modo remedium de se sit salutare, & ad abortum non tendat, nec proinde illo detur intuitu, quam matris innocenter sublevandæ. Ita communiter Theologi, ait Comitolus, Sylvius, Habert, Moralis Gratianopol. I. quia tunc abortus neque ex intentione operantis, neque ex intentione operis sequitor ea medicina: II. quia pati potest homo quasdam incisiones, etsi periculum sit, ne propter eas pereat, v. g. ex gangræna. III. quia tunc consulitur vitæ matris cum lucro fœtus, qui pereunte matre peribit certo, eadem vero liberata forte liberabitur.

R. IV. idem dicendum esse, etiamsi fœtus sit animatus, modo certo constet & matrem alioqui morituram esse, & fœtum sine baptismo extinctum iri. Ita iidem. Ratio est: I. quia desperata salute temporali matris, & æterna, ut supponimus, salute infantis, nihil melius fieri potest, quam si uterque juvatur, quo meliori modo licet: atqui tunc proles non potest melius juvari, quam si juvetur mater; neque hæc melius potest juvari, quam medicamina de se salutari, ea quo quidem forte sequetur abortus, sed forte etiam sequetur sanitas matris sine abortu. II. quia se interficera videtur ea, quæ medicinam de se propulsivam morbi, & mortis sumere renuit. Quid enim interest, an vitam ferro sibi exhauriat, an recusato alimento, vel medicamine ad conservandam vitam instituto? Recusat, inquies, ne noceat proli. Sumat, inquam ego, ut servet prolem, cujus vita vitæ suæ alligata est, & quæ extingui quidem poterit ex medicina, sicut ex eadam extingui poterit mater; sed contra agentis intentionem, & actu, quem sup-

fupponimus de fe ad abortum non ordinari.

R. V. Si fpes fit, extincta matre proditurum infantem, & baptizandum, non licet curare matrem cum vero prolis periculo. Ratio eft, quia *temporalem vitam fuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriftianus amittere*, ex S. Auguftino. Aliud erit I. fi medicina habeat fe indifferenter ad abortum, id eft, neque promovendo, neque impediendo. II. fi æquale fit periculum abortus, five medicina fumatur, five non; tunc enim fine majori fœtus periculo confulitur vitæ matris.

Quæres I. quo tempore fœtus anima donetur.

R. Theologi ferme cuncti adhærentes Gloffæ, corpus maris die 40. feminæ autem die 80. abfolvi, & anima informari volunt. Huic opinioni adhærendum eft, quando agitur de pœnis Ecclefiafticis, quia eam hoc in puncto fequitur facra Pœnitentiaria, ut ex Navarro tradit Sylvius 2. 2. q. 64. art. 7.

(✠) Quamvis hic Auctor juxta praxim Sacræ Pœnitentiariæ Romanæ animatum cenfeat fœtum, fi mafculus fit, circa diem 40., circa octogefimam diem, fi fit fœmina; attamen quum eruditiffimi Viri Sennertus, Hartfoekerus, Levvertockius, Malpighius, Redius, & Vallifnerius, circa fœtus efformationem, atque illius animationem in varias iverint fententias; proindeque incertum magis magifque reddiderint animationis tempus, raro abeft periculum homicidii in procurando abortu: quapropter tutius eft, quum in re tam obfcura, tamque dubia verfemur, quumque agitur de pœnis Ecclefiafticis, difpenfationem, atque a cenfuris abfolutionem petere, ne quis periculo fe committat. (✠)

Si concepti fœtus indicium quæras, hoc dabit Hippocrates apud Comitolum ibid. *Mulieri dormituræ incœnatæ mulfam aquam* frigidam *præbeto: fi ventris tormina paffa fuerit, concepit: fin minus, non concepit.*

Quæres II. quibus fubjaceant pœnis, qui animati fœtus ejectionem procurant, & qui procurare eam cenfendi fint.

R. ad 1. eos, fi *Clerici fuerint, omni privilegio Clericali, Officiis, Dignitatibus, & Beneficiis Ecclefiafticis* * *ipfo facto privari, & in futurum inhabiles* effe *ad ea fufcipienda: nec ad facros Ordines promoveri, aut in fufceptis Ordinibus miniftrare ullo modo* poffe (*Sixtus V.*) Quod fi *Clerici non fuerint*, plenam etiam irregularitatem contrahunt, necnon & excommunicationem, a qua hodie abfolvi poffunt a quolibet *Confeffario tam feculari, quam regulari ad Chrifti fidelium confeffiones audiendas, & ad hos cafus fpecialiter per loci Ordinarium deputato* (*Gregor. XIV.*): ubi cum Ordinarii licentiam requirat Gregorius, patet non fufficere deputationem a Provinciali, nifi refpectu fuorum; quia erga iftos, non erga feculares eft Ordinarius.

Nota *quod fi dubitatur, utrum ex percuffione, vel rei fumtione fecutus fuerit abortus, vel alia ex caufa, vel utrum puerperium effet formatum, vel non, fi probabiliter dubitat, debet a promotione & minifterio abftinere, ne periculo fe committat*. Ita S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 2.

R. ad 2. prædictas pœnas incurri ab iis I. qui abortum directe intendunt, five cooperantur, feu *percuffionibus, ventris, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribufque mulieri prægnanti impofitis*; feu *opem, confilium, favorem fcienter dando, ac etiam fcribendo literas*, vel *alias verbis, aut fignis* juvando vel confulendo. Ita Sixtus V., cujus Bullæ nihil in hac parte derogatum eft a Gregorio XIV. II. & ab eis, qui abortum volunt interpretative folum, ut fi quis prægnantem feminam acrius verberet, fi mulier gravida faltet immoderate, fi experta fe abortum facere, quando fert onus grave, illud tamen portandum fufcipit; nifi hoc inadvertenter faciat, & tunc quamvis incogitantia ejus poffit non vacare a mortali, videtur non incurrere excommunicationem (*ex Sylvio*).

* *Nota privationem Beneficiorum a Sixto V. decretam non habere locum nifi poft fententiam Judicis, nifi procuratio abortus fit fimul parricidium.*

## SECTIO SECUNDA.

*An occidi poffit Invafor vitæ, honorum, &c.*

NOt. I. quæftio prima procedit de aggreffore actuali: fatis enim convenit, quod ante, vel poft moralem actum aggreffionis non liceat quempiam occidere; quia non aliter vi uti licet, quam ad vim repellendam. Hinc non licet occidere, aut repercutere eum, qui poftquam aggreffus eft, fugæ fe dedit, quive accepto vulnere jam nocere non poteft. Eadem de caufa non licet prævenire eum, qui te ad occidendum quærit, quia non eft aggreffor: aggreffor tamen cenfetur, qui jam in præfentia parat fe ad actu invadendum, aut qui folvit efferum animal, a quo vorandus fim.

Not. II. Non agitur hic nifi de injufto aggreffore: unde carnifices, aut lictores a reo licite occidi non poffunt. Pari de caufa fi propter enorme fcelus permififfet Refpublica, ut quifquis occurreret Titio, eundem occideret, poffet is quidem fugere, non autem refiftere.

Not. III. Agitur de invafore, a quo quis occidendus eft, fi non occidat: qui enim fugiendo vitam tueri poteft, fugere tenetur. *Si quis*, ait S. Antonin. *ne reputetur pufillanimis, vult refiftere.... non excufaretur ab homicidii crimine.*

Not. IV. eos, qui occidere licitum effe putant, quafdam exigere conditiones, quarum prima eft, ut occifio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, ita ut homo id tantum faciat, quod ad fui defenfionem neceffarium eft: unde moderamen hoc non fervat, qui eum interficit, quem ab occifione fui cohibere poffet, folum vulnerando, aut mutilando; qui mutilat, cum fatis effet percutere; qui percutit, cum fufficeret minari, clamare, fugam arripere. Hinc docent multi mulierem, quæ in lecto fub pulvinari pugionem invenit, eo contra maritum uti non poffe, five clamare, & opem implorare poffit, five non poffit; quia mariti animus mille viis mutari poteft; & aliunde non licet inimicum prævenire, ut fupra dictum eft. Exiftimant tamen alii maritum in hac hypothefi effe morali modo invaforem, dum de

mala ejus intentione constat, & uxor aliter evadere nequit. Ego quidem facile crediderim cum Soto, non nisi ea circumstantiis judicari posse, an in hujusmodi casibus sit præventio, an necessaria sui defensio: unde in his caote procedendum.

Secunda conditio est, ut actio iniqui invasoris sit vera per vim aggressio. Hinc non licet occidere iniquum Judicem, aut falsos testes, qui vitæ tuæ insidiantur: I. quia hic non occurrit vis illata, sed solum calumnia, quæ proinde Juris ordine, non violentia propulsari debet. II. quia alioqui aperiretur via homicidio: facile enim sibi persuaderent homines se inique accusari, & mortem non nisi accusatorum, & Judicum morte vitare posse. III. quia damnata est ab Alexandro VII. propositio ista: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia; si alia via non potest innocens damnum evitare.*

Tertia conditio, quam requirit S. Thomas, est, ut qui injustum aggressorem occidit, non ejus mortem, sed sui tantum defensionem intendat (2. 2. q. 64. *n.* 7.) Sed haud satis scio, an qui plumbeam glandem non nisi in caput inimici sui explodere potest, possit mortem ejus non intendere: facileque ab adversario præveniretur, & occumberet, qui diutius expenderet, an hic, vel ibi possit eum ferire, ut mortem ejus non ut medium intendat, sed ut defensionis effectum permittat.

Not. V. Duplex est de proposita quæstione Theologorum, &, ut opinari quis possit, Ecclesiæ Patrum sententia. Alii putant licitum non esse injustum invasorem occidere, quocunque moderamine id fiat. Alii longe plures numero, & ex iis etiam, qui a laxioribus opiniunculis abhorrent, credunt id licitum esse, si fiat cum conditionibus mox assignatis. Ita Estius, Sylvius, Decoq, Pontas, & alii, quibuscum sit

CONCLUSIO. Qui vitam suam tueri aliter non potest, potest iniquum invasorem occidere.

Prob. I. ex c. 22. Exodi *Si effringens fur domum, sive effodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit.* In quem locum sic scribit Augustinus: (*qu. 24. in Exod.*) *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occidatur; si autem diurnus, pertinere.... poterat quippe discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venerit. Hoc & in Legibus antiquis secularibus invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit; jam enim plus est, quam fur.* Ergo licet occidere furem, sive nocturnum, quia nescitur an animo veniat occidendi, sive diurnum, quando constat eum non ad furandum modo, sed ad occideodum venire.

Prob. II. ex variis Romanorum Pontificum decisionibus. Et quidem sententiam hanc expresse tradit Alexander III. c. 3. *De sentent. excom. Si*, inquit, *Clericum vim sibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes Leges omniaque jura permittant.* Idem docet Concilium Viennense his verbis: (*Clement. un. De homic.*) *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Quibus concinit Innocentius III. c. 2. *De homic. volunt.* Unde sic: illod censeri non debet prohibitum lege divina, quod leges omnes omniaque jura permittunt; quod tuto fieri potest, modo non fiat ad sumendam vindictam; quod non subjacet pœnis, quibus subjacet homicidium quodcunque peccaminosum; quod denique comparatur actionibus infantis, aut dormientis, quæ prorsus a culpa vacant: atqui tale est ex Jure Canonico homicidium ad sui defensionem; ergo.

Prob. III. ex præcipuis Scholæ Doctoribus. Et quidem sic loquitur S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. *Non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo suæ vitæ providere, quam vitæ alienæ.* Quibus verbis excluditur eorum responsio, qui dicunt B. Thomam loqui intra terminos Juris naturalis, non vero spectare charitatis ordioem; nam omissio illius, quod est contra charitatis ordinem, est ad salutem oecessaria: atqui occisionis alterius omissio non est ad salutem necessaria ex Doctora Angelico; ergo. Idem expresse docent S. Antoninus, & S. Bonaventura, quibus consonat Catechismus Romanus 3. part. c. 6. n. 7. ubi explicans cædes, quæ quinto Præcepto non continentur, sic ait: *Si quis salutis suæ defendendæ causa, omni adhibita cautione, alterum interemit, hac lege non teneri satis apparet.*

Prob. IV. ratione: I. quia ex S. Augustino Lib. 22. contra Faustum c. 70. *Ille utitur gladio male qui nulla Superioris, ac legitima potestate vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur:* sed qui in hypothesi nostra occidit, armatur legum omnium id concedentium potestate. Hic enim conspirant, lex naturæ, quæ proximi vitam nostræ postponi suadet; lex divina Exodi 22. lex civilis, & ecclesiastica, uno verbo *leges omnes, & omnia jura.* II. quia ut notat Comitolus Lib. 4. q. 10. n. 10. *Opinio contraria arma certa ministrat injustitiæ, cædi bonorum, Rerumpublicarum eversioni, tyrannidi vitiorum: tollit. item divinæ providentiæ præscriptionem, quæ non patitur, ut parricidarum temeritas, & improbitas, innocentiæ dominetur, eamque perimat.*

Jam proponenda sunt alterius partis momenta. Primum desumitur ex S. Augustino Lib. 1. de lib. arb. c. 5. ubi sic: *Quomodo apud divinam providentiam liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* atqui ibi S. Doctor inter res contemnendas eas ponit, quas inviti amittere possumus, cujusmodi est *vita, libertas, pudicitia*; ergo censet S. Doctor nequidem ad propriæ vitæ defensionem occidi quempiam posse.

Secundum desumitur ex S. Cypriano Epist. 57. juxta quem *occidere innocentibus nec nocentem licet.*

Tertium ex S. Ambrosio Lib. 3. de Offic. c. 4. ubi negat, *quod vir Christianus quærere sibi vitam aliena morte possit, aut debeat.*

Quar-

Quartum petitur ex Niculao Papa Can. 6. dist. 50. ubi consultus, an *qui se defendendo paganum occiderant, postea per pœnitentiam emendati, possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem conscendere. Scito*, inquit, *nos nullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi*.

Quintum desumitur ex variis rationibus. Prima hæc est ex S. Augustino Lib. de mendacio capite 6. *Temporalem plane vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*; ergo cum invadens, si occidatur, damnandus sit, per propriam vitam ei consulendum est: quia tunc est in extrema necessitate spirituali.

Secunda. Si occisio invasoris licita foret, invasus ad eam obligaretur: quia tenetur unusquisque medium licitum non omittere, cum agitur de servanda vita, atqui falsum consequens.

R. ad S. Augustinum, quod licet in alteram sententiam propenderit in L. de lib. arb. inde tamen certo colligi non possit ejus sententiam; quia Librum hunc scripsit valde juvenis, & in eo multa tradidit inquirendo potius, & disputando, quam firmiter asseverando, ut ipse tradit Lib. 1. Retract. c. 9.

Ad S. Cyprianum. Loquitur S. Doctor de casu persecutionis, quæ, cum inferatur jubente Principe, per vim repelli non potest.

S. Ambrosius loquitur de homine, qui alteri naufrago tabulam eripit; & qui proinde innocentem occidit; ergo exemplum illud est extra rem.

Quod attinet ad argumenta e ratione petita, hæc gravem moram non injicient.

Ad 1. fateor ei, qui in extrema est necessitate spirituali, succurrendum esse meliori modo, quo potest: at nego eum, qui alii vitam eripere vult, in extrema necessitate versari; necessitas enim, in qua quis constitutus non est nisi ex libera sua voluntate, & quæ cessabit, statim ut eam cessare volet, extrema vocari nequit: atqui, &c. Et vero si quis tibi dicat: *Da mihi quidquid habes boni, alioqui me suspendam*: non teneris dare, eo quod suspendium futurum non ex proprie dicta necessitate oriatur, sed ex alterius malitia, quæ eidem patrocinari non debet; ergo multo minus vitam tuam tradere teneris.

Ad 2. nego teneri homines mediis quibuscunque licitis vitam servare: contrarium patet ex iis, quæ diximus supra. Dicendum igitur cum S. Antonino 3. p. tit. 4. c. 3., quod *nullus tenetur ad hoc*, quod permittat se occidi; *sed majoris perfectionis esset, si potius permitteret se interfici, quam se defendendo occideret*.

Quæres, an etiam hominem ebrium, vel amentem occidere liceat. R. affirmant plures, quia inquiunt, etsi nec demens, nec ebrius me invadendo formaliter peccant, vim tamen inferunt, quam vi repellere licet. Quia tamen spiritualis necessitas ebrii est adequate extrema, neque hic, & nunc ab eodem auferri potest, solito vehementius pensari vellem jam citatum id Augustini: *Temporalem vitam suam, pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere*. Consonat id S. Antonini ubi supra: *Si constat, quod puer moreretur sine baptismate, ubi Sacerdos diverteret ad vitæ suæ defensionem, præeligenda est mors corporalis Sacerdotis morte spirituali pueri .... ubi autem foret dubium probabile de morte, vel de vita pueri .... adhuc crederem præeligendam mortem Sacerdotis, maxime Parochi*.

Quæres II. an possit quis, & debeat occidere injustum invasorem, qui alteri vitam eripere conatur, cum isti aliter succurrere non potest.

R. I. posse: quia qui proximum sicut se ipsum diligere debet, eum, cum injuste impugnatur sicut se ipsum defendere potest. Et hoc saltem de parentibus nostris &, familia probat vetus Pœnitentiale a Morino citatum, ubi sic: *Si quis se defendendo, vel parentes suos, vel familiam suam, occidisset aliquem, ille non erit reus*.

R. II. non convenire Theologos, an qui alium defendere potest per alterius mortem, ad id necessario teneatur. Opinamur I. quibusdam in casibus occidi debere alienæ vitæ invasorem; ut si illius, qui invaditur vita ad commune bonum necessaria sit; aut si invasus sit pater tuus, mater, filius, conjux, aliquisve, quem titulo speciali defendere tenearis, & multo plus si qui impetitur a sicario, sit actu in peccato mortali. II. alios esse casus, in quibus nec tenearis, nec teneri possis servare alteri vitam per mortem alterius; ut si innocentis invasor esset pater tuus, vel solum filius.

Si invasus nollet defendi, sed animam suam pro inimici anima ponere vellet; mallem sinere, ut præstantissimæ virtutis actum exerceret, quam invasorem ejus æternæ morti addicere.

Quæres III. quid juris, si invasus non possit se, vel patrem v. g., tueri, nisi cum periculo innocentis, quo invasor se protegit? R. defensionem esse pro tunc illicitam: I. quia alioqui liceret claudum, vel infantem in angusta via positum conculcare, cum non aliter vita servari potest; & hoc tamen negavimus supra. II. quia etsi jus naturale sinit, ut suam quisque vitam servet; at nullibi sinit, ut eam cum evidenti innocentis periculo tueatur; ergo nisi sit spes futurum, ut intacto, aut saltem non læso graviter innocente, percuti possit adversarius, præferenda est mors propria iniquæ alterius morti.

Jam quoad bona fortunæ, honoris, &c.

Dico I. Non licet propter bona fortunæ, ea etiam, quæ magni sunt momenti, & aliter recuperari non possunt, furem occidere.

Dixi *propter bona magni etiam momenti*. Quia constat res pretii levioris postponi debere vitæ proximi. Unde proscripta est ab Innoc. XI. hæc thesis: *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei*.

Prob. itaque: I. Præceptum illud, *Non occides*, neque in Scriptura, neque in Patrum decretis, aut Jure Canonico limitatur, cum de fortunæ bonis sermo est: ergo homicidii reus est, qui pro illis bonis hominem occidit.

Prob. II. Exodi 22. expresse prohibetur, ne fur diurnus occidatur, quia *poterat discerni, quod ad furandum, non ad occidendum venisset*; (*p. antec. col. 1.*)

ergo eum, qui ad furandum duntaxat venit, occidere non licet.

Prob. III. ex S. Augustino Lib. 1. de lib. arbit. *Quomodo*, inquit, *apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Et id quidem nullibi temperavit S. Doctor, prout id visus est temperasse, quod contra eos dixerat, qui occidunt, ne occidantur.

Prob. IV. Non licet præferre bonum ordinis inferioris bono ordinis longe superioris, ei præsertim, cujus irreparabilis sit jactura: porro fortunæ bona sunt ordinis longe inferioris, quam vita, quæ amissa jam reparari nequit.

Obj. I. Caput 2. *De homicidio volunt.*, ubi sic: *Interfecisti furem, aut latronem ubi comprehendi poterat absque occisione .... si te tuaque liberando*, non teneris ad pœnitentiam.

R. cum Fagnan. in his verbis, *te, & tua liberando*, particulam *&* non esse sumendam disjunctive, sed copulatim; adeo ut sermo sit de fure, qui bona simal, & vitam invaserat: quem qui occidit, a culpa eximi solet, juxta ea, quæ supra dicta sunt.

Obj. II. Vim vi repellere omnes Leges, & Jura permittunt: sed vim infert, qui bona temporalia eripere vult; ergo.

R. dist. maj. Jura permittunt vim vi repellere per media legitima, C. secus, N. Occisio autem non est medium legitimum, cum de solis fortunæ bonis agitur: si enim bona temporalia exponi debent ad conservandam proximi vitam, a fortiori occidere non licet ad hujusmodi bonorum defensionem. Licet tamen eum, a quo injuste invaduntur, repellere, percutere, imo & pro gravitate rei vulnerare, modo absit occisionis periculum. Ratio est, tum quia impunitatis præsumtio furibus ad diripiendum animos adderet; tum quia res alicujus momenti præferri potest transitorio dolori furis, qui sui tunsionem, & plagas quærit ex malitia sua.

Dico II. Iniquum famæ, aut honoris invasorem occidere illicitum est, non solum Clericis, sed & secularibus.

Prob. I. quia sine totali ordinis subversione fieri nequit, ut alium quis occidat pro vani honoris jactura. Bonum enim consistens in versatili aliorum opinione, sine summa ordinis subversione præferri non potest temporali, & æternæ alterius saluti: atqui .... ergo merito dixit Augustinus Lib. 5. de Civ. c. 17. *Nec si pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius ponderis est fumus.*

Prob. II. quia opinio contraria stragi, & homicidio viam aperiret. Quis enim mundanis persuadebit id, quod ubique in Mundo pro honore haberetur, honorem reipsa non esse?

Prob. III. Si honorem morte ulcisci liceret, tunc præcipue cum vir nobilis alapa cæditur; hoc enim illud est injuriæ genus, quod solo sanguine elui posse dicunt: atqui falsum est, quod quis alapa cæsus injuriam hanc inimici etiam vilis morte ulcisci possit. Si enim nemine vidente percussus est, tunc nullam honoris jacturam fecit: si vero palam percussus fuerit, potest percussorem suum testium ope ad sibi satisfaciendum coram Judicibus adigere, & hac, quæ licita est, via honorem suum recuperare. Et vero quis sincere Christianus honorem ab eo vere recuperatum credat, qui contra charitatis leges fratrem suum æternæ damnationi objicit? An quia alium occideris, statim falsum reputabitur id, quod contra te dixit: imo an non potius existimabitur verum esse? Merito itaque propositionem hanc proscripsit Innocentius XI. *Fas est viro honesto occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & .... fugiat.*

Neque etiam licet alapam pro alapa reddere: quia tunc non esset defensio, quæ locum non habet nisi in actuali aggressione, sed mera vindicta, quæ non conduceret ad servandum honorem jam per injuriam ablatum, sed duntaxat ad acquirendum alium apud mundanos honorem, ex falso fortitudinis inhumanæ nomine. Si tamen qui jam percussit, percussionem novam tentet, repercuti potest in defensionem, non honoris, sed corporis.

Hinc colliges: I. jure proscriptam esse ab Alexandro VII. notariam hanc propositionem: *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit.*

II. teneri virum etiam nobilem, aut Ducem potius fugere, quam occidere eum, a quo pugnis, aut baculo impetitur. Est id quidem apud mundanos dedecus grande, sed apud Deum, & Angelos æterna gloria dignissimum. III. pseudo hoc axioma: *Uni mentiris*, sua debetur merces alapa, ex solo satanæ specu prodiisse.

Dico III. Non licet injustum pudicitiæ invasorem occidere. Ita plures.

Prob. I. ex S. Augustino Lib. 1. de lib. arb. c. 5. ubi sic: *Legem quidem non reprehendo, quæ tales*, stupratores scilicet, *permittit interfici, sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

Prob. II. Si liceret stupratorem interficere, utique ad virtutis tantæ conservationem: atqui virtus castitatis aliter potest, quam scelesti invasoris morte defendi. Ad hoc enim satis est, ut constanter dissentiat persona, quæ vim patitur: tunc enim id dicere poterit, quod olim S. Lucia Tyranno: *Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

Tenetur tamen puella modis omnibus obsistere fugiendo, clamando, pugnis, pedibus, morsu agendo: imo rarissime fit, ut puella, si serio velit, sui stuprum impedire nequeat; utve vir delectationem turpem ab omnino invita captare velit.

Sed quid ergo in hac materia licitum est ad conservanda seu sibi, seu proximo honoris, fortunæ, aut pudicitiæ bona?

R. I. Si de fama sola seu nostra, seu alterius, etiam Principis, aut patris agitur, nec lædere licet, nec percutere graviter calumniatorem: quia bonum hoc alia via recuperari potest; imo nec ista ullatenus recuperaretur.

R.

R. II. Tenetur quisque ex charitate, seclusο tamen gravi incommodo, proximi bona contra iniquum defensurem tueri repellendo, percutiendo, imo & lædendo citra periculum mortis, si id exigat rei ablatæ pretium, & ea aliter servari non possit. Ratio est, quia charitas proximo debita exigit, ut in gratiam ejus iisdem prope mediis utamur, quibus in nostri gratiam uteremur. Si tamen proximus, cujus segetes vastantur, &c. opem nostram recuset, non licebit invasorem vi propulsare; quia licitum est invaso, quem rei devastatæ dominum supponimus, cedere jus suum.

R. III. Ad tuendam oppressæ virginis pudicitiam licitum est nobis, quod & eidem licitum est. Ratio desumitur ex eadem charitatis lege.

## SECTIO TERTIA.

### *De Duello.*

Duellum definitur Periculosum certamen duorum, paucorumve ex condicto initum.

Dicitur I. *periculosum certamen*, ut excludantur pugnæ, quæ fiunt armis ad graviter lædendum ineptis, pugnis v. g., levi baculo.

Dicitur II. *duorum*, & sic duellum differt a rixa, in qua plures contra unum dimicare possunt,& vicissim. Est tamen duellum verum in pugna plurium, cum singuli contra singulos decertant, principalis v. g. contra principalem, socii unius contra alterius socios.

Dicitur III. *ex condicto*, id est, ex provocatione unius, & alterius acceptatione. Hinc si adversarius adversarium quærat, ejusve transitum exploret, ac cum eo dimicet, deerit duellum, quia defuerit condictum.

Addunt plures, *tempore & loco designatis*: quia hæc loci, aut temporis designatio necessaria est, ut incurrantur pœnæ contra duellatores in Canonibus constitutæ. De quo infra.

Duellum dividitur: I. in solemne, & simplex. Solemne illud dicitur, quod fit servata quadam forma circa tempus, & locum securitatis, adhibitis etiam testibus, seu patrinis, literis item provocatoriis, aut earum loco nunciis. Simplex est illud, quod fit ex condicto, statutisque tempore, & loco, sed absque aliis solemnitatibus.

Dividitur II. in illud, quod fit auctoritate publica, & quod fit auctoritate privata. Jam quæritur, an duellum sit licitum. Sit

CONCLUSIO I. Duellum privata auctoritate initum peccatum est mortale: unde illud nec offerre licitum est, nec oblatum acceptare.

Prob. I. ex frequenti totius Ecclesiæ judicio, quod hisce verbis repræsentavit Synodus Trid. Sess. 25. c. 19. *Detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, &c.*

Prob. II. ex variis Regum nostrorum Sanctionibus, Ludovici IX. Henrici IV. præcipue vero Ludovici Magni, qui anno (1643. *mense Jun.*) Regni sui primo decrevit, ut qui duello confligent, tanquam læsæ divinæ, & humanæ Majestatis rei habeantur; eorumque corpora foras projiciantur, & christiana sepultura donari non possint.

Prob. III. quia duellum repugnat charitati, tum nobis, tum proximo debitæ, cum utriusque decertantis vitam, & æternam salutem morali periculo exponat.

II. Quia duellum nulla justa de causa suscipi potest Non I. ad virium jactantiam, gloriamque inanem: hæc enim gloria, & medium, quo procuranda intenditur, perinde futilia sunt.

Non II. cum agitur de lite terminanda, aut manifestanda veritate, detegendave innocentia: duellum enim non est medium, quod ad hunc finem assumi possit; tum quia horrendi sacrilegii plenum est, nempe vel divinationis, si felix exitus a dæmone expectetur, vel tentationis Dei, si exitus speretur a Deo; tum quia sæpe contingit, ut in bello seu publico, seu privato succumbant, quos justam habere causam certum est.

Non III. ad vindicias religioni contra hæreticos, aut infideles; tum quia nullibi permisit Deus, ut privatus contra privatum aliter, quam verbo Dei, & Ecclesiæ decretis veram fidem tueretur; tum quia æquum non est religionem ex fallaci medio suspendi: hinc geminum duelli ob religionem suscepti exemplum refert Voetius, quod ita cessit, ut semel a Scoto quodam hæretico occisus sit miles Gallus, semel autem a nobili catholico vir hæreticus. Ergo ne ipsius quidem religionis causa licitum est duellum, secluso speciali S. Spiritus instinctu, qui vix unquam præsumi potest.

Non IV. ad propulsandam ignominiæ labem. Ignavus enim, & infamis haberi non potest ille, quem ut vere fortem, passionisque omnium petulantissimæ, falsi nempe honoris dominum agnoscunt Edictis suis Reges, Decretis suis Pontifices, suffragio, & applausu quotquot Respublica Sapientes habet: sed qui duellum constanter recusat, hunc ut vere fortem agnoscunt &c. Patet id non tantum ex judicio Episcoporum plus quam viginti, Doctorumque Parisiensium 53. suffragio, sed & ex nobilium cumplurium sententia; quæ ad longum repereris in Opusculo inscripto: *Recueil des Edits.... concernant les duels*, &c. Merito igitur proscripta est ab Alexandro VII. propositio hæc: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Absit enim, ut timidus judicetur, qui se ipsum vincit, qui virtutem, unam veri honoris regulam, sequitur, qui Christi patientiam, & mansuetudinem imitari studet. Sanius utique senserunt Gentiles, quos inter Horatius cum ait: *Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit mœnia.*

(✠) Benedictus XIV. in Constitutione, quæ incipit *Detestabilem*, dat. Romæ an. 1752., & extat in Tomo IV., sequentes damnavit propositiones.

I.

*Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debita*

*bitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, & pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.*

II.

*Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.*

III.

*Non incurrit Ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, & officii.*

IV.

*Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.*

V.

*Afferta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia Magistratus justitia aperte denegatur.* (✠)

Existimant Theologi quidam, ut Bannes, Decoq, &c. licitum esse ei, qui ad duellum provocatur, ne ignaviæ notam incurrat, dicere provocanti, se quidem duellum non acceptare, sed paratum esse se tueri contra invasorem, quisquis sit. Sed quam timendum, ne verba hæc indirectam duelli acceptationem complectantur, aliumque ad invasionem illius, qui sic loquitur, quodam modo compellant. Multo minus fas erit respondere ei, qui ad duellum provocat: Nolo tecum congredi, sed aliquo sum iturus, qui me in itinere adortus fuerit, sentiet me virum esse. Est enim id duellum æquivalenter, & sub aliis terminis acceptare.

CONCLUSIO II. Duellum publica auctoritate juste aliquando iniri potest, rarissime tamen.

Prob. 1. pars: I. quia occurrere possunt causæ ei similes, quæ Davidem impulit ad ineundum duellum contra Goliath. II. quia satius est, ut Princeps de causæ suæ justitia certissimus, sed copiis longe inferior, certam suorum ruinam in dubiam victoriæ spem commutet, duellum acceptando, aut etiam offerendo, quam ut pene certo exercitus sui excidio, crudelis, & infesti belli gravaminibus, ac Provinciarum suarum vastitati se, suosque exponat.

Prob. 2. pars, quia extra casus mox adductos, aliosve non dissimiles duellum, quacunque auctoritate fiat, non vacat a gravi peccato. Hinc letaliter delinquet Princeps duellum indicendo ad solam virium, aut dexteritatis ostentationem, ad spectaculum, ad vindictam, ad probandum crimen, quod quis alteri objicit, aut ad purgandum quod ab altero objicitur. Ratio est, quia in his omnibus vel tenditur ad pravum finem, vel ad bonum sed medio illegitimo.

Quæres, an duobus ultimo supplicio juste addictis possit duellum a Judicibus præcipi hac lege, ut vita fruatur, qui e pugna sospes evaserit. R. negat. I. quia sic facile fieret, ut reus plus patiatur, quam meruerit. Esto enim meritus sit suspendium, at non meruit lentis extingui doloribus, quos forte ea imperita alterius manu persentiet. II. quia sic uterque reus proximo peccandi periculo exponitur. Ira enim uterque concitabitur; nec se justitiæ ministro, sed hosti infensissimo commissum censebit. Inde vero quale discrimen animæ? nihilo fere minus, quam quod in alio quocunque duello reperitur.

Obj. Potest Princeps e reis duobus unum eligere, qui alterius carnifex sit, carnifici spe vitæ oblata; ergo a pari.

R. neg. conseq. I. quia Princeps unum faciendo carnificem alterius, nisi inique agat, reum magis minus reo subjiciet: in duello autem fieri poterit, ut qui nequior est, sospes evadat. II. qui alium extra duellum necabit, aget pro utilitate publica tanquam justitiæ minister, in duello autem non nisi pro vita sua decertabit. III. extra duellum reus flagitia sua detestabitur, eorumque veniam supplici prece a Deo impetrabit, in duello solam adversarii sui necem intendet, & in eum furibunde proruet, sicque vix poterit christiane mori.

CONCLUSIO III. Graves duellatoribus, iisve, qui ad duellum quoquomodo concurrunt, pœnæ sacris Canonibus inflictæ sunt.

Prob. ex Concilio Trid. Sess. 25. c. 19. ubi præcipitur, ut omnes, etiam Reges, *qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati.... Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum Patroni vocantur, excommunicationis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.*

Decretum hoc tam quoad personas, quam quoad pœnas ampliavit Clemens VIII. per Bullam suam 13. anno. 1592. quæ Constitutio quia dubiis pluribus locum fecit,

Quæres I. an prædictis pœnis subjaceant viri duo, qui vel ob injuriam actualem subita ira correpti, vel ob veterem causam exardescentes in occursu, alio alium ad pugnam provocante, statim congrediuntur. R. negat. est enim id rixa, non duellum; quia duellum fieri debet ex condicto, locoque, & tempore designatis: quod hic locum non habet. Eadem de causa si quis viso inimico domum convolet, ensem accingat, adversarium suo se gladio tueri jubeat, deerit veri duelli ratio, quamvis non desit grande piaculum.

Quæres II. quid juris, si duo in Ecclesia, aut Principis domo rixari cœperint, & dicat alter alteri: *Non est idoneus is locus definiendæ querelæ, eamus foras*, vel *egrediamur in vicinum pratum.* Eritne id veri nominis duellum? R. seclusa locorum consuetudine, quæ vim habet leges interpretandi, uterque casus totam duelli rationem habere videtur: est enim pugna singularis, ex condicto, & in loco sufficienter determinato. An enim deerit ratio duelli, quia ambo dixerint, *Digladiemur in primo, qui ad pugnam commodior occurret, loco?* Neutiquam sane, nisi Ecclesiæ decreta nescio qua subtilitate eludantur. Pari de causa

duelli

duelli suspicarer reos, qui convenissent de prælio ubicunque solus soli occurreret ineundo. Saltem in hoc casu multo tutius esset absolvi ad cautelam.

Quæres III. quid dicendum de duobus, qui solo honoris defendendi animo se provocant, & comparent constituto tempore, & loco, certi moraliter neutrum quid passurum esse mali, quia sic inter se convenerint.

Respondet Pignatelli, prædictos homines in exteriori foro pro excommunicatis habitum iri, non tamen in foro conscientiæ: quia actio hæc non est duellum, sed duelli simulatio. Et certe sicubi actio hæc sub canonicis pœnis prohibita foret, maxime his Clementis VIII. verbis: Declaramus *iisdem pœnis.... teneri eos, inter quos pactiones initæ sunt de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit*, &c. atqui perperam verba hæc contra præcedentem decisionem a quibusdam objiciuntur. Aliud enim est paciscii te nihil alteri illaturum esse mali, aliud pacisci te ad primam sanguinis effusionem recessurum esse a prælio. Primum vacat ab omni periculo: secundum vitæ ipsius discrimen injicit, cum fieri possit, ut errante manu, aut crescente ira eum lædas graviter, cui leviorem plagam præparaveras. Quia tamen jubet Apostolus Christianos ab omni specie mala abstinere, graviter peccaret, qui simularet duellum, sicut, & ii, qui fornicationem fingerent, aut a se commissam etiam falso gloriarentur.

Quæres IV. an quisquis duelli spectator fuerit, canonicis pœnis subjaceat. R. eos duntaxat ad effectum contrahendæ censuræ reputari communiter duellatorum spectatores, qui ex proposito ad locum duelli conveniunt, seque adeo exhibent quasi duelli approbatores: unde a censuris eximi solent non ii tantum, qui eo conveniunt, ut duellum impediant, sed & ii, qui in transitu fortuito paulisper subsistunt etiam ex curiositate, aut qui e fenestra duelli loco vicina rem intuentur. Multo tamen satius fuerit, si malum cohiberi non potest, recta, adversisque oculis transire, cum adstantium corona animos addat, & majorem ex impia victoria gloriam quasi polliceatur.

Quæres V. quomodo se gerere debeat Parochus circa pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ. R. cum Barbosa consulendum esse, si fieri possit, Episcopum, præsertim cum quis non in conflictu, sed uno, aut altero post die decessit, quia pœnæ canonibus latæ eos tangunt, non qui ex duello, sed qui in duello mortui sint. Ceterum qui in ipso conflictus loco, aut extra eum, sed paulo post, eadem v. g. die decessisset, attento Canonum rigore non posset in terra sancta sepeliri, etiamsi pœnitens, & a censuris absolutus decessisset. Patet id tum ex cap. 1. *De Torneamentis*, tum ex Rituali Pauli V. ubi sic: *Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ*, & id in quibusdam Diœcesibus expresse sancitum est.

(✠) Benedictus XIV. in citata Constit., hæc sancivit: *Præterea simili motu, & auctoritate decernimus, ac declaramus sepulturæ sacræ privationem a Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli & conflictus incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim inductum fuerit; ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit, sublata Episcopis, & Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi*. (✠)

Quæres VI. quis ab excommunicatione propter duellum contracta absolvere possit. R. Galliæ Episcopos ab ea censura absolvere per se, vel per eos, quos ad hoc approbare voluerint; quapropter sollicite consulenda sunt Diœceseon Statuta.

Quæres VII. an qui alium occidit in duello, ad restituendum teneatur sicut alius homicida. R. occisorem, etiamsi provocatus fuerit, non provocator, teneri ad restituendum tum creditoribus occisi, tum ejusdem uxori, & filiis in quantum eorum interetat non auferri vitam ejus, qui occisus est: I. quia idem occisor vera est, & iniqua causa damnorum omnium, quæ patiuntur creditores, uxor, & proles defuncti. II. quia ii jure suo non cesserunt, nec eo pro ipsis cedere potuit, qui occisus est; ergo eodem jure per vim iniquam spoliati sunt: porro cui jus suum vi iniqua ademtum est, is strictam ipsius reparationem urgere potest.

---

## CAPUT SEXTUM.

*De Sexto Decalogi præcepto.*

ETsi solum adulterium his sexti Præcepti vocibus, *Non mœchaberis*, prohibitum esse videtur, longe tamen major est ejusdem mandati extensio; cum per illud oris etiam, & mentis immunditia vetita sit, prout edocuit nos Christus Matth. 5. v. 27. Varia hæc peccatorum monstra totius hujus Capitis materia erunt, lubrica quidem, sed quam aspirante virginum sponso pudice tractabimus. Dicendum itaque de fornicatione, stupro, adulterio, incestu, sacrilegio, raptu, & peccatis contra naturam, &c.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De Fornicatione.*

FOrnicatio vel late sumitur, vel strictius. Fornicatio late sumta est concubitus quilibet illicitus, & extra matrimonium. Fornicatio stricte sumta est concubitus naturalis soluti cum soluta jam deflorata, id est viri, & feminæ, qui liberi sint ab omni vinculo seu matrimonii, seu voti solemnis, Ordinis sacri, consanguinitatis, aut affinitatis, & qui proinde habiles sint ad contrahendum inter se matrimonium.

Fornicatio dividitur in simplicem, quæ transitorie exercetur cum una, aut pluribus; & continuatam cum eadem, & hæc vocatur concubinatus. Jam quæritur: I. quale sit peccatum utraque hæc fornicatio. II.

an

an filius fornicatoris rea sit sponsa de futuro, quæ alteri, quam desponsato vitiandam se permittit, &c. Sit

CONCLUSIO I. Fornicatio quælibet est peccatum mortale jure divino, & naturali graviter prohibitum.

Prob. 1. pars de jure divino, ex Scriptura. I. Corint. 6. v. 9. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*. & v. 15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit*, &c. Apoc. 21. *Homicidis, & fornicatoribus..... pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*; ergo prima hæc assertionis nostræ pars est de fide, cum diserte exprimatur in Scripturis.

Prob. 2. pars de jure naturali. Illud jure naturali graviter prohibitum est, quod omnibus concubitus legitimi bonis adversatur: atqui talis est fornicatio. Duplex enim a natura intenditur finis e legitimo concubitu, nempe bonum prolis ipsius, & commune Reipublicæ bonum, ad quod singuli cives conferre debent: atqui fornicatio duplicem hunc scopum per se, & ex natura sua impugnat: I. quidem impugnat bonum prolis, quod in eo situm est, ut proles debite instruatur, & ubi opus erit, defendatur: cum quotidiana experientia probet curam hanc illegitimæ prolis vel nullatenus, vel imperfecte admodum haberi; ita ut ex mille spuriis vix unus a parentibus decenter informetur. II. fornicatio nocet communi bono, cum de se scandala, querelas, ignorantiam, pravamque civium institutionem in Rempublicam invehat; quæ omnia commune bonum insigniter labefactant. Merito igitur damnata fuit ab Innocent. XI. hæc thesis: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*.

Porro si tantum sit scelus fornicatio simplex, quantum esse debebit concubinatus, qui fornicationi addit perseverantiam; quique annexum habet continuum fatem virtuale peccandi propositum. Hinc a fornicario regulariter exprimendum est in confessione non tantum quoties crimen suum, aliasque turpitudines commiserit, sed & quandiu concubinam tenuerit, cum nec eam probabiliter tenere putuerit absque gravi aliorum scandalo, nec satis aperire possit statum suum, in quo pravis cogitationibus millies consentit. His addit Sylvius, illos, qui concubinarii publice existimantur, etsi non sint, non ante debere absolvi, quam vel eas ejecerint, quæ pro concubinis suis habentur, vel sufficienter ostenderint iis, qui scandalizati fuere, *quod illæ mulieres non sint vel concubinæ, vel fornicariæ; quia debent occasionem scandali tollere, si velint esse vere pœnitentes*.

Obj. I. quod fornicatio nullibi in antiqua lege prohibita sit, imo permissa veteribus Patriarchis, qui concubinas habuisse leguntur. II. quod a Deo præcepta sit Oseæ. III. quod proli melius sit esse, quam non esse. Verum hæc nihil nocent. Unde

Ad 1. neg. ant. fornicatio enim aperte vetatur his 23. Deuteron. verbis: *Non erit meretrix de filiis Israel, nec scortator de filiis Israel*. Et vero nisi fornicatio pro gravi crimine habita esset, cur lapidata fuisset puella, quæ exciderat a virginitate; & tamen lapidibus obrui jubetur Deuter. 22. Quod spectat ad Patriarcharum concubinas, eæ erant veri nominis uxores, quibus indictum fuit concubinarum nomen, eo quod sine solemnitate ductæ essent, & indotatæ.

Ad 2. Præcepit quidem Deus Oseæ, ut duceret mulierem, quæ ante fuerat fornicaria, non autem ut ei fornicarie copularetur.

Ad 3. neg. conseq. Melius quidem est proli esse, quam non esse, sed non est melius parentibus eam generare, quam non generare. Et vero sic probaretur licitum esse adulterium, quia quæ a marito pueros non suscipit, plerumque susciperet ab alio.

Ceterum fornicatio tam evidenter mala est, ut vix apud Christianos quispiam esse possit, quem sua hoc in puncto excuset ignorantia, nisi hominem fingas inopem ingenii, surdum, & mutum a natura, quemque ii, quibuscum vixit, nedum dehortati sint a malo, ad istud potius impulerint.

CONCLUSIO II. Fornicatio desponsatorum peculiarem habet malitiam.

Prob. quia desponsationis circumstantia efficit, ut fornicatio graviter adversetur justitiæ. Magnam enim sponsus injuriam facit sponsa, quæ totam ei se promisit, & debet, cum ab alio se cognosci permittit. Idem dicendum de sponso, qui cum alia peccat: quia sponsam privat re notabili, jure scilicet, quod habet ad corpus suum integrum; ergo desponsationis circumstantia necessario in confessione aperiri debet. Hinc qui cum desponsata peccavit, eandem circumstantiam aperire debet: non enim peccavit cum plene libera, sed cum ea, quæ corpus suum ei debet, cui idem solemniter spopondit.

Quæres I. an simpliciter fornicari dicendus sit, qui peccat cum Judæa, aut Gentili, cum ea item, cujus tutor sit; posito quod eæ omnes sint solutæ. R. contra Sylvium negat: I. quia Christianus Judæa, aut Gentili abutens gravem religionis nostræ despectum parit. II. quia cum ob disparitatem cultus prohibeatur matrimonium, censeri debet specialiter prohibita copula de se illicita. III. quia subest periculum, ne proles in infidelitate educetur. Quod spectat ad tutorem, is cum patris vices gerat longe magis reus esse debet, cum puellam curæ suæ specialiter concreditam vitiat, quam cum aliam quamcunque.

Quæres II. de quibus interrogandi sint fornicarii, & fornicariæ. R. interrogandos esse, an peccaverint ex habitu, an cum scandalo, an comparem induxerint ad scelus, quod feminis aliquando, viris sæpius contingit. II. an nuptias promiserint, an promissionem firmaverint juramento, an non eodem modo pluribus promiserint. III. an nihil fecerint quod ad sodomiam tenderet, aut quo conceptum impedirent. IV. an non fœtum extinxerint. V. quoties iteraverint crimen. VI. an eo consummato non devenerint ad tactus novæ copulæ præambulos. VII. an prolem negexerint, eamve exposuerint, cum alendæ ei pares essent. Hæc tamen interrogata prudentiam, & castitatem comites habere debent. Si pœnitens copulam solam exprimit, interrogandus est de suo, & compattis

partis statu, an conjugatus sit, & ea coujugata; an non ambo affines sint, vel consanguinei, &c.

Graves adversus concubinarios pœnas sanxit Trid. Synodus Sess. 24. c. 8. *De refor.* ubi statuitur *concubinarios tam solutos, quam uxoratos, cujuscunque conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter ea de re admoniti fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint*, &c. Haoc sacræ Synodi Constitutionem pleraque Galliæ Concilia, suis Canonibus inseruere, puta Concilium Rothomag. an. 1581. Bituricense an. 1584. Aquense an. 1585. &c.

(✠) Alexander VII. in Decreto contra 84. propositiones morales seqoentem damnavit propositionem, quæ est num. 41. „ *Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii* vulgo regalo, *dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Vah putidam Theologiam! (✠)

Quod spectat ad Clericos qui eidem vitio inhærent, ejusve suspicionem inducunt, hæc in Jure statuuntur: I. *Qui in sacris Ordinibus sunt positi, nisi mulieres abjecerint, & caste vixerint*, deponendi sunt *ab omni eorumdem graduum dignitate.* (*Cap.* 11. *dist.* 32.) II. Clerici etiam non in Sacris, si ab Episcopo moniti *acquiescere contemserint, a Beneficiis Ecclesiasticis usque ad congruam satisfactionem* suspendi debent. *Etsi* easdem mulieres *suspensi præsumserint detinere, ab eisdem Beneficiis perpetuo* sunt removendi, ex c. 4. & 6. *De cohabitat. Cleric.* &c. Easdem pœnas ampliavit Synodus Trid. Sess. 25. c. 14. *De reform.* ejusque dispositio, quam consuli oportet, pene desumta est ex Pragmatica Sanctione Caroli VII. tit. 19. & Concordato an. 1518. tit. 13. Ex iis vero sequitur Clericum ootorie etiam notorietate facti concubinarium debite, & specialiter admonitum a Superioribus suis, contrahere irregularitatem, quæ licet videatur ex infamia, non cessat tamen per pœnitentiam, sed per solam Episcopi dispensationem: & hac quidem dispensatione semel concessa, *si* Clerici *recidivo vomitu ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicujus dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles* (*Ibid.* §. 4. & 8.) manere debent, ac proinde nunquam denuo dispensari.

Quæres, qua pœna plecti debeat Clericus io sacris, ob fornicationem. Taceo de nefando sodomiæ crimine, coutra quod terribiles decrevit pœnas S. Pius V. gemina Constitutione, *Cum primum*; & *horrendum illud scelus*.

R. I. Si Clericus committat fornicationem qualificatam, stupri, v. g. adulterii, sacrilegii, incestus cum filia spirituali ex baptismo, vel ex confessione, indubium est, quod depositionis pœna puniri possit: ita sancitum est Can. 9. & 10. xxx. q. 1. ubi sermo est de crimine, *quod in conscientiam populi devenerit*.

R. II. Si Clericus simplicem fornicationem admittit, puniri debet arbitrio Judicis, juxta qualitatem personæ, & circumstantiarum. Ratio est, quia varias varii Canones pro scelere isto pœnas sanxerunt magis, aut minus acerbas; quod argumento est crimen hoc aliter puniri posse, puta aliquando suspensione, aliquando graviori pœna.

## ARTICULUS SECUNDUM.

### *De Stupro, Raptu, & Adulterio.*

STuprum est illicita defloratio virginis præsertim invitæ: I. *defloratio*, seu virginalis claustri per primam carnalem copulam illicita corruptio. II. *virginis*, idest personæ omnis, quæ necdum ullam cum altera copulam habuit. III. virginis *præsertim invitæ*; si enim copula, quæ habetur consentiente virgine, ad id blanditiis promissis, datisve muneribus inducta, sit vere stuprum, ut statim dicam, a fortiori stuprum erit copula, quæ habetur eum invita. Hic duo ootati velim: I. *virginis* nomine intelligi etiam nostri sexus juvenes, adeo ut stupri rea sit mulier, quæ a juvene copulam extorserit per vim, metum gravem, dolos, preces admodum importunas, & similia, quibus vix obsisti possit. Etsi enim adolescens nec signaculum naturale perdit, nec tanto coram hominibus dedecore afficitur, qoam puella; stat tamen suam ei virginitatem eripi, adeoque & eum specialem coram Deo injuriam sustinere. II. perditos eos nebulones, qui condiscipulos adhuc nescios mali polliciunt ad mollitiem, quadantenas etiam stupri reos esse, ut qui virginitatis decus excotiant incautæ ætati. Adde, quod prima sint origo tot ejusdem naturæ scelerum, in quæ sponte proruunt, qui semel miseram nefariæ hujus actionis voluptatem experti fuere. His positis, sit

CONCLUSIO I. Stuprum est luxuriæ species distincta a fornicatione: I. si puella opprimatur invita. II. etiamsi volens cedat stupratori.

Prob. 1. pars, quia stuprum fornicationi simplici grandem supperaddit injuriam, cum per eam violente privetur puella sigilli virginalis integritate, quæ in ordine ad susceptionem status maximæ apud homines est æstimationis.

Prob. 2. pars, quia si puella, quicum peccatur, parentes habet, gravis eis infertur injuria, quandoquidem illis invitis violetur integritas, cujus custodiam habent: sicot injuria fieret horti custodibus, si usdem iovitis frangerentur ejus sepes, quamvis consentiret horti proprietarius, sub eorumque custodum tutela existens: is enim utpote custodum curæ commissus, citra eorum injuriam consentire non posset. Si vero puella sit plene sui juris, crimen cum ea commissum non desinit specialem habere malitiam: I. quia per illud impeditur a consecutione utilis, legitimique matrimonii, quod alioqui fuisset consecutura. II. quia constituitur in periculo, & in via nova deinceps ejusdem generis perpetrandi crimina, & forte meretricandi. Quæ enim hoc in puncto semel, & ægre admodum pede lapsa est, paulo post totis pedibus currit, ut docet experientia. Hæc ultima ratio probat deflorationem, cui & puella, & puellæ parentes consentirent, non carituram speciali malitia.

Obj. I. Scienti, & volenti nulla fit injuria: atqui ex hypothesi puella est volens; ergo.

R.

R. dist. min. puella est volens de facto, C. de jure, N. Vult quidem puella de facto opprobrium suum, sed nec vult, nec velle potest de jure, quia jure divino velle prohibetur. Sic pupillus in sui præjudicium libera sine tutoris assensu contrahens, vult de facto, reipsa tamen vult inefficaciter, quia efficax ejus volitio jure expeditur.

Obj. II. Si coitus cum virgine volente sit vere stuprum, tenebitur stuprator ad restitutionem: atqui falsum consequens ex omnibus.

R. dist. min. stuprator non tenetur ad restitutionem quoad consectaria criminis, C. quoad crimen ipsum, N. Itaque cum puella jure suo cedere possit quoad reparationem damni temporalis, imo nullum forsan ex hac parte jus habere possit, non est mirum, quod qui eam volentem constupravit, ad nullam ex eo capite restitutionem teneatur; sed cum eadem jure suo cedere nequeat seu quoad corporis integritatem, seu quoad novæ ruinæ spiritualis periculum, tenetur stuprator damna hæc, quantum poterit, compensare, & avertere, precibus scilicet ad Deum fusis, stipa pauperibus erogata, &c.

Hic notandum feminam teneri ad resistendum omnibus, quibus potest, modis, præsertim vicinorum opem clamoribus implorando, etiamsi (modo tamen clamor speretur profuturus) stuprator districto in ejus pectus pugione mortem comminetur; quia certum usque ad gradum consentit, quæ non resistit, quantum licite potest. Unde Deuter. 22. puella in civitate oppressa lapidari jubetur, *quia non clamavit.* Hinc jure proscripta est a Clero Gallicano an. 1700. hæc propositio: *Potuisset Susanna in tanto periculo infamiæ, & mortis negative se habere, & permittere in se eorum libidinem, modo interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata, & execrata fuisset*, tamquam *temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, erronea, & legi Dei contraria.*

CONCLUSIO II. Probabilius est puellam virginem, quæ turpem coitum desiderat, aut in ejus cogitatione morose oblectatur, virginitatis suæ circumstantiam confiteri debere: idem dicendum de eo, qui virginis copulam appetiit.

Prob. quia circumstantia virginitatis mutat speciem peccati. Efficit enim, ut pravus animi affectus sit stuprum spirituale, sicut affectus, qui pro objecto habet conjugatam, est spirituale adulterium; ergo. Hæc conclusio est in praxi admodum dura; quis enim audito in confessione mali desiderii peccato, puellam jam grandævam, aut Monialem facile interroget, an sit virgo? Aliud tamen docere non ausim.

Quæres ad quid teneatur stuprator respectu virginis a se vitiatæ. R. id a nobis expensum iri alibi. Unum hic addam, nempe si aliquo in loco puellæ sub promissione matrimonii facile seducerentur, melius futurum esse, ut eæ promissiones, forte etiam juramento confirmatæ, nihili ducerentur ab Episcopis, utpote totidem libidinis incentiva.

Raptus est violenta alicujus personæ abductio causa libidinis explendæ, vel contrahendi cum ea matrimonii. Circa hoc

Dico I. Raptus grave est, & speciale luxuriæ crimen, quia opponitur castitati simul, & justitiæ. Castitati quidem, quia raptor actum venereum exercere intendit vel extra matrimonium, vel in matrimonio quidem, sed indebite contracto. Justitiæ vero, quia violatur jus personæ raptæ, vel eorum, sub quorum potestate, ac cura existit. Jus porro aliter læditur in raptu, quam in stupro, adulterio, &c.

Dico II. Non omnis raptus ejusdem est gravitatis; sed is inter feminarum raptus ordo esse videtur, ut gravissimum peccatum sit raptus Monialis, deinde ejus, quæ simplex castitatis votum fecit, postea consanguineæ * vel affinis, conjugatæ demum, virginis, viduæ, & meretricis. Ita Sylvius, qui addit multo plus peccatum iri, si masculus masculum, feminam femina nefariæ libidinis intuitu raperet.

Quæres quæ constitutæ sint Jure canonico raptoribus pœnæ. R. eas haberi in Tridentino Sess. 24. c. 6. de Reformat. Matrim. Prima est, ut *inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum* possit *consistere matrimonium.* Secunda, ut *raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant.* Tertia, ut *teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Adulterium est illicitus concubitus conjugatorum, utriusque, vel alterius. Hinc adulterium dividitur in simplex, & duplex. Simplex est carnalis copula conjugatæ cum soluto, vel solutæ cum conjugato. Duplex est concubitus conjugati cum conjugata alterius. Jam.

Dico I. Adulterium est gravissimum luxuriæ crimen a ceteris specifice distinctum.

Prob. 1. pars ex Proverb. 6. *Qui adulter est, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Job. 31. adulterium vocatur *nefas, & iniquitas maxima, ignis usque ad perditionem devorans*, &c.

Prob. II. Gravitas pœnarum delicti gravitatem arguit: atqui adulterium gravibus semper obnoxium fuit pœnis, morti scilicet, idque Dei, & hominum judicio: Dei quidem; ut liquet ex Levit. 20. ubi jubentur occidi adulter, & adultera; hominum vero etiam divina lege destitutorum: sic enim de Rebecca Isaaci conjuge ajebat Abimelech Genes. 26. *Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur*: sic & Romani adhuc Gentiles capita plectebant adulteros.

Suas etiam adulteris pœnas, easque gravissimas indixit Ecclesia, nempe annorum 25. pœnitentiam, ut patet ex Can. 58. apud S. Basilium.

Prob. 2. pars, quia adulter ultra fornicationis crimen Sacramento injuriam facit, lædit compartis jura, officit bono prolis, nocet familiæ, scandala ciet, malisque innumeris se objicit, ut docet omnium temporum experientia.

Dico

* *Expendent alii an gravius peccaret, qui sororem, aut amitam raperet, quam qui puellam simplici castitatis voto ligatam.*

Dico II. Datur adulterium aliud alio gravius.

Prob. tum quia gravius est adulterium duplex, quam simplex, cum istud jus unum, illud jura duo violet; tum quia deterius est adulterium conjugatæ cum soluto, quam conjugati cum soluta. Vel enim copula conjugatæ cum soluto generationi nocet, ut sæpe fit, & tunc graviter peccatur contra maritum, qui liberis scelesle orbatur: vel mulierem, tametsi a duobus cognitam, parere contingit; & tunc dubia proles, & forte plus quam dubia, hæreditatem, ad quam nullum habet jus, cum legitima prole dividit: hæc porro incommoda conjugati cum soluta copulam non sequuntur.

Quæres I. an adulterium consentiente marito commissum, veri adulterii rationem habeat. R. affirmat. I. quia ex Rom. 7. ad adulterium nihil aliud requiritur, quam accessus ad non suam: *Mulier enim vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*: atqui posito etiam mariti consensu stat eum, qui peccat, accedere ad non suam; ergo stat eum vere adulterum esse.

II. quia adulterium id habet mali: I. quod noceat generationi, aut congruæ educationi prolis. II. quod violet Sacramenti sanctitatem. III. quod lædat jus maritale: atqui triplex hoc mali genus habet adulterium etiam de consensu mariti perpetratum: I. enim nocet vel generationi, vel congruæ prolis educationi. Quis enim, generaliter loquendo, eandem spuriæ, aut dubiæ prolis curam geret, quam certæ? Nemo sane, nisi metaphysici supponantur casus, qui esse possunt, nec sunt unquam. II. violat dignitatem Sacramenti, cui maritus quantumcunque velit, renuntiare non potest. III. demum lædit jus maritale. Ideo enim non læderet, quia maritus est volens, & volenti non fit injuria: atqui hæc ratio nullius est momenti: quia reipsa maritus non est volens valide, nec nisi invalide jure suo cedere potest. Totum enim mariti jus in eo fundatur, quod ipse, & uxor sint caro una; ergo non aliud habet jus in uxorem, quam habeat in membra sua: atqui jus hominis in propria membra, eo totum reducitur, ut iis uti possit, non ut de iis possit pro nutu disponere; sicut ergo vere injustus est, qui alii volenti membra abscindit, ita & qui alterius volentis uxore abutitur. Jure ergo propositionem istam reprobavit Innocentius XI. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum*.

Quæres II. de quibus interrogandi sint adulteri.

R. præter ea, quæ pro fornicariorum examine superius dicta sunt, interrogandos esse adulteros. I. an adultera ex illicito coitu conceperit. II. an proles ex mariti bonis nutriatur ut legitima. III. an eadem proles cum legitimis filiis successerit hæreditati sibi indebitæ. IV. an non adulter cum socia criminis familiæ suæ bona dilapidet. V. an non habeat cum eadem consuetudinem peccandi, an uterque sit conjugatus.

Quæres III. an ejusdem nequitiæ sit adulterium cum infideli, ac cum Christiana. R. esse minus, quatenus non læditur Sacramentum; posse vero esse gravius, deterrendo Infidelem a conversione. De restitutione ab adulteris facienda dicam Tom. II.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Incestu, & Sacrilegio.*

INcestus est peccatum luxuriæ cum persona cognata, vel affine intra gradus prohibitos.

Dicitur I. *peccatum luxuriæ*, quia non solus coitus, sed tactus etiam impudici, aspectus, &c. inter personas consanguineas, aut affines participant rationem incestus, inducendo malitiam actus principalis, ad quem ordinantur.

Dicitur II. *cum persona cognata* sive cognatione carnali, sive legali, vel spirituali; ex ista enim fit, ut crimen sit sacrilegium, & incestus, ut patet ex c. 6. *De cognat. spirit.*

Dicitur III. *vel affine*, id est, quæ consanguinea fit illi, quam quis licite, vel illicite cognovit.

Dicitur IV. *intra gradus prohibitos* seu a natura, seu ab Ecclesia, quales sunt omnes gradus consanguinitatis, & affinitatis ex matrimonio contractæ usque ad quartum inclusive; affinitatis autem ex copula illicita usque ad secundum.

Quæres I. an copula Confessarii cum ea cujus confessionem exceperit, sit incestus. R. probabile est quod non. Est tamen concubitus ille quædam sacrilegii species eo gravior, quod fiat cum persona, quam Confessarius ex officio patris, medici, judicisque a peccato retrahere tenebatur, nedum ad illud allicere: unde circumstantia hæc in confessione necessario aperiri debet. Erit autem adhuc gravius peccatum: I. si Pastor ad crimen adducat; quia specialiter incumbit ei cura spiritualem ovium suarum perniciem avertendi. II. si Confessarius, quisquis ille sit, sollicitet in ipsa confessione, aut occasione, vel prætextu illius: ut si ad turpia eam inducat, cujus fragilitatem ex confessione didicit; aut si eam crebro invisat, specie quidem quasi spiritualem ipsius animæ curam habiturus, reipsa autem ut pudori ejus insidias struens: quia in his casibus Sacramentum, aut saltem pietatis larva assumuntur instar medii ad peccatum.

(✠)Benedictus XIV. in Constit., quæ incipit: *Sacramentum pœnitentiæ*, dat. Romæ die 1. Junii 1741. *interdicit, & prohibet, ne aliquis Sacerdos tam Sæcularis, quam Regularis cujuscunque ordinis, ac dignitatis &c., extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacunque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tanquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per præsentes ipsi S. Pontifex adimere intendit.*

Præterea subjungit ibi S. P. *Nihilominus si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, no-*

*nostrisque Successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat: Declarantes etiam, & decernentes, quod nec etiam in vim cujuscunque Jubilæi, aut etiam Bullæ, quæ appellatur Cruciatæ Sanctæ, aut alterius cujuslibet Indulti confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique Sacramentalem absolutionem elargiri, cum ad hunc effectum, & in hoc casu nullus Confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati, & pœnitentis genere jurisdictione, ut præfertur, careat, & absolvendi facultate a nobis privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo, & approbato. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quæ nuncupantur Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilæi universalis, & plenarii, necnon quibusvis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus .... quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Cum postea nonnullæ exortæ sint super hac Constitutione inter Theologos disputationes, *ne lex*, inquit S. Pater in Decreto, cujus initium: *Apostolici muneris, incertis conjecturis, & opinionibus jactata in sensus a mente nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur*. Hinc confirmata laudata Constitutione *Sacramentum pœnit.* declarat Sacerdoti in prædicto turpi peccato complici *ita interdici re ipsa, & prohiberi* confessionem complicis audire, & absolvere, *ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere, ac absolutionem impertire.*

Quod si alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in mortis articulo personæ complicis confessionem sine aliqua gravi infamia, vel scandalo vocari, aut accedere nequeat; *tunc vult* S. Pontifex *alium Sacerdotem perinde haberi, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedientiæ, laesisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque illius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constit. declaramus, & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus.*

Tandem vult Summus Pontifex, quod si Sacerdos neglectis iis, quæ hic notata sunt circa infamiam, & scandalum nulla cogente necessaria caussa absolutionem largiri præsumserit, validam futuram esse absolutionem, at ipsum Sacerdotem reum declarat pœnis in laudata Constit. latis. (✠)

Hic notand. I. disciplinam Parisiensis Ecclesiæ circa peccata pœnitentem inter, & Confessarium, his nunc exprimi verbis: Reservatur D. Archiepiscopo *concubitus Confessarii cum pœnitente, & pœnitentis cum Confessario .... Item Parochi cum parochiana, & parochianæ cum Parocho .... Sacerdoti conscio cujuscunque tactus impudici adimitur, ipso facto omnimoda facultas audiendi unquam confessionem ejus, cum quo, aut qua crimen admisit, ipsum, aut ipsam absolvendi sub quovis pretextu, etiam tempore Jubilæi*. Ubi nomine tactus impudici ille solum intelligitur, qui peccatum sit letale, cum species quædam gravissimæ suspensionis leves ob causas non infligatur; & hoc indicat nomen *criminis*, quo utitur Illust. Archiepiscopus. In hac materia quandoque pro levi habetur, quod grave est; unde vel ipsam mali speciem caute effugere debet Confessarius Deum timens, & famæ suæ studiosus. Hinc docet Lametus (v. Confesseur *cas.* 3.) Confessarium, qui pœnitentem tetigit minus pudice, aut ab eadem pari modo tactus est, nunquam extra casum magnæ necessitatis eandem audire posse in tribunali.

Not. II. pœnitentem aliquando teneri, non quidem vi constitutionis Gregorii XV., quæ in Galliis promulgata non est, sed vi juris naturalis, ad denuntiandum Ordinario infamem Confessarium, qui confessionis occasione utitur, ut suos, suasve pœnitentes ad turpia sollicitet. Verum hic multiplici opus est prudentia, præsertim in iis, qui denuntiationem recipiunt, aut consulunt.

(✠) Plura sunt, quæ adversus Confessarios sollicitantes Romani Pontifices edidere decreta. Paulus IV. ann. 1561. 16. Aprilis, Pius IV. 1564., Clemens VIII. 1592., Paulus V. 1608., Gregorius XV. 1622 Verum hæc omnia, atque ea ipsa, quæ ad horum interpretationem, & declarationem fuere emanata, confirmat Constit. Bened. XIV., cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, dat. Romæ die 1. Junii an. 1741., satis erit, quod in pauca contrahamus, quæ S. Pontifex adversus sollicitantes Confessarios in hac Constitutione decernit.

Primo igitur n. 1. & 2. Constitutionis prædictæ decernit, quod *denunciandi sunt omnes, & singuli Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares, sive absolvendi jurisdictione, & auctoritate polleant, sive careant*; adeoque denunciandi sunt Sacerdotes, qui fingunt se esse Confessarios, cum non sint, non autem Laici, vel Clerici.

Secundo *Qui aliquem pœnitentem, quæcunque persona illa sit; sive pro se ipso, sive pro alia persona sollicitatio peracta fuerit*. ita num. 1. & 2., quapropter etsi sollicitaverint masculos, denonciari debent, quod & asserit Card. Cozza, *in dubiis selectis circa sollicitationem*; ubi refert Paulum V. an. 1612. declarasse hoc comprehendi in Constit. Pii IV.

Tertio. *In actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem*: ita num. 1. Hinc denunciandi sunt, qui ad turpia sollicitaverint pœnitentem paratum ad confessionem, vel confessionem petentem, quod esset *immediate ante*. Quod si peracta confessione chartam ad turpia provocantem illi legendam traderet, vel verbis obscœnis illum ad turpia excitaret, hoc esset *immediate post*.

Ale-

Alexander VIII. ſequentem hac de re damnavit propoſitionem, quæ eſt num. 6. *Confeſſarius, qui in ſacramentali confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.*

Quarto. *Vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem.* num. 1. Occaſione confeſſionis quis ſollicitat, qui ex ipſa confeſſione ad turpia pœnitentem provocandi arripuit. Adeoque denunciandus eſt: I. qui ex ipſamet confeſſionis petitione motivum ſumſit ſollicitandi. II. qui ex cognita in confeſſionis actu pœnitentis ad turpia proclivitate, illum verbis, aut ſignis ad inhoneſta provocavit. III. cum ex confeſſionis notitia pœnitentem incitavit ad turpia. Prætextu vero confeſſionis ſollicitat, qui pœnitentem invitat ad confeſſionem, & nulla poſtea facta confeſſionis mentione ad venerem provocat. *Vel etiam extra occaſionem confeſſionis*: I. in confeſſionali ordinario. II. in loco quocunque ab illo diſtincto, ubi confeſſiones audiuntur, e. g. in cellulis Religioſorum, in Sacriſtia, vel in alio loco ad audiendas confeſſiones ſponte electo; in quibus locis, primo excepto, ſi quis ad turpia ſollicitet non eſt denunciandus, niſi vel confeſſiones audiat, vel audire ſimulet.

Quinto, *ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint.* num. 1. *Inhoneſta, & turpia* hic dicuntur ſoli actus venerei, vel qui ad venerem referuntur.

Sexto, *Sive ſollicitatio inter Confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit.* num. 2. Refert Card. Cozza a Suprema Inq. die 27. Jan. 1613. Romæ *decretum fuiſſe, quod Confeſſarius, qui mulierem pœnitentem, ante ejus pedes ſigno crucis munitam, ſollicitat, dicens ei, nolle ei ſuam confeſſionem audire pro tunc, ut commodius ſollicitet, ſit denunciandus.*

Septimo. *Vel longum tempus poſt ipſam ſollicitationem jam effluxerit.* num. 2. Adeoque tandiu manet in pœnitente denunciandi onus, donec ipſe ſatisfecerit.

Tandem monet Confeſſarios, *ut inſuper diligenter caveant, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos ſacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant.* num. 2.

Contra perſonas autem, quæ innocentes Sacerdotes ſollicitationis accuſare audent, ita animadvertit: num. 3. *Quæcunque perſona, quæ tam execrabili flagitio ſe inquinaverit vel per ſe ipſam innocentes Confeſſarios calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat; a quocunque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, aut dignitate munito, præterquam a Nobis, noſtriſque Succeſſoribus, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, ſpe abſolutionis obtinendæ, quam Nobis, & Succeſſoribus prædictis, perpetuo retinet.*

Silentio præterire hic non poſſumus in Congreg. gener. Inquiſ. die 5. Auguſti 1745. coram SS. Ben. XIV. definitum fuiſſe, quod *Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuſcunque ordinis &c. vel in actu ſacramentalis confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu ad turpia ſollicitantes, vel ſacrificio Miſſæ abutentes ad ſortilegia, præter pœnas a jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter San. Mem. Sixti V., & Greg. XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem, quodque hujuſmodi decretum ſignificetur ſingulis cujuſcunque Ordinis Superioribus, ac Præpoſitis, ad hoc, ut de iſto, ſicuti & de prædictis, aliiſque Sum. P. Conſtitutionibus certiores fiant.* Ad hæc Alexander VII. hanc proſcripſit propoſitionem, quæ num. ſeptima eſt. *Modus evadendæ obligationis denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.* (✠)

Quæres II. an crimen ſodomiæ, contrahat malitiam inceſtus in iiſdem gradibus, in quibus eam contrahit fornicatio. R. affirm. quia apud fideles unanimi quodam ſenſu receptum eſt, ut non diverſi ſolum, ſed & ejuſdem ſexus perſonæ ſpectentur tanquam affines; ergo quidquid eæ inter ſe contra caſtitatem admittunt, participat naturam inceſtus.

Quæres III. quale peccatum ſit inceſtus, & an inceſtus quilibet ejuſdem ſit ſpeciei.

R. ad I. inceſtus graviſſimum eſt crimen. Patet id I. ex Levit. 20. ubi diverſis inceſtuoſorum gradibus mortis pœna conſtituitur, quia *rem nefariam* operati ſunt. Accedit gravis pœna ab Apoſtolo lata in inceſtuoſum, qui ſatanæ traditus eſt *in interitum carnis*. (*I. Cor.* 5.°)

II. ex S. Auguſtino, qui Lib. de adulter. conjug. ait: *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab inceſtu.*

III. quia inceſtus repugnat ſingulari reverentiæ, quam natura ipſa erga conſanguineos inſpiravit non hominibus ſolum, ſed & belluis: narrat enim Ariſtoteles camelum, qui ex ſtabularii fraude coierat cum matre ſua, deceptorem ſuum interfeciſſe; equum vero pari arte deluſum, ex alto jactaſſe ſe in præceps.

R. ad II. dari inceſtum alio graviorem: unde in confeſſione exprimendum eſt, quo in gradu peccatum fuerit. Ratio eſt, quia inceſtus cum matre gravior eſt, quam cum filia; cum filia gravior, quam cum ſorore, cum ſorore gravior, quam cum conſobrina; cum noverca gravior, quam cum uxore fratris: uno verbo gravior eſt inceſtus, quo propinquior eſt conſanguinitatis, vel affinitatis violatæ gradus.

Quæres IV. quas incurrat pœnas, qui peccavit cum uxoris ſuæ conſanguinea. R. eum, ſi inceſtum in primo, aut ſecundo gradu conſummaverit, non poſſe jam ſine peccato mortali petere debitum, niſi antea diſpenſationem obtinuerit, quam hodie moris eſt, ut concedant Epiſcopi.

Sacrilegium hic definitur peccatum venereum, quo res, aut perſona ſacra violatur.

Sacrilegium, ratione rei sacræ, committitur ab iis, qui actum quemlibet venereum exercent in loco sacro, qualis est Ecclesia quævis sacro cultui inserviens, vel Cæmeteria, aut Capellæ, Episcopi auctoritate ad cultum Dei deputatæ. Ecclesiæ vero nondum benedictæ, Monasteria quoque, dormitoria, vel cubicula Religiosorum, non sunt locus sacer ad effectum constituendi illius, de quo nunc loquimur, sacrilegii. Idem est, juxta Sanchem, & Sylvium: I. de spelunca constructa sub Ecclesia, nisi hæc destinata sit ad sepulturam fidelium. II. de turri ubi collocantur Ecclesiæ tintinnabula. III. de oratoriis sine Episcopi auctoritate erectis, ac etiam de locis illis, quæ neque sunt benedicta, neque divino cultui mancipata, tametsi ex Episcopi licentia interdictum ibi celebretur.

Ego quidem facile cum his auctoribus crediderim non pollui Ecclesiam, si quis vel supra tectum ejus, vel extra lineam, quam attingunt valvæ, cum occluduntur, fornicationem, aut homicidium commiserit: sed difficile credam crimen in ipso templi limine, & quasi sub oculis Christi admissum, non esse deterius eo, quod alibi perpetraretur. Certe qui sub Regis fenestra tale quid moliretur, gravius vapularet. Unde si quis eo usque deliret, ut in tali loco delinquat, ad minus suadebo, ut circumstantiam hanc aperiat, eumque graviori multandum pœnitentia censebo. Hic repetenda quæ dixi supra pag. 155. c. t. Jam de sacrilegio ratione personæ,

Dico illud esse peccatum grave, & eo gravius, quo magis Deo dicata est persona, quæ castitatem lædit, & inhonestior actio, qua se inquinat.

Prob. 1. pars: I. quia si fornicatio Christiani præcise qua talis, sit crimen adeo fœdum, ut *membra Christi faciat membra meretricis* (*I. Cor.* 6.) quanto deterior erit culpa illius, qui consecrationem suam impie violaverit? Senserunt id Ethnici, qui Vestales suas, licet infamibus diis mancipatas, crudeli morte, si quando pudicitiam temerassent, conficiebant. Quod ergo ad fideles omnes dicit Apostolus (*Ephes.* 5.) *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*, majorem in Clericis sacris locum habere debet.

Prob. II. ex gravibus pœnis, quæ adversus Clericos sacrilegii reos sancitæ sunt. *Qui post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit*, ait S. Gregorius Lib. 3. Ep. 26. *sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat.* Quod si, ait idem S. Papa in Epist. ad Lucensem Episcopum, Presbyter pro crimine hoc a Sacerdotii ordine dejectus, ministerium suum exercere præsumserit, sacra Communione privatus in pœnitentiam redigatur, *ita ut usque ad diem obitus sui in eadem excommunicatione permaneat, & viaticum tantummodo exitus sui tempore percipiat.*

Prob. 2. pars, quia eo gravior est noxa, quo gravior est ejusdem materia, & gravius prohibita: atqui sodomiæ v. g. materies gravior est, quam adulterii; & hæc gravior est, quam fornicationis: aliunde hæc gravius prohibita est Sacerdoti, quam Diacono, Religioso, quam seculari personæ, quæ se simplici tantum voto constrinxerit; ergo.

Hinc, ut rite detegatur sacrilegii culpa, & gradus, aperire debet pœnitens voto ligatus: I. an seipsum fœdaverit cogitationibus, desideriis, aspectibus, tactibusve impudicis. II. an non idem fecerit in persona alterius, quæ pari voto ligaretur. III. an simile quid passus sit ab alio, & quis ille sit. Neque satis est, ut qui castitatem solemniter vovit, dicat se fecisse contra votum: quia solemnis voti circumstantia peccati speciem mutat, vel peccatum aggravat notabiliter. Necesse tamen non est, ut quis iterati pluries voti circumstantiam aperiat, cum hæc delictum non aggravet ex communiori opinione; quia qui rem semel Deo promisit, non minus eam debet, quam qui millies: nec plus qui millies, quam qui semel.

Verum censeo eum, qui Religiosus simul, & Sacerdos fornicatus est, ad utriusque circumstantiæ declarationem teneri, quia duplicem violat consecrationem ratione sui maxime diversam. Unde etiam ei, qui contra castitatem deliquit, explicandum est, an sit Sacerdos, an Diaconus. Imo si quis (*ex Sylvio*) post emissum simplex castitatis votum solemne ejusdem virtutis votum emittat, utrumque declarari vellim: quia licet solemne votum supponatur non differre essentialiter a voto simplici, addit tamen circumstantiam status religiosi notabilissime aggravantem. Adde, quod in dubio ad Sacramenta pertinente pars tutior necessario sit amplectenda.

Quæres, an qui in sacris, & alba indutus impudici quidquam perpetrat, duplex committat Sacrilegium. R. affirmat. quia gravem ornamentis benedictis, & ad sacrificium, ejusve ministerium consecratis injuriam facit. Aliud est, si quis reliquias gerens peccet, nisi, quod rarum est, in earumdem contemtum delinquat.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Peccatis contra naturam.*

ETSI peccatum omne est contra naturam, quatenus rectæ rationi adversatur, ea tamen præcipue scelera contra naturam esse dicuntur, quæ repugnant ordini a natura præscripto ad humani generis propagationem. Is autem ordo exigit: I. ut duo commisceantur, contra quod facit pollutio. II. ut iidem ejusdem sint naturæ, contra quod facit bestialitas. III. ut sint diversi sexus, contra quod est sodomia, &c. De his omnibus dicenti adesto, Deus, sed & adesto legenti.

Mollities, seu pollutio, est voluntaria seminis ejaculatio extra concubitum. Circa eam quæritur: I. quale sit peccatum. II. an, & quando poni possit actio, ex qua eadem secutura prævidetur. III. an licitum sit eandem desiderare, &c.

Dico I. Mollities est peccatum letale ex natura rei.

Prob. 1. pars ex Apostolo I. Cor. 6. ubi sic: *Neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* Et vero actio Onam, qui semen fundebat in terram, dicitur res detestabilis, Genes. 38.

Prob.

Prob. 2. pars: I. ex censura hujus propositionis, quæ inter damnatas ab Innocentio XI. est n. 49. *Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

II. Ideo mendacium est contra naturam, quia est contra finem, ad quem instituta est loquela: atqui pariter mollities est contra finem, ad quem institutum est semen humanum; is enim finis non est alius, quam humanæ speciei conservatio; ergo. Atque hinc mollities est quid pejus fornicatione, ut docet S. Thomas, & alii passim.

III. quia mollities de se proximo peccandi periculo exponit; exponit enim periculo tum conquiescendi in misera ea delectatione, quæ mollitiem comitatur, tum prodigendi seminis in fornicatione, adulterio, &c. prout docet experientia.

IV. Si mollities naturali jure prohibita non sit, Gentiles destituti positiva Dei lege hoc crimen vetante, nihil fecissent mali corpus suum polluendo: atqui tam falsum, quam horribile consequens; ut hinc patet, quod Martialis, poeta ceteroqui minime scrupulosus, Ponticum quemdam tetri hujus sceleris mancipium acriter perstrinxerit.

Hinc colliges ne mortis quidem vitandæ causa licitum esse minimam mollitiem sibi procurare, sive, etiam eum in somnis cœpit, cooperari. Unde plus, vel minus peccat, qui fluentis seminis tempore evigilat, *si ei pollutio propter delectationem placeat. Quod quidem erit veniale peccatum, si fit ex subreptione talis placentiæ* (*ex S. Thoma*), aut sentiatur a semidormiente: *mortale autem, si fit cum deliberato consensu, & præcipue cum appetitu futuri.*

Quæres, an omnis pollutio ejusdem sit gravitatis. R. negat. & id advertere debent Confessarii: I. enim gravior est, quæ aliena manu concitatur. II. quia quæ fit cum cogitatione personæ consanguineæ, sacræ, &c. participat malitiam incestus, sacrilegii, &c. III. quia gravior est mollities conjugati, quam soluti, quia per primam violatur fides conjugalis, exigens, ut conjugum alter alteri corpus suum caste conservet.

Quæres iterum, an mollitiei malitia invincibiliter ignorari possit. R. vix id posse supponi, præsertim apud fideles: unde qui peccata sua pluries confessus, crimen hoc reticuisset, & causaretur se id ex ignorantia fecisse, ad iterandas confessiones teneretur: nisi fingantur hypotheses, quæ nusquam forte fuerunt a parte rei.

Dico II. Mollities, quam quis patitur etiam invitus, toties, & tunc duntaxat est peccatum, quoties oritur a causa, quæ vitari potuit, & debuit, tanquam hujus effectus productiva.

Prob. 1. pars. Pollutio toties peccatum est, quoties voluntaria est in se, vel in causa: atqui toties, & tunc tantum voluntaria est in causa, quoties causa hæc vitari potuit, & debuit; ergo.

Hinc qui vacat rei, quæ de se ad mollitiem notabiliter disponit, ut sunt aspectus turpes, cogitationes morosæ, lectiones, locutiones graviter impudicæ, reus est mollitiei subsequentis; quia hæc ex natura rei graviter, & directe tendunt ad excitandos venereos motus, & miserias, quæ inde sequi consueverunt, non quidem semper hic, & nunc, sed aliquanto post, saltem in somno. Quin & dici potest pollutionis, etiamsi forte non sequatur, malitiam prædictis actibus annexam esse, quoties prævideri potuit, ut forte semper potest, mollitiem inde sequi posse.

Si causa etiam in genere luxuriæ mala, non nisi venialiter mala sit, leviterque solum, ac remote influat in mollitiem, *verius videtur*, ait Sylvius, *quod quis non teneatur abstinere ab illa causa sub peccato mortali; quodque pollutio inde contra voluntatem proveniens solum sit peccatum veniale; quia non est voluntaria nisi leviter, & imperfecte.* Favet S. Antoninus 2. part. tit. 6. c. 5. *Si quis*, ait, *comedit nimis, vel nimis calida, ex quo dubitat sibi ex hoc sequi pollutionem in somnis, quia alias expertus est hujusmodi, non tamen propter hoc illa sumit, sed ut satisfaciat gulæ, non propter hoc est mortale.* Ubi tamen pondera S. Doctorem loqui de pollutione, non quacunque; sed *in somnis*; eaque non certo futura, sed utcunque dubia.

Quod *si causam* (*ex Sylvio*) *quidem prægnoscas, & possis vitare, sed non tenearis: pollutio inde subsequens non tibi imputabitur, modo nullum sit periculum consensus, quia per accidens, & præter voluntatem accidit ex miseria naturæ per peccatum corruptæ. Non teneris autem causam vitare, quando est aut necessaria, aut utilis, aut honesta, tuoque statui consentanea. Ita excusantur illi, qui præter voluntatem patiuntur pollutionem confessiones audiendo, turpia propter studium legendo, vel ea ad dandum consilium audiendo.* Chirurgi item, Medici, Infirmarii, qui ex officio impudica tangere tenentur, vel intueri; milites, iive, qui negotiorum causa ex equi motu ad mollitiem excitantur; ii demum, qui in tali situ non inverecundo recubant, alias non dormituri.

Dices. Qui vult causam, vult in ipsa effectum: atqui Confessarius, qui ex audita mulieris confessione mollitiem suam prævidet, vult ejusdem causam; ergo.

R. dist. maj. qui vult causam culpabiliter, vult effectum, idque magis, aut minus culpabiliter, ut dicam infra, C. qui vult causam inculpabiliter, N. Itaque qui vult culpabiliter causam, censetur & effectum velle: sic qui ad iram celer vult ebrietatem, judicatur velle homicidium in ea forte perpetrandum: sed qui legitimam habet rationem volendi causam de se honestam, non censetur velle, sed solum permittere effectum ex ea sequentem: sic Princeps, qui turrim hostilem dejicit, immunis est ab innocentium morte, tametsi hæc actioni suæ quasi necessario annexa sit.

Hic obiter animadvertendum, quidquid de mollitiei causis diximus, ob paritatem rationis applicandum esse causis, quæ pariunt vehementes motus in partibus venereis.

Circa tertiam quæstionem, an optare liceat pollutionem somni tempore, aut gaudere, quod ea sic evenerit, constat: I. eam non posse desiderari ea affectu venereo, cum consentire libidini sit res intrinsece mala: qua etiam de causa nefas fuerit de eadem

 gau-

gaudere ex affectu libidinoso. Constat II. nec eandem appeti posse propter se, & præciso quocunque fine utili: sic enim amaretur propter libidinem, quæ tunc unica esset ejusdem amandæ ratio. Tota igitur difficultas est, an eandem desiderare liceat ob finem bonum, puta intuitu sanitatis, aut vincendæ tentationis, quæ ex pleniori seminis abundantia quandoque exurgit.

Dico III. Non licet mollitiem appetere, vel de ea gaudere ob prædictos fines.

Prob. 1. pars: I. quia pollutio est intrinsece mala, sicut & homicidium: porro non licet rem ex natura sua malam desiderare. II. nemo id appetere potest, quod etiam inchoatum impedire tenetur, si possit: atqui tenetur quis inchoatam mollitiem impedire si possit; ergo.

Obj. Mollities prædicta non esset peccatum, quandoquidem supponitur contingere in somnis absque ulla præcedente causa; ergo.

R. Hinc sequitur licitum non esse lætari de pollutione in somnis habita; quia de eo gaudere non licet, quod non licet appetere. Licet tamen rem detestando de felici, quem habuit, exitu gaudere: & sic intelligi potest id S. Thomæ: *Si placeat pollutio, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur.*

Jam dicendum de cæteris contra naturam peccatis. Hæc enim materia licet fœda, haud tamen prætermitti potest, præsertim quia sodomia, & bestialitas ubique fere sunt inter casus reservatos. Itaque

Sodomia ut sic, est Coitus libidinosus cum persona indebita, seu ejusdem sexus, vel debita quidem, sed in vase indebito. Hinc sodomia duplex: perfecta una, altera imperfecta. Prior, quæ sodomiæ nomine communius intelligitur, est concubitus masculi cum masculo, feminæ cum femina. Posterior est concubitus viri cum femina extra vas naturale; & hæc species differt a perfecta. Unde negant plures eam esse reservatam in Diœcesibus, ubi reservatur sodomia simpliciter dicta. Ethica amoris, &c.

Bestialitas est coitus cum bruto: ad eam reducitur concubitus viri, aut mulieris cum dæmone succubo, vel incubo, si quis sit. Jam

Dico immania sunt sodomiæ, & bestialitatis crimina, pejus tamen bestialitatis.

Probatur 1. pars. I. Genes. 19. Deus civitates quinque nefandi hujus sceleris reas, ultricibus flammis abolet. Rom. 1. idem illud scelus exhibetur ab Apostolo, ut cæcitatis, ac furoris apex, superbiæque, & idololatriæ par remuneratio. *Feminæ eorum*, inquit, *immutaverunt naturalem usum in eum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis ... Et sic tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

Prob. II. quia graves, & acerbæ pœnæ seu civili jure, seu canonico Sodomitis constitutæ sunt. Civili quidem pœna ignis, secundum id Cod. Theodos. *hujusmodi scelus, spectante populo, flammæ vindices expiabunt.* Jure autem canonico, præsertim Bulla 72. Pii V. privatio Clericalis privilegii, officii, & dignitatis cujuscunque. Etsi vero Bulla hæc recepta non est in Galliis, ibi tamen receptum est, ut Clericus sodomita a solo judice seculari, non autem ab Officiali judicetur.

Prob. 2. pars: I. ex Levit. 20. *Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite*: quod hodieque in judiciis observatur apud nos. II. ex Canone xi. Pœnitentiali, ubi sic: *Qui coierit cum brutis, pœniteat plusquam septem annis.*

Prob. 3. pars ex S. Thoma 2. 2. q. 154. art. 12. ad 4. ubi sic: *Gravissimum est peccatum bestialitatis, quia non servatur debita species. Unde super illud Genes. 37. cap.* Accusavit fratres suos crimine pessimo, *dicit Glossa, quod cum pecoribus miscebantur. Post hoc autem est vitium sodomiticum, cum ibi non servetur debitus sexus.*

Circa hæc quædam a Confessariis sunt observanda: I. si persona conjugata sodomiam committat, debet conjugii sui statum aperire, quia grandem matrimonio, & alteri conjugi injuriam facit. Similiter prope de causa exprimendum est, an personæ sint consanguineæ, affines, vel Deo sacræ; quia tunc sodomiæ accedit incestus, & sacrilegium aliquando duplex, si utraque persona sit Deo sacra. Si puellam a muliere turpiter tractari contingit, exprimenda erit circumstantia labefactatæ virginitatis.

II. Exprimi etiam debet quis agens fuerit, quis patiens, quia longe turpior est agentis conditio, quam patientis.

III. Qui coierit cum bestia, non tenetur exprimere, cujus ea speciei foret; nisi, ajunt aliqui, ea tam sordida esset, & turpis, ut in ejus congressu immanior se proderet libido.

Ex dictis colliges quam juste proscripta sit ab Alexandro VII. hæc propositio: *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Certe enim peccata hæc tam differunt specie infima, quam furtum, detractio, & homicidium, quæ eidem justitiæ virtuti adversantur.

## ARTICULUS QUINTUS.

*De peccatis Luxuriæ non consummatæ.*

LUxuria non consummata, quam alii simpliciter vocant impudicitiam, ea est, quæ ad mollitiem usque non progreditur, eaque ut plurimum consistit in aspectibus, osculis, tactibus venereis, turpiloquio, scriptura, pictura, indecenti mulierum ornatu, choreis, & spectaculis.

### SECTIO PRIMA.

*De Osculis, Tactibus, &c.*

IN hac difficili materia suppono I. cum S. Thoma, ( 2. 2. q. 154. a. 4. ) *osculum, amplexus, vel tactus, secundum suam rationem*, id est, ex natura rei non esse *peccatum mortale*, imo nec veniale; quia *possunt hæc absque libidine fieri*, &c.

Suppono II. oscula cuipiam ob triplicem finem li-

bari posse: I. in signum amicitiæ, pacis, urbanitatis, &c. II. præcise ob sensum delectationis illius organicæ, quæ ex ipso osculo exurgit, & quam necessario experitur, qui teneram infantis carnem osculatur. III. ob delectationem venereem. Cum autem delectatio veneree sit complecentia in re venerea, & res veneree sit vel fornicatio, aliusve quilibet ectus exterior luauriæ, vel deliberate ejusdem cogitetio seu imaginatio; satis evidens est (ex *Sylvio*) osculum libidinosum esse illud, quod fit cum animo, aut saltem cum gravi periculo degustandi delectationem cernelem; eam nempe, quæ est cum voluntate copulæ, aut cujusvis alterius speciei luauriæ, eut cum voluntarie, & affectuosa ipsius imaginatione, quamvis nulla sit voluntas consummandi eos luauriæ actus. His præmissis

Dico I. Oscula honesta secundum patriæ consuetudinem facta, causa emicitiæ, urbanitatis, & pacis, non sunt peccata.

Prob. tum quia primævi fideles etiam diversi sexus se invicem salutabent in osculo sancto, tum quia nulla ibi apperet turpitudo, cum oscula hæc tantum sint signa unionis animorum, amicitiæ, & honestatis.

In his tamen omnibus servandum est decorum personæ, & cevendum a scandalo. Nam quod Religiosi, aut Clerici seculares per oscule emicitiam, aut benevolentiem puellis, mulieribusve etiam consanguineis testentur, neque deceos est, neque caret periculo scandali, idem est, si Religiosæ viros etiam cognatos deosculentur.

Duo hic moventur dubia: I. quid juris, si dum oscule secundum se licite dentur, aut recipiuntur, sentiantur motus sensualitetis. II. an femina, quæ advertit eum, e quo tangitur, secundum loci consuetudinem, & sub honestatis specie, reipsa libidinoso erga eum affectu moveti, contra niti tenceatur.

R. ed I. cum Sylvio, amplexus tales, cum subest causæ, esse licitos, modo voluntas in ejusmodi motus, ac delectationem non consentiat.

R. ad II. Si tactus est impudicus, mulier tenetur eum impedire, sive palam attentetur, sive in secreto: quia alioqui cooperaretur ad actum hic & nunc malum. Si vero tactus de se nihil habeat impudici, (*Sylvius*) fiatque juxta ritum patriæ, tunc videndum, an aliqui præsentes sint, an non. Si 1. difficulter potest, cum subest periculum, ne prevem adstantium animis ingerat de proximo suspicionem. Si 2. id est, si nulli adsint, eut præsentes quidem sint aliqui, sed coram quibus citre incommodum, eut periculum scandali, possit mulier declinare contactum, seu retrahendo se, seu repellendo virum, tunc amplexum etsi de se honestum declinare debet; quie quisque proximi peccatum, quantum potest, arcere tenetur.

Dico II. Oscula, & tactus de se honesti, si ea mera levitete, joco, aliave simili causa fiant, juxta plures non excedunt peccetum veniale; modo absit affectus omnis libidinosus, & periculum gravis peccati tam in se, quam in alio, nec habite ratione constitutionis personarum veneream commotionem multum excitent: ab his temen omnibus severe est abstinendum.

Prob. 1. pers, quia secluso tum libidinis affectu, tum ejusdem periculo, prædicti empleaus non sunt mali secundum se, solamque habent malitiæ suæ causam: porro levitas, jocus, & similia non possunt actui de se honesto commonicare turpitudinem, quæ ad peccatum mortale pertingat.

Prob. 2. pars, quia hujusmodi lusus apud personas graves, & qui Deo sincere edhærcent, locum non hebent, sed passim apud juvenes ventosi, ec mobilis ingenii, & virtutis ad summum tepidæ: quis porro non credat ex prædicta jocandi ratione multo plus imminere periculi hominibus sic constitutis, & quibus in re jam utcunque periculosa non aspirat speciale Dei auxilium?

Dico III. Oscula propter delectetionem organicam dete obiter, & more solito absque ulterioris consensus periculo, ejusdem sunt conditionis, ac ea, de quibus actum est in Conclusione præcedenti. Ita S. Antoninus, Comitolus, &c.

. Prob. 1. pars: I. quie eatenus osculum est mortele, quatenus est libidinosum; nec tale est in principiis S. Thomæ, nisi quatenus fit cum consensu saltem interpretetivo *in delectationem peccati mortalis*: atqui oscula, de quibus agimus in præsenti, nec expressum, nec interpretetivum involvunt consensum in delectationem peccati mortalis. Se enim habeot in genere tactus, sicut in genere visionis habet se aspectus pulchræ mulieris: porro aspectus ille, si ob solam pulchritudinis delectationem fiat, ut fieri potest ab homine, qui & concubitum mulieris, & quamcunque de eo cogitationem, & ipsam forte mulierem detestetur, nec involvit nec involvere potest consensum in delectationem peccati mortelis. Hinc Christus Matth. 5. non dixit simpliciter: *Omnis qui viderit mulierem*, sed: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*.

II. quie venialiter tantum peccat, qui comedit ob delectationem gustus; ergo & qui propter organicem tactus suavitatem osculatur.

III. quie amplexus non sunt de se libidinosi, sed tantum ex intentione, aut periculo agentis: atqui & malam intentionem, & verum ejus periculum abesse supponimus.

(✠) Quæ in hisce propositionibus, tertia præsertim, Auctor docet, inter personas solutas, adultas, ac diversi sexus, quemvis metaphysice vera esse possint, attamen in præsenti corruptæ naturæ statu, ubi concupiscentiæ stimuli & frequentes, & ardentes sunt, periculo non carent, & fecile est, ut quis a delectatione organica in veneream prolebatur; hinc quum hujusmodi periculum evitare quilibet teneetur: ergo &c. Quare vel ipsimet Salmanticenses postquam tract. 26. cep. 3. num. 41. hanc metaphysicam versarunt quæstionem num. 48. concludunt *ejusmodi tactus, amplexus, & oscula in praxi, & moraliter esse peccata mortalia*. Et P. Diana, qui rigidus sane non est, hac de re loquens Tom. VIII. tract. 6. resol. 9. §. 1. inquit: *Sed ego puto contrariam* (Auctori

 feli-

scilicet) *sententiam tenendam esse, & in his materiis non esse laxandas habenas*.

Revera Sanctus Thomas dum docet 2. 2. qu. 154. art. 4. in c. quod *Osculum, amplexus, vel tactus secundum suam rationem non nominant peccatum mortale*, subjungit: *possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem, aut rationabilem causam*. At quisnam asserere audebit rationabilem caussam esse, velle hæc facere ob organicam tactus suavitatem? Quis ita desipiet, ut velit rationabilem caussam esse se exponere periculo gravissimo venereæ delectationis? Unde si Lessius lib. 4. de just. cap. 3. num. 64. loquens de tactibus per se licitis, sed ex abusu alterius solum illicitis, sapienter pronuntiat: *lege charitatis, ne videlicet alter peccet, tenetur hujusmodi contactus, si commode potest, declinare*, cui quoque subscribit Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogo cap. 6. n. 17. Eadem pariter charitatis lege, qua quilibet tenetur declinare gravissimum periculum in veneream prolabendi delectationem, abstinere se debet ab hujusmodi osculis, tactibus, & amplexibus. *Qui amat periculum*, ait Ecclesiastes, *peribit in illo*. Videatur liber, cui titulus est: *Difesa della Dottrina dell' Angelico Dottor S. Tommaso sopra l' articolo quarto della questione* 154. 2. 2. Lucæ editus an. 1746. a Philippo Maria Benedini, ubi Ecclesiasticæ potestatis mandato plura revocantur, & retractantur, quæ hactenus refutatis principiis affinia videntur (✠).

Quorsum ergo, inquies, damnata est propositio hæc: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*.

R. Damnata est, quia per delectationem carnalem communiter intelligitur delectatio venerea; porro, juxta S. Sedem, probabilis non est opinio, quæ in actu quocunque, propter intentam delectationem veneream etiam levem exercito, peccatum agnoscit solum veniale; de quo infra.

Objiciuntur duo: I. quod immunditia excludat a Regno Dei (*Ephes.* 5.): porro præfati amplexus ad immunditiam pertinent. II. quod moraliter fieri nequeat, ut a talibus osculis absit venereæ delectationis periculum.

R. ad 1. oscula solum libidinosa pertinere ad eam immunditiam, quæ per se excludit a Regno Dei.

Ad 2. dist. fieri nequit, ut annexum non sit grave periculum talibus osculis, si fiant morose, ac repetitis vicibus, aut modo inter probos insolito, C. si fiant *obiter, & solito more*, prout supponimus, N. Itaque oscula morosa, ea item, quæ fiunt vicibus aliquoties repetitis, semper sunt mortalia; tum quia per se non parum excitant spirituum genitalium commotionem, & delectationem veneream, quæ in hoc misero rerum statu physica quadam necessitate oritur ex delectatione sensibili diuturna, vel pluries repetita; tum quia saltem inducunt morale periculum consensus in delectationem morosam; adeoque sunt causaliter libidinosa, etiamsi forte non sequatur libido. Sed non est cur idem prorsus statuatur de quibuscunque genarum osculis: quanquam & ab iis sedulo temperare debent veræ castitatis amatores; tum quia in itinere tam lubrico facilis est descensus a sensibili delectatione ad veneream; tum quia qui moraliter certus est se libidinose commotum non iri, de persona, cui osculum figit, respondere non potest.

Dico IV. Oscula libidinosa inter personas etiam ejusdem sexus sunt peccata letalia.

Prob. quia complacentia deliberata de objecto mortali, puta de homicidio, furto, & similibus semper est mortalis: atqui osculum, cui annectitur delectatio venerea, importat complacentiam deliberatam de objecto mortali. Objectum enim delectationis hujus vel est repræsentatio copulæ, aut actuum, qui eo tendunt, vel saltem commotio spirituum generationi subservientium: atqui objecta hæc sunt graviter illicita. De copula, & actibus, qui ad eam proxime tendunt nulla esse potest difficultas. Sed neque seria moveri potest quæstio de spirituum genitalium commotione. Magis enim peccat qui eam per oscula inquirit, aut exortam libere approbat, quam qui cogitationi simpliciter morosæ indulget: & is tamen mortaliter peccat, ut alibi probavimus (*Pag.*162.*c.*2.): ergo & ille a fortiori peccabit mortaliter.

Et vero si delectatio quamvis modica de homicidio, modo sit deliberata, ex omnium opinione letalem culpam continet, eam a fortiori continebit delectatio quantumlibet tenuis de turpitudinibus modo assignatis, nisi excuset inadvertentia: quia communiter loquendo longe facilius est suam de alicujus occisione lætitiam moderari, quam pessimam, de qua loquimur, delectationem certos intra gradus sistere. Unde etsi delectatio venerea ex levitate materiæ levis fieri posset, semper tamen præsumenda esset gravis, ob periculum ulterioris consensus.

Hic duo observanda: I. quoties oscula veneream habent delectationem, exprimenda est circumstantia personæ etiam innocentis, cui datum est osculum; an voto ligata sit, an consanguinea, vel affinis; an alteri desponsata: quia actus turpis imbibit malitiam coitus, ad quem sua natura intendit. II. id quod de osculis dictum est, dictum censeri debere de tactibus, verbis amatoriis & similibus, quæ ad eandem veneream delectationem proxime disponunt. Et vero qui certas alieni præsertim corporis partes tangit, non movetur nisi libidine proprie dicta; atque etiamsi dum tangere incipit, fingeretur expers libidinis, quæ ridicula est hypothesis, proximum delectationis venereæ periculum subiret.

Porro ad libidinem graviter provocant: I. partes pudendæ, aut iisdem vicinæ, quas idcirco qui etiam trans vestes tetigerit, aut tangere simulaverit, graviter reus censeri debet. II. mamillæ potissimum puellæ jam puberis. Neque solum peccat, qui præfatas partes tangit, sed & quæ se in iis tangi patitur; tum quia alieno delicto cooperatur, tum quia etsi per impossibile deesset affectio libidinosa, non deesset unquam periculum ejus.

An autem, & quousque peccent nutrices, & ancillæ, quæ infantes tangunt in secretiori parte, definiendum est ex circumstantiis; unde quæ ex libidine

agunt

agunt, graviter; quæ ex necessitate sola, ne venialiter quidem delinquunt. An vero quæ sola curiositate moverentur, a gravi culpa immunes essent ob infantilem ætatem, ambigi potest. Mihi quidem satis dubium est, an non curiositati huic semper inhæreat nescio quis libidinis sensus. Unde multo satius fuerit hæc ad minus otiosa fugere, & cum admissa fuerint, confiteri ut dubia mortalia. Aliud esse potest de matribus, quæ quidquid prolis suæ est, stulto potius, quam obscœno amore tangunt.

Quæres quid sentiendum de aspectibus? R. Aspectus libidinosi seu nostri, seu personarum utriusque sexus, semper sunt mortales. Libidinosi vero sunt aspectus personarum diversi sexus, quoties fiunt in partibus pudendis, aut quæ pudendis vicinæ sint. Imo aspectus iidem inter personas ejusdem sexus debent reputari letales. Idemque de partibus proprii corporis aspectibus dicendum, saltem si morose fiant, & studiose.

Prob. 1. pars, quia actus quicunque cum libidine sufficienter deliberata, aut gravi ejusdem periculo exercitus, nunquam vacat a peccato mortali; neque ab eo propter materiæ levitatem excusari potest, ut infra dicam.

Prob. 2. pars, quia libidinosi sunt aspectus, qui fœdæ libidinis imagines animis ceteroqui purioribus potenter exprimere nati sunt: atqui tales sunt aspectus prædicti; idque verum, etiamsi res illæ e loco remoto conspiciantur: *David enim de longe vidit illam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope ..... numquid tu fortior quam David?* (*August. in Psalm.* 50.)

Prob. 3. pars, quia vir, qui viri verenda intuetur, gravi se periculo objectat: nisi jam gravi libidine ad aspectum hunc determinatur. Hinc qui se in rivis lavant, tenentur sub gravi occultos quærere secessus, ubi alienis, præsertim femineis intuitibus subducantur, propter evidens, quod alioqui præbebunt, periculum ruinæ.

Prob. 4. pars, quia turpes proprii corporis aspectus, saltem cum morose fiunt, vel oriuntur ex libidine, vel ad eam graviter, & periculose præparant. Atque licet aspectus illi a mortali excusentur, cum obiter fiunt, & ex sola curiositate; si tamen cum magna deliberatione, & ex proposito fiant, multo tutius fuerit eosdem, ut dubia letalia, ac proinde quoad numerum, & circumstantias confiteri.

Ex dictis colliges: I. graviter peccare feminas, quæ ut diaboli morem sequantur, prodeunt nudatis mammis, aut linteo coopertis tam exili, ut hac arte efficacius castitati insidientur. Et vero fieri nequit, ut nudata mulier pluribus ruinam non afferat, cum etiam cooperta decenter graves quandoque libidines excitet. Hinc innumeræ Synodi mulieres scandalose nudas absolutione, & Eucharistia donari veruerunt. Quapropter mulieres quoto tempore in eo statu vixerunt, vixerunt in habitu letalis peccati; unde præteritas confessiones iterare debent, cum & deliquerint ipsæ ad minus ex vanitate intoleranda, &, quod prævidere potuerant, innumeris hominibus, qui *oculos* habent *plenos adulterii* (*II. Petri* 2. 14.), spiritualem ruinam procreaverint. Quin & puellæ, quæ pietatem profitentur, habent sæpius, quod sibi hac in parte serio exprobrent, cum etsi mulieribus mundanis cautiores, nonnihil tamen indulgeant consuetudini, & amori proprio, ne, inquiunt, ridiculæ videantur. Emendandæ etiam sunt, quæ brachia nimis aperta gerunt. Sane hi defectus desinerent aliquando, si Confessarii facto agmine in eos conjurarent. Sed heu quam plures, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi! Quod si mulier in habitu vere immodesto ad sacram synaxim accedere ausit, erit hæc caute prætermittenda.

Colliges II. graviter reos esse tot omnis ætatis homines, qui in via, plateis, ipsis etiam templis sine attentione, ne dicam de industria, oculos quoquo versum intendunt.

Colliges III. graviter quoque ab iis Deum offendi, qui picturas, imagines, statuasve obscœnas faciunt, exponunt, aut intuentur, præsertim cum iis repræsentantur personæ grandiores. Ratio toties decantata est imminens venereæ delectationis periculum. Hinc prorsus neganda est absolutio iis omnibus, qui prædictas imagines, vel statuas fingunt, vendunt, aut retinent, nisi vel eas ad honestatem reconcinnaverint tam profunde, ut ad pristinum statum reduci non possint, vel eas penitus deleverint. Et vero qua ratione impendi possit absolutio iis, qui non unius tantum peccati, sed tot delictorum reos se faciunt, quot peccatis antiquitatum suarum spectatores exponunt?

Colliges IV. Episcopis, & Pastoribus enitendum esse, ut statuas, turpesve imagines non tantum a locis publicis, sed etiam ab hortis, a recessibus, domibusque auferri curent, vel saltem emendari. Porro Pastoribus opem ferre debent Magistratus, quia agitur de re, quæ mores corrumpit, juventutem depravat, stragem infert cordibus; ideoque communi bono graviter adversatur.

Ne tamen hactenus dicta, præsertim quæ ad mulieris aspectum pertinent, scrupulum pariant, addendum credo non teneri sæcularem quemque demissis oculis incedere per plateas, aut mulierem alloqui. *Imo tanta præcautio posset aliquando plus obesse, quam prodesse: quia timor excessivus facit cogitare de objecto timoris. Non est ergo per se illicitum personas alterius sexus intueri, sed ex complacentia, vel curiositate intueri, vel etiam oculos figere in aspectus* (*Ethic. amor.*). *Unde Augustinus Epist.* 211. *dicit*: Oculi vestri etsi jaciantur in aliquem, figantur in neminem.

Circa muliebrem ornatum, quæres I. an, & quo in gradu peccent molieres, quæ fuco utuntur. R. cum S. Thoma 2. 2. q. 169. a. 2. *Quod mulierum fucatio.... est quædam species fictionis, quæ non potest esse sine peccato .... Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemtum. Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliquo casu provenientem, puta ægritudine, vel aliquo hujusmodi*, ut vulnere, vel incendio: *hoc enim est licitum*, non illud.

Quæres II. an mulieri licitum sit vestem induere virilem, & e converso, R. cum S. Thoma ibid. *De*

*sit vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ, & specialiter prohibetur in lege. Potest tamen quandoque hoc fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti*, &c.

Multo gravior erit noxa, si vestium motationi accedat larvæ assomtio, quæ communiter a gravi peccatu excusari nequit, sicut nec ars eorum, qui hujusmodi larvas conficiunt, & quibus, nisi artificium hoc factitare desinant, absolutionis beneficium constanter denegandum est. Nec est, quod regerant, se, demta sibi hac arte, non habere unde vivant. Ea enim excusatione tueri se posset idolorum artifex in Sinensi Regno, & tamen idola fabricare non licet.

Circa feminarum vestimenta notandum eas, quæ inordinate vestiuntur, seu contra morem patriæ, seu supra conditionem statos, seu propter mollitiem, & delicias plus, vel minus peccare, prout plus, vel minus ab ordine recedunt. Sana non sunt a gravi immunes: I. cum vestium forma idonea est, quæ libidinem accendat. II. & a fortiori cum mulier ornat, se hac intentione, ut viros alliciat in concupiscentiam sui (*ex Silvio*). III. cum tanta est vestimentorum sumtuositas, ut propter eam vel non solvantur debita, vel non restituantur ea, quæ debent restitui.

Quæres III. quid sentiendum sit de calathis muliebribus, gallice *paniers*. R. usum hunc a diabolo solo inventum esse, eique proin fortiter resistendum a Confessariis, donec vel totus e medio tollatur, vel, quod servata rei substantia difficillimum erit, ad limites adeo angustos revocetur, ut nihil inde timendum sit pudori. Certe, quæ cum tartareo hoc apparatu incedunt, in loco paulisper sublimi sedent, genu unum alteri superponunt, &c. eæ verecundiam minus delicatam consternant. Quin etsi minus reæ sunt, quæ angustiorem calathum gestant cum crocata subtus posita, eo tamen redargui merentur, quod & pareant mori, cui crimen ortum fecit, & eas confirment, quæ immensi voluminis cophinos deferunt. Hoc igitur in puncto parentibus resistere deberent puellæ, & quoad pensionarias suas Moniales, quæ si quid, ut morem hunc extirpent, patiantur damni, a Deo in sponsas sibi fideles munifico hac etiam in vita compensabuntur.

Quæres IV. quid dicendum de iis, qui turpia loquuntur. R. eos, qui turpia loquuntur, audiunt, vel legunt sine justa necessitate, communiter reos esse peccati mortalis. Docet id Apostolus Ephes. 5. ubi sic: *Fornicatio, & omnis immunditia .... nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas; quæ ad rem non pertinet.* & I. Cor. 15. *Nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia mala*. Ex quibus constat turpiluquium, & his similia non vacare a peccato: atqui vix fieri potest, ut peccatum illud, si de rebus vere obscœnis sermo fit, non sit letale. Peccatum enim letale est, ubicunque reperitor libidinosa voluptas, aut ejusdem periculum: hæc autem vix aliquando deest, cum quis spontanee turpia loquitur, legitve, vel audit. Quare enim, saltem ut plurimum, turpia loquitur, auditve, &c. nisi quia hæc mentem jucunde titillant, rapiunt, & alliciunt.

Dixi, *sine justa necessitate*, aut utilitate. Confessarii enim, Medici, Chirurgi, Theologi multa audire, vel legere possunt, quæ non possent alii. Hic quædam observanda: I. quod cum ex verbis etiam non graviter turpibus imminet grave venerei consensus periculum, tunc ab iis illico recedendum est: II. in misero esse statu, qui æquivocis dictionibus assuescunt, obvia quæque flectunt ad sensus impuros, cantilenis immonditiam spirantibus occupant, & occupantur. Et tamen, ait S. Cæsarius, *quam multi rustici, & quam multæ mulieres rusticanæ*, sed heu! quam plures urbium incolæ, *cantica diabolica amatoria, & turpia memoriter retinent, & ore decantant? Ista possunt tenere, & parare, quæ diabolus docet, & non possunt tenere, quod Christus ostendit?* III. enitendum esse Pastoribus, Confessariis, patribus-familias, iis demum omnibus, qui aliquid in alios potestatis habent, ut gravissimum turpiloquii horrorem incutiant, cum ex hoc pars hominum maxima triste subeat naufragium pudoris, & sensim in peccata, & habitus proruat, e quibus vix jam emergere possit. Unde qui turpia coram se narrata non approbant interius, & tamen præbent aliis occasionem ea incipiendi, vel continuandi, & sic turpiloquiis auctoritatem præstant, mortaliter delinquunt: quia exterior rei mortalis approbatio est peccatum mortale.

Quod ad eos spectat, qui turpia componunt, ut poeses, & cantilenas, aut qui citra utilitatem tractatus edunt de rebus obscœnis, hi profecto peccant gravissime, etiamsi, quod vix supponi potest, mentem habeant a turpi cogitatione liberam. Ratio est, quia ii omnes scire possunt, & debent, se eorum plerisque, a quibus perlegentur, peccati, & ruinæ spiritualis occasionem futuros esse. Unde habentur a probis quibuslibet ut publici animarum venefici, qui tot rei sunt mortium, quot habuere lectores. Sensit hoc sero, sed tandem profunde sensit Fontanius, qui positus in extremis commenta sua * cum lacrymis detestatus est.

Sed quid de Romanensibus Libris? R. eos nec scribi, nec legi posse, ut plurimum sine gravi culpa, si, ut moris est, profanos amatores delineant, & amantium colloquia, literulas, milleque casus libidine, invidia, tremore, periculosa constantia, clandestinis doli consiliis intricatos referunt. Docet enim frequens, & frequentior experientia pares in teneris, & incautis adolescentum, & puellarum cordibus flammas excitari.

Ex his colliges pro praxi, Sacramentis indignos esse: I. Typographos, & Bibliopolas, qui hujusmodi

* *M. de la Fontaine .... prest a recevoir le S. Viatique detesta ses Contes, les larmes aux yeux; & fit amande honorable devant Messieurs de l'Academie, qu'il avoit priés de se rendre chez lui par deputés, pour être témoins de ses dispositions presentes.* Histoire de l'Academie Francoise par M. l'Abbé d'Olivet, *pag.* 311.

di Libros edunt, aut obvio cuique, ut solent, venales exponunt. Imo eorum quidam sunt, qui nemini vendi possint, sed flammis immisericorditer debeant aboleri. II. patres-familias, qui ut bene dicendi artem filios, filiasve suas edoceant, lectiones amatorias, & similia iisdem & una venenum propinant. III. etsi viris gravibus, & pudicis, qui dictionis lepores unice inquirunt, plura quam aliis licita esse possint, paucos tamen esse, qui in hoc ordine censeantur, sed multo plures, qui sibi temere blandiantur. Ut ut est, cavere hi debent, ne vel juvenibus, aut etiam viris maturioribus ætate, quam animo Libros suos commodent, aut ne ii, post mortem suam incidant in manus eorum, quibus exitiales esse possint.

De literis amatoriis, quæ sub reverentiæ, & urbanitatis larva amorem, teneramque propensionis flammam spirant, nihil est, quod dicam: quia quantum iis insit periculi intelliget quisquis homo fuerit. His porro qui tales receperint, injunget Confessarius, ut statim comburant. Sunt enim idola quædam, quibus cor jam læsum facile denuo possit accendi. Idem de acceptis ab amasio, vel amasia munusculis dicendum.

## SECTIO SECUNDA.

*De Saltationibus, & spectaculis.*

MAteriam hanc non minus practicam, quam præcedentem, paucis expediam. Sit

CONCLUSIO I. Saltatio non est de se mala.

Prob. ex Scriptura. Eccles. 3. *Tempus plangendi, & tempus saltandi.* II. Reg. 6. *David saltabat totis viribus ante Dominum*, & saltando Domino placebat, ut patet ibid. Porro, ait S. Thomas in cap. 3. Isaiæ: *Istæ circumstantiæ videntur in ludo choreali observandæ: Ut non sit persona indecens, sicut Clericus, vel Religiosus; ut fit tempore lætitiæ, ut .... in nuptiis, & hujusmodi; ut fiat cum honestis personis, & cum honesto cantu; & quod gestus non sint nimis lascivi.* Item ut absit periculum libidinis, ut choreæ nec in loco sacro, nec tempore Officii divini, imo nec Festis diebus agantur; de quo infra.

CONCLUSIO II. Choreæ inter personas ejusdem sexus, absque turpi gestu, aut affectu permitti possunt. Sequitur ea dictis. Unde puellæ, quæ absoluto diei penso paululum iis saltationibus vacant, peccati cujuslibet expertes esse possunt. Idem est de adolescentibus a puellarum consortio remotis.

CONCLUSIO III. Choreæ inter personas diversi sexus possunt vacare a peccato: vix tamen permitti possunt a Confessariis; quia via unquam habent conditiones, quæ ab omni peccato excusent.

Prob. 1. pars, quia cum choreæ de se sint absolute indifferentes, possunt bene, vel male fieri, pro affectu personarum, quæ eisdem vacant; ergo si vitiosus absit affectus, nec malæ intersint circumstantiæ, ut fieri potest inter eximiæ probitatis personas, nihil hic suberit peccati.

Prob. 2. pars. Choreæ, ut fieri solent, sunt ludi quidam in frequenti virorum, feminarumque concursu, quorum ne unus quidem eo ivit, ut Deo placeret, sed mulieres toto cultu ornatæ, ut leporibus formæ, & saltandi gratia omnibus placerent; viri vero ut mulierem decore, colloquiis, saltatione, & illecebris, oculos, aures, animosque pascerent. Illic præludentibus instrumentis, quæ lenibus numeris jam animos emolliunt, puellæ solito immodestiores per intervalla saltitant, manu apprehenduntur, oscula recipiunt, gratulatoriis plausibus, amatoriis verbis afficiuntur, &c. atqui fieri nequit, posita, quanta est, hominis ad malum pronitate, ut tales ludi non importent mulriplea peccati periculum. Et vero quantum ibi periculum aspectus impudici, amplexu libidinosi, verbi, quo profundum vulnus infligetur? Quis præsumere queat se in circulo, *cujus centrum est diabolus, & cujus circumferentia sunt Angeli ejus circumstantes*, immotum iri? (*S. Carolus*) Quæ puella etiam libidinem exosa, confidat se nulli futuram esse gravis peccati occasionem? quæ sperare possit cor hactenus forte, non cessurum tandem in loco, qui per se vigilantiam, & orationis spiritum excludit? Merito igitur Trullana Synodus vetuit *publicas mulierum saltationes, ut multam noxam, exitiumque afferentes.*

Dices S. Franciscus Salesius Lib. 3. Introduct. ad vitam devotam c. 33. permittit Philoteæ, ut raro quidem, sed aliquando tamen choreis intersit, si *bene* se ab iis excusare nequeat; ergo.

R. dist. ant. permittit, & simul efficaciter probat, hac licentia vix unquam utendum esse, C. permittit ut rem undequaque licitam, imo & prorsus indifferentem, N. Itaque consulius de choreis S. Præsul respondet æquivalenter id, quod respondemus, tripudia scilicet non esse rem de se adeo malam, ut ei nunquam cedi possit sine crimine, etiam recreationis-causa, & cum personis honestis. Verum attente totum caput legenti constabit, exercitium hoc Genevensi Episcopo visum fuisse plenum periculi, & stultitiæ. Hinc de choreis dicit, quod de fungis Medici, horum optimos quosque esse insalubres. Hinc choreas exhibet ut theatrum, in quo certatur de vanitate, a qua, inquit, ad pravos affectus, & periculosos amores facilis est transitus. Hinc, ne quid ex iis remaneat impressionis malæ, vult, ut quæ saltaverunt, statim sibi revocent, ea ipsa hora, qua saltarunt, plures in inferis cruciari animas ob peccata in tripudiis commissa. Quæro autem, an ii sint actionis prorsus inculpatæ characteres; & an qui choreis interesse amant, ea observent, quæ a S. Præsule observari jubentur. Ratum sit igitur choreas peccandi periculum præbere: I. antequam adeantur ratione vanitatis, & ornatuum, quibus ad eam actionem præluditur. II. dum fiunt ob liberiores intuitus, oscula, &c. III. postquam desierunt ob profunde animo inserta passionum omnium, zelotypiæ præsertim, & amoris vestigia.

CONCLUSIO IV. *Spectaculorum, & Comædiarum frequentatio periculosa est castitati, & multimodis animæ noxia. Unde vix absque peccato interesse spectaculis, & comædiis Christianus potest.* Ita Natalis Alexander, cujus resolutio pro secunda parte pene laxior videtur.

An-

Antequam probetur Conclusio, not. I. comœdiam esse vulgo Poeticum Drama, quo eivilis, & privata actio, cum læto, & ut plurimum nuptiali exitu repræseotatur. II. repræsentationem comicam innocenter fieri in Collegiis, ubi comœdiæ mores juvenum eastigant ridendo, eosque instruunt ad publice dicendum, sine periculo, cum nulla scenam alioqui honestam conscendat persona muliebris, aut muliebriter vestita. III. ut sane judicetur de comœdia spectari eam debere non abstracte, sed secundum omnes loei, temporis, poematis ipsius, actorum scenicorum, auditorumque circumstantias. Jam

Prob. Conclusio. Christianus, qui spectaculis interest, vel habet mores corruptos, vel in corruptionem propendet, vel, quod rarum est, mentem hactenus a passionibus fœdis liberam servavit: atqui nullus ex his spectacula adire potest sine peccato. Probatur minor de tertio: sic eoim probabitur efficacieer de duobns primis. Prob. inquam sic. Nemo citra grave piaculum potest iis interesse ludis, qui sive ex parte argumenti, sive ex parte circumstantiarum funestos effectus parere nati sunt: atqui tales sunt ludi scenici: I. quidem ex parte argumenti, seu materiæ, vix eorum ullus est, qui ad vitia potenter non inclinet. Theatralis enim fabulæ argumenta sunt ut plurimum amores, conjugia mille generum omnium artibus quæsita, rivalitates, odia ad furorem usque protensa, &c. quæro autem an fieri queat, ut hæc lepide dicta, vivide insinuata, vocis, ac gestus adminiculo fulcita, animum non flectant, quo voluerint actores. Et vero an menti hactenus puræ *cornea fibra est*, ut non moveatur? An ei, in loco, qui diaboli est *, uberem hanc gratiam porriget Deus, quæ sola præservat a lapsu? an sursum corda diriget, ne inducatur in tentationem, qui tentationis occasionem volens inquisiit? an accedente, ut ocius, vel serius accidere potest, libidinum flamma, non iis utetur artibus, quas e theatro didicerit? Certe, ait Cyprianus L. de Spect. *discit facere, cum consuescit videre*.

II. Scenici ludi de se periculosi, ratione eircumstantiarum fiunt periculosiores. *Quis* enim, ait Cassiodorus Lib. 1. Epist. 27. *mores graves in spectaculis requirat? ad circum*, seu theatrum, *nesciunt convenire Canones*, sed eo passim confluunt adolescentes moribus perditi; feminæ molles, quæ id unum ambiunt, ut videant, & videantur; Actrices non raro pudicitiæ venalis, & lasciviam spirantes, professione sua infames, forsitan infamiores moribus. Merito igitur S. Carolus Borromæus hæc Oratori Sacro præcipit: *Spectacula, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur; demonstrabit incommoda, publicasque ærumnas inde in populum Christianum dimanare*.

Nec dicas spectacula a SS. Patribus prohibita fuisse, quia ad idololatriam trahebant, & erant verbis obscœnissimis referta: utrumque autem nunc exulare a comœdiis. Falsum est enim Patres antiquos non prohibuisse spectacula, nisi rationibus, quæ hodiernæ scenæ ludos non attingant. Hæc enim redarguit Tertullianus Lib. de Spect. c. 24. eo quod reprobentur in iis Scripturæ locis, ubi *concupiscentiæ sæculi damnantur*; eo quod qui spectaculis interest, quasi invitus corrumpi possit; eo quod demum scenici ludi sint rea adeo mala, ut eorum Actores, *cum acceptissimi sint, non sint sine nota* infamiæ: atqui hæc non minus hodierno theatro, quam veteri conveniunt, sicut & id S. Chrysostomi (*Hom. 42. in Act.*): *In theatro risus turpitudo, pompa diabolica, effusio, insumtio temporis, concupiscentiæ absurdæ præparatio, adulterii meditatio, scortationis Gymnasium*.

Sed an non poterit vir eruditus, ut de fabula judicet, assistere primæ ejus repræsentationi, ex qua certus sit se male affectum non iri? An nefas fuerit honestæ mulieri tragœdiam sanctam adire? Affirmant aliqui, iisque assentiri videtur N. Alexander, cum Christianum non simpliciter, sed vix sine peccato spectaculis interesse posse dicit. In idem utcunque propendet S. Franciscus Salesius ubi supra l. 1. c. 23., qui tamen ad comœdiam eas requireret conditiones, quas ad choreas ab eo requiri vidimus, id est, conditiones, de quibus nemo cogitat in praxi. Re sapientiorum judicio permissa, haud credo a noxa immunes esse, qui vel semel comœdiæ volentes interfuerint: I. quia eorum nemo, quidquid dicant, aut cogitent, *immobilis est animi* (*ex Tertull.*); moveri ergo, & satis proxime possunt, idque in loco, ubi gratiam Dei præstolari fidenter non possunt. II. quia comœdorum actioni, quæ grave est peccatum, indubie cooperantur: tolle enim spectatores, sustuleris & actores. III. quia qui comœdiam frequentant, proborum, quos eidem interesse vident, exemplo se confirmant; & illud objicere solent sive iis, a quibus monentur, ut ab eo exercitio desistant; sive iis, quos ad illud trahere volunt pene invitos.

Quapropter censeo negandam absolutionem: I. actoribus, qui scenicos ludos exhibent. II. Auctoribus, qui fabulas componunt in theatro recitandas. III. Artificibus, qui ad theatrum proxime spectantia concinnant, nisi hi omnes sufficienter moniti resipiscere velint, & prædictis nuntium remittere perpetuum. Idem, & a fortiori de scenis musicis, gallice *Opera*, dicendum. Ita anno 1694. resolverunt Doctores Sorbonici numero sex, apud Lamet v. *Comedie*.

(✠) Quæri hic potest utrum mulieres, ut morem gerant maritis, filii familias genitoribus, famuli dominis suis, aulici Principibus, possint absque peccato hujusmodi spectaculis interesse?

R. Supponendum primo est cum S. Th. Quodlib. 9. art. 15. quod *Actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam; ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo bene fieri possunt. Sunt vero quædam actiones, quæ absolute consideratæ deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen*

* *Refert Tertullianus Lib. de Spectaculis, mulierem, quæ theatrum adierat, inde cum dæmone reversam esse. Cumque in exorcismo increparetur dæmon, quod ausus esset fidelem aggredi.* Constanter, & justissime quidem feci, *inquit*, in meo eam inveni.

*men aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quamdam importat, sed si addatur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum.* In numero harum actionum esse videtur interesse spectaculis. *Quamvis enim aliquas inordinationes contineat,* subjungit ibi S. Doctor loquendo de pluralitate præbendarum, *tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire inhonestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuantur.*

Porro hujusmodi circumstantiæ in hac, qua versamur materie, sunt I. *necessitas* vera, & non apparens, in qua sunt aliquando ii, qui in hac quæstione exprimuntur, quando revera coguntur, non obstanti quacunque illorum Christiana repugnantia. II. *recta intentio. Interest quidem plurimum,* inquit S. August. contra mendacium c. 7. *qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Hæc bona intentio tunc est, quando duo urgent præcepta, unum altero gravius. III. ut nulla ratione approbentur, sed qui interesse illis debet, sit corpore tantum, & non spiritu. IV. tandem ut oratione, aliisque piis exercitiis, atque virtutum actibus contra illorum pericula se muniat. S. Aug. in Ps. 25. explicans illud *non sedi cum concilio vanitatis*, ad rem nostram hæc habet. *Ecce non sedit in concilio vanitatis, quamvis illic corpore sedere videretur. Quid est sedere? Consentire cum his, qui ibi sedent. Quod si præsens non feceris, non ibi sedisti: si absens feceris, sedisti ibi.* Quod si hujusmodi adsint circumstantiæ, sicuti Angelicus Doctor concludit ibi, *licitum esse plures habere præbendas*; ita concludi posse nobis videtur, quod prædictæ personæ sine peccato spectaculis interesse possint. Videatur Opusculum Romæ an. 1754 editum, cui titulos est: *Consultazione Teologico-Morale, se chi interviene per necessità ai Teatri pubblici, vi possa intervenire lecitamente* (✠).

## ARTICULUS SEXTUS.

### *An detur parvitas in materia Impuritatis.*

Suppono I. id omne, quod castimoniam lædit, sexto Decalogi præcepto prohibitum esse.

Suppono II. duo esse actionum genera, quæ castitatem lædant. Aliæ mere sunt sensibiles, puta quæ fiunt ex curiositate, joco, levitate, aut delectatione mere organica, secluso delectationis venereæ consensu, aut etiam periculo. Aliæ sunt libidinosæ, quæ involvunt complacentiam, vel periculum grave complacendi in rebus venereis, iis scilicet, quæ ex se, aut ex communi sapientum judicio tendunt ad generationem, ut amplexus turpes, tactus, turpiloquia, mollities, & partium turpium commotio.

Suppono III. causas, quæ remote tantum tendunt ad mollitiem v. g. gravemve commotionem carnis, aut spirituum generationi inservientium, proxime aliquando, & per se concurrere ad commotionem levem: quia quæ nec ex se, nec ex ratione subjecti carnem graviter commovere nata sunt, eandem possunt leviter commovere. Sic aspectus mulieris, aut etiam amici paulo diuturnior, aut utriusque manuum compressio, aliquid inordinati in venereis partibus ciere facile potest; nec tamen graves usquam motus ibidem excitabit, nisi accedat nova voluntatis consensio, & nova ad malum gravius tendentia.

Suppono IV. eum, qui certas levium motuum causas ponit, vel eosdem motus intendere, vel non intendere, sed pati invitum; idque vel ex legitima ratione, vel non. His positis

Dico I. Datur materiæ parvitas in sensualitate castitati opposita.

Prob. quia ex dictis supra conformiter ad communissimam Theologorum etiam minime suspectorum opinionem, dantur aspectus, imo & amplexus ex quadam cotiositate, vel levitate facti, qui a gravi noxa immunes sunt. Dantur & inter amicos teneriora quædam verba, quæ quidpiam sensualitatis habent, & quibus tamen qui justo suavius afficiuntur, mori malint, quam fœdari, aut in levi, quæ inde aliquando suboritur, commotione complacere; ergo stat quædam esse, quæ pudicitiam non nisi leviter offendant: hæc tamen, ut toties dixi, sedulo vitanda sunt, ne paulatim trahant ad majora; ne mentem inquietent; ne exponant periculo ea, quæ statum gratiæ requirunt, operandi in dubio, an non a gratiæ statu excideris.

Dico II. non datur parvitas materiæ in re venerea in se volita.

Prob. I. quia Præpositus Generalis S. J. jussit a suis omnibus rejici ut *intolerabilem* doctrinam, quæ dicit *in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam, propter levitatem materiæ excusari a peccato mortali*; neque in hoc puncto rigidior est Societas, quam Dominicanorum Ordo, ut testatur Vincentius Baron. II. quia Clemens VIII., & Paulus V. osculum omne ob delectationem veneream datum, mortalem habere culpam eo usque crediderunt generatim & indistincte, ut voluerint eos, qui secus sentirent, Inquisitoribus denunciari. III. quia Sanchez opinionem contrariam, quam aliquando tenuerat, re considerata maturius, diserte retractavit.

Prob. II. quia vel voluntas fertur in objectum venereum grave, ut est mollities, aut notabilis genitalium spirituum commotio, & tunc fatentur omnes graviter peccare; vel in objectum physice leve, ut est levis eorumdem spirituum motus, & tunc quoque letaliter rea videtur. Ut enim ibi sit peccatum mortale, sufficit, ut subsit proximum ulterius progrediendi periculum: sed qui delectationem veneream, etiam physice levem deliberate quærit, proximum, & evidens incurrit periculum progrediendi ulterius. Neque enim in materie tam de se libidinis incentiva, sistit quis statim ac sistere proposuit, sed iis similes, qui glaciatum flumen decurront, vel fertur extra metas, vel eas prætereundi periculum subit; ergo.

Confirm. ex communi Doctorum mente. Propositio, quæ osculo ob veneream delectationem dato malitiam adscribebat solum venialem, modo deesset ulte-

ulterioris consensus periculum, ideo damnata est, quia falsum supponit, nempe dari posse delectationem veneream sine ulteriori periculo; ergo ex communi sapientum sensu, ubicumque est consensus in modicam delectationem veneream, ibi necessario est periculum proximum consensus ulterioris; ergo & grave peccatum.

Obj. I. levis commotio non est objectum grave; ergo nec est materia gravis peccati.

R. dist. ant. levis commotio non est objectum grave præcise ratione sui, esto: ratione periculi progrediendi ulterius, N. Porro complacentia in commotione levi periculum hoc semper annexum habet.

Dixi *esto*. Censent enim plures nullam delectationem veneream, ratione sui levem esse, sicut nec ullum Dei odium, blasphemiæ, item vel simonia, levitatem materiæ habere possunt.

Obj. II. In aliis plerisque peccatis, ut furto, datur pravitas materiæ, ergo a pari.

R. neg. conseq. disparitas est, quod in aliis peccatis periculum ulterius, si quod sit, ordinarie sit remotum. At in delectatione venerea proximum imminet consensus ulteriotis periculum, ob lubricitatem materiæ, & infinitam prope corruptæ naturæ ad graviora propensionem.

Dico III. Si res venerea sit tantum volita in causa, datur in ea parvitas materiæ, idest, si quis faciat actionem, ex qua ordinarie non sequatur nisi levis spirituum generationi subservientium commotio, absque periculo consensus, venialiter tantum peccabit. Imo ne quidem peccabit venialiter, si justam actionis hujus ponendæ causam habeat: ita Sylvius, Habert, &c.

Prob. 1. pars, Ideo in re venerea in se volita non datur parvitas materiæ, quia qui in motus etiam leves actu consentit, exponit se periculo ulteriori: sed qui leves tantum motus vult in causa, vel potius non tam vult, quam patitur occasione causæ, non exponit se tali periculo, cum supponatur, quod facile in iis, qui Deum timent, supponi potest, abesse periculum consentiendi in ipsos motus, qui insurgunt; ergo.

Confirm. Si motus leves in causa permissi, essent semper peccatum mortale, qui ex vanitate, & ut solertiam suam ostendat, equum ascendit, eaque, ut evenit pluribus, occasione leves motus patitur, jam esset reus mortalis peccati, si id suspicatus esset, vel non statim desiliret ex equo. Idem esset de eo, qui curiosam lectionem, nihil obscœni habentem, non statim dimitteret, aut qui, ut placeret amico, vini scyphum, unde leviter commovebitur, hauriret præter consuetudinem: atqui hæc a nemine, quod sciam, admittuntur, nec, si a quopiam admitterentur, ideo essent admittenda. Qui enim hæc ad mollitiem disponere dicerent, fateri deberent dispositionem hanc nimis esse remotam, ut inducat peccatum letale. Unde prædicti motus se habent ad mollitiem, sicut duo, vel tria communis vini pocula se habent ad ebrietatem, aut ira levis ad homicidium; ergo.

Prob. 2. pars, quia si graves etiam motus ex honesta causa permitti possint a Confessario, vel Chirurgo; leves a fortiori permitti potuerunt.

Porro quo gravior oritura prævidetur corporis commotio, eo gravior ad eam cohonestandam requiretur causa, & a contrario. Hinc ne venialis quidem culpæ insimulare velim eum, qui, ut animum labori magis idoneum faciat, cum alicujus commotionis periculo, aut sensu, equo vehitur ad iter, quod pedibus conficere possit; aut qui ut afflictum amicum consoletur, tenera quædam adhibet verba, quibus ipse non nihil moveatur, prout meticulosis quibusdam contingit.

Obj. Quilibet etiam levissimus carnis motus est pollutionis inchoatio, cum, ex Hippocrate, semper e lumbis ad partes obscœnas decidat aliquid seminis: sed velle mollitiem etiam inchoatam, letale est peccatum; ergo & velle motus, quibus eadem annexa fuerit, grave erit peccatum.

R. neg. maj. Etsi enim in quolibet carnis motu aliquid e lumbis decidere supponatur, id tamen non magis pro veræ pollutionis initio haberi potest, quam pro initio homicidii haberi possit rixa, aut pro ebrietate incohata in eo, qui nec ebrietatem amat, nec facile inebriatur, unus, aut alter vini haustus præter consuetudinem. Ea igitur duntaxat spirituum commotio spectari potest ut inchoata pollutio, quæ in homine sano notabilis est, adeo ut ejaculandi seminis periculum includat; quod in motu levi non in se, sed in causa tantum permisso minime contingit.

Posset etiam negari minor ad sensum objectionis intellecta: alioqui enim simplex distillatio seminis, quam aliqui, & sæpe timorati levissimis de causis patiuntur, etiam cum his de causis non absolute necessariis nascitur, esset grave peccatum; quod nemo dixerit, aut dicendo persuadebit. Quia tamen tenerior quædam in amicos propensio, aut jocationes, *quæ ad rem non pertinent*, hujusmodi miserias ciere solent, æquum est, ut earum causæ, cum sine incommodo, aut ridiculo fieri potest, omittantur.

Qui gerere se debeat homo circa motus in inferiori parte exortos, colligi potest ex iis, quæ diximus in Tract. de Peccatis.

## ARTICULUS SEPTIMUS.

### *De officio Confessarii in materia Luxuriæ.*

TRia in qualibet materia, sed potissimum in materia luxuriæ præstanda sunt a Confessariis: I. enim agere debent, ut sufficientem peccati notitiam habeant. II. ut congrue moneant pœnitentes, iisve differant absolutionem. III. ut idonea malo remedia præscribant.

Quod spectat ad examen pœnitentium, debet illud pro personarum varietate varie institui. Porro pœnitentium alii sunt soluti, adhuc incerti, quem eligant statum, adeoque vulgo juvenes; & hi vel soli, vel cum aliis peccant: alii cogitant vel de matrimonio, vel de amplectendo Clericali statu: alii demum jam sunt conjugati.

Ante omnia certum est Confessarium nusquam majori indigere sapientia, & Spiritus Sancti auxilio, quam cum agitur de discutienda circa impudici-

pudicitiam Pœnitentium conscientia. Hic declinandum seu ab imprudentia, quæ curiositatem, aut verborum intemperantiam sapit, seu a conscientia quadam delicatiori, quæ ne plus dicat, non dicis satis. Si Confessarius plus æquo inquirat, verendum est, ne gravem ruinæ causam sibi, & pœnitenti suo præbeat. Si e contra vocem præcludat pudor intempestivus, timendum ne fœdus coluber in intimo cordis recessu delitescens foras prodire non ausit, aut ne id, quod reipsa grave est, pro levi malo habeatur. *Necesse igitur est*, ait Gersonius, (*Tom. 2. p. 448.*) *ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spiritualem, ad educendum colubrum talem pestiferum ab anima* pœnitentis, & iterum: *Sentiat alius quod voluerit, ego totam Deo, testor, me plures talibus remediis induxisse ad confessionem, qui fatebantur nunquam etiam in articulo mortis fuisse dicturos talia cuicunque. Laudabant tamen* postea *Deum, totis visceribus gratias agentes, quod ita fit aperuerant*, &c. Sit igitur quoad solutos præsertim

Regula I. Quidquid horrendi audiat Sacerdos, dissimulet pœnam, nec os, vultumque gerat hominis stupefacti in ipso confessionis decursu, sed, quoties opus erit, pœnitentis fiduciam adaugeat, *quasi non curans, aut fere audiens* (*Gerso.*) res sibi notas, & præscriptas; quin & culpam, quam præsentit dictu turpem, præveniat, *dicendo sic. Ego bene video, tu fecisti sic & sic; consequenter dic ergo totum in nomine Domini. Si diceres omnia mala mundi, non inde pejus haberes; dic ergo audacter. Imo & quæri poterit, si velit confitens, ut super omnibus diligenter interrogetur, & si sic*,

Perget *Confessor a generalioribus ad specialiora, a minus turpibus ad turpiora* (*Confid.* 18.). Et quidem I. interrogationis exordium non ducet ab exterioribus factis, sed a cogitationibus, an non pœnitens inhonestas quasdam volverit animo? an advertenter, an non progressus sit ad desiderium usque? quale fuerit desiderii hujus objectum? ubi tunc haberet manum? an diu se tetigerit? an nihil occasione tactus effluxerit? an solus decumbat, an cum socio? an non fuerint turpia locuti? an passus sit se tangi? an non par pari retulerit? an non in utroque subsecuta sit effusio seminis, & quam in partem ceciderit? an non insuper *talium peccatorum erga alios causa, vel ruinæ occasio fuerit, verbis, osculis, amplexibus, aut aliis signis, vel forte picturis & figurationibus inhonestis? an cum alia persona in carnalem commixtionem inciderit, & cujus gradus, vel conditionis foret persona? an uxorata, aut virgo, an genere propinqua, & in quo gradu? an Sanctimonialis, aut in sacris Ordinibus constituta?* an hæc consensit, an non ei *violentiam intulit? an denique ejusdem sexus, aut alterius erat, & exprimatur modus.* Interrogari etiam poterunt juvenes (*Gerso. Tom. 1. p. 444.*), an non in fluvio nataverint cum sociis? an non natantes intuiti sint? an non inde deventum sit ad turpiloquia, ad tactus, &c. cavendum tamen, ne ultra justæ interrogationis limites excurratur.

Quod ad puellas attinet, curabit etiam Confessarius, ne has dedocendo peccatum, illud edoceant. Ubi tamen conjicere erit eas non omnino castas esse, interrogandæ erunt, an non ornaverint se, ut in sui amorem quosdam allicerent? an non hunc in finem usæ sint fuco? an non brachia, scapulas, & pectus denudaverint, & quo fine? an non tali hora talem frequentaverint Ecclesiam, aut in limine, vel fenestra comparuerint, ut concupiscerentur? an non cum sociis turpe quid dixerint? an non cuipiam adhæreant amore teneriori? quid ei circa seipsas permiserint? quid ab eo optaverint? an, & quid hac occasione passæ sint? ubi denuo prudentiam, & circumspectionem commendare non piget.

Si forte ad extrema deventum est, interrogabitur puella, an non impedierit prolis conceptum? an non fœtum extinxerit? an obsecuta sit Regiis Edictis, quæ fœtam puellam statum suum aperire volunt, &c.

Regula II. Qui de matrimonio proxime ineundo cogitant, aut jam desponsati sunt, monitis pluribus indigent, ne cedant libidini, quæ tunc eo insidiatur efficacius, quo faciem gerit minus inhonestam. Itaque monebuntur: I. in electione conjugalis status interrogandam esse Dei voluntatem in oratione, eleemosyna, & bonis operibus; conjugem non ad dies aliquot, sed ad vitam totam duci: frequentius nihil esse quam exitus infelices nuptiarum, quæ ex amore insano, ambitione, aviditate lucri contractæ sint, matrimonii voluptates cito præterire, onera, & fastidia subsistere usque ad mortem.

II. Continentiam supplicibus votis a Deo postulandam esse, præsertim cum pudicitiæ gravius impendet discrimen, prout impendet cum crebro invisenda est, blandeque excipienda persona, de cujus nuptiis deliberatur. Hic expendet Confessarius delectationem ex repræsentatione actus conjugalis, tanquam præsentis, esse mortiferam, si tanquam futuri, via a culpa vacare, quia vix vacat a periculo.

III. Salutationes, seu visitationes, quæ tunc temporis in usu sunt, nec quotidianas esse debere, nec longiores; nusquam vero in tenebris, aut in solitudine, sed coram parentibus. Quod si data matrimonii promissio frangatur, aut non nisi post diuturnum tempus impleri queat, rara, & breviter habenda erit conversatio inter amantes, ne alter alteri peccandi occasionem nectat etiam invitus.

IV. Matrimonia legitime, & ex sufficienti rerum examine proposita, quamcito ineunda esse; quia multiplex est periculum in mora.

V. Tempus sponsalia inter, & nuptias medium, consecrandum esse pietati, ut Sacramentum rite suscipiatur, & cum eo singulares gratiæ, quibus destituti tot conjuges jam a præsenti vita infernos cruciatus præsentiunt.

VI. Multopere cavendum esse puellæ, ne desponsatum aliis quam antea oculis intueatur. Utrique post sponsalia prohibitum esse, quidquid ante prohibitum fuerit. Porro puella deterrenda erit a crimine, duplici præcipue motivo: I. quia si cedat amasio, vix antequam nubat, absolutionis beneficio donari poterit, & sic obnoxia erit periculo profanandi Sacramenti. II. fieri poterit, ut qui eam nunc deperit, postquam senserit fragilem, exhorreat. Sic Amnon amore Thamar ad insaniam usque, & ægritudinem succensus, ubi eadem per vim etiam oppressa potitus est

exo-

*exosam eam habuit odio magno nimis* ( *II.Reg.* 1.).

VII. Attendet Confessor gravius esse peccatum venereum desponsatæ, quam si plene libera sit.

Regula III. Qui de amplectendo Clericali statu deliberant, multo servius probandi sunt, quam qui in seculo remanere volunt. Res per se patet: I. quia Laici habere possunt matrimonii ope, unde concupiscentiam aliquatenus temperent; cui remedio renuntiant, qui sacris initiari contendunt. II. quia *qui divinis ministeriis applicantur, perfecti in virtute esse debent* ( *S. Tom.* ); perfectio autem cum includat firmum, & constantem statum, firmam probationem præsupponit.

Quanto autem tempore probari debeat quis ante Subdiaconatum, varii varie sentiunt. Mihi res ex omnibus circumstantiis dimetienda videtur. Inspiciendum ergo, quandiu quis adhæserit vitio; an incontinentiæ soli servierit, an non progressus sit ad fornicationem, aut aliquid pejus, an ex quo Ecclesiastici status ingressum meditari cepit, ceperit præteritas sordes eluere oratione, lachrymis, mundi, mundanorumque fuga, an non, ut moris est, ad ipsum Seminarii tempus tepide, segniter, ne dicam frigide, & forsan impudice vixerit.

Si vi extraordinariæ tentationis raptus sit, & pene instar S. Petri repente conversus fleverit amare, ac constanti passu pœnitentiæ stadium decurrerit, subsitque spes eum *ita charitate & castis moribus* conspicuum fore, *ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monitu ab eo* possint *expectari* ( *Trid. Sess.* 23. *c.* 14.), poterit forte post primos sex Seminarii menses ad Ordinem sacrum evehi, nisi publicum admisisset scelus, quod ex hominum memoria longiori tempore obliterandum esset.

Sin autem diu solus, aut cum aliis peccaverit, si ex tunc vitam adeo languidam degerit, ut vix sceleris sui horrorem sentire videatur, si per aliquot menses emendatus, denuo reversus sit ad vomitum, jam opus est experimento longiori. *Ne unquam*, ait S. Gregorius Papa Lib. 4. Epist. 26. ad Januarium, *ne unquam ii, qui ordinati sunt pereant, provideri debet, quales ordinentur, ut prius aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit*; ergo ne anni quidem totius probatio sufficit juxta S. Doctorem, virum alioqui minime austerum, præsertim cum probatio, quæ fit in Seminariis, non sit valentissimum castitatis argumentum; sicut nec valide constantiam suam hinc probaret miles, quod permanserit in urbe munita, a qua procul aberant hostes. Scio equidem doctrinam hanc a pluribus rigidiorem judicatum iri: sed precor, & deprecor, ut interrogent Sacerdotes antiquos, qui non nisi ex experientia sua respondeant. Sciscitentur ab eis, an e juvenibus quinquaginta, qui per Seminarium utcunque sibi vim fecere, duo, vel tres, tepidi aliunde, & in negotio salutis segnes, ad seculum reversi diu steterint in via suæ qualiscunque justitiæ. Sciscitentur, an non eorum plures relapsi sint, quandoque minus, sed tamen graviter, ante Diaconatum. Sciscitentur, an non saltem pauco post Sacerdotium tempore innumeris se sacrilegiis polluerint: adeo ut si, quod raro faciunt, ad eundem recurrant Confessarium, a quo ad primos Ordines admissi sunt, is mollitiem suam detestari cogatur. Ergo etsi illud S. Gregorii *in annis plurimis* leniri, & utconque temperari posse dicatur ad 18. aut 20. menses, haud tamen ad spatium brevius restringendum erit.

Hactenus de iis verba feci, qui segniter, & parum intense Deo adhærent; quia in hoc ordine posita est pars major hominum. Ceteri, qui ad Deum revertuntur in charitate non ficta, parum dant molestiæ, & impedimenti; quia id unum verentur, ne non satis parati ad Ordines accedant, tantumque eorum susceptionem verentur, quantum alii ambiunt. De his consule quæ dixi Tom. VI. fusioris Theologiæ p. 350. & seq.

Regula IV. Graviter, & serio a Confessariis monebuntur conjuges, multo periculosiorem, quam putent, esse matrimonii statum; errare eos, qui omnia sibi in matrimonii usu permissa esse cogitent; & hic non raro peccari letaliter. Etsi vero cavendum est Sacerdoti, ne dum exactam perfectionem inspirare satagit, graviores culpas procuret; sunt tamen multa, quæ, si se det occasio, præterire nequit: imo circa quæ pœnitentem, si dubiæ sit pietatis, etiamsi ad hæc viam non aperiat, examinare tenebitur. Sic interrogabit, an comparti debitum exigenti denegaverit, & quare? an quid fecerit, ne numerosiorem prolem haberet, aut ne uxor ex conceptu in aliquod vitæ periculum veniret? an non extra actum conjugalem sponsam tetigerit impudice, aut pares ejusdem tactus admiserit? Sunt enim hæc peccata ad minus venialia, ut ajunt Resolutiones Pastorales Diœcesis Genevensis a. p. tit. 6. n. 12., & juxta Comitolum peccata letalia; unde in praxi saltem pro dubiis mortalibus haberi debent, & semper pro mortalibus, ubi inest periculum pollutionis?

Hic obiter addam, conceptionem immoderato caffæi, ac chocolati usu impediri posse. Ita docet Auctor Collat. Paris. Tom. 1. pag. 372. & addit se cognovisse, quæ vim remedii hujus expertæ, illud amicas suas docuerint. Certe quæ hac intentione, aut cognito horum liquorum periculo, iis, aut similibus ultra modum utuntur, gravissime peccant, & pro se, & pro aliis, quæ secretum hoc edocuerint, pœnitentiam agere tenentur.

Quæres quæ sint contra impuritatem remedia.

R. decem esse præcipua. Primum est intima convictio possibilem esse castitatis praxim, cum æquior & benignior sit Deus, quam ut jubeat impossibilia. Et vero cur non posset vir hactenus incontinens, quod divina fretus ope potuit Augustinus? quod potuere tot summæ, & infimæ sortis Virgines, quod tam egregie executus est Joseph, juvenis, & servus?

Secundum est oratio frequens, & vivida. *Miserere mei, Domine*, ajebat Rex Propheta, *quoniam infirmus sum*, &c. *Cor mundum crea in me Deus*. *Mites fac,& custos*, &c. Orationi accedat lectio piorum Librorum, quæ mentem avocat a terrenis cogitationibus, & sancta in corde desideria parit: item meditatio pia tum Christi, qui pro impudicitiis nostris maledictum tactus, easdem sævissimis doloribus expiavit; tum pœnarum,

quæ

quæ libidinosis in æternum constitutæ sunt: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Eccli. 7. *Momentaneum quod delectat; æternum quod cruciat.*

Tertium est custodia sensuum, maxime visus. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius .... propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit* ( Eccli. 9. ). Quale, & quantum veritatis hujus exemplum in David, in Salomone? &c. Merito igitur Augustinus Epist. 109. *Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquem, figantur in neminem .... Nec solo tactu, sed affectu quoque, & aspectu appetitur, & appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos*. Hinc Job. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.*

Quartum est moderatus vini usus, quod & modice, & aqua plurima dilutum bibi, præsertim a juvenibus omnino oportet. Est enim *luxuriosa* res vinum. Nec a potu solum, sed & ab immoderato ciborum usu abstinendum: nimia enim sanguinis, & humorum congeries, carnis pruritus excitat: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus* ( Ezech. 16.).

Quintum fuga tum otii, quod *multam malitiam docuit*: tum occasionum, unde castitas labefactari queat, quales sunt juvenum depravatorum frequentatio, lectio Librorum amatoriorum, spectacula, choreæ, comœdiæ, longa cum personis alterius sexus colloquia. *Mulier & caro duplex, & cumulata infirmitas*, ait S. Hildebertus Cenomanensis. Cæterum sua sunt ipsi sanguinis propinquitati pericula: unde monendi sunt, imo cogendi parentes, ne fratribus etiam, & sororibus communem lectum permittant, statim ut eorum alter rationis usum attigit, quin ubi jam puberes fieri incipiunt, & antea forte, sinendum non est, ut in eodem cubiculo noctu commorentur: hæc enim primas esse multiplicis mali radices docet experientia.

Sextum vera, & profunda humilitas; *Initium enim omnis peccati*, & præsertim impudicitiæ *est superbia* ( Eccli. 10. ), quæ exsiccat fontem gratiarum, & a Deo graviorum lapsuum permissione punitur secundum id Augustini Lib. 14. de Civ. Dei c. 3. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.*

Septimum est frequens confessio, & communio ad arbitrium prudentis Confessarii. Proderit confessio iis etiam, qui necdum sentiunt se a vinculis liberos. Certe si amicus sagax insipientem amicum quandoque retrahit a præcipitio; quid non aget, Deo juvante, Director pius? His accedat mortificatio carnis, quæ ut cruciat semper, semper cruciari debet. *Mortificate* igitur *membra vestra, quæ sunt super terram*. Offerte corpora vestra in hostiam viventem. Ejicite per orationem, & jejunium dæmonem pessimum, qui non aliter ejici potest.

Octavum est amor effusus in pauperes, eleemosyna, aliæque actus misericordiæ, quibus præteritæ labes redimuntur, & ad præcavendos lapsus impetrantur uberes Dei gratiæ.

Nonum est pia ad Dei præsentiam attentio. Provideat igitur homo *Dominum in conspectu suo semper*; recordetur præsto adesse Angelum corporis sui Custodem. Quis id coram Deo facere ausit, quod me præsente non auderet?

Decimum est gravis, & vivax repulsa tentationis, statim ac ea se se obtulerit. Allidendi sunt ad petram parvuli Babylonis, ne cum vires sumserint, sumunt autem facile, jam expugnari non possint. Ceterum resistere quis potest ad alia objecta animum convertendo: si tamen perduret tentatio, recurrendum erit ad orationem, cogitandum de morte, aut manu ad ignem admota, dicendum cum Solitario quodam: Qui umbratilem æstum ferre non potest, quomodo habitare poterit *cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis*, qui indubia sunt luxuriæ remuneratio?

## CAPUT SEPTIMUM.

*De septimo Decalogi præcepto. Remissive.*

SUmmum Dei erga homines amorem exhibet, & demonstrat tota Decalogi series: scilicet enim supremum numen non modo vitæ, corporisque nostri famæ, & existimationis patrocinium suscipit, cum homicidium, & mœchiam severe prohibet, sed & bona etiam nostra suam recipit in fidem, eaque contra invasores tuetur septima hac Decalogi lege, *Non furtum facies*, quæ cum generalis sit, ad omnes prorsus dirigitur; ita ut nec divitibus, quia potentes sint, liceat opprimere viduam, & orphanum; nec pauperibus, quia egeant, fas sit divitum bona deprædari, vel imminuere.

Præceptum hoc sicut cetera, duas in partes dividitur, quarum altera, quæ furtum vetat, aperte est enuntiata, alterius vis, qua jubemur liberales esse in proximos, in priore occulta est.

Utramque partem Fidelibus crebro inculcandam esse convincit praxis S. Pauli, qui jam ab initio Ep. ad Rom. furtum his increpat verbis: Qui *alium doces, teipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris*. Multo magis commendavit Sanctus Gentium Doctor liberalitatem in pauperes, eos præsertim, qui ob susceptam Christi fidem penuria conficiebantur: huc nempe collineant pleræque ejusdem Epistolæ. Non deerunt sane e Pastoribus, qui quoad primum caput Apostolum facile imitentur; cum pauci admodum sint indolis adeo perversæ, ut aliorum rapiant: at deerunt multi, qui eundem in sanctæ erga pauperes profusionis exemplo efficacter æmulentur. Nempe vero Sacerdotalis progenies sæpius tenax est, & avara, lucro inhians, avide quærens quæ sua sunt, de obolo pene disceptare parata; adeoque inefficacitet exhortans ad misericordiam, quam ipse non præstat.

Utraque delicti species, furti scilicet, & durioris in pauperes animi, præsentis Capitis materia esset, nisi de his alibi dissertum foret: sed quia de furto, & restitutione, de mutuo item gratis dando ample dicam inferius; de eleemosina autem, & Ecclesiasticorum

sticorum bonorum usu jam dixi, eo Lectorem remitto.

---

## CAPUT OCTAVUM.

*De octavo Decalogi præcepto.*

OCtavum præceptum his exprimitur verbis: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Hic autem per proximum intelligitur omnis, qui testimonio nostro eget, sive ille propinquus sit, sive alienus, sive civis, sive advena, sive amicus, sive inimicus. Neque enim adversus inimicos falsum loqui licet, cum eos Christus sincere diligi præcipiat. Quin & proximi nomine unusquisque nostrum respectu sui intelligitur; unde nec nobis contra nos mendacibus esse licet.

Præcepti hujus sicut & præcedentium duæ sunt partes: altera prohibet ne falsum dicamus testimonium, sive extra judicium, sive intra, imo ne sinistre cogitemus: præcipit altera, ut simulatione, fallaciisque sublatis, dicta, & facta nostra simplici veritate metiamur. Itaque ut octavum præceptum explicetur quantum est, agendum: I. de mendacio. II. de diffamatione proximi apud nos interius facta, & consectariis ejus detractione, & contumelia. III. de falso apud Judices testimonio. De detractione dicam alibi, cetera hic prosequar.

### ARTICULUS PRIMUS,

*De Mendacio.*

MEndacium definiri potest Locutio, aut significatio contra mentem, cum intentione fallendi. Est I. *locutio, aut significatio*, quia ut ait Augustinus Lib. de mendacio c. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* (*T.* 6. *p.* 4.) Est II. locutio *contra mentem*, quia mentiri est contra mentem ire; atque ideo ad mendacium necesse est, ut homo id falsum esse putet quod dicit. Unde liquet mendacium non tam opponi veritati, quam veracitati, quæ est virtus mentem inclinans ad efficiendum, ut signa, quibus animi cogitationes exprimimus, iisdem cogitationibus semper congruant.

Hæc additio *cum intentione fallendi* consonat his S. Augustini verbis Enchir. 22. *Omnis, qui mentitur contra id, quod animo sentit, loquitur voluntate fallendi*. Certe qui diceret: *Hodie huc reversus sum e Constantinopoli*, nugari censeretur, non mentiri, quia non intenderet fallere.

Mendacium triplex: *perniciosum*, quod alteri nocet, ut cum quis falsum alii crimen impingit: *jocosum*, quod fit animo oblectandi eos, quibus falsum quid narratur: & *officiosum*, quo bonum alicujus intenditur sine alterius injuria. Jam quæritur, an mendacium omne sit peccatum, & quale. Sit

CONCLUSIO I. Mendacium omne est peccatum. Est præsertim contra Priscillianistas, qui mendacio, & perjurio hæresim suam occultabant.

Prob. I. ex Script. Levit. 23. *Mendacium fugies*, utique quia malum. Ephes. 4. *Deponentes mendacium.* I. Joan. 2. *Omne mendacium ex veritate non est*: sed quod non est ex veritate, malum est essentialiter, quia essentialiter repugnat Deo, qui est summa veritas.

Prob. II. ex SS. Patribus, quorum alii, ut Justinus Martyr Apolog. 2. scribunt Christianos mori malle, quam mentiri; alii, ut Augustinus, omne prorsus etiam officiosum mendacium condemnant, adeo ut velint sine baptismo relinqui infantem, qui non nisi post deceptos mendacio Custodes baptizari possit. *Si ergo*, ait S. Doctor c. 20. Libri contra mendacium, *si veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati, quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipsi est contrarium veritati?* Augustinum porro secuta est tota Theologorum Schola, ipseque Pontifex Alexander III. c. 4. *De usur.* statuit, quod *Scriptura Sacra prohibet pro alterius vita mentiri*.

Prob. III. ratione: Quod multam includit deformitatem licitum esse non potest: atqui mendacium .... I. enim nocet mentienti: cum qui in levibus mendax deprehenditur, amittat fidem in majoribus, seque ipsum ad officia Christiana, & civilia inhabilem reddat. II. nocet proximo, cujus animum imbuit falsitate: est enim falsitas malum mentis, sicut mentis bonum est veritas. III. nocet Reipublicæ: hujus enim bonum in mutuo hominum commercio situm est, & hoc utique tollitur, si frater fratrem mendaciter circumveniat.

CONCLUSIO II. Mendacium perniciosum est peccatum ex natura sua mortale: jocosum autem, & officiosum sunt tantum venialia.

Prob. 1. pars. Illud est mortale peccatum, quod non modo veritati, sed & charitati, ac justitiæ adversatur: porro tale est mendacium perniciosum, ut ex ipsius definitione liquet. Unde Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*. Idem tamen peccatum ratione indeliberationis, aut propter illati nocumenti levitatem potest esse solum veniale.

Prob. 2. pars ex S. Augustino in Psal. 5. ubi sic: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut, ut prosimus* proximo, *mentimur* (*T.* 4. *p.* 13.). Consonat id S. Gregorii L. 18. Moral. c. 2. *Summopere cavendum omne mendacium, quamvis nonnunquam sit aliquod mendacium culpæ levioris*. Et vero mendacia jocosum, & officiosum veritati quidem repugnant, sed non nisi leviter adversantur charitati; tum quia opinio, quam generant, nulli graviter est nociva; cum sit circa res, de quibus parvi tua refert, an sic, vel aliter sentias; tum quia finis intentus est solum levis aliqua delectatio, vel unius commodum sine alterius præjudicio saltem gravi; ergo.

Obj. contra primam Conclusionem: I. quod mentitæ sint obstetrices Ægyptiæ, & tamen Deus ædificavit illis domos. II. mentita est Raab pro exploratoribus, & ideo liberata est. III. David 1. Reg. 21. narrat Abimelech Sacerdoti se ad eum a Rege missum fuisse.

IV.

IV. negat Amos esse se Prophetam, & tamen Propheta erat. V. Paulus Act. 23. ait se nescisse illum, cui maledicebat, summum esse Pontificem, quem tamen vel ex ipsis vestibus cognoscebat indubie. VI. melius esse puellam, cui imminet stuprator, mentiri, fingendo v. g. se nuptam esse, quam incurrere dispendium vitæ, & forsan æternæ salutis. Sed hæc non nocent. Unde

R. I. generaliter cum Augustino Lib. contra mendacium cap. 9. *Constat, quod non omnia, quæ a Sanctis, vel justis viris legimus facta, transferre debeamus in mores.* Quoniam vero solutio hæc omnibus, quæ objecta sunt, exemplis accommodari nequit, singula singulatim perstringenda sunt. Unde.

Ad 1. & 2. nec obstetrices Ægyptiæ, nec Raab excusari a mendacio possunt: *Quod ergo scriptum est bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Raab .... non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt: Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia*, ait Augustinus ibid. cap. 15. Adde quod Raab, & obstetrices a peccato propter bonam fidem forte immunes fuerint, quia *utrum sit aliquando vel pro cujusquam salute mentiendum, cum quæstio sit, in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum mulierculorum in illis populis constitutarum, & illis moribus assuefactarum excedebat modum*. Ibid. n. 33.

Ad 3. erat David sicut & *omnis* alius *homo mendax*: unde absit ut quidquid ab eo factum est *in mores*, & exemplum *transferre debeamus*.

Ad 4. sensus Amos est, eum nec prophetasse unquam, nec a parentibus esse formatum esse, & quasi præparatum ad Prophetici spiritus receptionem, cum eum ex improviso tulit Deus e grege, & dixit ei: *Vade, Propheta, ad populum meum Israel*. Ibi autem quid vel specie tenus adversum veritati?

Ad 5. Duplex est expositio verborum Apostoli. Alii censent eum ironice locutum, ut sensus sit: Nesciebam Pontificem esse, sed potius pro Tyranno habebam hominem, qui nedum jus mihi faciat, contra fas omne jubet me ignominiose cædi. Alii & communius censent reipsa ignotum fuisse Paulo summum Sacerdotem; tum quia tunc temporis ob exiles admodum causas mutabantur summi Sacerdotes; ita ut Ananiam, de quo agitur, non nisi tres menses Sacerdotium gessisse scribat Josephus Lib. 20. Antiquit. c. 8., tum quia Paulus a septem solum, aut octo diebus redierat Jerosolymam, ibique tot distentus erat negotiis, ut facile potuerit non videre summum Pontificem, cujus alunde conspectum reformidabat. Ceterum Pontifex non nisi in templo penes vestem ab aliis distinctus erat.

Ad 6. una sufficiet nobis Apostoli responsio, *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Durum quidem est vitam amittere, sed durius offendere Deum. Interim quæ pudicitiam mendacio redimere non vult, mirum, si dum ex tam puro Dei amore stuprum patitur invita, adeo delectatur, ut intus delectetur actione nefaria.

Obj. contra secundam Conclusionem. Ex Augustino Lib. contra mendac. c. 5. mortaliter peccat qui mentitur, *ut ab errore, ac furore hæreseos liberet homines*: atqui si in hoc casu letaliter peccatur, a fortiori in ceteris.

R. neg. maj. non enim simpliciter docet Augustinus mortaliter peccari ab iis, qui mentiuntur, ut hæreticos liberent ab errore, sed qui mentiuntur fingendo se pariter esse hæreticos: quisquis autem sic agit, Augustino graviter reus videtur, nec immerito: quia *latens videt vera, & volens loquitur falsa* in materia fidei

Ex his colliges: I. nullam esse occasionem, in qua liceat mentiri; unde peccat qui mendacium confingit, ut detegat hæreticos, ut reparet detractionem, ut castitatem, aut vitam suam servet, ut servet vitam vel infantis sine baptismo morituri, vel innocentis ad mortem quæsiti.

Colliges II. mendacium eo esse gravius, quo gravius non veritati solum, sed & charitati, aut justitiæ adversatur. Hinc graviter peccant I. Theologi, Casuistæ, Jurisperiti, Medici, &c. qui seu in fide, seu in materia morum, seu in interpretandis legibus aliquid docent, unde grave immineat proximo nocumentum temporale, aut spirituale; nec ulla in fide, aut moribus excusare potest levitas materiæ. II. qui in Concionibus sacris, vel potius sacrilegis annuntiant falsa miracula, fictas indulgentias, aut reliquias. Item qui Sanctis, quorum præcones sunt, imaginarias dotes attribuunt; tum quia sic religionem, religionisque Heroes exponunt ludibrio, tum quia graviter indecens est, ut qui funguntur legatione pro Christo, non loquantur *quæcunque vera, quæcunque sancta*. III. qui in confessione vel falsum sibi crimen imponunt, quod rarum est, vel verum sic imminuunt, ut ex letali peccato faciant veniale. Aliud esset, si ex quadam simplicitate dicant se quid plures fecisse, quam fecerint, quia verentur, ne non dicant satis.

Colliges III. simulationem, hypocrisim, adulationem, & jactantiam, totidem esse peccata; quia vel mendacia sunt, vel includunt mendacium. Haud tamen æqualis sunt deformitatis, cum non æqualiter offendant Deum, aut æqualiter proximo noceant, vel Reipublicæ. Quod ut pateat magis, juvat hic paulisper immorari. Itaque

Simulatio est mendacium facti, seu fictio, qua quis per aliqua signa rerum, aut factorum significat contrarium ejus, quod habet in mente, ut dum qui intus ardet odio, exterius amicitiam exibet. Simulatio sic proprie sumta semper est peccatum, & mortale, quoties proximus inique decipitur in re gravi.

Hypocrisis est species simulationis, qua quis factis, verbisve, aut utrisque simul exterius fingit sanctitatem, quam reipsa non habet. Grave est peccatum hoc, cum sanctitatem contemnit, aut eam simulat, *ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcunque alia temporalia bona, in quibus finem constituit* (S. Thom.). Atque id indicat repetitum illud Christi: *Væ vobis hypocritæ*; & Isaiæ 9. *Omnis hypocrita est & nequam.* Non omnis tamen, qui sanctitate caret, etiamsi alium

de peccatis teprehendat, nec omnie, qui sua peccata occultat, ne alios scandalizet, hypocrita est dicendus; sed is, qui eo fine sanctitatem simulat, ut quam non habet, habere videatur.

Adulatio, qua quis erga proximum excedit in laude, vel complacentia, semper est peccatum; quia, ut ait Hieronymus Epist. ad Celantiam, *nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat: unde & quidam Sapiens ait*, Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. Non est tamen peccatum mortale, nisi cum *charitati* graviter *contra riatur*, ( *S. Thom.* 2. 2. *q.* 115. *art.* 2. ) *puta cum aliquis laudat alicujus peccatum* mortale ( *Sylvius hic.* ); aut *alicui adulatur ad hoc, quod fraudulenter ei noceat vel corporaliter, vel spiritualiter*; aut *cum laus adulatoris sit alteri occasio peccandi, etiam præter adulatoris intentionem. Et in hoc considerare oportet, utrum sit occasio data, vel accepta, & qualis ruina subsequatur*, aut subsecutura prævideri potuerit.

Jactantia est species mendacii, quo quis exterius se effert supra id, quod in ipso est. Hæc peccatum est, non tamen semper letale.

Qnæres, an veritatis amor exigat, ut homo homini patefaciat quidquid habet in animo, vel quidquid cognoscit veri. R. neg. *Aliud* enim *est mentiri*, ait S. Augustinus in Psalm. 5. *aliud verum occultare.* Quin & duo hæc adeo differunt, ut vituperio dignus sit, qui falsum loquitur, ne amicum prodat; contra vero dignus sit laude, qui ut amicum servet, veri quid supprimit. Quapropter ut actus veracitatis ad virtutem pertineant, oportet, ut non manifestetur veritas, nisi quando, & quomodo rectæ rationi est consentaneum. Et vero præceptum veri dicendi affirmativum est, & proinde non obligat *semper, & pro semper*, sed tunc solum cum exigit ordo virtutis. Quoniam vero materia hæc nonnullius est momenti, idcirco duabus regulis explicanda est. Sit ergo

Regula I. Homo veritatem occultare debet, quoties ex ejus manifestatione gravior, quam ex ejusdem reticentia sequetur Dei, suive, aut proximi injuria. Ratio est, quia exigit æquitas, ut homo nec Deo, nec sibi, aut proximo gratis noceat; aut saltem ut malum, quod prævidet per accidens ex actione sua secuturum, majori bono compensetur.

Hinc I. occultanda est veritas cœlestis, seu cum prævidetur ab auditoribus deridenda, secundum id Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus*, &c. seu cum auditorum captum excedit: qua de causa ajebat Salvator Joan. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*; seu demum cum ex aperta veritatis prædicatione prævidentur tumultus, divino honori, & saluti populorum perinde exitiosi.

Hinc II. occultare veritatem debet, qui eam detegendo sibi gratis noceret: sic dicere debuit Samuel senioribus Bethleem, se venisse ad immolandum Domino, & reticere, se & magis venisse ad ungendum David in Regem; quia secundæ hujus veritatis evulgatio boni nihil peperisset, mali plurimum. Pari de causa qui scit initas contra hostem molitiones, proditor est, & graviter delinquit, si easdem revelet.

Quod si agitur de damno, quod quis pati potest sine cujusquam præjudicio, tunc potest is veritatem detegere, sed non tenetur. Sic mercator, qui novit brevi futuram mercium copiam, aut penuriam, potest suum sibi secretum servare. Sic qui arcanam morbi propellendi rationem callet, haud tenetur eam spargere in vulgus, nisi id exigat bonum universale.

Hinc III. veritatem supprimere debet, qui eandem sine iniqua tertii denigratione pandere non potest, juxta id Proverb. 4. *Detrhaentia labia sint procul a te.* Idem est de eo, qui loquendo proderet secretum, quod sine cujusquam injuria servare potest, contra id Prov. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.*

Regula II. Manifestanda est veritas, quoties id exigit rectus ordo. Exigit autem I. cum ex veritatis manifestatione virtus roboratur, aut ex ejusdem suppressione imminutionem patitur. II. cum eam pandi præcipiunt politici, aut Ecclesiastici Superiores absque ullo suæ potestatis abusu. III. cum est e bono Ecclesiæ, aut Reipublicæ veritatem palam efferri, ut si alioqui immineat periculum hæresis, aut occulta machinatio contra Principem, vel contra innocentes, quos a nefariorum artibus servari exigit commune bonum. IV. cum quis juridice interrogatur seu intra, seu extra forum conscientiæ, de quo paulo post. In his porro casibus remoto procul æquivocationum, aut restrictionum mentalium usu, quisque ita sincerum se exibere debet, ut nec unguem secedat a veritate.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De interna proximi Diffamatione.*

POtest alius de alio sinistre cogitare per dubium, suspicionem, opinionem, & temerarium judicium. Quæ omnia, quoniam materia frequens est, & gravis, accurate evolvere conabimur.

Dubitatio est hæsitatio animi non magis declinantis in unam partem, quam in aliam.

Suspicio est propensio mentis ad assentiendum uni parti potius, quam alteri, ita ut tamen mens nondum plene assentiatur; quia licet videat, aut videre credat aliquam veri speciem in una parte, non in altera; nihil tamen percipis, quo ad plenum judicium conducatur.

Opinio est verus assensus, sed non ita firmus, ut excludat formidinem errandi; seu est determinatum judicium de veritate unius partis cum formidine de contrario.

Judicium est assensus fixus, & firmus, adeoque omnem errandi formidinem excludens. Omnia hæc uno eodemque patefient exemplo. Videt Titius Petrum nescio quid insusurrare auribus Joannis, non magis judicat eos de se fausta, quam infausta loqui; en dubitatio. Paulo post propendet, ut credat eos contra se mali quid effutire, necdum tamen id judicat; en suspicio. Judicat subinde eos de se male loqui,

qui, quanquam & sentit se posse falli; en opinio. Demum certo pronunciat intus, se totam colloquii materiam esse; eo judicium. Hæc autem omnia respective temeraria erunt, si nitantur indiciis, quæ non sufficiant ad fundandum dubium, suspicionem, &c. unde temerarie suspicatur, aut judicat, qui progreditur ultra quam permittat gravitas motivorum, quibus ad suspicandum, vel judicandum determinatur.

Levia porro censeri debent indicia, quæ habita ratione facti, personæ, loci, temporis, ceterarumque circumstantiarum non sufficiunt, ut vir prudens moveatur ad sic dubitandum, suspicandum, opinandumve, aut judicandum de proximo: Contra vero gravia reputari debent, quæ virum prudentem moverent ad sic, vel sic judicandum. Sic si videas hominem, qui nocte, & clanculum alienas ædes perforat, aut per fenestras ascendit, habes sufficienter unde judices eum furtum, aut mali quidpiam animo meditari: secus si hæc ab eo plena luce, & coram omnibus fieri videas. Sic minora sufficiunt indicia, ut malum imputes, v. g. ebrietatem ei, qui ebrietatis consuetudinem habet, quam ut alteri. Sic si persona, quæ alterius actionem refert, sit proba, nec assueta detrahere de aliis, aut incerta pro certis spargere, aliunde vero nihil sit inter utramque odii; grave indicium est commissum fuisse id, quod refertur, si referatur de vulgari quopiam, qui simile quid operari idoneus sit. Si vero ille, de quo delictum narratur, sit etiam persona notæ probitatis, jam viri etiam honesti testimonium non sufficit, ut judices, imo nec ut opineris; sed sufficere poterit, ut dubites, & intus dicas: Forte fecit, quia alioquin talis non assereret; forte, non fecit, quia vir est bonæ frugis, & potest alter decipi. Ratio est, quia motiva, quæ ad judicium non sufficiunt, satis esse possunt ad opinionem, sicut quæ ad opinionem, aut suspicionem satis non sunt, sufficere possunt ad dubitationem.

Hinc colliges famam de peccato alterius quandoque excusare a temeritate suspicionis, aut judicii, quandoque non. Excusabit, si auctorem habeat certum, dignum fide, & qui nihil nisi undecunque probabile retulerit: secus, si nullo certo nitatur auctore, aut certo quidem, sed levi, & qui fidem non mereatur.

Ceterum notat Cajetanus aliud esse judicium de opere, aliud de persona. Audit quis v. g. alios scurrilia loquentes, & ex inscitia credens actum hunc esse secundum se peccatum mortale, judicat eos, qui hæc locuti sunt, peccasse mortaliter; *non incurrit is peccatum judicii temerarii .... quoniam non judicat personam, sed opus, nec errat in judicio personali, sed in judicio rerum. Tunc autem temerarie judicaret, quando esset judicium personale, ita quod ex parte intentionis, seu animi* loquentium *judicaret* (*Cajetan.*) hujusmodi collocutores pessime esse affectos; nihil salutem suam curare, &c. & tunc gravius adhuc peccatum erit, & detractionis malitia cumulatum, si judicium ipse suum, aut pravam quam animo concepit suspicionem aliis aperiat. Jam sit

## SECTIO PRIMA.

### *De Judicio, & Suspicione.*

CONCLUSIO I. Judicium temerarium est peccatum mortale; idque contra justitiam, quoties est notabiliter temerarium, vere voluntarium, & in materia gravi.

Prob. I. ex Luc. 6. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini*; ergo qui grave contra proximos judicium ferunt, graviter condemnabuntur.

Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* I. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare*, &c.

Prob. II. Peccatum, quod gravem proximo injuriam infert, justitiam mortaliter lædit: atqui tale est judicium temerarium; tum quia lædit jus, quod quisque habet, ne reputetur malus, donec sufficienter probetur talis; tum quia sicut graviter noces ei, quem apud alium infamas, sic ei graviter noces, quem infamas apud teipsum.

Dixi I. *quoties est notabiliter temerarium*, id est, quoties motiva, quibus innititur, notabiliter distant ab iis, quæ necessaria forent viro prudenti, ut is idem judicium ferret. Quod si motiva judicii tui parum distent a sufficientibus, veniale erit peccatum, quia levis fuit temeritas: imo poteris falsum judicare, nec tamen judicare temerarie, secundum id S. Thomæ quodlib. 12. a. 34 *Judicium de personis licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium*. Sic judicare potes hominem ebriosum sua hodie, ut semper, culpa ebrium esse, etsi fieri absolute potest, ut alterius dolo inebriatus fuerit.

Dixi II. *quoties est vere voluntarium*. Unde si judices ea sola mentis promtitudine absque deliberato consenso, nullum erit peccatum: tunc enim non tam erit judicium, quam repentina cogitatio, circa quam interrogatus quis, an certo credat de proximo, id quod statim de eodem cogitavit, sæpius responderet se nec credere certo, nec credere velle. Hinc Confessarius non statim mortalis peccati reos existimabit tot homines, qui verentur ne temere judicaverint de proximo; verum considerabit statum, & dispositionem pœnitentis. Si pœnitens timoratæ sit conscientiæ, & credat se non fuisse consensurum malæ cogitationi, si cum hæc irruit, animadvertisset ipsam esse temerariam, regulariter non erit metuendum de mortali, etsi diu perduraverit cogitatio; & hæc regula habet locum etiam in timoratis, qui variis circa fidem, & castitatem cogitationibus, & tentationibus affliguntur. Si vero pœnitens sit parum de salute sua sollicitus, sed aliorum vitam carpere solet, & in eam inquirere, ut faciunt devotæ quædam, tunc in dubio an pravæ cogitationi consenserit, semper habere debet scrupulum de mortali, ideoque rem totam confiteri ad minus ut dubium mortale. Quod si cuipiam suum de alio sensum maligne patefecerit, jam peccavit dupliciter: I. quia sic utcunque consensum suum firmavit. II. quia plerumque imprudenti hac agendi ratio-

tione pejorem de proximo ideam inseruit aliis, quam haberet ipse.

Dixi III. & *in materia gravi*. Gravis porro censetur materia: I. peccatum mortale, quia quisquis hujus reus esse judicatur, judicatur esse Dei inimicus. Excusant tamen non ignobiles Theologi a gravi peccato eos, qui ex parvis indiciis judicant hominem ebriosum esse ebrium; juvenem perditum, qui cum puella loquitur procaci modo, eandem sollicitare ad malum, &c.

II. Peccatum etiam veniale, cum per judicium mentis affingitur alicui, de cujus æstimatione multum detrahit, attentis personæ statu, & qualitate, ut si judices Sacerdotem, vel Religiosum ea consuetudine mentiri, monialem munditiam vestium ad inanem gloriam affectare, vanos in locutorio cum secularibus miscere sermones, &c.

III. Quin & gravis materia esse potest id, quod licet non sit in se peccatum, graviter tamen lædit honorem proximi, ejusque, si pervulgatum esset, famam detereret notabiliter: ut si temere judices virum honestis, ac catholicis parentibus natum spurium esse, vel a Judæis progenitum, eumque ideo contemnas, aut honoribus indignum existimes. Item si fatuum censeas illum, qui nulla, aut insufficientia dedit amentiæ signa. Ratio est, tum quia dementes facile despicimus, tum quia cum actus exterior mortale est peccatum, actus interior, a quo ille procedit, est etiam peccatum mortale: porro vocare aliquem fatuum injuriose, & contemtibiliter, mortale est peccatum, juxta id Matth. 5. *Qui dixerit* fratri suo, *fatue, reus erit gehennæ ignis*. Addit Sylvius mortaliter peccare eum, qui sciens grave aliquod crimen commissum fuisse, judicaret illud commissum esse ab aliquo hujus Communitatis, non determinando personam, sed corpus duntaxat, cujus eam membrum esse judicet: ita ut ejusmodi judicium redundet in contemtum, vel perversam æstimationem Communitatis.

Cum peccatum justitiæ oppositum inducat obligationem restituendi, certum est eam ex judicio temerario nasci debere: hanc autem adimplebit temerarie judicans: I. quæ inique tulit judicia interius retractando. II. quæ sibi deinceps circa personam subovientur dubia, meliorem in partem interpretando; de quo infra.

CONCLUSIO II. Qui temerarie de proximo opinatur in malum, licet minus peccet, quam qui temerarie judicat, mortaliter delinquit.

Prob. quia opinio licet minus firmum, verum tamen judicium includit; ergo cum quisquis de proximo temerarie judicat in materia gravi, letaliter peccet, letaliter peccare debet, qui male, & sine sufficienti causa de proximo opinatur.

Confirm. quia supra citati Scripturæ textus non modo firmum, & constans de proximo judicium, sed & malum quodcunque judicium generaliter reprobant; ergo & illud reprobant genus judicii, quod opinioni necessario inhæret. Neque enim ad grave peccatum requiritur certitudo judicii, cum dubius in fide mortaliter peccet, nisi excuset indeliberatio

Circa suspicionem duo quæruntur: I. an criminosum sit ex levibus conjecturis de aliorum actionibus temere suspicari. II. an dubia proximi dicta, vel facta, quæ nimirum pro secreta ejus intentione bona esse possunt, vel mala, meliorem in partem interpretari oporteat. In re admodum controversa.

Dico I. Non peccat, qui de proximo malum suspicatur ob causas sufficientes.

Prob. quod licet in genere judicii, hoc in genere suspicionis licitum esse debet: porro licet judicare malam esse proximi actionem, cum adsunt sufficientes id existimandi causæ. Est enim judicium istud consentaneum prudentiæ, quæ permittit, si non imperat, ut malum judicetur quidquid sufficienter constat esse malum.

Dico II. Qui ex malo erga proximum affectu grave de eo malum deliberate suspicatur ex levibus causis, peccat mortaliter.

Prob. I. Peccat mortaliter, qui sciens & volens immoratur cogitationi proximo graviter injuriosæ: atqui sic se habet qui ex malo erga proximum affectu grave de eo malum deliberate suspicatur. Si enim virum Religiosum, qui bonum nomen habet, suspicaris impudicum esse, quia jocosi quidpiam dixerit, & male in eum es affectus, jam libere immoraris cogitationi, quæ eidem graviter est injuriosa: I. quia agis contra jus, quod habet, ne probitas sua ob causam tam levem in dubium vocetur; & a fortiori, ne, ut in suspicione contingit, magis propendeas in condemnationem, quam in absolutionem ejus. II. quia si sciret is quid de se cogites, haberet se graviter offensum, tuque in pari casu similia de te sentiri ferres ægerrime; ergo.

Prob. II. Talis est interior animi actus, qualis exterior, qui ab eo profluit: atqui actus exterior a prædicta suspicione procedens indubie mortalis esset. Si quis enim rogaretur, an Parochus, cui semper publica fama mores dedit integros, Catholicus sit, aut pudicus, & propter levia indicia responderet, se de eo dubitare, quin & in id procedere, ut credat contrarium; is sane peccaret graviter, etiamsi rem non daret ut certam; ergo etiam graviter peccat, cum sciens & volens talem in se suspicionem servat, aut tale dubium non ejicit.

Dico III. Qui ex errore intellectus grave quid ex levi causa de proximo volens suspicatur, aut dubitat, reus videtur mortalis ad minus dubii.

Prob. I. quia hic urgent probationes mox adductæ. Etsi enim qui non movetur speciali malevolentia, minus peccat, quam qui ex malo affectu malum proximi suspicatur; certum tamen est, eum in corde fovere cogitationes proximo graviter injuriosas, quas, postquam satis advertere potuit, expellere tenebatur: atqui hæc ratio gravem videtur deformitatem importare; ergo tutius est, ut pœnitens id confiteatur ad minus ut dubium mortale.

Prob. II. quia si res coram Deo appendatur, facile apparebit, hujusmodi suspiciones, quoties in personam cadunt, non oriri quidem ex speciali malevolentia erga hominem forte ignotum, sed ex generali ea malignitate, qua omnes nativo quodam impetu aliorum mores inquirimus, & carpimus

ut

ut si mali sumus, eos nobis esse pares gratulemur: si boni, pharisaice lætemur, quod non sumus *sicut cæteri*, aut plerique *hominum*.

Obj. Si dubitatio, suspicio, & opinio essent peccata letalia, socialis hominum conversatio plena esset scrupulis, ac periculis: quandoquidem, ut ait S. Augustinus, ( *Tract. 90. in Joan.* ) *in his rerum tenebris suspiciones vitare non possumus*: atqui consequens indignum est bonitate Dei, qui novit figmentum nostrum, & quam nativo pondere feramur in suspiciones, quas ut aliis erga nos indulgemus, sic alii nobis erga se indulgere debent.

R. neg. maj. etsi enim perarduum est suspiciones repentinas impedire, deliberatas tamen, ac præsertim graves excludere haud difficile est iis, qui proximum diligunt sincere, & aliis facere nolunt, quod sibi fieri nolunt.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Dubio*.

JAm videndum, an sicut non licet de proximo dubitare in malum ob exiles causas, ita & illicitum sit causas vere dubias, & actiones, quæ inde profluunt meliorem in sensum non interpretari. Circa quod

Not. I. factum aliquod bonam in partem explicari posse negative, vel positive. *Positive*, cum absolute judicas illud esse bonum. *Negative*, cum nec judicas illud bonum esse, nec malum: sed judicium suspendis, ne proximum lædas.

Not. II. dubium quodlibet vel esse de re, vel de persona; quod autem de persona est, vel esse de nobis, vel de proximo; denique quod de proximo est, vel ejus tantum honorem respicere, vel curam eorum, quæ ad nos pertinent. Jam sequentes statuimus regulas.

Regula I. Dubia, quæ ad bona a nobis possessa pertinent, nec in meliorem, nec in deteriorem sensum sunt interpretanda, sed dividenda lance pene æquali. Ratio est, quia si dubitem, an gemma hæc sit mea, an alterius, non possum totum ejus valorem servare, sed eum cum altero partiri teneor; ( *Vid. Thom. 3. p. 43.* ) ita ut tamen quia possessor sum, melior sit conditio mea. Pariter si dubitem, an conjux hæc mea sit, an non ratione impedimenti dirimentis, possum quidem, & teneor ei nihil dubitanti reddere debitum conjugale, sed simul abstinere teneor ab exigendo.

Regula II. Dubia, quæ cadunt in actus nostros relative ad conscientiam, deteriorem in partem interpretari debemus, ubi vertitur animæ periculum. Ratio est, quia alioqui nulla esset necessitas confitendi dubium mortale; quod nemo admittere ausit. Cavendum tamen, ne ut certum aperiatur, quod vere dubium est.

Regula III. Dubia de rebus, ut in se sunt, in benigniorem partem flecti non debent, sed suis momentis æstimanda. ( *S. Thom. hic, a. 4.* ) Ratio est, quia *in judicio, in quo de rebus judicamus*, v. g. an merx ista tanti valeat, an tres contractus sint usurarii, *non attenditur bonum, vel malum ex parte ipsius rei, sed attenditur solum bonum judicantis, si vere judicet; vel malum, si falso*.

Regula IV. Quoties de præcavendo nostri, aliorumve damno agitur, licitum est dubia pejorem in partem interpretari, non judicando quidem, aut suspicando positive, sed *per quandam suppositionem*, ( *S. Thom. ibid.* ) id est, exterius ita nos gerendo, quasi is, quicum agimus, reipsa improbus esset, tametsi non credatur talis. Ratio est, quia talis est hæc agendi ratio, ut nec de ea conqueri possit proximus, qui nos in pari casu pari mensura metiretur, nec nobis ullam perniciem inferre possit, cum omnibus prudentiæ regulis congrua sit. Et vero sic nos *omnem* erga proximum *decet implere justitiam*, ut non deficiamus a charitate, quam nobis, nostrisque debemus: ab ea autem deficeret, qui ignotæ, aut dubiæ fidei viro se, sua, suosque sine prævio examine committeret; unde tritum illud: Diffidentia mater est securitatis.

Hinc si conjugatus videt juvenem, qui cum uxore, vel filia sua sermones miscere quærit, haud equidem judicabit mores ejus esse corruptos, poterit tamen impedire colloquium. Hinc patres qui in filiis, domini qui in servis, superiores qui in inferioribus dubia nequitiæ signa detegunt, etsi intus nihil debent suspicari mali, cum iis tamen ex quadam suppositione mali agere possunt, & debent, non puniendo quidem, sed monendo, objiciendo verisimilitudinem mali, quædam etiam interdicendo. Hinc qui suffragii jus habent, & de Novitii idoneitate dubitant, eundem finito novitiatu possunt, & debent excludere. Neque sic eum judicabunt incapacem, sed judicabunt tantum se non invenisse in eo sufficientia idoneitatis argumenta, ut ipsum positive judicent capacem.

Regula V. Ubi non agitur de præcavendo nostri, eorumve, qui ad nos pertinent, damno, dubia de proximis meliorem sunt in partem interpretanda. Ratio est: I. quia ita docuerunt Sancti. His verbis Nolite judicare, et non judicemini, *nihil aliud nobis præcipi existimo*, ait Augustinus Lib. 2. de Serm. in monte c. 18., *nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*.

II. Quia idem docent sequentes Juris regulæ: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda. In dubio nullus præsumitur nocens. In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*: porro si dubia in deteriorem sensum liceat interpretari, jam quis præsumetur nocens in dubio: jam non erit melior conditio possidentis, quandoquidem in dubio, & propter dubium proximus e boni, quod habet, nominis possessione deturbabitur.

III. Idem efficaciter probat hæc Christi regula: *Omnia, quæ vultis* rationabiliter, *ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Nemo enim est, qui malus haberi velit pro actione, quæ tam in bonam partem explicari potest, quam in malam.

Regula VI. Non semper necessum est dubia de proximo suborta meliorem in partem interpretari positive; id tamen necesse est ex hypothesi, quod suspensio judicii nostri sit proximo nocitura.

Prob. 1. pars, quam docet Cajetanus, Bannes, Sylvius, Henricus a S. Ign. I. quia præceptum bene

judicandi de proximo est affirmativum: porro præcepta affirmativa non obligant *pro semper*, sed suo loco, & tempore. Unde non dixit Christus: Semper judicate in bonum, sed: *Nolite judicare* in malum. II. quia in casu rationabilis dubii objectum est neutrum; ergo si quis tunc habeat se neutro modo, habet se, prout patitur natura objecti, quod cum rectæ rationi congruat, non potest esse peccatum, sicut nec potest esse peccatum, quod quis ex indiciis ad suspicandum vere sufficientibus vere suspicetur. III. quia plus non debemus ei, qui dubia mali dedit indicia, quam qui nulla prorsus: atqui non tenemur semper actu positivo judicare eum esse probum, qui nulla improbitatis argumenta dedit; ergo *non apparet, cur debeamus nobis caput frangere, ut prorumpamus in formalem actum opinionis, quo absolute judicemus talem hominem esse probum* ( *Ethic. amor.* ).

Prob. 2. pars, quia suspensio judicii, quæ damnum inferret proximo, eidem necessario est injuriosa, ut quæ ob causam insufficientem fiat. Hinc I. quando ex ea suspensione futurum est, ut bonam, quam hactenus de eo habuisti, opinionem imminuas, teneris dubium meliorem in partem interpretari: quia alioqui noces proximo, qui jus habet, ut alii de ipso bene judicent, donec de ejus malitia constet, de qua nec constat, nec constare potest, quandiu solum est dubium. Hinc II. extra cautelæ casum, de quo supra Reg. 4., oportet proximum in dubio perinde tractare, ac si bonus esset; unde ei consueta charitatis, & honoris officia exhiberi debent. Id enim postulat justitia, quæ non sinit, ut propter rem incertam spolietur homo solitis benevolentiæ testimoniis.

Obj. I. Qui actionem boni, & mali sensus capacem interpretatur benigne, exponit se errandi periculo; ergo non sequitur regulas prudentiæ, ac proinde male judicat.

R. I. eum, qui dubia interpretatur negative, nulli obnoxium esse erroris periculo; quia non tam judicat, quam judicium suspendit.

R. 2. dist. ant. qui actionem boni, & mali sensus capacem benigne interpretatur, exponit se periculo erroris speculativi, transeat; erroris practici, N. Esto itaque, quod homo favorabiliter de actione dubia judicans, exponat se erroris speculativi periculo; quia fieri potest, ut quod ex pura intentione factum esse judicat, ex pessima factum sit: at certe non exponit se periculo erroris practici, quem Fideles in moribus præsertim effugere debent. Est enim practice certus se in casu dubio debere formare judicium, quod charitati, prudentiæ, & sanctioribus regulis conveniat; tale porro est illud, quo intentionem dubiam interpretatur in bonum.

Confirm. Ex duobus malis, quæ simul vitari non possunt, eligendum est minus: porro multo minus est errare speculative judicando bonum id, quod forte malum est, quam errare practice, inhonorando ut malum eum, qui forte nihil fecit mali. Sicut multo minus est malum stipem dare nebulonibus decem, qui extremam paupertatem fingunt, quam eandem negare pauperi ad extremas angustias vere redacto.

Dixi, *transeat*; quia ipsum speculativi erroris periculum vitari facile potest, si dubium ita bonam in partem a nobis explicetur, ut judicium speculativum de intrinseca actionis dubiæ bonitate uni Deo relinquentes, solum id practicum judicium efformemus, fratrem scilicet nostrum tandiu a nobis habendum esse pro bono, donec constiterit eundem esse malum.

Obj. II. In dubiis præsumendum est id, quod accidit frequentius: atqui multo frequentius contingit malam esse hominum intentionem, quam bonam.

R. dist. maj. præsumendum id, quod accidit frequentius, si absque injuria, & contemtu proximi præsumi potest, C. secus N. Porro in hypothesi nostra malum præsumi nequit absque contemtu proximi: is enim a gradu, quem habebat apud nos, excidit sine sufficienti causa.

Obj. III. ex Reg. 8. Juris in 6. *Semel malus semper præsumitur malus*; ergo licebit saltem dubia eorum, qui mali deprehensi fuerint, interpretari in malum. R. regulam hanc procedere in ordine ad forum exterius, in quo v. g. a testimonio ferendo excluditur, qui semel perjurii convictus est, in quo item uxor feroci marito non restituitur, quia *qui semel fuit sæviens, semper nimium sævire præsumitur* ( Cap. 2. *de restit. spoliat.* ). Potest & eadem regula assumi in ordine ad cautelam; neque enim æquum est, ut pater in domum suam admittat juvenem, quem semel viderit puellæ cujusvis castitati insidiari. At eadem regula in ordine ad judicium, quod de dubiis proximi actionibus fertur, adhiberi nequit, nisi sanctiores aliæ juris regulæ supra adductæ convellantur.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De externa Diffamatione proximi.*

Bifariam a nobis extra nobis diffamari potest proximus, in judicio scilicet, & extra judicium. Diffamatur extra judicium per detractionem, calumniam, & similia, quæ alibi expendimus. Diffamatur in judicio per eos omnes, qui malo judicio cooperantur, quales esse possunt accusator, testes, & reus ipse, de quibus idcirco dicemus in præsenti.

### SECTIO PRIMA.

*De Accusatore, & Denunciatore.*

Differunt inter se accusatio, denunciatio, & testimonium.

Accusatio, ajunt Canonistæ, est patrati criminis apud Judicem delatio scripto facta ad punitionem publicam, cum onere probandi sub pœna talionis.

Denunciatio est delatio minus solemnis criminis, vel criminosi, vel utriusque apud Superiorem tanquam Judicem, vel patrem. Unde denunciatio dividitur in Evangelicam, & judicialem. Denunciatio Evangelica est ea, quæ fit Superiori tanquam patri, non ad vindictam publicam delicti, sed ad emendationem sontis denunciati. Ut denunciatio hæc rite fiat, & secundum id Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. gradatim procedendum est, ita ut moneatur reus: I.

pri-

privatim. II. coram uno, duobusve testibus. III. si corrigi nolit, deferatur ad Superiorem ab eo corripiendus tanquam a patre. Denunciatio judicialis ea est, quæ fit Superiori tanquam Judici; & hæc subdividitur in canonicam, & civilem; privatam, & publicam.

Canonica est delatio alicujus personæ, vel criminis ad Judicem Ecclesiasticum sine solemnitate, seu ut præcaveatur malum impendens, v. g. celebratio matrimonii cum impedimento dirimente, seu, ut compescatur malum jam factum, v. g. ut rescindetur matrimonium invalide contractum. Civilis, quam Canonistæ, & Legistæ plures cum judiciali confundunt, est minus solemnis delatio criminis ad Judicem laicum; eaque si fiat principaliter ad vindictam publicam, aliorumque terrorem, vocatur *publica*: si vero fiat simpliciter ad proprium interesse, seu ad reparationem damni, quod quis passus est, *privata* nuncupatur.

In Gallia nemo privatus alium insequi potest ni pro interesse civili; unde sollicitatio vindictæ publicæ non nisi ad Procuratores seu Regis, seu Fiscales pertinet. Hinc accusator non potest apud nos subire pœnam talionis, quandoquidem non ad hanc reum insequatur, sed solum ad reparationes, expensas, & id quod interest.

Testimonium est assertio, qua quis testatur se rem talem vidisse, vel audisse; puta se vidisse Titium districto gladio irruentem in Bertham.

His positis inquirunt hic Theologi: I. an, & quis alium accusare possit, aut teneatur de delicto. II. an accusationem præcedere debeat monitio secreta. III. an ad accusandum teneatur, qui probare non potest. IV. an possit accusator ab accusatione inchoata desistere. V. ad quid obligetur, qui injuste accusavit. Sit

CONCLUSIO I. Regulariter tenetur quilibet accusare de delicto publico, non de privato.

Prænotandum per publicum crimen illud hic intelligi, cujus punitio ad utilitatem publicam maxime pertinet. Tale est I. illud omne, quod directe fit contra Deum, res divinas, vel religionem, ut hæresis, blasphemia, imaginum eversio, &c. II. illud quod fit contra dignitatem Principis, aut Reipublicæ, ut omnia crimina læsæ majestatis. III. quod licet contra privatam personam commissum sit, ex dispositione tamen juris habetur pro publico, ut homicidium, parricidium, adulterium, &c.

Crimen privatum est illud, quod privatos ut tales afficit. Tale est crimen injuriarum, furti citra vim, &c. Jam

Prob. 1. pars Conclusionis. Pars tenetur etiam cum aliquo sui detrimento prospicere incolumitati *totius*: atqui nisi accusaret de delicto publico, non prospiceret bono totius, cum delictum publicum sit illud, quod *toti* graviter nocet; ergo.

Imo si non aliter, quam accusando, aut denunciando impediri possit grave malum privato cuipiam impendens, puta mors, aut devastatio, quam quis alteri parat, necessum erit, ut si id citra grave incommodum fieri potest, denuncietur vel accusetor, qui perniciem hanc moliri cogitat; tum quia exigit lex charitatis, ut avertat unusquisque, cum haud difficile potest, malum proximi sui, tum quia hic etiam concurrit ratio boni communis, cum postulet utilitas publica innocentes servari innoxios.

Dixi *regulariter*, quia ab accusando liberi sunt ii, quorum accusatio recipi prohibetur, quales sunt infames saltem infamia juris, excommunicati, suspecti calumniæ, ut Pagani, Hæretici, Judæi, Inimici capitales, filii relative ad patres, &c. Hi tamen omnes ad accusandum admittuntur, quando agitur de crimine læsæ majestatis, aliisve atrocibus, vel exceptis, ut sunt simonia, magia, sacrilegium, falsa moneta, latrocinium, & peria. Porro qui ab accusatione repelluntur, non prohibentur denunciare, neque etiam accusare, si suam, suorumque injuriam prosequentur. Imo a quocunque nunc porrigetur querela, Judices eam admittunt ex consuetudine. Judicis tamen est inspicere statum, motiva, & indolem accusatoris.

Prob. 2. pars; quia etsi unicuique licitum est recurrere ad judicem pro obtinenda reparatione damni, quod in fama, membris, vel bonis fortunæ perpessus est, modo procul absint odium, aliique inordinati affectus; potest tamen is & injuriam, & damnum inde proveniens condonare, ut efficacius dicat: *Dimitte nobis debita nostra*, &c. Haud tamen licita esset condonatio exterior, si ex ea grave sequeretur incommodum tertii, ut si pater prolem suam præ egestate omnia enutrire jam non possit, si Superioris infamia in grave Communitatis detrimentum vergat.

CONCLUSIO II. Regulariter loquendo necesse non est, ut denunciationem judicialem præcedat monitio privata.

Prob. monitio secreta tunc solum præmitti debet, cum agitur de sola delinquentis emendatione: porro de hac non agitur, quando agitur de bono communi, de terrendis malis, & de pendenda Reipublicæ satisfactione. Hinc licet denunciare hominem jam emendatum, potestque Judex eum debita plectere pœna, ut alii exemplo ipsius terreantur.

Confirm. Ideo præmittenda esset monitio, ut consuleretur famæ proximi: atqui cum Reipublicæ interest, ut nocens plectatur, postponenda est ejus fama bono communi; ergo nec debet, nec aliquando potest præmitti secreta monitio.

Idem est, cum quis grande alteri damnum parat. Tunc enim eligi debet pars innocenti tutior; præsertim cum timere est, ne is, qui malum meditatur, privatim monitus pœnitentiam simulet, & certius deinceps exequatur id, quod statuerat.

Obj. Christus Matth. 18. præcipit, ut peccator ante corripiatur privatim, quam deferatur ad Ecclesiam; ergo.

R. neg. cons. Loquitur enim Christus de denunciatione, quæ fit ad privatum proximi bonum, & qua quis intendit lucrari fratrem, qui contra se peccavit; hic porro loquimur de denunciatione ad Reipublicæ bonum, & satisfactionem ordinata.

Haud tamen desunt casus, in quibus ante denunciationem tentanda sit secretæ monitionis via, cum utilis fore merito præsumitur. Et id locum habere debet non modo in injuriis personalibus, de quibus

præcipue loquitur Salvator, sed & in pluribus, quas non admodum interest Reipublicæ judicialiter puniri. Idem est cum denunciatio plus pareret scandali, quam vindicta boni: ut si secreto grave admisisset crimen vir magni, & intemerati nominis, aut Religiosus quispiam magnæ famæ: tunc enim plus noceret multitudini infamatio utriusque, quæ viros probos adduceret in contemtum, quam pœna forte mitior, qua afficerentur.

CONCLUSIO III. Qui *sufficientem criminis probationem adhibere non* potest, *non tenetur ad intentandum accusationem.* Ita S. Thomas.

Prob. *quia ad hoc nullus tenetur, quod non potest debito modo perficere.* Hinc Augustinus relatus c. 27. 11. q. 7. *Plerumque boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, quia sæpe deseruntur a publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt.*

Fatendum tamen delicta, quæ vergunt in perniciem vel Reipublicæ totius, vel innocentis cujuspiam, posse, & debere denunciari *ad cautelam*; quia ad id satis est moneri Judicem, ut vigilet, attendat, & quo meliori fieri poterit modo præcaveat grande detrimentum, quod Communitati, vel privatis impendet. Et vero quis nisi pessime affectus dicere ausit, posse tacere eum, qui solus scit quempiam civitatis proditionem, aut incendium meditari?

Ceterum Superiores ab uno tantum moniti ponderare debent rei totius seriem, & circumstantias, ut nec denunciatum habeant pro convicto, nec inquirendo rei veritatem imprudenter, odio, vel ictibus denunciatum exponant. Interim si malum averti possit absque eo, quod nominetur reus, non est indicandum ipsius nomen: quia neminem infamare licet sine gravi necessitate. Potest autem averti malum vigilantia majori, duplicato custodiarum ordine, &c.

CONCLUSIO. IV. Potest, & aliquando debet accusator ab accusatione inchoata desistere.

Prob. quia violat, aut violare pergit justitiam: I. cum prosequitur ut certam accusationem, quæ sibi jam apparet dubia. II. cum attribuit Petro, quod tandem comperit factum a Joanne. Quod si a testibus desertus, aut deceptus ab Advocato sentiat probari non posse id, quod primo crediderat indubie probandum, æquum est, ut desistat, quia ad actum inutilem, & multo magis ad actum sibi nocivum nemo tenetur.

CONCLUSIO V. Qui inique accusavit, damnum totum injuste accusato refundere tenetur.

Prob. quia alioqui subsisteret inæqualitas, quam tamen auferri necesse est.

Si quis tamen bona fide accusaverit, seu crimen inculpate credendo verum, seu ratus illud probari posse, non videtur in interiori foro ad restituendum obligatus; quia nec ditior factus est, nec actione formaliter injusta proximo nocuit.

## SECTIO SECUNDA.

### *De testibus.*

QUatuor hic discutienda: I. an testis semper ad ferendum testimonium teneatur. II. an qui testificari potest, restituere debeat, si testimonium non tulerit. III. quis falsum testimonium perhibere censeatur. IV. an graviter peccet, & ad quid teneatur testis falsus.

Dico I. Testis legitime citatus, aut interrogatus testimonium ferre tenetur; imo aliquando testimonium ferre debet etiam non vocatus.

Prob. 1. pars: quia Judex legitime citans, & interrogans, & Superior est, & justa præcipit; ergo merito dixit S. Thomas q. 70. a. 3. quod *testificari est de necessitate salutis, supposita testis idoneitate, & ordine juris.*

Porro non interrogatur legitime, qui interrogatur a Judice non legitimo, vel a legitimo quidem, sed non secundum formam juris, ut si interrogetur contra eos, contra quos testimonium ferre non tenetur, vel de re sibi per confessionem sacramentalem nota, aut sub secreto naturali commissa: quanquam in rebus, quæ *pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi....* nemo nisi Confessarius *contra hoc debitum obligari potest per secreti commissum*, ut docet ibid. S. Thomas a. 5.

An autem juridice interrogatus censeatur, & proin veritatem aperire debeat, testis unicus, gravis est quæstio, & admodum agitata. Sane si mihi de Superioris voluntate constaret, censerem a peccato vacare, qui humiliter obsequeretur: stricte tamen in re tam intricata ad revelandum adigere non auderem, nisi ageretur de resarcienda gravi injustitia, aut de avertendo damno impendenti, seu Reipublicæ, seu privato; modo indubium foret rem, de qua agitur, prorsus occultam esse.

Prob. 2. pars: quia fieri potest, ut nisi quis se sponte offerat in testem, periclitetur bonum commune, vel grave bonum innocentis; ergo cum quisque mala hæc ex charitate avertere teneatur, ubi potest sine gravi incommodo; imo cum grave totius Communitatis malum quandoque teneatur homo propellere etiam cum vitæ suæ periculo, consequens est, quod tunc se, etiam non citatus, offerre teneatur. Et hæc obligatio in eos cadit, qui etiam de jure a testificando eximuntur, ut Episcopi; quia charitatis debitum omnes ligat.

Dico II. Qui a judice ad testificandum citatus, non comparet, vel si comparet, dolose efficit, ne interrogetur, tenetur ad resarciendum quidquid ex silentio suo evenit damni. Idem est de eo, qui fugit, vel abscondit se, ne citaretur.

Antequam id probetur, not. I. apud omnes receptum videri, ut a restitutione liber sit, qui non ultro se offert ad testimonium: quia etsi sæpissime teneatur ex charitate ad se offerendum, non tamen tenetur ex justitia. II. satis etiam certum esse eum,

qui

qui citatus non comparet, quia videt sibi, vel suis imminere grave periculum ex revelatione, nec teneri ad restitutionem, nec peccare: quia non ea esse potuit intentio Superioris, ut quis alienum bonum cum proprii boni dispendio promoveret, nisi vel boni publici necessitas, vel longe gravius proximi nocumentum, aliud postulet. His præmissis

Prob. 1. pars. In moralibus ea opinio præferenda est, quæ & tutior est, & æque probabilis, si non probabilior: atqui talis est opinio nostra: I. quidem tutior est, quia magis ab omni peccandi periculo removet. II. est etiam probabilior tum ab extrinseco, cum communior sit, & a majori Doctorum numero propugnata, tum ab intrinseco; quia multo probabilius est testem citatum ex officio sibi a Republica imposito teneri ad revelandam veritatem, eumque, si tacet, dolose nocere parti, quæ legum adminiculo ejus auxilium implorat.

Confirm. Justa Judicis sententia tribuit jus ad bona alterius; ergo justa Judicis lex tribuit actori, vel reo jus ad testimonium alterius.

Prob. 2. pars. Ideo Lugo, & alii passim a restituendo eximunt eum, qui de industria latitat, & fugit, ne compareat coram Judice, quia is ejusdem Judicis præcepto, utpote sibi haud intimato, non ligatur: atqui hæc ratio nulla est. Quia lex censetur sufficienter intimata iis omnibus, qui dolose impediunt, ne eadem sibi intimetur; alioqui malis sua fraus, & dolus patrocinarentur, quod admitti non potest.

Dico, *qui culpabiliter, aut dolose impedit*. Qui enim bona fide e loco, ubi ferendum esset testimonium, alio proficiscitur ad negotia sua, nihil de ferendo testimonio cogitans, nec ad illud vocatus a Judice, ad nihil tenetur propter omissam in iisce circumstantiis testificationem. Ubi tamen reversus fuerit, tenebitur offerre se ultro, si id exigat charitas, vel debita Superioribus obedientia: unde & incurret excommunicationem monitorio decretam, si hæc necdum fulminata sit.

Dico III. Falsi testimonii graviter reos est non is tantum, qui falsum pro vero, sed & qui incertum pro certo asserit.

Prob. quia prior contra juramenti, & probitatis leges veritatem offendit: posterior gravi ejusdem offendendæ periculo sese exponit.

Quæres, an liceat quempiam inducere ad asserendum id, quod reipsa verum est, sed ab eodem nescitur. R. neg. nemo enim ab alio petere potest, quod is sine gravi culpa præstare nequit: porro non potest quis asserere ut verum id, cujus veritas sibi comperta non est. Qui tamen hac fraude causa est, ut alter debitum suum recuperet, non tenetur ad restitutionem summæ, quæ debita supponitur: posset tamen teneri ad restitutionem impensarum, quas iniquus debitor hac occasione sustinuisset; has quidem pari merebatur, sed servato, non violato juris ordine.

Quæres II. an induci possit quis ad asserendum ut verum id, quod verum credit, sed ex errore.

R. I. non posse id fieri, ut quis hac arte obtineat id, quod suum non est, aut quod sine aliorum præjudicio obtinere nequit. Unde Scholasticus, qui magna anni parte Academicas lectiones omisit, non potest condiscipulos suos, qui eum moraliter præsentem fuisse censent, inducere ad testandum eum, ut decebat, Scholas frequentasse; quia sic gradus, aliaque Universitatum jura contra fas, & non sine aliorum dispendio consequeretur. Atque id utinam ponderent tot juvenes, qui nihil agunt, nisi quod agere non debent, & qui ad Beneficia gradibus suis uti nequeunt, nisi tempus otiose perditum reparaverint deinceps, posito tamen quod Scholas accurate frequentaverint; prout nuper resolverunt Doctores Sorbonici complures.

R. II. neque id licitum esse, ut quis rem suam obtineat: quia est id inducere ad perjurium materiale, quod non magis licet, quam inducere liceat ad vescendum carnibus eum, qui invincibiliter ignorat prohibitionem Ecclesiæ.

Dico IV. Peccat letaliter quisquis falsum testimonium juramento confirmat; qui autem sine juramento falsum deponit, reus est peccati ex genere suo letalis, & obnoxius restitutioni.

Prob. 1. pars: quia qui falsum confirmat juramento, Deum in mendacii testem adducit quantum in se est, quod sine gravi culpa fieri nequit.

Prob. 2. pars. Proverb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus.... testem fallacem*. ibid. 21. *Testis mendax peribit*. & cap. 25. *Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium*. Quæ omnia totidem sunt gravis peccati characteres.

Prob. II. ex c. 1. *de crimine falsi*, ubi sic: *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius: primum Deo, cujus præsentiam contemnit; deinde Judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit. Porro uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit*.

Not. hic I. falsos testes in Gallia capitali supplicio plecti secundum Constitutionem Francisci I. editam an. 1531. mense Martio. II. eadem affici pœna ut ejusdem criminis reos, qui falsa instrumenta fabricantur, aut vera adulterant, iisve sic compositis utuntur ad obtinendam causam. Ejusdem criminis rei sunt, parique pœnæ obnoxii Procuratores, Advocati, aliive, qui celant, vel supprimunt instrumenta adversæ parti profutura. Et hi omnes ad restitutionem omnium damnorum, & expensarum tenentur, ut qui totius hujus nocumenti causa sint.

Sed nonne licet saltem ei, qui verum amisit instrumentum, aliud simile fabricari, si futurum est alioqui, ut causa gravissimi momenti cadat? Non licet, quia etsi nulla eo in casu irrogatur injuria proximo, irrogatur magna veritati. Hinc etiam Clericus, qui testimoniales, vel dimissorias Episcopi sui literas, aut Parochi de baptismo fidem facientes perdidit, non potest alias supponere, ut ad Ordines promoveatur. Idem est de Regulari, qui obedientiales literas amisit. Et vero hæc agendi ratio fallit publicam fidem, falsariis decipiendi viam aperit, &

Nota-

Notarios, qui publicis instrumentis subscribunt ad perjurium inducit.

Quæres, an testis, qui bona fide falsum testificatus est, teneatur testimonium suum retractare. R. cum Sylvio, & aliis pene omnibus, eum ad retractationem hanc teneri non solum ex charitate, sed & ex justitia, modo tamen & retractatio profutura esse credatur, & sine gravi damno fieri possit. Ratio est: I. quia qui alienum detinet invito domino, tenetur restituere, cum primum advertit id, quod detinet, esse alienum: porro qui alterum in judicio infamavit, quasi detinet ejus famam. II. qui alienis ædibus ignem applicuit, inadvertenter, eundem, si sine gravi periculo possit, extinguere tenetur; quia quisque agere debet, ne alteri ex actione sua damnum contingat; ergo a pari. III. quia non retractare est virtualiter perseverere in prima sua depositione, ac proinde se virtualiter, & scienter constituere alieni damni auctorem, quod quisque vitare debet, cum utiliter, & sine gravi damno potest.

Quod si damnum avertere nequeas; puta quia quem accusasti, sat aliunde contra se testium habet, ut condemnari debeat; probabilius videtur id, quod contra Cabassutium docet Gibert, nimirum te adhuc teneri ad retractationem. Ratio est, quia per supernumerarias depositiones robur accrescit anterioribus: decem quippe testimonia magis movent, & determinant, quam duo, etsi duo absolute sufficiant. Ubi enim duo tantum testificantur, eo magis Judex librat, & perpendit omnia, cavetque, ne iniquum ferat judicium: ubi vero adsunt decem, tanta apparet facti certitudo, ut quasi in judicium proruat absque ampliori examine. Idem de iis dicendum, qui in judicio suffragantur. Certe multo plus habet ponderis sententia unanimi omnium calculo comprobata, quam quæ nisi suffragiis absolute necessariis munita est: inde enim fit, ut pars læsa non ausit appellare, aut cassandum impugnare judicium, si sit supremum. Demum in materia famæ, qui inique damnatus fuerit, grande hinc solatium percipiet, quod duo, tresve Consiliarii graves a partibus suis steterint, ejusque dedecori non consenserint cum aliis.

Hic not. I. difficile admodum esse, ut quis inculpate prorsus falsum testimonium ferat. II. eum, qui in hoc casu versatur, teneri, ubi errorem suum comperit, eum admonere, qui ex errore suo lucrum percepit, ut restituat rem male partam. III. eum, qui ex veniali negligentia falsum testatus esset, non quidem teneri ad damni totius restitutionem, sed tamen ad tantam partem teneri posse, ut nisi restituat peccet letaliter; prout dicam in Tract. de Justitia.

## SECTIO TERTIA.

### *De Reo.*

De reo septem quæruntur: I. an semper debeat respondere. II. an verum fateri. III. an socios detegere. IV. an possit occultos, aut falsos testibus, vel accusatori defectus opponere. V. an appellare. VI. an fugere. VII. an in fuga juvari.

CONCLUSIO I. Reus respondere debet, cum interrogatur juridice; secus si contra ordinem juris interrogetur. Ita S. Thomas.

Prob. 1. pars. Quilibet Superiori legitime præcipienti obedire tenetur: atqui legitime præcipit Judex, cum interrogat servato ordine juris: imo tunc præcipit non solum id, quod potest, sed & id, quod præcipere tenetur ex officio.

Prob. 2. pars, quia Judex nihil potest nisi secundum ordinem juris; ergo cum ordinem hunc non servat, non magis eidem obsequi tenetur reus, quam alii cuivis privato.

Porro tunc juxta S. Thomam reus interrogatur juridice *cum præcessit infamia super aliquo crimine, vel aliqua expressa indicia apparuerunt, vel etiam cum præcessit probatio semiplena.*

Infamia censetur interrogationem præcedere, cum quis in perpetrati criminis suspicionem vocatur a multis, qui viri probi habentur & graves, non malevoli, neque maledici: aut cum is populi saltem voce talis delicti reus conclamatur. Indicia sunt circumstantiæ, & signa, ex quibus prudenter de aliorum actionibus judicari solet. Semiplena probatio est assertio testis unius jurati omni exceptione majoris, qui rem vel viderit, vel ab ipso reo audiverit. Unde debet Judex reo aperire statum causæ, probationes, indicia, & testes, ut sciat se juridice interrogari, & si quid habeat contra, possit illud opponere. Ita colligitur ex c. 21. & 24. *De accusat.* Interim non licet accusato mentiri, vel æquivocationes adhibere: unde oportet, ut appellet a Judice: quasi qui ordinem legibus constitutum violet; aut Judici dicat se non teneri ad respondendum; aut saltem se negare proposita, sicut proponuntur: nempe vero proponuntur ut publica, quæ publica nec sunt, nec esse possunt.

Sed quid si dubitet vel reus, an interrogetur juridice, vel Judex, an jus habeat interrogandi?

R. ad 1. Non tenetur reus respondere, quia in dubio rationabili, & ubi aguntur res tanti ponderis, & quæ dividi non possunt, æquum est ut melior sit conditio possidentis.

R. ad 2. Si ex omissa rei interrogatione imminest publicæ rei malum, debet Judex dubium deponere, & meminisse se custodem esse publici boni, cui proinde plus consulere debeat, quam bono rei. Si vero res patitur moram, reo magis, quam alii cuilibet favendum est.

CONCLUSIO II. Mortaliter peccat reus, qui juridice interrogatus, diffitetur crimen suum etiam ut mortem evadat. Ita S. Thomas.

Prob.

Prob. quia *quicunque facit contra debitum justitiæ* in re maximi momenti, *mortaliter peccat*: atqui reus, qui crimen suum negat, aut veritatem reticet, facit contra debitum justitiæ in re gravissima. Ad id enim sufficit, ut Judex jus habeat eundem interrogandi: atqui Judex legitimus, & juris ordinem servans, jus habet interrogandi, ut manifestum est ex gentium omnium consensu, & hinc etiam patet, quod illæsa justitia reum torturæ applicare possit, ut ab eo veritatem eliciat. Deinde materia præsens gravissimi est momenti: I. quia ex ea pendet civium salus, & commune bonum, quæ insigniter deperirent, si Reipublicæ perturbatores judicia eludere possent mendacio, aut fraudibus. II. quia negatio veritatis plerumque graviter noceret accusatori, qui pro calumniatore habetur; ergo si præstito, ut in Gallia præstari solet, veritatis aperiendæ juramento, reus veritatem neget, peccat contra eandem veritatem ratione mendacii, contra justitiam ratione juris in Judice, & aliquando in accusatore, & contra religionem ratione juramenti.

Obj. Non potest quis cogi ad testificandum contra consanguineos; ergo minus cogi potest ad testificandum contra se. Qui enim magis consanguineus quam quisque sibi?

R. I. antecedens falsum esse in plurimis casibus, ut cum agitur de proditione regni, de criminibus læsæ majestatis, de hæresi, &c.

R. II. neg. conseq. Depositio enim contra consanguineos capitalia in familiis odia inveheret: hæc autem incommoda locum non habent in eo, qui contra se ipsum testificatur. Hinc leges, quæ vetant, ne parentes contra se invicem in materiis communibus testimonium ferant, præcipiunt, ut Judex reum interroget, & is torqueatur, nisi respondeat.

Ex his colliges reum, qui juridice interrogatur, non posse sacramentaliter absolvi, nisi serio veritatem confiteri proponat; quia alioqui est, & esse pergit in statu mortalis peccati. Imo si videat Confessarius hominem satis convictum negare in sacro tribunali, se delicti auctorem esse, aut si ex iis, quæ etiam extra juridicam interrogationem respondet, sentiat futurum, ut recta via coram Judicibus non procedat, absolutionem negabit prorsus: alioqui Sacramentum manifestæ profanationi exponit.

(✠) Hæc egregie confirmavit Bened. XIV. Const. 24. tom. 3. incip. *Paterna Charitas* Dat. Romæ die 17. Decemb. 1749., ubi §. 8. docet Confessarios teneri admonere in carceribus detentos de obligatione aperiendæ veritatis Judicibus legitime interrogantibus; *quodque hoc animi proposito carentes absolutionem Sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno susciperent* (✠).

Monet hic Sylvius, a Confessariis, antequam reorum confessiones excipiant, sedulo inquirendum esse, sintne omnia ita secundum ordinem juris, ut reus non nisi juridice interrogetur. Alias enim eos inducent vel in jacturam corporis, temere jubendo ut confiteantur, vel in jacturam animæ, non jubendo ut confiteantur quando debent. Sed & id cavendum, ne audita confessione aliquid verbo, vel gestu prodant, quod suspicionem criminis perpetrati ingerere, & sic sacramentale sigillum infringere possit.

Si Confessarius animadvertat violari juris ordinem, tenebitur reum admonere: quia postulat charitas, ut malum inique paratum avertatur quantum potest: cum præsertim *magis reo favendum* sit in dubio, *quam* cuique contra eum *actori*.

Quæres, an prolata a Judicibus absolutionis, aut pœnæ sententia reus veritatem aperire teneatur. R. ei, qui a Judicis manibus evaserit, satis esse, ut peccatum sacramentaliter confiteatur, non autem requiri, ut deinceps contra se revelet; quia jam est extra Judicis potestatem; neque Judex ullam ejus confessionem exigit. Aliud esset si necessarium foret aperiri crimen, ne innocens, cui imponi cœpit, grave hinc periculum subeat:

An autem post sententiam mortis teneatur reus revelare crimen suum, controvertitur. Placet affirmativa, quam tenent Medina, Ledesma, Cabassut. Lib. 4. c. 6. n. 3. I. quia reus ad criminis confessionem tenetur quandiu sub juridica potestate detentus est: detinetur autem sub ea donec sententia executioni mandetur. II. quia qui falsam, & publicam depositionem non retractat, judicatur in ea perseverare, ac proinde ad mortem usque mentiri, vel iniquo judicio perire. III. etsi sciunt omnes reos crimina sua negare solitos esse, vix tamen quisquam suspicabitur hominem, qui crimen sibi imputatum constanter negavit, & tandem serio pœnitens videtur, idem commisisse scelus, si illud ante mortem non fateatur. IV. quia hæc est praxis constans Sorbonicorum Doctorum, qui Parisiis sontes ad patibulum comitantur. V. quia ex ea reorum confessione pluries, & non pridem evenit, ut indebitam mortem evaserint innocentes, qui venerant in suspicionem criminis ab alio commissi. Hæc enim opinio prorsus in praxis tenenda.

Quæres quid de eo sentiendum, qui ut torturæ cruciatus fugiat, falsum sibimet imponit crimen in judicio, unde morti addicitur. R. eum peccare mortaliter; tum quia reum se faci[illegible]dacii, quo fallit fidem publicam in re gravi, tu[illegible]a directe, & positive est causa moralis injust[illegible]mortis suæ. Ceterum qui falsum confessus est crimen, debet confessionem suam retractare ad minus: I. cum speret se hac ratione mortem evasurum. II. cum ex ejus non retractatione notabilis in alios redundat infamia, quæ per retractationem vel auferetur, vel minuetur notabiliter.

CONCLUSIO III. Reus complices suos quandoque patefacere tenetur; quandoque non.

Prob. quia ad id tenetur, quoties istud postulant charitas, & ordo juris. Postulat autem charitas, cum avertendum est malum communi bono, aut privato imminens. Postulat autem juris ordo, quoties agitur de criminibus, ut ajunt, *exceptis*, qualia sunt hæresis, crimen læsæ majestatis, falsatio monetæ, proditio, veneficium, assassinatus, & sacrilegium, in quibus & solis ex unius complicis depositione potest ejusdem criminis consors tortura probari: cum e contra in aliis delictis nemo tortura probetur, seclusis

in-

indiciis, aut infamia, vel unius testimonio, nisi duo ad minus delicti participes eundem accusaverint. Tunc ergo absolvi non potest reus a Confessario, si complices prodere renoat.

CONCLUSIO IV. Non licet reo falsum accusatori, aut testi crimen imponere, quo testimonium ejus infringat. Potest tamen occultos utriusque defectus propalare, si sic futorum est, ut evadat: alias non potest.

Prob. 1. pars: I. ex censura hujus propositionis: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia* (44. *Innoc. XI.*); de qua thesi sic an. 1700. censuit Clerus Gallicanus: *Hujus propositionis doctrina falsa est, temeraria, scandalosa, erronea, spatiosam calumniatoribus, & impostoribus portam aperit, & clare detegit quam nefaria placita probabilitatis nomine inducantur.*

II. Quia graviter peccat qui mentitur in materia gravi: sed qui falsum crimen imponit testi, (aut cuivis detractori) mentitur in materia gravi: cum grave crimen gravis sit materia, ut levis est materia delictum leve; ergo.

Prob. 2. pars: quia is, qui ad labefactandam testis assertionem, occultum ejus crimen propalat, utitur jure suo. Quisque enim jus habet præferendi bonum suom majus, aut æquale bono proaimi sui: atqui vita, cujus quis discrimen incurrit, bonum est proximi fama præstantius; ergo potest ut sibi consulat eandem disperdere, seu potius non custodire; sicut potest non servare depositum, qui grave ex ipsius custodia periculum incurrit. Neque is, cujus culpam detegis, conqueri potest quod eum infames; quia culpam admittendo, exposuit se periculo videndi eam detectam, si quando id eaigeret grave alterius commodum. Unde censeot plures eum, cui crimen alterius sub fide secreti oaturalis commissum est, aut qui illud dolo extorsit, aut per fraudem expiscatus est, posse adhuc idem declarare, ut se tueatur: quo modo si quis equum furatus esset, posset tamen eo uti in urgente necessita[illegible] cum equi interitu.

Dixi: *si fu[illegible] ut sic evadat*; non enim potest quis objicere testi [illegible]imen, quod ad sui defensionem impertinens sit; imo nec crimen, v. g. perjurium anterius, quod etsi sufficit labefactando ejus testimonio, reipsa tamen hic, & nunc sententiam Jodicis avertere nequit, sive quia crimen satis probari nnn potest; sive quia non desunt alii testes idonei, quorum numero, & pondere obtui debeat: qua etiam de causa qui a decem hominibus impugnatur, ex iis unum occidere nequit, quia est id inutile ad defensionem vitæ suæ, quæ sibi certo ab aliis novem auferenda sit. Qoorum omnium hæc est ratio, quod id nobis rantum liceat, quod defensionis puræ rationem habet, non autem vindictæ: atqui infamare, vel occidere inutiliter, mera est vindicta, non defensio inculpata, cum ea solum defensio inculpata sit, in qua quis non excedit, ac proinde assumit medium efficaa perinde & necessarium: quod, ut patet ex terminis, in præsenti casu non eveniret,

Atque hinc si reos aliam habeat rationem minus noxiam, qua testis depositionem elevet, hanc arripere tenebiuur, cum infamare nequeat, nisi quatenus ad justam sui defensionem est oecessarium.

CONCLUSIO V. Reo vel inique, vel contra juris ordinem condemnato licitum est ab inferiori Judice ad superiorem appellare, secus non licet.

Prob. 1. pars: quia appellatio remedium est quod omnia jura offerunt ei, qui vel innocens damnatua est, vel tametsi nocens, damnatus est ad pœnam justo graviorem, aut contra ordinem juris; prout patet tum ea tit. 28. Lib. 2. Decretal. qui est *De appellationibus*: tum ex ipsa S. Pauli agendi ratione, qui Cæsarem appellavit: tum quia nihil juri naturali consentaneum est magis, quam ot quisque se, suaque tueatur, quoties inculpate poterit; ergo.

Prob. 2. pars: I. quia ea cap. 61. *De accusat. Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*. II. quia appellans a sententia, cujus justitiam prudenter impugnare nnn potest, facit injuriam tum Judici, tum adversario suo. Judici, quia hunc arguit imperitiæ, vel iniquitatis: adversario, quia rem ejus, & famam, quantum est de se, perturbat. Unde damna ex appellatione prodeuntia ubique compensare tenetur.

CONCLUSIO VI. Potest reus ad mortem condemnatus fugere.

Prob. 1. pars, quia nou præsumitur Judea potestatem hanc auferre velle reo, neque eum conjicere in carcerem, ut ibi sponte remaneat (*ex S. Thoma* 2. 2. *q.* 69. *a.* 4.). Sic enim ob summum, quem habent homines, vitæ amorem, exponeretur reus gravi, & inutili inobedientiæ periculo: gravi quidem quia nemo est, qui in pari casu data evadendi facultate non utatur, aut eam dari vehementer non eaoptet, inutili vero, quia reus facile aliter detineri potest.

Docet tamen Sylvius Judicem posse reo, quem morti addicit, fuga interdicere; quia quem Judex vita privare potest, potest & privare aliquo actu, quo vita conservari possit. Ut ut est, fatentur universi eum, qui voto, juramento, aut speciali promissione sibimet fugiendi jus ademit, fugere non posse sine peccato. Atque hinc colligit Suares Religiosum perpetuo carceri mancipatum, peccare fugiendo; quia quam Superiori vovit obedientiam, præstare debet in omnibus, quæ sunt secundum regulam.

Diai, *reus ad mortem condemnatus*; qui enim juste damnatus esset ad carcerem temporarium ex communiori sententia teneretur parere, sicut & is parere tenetur qui mittitur in exilium, aut cui pecuniaria muicta imponitur. Quod si carcet perpetuus esse deberet, simulque asper, docent plerique licitum esse fugere: & id solet extendi ad eos, qui triremibus addicti sunt; tum quia triremium labor, & habitatio res sunt durissima; tum quia non damnatur reus ut ibi sponte maneat, sed ut detineatur. Si tamen ad preces rei justa mortis pœna in carcerem perpetuum mutaretur, *non videtur*, ait Sylvius, *quod liceret ei fugere: quia tacite videtur renunciare juri, quod habere posset ad fugiendum per hoc, quod peroptat pœnam*

*nam carceris loco supplicii mortis.*

Quæres I. an fugere possit is, ex cujus fuga sequitur grave damnum custodi carceris. R. affirmat. I. quia Angelus, qui peccare non potuit, eduxit Petrum e carcere, etsi probabiliter sciret custodes Petri ob fugam ejus capitali sententia mulctatum iri. II. quia si, ut nemo ambigit, liceat reo fugere ne capiatur, aut jam capto excutere se a justitiæ ministris, modo eis vim nullam inferat; quidni jam damnato licitum sit evadere si potest; modo nec percutiat, nec inebriet carceris custodem?

Quæres II. an reus, ut fugiat, possit rumpere vincula. R. id posse regulariter fieri ab eo, cui fugere licitum est; quia cui licita est fuga, ei & licitum est removere obices ad fugam. Neque is Judici resistere dicendus est, sicut nec diceretur ei resistere, qui damnatus ad bestias, easdem occidere niteretur.

Dixi, *regulariter*; quia non liceret reo evadere, si ex fuga ejus longe gravius Reipublicæ, aut custodi malum immineat, quam quod reus vitare intendit. An enim fugere tibi licitum erit, si eadem, quam aperis, via fugere debeat vir nequam, qui urbem totam strage, & luctu oppleturus sit? an ut aliquot mensium detentionem evites, fugere poteris, si inde custos subeat periculum capitis, vel totius fortunæ?

Quæres III. an qui, ut fugeret, mœnia diruit, de damno sic illato teneatur. R. affirmat. quia se habet reus carceris mœnia subvertens, sicut se habet qui ut vitam a sicario tueatur, alienum equum rapit, quem insigniter fatigat: is porro licet non peccaverit rapiendo equum alterius, tenetur tamen de damno equi, nisi forte sit absolute pauper.

Quæres IV. an possit consuli fuga reo: an item ei dari possint instrumenta ad fugam, ut lima, malleus, funes. Affirmant Cajetanus, Medina, Sylvius, & alii plures, quorum decisio mihi falsa videtur: I. quia tam is, qui fugæ consilium, quam qui instrumenta subministrat, facit contra disertam superiorum voluntatem, qui consilii perinde & instrumentorum artificem pœna proprie dicta plecterent, si certo comperirent. II. quia falsum est semper consuli posse id, quod quis sine peccato facere potest. Potest enim quis licite semel tantum in anno confiteri; nec tamen licite potest quis consulere, ut semel tantum in anno confiteatur. Potest latro, & viarum grassator effugere, imo & ad id uti clave adulterina, quam repererit, nec tamen licet adulterinam ei clavem præbere, vel ei consulere fugam; quia sic consuleretur aliquid communi bono multopere nocivum.

Quæres V. an reus, qui fugere potest, fugere teneatur. R. neg. I. quia ex S. Thoma licet reo se Judici offerre puniendum; ergo a fortiori licet ei non fugere II. quia qui non fugit, non se se necat, sed solum vitam suam non tuetur: atqui potest quis non tueri vitam, quoties causam habet ad id sufficientem, qualis in præsenti causa multiplex reperitur, ut studium satisfaciendi pro peccatis, aut ædificandi proximos.

## CAPUT NONUM.

### *De nono Decalogi præcepto.*

IN his, quæ in Exodo continguntur se verbis: *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum*, duo præcepta agnoscit Augustinus, & merito: quia potest quis alterius uxorem, v. g. vel libidinis intuitu desiderare, vel solo lucri studio; ut si eam quasi familiæ suæ regendæ idoneam concupiscat. Prima desiderii species, quæ libidinem intendit, nono præcepto; secunda, quæ lucro potius, quam voluptati studet, decimo præcepto prohibetur: hæc ut ad avaritiam pertinens, illa pertinens ad impudicitiam.

Ceterum etsi constat Deum prohibendo furtum, & mœchiam, simul prohibuisse horumce criminum desideria, haud tamen superflua judicari debent postrema hæc duo præcepta: I. quia Judæi plerique solius cogitationis peccata pro nihilo reputabant, ut patet ex Matth. 5. II. quia postrema hæc præcepta summam Dei majestatem impense commendant. Prohibet homo exteriores actus; Dei est solius etiam internos prohibere. *Non concupisces, non desiderabis*: is ille est Dei sermo; sermo illius, qui scrutatur corda, & renes.

Major est difficultas, an ut verba hæc: *Non mœchaberis*, omnem impudicitiam vetant; sic & ista: *Non concupisces*, concupiscentiam omnem vetent. Quæ ut solvatur,

Not. I. concupiscentia generatim sumta definitur commotio quædam, ac vis animi, qua impulsi homines, quas non habent, res jucundas appetunt. Porro concupiscentia alia est recta, alia inordinata. Concupiscentia recta vel spiritualia appetit, vel sensibilia: spiritualia, ut cum *spiritus* concupiscit *adversus carnem* (*ex Gal.* 5.); sensibilia, ut cum intra rationis limites ea concupiscimus, quæ corpori necessaria sunt. Concupiscentia inordinata ea est, quæ in appetitu modum rationis non servat, neque sistit intra fines a Deo constitutos.

Certum est I. non omnem sensibilium concupiscentiam postremis duobus Decalogi præceptis prohiberi. Hæc enim non prohibent nisi malum; non est autem malum *si cibum, aut si potum appetimus* (*ex Catech. Roman.*) A fortiori non hic prohibetur spiritualis illa rectæ mentis cupiditas, qua ferimur ad superna bona. Ad eam enim hortatur nos crebro Scriptura, ut Sap. 6. *Concupiscite sermones meos*. Eccl. 34. *transite ad me omnes, qui concupiscitis me*.

Certum est II. ex alibi dictis, involuntarios concupiscentiæ motus, quibus *caro concupiscit adversus spiritum*, non prohiberi hic ut peccata proprie dicta: alioqui enim noceret concupiscentia non consentientibus, quod & Tridentino Concilio, & rationi perinde adversatur. Ea ergo hic reprobatur concupiscentia, cui homo libere consentit, sed non sola: cum simul damnetur carnalis quilibet affectus vere liber. Quod ut intelligatur,

Not. II. duplicem secerni carnalem affectum, efficacem

ficacem alium, qui & desiderium dicitur, quique efficaciter quantum est de se ordinatur ad operis executionem. Alium inefficacem, qui morosa delectatio nuncupatur, & est actus, quo quis sibi voluntarie complacet in malo, absque mali exequendi desiderio. Quoniam vero eorum quæ ad hanc materiam pertinent, multa jam pertractavimus agendo de Peccatis, hæc leviori calamo transcurremus in præsenti. Sit itaque

CONCLUSIO I. Mortaliter peccat quisquis turpibus concupiscentiæ desideriis consentit.

Prob. Mortaliter peccat, qui Dei legem in materia gravi transgreditur; atqui Dei legem transgreditur in materia gravi, qui turpibus carnis desideriis consentit. Quod transgrediatur Dei legem patet, tum quia præcipit Apostolus Galat. 5. ut *abstineamus a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam*; tum quia vetat idem Rom. 6. ne *regnet peccatum in* nostro *mortali corpore ad obediendum desideriis ejus*. Quod autem transgressio hæc sit in materia gravi, patet a fortiori ex iis, quæ paulo post dicemus de Delectatione morosa.

Porro constat desiderium speciem suam sumere ab actu exteriori, in quem tendit. Unde si desideres concubitum solutæ, actus tuus habet malitiam fornicationis; si conjugatæ, adulterii; si Deo sacræ, sacrilegii; si personæ sexus tui, sodomiæ. Si vero idem desiderium ordinetur ad species luxuriæ imperfectas, earum etiam iniquitatem imbibet, puta mollitiei, tactus, aspectus impudici, &c. si mollitiem, tactusve, aut impudicos amplexus desideres. Unde qui in Pœnitentiæ tribunali turpia desideria confitetur, statim interrogandus est quo hæc tenderent, an ad tactus inhonestos, an ad ipsum carnis opus; an ad solutam, consanguineam, &c. quæ ut magis explicentur, sit

CONCLUSIO II. Peccat letaliter tum is, qui concupiscit alterius uxorem ut polluendam adulterio, tum & is, qui eam legitimo intercedente matrimonio fruendam exoptat.

Prob. 1. pars: quia qui concubitum uxoris alienæ desiderat, directe transgreditur præceptum istud, *Non concupisces uxorem proximi tui.*

Prob. 2. pars: quia si Judæis vetitum fuerit, ne concupiscerent uxores alienas, quas facilius interveniente divortio ducere poterant; *nunc gravius* erit id *peccatum, cum* in lege nova *mulierem, etiamsi a viro repudiata sit, alteri in matrimonium ducere non liceat, nisi marito mortuo. Itaque qui alterius uxorem concupiscit, facile ex una in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium admittere cupiet.*

CONCLUSIO III. Mortaliter quoque in Nonum præceptum delinquunt, qui mulieres aliis viris desponsatas, aut desponsatas Christo, seu susceptione Religiosi veli, seu emissione simplicis voti continentiæ, in uxores expetunt.

Prob. 1. pars; quia qui viro alteri desponsatam concupiscit, vel ea qua tali frui peroptat, vel saltem pactum ejus cum alio rescindere studet: atqui utrumque nefas est. Primum enim involvit cupidinem fornicationis simplicis cupidine graviorem: secundum vero sanctum fœdus rescindere studet.

Prob. 2. pars; quia si viro alteri desponsatam concupiscere grave sit piaculum, gravius erit eam, quæ jam nupsit Agno immortali, vel ad nuptias ejus se præparat, hinc retrahere velle.

Prob. 3. pars; quia qui virginem simplici castitatis voto obstrictam sibi in uxorem concupiscit, vel peroptat ea quatenus tali perfrui, quod sine gemino scelere fieri nequit; vel intendit eandem sollicitare, ut remissionem voti a summo Pontifice sine causa legitima obtineat; & id quoque evidenter grave est peccatum.

Quod si quis graves ob causas inducere aliquam velit, ut voti dispensationem inquirat, ejusque in hac hypothesi matrimonium exoptet; nullius ille peccati reus erit, nisi sperata voluptate tanquam præsenti cor libidinose reficiat.

CONCLUSIO IV. Non modo desiderium rei letaliter malæ, sed & voluntaria de eadem re delectatio est peccatum mortale.

Prob. tum ex S. Gregorio Lib. 21. Moral. c. 2. ubi sic: *Per Moysen luxuria perpetrata, per* Christum *vero luxuria cogitata damnatur*; tum ex iis, quæ diximus in Tract. de Peccatis.

CONCLUSIO V. Delectatio morosa speciem sumit tum ab objecto proximo, circa quod versatur; tum ab ejusdem objecti conditionibus.

Prob. 1. pars. Per objectum proximum hic intelligitur illud genus criminis, quod quis libidinose in animo volvit: atqui delectatio morosa hinc speciem necessario sumit, alioqui non plus peccaret qui copulam sibi repræsentat, quam qui simplex osculum; quod absurdum est; ergo delectatio ex hujusmodi objectis speciem sumit: & ut ab amplexu specie differt coitus; sic & a complacentia in uno differt a complacentia in altero.

Hinc pœnitentes sicut exprimere tenentur, an ad desiderium usque progressi sint, an autem in mera delectatione steterint, sic & debent exprimere, an delectatio sua pro objecto habuerit tactum, an copulam, an hanc simpliciter, vel cum pessimis circumstantiis. Unde cum male instituta confessio, saltem qua parte male instituta est, repeti debeat, tuto sibi, suisque pœnitentibus providebit Director, qui satager, ut quod incaute omissum est, caute suppleatur.

Prob. 2. pars. Si delectatio morosa non sumeret speciem a conditionibus objecti, cui libidinose immoratur, delectatio de copula soluti cum soluta non pertineret ad speciem fornicationis, de copula cum conjugato ad speciem adulterii, de copula cum Moniali, vel Religioso ad speciem sacrilegii, &c. eæ enim sunt objecti conditiones, de quibus disputatur in præsenti; atqui falsum consequens.

Prob. min. 1. ex S. Thoma q. 15. de verit. a. 6. *Delectatio alicujus operationis, & ipsa operatio ad idem genus peccati reducantur*. Rursusque in 4. dist. 31. q. 2. a. 3. *Secundum Philosophum idem judicium est de delectatione, & opere*. Idem docet S. Antoninus 2. p. tit. 5. c. 1. iisque suffragatur communissima Theologorum opinio, a qua in re tanti momenti, & in qua de valore Sacramenti agitur, sine periculo recedi non potest.

II.

II. Ex eodem S. Thoma art. 8. supra: *Nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud*; ergo qui volens delectatur de copula cum Sanctimoniali, afficitur ad illam: atqui hujusmodi affectus necessario habet malitiam sacrilegii. Affectus enim, qui suo modo tendit in objectum totum, totam habet malitiam, quam inducere potest idem objectum: atqui affectus prædictæ copulæ tendit suo modo in totum objectum, nempe in copulam cum tali: aliunde vero objectum inducere potest malitiam sacrilegii; ergo.

Confirm. Quod proximo sacrilegii periculo exponit, in ratione sacrilegii mortiferum esse debet; sicut quod proximo simpliciter peccandi periculo exponit, mortiferum est in ratione peccati simplicis: atqui delectatio morosa de coitu cum Moniali, exponit proximo sacrilegii periculo. Exponit enim turpi ejusdem desiderio; cum uno tantum gradu desiderium, & cogitatio lubenter nutrita dividantur, ut quotidiana docet experientia; ergo ea hac saltem parte morosa cogitatio induet malitiam conditionis personæ.

Obj. Quod non apprehenditur ut objectum delectationis, non dat speciem delectationis: atqui conditio personæ non apprehenditur ut objectum delectationis. Illud enim solum apprehenditur ut objectum delectationis, quod delectationem excitat: atqui copula sola, non autem conditio personæ delectationem excitat; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. maj. Actus enim speciem sumit ab eo omni, quod objecto intrinsece adhærere cognoscitur, sive illud ad delectationem excitandam concurrat, sive non. Et vero cogitatio morosa se habet ut aspectus interior mentis objectum malum blande contemplantis; ergo sicut qui exterius turpiter contemplatur personam Deo sacram, sacrilegii reus est, etsi a statu ejus non moveatur, sed abhorreat; ita qui interioribus animi oculis eandem fœde intuetur, non potest a sacrilegio immunis esse. Sane adversariorum ratiocinatio probaret eum, qui, ut fit non raro, uxorem alienam concupiscit, abstrahendo, vel etiam dolendo de ejus statu, non esse reum mœchiæ spiritalis.

Ceterum fatentur adversarii: I. eum, qui de concubitu cum consanguinea, qua tali, delectaretur, teneri necessario circumstantiam hanc confiteri: sicut, inquiunt, necessario declaranda foret circumstantia copulæ sodomiticæ, cum delectatio etiam simplex ab illa non abstrahat. II. conjugatum, qui delectaretur de cogitatione coitus cum uxore non sua, reum fore adulterii interioris, quatenus violaret fidem in matrimonio datam, qua promisit se mentem, & corpus custoditurum illibata. III. consultum esse exprimere in confessione conditionem personæ, quæ delectationis objectum fuit.

CONCLUSIO VI. Peccat etiam mortaliter in genere, & in specie, qui delectatur de opere malo in se, sed inculpabiliter admisso. Unde quæ delectatur, quod per vim a Principe conjugato, aut a Ministro in sacris cognita sit, peccat letaliter. Idem est de eo, qui aliam pro uxore sua inculpate a se cognitam esse gaudet ex post facto.

Prob. I. quia cum delectationi deest causa excusans, quæ adfuit actioni, delectatio non minus in genere suo peccaminosa est, quam fuisset actio sine eadem causa excusante: atqui actio citra causam excusantem, v. g. vim, vel ignorantiam peracta, fuisset peccatum mortale; ergo & delectatio de eadem, seclusis hujusmodi causis, quæ quantum ad consensum attinet, semper desunt, erit peccatum mortale. Et illud quidem peccatum ejusdem erit speciei, ac ipsum opus; quia ex dictis post S. Thomam, *Delectatio operationis, & ipsa operatio ad idem genus peccati reducuntur*.

Prob. II. Si liceret de actione solum materialiter mala delectari, liceret filio lætari de parricidio a se in ebrietate perpetrato: atqui tamen damnata fuit ab Innocentio XI. hæc propositio n. 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*.

Obj. Non magis delectatio de opere pravo cogitato est peccatum, quam delectatio de cogitatione operis pravi: atqui hæc non est peccatum, prout ipsi fatebamur in Tract. de Peccatis.

R. neg. maj. Delectatio enim de cogitatione fornicationis, *quandoque est veniale tantum; puta cum aliquis inutiliter*, non tamen libidinose (*S. Thom.* 1. 2. *q.* 74. *art.* 8.) *cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare*. Verum longe aliter se res habet, cum delectatio est de ipso opere malo: tunc enim opus malum placet in se, & in se approbatur: gaudes quidem quod inculpate feceris, sed tamen gaudes, quod feceris; ergo simili es filio, qui lætatur quod inculpate patrem interfecerit; & is tamen lætando peccat, ut patet ea propositione modo relata.

Quæres qua ratione discerni possit, an quis delectatus sit de re ipsa mala, an solum de cognitione ejus. R. Spectari debet occasio, quæ delectationem peperit. Si quis enim ex occasione studii, vel confessionum, quas excepit, prava animo cogitet, & revolvat, in dubio præsumendum est delectationem ejus versatam esse circa cognitionem, non circa objectum cogitatum. Si vero nata sit delectatio ex occasione prava, puta ex inanibus colloquiis, vanis lectionibus, liberiori aspectu, timendum saltem iis, qui parum sibi invigilant, ne delectatio sit de objecto ipso.

Eadem methodus servari debet erga eos, qui non de rebus ipsis, sed de artificio, quo factæ sunt, aut compositæ, se se delectari contendunt. Etsi enim potest quis furtum non approbando delectari de industria, qua fur solers crumenam abscidit, plerumque tamen in luxuriæ materia contingit, ut quem tet ipsæ tangunt, solo se artificio moveri existimet. Et id multo magis erit probabile in eo, qui res pias, pios v. g., & elegantes versus fastidiet, tantumque, aut saltem multo lubentius iis immorabitur, qui obscœna tractant.

Ceterum non raro fit, ut delectatio de cogitatione viam præparet delectationi de re ipsa: & id præcipue locum habet in rebus venereis, quæ cor, nisi *omni custodia* servetur, sensim alliciunt. Ubi primum

ergo

ergo sentit quis se a delectatione licita ad illicitam, quasi furtim avolare, necesse est, ut cum supplex deprecetur, in quo solo *ignea nequissimi tela* extinguere datum est.

Sed quid si dubitet quis, an de objecto ipso, an de sola objecti cognitione delectatus fit?

R. expendendum: I. an reflexerit quis se venerea ipsa delectatione titillari. Si enim erraticæ imaginationis impetu mens ab objectu in objectum rapta sit per modum distractionis, deficiente libero consensu in objectum turpe, deficiet & peccatum; tametsi sæpe diu perduraverit cogitatio, nec de ea monitus quis fuerit nisi per rebellionem carnis. II. ubi animadversum est loco cogitationis utilis, aut necessariæ ingruere tentationem, videndum, an eam repellere nisus fuerit, & quo conatu. Si oraverit, alio mentem converterit, seu cum aliis colloquendo, seu externus quid agendo, ut cogitationem cogitatione propulsaret, haud præsumi debet consensisse. Sin autem segnius se gesserit, verendum ne consenserit saltem imperfecte, eritque eo gravior suspicio mali, quo diutius post reflexionem permanserit in ea cogitatione. Ceterum ex bono, vel inordinato statu eorum, qui pravis cogitationibus quatiuntur, dijudicari solet an consenserint, necne, prout dixi agendo de peccatis, ubi etiam probatum est consensum negative præstitum pravis concupiscentiæ motibus, ad gravem noxam sufficere (*Pag. 162. col. 2. in fi.*).

Quæres, an omnibus omnino illicita sit delectatio de re venerea. Difficultas est tum de solutis, qui de nubendo cogitant, tum de desponsatis, qui propius ad idem se disponunt, tum de conjugibus præsente, vel absente comparte, tum de viduis. Pro responsione sit

CONCLUSIO VII. Peccant letaliter soluti, qui de copula post matrimonium habenda libidinose delectantur. Idem de sponsis, & viduis dicendum.

Prob. 1. pars. Qui de objecto turpi simul, & prohibito delectantur, graviter peccant: sed qui de copula post matrimonium habenda libidinose hic & nunc delectantur, delectantur de objecto non solum turpi, sed & hic nunc sibi prohibito. Delectantur enim de objecto, quod apprehendunt ut præsens, & actu delectabile: hoc autem objectum, quod est ipse coitus, iisdem actu severe prohibitum est; ergo.

Dices: Hujusmodi personæ solum delectantur, quod copulam habituri sint, cum hæc sibi per matrimonium licita erit; atqui nulla est in delectatione hac inordinatio; ergo.

R. data maj. neg. min. Hæc enim delectatio duo necessario importat: I. repræsentationem coitus suo tempore futuri. II. gaudium actu ex ea repræsentatione profluens: atqui neutrum vocat a peccato; est enim hæc repræsentatio turpissima, & maxime præsens, sicut & delectatio venerea, quæ ex eadem percipitur.

Si quis tamen futuram copulam apprehenderet sub ratione honesta, pura ut medium, quo juvante Deo a variis tentationibus liberabitur, delectatio ejus, utpote ab honesto motivo specificata, redargui non posset: verum ut vitetur peccati periculum, delectatio hæc esse debet quodammodo spiritualis, seu a carne quadantenus avulsa; ad quod necesse est, ut matrimonii bonum confuso admodum intuitu percipiatur, non autem distincto, & distincte reflexo.

Prob. 2. pars; quia non plus licet sponsis in hac materia, quam aliis quibuslibet; ergo non magis quam alii delectari possunt de re, quam sibi hic & nunc exercere nefas fuerit.

Prob. 3. pars; quia se habent vidui ad actum matrimonii olim exercitum, sicut sponsi ad eundem ut aliquando exercendum; ergo ut his, sic & illis prohibita est venerea quæcunque delectatio.

Possunt tamen gaudere vidui, quod ex matrimonio prolem susceperint bene institutam, & senectutis suæ solatium: sicut & qui de matrimonio cogitant, in spe hujusmodi prolis exultare possunt. Verum ideo utrique tunc non peccant, quia non apprehendunt copulam prout sensibus delectabilem; imo vix de ea cogitant.

CONCLUSIO VIII. Conjugatus, qui in compartis absentia veneree delectatur de copula habita, aut habenda, moraliter loquendo peccat letaliter. Ita Navarrus, Azor, Vasquez, &c.

Prob. quia semper deest causa a gravi peccato excusans, cum conjux in absentia compartis delectationi venereæ indulget. Sola enim, quæ hic excuset causa, est ordo, quem habet delectatio ad copulam, & quo sublato jam ea ad mollitiem ordinatur: atqui delectatio, quam quis in se excitat in absentia compartis, nec habet, nec habere potest hic & nunc ordinem ad copulam, cum hæc hic & nunc sit impossibilis; ergo non potest a gravi peccato excusari.

Confirm. ideo juxta Casuistas etiam indulgentiores, peccat mortaliter conjux, qui in absentia compartis veneream ex proprii corporis tactu delectationem percipit, quia is contactus in homine, qui solus est, non nisi ad mollitiem referri potest: atqui luce clarius est delectationem, quæ in absentia compartis libidinose captatur, non nisi ad mollitiem referri posse; cum neque referri valeat ad matrimonii finem, neque ad ejus usum; ergo.

Dixi, *moraliter loquendo*, ob varias, quæ hic fingi possunt hypotheses, & quas paucis retuli in Tractatu de Peccatis pag. 163. c. 2.

Obj. Delectatio de actu licito non potest esse peccatum: atqui prædicta conjugati delectatio est de actu licito: est enim de copula vel habita, vel habenda, quæ quatenus talis est licita.

R. I. sic excusaretur venerea commotio, quam percipiunt soluti ex futuro coitu, vidui autem ex præterito; utrique enim delectantur de re pro tempore licita: & tamen delectatio hæc grave est peccatum ex multo probabiliori sententia.

R. II. transeat major: delectatio enim de actu etiam licito, est peccatum levius, aut gravius, prout plus, vel minus sistit intra debitos fines. Interim neg. min. delectatio enim conjugati absentis oritur ex actuali repræsentatione actus, quem etsi licite olim exercuit, aut exerciturus est, reipsa tamen hic & nunc exercere nequit: atqui delectatio a tali repræsentatione orta, cum deliberata est, & morosa, gravem impor-

tat

tat culpam; quia gravem importat genitalium spirituum commotionem, quæ de se ad mollitiem tendit in iis, in quibus ad matrimonii usum tendere non potest.

Juvat hic annotare, quod alibi exciderat, damnatam esse ab Episcopo Atrebatensi hanc Taberoæ propositionem: *Si actus conjugalis sit conjugibus illicitus ob aliquam circumstantiam extrinsecam, v. g. ob morbum, periculum abortus, &c. non ideo erunt illis illiciti alii actus venerei secluso semper periculo pollutionis; idemque dicendum in casu impotentiæ supervenientis matrimonio.* Quam ille thesim proscripsit ut *falsam, piarum aurium offensivam, & impudicitiæ foventem.*

---

## CAPUT DECIMUM.

### *De ultimo Decalogi præcepto.*

TRia hic expendemus: I. quid vetet Deus his verbis: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, &c.* II. quid iisdem verbis præcipiat. III. an qui quasi momentanee peccat contra Decalogi præcepta, fiat illico damnationi æternæ obnoxius. Sit

CONCLUSIO I. Vetat decimum præceptum, ne alienum bonum appetatur, seu ut injuste possidendum, seu ut possidendum cum damno, & incommodo proximi.

Prob. quia cum non prohibeat Deus, ne alienam rem, cum necessaria est, appetamus ut possidendam justo emtionis, aut donationis titulo, superest, ut vetet, ne eam appetamus ut possidendam, vel injuste, vel si non injuste prorsus, saltem cum proximi detrimento. Hinc toties reprobata in Scripturis alieni boni cupiditas. *Nemo vestrum*, ait S. Petrus Ep. I. c. 4. *patiatur ut fur, aut alienorum appetitor*, & Apostolus I. Thess. 4. *Nullius aliquid desideretis.* Quare vero? quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva.*

Hinc rei sunt contra decimum præceptum: I. qui sic dispositi sunt, ut in venditionibus, emtionibus, ac permutationibus ætate, vel simplicitate proximi abuti velint. II. qui debita sua ad rigorem juris exigunt, aut exigere differunt, donec eo creverint, ut jam solvi nequeant, nisi vendita domo, cui inhiabat creditor (*Cathechism. Trid.* n. 57.) III. *qui ludis* etiam licitis *immoderate abutuntur* lucri gratia. IV. qui servos, aliosve, qui vel mercede conducti, vel amore observantiaque impulsi, aliis operam præstant, verbis, spe, aut præmiis corrumpunt, ut eos deserant, quibus se addixerunt. (*Cathechism. Rom.*) Et tunc *si ante id tempus, quo se in illorum famulatu fore promiserant, ab illis recesserint, hujus præcepti auctoritate admonendi sunt, ut ad eos ipsos omnino revertantur.*

Hic not. I. eum, qui tantum alii subripere optat, quantum de facto ablatum sufficeret ad mortale, reum esse letalis peccati. Idem est de eo, qui alterius domum, aut vites demoliri vellet. II. malæ hujus intentionis objectum, & motivum in confessione aperiendum esse; objectum quidem, quia qui bona Ecclesiæ inhiat, reus est sacrilegii: motivum vero, quia qui ea invidia, aut odio stragem alterius appetit, peccatum peccato cumulat.

CONCLUSIO II. Præcipit eodem mandato Deus, ut esse velimus non quales esse suadet concupiscentia, sed quales nos esse vult Deus.

Prob. quia singula Decalogi præcepta id commune habent, ut unum vetando, aliud præcipiant oppositum: atqui nihil est alieni boni concupiscentiæ oppositum magis quam plena voluntatis nostræ cum divina consensio, vi cujus eum præ ceteris statum amplectamur, in quo nos Deus esse voluerit, adeo ut erumpamus sponte in hæc verba sancti Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*; aut saltem exclamemus cum Sapiente Eccli. 23. *Domine Deus .... omne desiderium averte a me. Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me.*

His porro mediis pravam quamcunque concupiscentiam in cordibus fidelium sopire conabuntur Pastores. Ostendent I. divitiarum cupidinem esse saluti admodum perniciosam, juxta citatum id supra Apostoli: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli*, &c. Et vero *Si amaveris illas* (divitias) ait Augustinus Serm. 113., *peribis cum illis.* Hinc illud Scripturæ anathema adversus inexhaustam habendi sitim: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

II. eo lugendam magis esse hanc bonorum cupidinem, quo inutilior sit; quia ut spiritualibus, sic & in temporaneis indubium est illud S. Pauli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*, I. Cor. 3.

III. hinc consequenter fieri, ut reipsa infelices sint, quos cruciat auri sacra fames; cum e contra beati sint, qui ex Apostolo didicerunt alimentis, & quibus tegantur contenti esse.

VI. Ex nimia terrestrium aviditate nasci sollicitudinem temporalium a Christo severe prohibitam his verbis Matth. 6. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Etsi enim, qui jussit hominem in sudore vultus sui vesci pane, laborem reprobare non intenderit; at eam indubie proscripsit anxiam sollicitudinem, qua animus varias in partes distractus, vexat se & angit: hæc autem inquieta sollicitudo pravæ temporalium concupiscentiæ nexo indivulso cohæret.

Quod attinet ad tertiam quæstionem jam ab initio propositam, senserunt Calvinistæ habitualem gratiam non deperdi a Fidelibus, qui Decalogi leges violarent per adulteria, homicidia, aliaque id genus. Errorem hunc, sed ea parte sonum renovavit an. 1686. Bourdaillius Doctor Parisiensis in Libro, cui titulus: *Theologie morale de S. Augustin*, ubi, quod dicit Apostolus eos, qui nefaria agunt, non possessuros regnum Dei, hoc sensu intelligi posse docet, *ut qui plane repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob*



eum-

*commissum peccatum, tam certo affirmari non posset illos excidisse gratia, aut incurrisse pœnam damnationis; quanquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis, & transitoria potuit esse ejusmodi dominatio, qua voluntatis intima dispositio non mutatur.* Sit contra.

CONCLUSIO III. Quisquis etiam transitorie, modo deliberate, aliquod Decalogi præceptum in materia gravi transgreditur, vel eorum quidpiam agit, de quibus dictum est, quod *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, peccat letaliter.

Prob. I. ex censura, quam an. 1700. adversus doctrinam Bourdaillii tulit Clericus Gallicanus his verbis n. 8. *Hæ propositiones, quæ divinæ charitatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversus Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ: Quæ enim* participatio justitiæ cum iniquitate .... aut quæ conventio Christi ad Belial? *ad excusanda, & imminuenda cujusvis generis peccata viam aperiunt, & imponunt sancto Augustino.*

Prob. II. ex Matth. 10. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo*, nisi scilicet sincere resipuerit: atqui stante Bourdaillii systemate non omnis, qui Christum negasset, ab eodem negari mereretur. Eos enim solum negat Christus, qui a justitiæ gratia exciderunt: atqui non omnes, qui negarent Christum, exciderent a gratia: quandoquidem eam servarent, qui raptim, & ex metu idolis litarent; ergo.

Confirm. Mortaliter peccavit S. Petrus, quando Christum negavit: atqui tamen eum non nisi ex metu, & ad modicissimum tempus negavit; cum pene statim egressus foras, crimen suum amare defleverit; ergo.

Prob. III. quia nemini mortalium licet ea, quæ in Scripturis generaliter, & indistincte prolata sunt, fictitiis interpretationibus, & glossis restringere: atqui tamen hujus se criminis reos faciunt, qui impium Bourdaillii systema sequuntur. Dicit enim simpliciter Scriptura: *Non habebis deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non mœchaberis*: nullibi vero dicit: Non habebis deos alienos *habitualiter*; non pejerabis *habitualiter*; non mœchaberis *habitualiter*; ut quid ergo suam hanc *habitus* glossam alligat hic Bourdaillius? Hanc utique ignoravere S. Cyprianus, totque cum eo piæ memoriæ Antistites, qui Christianos, etsi obiter, & ex gravi persecutionis metu idololatras, gravis lapsus reos constanter judicarunt.

# TRACTATUS
## DE
## PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

QUinque expendemus Ecclesiæ præcepta, his expressa versibus:

*Festa colas præsens sacro; jejunia serves;*
*Annua sit saltem scelerum confessio; Paschæ*
*Tempore percipies Christi venerabile Corpus.*

---

## CAPUT PRIMUM.

*De primo Ecclesiæ præcepto.*

CErtum est I. Ecclesiam posse instituere Festa: I. quia non minor est ejus hoc in puncto potestas, quam Synagogæ, quæ de facto diu post promulgatam Moysis legem instituit Festum sortium, Esther 9. Festum in memoriam debellati una cum Holoferne Assyriorum exercitus, Judith. 16. Festum dedicationis templi, I. Machab. 4, quod Christus ipse celebravit, ut videre est Joan. 10. II. quia Ecclesia jam a prioribus sæculis Festa instituit. Apostoli enim, & Martyres non alia, quam Ecclesiæ auctoritate certis diebus honorari potuerunt: atqui tamen vel a primis Ecclesiæ temporibus honorati fuere, ut patet ex sermonibus, quos habuit S. Leo in Festivitate tum SS. Petri & Pauli, tum S. Laurentii; ergo.

Certum est II. posse Ecclesiam solemnem viris sanctitate eximia celebribus cultum decernere; tum quia id fecit ab initio: tum quia æquum est, ut honore donentur, qui honorari meruerunt, secundum id Eccli. 44. *Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.*

Neque, quidquid contra senserit Wiclefus, probabile est, eandem Ecclesiam hic erraturam esse: I. quia ut docet S. Thomas Quodlib. 9. a. 16. *In Ecclesia*, quam ut sponsam suam diligit, semperque diliget Christus, *non potest esse error damnabilis: sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit*, & mortuus est *peccator*; sique supplicibus Fidelium votis toto terrarum Orbe invocaretur ut Dei amicus, qui tanquam ejusdem hostis sepultus esset in inferno; ergo. II. quia vix, ac ne vix quidem credi potest, Deum in materia graviter ad religionem spectante deserere Ecclesiam suam, omni qua potest ope enitentem, ne deseratur: porro si permitteret Deus, ut reprobus quis pro Sancto coleretur, jam Ecclesiam suam desereret, & in materia, quæ graviter ad religionem spectat, & in casu, in quo omni, qua potest via, conatur non deseri. Neminem enim albo Sanctorum inscribit Pontifex Romanus, nisi claruerit miraculis adeo insignibus, ut vel ipsi Ecclesiæ hostes quædam pro miraculis agnoverint, quæ Romæ admissa non sunt. Aliunde vero indicit idem Pontifex jejunia, & preces publicas, ut Dei voluntatem habeat compertam. Demum res tota tam maturo subjicitur examini, tandiuque secundum omnes sui partes discutitur, ut nihil amplius a Christiana sapientia exigi possit.

His positis, quia ratione eadem coluntur Festa, qua Dominicæ dies, superest, ut quædam dicamus de Festis tum Dei, & Christi, tum B. Virginis. Sit igitur

AR-

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Festis in honorem Dei directe institutis.*

QUanquam universa Ecclesiæ Festa, & ea etiam, quibus coluntur Sancti, instituta sint in honorem Dei, qui electos suos glorificavit; habet tamen plebs Catholica Festivitates quasdam ita uni Deo specialiter addictas, ut eæ Dei ipsius Festa peculiari ratione nuncupari possint. Harum solemnitatum præcipuas, quoniam omnes indagare non licet, breviter evolvemus.

Quæres itaque I. quando instituta sit Dominica dies, quo fine, & qualiter celebranda.

R. ad 1. Dominicam diem a primis Ecclesiæ temporibus servatam fuisse, ut fatentur ipsi Protestantes, & ex primæva Traditione constat. Ita quippe docent Ignatius in Epist. ad Magnesianos, Justinus Apologia 2. Tertullianus Lib. de corona militis. Et vero adeo distincta erat dies Dominica a ceteris ipso Apostolorum tempore, ut hanc diei Dominicæ vocabulo designet S. Joannes Apocal. 1. his verbis: *Ego Joannes fui in spiritu in Dominica die.*

R. ad 2. institutam fuisse Dominicam diem, quia cum diem aliquam divino cultui deputari conveniat, nec conveniat, ut serventur abrogatæ Mosaicæ Legis Sabbatha, aliam Sabbatho diem substitui oportuit. Prima autem hebdomadæ dies ceteris fuit anteponenda: I. quia hac ipsa die orsus est Deus creationem mundi. II. quia eadem die roravit mannam in deserto, nobilissimam Eucharistiæ figuram. III. & præcipue quia hac eadem die surrexit Christus; Apostolorum mentes inebriavit Spiritu Sancto, Ecclesiam suam efformare cœpit, &c. unde liquet Domini diem peculiari cultu a Fidelibus celebrandam esse, ut quæ iisdem tam multiplici titulo sacra esse debeat. Hinc

R. ad 3. triplex præsertim initio Ecclesiæ erat in Dominica ritus: I. enim vacabant Fideles ab opere servili. II. conveniebant in Ecclesiam ad lectionem, Sacrificium, & sacram Synaxim. III. non jejunabant. His Dominicæ diei exercitiis adeo intenti erant priorum temporum Fideles, ut ab iis ne ipso quidem mortis metu ab ethnicis Imperatoribus indictæ deterrerentur. Hinc interrogati a Magistratibus sodales S. Saturnini in Africa Sacerdotis, cur contra Principis jussum convenirent, id unum responderunt: *Intermitti Dominicum non potest: lex sic jubet, lexque sic docet.* En norma, quam sequi debeant Fideles, quibus nihil hodie pietas sua affert periculi.

Quæres II. quid de Adventu sciri oporteat.

R. I. Annum Ecclesiasticum quatuor in partes dividi, quarum prima Adventum, & subsequas Christi infantis solemnitates complectitur; secunda Quadragesimam; tertia tempus Paschale, quod usque ad Octavam Pentecostes elabitur; quarta denique tempus, quod ab Octava Pentecostes usque ad Adventum succedit.

R. II. institutionem Adventus non esse novam in Ecclesia, cum de sancto hoc tempore mentionem faciant plura septimi sæculi Concilia, ex quibus insuper colligere est, Adventum habitum fuisse ut Quadragesimam Dominicæ Nativitati præviam. Neque vero hæc multopere distabat a Quadragesima Paschali. Unde illud Amalarii Lib. 4. de Offic. Eccles. c. 37. *Nos observamus tres Quadragesimas, ante Pascha Domini, ante Festivitatem S. Joannis, & ante Nativitatem Domini.* Hinc hodiedum Clerici Officio mancipati, easdem flexis genibus fundunt per Aventum preces, quæ esurialibus feriis addictæ sunt. Demum in Adventu lugubribus, violaceis nimirum vestimentis passim utebatur Ecclesia, & etiamnum utitur.

R. III. ex dictis liquido patet enitendum esse Fidelibus, ut Adventus stadium singulari pietate decurrant: ad quod operæ pretium est: I. ut Ecclesiæ spiritum induti, vulnus nobis primigenio peccato inustum sincerissime defleant. II. ut proprias plangant infirmitates. III. ut Mediatorem repetitis suspiriis invocent, exclamando cum Isaia, (16. 1.) *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* & rursus, *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* IV. ut venturi Messiæ gratiam sibi promereantur prece magis sedula, eleemosyna largiori, mundi, mundanorumque fuga. V. ut primi ultimique Adventus ideam consocient, prout intendit Ecclesia, quæ jam a prima Adventus Dominica legit Evangelium, quo viva judicii generalis imago exhibetur, &c.

Quæres III. an primævæ sit antiquitatis Festum Nativitatis Christi. II. quid singulare habeat ejusdem ritus. III. quo præcipue animi sensu debeat celebrari.

R. ad 1. Christi Nativitatem jam ab initio in Ecclesia Occidentali, & multo serius apud Græcos celebratam esse. Neque tamen apud Græcos honoris cujuscunque expers erat beata hæc Nativitas; sed simul cum Epiphania, & Baptismo Christi celebrabatur die 6. Januarii.

R. ad 2. Id speciale habet Natale Christi: I. quod ejus solemnitas non a primis tantum Vesperis incipit, ut moris est, sed a Laudibus Vigiliæ, quæ duplici, aut semiduplici ritu persolvuntur. II. quod Christiana plebs partem noctis maximam divinis Officiis incumbat. III. quod Ministri altaris Missarum solemnia ter celebrent, quo triplex indicetur Christi Nativitas: prima quidem ex utero Patris ante Luciferum; secunda ex utero matris in ipsa temporum plenitudine; tertia per gratiam, & pacem in *hominibus bonæ voluntatis.*

Hinc nota I. Ecclesiæ præcepto satisfieri ab iis, qui Missam unam audiunt; tametsi optandum est, ut tres audiant, qui tres audire possunt. II. esse qui velint ut Sacerdos, qui Missas tres facere nequit, mediæ noctis Missam recitet etiam de die, quia hæc plus congruat mysterio Festi: aliud tamen præscribit Rubrica Parisiensis.

R. ad 3. opus esse I. vivida fide, cui soli datum est in præsepi, fœno, & fascis eum revereri, *quem proni vident, tremunt, adorant Angeli.* II. spe firma, quæ Dei misericordiam suscipiat *in medio templi*

 ejus.

ejus. III. ardeoti charitate, quæ nihil noo ausit in gratiam illius, qui pro nobis, *cum inimici essemus*, ea fecit, & passus est, quæ nemo nostrum pro amicis suis facere velit, aut pati. IV. singulari animi bene memoris sensu, quo facile perfundetur, qui serio perpenderit, quis veniat, ad quem veniat, quo fine veniat. V. constanti voluptatum aspernatione, ad exemplom illius, qui jacet io præsepi nudus, & austeri cœli inclementiam patitur, &c.

Quæres IV. quid circa tempus Paschæ præambulum animadverti oporteat.

R. tempus illud tres in partes dividi, quarum prima Quadragesimam præcedit; secunda eandem complectitur, demta majori hebdomada; tertia majori hac hebdomada continetur.

Pars temporis Paschæ prævii, quod Quadragesimam præcedit, constat Dominicis tribus, Septuagesimæ nimirum, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, quas censent multi ab Ecclesia fuisse institutas, ut bacchanalia, quæ grassari cœperant, compescerentur. Jam tunc enim Ecclesia lugubres induit amictus, supprimit *Alleluja*, & in sacris Officiis Fideles revocat ad memoriam eorum, qoæ Deus contra Adamum, contra Terræ incolas temporibos Noe, ac demum cootra Sodomitas gessit. Hæc autem Officiorum immutatio, cum extraordinariam celebritatem prædictis Dominicis tribuerit, potuit & iisdem tribuere nomina, quæ Quadragesimam prænuntiarent, & ab ea ordine retrogrado denominarentur.

Secunda pars temporis Paschæ prævii vocatur Quadragesima, eaque vel Traditionis est Apostolicæ, vel paucissimo post Apostolos tempore instituta. Instituendi ratio e veteri, potissimum autem e novo Testamento desumta est. Moyses enim, Elias, & Christus dies 40. jejuoavere. Adde, quod deceret, ut Fideles temporaneis sæpe rebus immersi, decimam anni partem pœnitentiæ consecrarent: quo autem tempore posset id fieri congruentios, quam quo Ecclesia passionem, & mortem Sponsi sui recolere intendit.

Is porro Quadragesimam sancte transiget: I. qui sanctam jejunii legem sedulo servabit. II. qui sanctificabit jejunium oratione, eleemosyna, crebra divini verbi auditione. III. qui ad amussim exequetur id, quod canit Ecclesia: *Utamur ergo parcius verbis, cibis, & potibus, &c.*

Tertia pars ejusdem temporis Paschæ prævii, complectitur hebdomadam majorem, quæ etiam hebdomada *sancta*, & *pœnosa* nuncupatur, ut hinc discant Fideles, sibi nihil non eo tempore tentandum esse, ut *Christo passo & ipsi eadem cogitatione* armentur.

Hebdomadam majorem pie, & salubriter agent: I. qui jejunio, si fieri poterit, arctiori incumbent. II. qui ab hominum consortio recedent accuratius. III. qui plus solito vacabunt orationi. IV. qui Christi dolores meditabunrur profundius. V. qui ad secipienda Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta majori se studio disponent. VI. qui, quam frequenter licebit, aderunt solemnibus officiis. VII. qui satagent, ut mente assequantur quidquid tunc mysterii celebrat Ecclesia.

Porro in Dominica Palmarum celebratur ingressus triumphalis Christi in Jerusalem, cui Hebræa plebs cum palmis obvia, fausta quæcunque acclamabat his verbis: *Hosanna filio David*, sex postea diebus misere clamatura; *Tolle, tolle, crucifige eum*. Unde saoctam haoc diem ex mente Ecclesiæ aget, qui Christum de dæmonibus triumphantem adorabit, qui ejusdem imperio se, suaque submittet, qui mundi judicia, mobilesque ejusdem plausus detestabitur.

Feria quinta renovatur memoria eorum, quæ fecit Salvator pridie quam pateretur: tunc autem lavit pedes Apostolorum, Eucharistiam instituit, traditus est Judæis, & ab his dura quæque sustinuit.

Feria sexta exhibentur præludia mortis Christi, mors ipsa, & ejus appendices ex Evangelio notæ.

Ut major his diebus percipiatur gratia, operæ pretium est, ut feria quinta animo revolvatur tum singularis humilitas Christi ad Apostolorum, & Judæ ipsius pedes amanter prostrati; tum impensa ea charitas, qua se suis in potum, & cibum dedit; tum nox illa plena amaritudinis, qua vere languores nostros tulit, & ea specie visus est, cui noo erat decor; ita ut reputaretur *novissimus virorum*. His considerationibus pie inhærebit Fidelis aoima in variis stationibus, quæ eadem die decurri solent.

Quod ad feriam sextam attinet, id in eadem agendum: I. meditanda historia passionis Christi. II. Christo compatiendum, addendumque aliquid hac die, si fieri potest, ad rigorem jejunii. III. orandum cum Ecclesia pro omnibus omnino hominibus, etiam pro Judæis, & infidelibus. IV. adoranda reverenter crux, in qua salus mundi pependit.

Quæres V. cur institutum Pascha Christianorum; & quo animi sensu celebrandum.

R. ad 1. quod sicut apud Judæos institutum est Pascha, (id est, transitus) ut ea die ageretur memoria tum transitus Angeli, qui Ægyptiorum primogenitos percussit, Hebræos autem pertransiit intactos: tum exitus Israel de Ægypto, ubi sub Pharaonis servitute tot annos ingemuerat; sic, & ad normam institutum sit apud Christianos Festom Paschatis, ut celebretur memoria Resurrectionis, per quam Salvator de morte transit ad vitam, eoque transitu solvit nos a dura dæmonum servitute; & *vitæ æternæ nobis aditum devicta morte reseravit*.

R. ad 2. Pascha ab iis ea Ecclesiæ sensu celebrari: I. qui nihil oon impendunt, ut cum Christo resurgant; & qui proiode sic moriuotur peccato, ut *Deo viventes* perpetuo in oovitate vitæ incedant. Hi porro Deo vivunt, qui spretis mundi honoribus, divitiis, ceterisque, quæ cupiditatem incenduot, *quæ sursum sunt* sapiant indesinenter, *non quæ super terram*; (*Rom.* 6. *Coloss.* 3.) II. qui in Resurrectione Christi, Baptismum, vi cujus eidem Christo consepulti sunt, & contractas in eo obligationes revocaot ad memoriam. Hunc in scopum tanto fœdere Baptismom nostrum, & Christi Resurrectionem sociavit Ecclesia. Hinc olim remissum Catechumenorum Baptisma ad solemnitatem Resurrectionis; hinc in eadem solemnitate consecrati Fontes regenerationis; hinc Ministros suos singulis Octavæ diebus ad eosdem Fontes de-

du cit

ducit Ecclesia: & exhibendo petram, cujus salutaribus aquis abluti sunt, tacite ait cum Isaia cap. 51. *Attendite ad petram unde excisi estis.*

Quæres 6. quid sibi velit nomen Pentecostes. II. quæ ejus apud Judæos tam solemniter peragendæ ratio. III. quæ ratio apud Christianos. IV. quo animo celebranda sit ea festivitas.

R. ad 1. & 2. Dies Pentecostes idem est, ac dies quinquagesima; hæc autem ideo tantæ apud Judæos erat solemnitatis, quia Lex die quinquagesima post egressionem ex Ægypto data est Hebræis ad radicem montis Sinai.

R. ad 3. Pentecostēn Judaicam fuisse typum christianæ Pentecostes, quæ idcirco multo plus a nobis exigit reverentiæ: I. quia hac eadem die Spiritus Sanctus in Apostolos, ceterosque Discipulos descendit, ut Legem Dei non in tabulis lapideis, sed in eorum cordibus scriberet. II. quia hac die primitiæ messis Apostolicæ Domino consecratæ sunt; cum ad primam Petri, Christum redivivum annuntiantis vocem, tria Judæorum millia Evangelio nomen dederint. III. quia Apostoli hactenus vinci faciles, invicto eo animi robore donati sunt, cui tandem cedere oportuit Orbem universum.

R. ad 4. in primis opus esse, ut Fideles justam donorum S. Spiritus, quæ hac die plenius conferuntur, ideam sibi efforment. II. ut ab eodem Spiritu in se impleri flagitent, quod ille olim in Apostolis operatus est; quodque his expressit verbis Ezechiel cap. 11. *Dabo eis cor unum: & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum.* III. ut maxime cogitent consummata esse hac ipsa die Christi mysteria, absolutumque opus, ad quod ille missus erat. Hinc agendæ Christo grates, tanquam capiti, quod membra sua diligit, fovet, & jugi tutatur auxilio.

Quæres VII. an aliqua sit Festum inter Trinitatis, & Corporis Christi affinitas; a quo item postremum istud fuerit institutum, & cur tam sero.

R. ad 1. multam esse cognationem inter utrumque Festum. Ut enim Festa quæcunque ad Trinitatis cultum referuntur, sic Eucharistia juge est sacrificium, quo tanquam præstantiori medio colitur eadem Trinitas. Sicut ergo in Festis omnibus honoratur Trinitas, quæ nobis Verbum incarnatum, ejusque mysteria, & verbi matrem, sanctosque omnes largita fuit; sic Festa omnia Eucharistici Sacrificii actione potissimum celebrantur.

R. ad 2. Festum Corporis Christi, seu Eucharistiæ in Ecclesia Leodiensi jam ab an. 1246. celebratum, ad totam Ecclesiam extensum fuisse ab Urbano IV. an. 1264. Agnoscit porro in Bulla sua Summus ille Pontifex: I. Festum Eucharistiæ singulis diebus celebrari, quia singulis diebus immolatur, & colitur salutis nostræ Victima. II. merito tamen sanciri, ut idem Festum *festivitate, ac celebritate præfulgeat speciali, quatenus in ea, quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur.* Adde æquum fuisse, ut quo tempore Eucharistia majori nisu a Berengario, & Albigensibus impetita jam fuerat, ei plus honoris a Fidelibus impenderetur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Festis in honorem Deiparæ, &c.*

SUppono in primis merito institui Festa in honorem B. Virginis, & Sanctorum: I. quia ea fuit Ecclesiæ primitivæ praxis, ut liquet ex his S. Cypriani verbis Lib. 4. Ep. 5. *Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus.* II. quia Festi dies recte instituuntur ad recolenda Dei beneficia, ut patet de Festo fortium apud Judæos: atqui quod Cristiani quidam sancte consummentur, præsertim per martyrium, singulare est beneficium Dei. Inde enim novum sibi civem accedere gestit Ecclesia triumphans. Inde novum sibi apud Deum adesse intercessorem gaudet Ecclesia militans, &c.

Quod dicunt Pseudoreformati, cultum Sanctorum idololatriam sapere, ridiculum est. Tam enim immunis est ab idololatria cultus, qui Sanctis exhibetur post mortem, quam qui iisdem exhibetur adhuc viventibus. Neque enim Sanctos colimus, ut deitatem quasdam, sed ut amicos Dei, quos idem Deus qua tales honorari jubet: nec vota, nec altaria dicamus Sanctis, sed ipsi Deo in honorem Sanctorum; id est, tum ut eidem gratias agamus ob beneficia, quibus Sanctos plenissime cumulavit; tum ut ab eo ad ipsorum preces, si non paria, saltem sufficientia consequamur. Jam

Quæres quæ præcipua sint Mariæ Festa.

R. Sunt ea Conceptio, quæ die Decembris 8., Nativitas, quæ pari Septembris die, Præsentatio in Templo, quæ die 21. Novembris, Annuntiatio, quæ Martii die 25., Visitatio, quæ 2. Julii, Purificatio, quæ 2. Februarii, Compassio, quæ feria quinta post Dominicam Passionis, & Assumtio, quæ 15. Augusti celebratur.

Festum Conceptionis XII. sæculo in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali celebrari cœpit. Hujus solemnitatem Decreto confirmavit Capitulum Lugdunense anno 1145. Piam hanc novitatem Epist. 174. impetiit S. Bernardus: at crescente in Deiparam Fidelium affectu, invaluit tandem celebritatis hujus consuetudo, & a Synodo Basileensi an. 1439. confirmata est, eique Indulgentias addidit Sixtus IV. an. 1476.

Institutionem Festi Nativitatis consignat Baronius an. circiter 800., quæ epocha quibusdam videtur antiquior. Festo huic suam adscripsisse octavam fertur Innocentius IV. ut voto ante Prædecessoris sui electionem ea de re facto satisfaceret.

Festum Præsentationis diu ante in Orientali Ecclesia celebratum est, quam in Latina celebraretur. Primus ipsum in Gallias invexit Carolus Rex hujus nominis V. illudque in sancta sua Capella celebrari jussit, præsentibus multis Galliæ Præsulibus, & Papæ Nuntio, qui facundissimam ea de re orationem habuit.

Festum Annuntiationis, quod idem est ac Festum Conceptionis Verbi, uno eodemque cultu cum Christi Nativitate celebratum est a SS. Patribus. Sensim tamen sua fuit Annuntiationi celebritas specialis, eaque

que passim alligata fuit diei 25. Martii; quia, ut ait Augustinus Lib. 4. de Trin. c. 5. *sicut a Majoribus traditum, suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus creditur* Christus, *quo & passus*.

Festum Visitationis, quo recolitur charitas Mariæ cognatam suam in montana Judææ invisentis, institutum est ab Urbano VI., confirmatum a Bonifacio IX. an. 1389., deinde a Concilio Basileensi Sess. 45. an. 1441.

Festum Purificationis, ( Græcis hypapante, seu obviatio; quia Christo ad Templum delato occurrerunt Simeon, Anna, aliique, ut probabile est, complures justi ) circa an. 542. promulgatum est a Justiniano. Quanquam censet Baronius solemnitatem hanc jam utcunque institutam fuisse a Gelasio, cum Romæ abolevit Lupercalia.

Festum Compassionis institutum est in memoriam profundi doloris, quo icta est sacra Virgo, dolorum pendentis e Cruce Filii conscia. Festum hoc instituit, vel saltem præscripsit Synodus Coloniensis an. 1423., ut, qua meliori via poterat, facinora contra Virginem ab Hussitis commissa repararet.

Quod spectat ad Assumtionem, constat aliquando dubitatum esse de B. Virginis obitu: *Non dico*, ait S. Epiphanius hæresi 78. *quod immortalis mansit, sed neque affirmo, an mortua sit*. Aliter hodie tota sentit Ecclesia, & Mariam ex hoc seculo *pro conditione carnis* migrasse profitetur: neque iis assentit, qui eandem martyrio vitam finiisse contendunt.

An autem Maria corpore simul & anima in cœlum assumta sit, ut pie sentiunt Fideles, difficilis est controversia, quam hic expendere non vacat; quæque aliquando rationibus parum firmis & defenditur, & oppugnatur. Sic male quis assumtionem κατὰ corpus ex ipso assumtionis vocabulo tueatur; tum quia quod hodie Assumtionis nomine exprimimus, hoc antiqua Adonis, & Usuardi Martyrologia *dormitionem* dicunt, alia vero *pausationem*, seu requiem Virginis; tum quia beata Sanctorum mors aliquando nominibus transitus, depositionis, somni, atque etiam assumtionis designata est. Sic etiam male quis eandem plenam assumtionem neget, ex eo quod non pauci Patres dixerint Christum solum resurrexisse deinceps non moriturum: cum existiment Hilarius, & Epiphanius, quos secuti sunt Jansenius Iprensis, aliique plures, Sanctos, quorum monumenta in Christi morte aperta sunt, ad immortalitatem resurrexisse. Ut ut est, nemo Fidelium refugiet modesta Petri Blesensis verba Serm. 28. *Hodie verisimile est, quod B. Virgo & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta est: quod, ne cui prorsus veniat in dubium, auctoritatibus astruimus, opinando tamen, non asserendo, &c.*

Quæres qua sanctiori ratione coli possint Mariæ festivitates.

R. quædam esse pietatis exercitia singuli cujusque Festi propria, quædam generalia.

Propria cujusque Festi relationem habere debent ad mysterium, quod in eodem Festo colendum sibi proponit Ecclesia. Sic in Conceptione, & Nativitate petendum est a Deo, ut præveniat nos in benedictionibus suis, ut amori ejus parem & nos amoris vicem rependamus. Sic in Præsentatione una nos cum Maria Deo offerre debemus; diligere, ut & ipsa dilexit, decorem domus Dei, & diem unam in atriis Domini transactam meliorem æstimare super millia. Sic in Annuntiatione precari decet, ut quæ Dei mater facta est, fiat & mater nostra, ut quæ virginitate placuit, & humilitate concepit, singularem nobis castimoniam, & nutricem castimoniæ humilitatem promereatur. Sic in Purificatione optandum, ut exemplo Virginis singulas Dei, & Ecclesiæ leges servemus, & contra infractores tueamur pro virili. &c.

Quod spectat ad generalia pietatis exercitia, quibus Mariæ Festa coli possunt: I. æquum est, ut de collatis eidem a Deo beneficiis singulares habeamus gratias bonorum omnium auctori: præsertim cum dona hæc non in solius Mariæ, sed & in nostri quoque gratiam concessa sint. II. & hæc esse debet pars cultus nostri præcipua, omni studio enitendum est, ut Deiparæ virtutes, quantum licebit tenuitati nostræ, imitemur. Etsi porro juxta Damascenum Mariæ virtus *omnem encomiorum laudem excedit, nec si omnes in toto Orbe dispersæ linguæ in unam coeant, ejus laudes oratione consequi possent*; æquum est tamen, ut pro modulo intueamur puritatem ejus, fidem intensam, obedientiam alacrem, amorem Filii tenerrimum, solitudinis studium, constantiam in adversis, silentium juge, & similia, quæ mentibus erga Deiparam pie affectis ultro se prodent. His qui vacaverint, Mariam experientur matrem; ceteri nequaquam. Ne ergo, ait Contenson e Prædicatorum familia, „ ne te periculose decipias, arbitrans salutem tuam in tuto „ positam, si alicui Mariæ sodalitati nomen dederis, „ vel si aliquo externæ pietatis officio fungaris, tamersi „ de vita serio mutanda non cogites, sed in eisdem „ flagitiis perseveres. Dic, sodes, Rosarium, Scapulare, Cingulum, suntne aliquid Eucharistia sanctius, aut securius? Minime gentium, inquies, & „ recte dices: & heu quot & quantis cibus ille vitalis mortem affert! Sed instabis: De Confratribus „ Rosarii dictum est: *Nemo Mariæ cliens in æternum „ perit*; de gestantibus Scapulare revelatum est: *In „ quo quis moriens, æternum non patietur incendium*. „ Sed amabo, nonne de Eucharistia, & quidem „ Christo contestante, & Auctore canonico scribente „ dictum est: *Qui manducat hunc pànem, vivet in æternum*? Et .... quot myriades, quot chiliades Christianorum .... gravius pro certo damnandi, quod „ cibum illum immortalitatis sacrilego ore accipere „ attentarint. „

Ut quædam solvantur difficultates, quæ hic proponi possunt,

Quæres I. an officia Ecclesiæ peregrina lingua fieri possint. R. Suam circa hoc disciplinæ punctum mentem his aperiunt verbis Tridentini Patres Sess. 22. cap. 8. de Sacrificio Missæ. *Etsi Missa magnam contineat fidelis populi eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus*

*floribus*, *& singulis curam animarum gerentibus*, *ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se*, *vel per alios ex iis*, *quæ in Missa leguntur*, *aliquid exponant*, *atque inter cetera santissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis*, *& Festis.* Quod autem disciplina hæc, quæ a Protestantibus superstitiose judicatur, nihil habeat mali, patet: I. quie etsi linguæ hebraicæ usus jam a tempore Babylonicæ captivitatis desierit vulgeris esse apud Judæos, ita ut viri etiam eruditi linguam hanc non intelligerent, prout de Philone constat; ii tamen in sacris ritibus hebraica lingua usi sunt semper, & hodiedum utuntur; & tamen hæc praxis nec a Christo, nec ab Apostolis culpata est unquam.

II. Quia redarguere id, quod *tota per Orbem frequentat Ecclesia ..... insolentissimæ insaniæ* est, ut ait Augustinus Ep. 54.: atqui cum e communione nostra recesserunt Protestantes, ritus eliena utendi lingua in mysteriorum celebratiooe tota frequentabatur in Ecclesia extra Sclavoniam; prout fateri coguntur vel ipsi, qui bonæ fidei sunt Protestantes.

III. Quie cum iocommoda omnia vitari non possunt, ee indubie pars tenenda est, quæ multo graviora tollit: atqui Mysteriorum celebratio in lingua, quæ fixa sit, ideoque & expers mutationum, quibus obnoxiæ sunt linguæ vulgeres, multo graviora tollit incommoda. Gravia eoim sunt incommoda, quod deteretur majestas Religionis, & quod Fideles erroris periculo expooantur; atqui incommoda hæc tollit, solusqoe tollere potest usus linguæ fixæ, ideoque oon vulgaris: I. enim multum deperit majestati Religionis ex eo quod Officia ejus vulgari lingua peragantur. Hinc Psalmi Davidis gallicam in linguam translati e Theodoro Beza, & Clemente Marot, elegantissimis ævi sui Scriptoribus, uno minus seculo eo usque deridiculi evaserunt, ut risum moveant, nedum pietatis sensum instillent. Ecquis patienter ferat versionem hanc Psalmi 50., quo tamen vix elius commovendis animis eptior est in tota Scripture?

*Lave moi Sire*, *& relave bien fort*
*De ma commise iniquité mauvaise*,
*Et du péché*, *qui m'a rendu si ord*,
*Me nettoyer d'eau de grace te plaise.*

Quis Psalmum 4. agnoscat in hac versiune?

*Quand je t'invoque hélas! écoute*
*O Dieu de ma cause & raison:*
*Mon cœur serré au large boute*,
*De ta pitié ne me reboute.*

II. Celebratio Officiorum lingua vulgari populos erroris periculo exponit. Certe enim vel unius literæ additio errorem invehere potest, ut patet in *omoiousio*, & *omousio*: unde multi refert, ut Scripturæ, sacrorumque rituum versiones eb Episcopis approbentur: porro qui fieri potest, ut ab Episcopis approbentur versiones editæ linguis, quas ne unus quidem forte Episcopus capit, ut est Vascorum lingua? Et licet identidem approbari possint, an approbari poterunt, quoties novas proferri exiget mutatio linguæ?

At, inquies, praxis Deum ignota lingue publice laudandi expresse redarguitur ab Apostolo I. Cor. 14. ubi sic: *Nunc autem*, *Fratres*, *si venero ad vos linguis loquens*, *quid vobis prodero*, *nisi vobis loquar aut in revelatione*, *aut in scientia ....*, *etenim si incertam vocem det tuba*, *quis parabit se ad bellum? Ita & vos nisi manifestum sermonem dederitis*, *quomodo scietur id*, *quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes .... si ergo nesciero virtutem vocis*, *ero ei*, *cui loquor*, *barbarus*, *& qui loquitur mihi barbarus*, *&c.* Unde sic: Ille non patitur, ut sacra fiant alia quam vulgari lingue, qui hominem ignota lingue loquentem comparet tubæ incertam, ideoque & inutilem vocem danti; qui eundem in aera loqui contendit; qui denique eum pro barbaro habet: atqui S. Peulus hæc docet in versibus citatis; ergo.

R. ed 1. neg. ant. I. quia redarguere non potuit Apostolus id, quod ipse propria praxi comprobabat: atqui Apostolus quoties legalia observabat in templo, propria praxi confirmabat usum linguæ minime vulgaris, prout eum comprobaverat ipse Christus, ot diximus supra. II. quia si praxis ignote lingua utendi Scripturæ adversatur, Scripturæ hostis fuit Lutherus, qui Missam suam Latina aliquando, eliquendo vernacula lingua celebreri volebat; ejusdem quoque hostes erunt Lutherani, qui Missam magna ex parte faciunt Latina lingue: ut quid ergo & Lutherum Beati nomine dignantur Calvinistæ, & publico decreto Synodi Nationalis epud Carentonium habitæ anno 1631. sanxerunt, ut Lutherani ad Matrimonie, & Cœnam in Calvinianis templis mitterentur?

R. ad 2. neg. maj. aliud est enim improbare, ut privatus quis in publico Fidelium cœtu peregrina lingua loquatur, aliud improbare, ut publica Officia lingue minime vulgari persolvantur. Primum, & merito, redarguit Apostolus, prout redargueremus in Gallia Italum, aut Anglum, qui e suggesto Italice, vel Anglice concionaretur; at de secundo ne verbum quidem habet in citato textu. Totus enim in eo est Apostolus, ut emendet Chorinthios, qui ex aliquo vanæ gloriæ sensu donum linguarum, his temporibus frequens, præferebant donis ceteris, iis etiam, quibus alii instrui potuissent, & ædificari. Certe, inquit v. 19. *in Ecclesia volo*, seu mallem *quinque verba sensu meo*, id est, quorum sensum intelligam, *loqui*, *ut & alios instruam*, *quam decem millia verborum in lingua*, cujus vias, & energiam non sic assequar, ut possim alios instruere. En Apostoli intentum, ad quod necesse non fuit, ut expenderet an Ecclesiæ Officie vulgari idiomate fieri deberent, an non. Et vero locum hunc Pauli non de publicis Officiis, sed de exhortationibus nota lingua faciendis intellexere Cyprianus, Augustinus, Basilius, Ambrosius, Theodoretus, aliique, quos citat Bellarminus.

Quæres II. an expediat augeri numerum Festorum. R. etsi olim major fuit, quam sit hodie Festorum numerus, ut constat ex Constitutionibus Apostolicis Lib. 8. cap. 33. ubi præter quindenam Paschalem, in qua ab omni opere servili cessabatur, Sabbatum hebdomadis cujuscunqoe pari ritu celebraba-

tur cum Dominica; satius tamen videri inspecta temporum iniquitate, ut minuatur potius quam augeatur numerus Festorum. Nempe vero, ut vivide ajebat Gerso in Concilio Remensi an. 1408. ob frequentiora Festa *subintroeunt magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumtuosissimæ, choreæ plenæ peccatis, & insaniis, & carminibus blasphemis, imo & per Inquisitorem damnandis, dissolutiones quoque luxuriosæ, & ad breve verbum subingreditur malum omne; ita ut quod pro honore Dei, & pro salute animarum fuit sapienter institutum, vertatur in contumelia ejus, & salutis detrimentum.*

Cavere tamen debent qui Festa auferunt, ne ea tangant, quæ a primis Ecclesiæ seculis observata sunt; aut quæ licet recentius instituta, auferri non possent quin turbaretur Ecclesiæ harmonia.

---

## CAPUT SECUNDUM.

### *De secundo Ecclesiæ praecepto.*

SUppono I. potuisse Ecclesiam jejunia quædam Christianis præcipere: I. quia non minor est potestas Ecclesiæ in Lege nova, quam in antiqua fuerit potestas, vel Synagogæ erga totam Judæorum gentem, vel Jonadab patris Rechabitarum erga universam domum suam: atqui potuit Synagoga constituere jejunia a Deo minime præcepta, ut patet tum ex Esther 9. ubi indicitur jejunium in memoriam liberationis a persecutione Aman; tum ex cap. 8. Zachariæ, ubi sermo est de jejuniis quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, quæ a Reipublicæ Præpositis, non autem a Moyse constituta erant. Potuit etiam Jonadab filius Rechab filiis, & nepotibus suis usum vini prohibere *usque in sempiternum*; & obedientiam legi tam severæ ab ipsis præstitam laudavit & remuneravit Deus, ut patet ex Jerem. cap. 35. ergo.

II. Quia si licitum fuit Apostolis sanguinis, & suffocati usum prohibere ad bonum finem, nimirum ut facilius Gentiles in unum cum Judæis corpus coalescerent, quidni Apostolorum successoribus licitum sit certa prohibere alimenta in finem perinde honestum, videlicet ut coerceatur carnis petulantia, mens sursum elevetur, &c.?

III. Quia Ecclesia prioribus, ideoque & purioribus seculis jejunium inculpate exegit, ut patet: I. ex Can. 63. inter Apostolicos, ubi sic: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat.... præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si laicus sit, segregetur.* II. ex Patribus, quorum instar in re clara sint Tertullianus, juxta quem in Lib. de jejunio, *bene* est, quod *Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent.* Hieronymus, qui in Epist. ad Marcellam, *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo, jejunamus.... non quo & per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat; sed quia aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre;* ubi S. Doctor jejunium Quadragesimæ necessarium vocat, & a voluntariis Novatorum jejuniis discernit.

IV. Quia Ecclesia potest condere leges de rebus, quæ bonæ sint, & utiles ad salutem, & aliunde homini possibiles: atqui tale est jejunium. Unde in Anglicana Ecclesia moris est jejunia identidem constituere: quin cum reformata est, vel potius insigniter depravata hujus Ecclesiæ Liturgia sub Eduardo VI. vetitum est, ne quis feria sexta, & Sabbato carnibus vesceretur; sancitumque est a Curiis Londinensis Senatus an. 1648. ut exceptis ægris, debilibus, usque, qui a Rege dispensationem obtinuissent, servarent omnes abstinentiam Quadragesima, Quatuor temporibus, aliisque diebus, quibus carnium comestio prohibita esset, ergo.

Obj. Abstinentia Evangelicæ libertati adversatur, ut patet ex his verbis tum Christi apud Luc. 10. *Manducate, quæ apponuntur vobis*; tum Apostoli I. Cor. 10. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.*

R. ad I. neg. ant. ad textum Christi, dico hunc esse sensum ejus, ut cum hospitio recipiuntur divini verbi præcones, non quærant delicatiores cibos, sed his, qui apponentur, etiamsi vilibus contenti sint. Et vero an præcipiebat Christus, ut Apostoli toxicum comederent, si apponeretur, vel carnes suillas, quandiu vigebat lex Moysis?

Ad textum Pauli, dico Apostolum voluisse, ut fideles non inquirerent curiosius, an carnes in macello propositæ immolatæ essent; non autem ut emerent indiscriminatim quidquid expositum erat. Nec usquam contrarium probabunt Evangelici ex Scriptura, ex qua tamen, quidquid asserunt, probare tenentur. Et vero ex Protestantium confesso emere carnes prohibitis diebus esset saltem peccatum scandali; ergo non potuit id Apostolus præcipere, præsertim cum in ejus principiis satius sit non manducare carnes in æternum, quam fratrem suum scandalizare.

Inst. I. Ille præcipit, ut Fideles sine discrimine quibuslibet cibis utantur, qui expresse vetat, ne iidem Fideles redarguantur *in cibo, aut potu*: atqui Apostolus Coloss. 2.... *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo, aut potu.*

R. dist. min. vetat Apostolus, ne Fideles judicentur in cibo, aut potu, id est, ne damnentur eo quod cibis a Moyse prohibitis utantur, C. vetat, ne damnentur, si utantur cibis ab Ecclesia prohibitis, N. Certe enim Apostolus ipse legem Jerosolimitanam, qua sanguis, & suffocata prohibebantur, tanquam *præceptum* servari instanter mandavit.

Inst. II. Apostolus I. Timoth. 4. *In novissimis diebus*, inquit, *discedent quidam a fide, jubentes abstinere a cibis, quos Deus creavit*: atqui hæc belle quadrant in Pontificios, omnesque, qui cibi cujuscumque usu interdicunt; ergo.

R. neg. min. ut enim post Tertullianum docet Hieronymus Lib. 2. adversus Jovinian. Apostolus hic *Marcionem designat, & Tatianum, & ceteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris.* Et certe si Apostolus quemcunque cibi delectum, & jejunia omnia prohibuisset, nusquam potuisset fieri, ut vel ipsa ejus ætate, vel

ætate proxime admodum secuta, (qua ut ita loquar adhuc calebat sanguis Christi, & quot Christianos, tot ferme numerabat heroes Ecclesia) contraria jejunii consuetudo in toto terrarum Orbe dominata esset: dominata est tamen, dominatur etiamnum, & invitis iis, qui sub libertatis prætextu ventri suo student, *usque ad consummationem seculi* dominabitur.

Neque obstat illud, *In novissimis diebus*. Ea enim vox in Scripturæ phrasi res etiam parum tempore dissitas exprimit. Sic Jacob annuntians filiis, quæ iisdem eventura erant *novissimis diebus*, multa quoad Simeonem, & Levi annuntiat, quæ contigere statim, ut 12. Tribus terram Chanaam sorte divisam possederunt.

Suppono II. jejunium Ecclesiasticum esse abstinentiam a certo victuum genere, juxta Ecclesiæ præscriptum, cum una refectione hora competenti sumenda. Jam quæritur I. quousque, & quos ea lex obliget. II. quæ ad eam legitime implendam necessaria sint. III. qui ejusdem observationis fructus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quomodo, & quos lex Jejunii obliget.*

REm duplici Conclusione expediemus. Sit

CONCLUSIO I. Lex jejunii sic obligat, ut qui eam transgreditur, etiam sine contemtu, & non ex consuetudine, peccet mortaliter. Est contra tum veteres, tum etiam nostri temporis Hæreticos, qui jejunia vel libera esse volunt, vel ea ut nullius momenti rejiciunt, vel ea confundunt cum sobrietate; sed male, cum sobrietas semper servanda sit, jejunium non item.

Probatur autem I. quia gravis pœna pro culpa levi non infligitur: atqui Canones iis, qui jejunium violant, gravem indicunt pœnam. Sic Can. 68. inter eos, qui Apostolici dicuntur, jejonii violatores, si Clerici sint, deponi; si Laici, privari communione debent.

Prob. II. ex Patribus, quos inter S. Leo Serm. 3. de jejunio decimi mensis ait, *impium* esse *negligere* jejunium ab Ecclesia præscriptum.

Prob. III. quia lex in materia gravi graviter obligat: atqui jejunii materia semper in Ecclesia reputata est gravis; ergo merito proscripta est ab Alexandro VIII. hæc propositio: *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemtu, vel ex inobedientia hoc faciat.*

Quæres, an non solum peccent qui jejunium frangunt, sed & caupones, aliive, qui iis cibos offerunt vel prohibitos, vel non prohibitos quidem, sed eo tempore, quo verisimile est futurum, ut propter hoc jejunium frangant.

R. cum Navarro, & aliis pluribus, hujusmodi caupones sive certo sciant, sive dubitent, aut dubitare debeant, eos, quibus tales, talive tempore cibos offerunt, jejunium soluturos esse, peccare mortaliter partim quia cooperantur gravi aliorum peccato, partim quia etsi forte non sint causa peccati, quantum ad initium pravæ voluntatis, sunt tamen causa actus, quo perpetratur, & continuatur peccatum. Et hoc verum est, ait Sylvius, etiamsi cibi illi offerantur in terris Hæreticorum: cui enim illicitum est certis cibis vesci, illicitum est eos cibos præbere ubicunque sit: imo vult idem Theologus, ut si cui nondum pranso paranda sit cœna vespere, moneat caupo eos, qui inde scandalizari possent, illum, cui paratur cœna, necdum pransisse.

Hinc sequitur, quod mortaliter peccet, qui hominem jejunio obligatum invitat ad cœnam, etiamsi ille dispositus sit ad cœnam, si cœnandum invenire posset: quia non licet ad malum invitare quemquam etiam paratum ad illud malum. Imo videris peccare, etiamsi is, quem invitas, ut tecum cœnet, erat certo alibi cœnaturus: I. quia hoc est cooperari peccato alterius, II. quia non licet tibi peccare, eo quod alii sint peccaturi. Aliud forte dicendum esset, si qui alibi cœnaturum invitat, ut apud se cœnet, non tam invitare velit ad cœnam, quam retrahere a majori malo: ut si mater filio nebuloni cœnam apud se offerat, quia alioqui apud meretricem cœnaturus est, & cum ea peccaturus; neque tunc magis cooperatur mater peccato filii, quam aliquis cooperetur peccato meretricis, cum eidem locat domum in ea civitatis parte, in qua commercium ejus toleratur.

An non ergo, inquies, unquam licet cauponi carnes, præbere iis, qui apud se divertunt?

R. licere I. cum iis, qui etiam pransi cœnam petunt, satis evidenter apparent a jejunii lege immunes, ut adolescentes, infirmi, nutrices. II. cum viri sunt honesti, talesque, qui probabiliter judicari possint Ecclesiæ præcepta revereri, quo in casu scrupulosius inquirendum non est, an legitimam habeant jejunii solvendi rationem. III. cum jejunii infractio sine gravi damno averti non potest: ut si perditi homines minentur incendium domus, vel necem, aut vulnera hospiti, nisi carnes die vetito iisdem ministret. Item si probabile immineat majoris mali, blasphemiæ v. g., & perjurii periculum: Ita Sylvester, Angelus, Medina, & S. Antoninus 2. p. tit. 6. c. 3. §. 2. Idem tenet Sylvius, qui hac de causa excusat famulos, qui heris jejunare nolentibus cœnam apponunt, cum id sine magno sui damno recusare non valent.

CONCLUSIO II. Jejunium omnes obligat Christianos, quibus est competens ætas: hæc incipit a 21. anno completo, & usque ad mortem perseverat.

Prob. tum ex S. Leone, qui Serm. 11. de Quadrag. c. 1. sic loquitur: *Adest maximum, sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis Fidelibus sine exceptione denuntiat*; tum ex unanimi Fidelium sensu; tum denique quia rationes, ob quas institutum fuit jejunium, in omnes sive justos, sive injustos cadunt; ii nempe corpus domare, peccata prætérita abluere, aut saltem adversus futura sese munire debent: ad hæc autem inservit jejunium.

Dixi I. *omnes Christianos*; ac proinde Hæreticos ipsos, qui per baptisma Ecclesiæ subjecti fuerunt: unde qui hæresim ejurant, debent in confessione aperire, quoties jejunii legem violaverint.

Dixi II. *a completo* 21. *ætatis anno*, Juvenes enim quan-

*quamdiu sunt in statu augmenti, quod est (ut in pluribus) usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiastica jejunia. Conveniens tamen est, ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus, vel minus secundum modum suæ ætatis*; Ita S. Thomas, (2. 2. q. 147. a. 4.) qui monet quædam aliquando in *magna tribulatione* indici jejunia, quibus ipsi juvenes necdum 21. annos nati adstringuntur.

Ceterum pueri etiam septennes in Quadragesima nec carnibus, nec ovis, cum hæe vetita sunt, vesci debent, peccantque, qui ea ipsis ministrant. Imo qui ante 21. annum vegeti sunt, & robusti, a parentibus, & Confessariis ad jejunium sunt inducendi, si non per totam Quadragesimam, saltem per alternos vel certe per duos, treive in hebdomada dies ad arbitrium viri pii, & prudentis, etsi enim forte excusantur ab ecclesiastica jejunii lege, non tamen a lege naturali, quæ ebullientes hac præsertim ætate concupiscentiæ impetus refrænari jubet: unde S. Basilius Orat. 2. *Pueri*, inquit, *velut plantæ virides, jejunii aqua irrigantur*.

Hinc graviter errant, qui eo quod sibi desint aliquot dies ad complendum ætatis annum 21. a jejunio penitus abstinent; quasi aliquot dies magnam in corporis & constitutione immutationem parere valeant, & hodie jejunio impar sit, qui paulo post eidem par esse censebitur.

Quæres, an Religiosi ante annos viginti & unum Professi teneantur ad jejunia, quæ per Regulam Professis omnibus imperantur. R. affirm. & dico juniores v. g. Franciscanos, etsi non magis teneantur ad jejunia per Ecclesiam præcepta, quam alii ejusdem ætatis juvenes, teneri tamen ad jejunandum unaquaque feria sexta, & Quadragesima, quia utrumque per Regulam expresse imperatum est. Ratio est I. quia juvenes annis 21. minores, capaces sunt jejunii, cum aliquando jejunent sive propria voluntate, sive ex Confessarii præcepto. Noluit quidem Ecclesia eos ante illud tempus generaliter obligare; non tamen quia eos jejunando prorsus impares censebat, sed ex mera indulgentia, cui, si velint, renuntiare possunt. II. quia, ut tenentur ii adolescentes ad jejunium, si ad illud voto se obstrinxerint, sic & ad illud obligantur, si per Religionis professionem ei se Regulæ mancipaverint, qua jejunia quædam præcipiuntur. Ita Azor, Sylvius, Henno, Pontas v. *Jejunium* cas. 2. & alii pene omnes, qui etiam notant pueros, qui Jubilæi participes esse volunt, ad jejunia per ipsum præscripta obligari.

Dixi III. *ad mortem usque*. Indubie enim tenendum quod docent melioris notæ Theologi cum S. Antonino, senes *ratione senectutis tantum non excusari a jejunio, si sunt fortes ad illud sufferendum: neque enim est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos quis tenetur ad jejunium*. Et certe non desunt septuagenarii, qui jejunent sine gravi incommodo, imo tam commode, quam varii quinquagenarii, & quadragenarii.

Quod docent aliqui, uxorem, si maritus repugnet, ab Ecclesiæ jejuniis, sicut & ab iis, quæ vovit, liberam fieri, falsum est: dato enim quod uxorum vota a maritis irritari possint, non tamen Ecclesiæ præcepta. Si tamen ex uxoris jejunio ipsam inter, & maritum oriatur notabilis discordia; item si fiat ad familiæ curam moraliter impotens, censet Sylvester, jejunium in alia opera pia superioris auctoritate commutandum esse.

CONCLUSIO III. Causæ a jejunio excusantes, tres recenseri possunt: impotentia, necessitas, & pietas, seu majus aliquod bonum.

Prob. Conclusio singularum partium explicatione: I. itaque excusat *impotentia*, cum scilicet aliquis vel jejunare non potest, vel id non potest sine magno, sui, aut alterius detrimento. Ratio est, quia Ecclesiæ leges hoc in casu non obligant (*supra pag.* 117.).

Varii porro sunt impotentiæ modi. Nam I. alia est impotentia, quæ oritur ab ætate, de qua statim dictum est. II. alia est, quæ oritur a morbo, & languore, ratione cujus *excusantur non tantum ægroti lecto decumbentes, sed etiam languidi, valetudinarii, & qui a morbo adhuc sunt debiles, quando sine valetudinis læsione non possunt unica refectione tantum sumere, quantum naturæ sustentandæ est necessarium, aut non possunt expectare competentem horam refectionis. Quibus adnumerandi sunt illi, qui tam infirma sunt complexione, ut vacuo stomacho capitis dolorem, aut vertiginem patiantur, vel noctes ducant insomnes* (*ex Silvio*). Circa hæc communiter loquendo, medici eruditi & Deum timentis judicio adhærendum est: cavendumque, ne nobis, quod sæpe solet, nimium blandiamur; nisve inhæreamus medicis, aut Casuistis, quibus omnis, & quæcunque infirmitas plena solvendi jejunii ratio est.

Hinc nostro, & saniorum Theologorum judicio, non sunt a jejunio eximendi: I. qui duo, aut plura habent cauteria; cum hæc non ita extenuent habentem, ut cœna indigeat. II. neque ii etiam, qui magnam noctis partem, nisi sumta cœna, dormire non possunt: huic enim incommodo medebuntur, si meridie collationem sumant, plenamque refectionem differant in vesperam. III. etsi defessus ex quocunque labore etiam flagitioso a jejunio per aliquos Casuistas excusetur, reipsa tamen violati jejunii reus haberi debet, quia ea solum impotentia a peccato excusat, quæ involuntaria est, non ea item, quæ prævisa est, aut prævideri debuit: unde qui post amasiam currendo defatigatus jejunare non potuit, vel duplex admisit peccatum, vel unum duplici æquivalens; quia commisit crimen, ex cujus admissione potuit, & debuit prævidere secuturam legis ecclesiasticæ violationem.

Tertius impotentiæ modus oritur ex conditione personarum: unde, ait S. Thomas, *a jejuniis Ecclesiæ excusari videntur illi* pauperes, *qui frustatim eleemosynas mendicant, quique non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat*. Adde cum Pontas, & qui nihil fere recipiunt, in villis præsertim, quam panem quod escæ genus ad tolerandum jejunium non sufficit. Alii vero pauperes, *qui possunt sufficienter habere, quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter paupertatem*. Huc pertinet conditio mulierum prægnantium, aut nutricium: eæ enim communiter excusantur, quia non sibi solum, sed & aliis, edere debent, nec proinde iis una sufficit refectio; imo pecca-

carent, juxta Navarrum, jejunando cum periculo prolis. Ceterum etsi gravidis, & nutricibus permittitur non jejunare, haud tamen permittitur carnibus vesci, quia carnibus vere non egent, ut declarat experientia, nisi forte tam avido in eas ferantur appetitu, ut si resistant, periculum sit abortus.

Secunda causa a jejunio excusans est *necessitas*, cum quis ad opus aliquod, cum quo jejunare non potest, obligatur, sive ut inde vivat, sive ut suum, vel alterius damnum vitet, sive ad tuendam salutem animæ, vel corporis.

Ex hac causa excusantur: I. illi, & soli artifices, qui opus pro tunc necessarium faciunt, quo adeo defatigantur, ut simul cum jejunio laborare non possint (*Ethic. n.* 74. Tales sunt fabri ferrarii, lignarii, fossores, lapicidæ, bajuli, agricolæ, vinitores, aurigæ, & cursores: sed non excusantur barbitonsores, pictores, advocati, scribæ, notarii tota licet die scribentes, typographi, qui torcular non tractant, sed solum caracteres ordinant, musici, neutes, vestimenta sarcientes, & alii quicunque ea faciunt opera, quibus non adeo debilitantur vires corporis, ut jejunio impares efficiantur. De sutoribus, textoribus, aurificibus, aliisque ejusdem generis, prudentiæ Confessarii relinquendum est, ut attento labore, qui non est semper idem, attenta etiam complexionis personarum qualitate, eos a jejunio exemtos dicat, aut ad illud obligatos. Professores, & ii, qui multum, atque etiam utiliter student, non eximuntur a jejunio, ut patet ex timoratorum praxi: iis tamen paulo major cœnula permitti posse videtur, quia longe plures spiritus animales consumunt.

Sed possuntne agricolæ, & similes, qui pœnalia opera exercent, jejunium non servare ea die, qua opera hæc intermittunt; ut si jejunium concurrat cum die festa, qua non laboratur? R. examinandam esse a Confessario tum complexionis qualitatem, tum naturam laboris, cui vacant artifices: ea enim aliquando esse potest laboris magnitudo, & diuturnitas: v. g. in cursoribus, ut a jejunio immunes debeant censeri, non ii solum, qui eo defuncti sunt diebus præteritis, sed & ii, quibus idem labor proxime imminet, quique sapienter judicant futurum, ut non possint officio defungi, si corpus jejunio debilitent. Adde quod plerique eorum, qui rure laborant, tam malis utantur alimentis, ut etsi parum laborent, a jejunio immunes videantur, imo jejunium quoddam perpetuum observent. (*Pontas*)

(✠) Hic notanda occurrit thesis 30. ab Alexandro VII. confixa: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii: nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio*. (✠)

Excusantur II. qui iter faciunt, sed hac triplici conditione: I. ut *peregrinatio commode differri non possit, vel quia tempus jejunii hominem in via præoccupat, vel quia dies festus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere capit*: hoc enim prohibere non intendit Ecclesia, ait S. Thomas, (*in 4. ubi infra.*) quod *si peregrinatio, & labor operis, quod aggrediuntur artifices, commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, aut exterioris status, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda*. Unde peccant non jejunando, qui jejunare possent, si minus laborarent, & minus laborare possunt, *sive quia alias divites sunt, sive quia minori labore, qui secum jejunium compatitur, lucrari sufficientia* sibi, & familiæ suæ *possunt*. Ita S. Thomas in 4. dist. 15.

Hinc colliges I. peccare eos, *qui operarios conducere nolunt, nisi hoc pacto ut jejunium solvant*, quo amplius laborent; *nisi forte sit causa necessaria, quæ festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat*. (*S. Thom.*)

Colliges II. notabilis lucri occasionem non esse rationem solvendi jejunii, si hac etiam omissa occasione spes sit futurum, ut consueto labore, qui cum jejunio compatitur, ea, quæ ad victum sufficient, deinceps haberi possint.

Colliges III. eum, qui in die jejunii venatur solius recreationis causa, non excusari propter eundem laborem, qui alteri ex officio venanti excusando sufficeret; & idem est de iis, qui pilæ lusu, & similibus multum defatigantur.

Colliges IV. studiosum, qui vacationum tempore de urbe in urbem pedestris ambulat animi causa, debere in die jejunii iter intermittere ex toto, vel ex parte, si simul jejunare non possit, modo non nimium inde percipiat detrimenti. Imo peregrinans ad Loca sancta, si possit, in alium diem iter differre, peccat si non jejunet: idque verum est, etiamsi statuerit ea die proficisci; satius enim est id, quod incautus statuisti, revocare, quam Ecclesiæ, cui obedire facile potes, vocem aspernari.

Secunda causa excusans viatores a jejunio, est necessitas *magnas diætas faciendi*. (*S. Thom.*) An vero ad magnam diætam sufficiant leucæ tres, ut aliqui volunt, an quatuor, vel quinque, ut aliis placet, certo determinari non potest: tum quia viri robusti minus gravantur confectis octo, vel decem leucis, quam alii minus vegeti, confectis duabus aut tribus, defatigentur; tum quia plus aliquando fatigant duæ, vel tres leucæ, quam aliæ quinque, vel sex, ut si incedendum sit tempore magni æstus, aut per vias præruptas, lutosasve, aut alio modo difficiles. Standum ergo est ipsius S. Thomæ explicationi, juxta quam illi soli ratione itineris excusantur a jejunio, qui labore itineris adeo affliguntur, *ut simul cum jejunio itinerari non possint*. (*Id. in 4. d. 15. a. 2.*) In his utique, ut in ceteris, plurimum inservit pia & sagax conscientia, secundum quam qui satis virium in se animadvertit, jejunare debet; qui se nimis labore exhaustum judicat, non jejunet; qui dubius est, sine dispensatione jejunium solvere non præsumat.

Tertia causa est, ut iter eo fiat modo, qui reipsa fatiget, v. g. pedibus. Non nego fieri posse, ut qui vel equo moroso utuntur; vel præcipiti gradu, sicut cursores incedere coguntur, vel diebus multis iter continuaturi sunt sive sub ardenti sole, sive sub immani vento, a jejunii lege liberi maneant. Idem est de iis, qui in plaustro non pensili per asperum pavimentum gradiuntur: ii enim hac peregrinatione non

minus

minus alterari possunt, quam si plures leucas pedibus decurrerent. Ex quibus patet in materia jejunii res ex æquo, & bono ad arbitrium viri prudentis pensandas esse: neque enim vel damnari possunt omnes, qui ob iter jejunium omittunt, vel omnes absolvi. Unde proscripta est an. 1700. a Clero Gallic. hæc propositio: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, & etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.*

(✠) Hæc propositio damnata fuit ab Alex. VIII. & est ordine 31. (✠).

Ultima causa a jejunio excusans est *pietas*, seu opus aliquod pium, & sanctum, quod melius est jejunio, & cum jejunio fieri non potest. Hac de causa excusantur a jejunio qui adeo laborant, v. g. plures eadem die concione habendo, confessionibus, aliisve piis functionibus die tota, vel magna diei parte vacando; ut viribus inde multum exhaustis jejunium ferre nequeant. Ut autem excusentur hujusmodi homines, sufficit juxta Sylvium, & alios communiter, ut hæc pietatis opera vel ex officio peragere teneantur, vel propter singularem utilitatem expediant, ut hæc tali die fiant, puta quia major est concursus, vel etiam ex mera pietata hac die fieri consueverint, nec commode in aliam possint transferri; quia jejunium, quod propter bonum præcipitur, excellentius charitatis bonum impedire nequit. Idem censendum de iis, qui, ut infirmo spiritualiter, aut corporaliter assistant, tota nocte, aut majori noctis parte vigilias agunt, magnæque defatigationi, & pluribus molestiis subjacent. An autem ex his operibus merces aliqua, vel retributio percipiatur, nihil interest, quia, ut a jejunio excusent, satis est, ut fiant ex officio, vel pietate, aut utilitate singulari, nec differri commode possint. Sed in his omnibus cavendum, ne laboris pii occasio captetur in fraudem jejunii, idque, ne jejunes, facere velit, quod alii, qui jejunium non omittent, non minus bene facturi sint.

Si petas, an vir, qui jejunando debitum comparti reddere non potest, dispensetur a jejunio. R. negat. I. quia non tenetur ad illud justitiæ opus, nisi quantum Dei, & Ecclesiæ mandata simul servare potest, ac proinde nullam tunc comparti facit injuriam. II. quia nedum conjuges jejunium violare possint, ut reddant debitum, quin potius vehementer optat, & suadet Ecclesia, ut jejunii tempore ab opere conjugali abstineant. *An illam*, ait S. Ambrosius *L. 2. de pœnit. c. 10. pœnitentiam quisquam putat, ut ipsius copulæ conjugalis usus?* Censet tamen Henno, quod si ea denegato debito adducatur sponsa in periculum evidens incontinentiæ, possit maritus, si id necesse sit, sæpius concedere, non quidem, inquit, ex virtute justitiæ, sed charitatis, cui debet præceptum ecclesiasticum cedere.

Hinc sequitur multo minus posse puellam violare jejunium, eo quod jejunando pallida fiat, sicque minus placeat amasio, cujus nuptias ambit: eæ enim considerationes, nisi casus perraros finxeris, prorsus humanæ sunt, & Christianis indignæ.

Ut explicentur aliæ quædam difficultates,

Quæres I. penes quos sit potestas dispensandi in jejunii lege. R. eam competere Superioribus Religionum erga inferiores suos, etiamsi facilis sit ad Episcopum recursus, quia sic est usu receptum. Idem possunt Vicarii absentibus Parochis.

Quæres II. quo pacto gerere se debeant qui a jejunio dispensant, aut dispensantur.

R. I. Dispensatio concedi potest, cum vel ipsi Parocho, vel medico pio, & experto causa dispensandi sufficiens videtur. Pietatem jungo cum experientia, quia plures sunt medici, qui carni, & sanguini nimium indulgent, qui, ne alios suum in locum substitui videant, divitibus, & feminis ob levem, sæpiusque imaginariam infirmitatem, carnis usum concedunt; quique dum aliorum corpora fovent, propriam animam occidunt.

II. In dubio an adsit sufficiens dispensationis causa, Prælatus, & Parochus dispensare possunt: tum quia vix necessaria est in hac materia dispensatio, cum necessitas clara est: tum quia periculum est, ne pleniorem expectando causam, inanis, & tardior reddatur dispensatio. Neque, ait Sylvius, Superior in casu dubio facile subditos conscientiæ suæ relinquere debet, ut expendant an jejunare possint, necne; *sed ubi suppetit causa, quamvis non certa, saltem probabilis; absolute declaret eos non teneri jejunare; quando vero est dubia, etiam ex consilio medici, aut remittat ad Episcopum, si facilis est ad eum recursus, aut commutet in aliud opus.* Sed ne credas solam jejunandi difficultatem causam esse, quæ ad dispensandum sufficiat, cum pauci sint, ex iis præcipue, qui jejunare non consueverunt, qui jejunium facile ferant; neque illud vero institutum est ut recreet corpus, sed ut ipsum affligat. Ea tamen difficultas, quæ primo terret, consuetudine vincitur, & aspirante Dei gratia paulatim evanescit.

III. Quo amplior esse debet dispensatio, eo major requiritur infirmitas: unde secunda refectio facilius permittitur, quam esus carnium. Etsi porro censent aliqui, dispensatum super carnium esu pro Quadragesima tota, ita posse vesci diebus veneris, & sabbati; id tamen speciali attentione dignum est: unde nec concedendum est, nisi causa sufficienter id requirat. Mirum enim esset, quod qui ante Quadragesimam feria sexta, & sabbato a carnibus abstinebat, iisdem uteretur per Quadragesimam, perseverante priori suo statu.

IV. Dispensatio non plus valet, quam sonat. Unde I. cui permissum est ut jentet, quia mane docet Scholasticos, & tenui utitur valetudine, non statim permissum est ut cœnet, si reliquum jejunii servare potest. II. qui Quadragesima tota jejunare non potest, potest autem per aliquot in hebdomada dies, iisdem jejunare tenetur. III. quibus concessum est, ut carnem manducent, sive ob piscium penuriam, sive quia eosdem digerere nequeunt, unica refectione contenti esse debent, nisi excuset naturæ debilitas, vel morbus. IV. quibus permissa sunt ova, non statim carnes: quibus vero permissæ sunt carnes, & ova permitti videntur; maxime quia ova permittantur

tur etiam cum prohibitæ sunt carnes.

Ceterum qui carnibus vesci potest, potest simul uti piscibus, quia Superior dum privilegium concedit, non aufert id, quod jure communi competit. Neque, ait Sylvius, valet argumentum hoc, vel tali homini pisces nocent, vel non: si nocent, peccat comedendo; si non nocent, ergo male ei conceditur carnium esus. Fieri enim potest, ut neque noceant pisces, quia in minori quantitate, & appetitus recreandi causa sumuntur, & tamen legitima subsit carnis comedendæ causa, quia alioqui vel plus piscium comedi deberet, quam ferret valetudo, vel sanitas non satis reparari posset.

(✠) Extant hac de re duæ Bened. XIV. Constitutiones, in quarum prima, quæ incipit: *Non ambigimus*, dat. Romæ die 30. Maji an. 1741. statuit *nemini sine legitima caussa, & de utriusque Medici consilio: multitudini vero, veluti populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integræ, nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus S. Sedis reverentia a Quadragesimali jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam, urgentemque necessitatem etsi non est, cur vobis* (scilicet Patriarchis, Archiep., Ep. &c.) *explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum hujusmodi necessitate, & servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno 1741. urgentibus caussis dispensantes expresse præscripsimus, & licitas, atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse*. In altera vero, cujus initium est. *In suprema* dat. Romæ die 22. Aug. an. 1741. hæc habet: *Factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes sibi, aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudine quidem indiscriminatim, ob urgentem, gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam caussam, & de utriusque Medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia Nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus. Nos quibuscunque, quacunque occasione, sive multitudini indiscriminatim, ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam caussam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesimæ aliisque anni temporibus, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas tenore præsentium declaramus, & edicimus*. (✠)

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De requisitis ad jejunium.*

CONditiones ad legitime jejunandum requisitæ, aliæ se tenent ex parte qualitatis ciborum, aliæ ex parte tum quantitatis, tum numeri refectionum, aliæ ex parte temporis, quo refectio sumenda est. De quibus

Dico I. Tempore jejunii abstinendum est a carnibus, aliisque cibis particularium Ecclesiarum consuetudine prohibitis. Hæc propositio, quæ tum ex Doctorum, tum ex Fidelium sensu unanimi constat, probatione non indiget, sed explicatione.

I. Itaque abstinendum est *a carnibus*, quia earum privatio quoddam est supplicium carni; unde ad eam recurrerunt qui Deum sibi, vel aliis conciliare nisi sunt. Sic Daniel c. 20. *Caro*, inquit, *& vinum non introierunt in os meum*. Vid. Tob. 12., Judith 9.

Porro carnium nomine intelligitur tum substantia animalium, prout distinguuntur a piscibus; tum ea, quæ substantiæ hujus partes sunt, ut sanguis, adeps, & similia; tum ea, quæ carnis substantiam continent, ut jusculum e carnibus expressum. Pisces vero, aliave animalia, quæ ad pisces reductive pertinent, ut ranæ, testudines, gallinæ aqoaticæ, marini anates jejunii tempore manducari possunt, vel quia frigidum habent sanguinem, vel quia diu extra aquam vivere nequeunt, vel quia id piorum etiam Religiosorum usu receptum est. Sicubi tamen quædam sint animalia, de quibus ambigatur, an inter jejunandum assumi possint; consulendi sunt Episcopi; imo si quæ in una diœcesi tolerantur, in alia prohibita sint, nunquam comedi debent ubi vetita sunt, ut de ovis fieri consuevit.

Quæ autem carnis quantitas necessaria sit ad peccatum mortale, non convenit apud Casuistas. Qua de re tria dico: I. in comestione carnium dari parvitatem materiæ; tum quia sic ubique aperte sentiunt Doctores, & viri timorati, nemine Episcoporum reclamante; tum quia modicissima carnis sumtio est quid leve, tum in se, tum in ordine ad finem, quem Ecclesia ex jejunio reportare intendit: porro materia ex omni parte levis non præcipitur sub peccato mortali. Dico II. non posse certo definiri quæ quantitas ad peccatum grave requiratur: unde qui etiam octavam unciæ partem degustavit, id tanquam mortale dubium confiteri tenetur; imo forte tanquam mortale certum, quia hujus periculo se exposuit; hoc enim facit, quisquis voluntarie facit aliquid, quod an mortale sit, an veniale, certo definire non potest.

Sed an non potest qui aliis præter panem careret cibis, carnem comedere? Non potest, præsertim si agatur de personis robustis, quæque vilioribus cibis assuetæ sint; iis enim non ita grave est uno, vel altero die, solo pane vesci. Neque durius id videbitur iis, qui meminerint, quod cum imperante Justiniano gravis Constantinopolim premeret fames, jussissetque Princeps secunda Quadragesimæ hebdomada carnes in macello venum exponi, Fideles unanimi quasi

con-

concentu exclamaverint: *mortem sibi potius tolerandam, ac subeundam esse, quam ut quidpiam de Patriis moribus, ac Traditionibus immutarent*. Ea tamen penuria paulo diutius perseverante, obtinenda esset dispensatio, si ad Superiores recurri posset.

II. Abstinendum est non a carnibus solum, sed & aliis cibis, juxta locorum consuetudinem prohibitis. Sic lacticinia, & ova certis in diœcesibus prohibita, ibidem sine peccato comedi non possunt, ut patet ex censura hujus propositionis: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*. Ut enim docet S. Thomas: *Quisque observare debet* jejunium, *secundum morem eorum, inter quos conversatur*. Porro lex ab ovis abstinendi obligat sub mortali, ut cum sanioribus Theologis ex communi Fidelium sensu probat Henno. Eadem vero lex extenditur non solum ad ova solitarie sumta, sed & ad ea etiam, quæ ex ovis coalescunt: unde ubi prohibentur ova, prohibiti censendi sunt panes biscocti, nisi resistat particularis consuetudo loci, legitime præscripta; vel in hujusmodi panibus tam parum sit ovi, ut parum pro nihilo reputetur.

Dico II. Ad jejunium requiritur, ut non fiat nisi una refectio; cui tamen ex præsenti Ecclesiæ usu additur cœnula, seu *collatio*. Hæc conclusio, sicut & præcedens, sola indiget explicatione.

I. Itaque qui jejunat refectione unica contentus esse debet. Hinc peccat letaliter: I. qui plures in una die refectiones sumit, etiamsi nec ex contemtu id faciat, nec ex inobedientia (*Sup. p.* 446.) II. qui tertiam, & quartam refectionem sumit; quia licet postquam duas sumsit refectiones jam jejunium ex toto servare nequeat, potest tamen adhuc illud servare ex parte. III. qui plura, etsi parva extra refectionem frustula comedit, cum ad notabilem quantitatem devenerit. Hinc proscripta est laxior hæc propositio: *Qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*.

Porro refectionis nomine ea intelligitur sumtio cibi, quæ fit ad alendum corpus; & ideo sumtio medicinæ, aut medicinalium, quæ ad reficiendum corpus non ordinantur, jejunium ecclesiasticum non solvit. Ei autem, qui medicinam sumserit, jusculum herbarum permittit Henno, idque consuetudine receptum est apud timoratos.

(✠) Præter ea, quæ in præcedentibus Constit. egregie determinavit Benedictus XIV. circa eos, quibus carnium usus justa de causa permittitur, & finitis propter has Constit. controversiis, quæ circa jejunii legem exortæ fuerant in variis Lombardiæ partibus, substinentibus acriter Bartholomæo Casali, Petro Coppellotti, P. Benedicto Maria Beignole, & Sebastiano Pauli sub nomine *Apostoli Augusti* jejunandum non esse iis, quibus usus carnium conceditur: Contra vero jejunandum esse propugnantibus Alexandro Mantegazzi, Antonio Theodoro Carbonara, Ludovico Antonio Muratori, P. Daniele Concina, cujus optimum opus, *La Quaresima appellante*, omnino legendum est. Tandem idem S. Pontifex ad magis magisque restaurandam jejunii disciplinam anno 1744. quæstiones ab Archiepiscopo Compostellæ circa jejunii leges propositas ipsemet dirimere voluit.

I.

Utrum quæ in antedictis nostris Literis in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permittendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respondemus: *concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari*.

II.

An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus: *Non licere; sed opus habere eo cibo, eaque potione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ*.

III.

An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comessatione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant?

Edicimus: *Observandum iis esse*.

IV.

Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus: *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia*.

V.

An præceptum de utroque Epularum genere non miscendo dies quoque Dominicos quadragesimales complectatur?

Affirmatur *complecti*.

VI.

Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?

Rescribimus: *Nihil in prænunciatis nostris Apostolicis Literis statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione se se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi legibus*.

VII.

Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur. *Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum; illud scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata responso expressis; & alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est* (✠).

Quæres I. quid de hoc sentiendum sit communi effato: *Liquidum non frangit jejunium*.

Nota. Senserunt laxiores Casuistæ I. licitum esse *intra diem jejunii bibere vinum, mustum, cerevisiam, aquas ex herbis, vel eodem vino distillatas, etiam de*

mane

*mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die*. II. eum, qui sæpius bibit, toties, ne potus noceat, sumere posse aliquid cibi, v. g. duas ficus, aut quinque, vel sex amigdalas saccharo confectas. Alii, chocolatæ, thæi, caffæi, &c. usum etiam ad sedandam famem permiserunt; alii, poma, pira, mala aurea benigne concesserunt; eoque omnes, vel plerique nisi sunt principio, quod hæc omnia ex se, suaque natura sumantur per modum potus, potus vero jejunium non frangat. Circa quæ,

R. I. Jejunium etiam potu olim violabatur. Patet id ex Historia tum S. Fructuosi Tarraconensis Episcopi, qui cum ad martyrium traheretur, oblatum potum recusavit, quia jejunii dies erat, & needum fluxerat hora nona, tum ex eo, quod narrat Rufinus Lib. 2. de Vitis Patrum cap. 31. his verbis: *Discipulus* Sylvani *invenit aquam, & volebat bibere. Cui Abbas Sylvanus: Zacharia jejunium est hodie*. Quin & certum videtur, prioribus Ecclesiæ seculis, vini usum tempore jejunii interdictum fuisse. *Jejunamus*, ait S. Cyrillus Jerosol. Cath. 4. *a vino, & carne abstinentes*. Theophilus Alexandrin. Epist. Pasch. 3. *Jejunii tempore a vino, & carnibus abstinendum*.

R. II. cum S. Thoma. *Ecclesia instituendo jejunium non intendit interdicere abstinentiam potus illius, qui magis sumitur ad alterationem*, seu refrigerationem *corporis, & digestionem ciborum assumtorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet jejunantibus pluries bibere*. Circa quæ verba, quoniam iis multi abutuntur, quædam sunt notanda.

I. Quidem facultas extra refectionem bibendi a S. Thoma concessa, iis solum in locis admitti potest, ubi contraria consuetudo non viget. Porro consuetudinem bibendi extra refectionis tempus in Gallia non vigere indicat praxis timoratorum, qui nequidem aquam bibunt, nisi premente siti, solita majori; ergo etiamsi liquidum certis in locis jejunium non frangit, ad minus incertum est, an id locum habeat in Gallia (*Henno* to.), aliisque vicinis Diœcesibus, ac proinde ibi temperandum est a potu, juxta mentem ipsius S. Thomæ, qui vult, ut quisque observet *morem eorum, inter quos conversatur*.

II. Iis etiam in locis, ubi non præciperetur abstinentia potus, non liceret, seclusa communi etiam piorum consuetudine, bibere nisi ad refrigerationem corporis, simulque ad digestionem ciborum assumtorum; ac proinde id, in mente S. Thomæ, ante prandium illicitum foret.

III. Eum duntaxat potum permittit S. Thomas, qui licet aliquo modo refocillet, & nutriat, ad nutritionem tamen non assumitur, ac proinde qui assumitur *ut merus potus, non ut multum nutritivus* (*ex Sylvio*): ergo si quis extra refectionem utatur cerevisia crassa, vino, quod saccharo, aut similibus conditum sit, aut quod alioqui multum nutriat, is violati jejunii reus censebitur, idque ad mentem S. Thomæ. Nam S. Doctor non aliter potum permittit, quam electuaria: atqui de electuariis sic loquitur: *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumtio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi*, hoc est ad nutritionem, ait Sylvius. Ex quibus patet I. quod sicuti jejunium solvit, qui electuariis utitur in magna quantitate, & non per modum medicinæ decoquendis cibis necessariæ, sic & jejunium frangit ex D. Thoma, qui potu aliter utitur, quam ad digestionem, medicinæ instar, aut saltem ad sedandam sitim, quæ vix tolerari possit. II. eos a S. Thomæ scopo aberrare, qui censent hominem, qui ad ebrietatem usque potaret, peccaturum quidem contra temperantiæ, non autem contra jejunii leges.

IV. Adde, quod etiamsi intendisset S. Thomas potum, præcise ut potus est, & prout nihil fere ad nutritionem conduceret, non nocere substantiæ jejunii, vix tamen ex ejus opinione sic intellecta posset quidpiam concludi in gratiam mollioris Ethices patronorum: I. quia docet expresse S. Thomas in 4. dist. 15. qu. 3. art. 4. eum, qui sic biberet, *meritum jejunii* amissurum esse *vel in toto, vel in parte*: an vero præcipit Ecclesia jejunium, quod nullius meriti esse possit? II. quia quantacunque sit S. Thomæ auctoritas, non desunt Doctores multi, qui (si forte ita sensit) contra eum sentiant, illos, qui extra refectionis tempus nimio potui indulgent, non solum temperantiæ, sed & ipsius jejunii legem transgredi; ita Pontas v. *Jejunium* cas. 12.

Hinc inferes caffæi, thæi, salviati, & aliorum id genus sumtionem extra tempus refectionis, licitam non esse, nisi cum hæc medicinaliter sumuntur, & ad curandam realem infirmitatem; alias vero esse prohibitam, & eo magis, quo hæc plus ad nutritionem inserviunt. Unde præcipue a chocolato abstinere debent, qui jejunant, quia plurimum nutrit, cum testetur Strabba Medicus Anglus, unciam cacao, ex quo partialiter conficitur chocolatum, plus producere humoris nutritivi, quam producat libra carnis bubulæ.

Quæres I. an, & quousque refectio dividi possit absque peccato. R. cum Sylvio (*Q.* 147. *a.* 6.), non posse una certa regula definiri quanta possit esse interruptio, sed id prudentum arbitrio in particularibus casibus esse judicandum, habita ratione tum negotii propter quod interrumpitur refectio, tum temporis, loci, & intentionis illius, qui interrumpit. Sic non culpatur Parochus, qui in medio prandii monitus, ut infanti, vel seni jam jam morituro, baptismum, aut unctionem extremam ministret, refectionem dividit. Idem servata proportione dicendum, tum de eo, qui pecuniam recipit a rustico mox proficisci coacto, & a quo via alias eam recipere posset; tum de mercatore, qui mensam relinquit, ut aliquid notabile vendat, alias non venditurus; tum de ministris, & mensæ lectoribus, qui aliquid ante mensam sumunt, *non ante horam legitimam, sed ante commoditatem plenæ refectionis, & ut præservativum, ne deficiant* (*Ibid.*). Ii enim omnes justam habent dividendæ refectionis causam, eaque causa vere jejunandi intentioni conjuncta efficit, ut in hisce occasionibus una sit refectio moraliter, etiamsi plures sint refectiones physice discretæ.

Ex

Ex quo sequitur eum, qui absque rationabili causa refectionem tanto dividit intervallo, ut moraliter loquendo jam non una sit refectio, sed plures, frangere jejunium, etiamsi unam sumere refectionem intenderit, quia intentio, cui opere ipso contradicitur, nihil operari potest. Quotum autem temporis intervallum requiratur, ut quis divisa refectione mortaliter peccet, vix definiri potest. De duabus horis non dubitat Sylvius, quin ad peccatum mortale sufficiant; de una magis ambigit. Ut ut est, qui per horæ unius spatium refectionem divisit, hoc ad minus ut dubium mortale confiteri debet: nec desunt, qui idem sentiant de quadrante, aut circiter.

De collatione vespertina credimus cum Sylvio, quod ejus quantitas non possit *aliqua regula definiri: sed attendenda est cujusque loci, ad quem venitur consuetudo, inter bonos communiter observata; & ita modice aliquid sumendum est, ut cœnula non vertatur in cœnam, imo nec æquivaleat ei, quod pro jentaculo accipi solet* (a juvenibus iis diebus, quibus non jejunatur, ait Nat. Alexander.) *Similiter etiam consuetudini standum est, quantum ad qualitatem ejus, quod pro collatione sumitur. Non est illicitum, modicum panis accipere cum fructibus, herbis, aliisque cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus, uvæ, nuces, poma, vel alia ex sacchare condita, imo, & aliquid butyri, vel casei, ubi ita consuetudo obtinuit*, ut passim in Gallia. *Pisces autem pro collatione comedere .... non credimus esse licitum*, sicut nec juscula ex iis expressa, quæ maxime nutriunt, quæque propter spiritus, quibus abundant, multæ ciborum copiæ ad instar sunt.

Etsi porro eorum, quæ in collatione sumi possunt, mensuram determinare non possimus; eum quantitas nec in omnibus, nec ubique eadem esse possit, sed alia, & alia secundum diversitatem complexionis, laboris, & regionum, quæ quia & aliis frigidiores sunt, plus minusve cibo indigent; utiliter tamen animadvertemus S. Carolum nonnisi *unciam panis cum dimidia, & vini poculum* pro cœnula permisisse; neque iis assentiemur, qui vel mediam panis libram, vel quartam cœnæ ordinariæ partem concedunt.

Dico III. Non licet jejunium solvere ante horam meridianam, aut circiter. Ratio est, quia, ut bene docet S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. *ille jejunium solvit*; ac proinde graviter peccat, *qui Ecclesiæ determinationem non servat: unde cum Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit*. Porro tempus, quo juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam jejunantes comedere possunt, est hora meridiana, aut circiter. Neque id factum est sine gravi antiquæ disciplinæ immutatione, cum prioribus Ecclesiæ sæculis jejunium non ante solis occasum solveretur, juxta id S. Augustini Lib. de morib. Eccles. cap. 33. *Quotidie semel sub noctem reficere corpus in diebus jejunii, usquequaque usitatissimum* est.

Tametsi vero *non intendat Ecclesia arctare ad subtilem temporis inspectionem*, (*Id. ibid.*) certo tamen tenendum est eos mortaliter peccare, qui ad tres, aut quatuor horas, horam refectionis antevertunt: ii enim in re gravi *Ecclesiæ determinationem non servant*. Quod autem dicunt laxiores casuum arbitri, refectionis horam esse jejunio accidentalem, omnino falsum est, cum æque sit de ratione ipsius, ac unica refectio, eaque ex cibis talibus confecta, ut patet ex Can. 50. *De consecrat.* dist. 1. ubi *nullatenus jejunare* dicuntur qui *ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium*, id est, priusquam hora eo tempore ad solvendum jejunium præscripta advenisset.

Haud tamen arguendæ sunt variæ Communitates, & Seminaria, in quibus media ante meridiem hora prandetur: tum quia earum consuetudo sive ab Episcopis, sive a Romanis Pontificibus approbata est, tum quia eæ Communitates plerumque constant ex adolescentibus, qui primo mane surgentes, & continuam labori improbo operam navantes aliquali egent indulgentia. Sed hic ponderandum, quod docet, nec solus docet, Nat. Alexander notabilem anticipationem, qualis est, inquit, anticipatio horæ integræ, letale esse peccatum. Quid ergo de iis sentiendum, qui jam ab hora sesquidecima prandent, sub prætextu operis, quod aliud in tempus differri non posse censent? Certe primum viri Christiani opus est ut ab Ecclesiæ lege non recedat.

Addit idem Doctor eum, qui mane jentaculum sumit, prandio in vesperam dilato, jejunium violare ac peccare mortaliter, nisi necessitas, vel infirmitas cogat: collationem vero meridie sumere, plena refectione in serotinum tempus dilata non licet, nisi legitima subsit causa, ut si ante vesperam prandere nequeas ob negotia, proficiscendi necessitatem, hospites vespere venturos, aut summam vacuo stomacho dormiendi difficultatem. Addit insuper idem Theologus, ab iis jejunii meritum plus, aut minus perdi, qui ciborum, ac liquorum delicias, & varia gulæ irritamenta jejunii diebus exquirunt; qui iisdem, jejunii tempore, ac alio quocunque, voluptatibus etiam licitis, ludis v. g. venationibusve indulgent; qui eleemosynam jejunio comitem non faciunt; qui non dimittunt injurias; quasi quam proximo negant, a Deo misericordiam obtinere possint.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De fructibus Jejunii.*

JEjunii fructus, quos paucis iis exprimit Ecclesia, *Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas virtutem largiris, & præmia*, quinque præcipue recensentur a Bellarmino: I. enim jejunium domandæ carnis libidini plurimum inservit, & eo nomine placet Deo, cui gratum est, ut carnem cum vitiis ejus, & concupiscentiis crucifigamus, exemplo Apostoli de se dicentis I. Corint. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*; quod de jejunio interpretantur Chrisostomus, Ambrosius, &c.

II. Jejunium animam ad orationem, rerumque cœlestium contemplationem erigit. *Jejunium*, ait Chrysostomus Hom. 1. in Genes. *animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producitur ut in sublime feratur, & summa contemplari queat.* (*Exod.* 34.) Hinc Moyses præ-

præparavit se ad colloquium Dei jejunio dierum 40. Hinc totidem jejunavit dies Elias, ut Deum sub specie auræ tenuis conspiceret (*III. Reg.* 29.). Hinc Danieli post ternæ hebdomadæ jejunium apertæ sunt Dei revelationes. Hinc Demum Pauli Eremitæ, Antonii, aliique qui jejunii dono emicuere, ita divinis immersi erant, ut in iis dies noctibus pene continuarent.

III. Utile est jejunium ad cultum Dei, quatenus est actio, quæ, si rite fiat, Deo placet, & ab eo acceptatur; ut hinc patet, quod tantis virtutum miraculorumque donis veteres eremorum incolas perpetuo jejunio mancipatos cumulaverit, ut facti sint spectaculum mundo, Angelis, & hominibus.

IV. Jejunium divinam justitiam placat, eique Christi meritis admixtum satisfacit. Hinc S. Basilius Orat. 1. de Jejun. *In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine jejunio otiosa, & infrugifera est, per jejunium satisfacito Deo.* & S. Ambrosius Lib. de jejunio, &c. c. 3. *Jejunium est culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis*, adeoque *reconciliationis sacrificium*, ibid. cap. 9. Idem luculente probant exempla Scripturæ: I. Reg. 7. jejunant filii Israel cum Samuele, & placant Deum. III. Reg. 21. Achab Principum nequissimus, & qui *venundatus* erat, *ut faceret malum in conspectu Domini*, cum expavisset minas Eliæ, *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque*, & his pietatis facinoribus cœlestem iram mitigavit ex parte. Ninivitæ indicto solemni jejunio Deum placare studuerunt, & reipsa placaverunt.

V. Prodest jejunium ad impetranda, & merenda beneficia Dei temporalia, & æterna. Sic Anna Helcanæ conjux Samuelem jejuniis impetrat. (*Tob.* 3.) Sic Sara per jejunium a dæmonio, & Judæi ab inimicis suis liberantur. (*Esther.* 4.)

Confir. ex Matth. 6. *Cum jejunas, unge caput tuum ... & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Quid porro reddet nisi mercedem ei oppositam, quam jam receperunt jejunatores hypocritæ. *Qui* ergo sunt, ajebat S. Ambrosius Epist. 82. *hi præceptores novi, qui meritum excludunt jejunii?* eant, & interrogent majores suos, sibi superiores pietate, nec dispares scientia. Respondebunt alii cum Augustino Serm. 142. in Append. *Jejunium indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cœlestis* acquirere. Alii cum S. Leone Serm. 1. de Jejun. septimi mensis, jejunandum esse, *ut per humilitatem jejunii contra omnes hostes nostros divinum mereamur auxilium.* Nemo idem cum Pseudoreformatis loquetur nisi Jovinianus, nemo cum Joviniano nisi Ecclesiæ hostes.

Objicit Kemnitius: I. historiam Alcibiadis, qui cum in carcere *solo pane, & aqua* pro more suo vesci vellet, *Attalo revelatum est non recte facere Alcibiadem, qui & creaturis Dei minime uteretur, & aliis scandali exemplum fieret.* II. argumenta, quibus contra Montanistas utebantur Catholici. Hi nempe urgebant id præsertim Isaiæ 58. *Nunquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, &c.* ergo, ait Kemnitius, sententia Catholicorum de merito jejunii, congruit cum sententia Montanistarum, quæ ab Ecclesia proscripta est. Verum caduca sunt hæc desperatæ causæ fulcimenta. Unde

Ad 1. dico non caruisse Alcibiadis agendi rationem vitio cujusdam inconsiderantiæ. (*Euseb. L.* 5. *Hist.* c. 3.) Exigebat enim charitas, & prudentia, ut homines variis quotidie tormentis debilitati, vires suas paulo plus reficerent, & iis uterentur dapibus, quæ etiam solito delicatiores Martyribus præbebantur a Christianis, ut narrat Tertullianus: unde cum id facere nollet, afflixit socios suos; iique probabiliter suspicati sunt eum infici errore illorum, qui cibos quosdam habebant ut immundos: quam cogitationem ut ab eis averteret, cœlesti Attali revelatione monitus, cœpit iisdem vesci cibis, quibus ceteri vescebantur. Ex iis vero quid contra meritum jejunii?

Ad 2. facit hic Tertullianus contra Catholicos scribens id, quod faciunt Protestantes, id est, iisdem imponit. Non arguebant Catholici Montanistas, quod jejunium, & Deo gratum, & meritorium esse contenderent: id enim sentiebant ipsi, cum non alio animo præscriptam Quadragesimæ legem servarent tam austere; verum ægre ferebant, quod iidem Montanistæ non modo tres inducerent Quadragesimas, sed & in iis perpetuam xirophagiam servari vellent, idque non sine specie superstitionis, ut vel hæc Tertulliani verba indicant: *Nos xirophagias observamus, siccantes cibum ab omni carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus vel potemus.* (*Lib. de jejun.*) Hæc certe generaliter pro omnibus constituta superstitiosam diligentiam demonstrant; & merito, ut in his non esse religionis summam ostenderent Catholici, allegabant id Scripturæ: *Non est hoc jejunium, quod elegi, &c.* at non ideo jejunii meritum expungebant Catholici; cum jejunium, ut actionem multupere meritoriam, tota commendaverit, & exercuerit antiquitas.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Præcepto Abstinentiæ a carnibus.*

Hic tria solum inquiruntur: I. quo tempore urgeat abstinentiæ lex extra casum jejunii: II. an pridem obliget. III. cur quibus obligat, his potius quam aliis diebus obliget.

R. ad 1. abstinentiæ solius legem obligare singulis hebdomadis feria sexta, & Sabbato, in die D. Marco sacra, ac triduo Rogationum. Quanquam postrema hæc non ubique viget.

R. ad 2. abstinentiæ legem pro singulis hebdomadis admodum esse antiquam, ut statim patebit: verum hæc nec eadem die ubique servata est, nec eodem gradu. Olim quippe abstinentia hæc jejunio conjuncta erat; alicubi non solum feria sexta, & Sabbato, sed, & feria quarta jejunabatur; alibi jejunabatur feria quarta, & sexta, non autem Sabbato; quod præcipue locum habuit, & hodiedum habet apud Græcos.

R. ad 3. abstinentiam feriæ sextæ, & Sabbati institutam fuisse tum in honorem mortis, & sepulturæ Christi, tum ut præparationem ad diem Dominicam, quæ Christi resurrectionis memoriam renovat. Abstinentia vero, seu etiam feriæ quartæ jejunium in usu fuit juxta Augustinum Ep. 36., quia feria quarta cœperunt Judæi consilium occidendi Salvatoris, & hac ipsa die pactus est cum iis Judas Iscariotes de eo tradendo. Quod ad jejunium Sabbati spectat, hoc in Ecclesia Romana jam pridem observari testatur Innocentius I. Epist. 1. c. 4. *Non ergo*, inquit, *nos negamus feria sexta jejunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum; quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum secuti sunt, induxerunt.*

Quod spectat ad abstinentiam, quæ fit pluribus in locis in Festo S. Marci, & in diebus Rogationum: hæe decenter stipat solemnes supplicationes, quæ his diebus fiunt, maxime ut Deus fructus terræ, qui grave ea tempestate periculum subeunt, dare, & conservare dignetur. Confidit enim Ecclesia, se accedente ad orationem abstinentia, facilius id, quod efflagitat, impetraturam esse. Ideo autem his diebus servatur abstinentia sine jejunio, quia ex veteri Ecclesiæ lege tempore Paschali non viget jejunium.

Ceterum Litaniæ, quæ fiunt die S. Marci, vocantur *majores*; minores vero, quæ triduo fiunt ante Ascensionem, quia Litanias S. Marci instituit Romanus Pontifex S. Gregorius Magnus, easque primum observavit Urbs Roma: minores contra institutæ sunt a S. Mamerto Viennæ in Gallia Episcopo.

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De Præcepto annuæ Confessionis.*

PRæceptum illud continetur Canone 21. Concilii IV. Lateranensis sub Innocentio III. habiti an. 1215. ea ejus verba: „ Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere: suscipiens ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum; alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipsum non possit solvere, vel ligare. „ Circa Decretum hoc, quod laudat, & confirmat Tridentina Synodus Sess. 14. c. 5. plura proponi solent; unde

Quæres I. an hæretici, aliique infideles baptizati Lateranensi lege teneantur. R. affirm., quia hæretici ceteris Ecclesiæ legibus tenentur, nisi cum iis dispenset Ecclesia: atqui nulla legitur dispensatio Lateranensis Decreti relaxativa quoad hæreticos; ergo non minus hujus Decreti lege tenentur, quam aliis Ecclesiæ legibus: imo magis, qua lex semel in anno confitendi solum determinat legem ab ipso Christo latam.

Nec nocet vox, *Fidelis*, qua utitur decretum: quia idem est sæpe fidelis, ac baptizatus; & plerumque infidelis dicitur, qui ne ratione quidem Baptismi ad Ecclesiam pertinet.

Quæres II. quis discretionis annos censeatur attigisse. R. Omnis, & solus, qui capax est peccati saltem mortalis: quod quidem non est dijudicandum ex sola ætate, sed & multo plus ex ingenii gradu, & discretione boni, & mali, quæ in aliis major est anno sexto, quam in quibusdam anno octavo. Unde refert S. Gregorius Lib. 4. Dialog. c. 18. puerum quinquennem damnatum esse propter blasphemias, in quibus diu vixerat. Porro spiritus discretionis iis communiter inesse creditur, qui apprehendunt v. g. quid sit mendacium, qui de impuris quibusdam hujus ætatulæ actionibus erubescunt, &c.

Hic quædam notanda: I. iis, qui puerorum confessiones excipiunt, cavendum esse, ut monet S. Carol. Borr. *ne absolutionem iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur, ut citra conversionem judicare possint eos hujus Sacramenti capaces esse.* Unde explorandum est, an pueri actus fidei, spei, & charitatis noverint; an ea, quæ necessitate medii necessaria sunt sciant non psittacorum more, sed cum aliqua specie judicii; an inter confitendum vagentur oculis; & præcipue an dum disseruntur, ut differri debent, quo plenius exploretur eorum intelligentia, an, inquam, salutaria Confessarii monita secum pro modulo revolverint, & observaverint saltem ex parte. Si sic, judicari potest eos non solo sensu moveri, sed & ratione, adeoque & obstrictos esse lege confessionis, ad cujus gratiam sensim præparandi sint. II. iis, qui in pueris dubium saltem mortale peccatum animadvertunt, satagendum esse, ut peccatum hoc intra annum deponant, idque vi Concilii Lateranensis; nisi jam mortaliter rei eodem anno confessi fuerint, de quo infra. III. non omnes amentes ab hac confessionis lege eximi: stat enim quosdam in aliqua, imo in omnibus fere materiis rationis esse expertes, qui tamen in materia confessionis ratione utantur.

Quæres III. quomodo computetur annus, intra quem semel obligat Præceptum Confessionis.

R. annum videri computandum, ut solet a prima die Januari ad ultimam usque Decembris inclusive; ita ut quisquis intra hoc spatium sua deposuerit peccata, is satisfecerit Lateranensi Edicto, quod ita Paschale tempus pro annua Communione determinat, ut nullum pro annua Confessione tempus determinet. Equidem Tridentina Synodus morem Quadragesimæ tempore confitendi maxime probat, & amplectitur, sed *tanquam pium*, non tanquam stricte obligatorium. Si quis tamen jam confessus, denuo labatur in peccatum grave, is propter annuæ Communio-

munionis præceptum denuo confiteri tenebitur. Quod sicubi, ut in Gallia, speciali Diœceseon lege sancitum sit, ut annua Confessio fiat sub tempus Paschale, huic legi obsequendum erit.

Quæres IV. an qui venialia solum habet peccata, Confessionis annuæ præcepto teneatur.

R. partem affirmativam ut tutiorem, nec probabilem minus sequendam esse in praxi: I. quia eam docent SS. Bonaventura, & Thomas in 4. d. 17. q. 3. a. 1. ubi sic: *Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur*. II. quia Canon Lateranensis omnes utriusque sexus generaliter afficit; ergo & eos etiam, qui solum habent venialia; cum ubi lex non distinguit, nec nos saltem sine gravi causa distinguere oporteat. III. quia idem Canon excommunicationem, & Ecclesiasticæ sepulturæ privationem iis comminatur, qui Paschali defuerint officio: atqui eæ pœnæ non nisi contra notorios quosdam peccatores executioni mandari possent, nisi etiam venialiter rei peccata sua deponere tenerentur. Ceteri enim statim responderent se, propitio Deo, in nullum grave peccatum lapsos esse; neque id una tantum vice, sed annis singulis, imo in toto vitæ decursu respondere possent. Sed de his paulo fusius ubi de Pœnitentia. Interim qui opinionem nostræ oppositam cum pluribus tenebunt, saltem *ad præceptum Ecclesiæ implendum* agere debent, *ut se Sacerdoti repræsentent, & se ostendant absque conscientia mortalis esse, & hoc eis pro confessione reputabitur*. Ita S. Thomas ubi supra ad 3. fuit enim hic impeditus S. Doctor.

Quæres V. an qui post confessionem recordatur mortalis peccati, quod sibi alia sua peccata confitenti exciderat e memoria, illud hoc anno confiteri teneatur. R. negat. quia jam vere satisfecit præcepto Christi, & Ecclesiæ, quo jubetur solum, ut quis ea, quæ post sufficiens examen meminit, peccata confiteatur. Aliud esset, si quis ex negligentia graviter culpabili vel peccati oblitus esset, vel debita caruisset contritione; quia per confessionem voluntarie nullam, utpote nec piam, nec hominis cum Deo reconciliativam, non satisfit præcepto Ecclesiæ, prout definierunt Alexander VII., & Clerus Gallicanus an. 1700. Constat tamen eum, qui peccati alicujus oblitus est, non debere diu confessionem ejus differre.

Quæres VI. an reus peccati, quod hic & nunc declarare non tenetur, (puta quia declarando se, vel alium gravi damno corporali, aut spirituali exponeret), debeat alia confiteri peccata, ut præcepto satisfaciat. R. multo tutius videri, ut quis ea confiteatur peccata, quæ actu potest confiteri, quia certissima est Ecclesiæ lex confessionem urgens, certa vero non est dilatio, quam ab ea concedi supponunt Adversarii.

Quæres VII. an sub initium anni sequentis confiteri debeat, qui intra annum confessus non est, & an unica hac confessione pro anno præsenti, & præterito satisfaciat.

R. ad 1. affirmat. quia annus non assignatur ut terminus, quo elapso cesset obligatio legis, sed ut spatium, ultra quod eadem obligatio differenda non sit; sicut ergo qui summam, quam in Paschate solvere debuit, & non solvit, eandem, quam primum potest, solvere tenetur; sic & a pari. Imo qui quam primum potest, non confitetur, peccat deinceps, & continenter donec confiteatur; tandiu enim transgreditur legem, qua superiori anno ad confessionem obligabatur, & cujus obligatio crescit, & augetur in dies, donec ei satisfactum fuerit.

R. ad 2. quod si ex speciali locorum lege annua confessio certo tempori annexa sit, ut in Gallia vulgo quindenæ paschali, haud dubie qui antea confessus esset, denuo confiteri teneretur. Unde etiam, quidquid sit de rigore juris, in praxi tanquam tutius consulendum est, ut dum adhuc currit annus secundæ confessionis, is, qui confessionem omisit, bis confiteatur, semel pro anno præterito, ut defectum suum reparet, & semel pro anno præsenti, ut ejusdem anni præceptum impleat. Neque ideo tamen qui per annos 20. confessionem omisit, eodem anno vicies confiteri tenebitur; quia alia est Ecclesiæ mens, & timoratorum praxis in hoc casu, alia in præcedenti.

Quæres VIII. quis intelligatur nomine proprii Sacerdotis, cui annuam confessionem fieri vult Synodus Lateranensis. R. paucis, per proprium Sacerdotem enim intelligi, cujus jurisdictioni subjacet quis immediate; (qualis est in Parochia Rector, Superior in Monasterio, Sacerdotes Nosocomiis quibusdam præfecti: & ideo, ajunt aliqui, non dixit Concilium Parocho, sed Sacerdoti), salvo tamen Superiorum, Episcopi scilicet, & Romani Pontificis jure.

Ergo, inquies, poterunt Regulares, sola Papæ auctoritate freti, Secularium confessiones invitis locorum Episcopis excipere.

R. Si potest Papa ubique terrarum confessiones excipere, potest & committere, qui excipiant; sed potestas ejus ad Canonum normam exerceri debet: unde quia violarentur Episcoporum jura, quia quandoque parum periti excipiendis confessionibus præficerentur, & serius interdicerentur ministerio, quos quandoque ab eo statim retrahi necesse est; merito constitutum fuit, ut Regularis, sicut & Secularis nemo tanti momenti ministerio, nisi a proprio loci Episcopo, applicaretur.

Quæres IX. an valida sit confessio Paschalis facta sine Parochi consensu, seu Regulari, quem approbaverat Episcopus, seu alterius Parochiæ Sacerdoti generaliter tantum approbato.

R. ad 1. affirmat. quia *si proprii Sacerdotis officium, & jus in proprii Episcopi dignitate nobilius, & excellentius continetur*, prout declaravit an. 1657. Clerus Gallicanus, possunt Episcopi eos, quos aptiores judicaverint, excipiendis Fidelium confessionibus præficere, Parocho etiam contradicente. Unde anno 1484. Facultas Parisiensis hanc Joannis Lallerii thesim proscripsit. *Confessi Religiosis Mendicantibus præsentatis, & acceptatis secundum formam Decretalis*, dudum, *non sunt absoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato*.

R. ad 2. cum Haberto, vel Episcopus consentit

 saltem

saltem tacite, ut Diœcesani sui cuilibet approbato Sacerdoti confiteantur, vel stricte urget excusationem Decreti Lateranensis. Si 1. valet confessio. Si 2. non valet, & ideo in variis Diœcesibus statuitur confessionem hanc esse iterandam. Hinc si Regularis non nisi sub Parochi beneplacito approbetur, deficiente istius consensu non potest facultatibus suis uti; quia pendent a conditione non impleta.

Quæres X. an Parochi facile Parochianis concedere debeant licentiam extra Parochiam confitendi. R. cum S. Thoma in Suppl. q. 8. a. 4. *Peccaret Sacerdos, si non esset facilis ad præbendum licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti, ut conscientia subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis*. Non est ergo unde sibi blandiantur aliqui, quod Parochianos omnes adduxerint, ut sibi confiteantur. Inde enim sæpe oriuntur sacrilegia usque ad mortem pravo Sacramentorum usu continuata. Quin ubi solus laborat Sacerdos, expedit, ut aliquoties Sacerdotes extraneos advocet, & urgeat Parochianos, ut iisdem se sistant: si enim levamen istud Monialibus *bis, aut ter in anno* offerre debeat Episcopus ex Trident., quantominus erit id denegandum rusticis, qui cum serviliter magis a Parocho pendeant, & ingenii sint imbecillioris, plus etiam malæ verecundiæ sortiti sunt a natura?

Quæres XI. an tanta esse debeat hæc Parochi facilitas, ut quibuslibet concedere debeat licentiam adeundi, quos voluerint ex Sacerdotibus ab Episcopo approbatis. R. negat. quia fieri potest, ut ex Sacerdotibus approbatis alii obreptitie fiat, alii sint quidem indubie periti, sed in praxi laxiores, aut rigidiores, alii demum nullatenus noverint pœnitentem, qui nisi adeat hominem, a quo sit fama notos, celabit usuras, iniquos contractus, & gravem in officii sui exercitio negligentiam. Itaque potest aliquando Parochus generalem plebi suæ licentiam largiri, quemcunque in tota vicinia volet Confessarium eligendi ex approbatis: aliquando certum assignare debet Confessarium, aut potius unum e tribus, aut quatuor. Quod si de personis bene moratis sermo sit, non est quod ad hunc, vel illum arctentur, nisi forte ad improbum Ministrum sibi non satis notum recurrere velint.

Quæres XII. an Parochus parochiani sui confessionem audire possit extra Diœcesim propriam.

R. posse, modo id fiat sine scandalo, aut Parochi alterius offensione. Ratio est, quia jurisdictio sine strepito exercenda, extra proprium territorium exerceri potest. Aliud est de Regularibus: hi enim ex Bulla *Superna* Clementis X. data an. 1670. *non possunt in alia Diœcesi absque Episcopi diœcesani approbatione audire* confessiones, eorum etiam, qui *subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerunt approbati*.

## CAPUT QUINTUM.

*De præcepto annuæ Communionis.*

CErtum est I. Eucharistiæ perceptionem adultis sufficienti ad hoc ratione utentibus necessariam esse necessitate præcepti divini; idque expresse docent hæc Christi verba Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.

Certum est II. ex præcitato Concilii Lateran. textu, ejusdem Sacramenti receptionem semel in anno, & quidem *in Pascha* necessariam esse necessitate præcepti Ecclesiastici. Ut ergo quædam solvantur difficultates hic proponi solitæ,

Quæres I. quinam Ecclesiastico Communionis præcepto teneantur.

R. teneri eos omnes, qui sat habent rationis, ut, juxta Apostoli præceptum, Corpus Domini dijudicent. Is autem rationis gradus aliis ocius, puta circa an. 10., aliis serius, nempe circa an. 14. contingit. Si tamen puer aliquam Eucharistiæ discretionem habeat, etsi non quanta desideraretur, si liceret per tempus, debet is in periculo mortis sacro Viatico refici, ut præcepto divino satisfaciat, uti docent saniores Theologi.

Ex dictis colliges peccare parentes, & Parochos, nisi curent, ut crescente in pueris rationis lumine, crescant dispositiones ad dignam tanti Sacramenti perceptionem necessariæ.

Quæres II. quid per Paschæ tempus a Lateran. Synodo Communioni assignatum intelligi debeat.

R. ex Eugenio IV. & ex communi Fidelium praxi intelligi quindenam, quæ a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis effluit. Sicubi tamen invaluerit legitima, & præscripta consuetudo huic legi satisfaciendi quolibet Quadragesimæ die, *sufficeret se conformare illi*, ait Navarrus. *Hortamur tamen*, addit idem (*Man. c.* 21.), *ne quis protinus a prima confessione in annum integrum dilata communicet, sed expectet aliquandiu ad arbitrium prudentis Confessarii, & postea denuo confessus ea, quæ memoriæ occurrerint, & interea perpetrarit, mundius ad illam purissimam, sanctissimamque Cœnam accedat*.

Quæres III. an qui Communionis præceptum stato tempore non implevit, eidem quam primum satisfacere teneatur. R. affirmat cum S. Thoma, & aliis multo communius: I. quia ex dictis supra, qui confessionem suo tempore neglexit, quam cito potest, culpam hanc reparare tenetur: atqui nulla est solida ratio, quæ obstet, ne ad idem teneatur respectu Communionis. II. quia Ecclesia præcipiendo Communionem in Concilio Lateran. duo reipsa præcipit, nimirum & ut communicetur semel *ad minus in anno*, & ut si semel solum communicetur, id fiat *in Pascha*; ergo præceptum Ecclesiæ directe cadit in ipsam Communionem, & secundario tantum in hoc, vel illud tempus; ergo iterum, licet elapso tempore Paschali præceptum quoad circumstantiam temporis impleri jam non possit, potest tamen, & debet impleri quoad

ad

ad ipsam rei substantiam. Unde in praxi tenendum est cum Suare, & Azor, eum qui Paschali officio defuit, novam semper admittere culpam, quoties data opportunitate legem Ecclesiæ non implet. Est enim ea lex & affirmativa, quatenus Communionem imperat, & implicite negativa, quatenus Communionis dilationem ultra Pascham prohibet: porro præceptum negativum semper, & pro semper obligat.

Quæres IV. an qui prævidet futurum, ut in Paschate communicare nequeat, teneatur prævenire.

R. I. si prævidet futurum, ut reliquo anno communicare non possit, tenetur ad præveniendum. Ratio est, quia se habet sicut is, cui præceptum est, ut aureos centum solvat ad minus semel in anno, idque in Paschate: atqui is si prævideat se toto post Pascha tempore futurum solvendo imparem, prævenire tenetur; ergo a pari. Et vero currit annuæ Communionis obligatio, sicut obligatio audiendæ Missæ in Dominica; ergo sicut Missam diluculo audire debet, qui videt se alioqui eam auditurum non esse, sic a pari in proposito. Aliud esse videretur, si quis jam communicasset eodem anno: quanquam, ut monet Pontas v. *Communio*, cas. 24. satius est, ut qui hoc etiam anno Eucharistiam recepisset, eandem adhuc ante Paschale tempus reciperet.

R. II. si prævideat quis se non nisi diu post Pascha, etsi eodem anno, communicaturum esse, melius est, ut præveniat, sicut melius est, ut Horarum tempus anticipet, qui alioqui multum ab eo recedere tenebitur: quia, ut ait S. Antoninus, prævenire diligentiæ est, tardare vero negligentiæ. Imo cum exigat Ecclesia (*ex Sylvio*), ut ad minus semel in anno communicent Fideles; quod non facit qui vix intra 15. vel 18. menses semel eo officio defungitur, operæ pretium est, ut qui eo in casu versantur, nihil agant inconsulto Confessario.

Quæres V. an qui prævenit Paschale tempus, quia timebat obicem, qui defuit, rursum in Paschate communicare teneatur, si possit.

Affirmant plures; quia, inquiunt, non satisfecit alteri obligationis parti, quæ est, ut quisque in ipso Paschate communicet. Hæc tamen ratio non omnino urget; quia sicut tempus, in quod Communio justa de causa prorogatur, æquivalet Paschali, sic & eidem æquivalere videtur tempus, quo justa itidem de causa ex pii Confessarii opinione anticipata fuit Communio. Quoniam vero neque hæc ista ratio major est omni exceptione, stricte monendus est quisquis Communionem anticipavit, ut denuo, cum potest, in Paschate communicet. Indubie porro qui extra casum anticipationis prædicto modo factæ, vel ipso Passionis Sabbato communicasset, ad novam in quindena Paschali Communionem teneretur;

Quæres VI. quid de eo sentiendum, qui in Paschate non communicat, quia censura ligatus est.

R. non peccare eum, quod in sensu composito censuræ a sacra mensa recedit, sed quod forte censuram, qua irretitus est, sibi per absolutionem relaxari non curat. Sic reus est, qui debitam Communionem omittit ex odio, aut voluntate non restituendi, &c. is enim nove peccat; nemini namque malitia sua debet prodesse.

Quæres VII. ubi Communio annua debeat fieri.

R. sumendam esse Eucharistiam in propria Parochia, de manu proprii Pastoris, alteriusve ab eo deputati. Constat id tum ex Libris Ritualibus, variisque Synodis, tum ex consuetudine, quæ vim legis habet. Unde non satisfaceret præcepto, qui in Ecclesiis Regularium communicaret, uti declaravit sacra Congregatio an. 1638. & 1682. Sed usu receptum videtur, ut Sacerdotes satisfaciant huic præcepto ubicunque celebrent. Vidi tamen & Episcopos, qui in Paschali quindena saltem semel sacrum facerent in Parochia, cujus intra limites ad tempus commorabantur; idque consulendum est, nisi quid obstet.

Ceterum censent Barbosa, & alii, Parochiæ nomine non venire Ecclesiam Cathedralem nisi respectu eorum, qui sunt de Parochia Cathedralis. Unde Cathedralis non est generalis omnium Diœcesanorum Parochia, ut hinc constat, quod nullum sit matrimonium coram Parocho illius sine proprii Parochi licentia contractum. Imo qui ab inscio loci Episcopo Eucharistiam suscepisset, præcepto satisfecisse non videretur: quia non intendit Episcopus a communi lege citra causam dispensare: unde qui extra Parochiam Paschali officio fungi cogitat, is proprii Parochi, vel Episcopi licentiam obtinere debet. Quod de annua Communione, hoc dicendum de prima, quæ ex usu communi in propria Parochia fieri solet.

Quæres VIII. an qui alias intra quindenam communicavit, aut communicaturus est in propria Parochia, possit ipsa Resurrectionis die ad sacram Cœnam accedere in Ecclesia Regularium.

R. negat. I. quia Sacra Congregatio Concilii Trid. interpres censuit die 22. Maii an. 1610. quod *si quis intra tempus Paschale de manu Parochi Eucharistiam acceperit, vel intendat, priusquam Octava Paschalis labatur, de manu illius ad satisfactionem Ecclesiæ accipere, non tali tamen licitum esse ipso die Resurrectionis de Religiosorum manibus communicare*: quam Declarationem etiam in Belgio usu receptam esse insinuat Boudartius Canonicus Insulensis. II. quia id præscriptum videtur Can. 9. Concilii Burdigalensis; ubi sic: *Nemo ad diem Paschæ Eucharistiam ab aliis quam a proprio Curato sumere præsumat.* Imo in quibusdam Diœcesibus puta Lingonensi & Parisiensi vetitum est (*Ritual. Paris. p. 63.*) *omnibus Presbyteris tam Secularibus, quam Religiosis etiam Mendicantibus, ne quibusvis personis quantumcunque illis notis, nec etiam cujusvis confraternitatis, aut societatis prætextu, sacram Eucharistiam tempore Paschali absque Parochi consensu administrent.*

Quæres IX. qua ratione gerere se debeat Parochus erga infirmos, qui ante quindecim Paschatis dies communicavere. R. iis intra quindenam deferendum esse sacrum Christi Corpus. Si tamen moribundus, qui paulo ante Palmarum Dominicam Viaticum recepisset, non posset hac die, aut proxime sequentibus jejunus communicare, is nec teneretur, nec posset iisdem diebus communicare sine Episcopi licentia; quia Parisiis v. g., Burdigalæ, &c. secunda Viatici receptio a prima *saltem dies decem* distare debet; qua a lege solus Ordinarius dispensare potest.

Quæres X. an advenæ, & peregrini Paschali of-

ficio satisfacere possint per Communionem apud Mendicantes factam. R. negat. contra Navarrum, aliosque non minimi nominis Doctores: I. quia transitoria peregrinorum in hoc, vel illo loco mora eosdem vere facit huic, vel illi Parocho subditos; quatenus præbet ipsis domicilium eo modo, quo sunt capaces: unde si hic letali morbo corripiantur, nonnisi a Parocho Viaticum recipere debent; si hic decedant, ibidem non alibi, nisi id exegerint speciatim, tumulandi sunt. II. quia in dubio gravi pars tutior minus tutæ, præsertim cum agitur de Sacramentis, præferri debet: porro tutius est, ut advena communicet in Parochia loci, ubi obiter commoratur; sic enim ne ipsi quidem Regulares præcepto satisfieri diffitentur; contra vero ne ipsi quidem Regulares Communionem in Ecclesia sua factam indubie habebunt ut impletivam præcepti.

Quod spectat ad Seculares, qui sunt de Monasteriorum exemtorum familia, ii cum a Parochia, & ab Ordinario exemti sint per Tridentinum Sess. 25. de Regular. c. 11. in ipso Monasterio Eucharistiam in Pascha recipere possunt.

Quæres XI. an qui mediam anni partem in una Parochia transigit, mediam in altera, possit quam volet ad annuam Communionem eligere.

R. *posse aliquem duobus locis habere domicilium*, ut patet ex c. 3. *De sepultur.* in 6. ( *Lib.* 50. *tit.* 1. ) cum ergo possit quis, ubicunque domicilium habet, Paschali officio fungi, palam est in hoc casu liberum esse hic, vel illic communicare. Si quis tamen multo plus in uno, quam in alio loco commoraretur, præferendum esset ad Communionem domicilium majoris moræ. Etsi vero qui Parisiis actu degit, possit se recipere in villam ibidem communicaturus, satius tamen est, generaliter loquendo ut ubi actu manet, hic recipiat Sacramenta.

Quæres XII. an Confessarius rationabili de causa Communionem Paschalem pœnitentis differre possit. R. posse, & sæpius debere, ut si judicet necessariam esse pœnitenti confessionem generalem, item si probare velit, an concubinam ejecturus sit; an cum inimico rediturus in concordiam, &c. Et vero quoties alioqui teneretur Director sanctum dare canibus? Quin & potest Confessarius confessionis auditionem differre, non quidem ut pœnitentis mollitiem foveat, sed ut ei sufficientis examinis, aut inchoandæ pœnitentiæ tempus concedat: hæc enim dispensationis species haud reservata est Superioribus. Ceterum qui Communionem differt, cum differre debet, non peccat: peccavit tamen, cum negligentia sua in eo se constituit statu, ut differre deberet.

Quæres XIII. an pœnitens proprio nutu, atque sui humiliandi causa possit annuam Communionem differre. R. cum S. Thoma 3. p. q. 80. a. 11. *quod sicut Gregorius dicit in Pastorali, illa vera est humilitas cum ad respuendum quod utiliter præcipitur, pertinax non est*: porro quis e pertinacia excuset eos, qui contra centies repetitas Ecclesiæ leges, pro phantasia sua a Communione recedunt? Male ergo Diaconus Parisius, semel & iterum abstinuit a Paschali mensa. Male objecta sunt in ejus gratiam quorumdam Solitariorum exempla, qui sane nihil inconsultis Præsulibus fecere; & aliunde vixerunt ante Concilium Lateranense, quo Cœna Paschalis tam stricte imperata est.

Quæres XIV. an qui mane Eucharistiam recepit officio Paschali facturus satis, eadem die, si forte ad interitum vergat, Viaticum Domini recipere teneatur. R. negat. I. quia saniores Theologi pene omnes oppositam sententiam tenent vel in specie, cum casum hunc expendunt, vel saltem generaliter, cum indistincte pronunciant licitum non esse bis die eadem communicare extra Missam, nisi forte ob Sacramenti reverentiam necesse sit, ut Eucharistia ab aliquo consumatur, quæ unica exceptio firmat regulam in contrarium.

II. Quia alioqui fieri posset, ut homo bis intra mediam horam communicare teneretur, puta si statim post Communionem morbo oppressus incurreret mortis proximæ periculum. Porro consequens in praxi nunquam visum est.

III. Ideo censent Adversarii bis in hoc casu una eademque die communicandum esse, quia Communio in exitu vitæ præcepta sit jure divino: atqui hæc ratio non est cogens: I. quia potest eum, qui mane communicavit, jam satisfecisse præcepto divino. Id enim unum exigit divina lex, ut homo in exitu vitæ communicet: atqui homo ille reipsa communicavit in exitu vitæ; neque necessum erat, ut explicitam haberet intentionem communicandi per modum Viatici; sicut necesse non est, ut quis festa die Missam audiendo, sciat diem hanc esse festam; quia solum exigit Deus, ut ponat quis rem ab Ecclesia præceptam, cum generali intentione implendi præceptum quodcunque occurrerit. II. quia potest non urgere hoc in casu præceptum Dei; prout in Gallia non censetur urgere quoad reos capitali supplicio afficiendos; nec ullibi urget, si, ut ægroto detur Viaticum, Missa sine Altari, & vestibus sacris, vel ab eo, qui jam celebraverit, sit celebranda.

Quæres XV. an præcepto annuæ Communionis satisfiat per Communionem sacrilegam. R. negat. cum omnibus hodie Theologis: I. quia non magis implet quis legem Ecclesiæ per Communionem sacrilegam, quam impleat naturæ legem de alendo corpore omnibus impositam, per comestionem venenosi cibi: atqui hanc dubio procul non implet hoc modo; ergo nec illam. II. quia præcipit Ecclesia ut *omnis utriusque sexus Fidelis suscipiat reverenter Eucharistiæ Sacramentum*: atqui non suscipit *reverenter*, qui suscipt sacrilege. III. quia hæc propositio inter damnatas ab Innocentio XI. n. 55. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem*, damnata est a Clero Gallicano an. 1700. n. 16. ut *temeraria, scandalosa, erronea, impietati, & sacrilegio favens, & illudens præceptis Ecclesiæ.* Iisdemque pene notis confixa est hæc, quæ jam reprobata erat ab Alexandro VII. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Hinc colliges I. eum, qui sacrilegæ Communionis in Pascha reum se fecit, teneri quam primum poterit, Ecclesiæ legem nova, & pia Communione exequi. II. ægrum, qui indigne Viaticum recepisset, idem quo-

quoque denuo recipere debere, & hoc ipsa eadem die, si eadem die credatur moriturus: modo tamen id sine scandalo fieri possit, quod in praxi difficile videtur.

Quæres XVI. quid agendum Parocho erga eos e suis, quos scit Paschali Communioni defuisse.

R. Qui Paschali officio defuere, vel vivunt, vel jam obiere. Si 1. corripiendi sunt secreto, & instanter monendi, ne hoc pietatis munus differant. Si renuunt, minabitur Parochus e suggestu, sed generalibus terminis, se eos Episcopo denuntiaturum esse: si non cedant minis, denuntiandi erunt; & tunc res tota penes Episcopum erit, cui a Parocho parendum.

Si 2. vel Episcopus necdum contra eos sententiam tulit, vel jam tulit, ut potest, & forte raro debet. Si tulit sententiam, non potest Parochus hominem impœnitentem Ecclesiastica donare sepultura, Si non tulit, recurret Parochus ad Episcopum, ejusque mandata exequetur. Si vero ad Episcopum, ejusve Vicarios Generales recurrere nequit, ob locorum distantiam, vel quia turbas metuit, non potest auctoritate propria Ecclesiasticam sepulturam negare Parochiano: est enim negatio hæc effectus censuræ, quam comminatur quidem, sed non infert Concilium Lateranense, & quam Parochus per se decernere nequit. Idque in Gallia certius est, quam alibicunque; quia in rebus disciplinæ notorietas facti apud Gallos locum non habet. Adduot alii nequidem a Parocho negandam esse sepulturam iis, quos jam ad mandatum Episcopi palam, & ex cathedra declarasset Paschali officio defuisse, & quorum nomina dedisset Promotori, ut contra eos ageretur.

# APPENDIX

## DE PRÆCEPTO SOLVENDI DECIMAS.

(✠) Materiem hanc, quam fusius, atque egregie pertractat Auctor Tom. VI. Prælectionum Theologicarum, in Tyronum commodum brevi complectemur, explicando I. quid, & quotuplicis generis sint decimæ. II. an, & quibus, ac quo titulo debeantur. III. qua ex re debeantur, a quibus, quo tempore, & modo. IV. quatenus, & quo pacto præscribantur. V. paucula dicenda erunt de decimis feudalibus. Ad tit. 30. lib. 3. Decretal.

### I.

Decima juxta vim nominis est portio ex decem una; definiri tamen solet: *Decima pars omnium fructuum, & proventuum juste acquisitorum, Deo, ejusque Ministris quotannis solvenda.*

Dicitur I. *decima pars*; ratione cujus convenit hæc definitio decimis quibuscunque etiam ad profanum finem destinatis, de quibus Leg. 3. Cod. de metall.

Dicitur II. *omnium fructuum, & proventuum*, quia ex cap. 23. de *Decimis*: *Fidelis homo, de omnibus, quæ licite adquirere potest, decimas erogare tenetur.*

Dicitur III. *juste adquisitorum*. *Hostiæ enim impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere*. Prov. 21. Excipiunt tamen Canonistæ I. decimas prædiales ex rebus injuste, & illicite adquisitis. Nam S. Thom. ait 2. 2. q. 87. ar. 2. ad 2. *Si aliquis ager sit emtus de usura, de fructu ejus tenetur usurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere.* II. decimas personales illicite adquisitas, & nihilominus valide retentas.

Dicitur IV. *Deo, ejusque Ministris solvenda*. *Deus enim decimas in signum universalis dominii sibi reddi præcepit* ex Innoc. III. cap. 26.

Dividuntur decimæ: I. in prædiales, personales, & mixtas.

Prædiales, quæ & reales dicuntur, eæ sunt, quæ de omnibus terræ fructibus solvuntur. Personales sunt pars decima lucri personalis, puta, negotiationis, artis, militiæ &c. Mixtæ eæ dicuntur, quæ partim proveniunt a natura, partim ab hominis industria, ut sunt eæ, quæ ex animalium fructibus percipiuntur.

II. Decimæ prædiales subdividuntur: I. in *majores*, quæ ex majoribus percipiuntur fructibus, ut frumento, hordeo &c. *Minores*, quæ ex minoribus, puta fabis, pisis. II. in *Veteres*, quæ petuntur ex terris jam antiquitus cultis; *novales* ex terris noviter ad cultum redactis.

III. Dividuntur decimæ in stricte *Ecclesiasticas*, quæ Clericis intuitu spiritualis eorum Ministerii solvuntur, & *Temporales*, quæ etiam laicæ, vel infeudatæ dicuntur, quia *jus utile* decimandi, in feudum datum est laicis, *jure directo*, & quasi radicali penes Ecclesiam remanente; quod si hoc extinctum sit, tunc eæ decimæ pure laicales, seu secularizatæ dicuntur.

IV. Dividuntur in solitas, & insolitas. Solitæ eæ sunt, quæ in loco præstari consueverunt; insolitæ, quæ amplius pendi non solent.

### II.

Decimæ spectari possunt vel materialiter, prout sunt stipendium Ecclesiæ Ministris, ad eorum sustentationem concessum: vel formaliter quatenus constant certa, ac determinata quantitate. Esto prima Conclusio.

Decimæ quoad substantiam sumtæ debentur jure naturali, divino, canonico, & civili.

Prob. 1. 2. & 3. pars ex D. Thoma 2. 2. q. 87. art. 1. in c. Præceptum de solutione decimarum, ait, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione; partim autem erat judiciale ex divina institutione robur habens. Quod enim eis, qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat, sicut & his, qui communi utilitati invigilant, scilicet Principibus & Militibus, & aliis hujusmodi stipendia victus debentur. Unde Apostolus hoc probat I. 18. ad Corinth. 9. per humanas consuetudines dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam, aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit?* Sed determinatio certæ partis exhibendæ Ministris divini cultus non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina secundum conditionem illius populi, cui lex dabatur. Hinc determinatio decimæ partis solvendæ ex auctoritate Ecclesiæ tempore novæ legis instituta secundum quamdam humanitatem, ut scilicet non minus populus novæ legis Ministris novi Testa-

menti exhiberet, quam populus veteris Testamenti exhibeat. Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim divino, partim ex institutione Ecclesiæ Vid. tot. Tit. de decimis, & in 6. Clementinis, & Extravag., & Trid. Sess. 25. cap. 12.

Prob. 4. pars ex Capitularibus Regum Francorum, ubi sic lib. 2. cap. 39. edit. Baluz. *qui decimas post creberrimas admonitiones, & prædicationes Sacerdotum solvere neglexerint, excommunicentur.*

§ Conclusio II. Decimæ omnes olim Episcopo loci solvebantur, ab eo cæteris Ministris pro merito, & exigentia distribuendæ; hodierno vero jure Parochis solvuntur, nisi obstet contraria consuetudo.

Prob. 1. pars ex can. 1. XVI. q. 7., ubi sic legitur. *Decimas sub manu Episcopi esse censemus, ut ille, qui cæteris præest, omnibus juste distribuat ..... quia inhonestum videtur, ut alii Sacerdotes habeant, & alii detrimentum patiantur.*

Prob. 2. pars ex Innocentio III., qui hac de re consultus ita respondet. *Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in Parochiis earumdem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur, nisi ab iis, qui alias percipiunt decimas, rationabilis caussa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.* Videsis Gratianum XVI. q. 1. Can. 42. & seq. & Clariss. Berardum Regiæ Taurinensis Universitatis Juris Canonici doctissimum Professorem part. 1. cap. 49. de Conciliis Moguntinis pag. 469. & 470. & partis 2. Tom. 2. cap. 85. de Urbano II. pag. 453.

Dixi *nisi contraria obstet consuetudo*: I. quia quarta decimæ parochianæ pars Episcopis debetur. Ita Fagnan. in cap. *Cum contingat*. II. quia Episcopi aliquam earum partem, quarta majorem sibi quandoque, & Cathedralis Ecclesiæ Canonicis reservarunt. III. quia ad erigenda, & dotanda Monasteria Monachis parochiales decimæ concessæ sunt. IV. quia decimas infeudatas Laici obtinuerunt.

Conclusio III. Decimæ pensitari debent titulo Religionis, & justitiæ.

Prob. I. pars. Decimas sibi reddi præcepit Deus (ex definit.) in signum universalis dominii; adeoque debentur titulo Religionis.

Prob. II. pars. Decimæ (ex prima conclus.) debentur Ecclesiæ Ministris ut pars stipendii: sunt enim tributa egentium animarum, can. 66. XVI. q. 1. ergo debentur justitiæ titulo, ergo graviter peccant contra Religionem, & justitiam, qui illas vel subtrahunt, vel juxta locorum consuetudinem non solvunt.

III.

Decimæ solvendæ sunt de omnibus possessis. Docet enim D. Thom. q. citata a. 2. quod de unaquaque re præcipue est judicandum secundum ejus radicem. Radix autem solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia secundum illud Apost. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, non magnum est, si carnalia vestra metamus.* Super hoc enim debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis decimarum; omnia autem quæcunque homo possidet, sub carnalibus continentur, & ideo de omnibus possessis decimæ sunt solvendæ. Adeoque cum S. Augustino, nisi extet in contrarium loci consuetudo, *de militia, de negotio, & artificio redde decimas*: immo & de his, quæ ex turpi caussa adquiruntur, si juste retineantur; verum id intelligendum est post pœnitentiam, *ne Ecclesia*, inquit ibi S. Thomas, *eorum peccatis videatur communicare.*

Ad decimas solvendas tenentur & ipsi Clerici ex iis, quæ possident proprio jure, vel successione parentum, vel ex emptione, vel quocunque hujusmodi modo, ibid. ar. 4., & Religiosi de jure communi tenentur decimas dare; *habent tamen*, inquit S. Doctor, *aliquam immunitatem secundum diversas concessiones eis a Sede Apostolica factas*; ibid. ad 2, tandem vel ipsi Pauperes, concludit Angelicus; quia tum de jure naturali, tum de jure divino, tum etiam de statuto Ecclesiæ decimæ Sacerdotibus debentur ibid. ad 4. Circa tempus, & modum, loci cujusque consuetudo servanda est.

IV.

Duplex hac in re haberi potest præscriptio: activa, quæ jus tribuat ad decimas, ante non perceptas, & passiva, quæ eximat a decimis antea pensitatis.

I. Jus percipiendi decimas præscriptione adquiri potest, si istæ Laicales sint, seu infeudatæ tum ab Ecclesia, tum a Laicis. Ita sentiunt Jurisconsulti omnes, & quia *quæ sunt quæsibilia privilegio, sunt quæsibilia præscriptione, data capacitate personæ*. Et quia decimæ Laicales naturam, & conditiones habens boni patrimonialis, & æque sub commercium civile cadunt, unde ut donari, sic vendi possunt, adeoque & ceterorum bonorum legibus, ac proinde præscriptioni obnoxiæ sunt; nisi aliter decernant municipales locorum leges. Si vero sint Ecclesiasticæ, ab Ecclesia contra Ecclesiam possunt præscribi, non autem a Laicis. Nam cap. 6. *de præscrips.* hæc habet Alexander III. *Ad aures nostras pervenit duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una earum in alterius Parœcia annis 40. possedit. Tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quod de jure divino, & humano melior est conditio possidentis: quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Verum cum Laici nullam ad decimas pure Ecclesiasticas capacitatem habeant, *eas nulla valent ratione præscribere* cap. 7. *de præscript.*

II. Ad tempus vero ad activam decimarum præscriptionem necessarium quod attinet, vel agitur de Ecclesia non Parochiali contra Parochialem, vel de Parochia contra Parochiam. Si primum non præscribitur, nisi vel concurrat titulus cum possessione 40. annorum, vel defectum tituli suppleat possessio immemorialis. Ita Bonifacius VIII. cap. 1. *de præscript.* in 6. Si alterum, divisi sunt Canonistæ. Alii decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes sufficere censent. Alii vero probabilius existimant in hoc etiam casu requiri 40. an. cum bona fide, licet non cum titulo, juxta illud Alex. III. de præscrip. c. 7. *Illud autem te scire volumus, & tenere: quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam annorum 40. Romana Ecclesia non admittit.* Et ratio est: quia licet præscribenti in hoc casu jus non resistat; unde

fit,

sit, ut sola cum annis 40. bona fides sine titulo sufficiat; non cessat tamen alia juris dispositio, quæ generaliter requirit, ut immobilia Ecclesiæ bona nonnisi annorum 40. spatio præscribantur. Sufficit tamen, & requiritur possessio 30. annorum sine titulo, vel 20. annorum cum titulo inter absentes, & 10. inter præsentes, ut Ecclesia infeudatas præscribat decimas.

Præter præscriptionem comparatur jus decimandi: I. privilegio Rom. Pontificis. II. per transactionem: III. per compromissum in unum, vel plures Arbitros. IV. tandem permutatione.

III. Circa præscriptionem passivam. Vel decimæ spectantur materialiter, & tunc præscribi non possunt, quia stipendium Ecclesiæ Ministris ad legitimam eorum sustentationem debitum est. Si vero formaliter considerentur, jure naturali præscribi possunt. *Durum enim esset dicere*, inquit S. Thom. quodlibet. 2. art. 2. *quod omnes homines Italiæ, & Orientalium partium damnentur, qui decimas non solvunt.* Quapropter ubi obtinet consuetudo, ut decimæ non solvantur, nulla erit eas solvendi obligatio, nisi ex earum defectu necessaria sustentatione careant Ecclesiæ Ministri, quia tunc *debentur ex Lege Divina*. Porro si consuetudo a decimis eximat, eximet a fortiori præscriptio, nisi positivum Regni jus obstet.

Quod si de Clericis contra Clericos sermo sit, & neutri Parochiale officium habeant, extra dubium videtur, nisi aliter locali lege constitutum sit, posse ab iis præscribi decimarum exemptionem: si enim activum decimarum jus præscribere possunt, quidni immunitatem a decimis? Tunc autem eodem temporis spatio ad utramque præscriptionis speciem opus esse videtur.

V.

Non omnino consentiunt eruditi de feudalium decimarum origine. Alii eas censent primitus fuisse jura Regia, quæ a Principibus concessa iis fuerint, quorum obsequia remunerare voluerunt. Alii, & quidem melius, eas censent fuisse primo Ecclesiæ bona, quæ vel a publica potestate fuere usurpata, vel Principibus, ut Ecclesiam tuerentur, ad tempus concessa, ab iisdem servata aliquandiu, tandem, & præcipue paulo post initium sæculi octavi, a Carolo Martello sæcularibus tradita sunt.

Quæcunque sit illarum origo, ex vulgari regula hodie ubique recepta decimas infeudatas licite retinere possunt Laici, præsertim qui eas possederunt ante Concilium Lateranense III. sub Alex. III. habitum an. 1179., ut constat ex cap. 2. *de decimis* in 6.

Decimæ autem, quæ iterum ad Ecclesiam redeunt, ad primigeniam suam institutionem revertuntur. Censentur enim ex tunc, & deinceps ut res mere Ecclesiasticæ. Quod si Laicus decimam suam Ecclesiæ tradat in feudum, & cum onere feudali erga tradentem; item si decimale feudum ad Ecclesiam transeat, non per se, sed cum prædio temporali, cui annexum est, tunc decima licet sive per se, sive cum universitate prædii amortisata, semper remanet feudalis, & profana; quia non possidetur Ecclesiastice, sed sæculariter.

Rerum decimalium judex de petitorio est Ecclesiasticus, de possessorio vero est Sæcularis. Cur autem possessorii cognitio ad sæcularem Judicem deferatur, plura habet Fevretus in tract. de abusu lib. 6. cap. 2.

Quæ hic compendiose de Decimis dicta sunt, paulo fusius exponit Petrus Collet loco superius citato; ubi plurimæ solvuntur quæstiones, quæ ad Curiam magis, quam ad Sacrum pœnitentiæ Tribunal spectant; hinc illas libenter missas facimus. Cum hactenus dicta tyronibus abunde sufficiant. (+)

# TRACTATUS

## DE CENSURIS.

QUI Leges Ecclesiæ violant, ab Ecclesia plecti convenit: quod præcipue fit per censuras, de quibus hic tum in genere, tum in specie dicendum.

# PARS PRIMA.

## DE CENSURIS IN GENERE.

EXpendam in hac parte, quid, & quotuplex sit censura; a quo, & in quem ferri possit; quæ in ea ferenda servandæ formalitates, &c. (*Ad tit. 30. Lib. V. Decretal.*)

## CAPUT PRIMUM.

### *Quid, & quotuplex Censura.*

CEnsura definiri potest Pœna spiritualis, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci quorundam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat.

Dicitur I. *pœna spiritualis*, quia animam privat magno bono. II. pœna qua *aufertur usus*; censura enim suspendit usum rei, donec delinquens e contumacia recedat, sed rem ipsam, v. g. titulum Beneficii non tollit; in quo differt a depositione, & degradatione, quæ de se in perpetuum privant vel re ipsa, vel ejus usu, v. g. exercitio sacrarum functionum. III. *quorundam bonorum spiritualium*: bona enim spiritualia, alia sunt propria, ut fides; alia sunt omnibus communia, & externa, quorum dispensatio Ecclesiæ credita est, ut suffragia publica; hæc ab Ecclesia auferri possunt, non illa. IV. *donec a contumacia recedat*; id enim in censuris spectat Ecclesia, ut per eas frangat contumaciam rebellium, eosque ad obsequium cogat: unde censura dicitur *medicinalis*, adeoque perpetua

petua non est, (*Cap. 1. De sent. excom. in 6.*) cum *contumax* statim ac resipuit, absolvi debeat; & sic adhuc distinguitur censura a depositione, & degradatione, quæ de se perpetuæ sunt.

Censura dividitur I. ut genus in species, in excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Unde, quidquid aliqui velint, cessatio a divinis, depositio, degradatio, & irregularitas ex crimine, non sunt censuræ. Et id patet, I. ex his Innoc. III. verbis: (*C. 20. De verbor. significat.*) *Quærenti quid per censuram ecclesiasticam debeat intelligi, respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi*: porro si aliæ essent censuræ species præter tres modo recensitas, jam manca foret Innocentii III. responsio, ejusque responsioni similis, qui consultus quid nomine Sacramenti intelligatur, responderet eo intelligi Baptismum, Pœnitentiam & Ordinem, quæ sane responsio incongrua foret & insufficiens. Et vero propositio dogmatica, & doctrinalis in Jure posita æquivalet universali; ergo cum tres censuræ species recenset Innocentius, idem est ac si diceret, *Omnis censura his tribus continetur*.

Patet II. quia censuræ non feruntur nisi in contumaces, ut ad Ecclesiæ obsequium revertantur: atqui depositio & degradatio feruntur in perpetuum, neque auferuntur post resipiscentiam; ergo depositio, & degradatio totam censuræ definitionem non suscipiunt, nec proinde sunt censuræ.

Idem est de cessatione a divinis, hæc enim primario decernitur ad manifestandum Ecclesiæ dolorem; & licet Ecclesia tunc intendat, ut reus exteriori hoc doloris apparatu commotus resipiscat, reipsa tamen nullam in eum exercet vindictam, neque eum singulariter ferit: secus ac contingit in interdicto etiam locali, quod semper directe, & specialiter afficit personas, quæ interdicto causam dederunt, idcoque illas ubique arcet a divinis.

Idem denique dicendum da irregularitate etiam ex delicto. Nam I. irregularitas omnis primario constituitur ut indecentia, & inhabilitas; censura autem primario constituitur ut pœna. II. censura primario etiam decernitur ad corrigendos Fideles, non item irregularitas, in qua quis modo peccatorum suorum pœnitentiam agat, humiliter permanere possit. III. censuræ per *absolutionem*, irregularitates per *dispensationem* tolluntur. IV. is est Romanæ Curiæ stylus, ut cui conceditur facultas absolvendi a censuris, ei non censeatur concessa facultas dispensandi ab irregularitatibus: ergo cum stylus Curiæ Jus faciat, consequens est irregularitatem distingui a censura.

Dividitur II. in eam quæ est *ab homine*, & eam quæ est *a jure*. Censura a jure ea est, quæ per legem, vel statutum fertur generaliter in omnes, qui legem fuerint transgressi: talis est, quæ decernitur in Can. *Omnis utriusque sexus*, adversus eos, qui Paschali officio defuerint. Censura ab homine ea est, quæ fertur ex causa, & facto particulari in certam ac determinatam personam, sive hæc Judici cognita sit, ut cum nominatim excommunicatur Petrus, nisi intra mensem satisfaciat; sive sit incognita, ut cum dicitur, Excommunicatus esto, qui talem incendiarium cognovit, nisi post ultimam monitorii promulgationem eundem declaret. Alia fuit olim species censuræ ab homine, quam generalem vocabant: sed hæc obsolevit.

Differunt eæ censuræ: I. quod censura a jure semper liget transgressores, donec lex illam decernens abrogetur; censura vero ab homine eos, quos necdum ligavit, ligare jam non possit, statim ac Superior, qui eam tulit, potestate sua volens, vel nolens spoliatus est: unde si quis excommunicatus sit sub conditione, *nisi intra sex dies revelaverit*, & Judex ante terminum elapsum moriatur, non incurrit censuram, etsi non revelet, quia Superior censuram ab homine fert non ut legislator, sed ut Judex: porro Judicis auctoritas, eodem mortuo, vel amoto, aufertur. II. quod censura ab homine semper reservata sit, non autem quæ est a jure, nisi reservatio exprimatur, de quo infra. III. quod censura a jure eos etiam ligare possit, qui legislatori subjecti non erant, quo tempore censura primum lata est; censura vero ab homine eos solum afficiat, qui legislatori subjecti erant, cum censuram tulit: quia censura ab homine fertur per modum imperii, imperium autem ad præsentes solum dirigitur.

Dividitur III. censura in eam, quæ est *latæ*, & eam, quæ est *ferendæ sententiæ*. Prior ea est, quæ contrahitur ipso facto, seu sola criminis admissione, absque alia Judicis sententia. Posterior, quæ etiam dicitur *comminatoria*, ea est, quam Superior comminatur infligendam, sed quæ non incurritur, nisi nova accedat Judicis sententia.

Signa censuræ *latæ sententiæ* sunt I. particulæ istæ, vel similes, *ipso jure*, *eo ipso*, *statim*, *mox*, *illico*, *latæ sententiæ*. II. verba præsentis, aut præteriti temporis, v. g. *excommunicamus*, *suspendimus*, *suspensus est*, *noveris te excommunicatum*. III. verba temporis imperativi, ut, *excommunicationi subjaceat*; nisi mandatum hoc ad inferiorem Judicem dirigatur, cui committatur officium aliquem censura percutiendi. In dubio an verbum sit imperativi, vel optativi modi, habendum est pro imperativo, quia ex jure lex imperat, non optat; unde hæc forma, *anathema sit*, videtur esse latæ sententiæ: quia vox *anathema sit*, in Conciliis, ac præsertim in Tridentino tam frequens, usurpari solet contra Hæreticos, quorum errores ipso facto censuræ subjici voluit Ecclesia. Certum tamen est in his spectandum esse usum, & intentionem legislatoris.

Censura *ferendæ* est *sententiæ*: I. cum exprimitur verbis futurum indicantibus, v. g. *excommunicabitur*. II. cum legislator hac utitur formula, *sub interminatione anathematis*. III. cum alicui præcipi videtur, ut censuram ferat his, aut similibus verbis, *jubemus*, *volumus suspendi*. In dubio judicandum est censuram non esse nisi ferendæ sententiæ, quia ex Reg. 49. in 6. *in pœnis benignior interpretatio facienda est*.

Dividitur IV. censura in justam, & injustam; validam, & invalidam, seu nullam: quæ divisio respicit solum censuras ab homine; cum omnis censura a jure, seu a canone semper justa sit, utpote quæ sit vera lex. Censura *justa* ea est, quæ undequaque legitime

time lata est, ita ut nihil ei, qui ipsam tulit, exprobrari possit. Talis est, quæ fertur I. ab habente potestatem. II. in hominem subditum. III. ex causa sufficienter probata. IV. servato juris ordine substantiali, & accidentali. Hæc censura semper valida est in foro exteriori, sed aliquando potest invalida esse coram Deo, ut si feratur adversus eum, qui juridice convictus fuit de crimine, quod reipsa non admisit.

Censura *injusta* ea est, cui deest aliqua ex quatuor conditionibus mox enumeratis, & hæc duplex est, injusta valida, & injusta invalida. *Injusta valida* ea est, cui deest aliquid accidentale, nihil vero eorum, quæ essentialiter requiruntur: talis ea est, quæ fertur ab habente potestatem, ob sufficientem causam, sed ex malo motivo, aut neglecto juris ordine accidentali, ut si non præcesserit trina monitio canonica, vel una pro tribus. *Injusta* & simul *nulla* ea est, cui deest aliquid essentiale, sive ex parte Judicis, qui careat jurisdictione; sive ex parte subjecti, cujus culpa vel evidenter nulla sit, vel non sufficienter probata; sive ex parte juris, cujus ordo substantialis neglectus fuerit, ut si nulla præmissa sit monitio.

Circa divisionem hanc hæc in praxi tenenda.

I. Censura simpliciter injusta, seu, ut loquitur S. Thomas, ( *In. 4. dist. 1. a. 1.* ) *injusta ex parte excommunicantis, qui, v. g. ex ira, vel odio excommunicat*, aut formalitates accidentales omittit, *nihilominus habet effectum suum*, & vere ligat: unde qui in tali statu celebrat, *pœnas Canonum incurrit, & irregularis efficitur, ut communis omnium consensus testatur, nec de hac re dubium esse potest* ( *Sayr. lib. 1. c. 17. n. 5.* ) Et vero id expresse docuerunt S. Gregorius Magnus Hom. 26. in Evang. ubi sic: *Is qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste*. Et Urbanus I. his verbis, *Valde timenda est sententia Episcopi; licet injuste liget aliquem, quod tamen summopere prævidere debet*: unde manavit hoc Juris axioma: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est* ( *Can. 1. xx. q. 3.* )

II. Censura injusta defectu causæ sufficientis ex parte excommunicati, quæ sic injusta est, ut vere sit nulla, aut est evidenter nulla, ut quando *lata est post appellationem legitimam, continetve errorem intolerabilem, ut si diceretur, Excommunico te, quia credis in Deum; & in his duobus casibus* ( *S. Bonav. l. 4. part. 2. dub. 1.* ) censura nec coram Deo ligat, ut evidens est, nec coram hominibus, quia nullitas ejus a nemine in dubium revocari potest, utpote vel jam demonstrata ab accusato, vel aliunde notoria. Vel hæc censura licet a parte rei nulla, non est tamen evidenter nulla, & tunc is, in quem lata fuit, tenetur sub peccato quærere alia juris remedia; puta ad Superiorem recurrere; alias peccat, non præcise quia non paret sententiæ invalidæ, sed quia non paret Ecclesiæ, quæ præcipit, ut sic censuratus utatur remediis jure præscriptis.

Quod si remedia invenire non possit, quia juridice probatur nocens, tunc debet: I. humiliter sustinere censuram, ut *humilitatis meritum compenset excommunicationis damnum* ( *S. Th. ibi l.* ); cavendumque, ne tumide insurgat in Superiores, quia alioqui justa mereretur ob contemtum suum censura percelli, qui *injuste nonnunquam* ligatus erat, prout fuse ostendit Nicolaus I. in Epist. 10. Debet II. in foro exteriori abstinere ab iis omnibus, quæ vere excommunicatis prohibita sunt, quia, ut docet Cabassut. ( *L. 5. Theor. v. 10. n. 12.* ) *vere, ac juste puniri posset etiam apud Deum, propter peccatum scandali*, quod *palam* exhiberet sesistendo Superioribus, quorum sententia vel habetur pro justa, vel nondum iniquitatis juridice convicta est.

Censeo tamen hominem, contra quem censura materialiter injusta lata est, posse privatim, vel coram iis, qui innocentiam ejus perspectam habent, & secluso scandalo functiones suas obire, Missam celebrare, atque adhibita eadem cautione excipere confessiones, si pastor sit: I. quia talis condemnatus vere & coram Deo innocens est; ergo in eodem est statu coram Deo, ac si non fuisset ab hominibus per malitiam, aut errorem notatus. II. quia non magis tenetur homo ille sententia contra se lata, quam teneatur quis ad solvendam alteri pecuniam, quam ipsi in rei veritate non debet, licet ad solutionem hanc in judicio ex falsorum testium depositione condemnatus fuerit: atqui is non tenetur; ergo nec ille. Hinc inferes per hanc excommunicationem non privari hominem communibus Ecclesiæ suffragiis: tum quia non est verisimile potestatem hanc, quæ in destructionem esset, a Deo Ecclesiæ fuisse concessam; tum quia hoc revera non intendit Ecclesia, utpote quod nec ad bonum commune, nec ad bonum illius, qui condemnatur, utile sit.

Dividitur V. censura in reservatam, & non reservatam; gravem, & minus gravem, de quibus infra.

---

## CAPUT SECUNDUM.

*De causa efficiente Censurarum.*

SUppono I. Christum nullam per se instituisse censuram: I. quia instituere censuras est determinare quando, & quibus bonis spoliari debeant hi, aut illi peccatores: nullus porro assignari potest Scripturæ locus, qui Christum id præstitisse dicat. II. quia in censuris nihil est, quod ab Ecclesia mutari non possit, unde multa olim fuerunt in usu, quæ nunc non sunt, & vicissim: porro quæ jure divino constituta sunt, vel mutari nequeunt, vel non nisi in casu aliquo admodum singulari.

Nec nocet id Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.* Quia si Christus eo loci veram excommunicationem instituisset, omnes prorsus, qui Ecclesiæ præceptis rebelles sunt, essent jure divino excommunicati; nec magis liceret cum peccatoribus, qui Ecclesiam spernunt, communicare in divinis, quam cum ethnicis: atqui hæc prorsus absurda sunt; ergo. Itaque cum addat Christus, *quæcunque alligaveritis super terram &c.* innuit, se potius dare facultatem censuras instituendi, quam eas a se institui: unde

præ-

præcipit non in particulari, sed in generali solum, ut, qui Ecclesiam non audierint, vitentur ab aliis juxta gradum, & modum separationis ab Ecclesia faciendæ; ergo ipse separationem hanc in tali gradu, & modo per se non facit; ergo nec instituit censuras in specie.

Jubet quidem S. Paulus (*Ad Tit. c. 3.*) *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem* devitari. Sed nihil inde: quia is Pauli textus intelligi potest de obligatione naturali vitandi eos, qui nobis damni causa esse possunt, quales sunt præsertim Hæretici, quorum *sermo ut cancer serpit* (*II. Cor. 2.*). Hinc idem I. Cor. 5. non minus acriter præcipit, ut vitetur Christianus, quisquis *est fornicator*, *aut avarus*, *aut ebriosus*, & *cum ejusmodi nec cibum sumere* permittit; & tamen nemo dixerit peccatores pene omnes a S. Paulo excommunicatos fuisse. Adde id quod est institutionis Apostolicæ, non ideo esse institutionis divinæ; Apostoli enim multa fecerunt ut Prælati, & Judices, quæ Christus per se, & speciatim non instituerat. Sic S. Paulus I. ad Timot. 3. bigamos vult esse irregulares, non quia irregularitatem hanc instituerit Christus, sed quia ejus instituendæ facultatem Apostolis concesserit.

Suppono II. posse Ecclesiam instituere, & ferre censuras; prout ipsa definiit contra Wiclef., Hus, & Lutherum. Patet id ex his Christi verbis (*Matth. 16.*) *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*; & Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis*, *&c.* Unde sic: Censuræ pœnæ quædam sunt, quæ decernuntur in foro exteriori, & spiritualiter ligant: atqui Christus citatis verbis Ecclesiæ potestatem dedit tales ferendi pœnas. Ad id enim sufficit, ut in his textibus agatur & de pœnis, & de pœnis fori contentiosi, & de pœnis, quæ animam ligent: atqui hæc omnia constant. Nam I. agitur de pœnis: agitur enim de vinculo, quo quis ligatur. II. agitur de pœnis exterioris fori: de iis enim agitur pœnis, quæ sequuntur denuntiationem Ecclesiæ factam, & quæ ita publicæ sunt, ut qui eas incurrit, habendus sit ut *publicanus*. III. agitur de pœnis, quæ animam ligant: pœnæ enim mere exteriores non ligarent in cœlo, ut ligant pœnæ, de quibus agitur in citatis locis. Hinc S. Augustinus: *Spiritualis pœna est*, inquit, *qua fit quod scriptum est*; *Quæcunque ligaveritis in terra*, *&c.* (*Epist. 75.*)

Confirm. Respublica Christiana, eam habet potestatem, quæ civili etiam Reipublicæ non deest: atqui potestas privandi subditos bonis Reipublicæ communibus, nulli politicæ Reipublicæ deest; ergo nec Ecclesiæ: jam vero talis potestas per censuras exercetur.

Dices: Ecclesia nihil habet potestatis ad destructionem: atqui potestas ferendi censuras, quæ consistunt in privatione bonorum spiritualium, est in destructionem; sic enim anima diabolicis incursibus aperta foret.

R. neg. min. Hæc enim potestas neque est in destructionem Fidelium, cum ab iis sequestretur graviter lapsus, ne modicum fermentum totam massam corrumpat; neque in destructionem ipsius excommunicati, quia punitur ad coercendam ejus contumaciam, & ut *spiritus salvus fiat*: sic pœnitenti adhuc fluctuanti negatur absolutio, ut gratiæ impedimenta removeat.

Suppono III. potestatem instituendi censuras residere in S. Pontifice, & in Concilio generali. Ratio est, quia censuræ sunt veluti generales quidam Ecclesiæ universæ ritus, quibus singuli Pastores contra contumaces subditos uti debent: atqui ritus tam generales non ab alio, quam a Romano Pontifice, aut Concilio generali institui possunt; sicut leges, quæ in toto Regno obligent, a solo Rege condi possunt. Et vero in Ecclesia Dei, quæ est *castrorum acies ordinata*, nulla esse debet confusio; quanta vero foret, si singuli Pastores novas pro nutu, & arbitrio censuras instituere possent? Quo ex jure earum cognitio haberi posset? Quid certi de iis posset statui?

Jam videndum, quis censuras ferre possit, quod ut fiat, notandum potestatem jurisdictionis, quæ judicia respicit, & in actuales subditos exercetur, aliam esse *fori interni*, quæ primario versatur circa solvenda, vel retinenda quoad culpam peccata; aliam *fori externi*, quæ cum versatur circa liberales concessiones, dicitur *gratiosa* seu *voluntaria*; cum exercetur in invitos, aut inter partes contradicentes, vocatur *contentiosa*. Utraque vel est *ordinaria*, quæ alicui ratione officii ipsius competit, & ab eo exercetur nomine proprio; vel *delegata*, quæ confertur alicui ab habente ordinariam: vel *subdelegata*, quæ committitur alicui ab habente delegatam cum jure subdelegandi. Jurisdictio sive ordinaria, sive delegata, vel est in aliquo *de lege communi*, scilicet secundum quod fieri solet, & expedit; vel *de lege speciali*, secundum speciale privilegium, & absolutam Ecclesiæ potestatem. His positis

Dico I. Potestas ordinaria ferendi censuras de jure communi residet I. in Summo Pontifice, quia Ordinarius est super omnes Mundi Christianos.

II. In Episcopis, quo nomine intelliguntur Archiepiscopi, & Patriarchæ, ut passim habetur tit. *De officio Judicis ordinarii*. Porro, ut Episcopus censuras ferat, satis est, ut electus sit, & a Papa confirmatus, quia ferre censuras actus est jurisdictionis, qui a simplici Clerico exerceri potest. Idem dicendum de Vicario generali, & de Abbate, qui licet necdum sint in sacris, censuras decernere possunt.

III. In Vicario Episcopi, quia unus est Episcopi, & Vicarii tribunal ex c. 2. *De consuetud.* in 6. Porro Vicarii generales cum censuras ferunt; non agunt ut delegati, sed ut Judices ordinarii.

IV. In Vicariis, aut Officialibus Capituli, cum Sedes vacat: hæc potestas in instrumento eorundem nominationis specialiter exprimi debet.

V. In Prælatis Religionum, ut sunt Abbates, Provinciales, Priores, Guardiani: sed hoc procedit de jure communi; de facto enim videndum est, quid ferant specialia Monasterii Statuta.

VI. In Conciliis generalibus erga totam Ecclesiam, & Provincialibus erga Provinciam suam.

VII. In iis, qui jura habent Episcopalia, ut Cardinales in propriis suis Titulis. Ratio est: tum quia jura his omnibus permittunt, ut censuras ferant; tum quia postulat eorum Dignitas, ut subditos suos adige-

re

re possint ad ea, quæ officii sui sunt, adimplenda, quod aliquando sine censuris fieri non potest.

Parochi vero de jure communi censuras ferre non possunt, ut docent SS. Thomas, & Bonaventura, &c. quia censuras ferre pertinet ad jurisdictionem fori contentiosi; unde & ad eas requiritur strepitus judicialis: porro simplices Curati forum contentiosum de jure communi non habent. An autem aliquando potestatem hanc habuerint Curati, alias relinquimus expendendum.

Dico II. Ut quis de lege communi potestatem ferendæ censuræ ordinariam, aut delegatam habeat, sufficit, & requiritur, ut sit rationis compos, viator, & Clericus. Ratio est, quia ferre censuras, est actus jurisdictionis spiritualis, & quidem fori externi: atqui ut talis actus exerceri legitime possit, sufficiunt, & requiruntur tres prædictæ conditiones; quilibet enim Clericus capax est jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ forte Apostolis Matth. 18. concessa est, quo tempore nondum erant Sacerdotes. Imo sunt qui velint facultatem ferendi censuras posse committi Monialibus: sed quidquid sit de jure extraordinario, quod quidam Abbatissæ Fontis-Ebraldi a Clemente VII. concessum fuisse existimant; neque conveniens, neque decens esset, ut censurarum dispositio feminis committeretur.

Facultas censuras ferendi acquiri potest: I. præscriptione, ab iis scilicet, qui aliis aliqua ratione præsunt, ut populis Parochi, Canonicis Præpositi. Porro qui facultatem excommunicandi præscripsisset, non ideo alias censuras ferre posset, quia in præscriptione non valet argumentum a simili. Ad hanc vero præscriptionem requiritur tempus 40. annorum cum titulo colorato, ut patet ex c. 15. *De præscript.* Sine titulo autem tempus immemoriale, juxta cap. 1. hoc tit. in 6.

II. Consuetudine, quia consuetudine acquiritur jurisdictio: unde olim Archidiaconi quidam per se, aut per officiales suos censuras ferebant.

III. Privilegio, quale olim Canonicis Carnotensibus concessum erat, ut nemini liceret eos, quos excommunicatione, vel interdicto ferissent, absque præmissa ab iisdem congrua satisfactione absolvere (*C.* 23. *De verb. signif.*). Ceterum nil mirum, si hisce modis comparetur potestas decernendi censuras; hæc enim reipsa tunc emanat a S. Pontifice, vel Ecclesia, quæ permittit, ut qui diu censuras tulit, aut easdem ferre consuevit, in hoc usu perseveret, ut firma, & certa sit jurisdictio ecclesiastica.

Quæres an possit quis finita sua delegatione ferre censuram, & an delegatio expiret morte delegantis.

R. ad 1. non valet censura ab eo lata, ad quem pervenit delegationis suæ revocatio, quia jam caret jurisdictione. Quod si censuram ferat antequam revocationis notitiam habere potuerit, valebit censura, nisi delegans expresse contrarium intendat; quod nisi aperte constet, nunquam præsumi debet.

R. ad 2. delegationem finiri per mortem naturalem, aut civilem delegantis, qualis est ejus captivitas, nisi res sit inchoata per citationem legitimam.

## CAPUT TERTIUM.

### *De conditionibus ad Censuram requisitis.*

EX his conditionibus aliæ requiruntur, ut censura licita sit, aliæ, ut valida. Rursus aliæ se tenent ex parte ferentis censuram, aliæ ex parte tum causæ, tum illius, in quem fertur, aliæ ex parte formalitatum, quæ in censura ferenda servari debent.

Fatentur omnes, ut quis licite censuram ferat, requiri: I. ut ab omni pravo affectu liber sit. II. ut immunis sit a censuris, iisve impedimentis, quæ, licet censuram non irritent, efficiunt tamen, ut illegitima feratur. III. ut servet formalitates, quæ licet essentiales non sint, Jure tamen præscribuntur, & de quibus infra. IV. ut peccato non ita gravi graviorem censuram non irroget: multa enim in rigore licent, quæ tamen non expediunt.

Certum est etiam, ut quis censuram valide ferat, præcipue desiderari: I. ut jurisdictionem habeat, eamque minime impeditam seu appellatione legitima, seu voluntate Superioris, seu excommunicatione majori, de qua infra.

II. Ut qui fert censuram, non ferat eam in propria causa; tum quia id *sacris regulis prohibetur* (*C.* 27. XXIII. *q.* 4.); tum quia *nullus unquam* potest *accusator simul esse & Judex, vel testis*; ex c. I. IV. q. 4. tum quia magna hic esset inæqualitas, magnaque aliis inureretur injuria, si quis pro se contra alterum statueret quidquid vellet. Licet tamen propria in causa censuris uti: I. si id fiat per modum defensionis in eum, qui violentiam infert, quia vim vi repellere licet. II. ubi causa tam publica est, ac manifesta, ut nec negari possit, nec ullo examine indigeat (*Vide Suar. disp.* 2. *sect.* 4. *n.* 8.).

Quæres an valeat censura lata ex metu gravi, qui libertatem non tollat. R. affirmat. quia actus ex metu gravi factus, jure naturali validus est, utpote qui simpliciter voluntarius sit; ergo validus manet, nisi jure positivo irritetur: atqui nullum est jus positivum, quod irritet censuras a Judice per metum coacto latas. Irritavit quidem Ecclesia absolutiones censurarum metu extortas; sed nullibi irritavit censuras ex metu prodeuntes: sive quia sæpius vis infertur ad obtinendam censuræ absolutionem, quam ad ejus irrogationem; sive quia irritatio absolutionis ex metu datæ vergit in favorem ecclesiasticæ potestatis, cujus vis enervatur, si Judex censuram, quam juste tulit, per vim auferre cogatur; non autem enervatur ecclesiastica potestas, ex eo quod Judex, supposita causæ gravitate, cogatur ferre censuras, sed magis roboratur. His præmissis, sit

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quam ob causam ferri possit censura.*

CIrca causam censuræ quatuor quærentur: I. an grave ad eam requiratur peccatum. II. an debeat esse externum. III. an consummatum. IV. an proprium.

Dico

Dico I. Ad censuram prærequiritur peccatum grave ad gravem, veniale ad leviorem.

Prob. 1. pars. Censura est pœna ecclesiastica: atqui talis pœna, ut justa sit, supponit culpam; ergo.

Prob. 2. pars. Censura pœna est, & medicina: atqui pœna culpæ, & medicina morbo proportionari debent. Unde c. 41. 11. q. 3. dicitur: *Quia anathema est æternæ mortis damnatio, nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.*

Objiciuntur duo: I. Excommunicatio minor gravissimum est malum, cum excludat a Sacramentorum participatione: atqui tamen ea incurritur ob peccatum veniale. II. si pro levi culpa non posset gravis decerni censura, peccarent Prælati, qui rem indifferentem, v. g. ne quis comam nutriat, aut tabernam ingrediatur, sub excommunicationis pœna prohibent; falsum consequens.

R. Ad 1. excommunicationem minorem pro pœna levi haberi; tum quia facile, & ab omni Sacerdote approbato auferri potest; tum quia raro admodum contrahitur, & tunc solum, cum quis communicat cum excommunicato denuntiato.

Ad 2. dico non posse Superiores rem, quæ tum in se, tum inspectis omnibus circumstantiis levis sit, præcipere, aut prohibere sub gravi censura: secus si res ea, licet alioqui in se levis, gravis fiat ob circumstantias, v. g. ratione scandali, aut periculi, ne culpa levis viam sternat ad culpam graviorem. Sic porro se habent nutritio comæ, & popinarum ingressus; quarum fuga multum conducit ad sanctiorem Cleri disciplinam, qui finis est ab Episcopis intentus.

Ex his sequitur, quoties aliquid a lege, vel ab homine vetatur, aut præcipitur sub gravioris censuræ pœna, hanc legislatoris, aut Superioris esse intentionem, ut transgressores obliget ad mortale, etiamsi alias res de se mortaliter mala non sit. Unde peccat mortaliter, qui facit aliquid prohibitum sub pœna censuræ etiam simpliciter comminatoriæ. Quis enim putet legislatorem pro re, quam ad bonum commune quasi indifferentem judicat, gravem censuram comminari?

Quæres I. an multi, qui vineam devastassent, ita ut tamen eorum nemo tot uvas abstulisset, quot ad peccatum mortale sufficerent, subjacere possint gravi censuræ, contra eos, qui non restituerent, latæ. R. affirm. idque etiamsi non uno consilio, sed independenter a se invicem, grave illud damnum intulerint; modo gravitatis ejus notitiam habeant. Ratio est, quia etsi singuli venialiter peccaverint, uvas furando, verum tamen est grave illatum fuisse damnum proximo, quod quidem reparari nequit, nisi singuli restituant.

Quæres II. an Titius, qui acum abstulit sartori, qui inde grave damnum passus est, incidat in censuram contra fures latam. R. in hac materia, in qua termini rigidi sumuntur, aliud est fur, aliud iniquus damnificator: unde si censura solum lata sit in fures Titius, cujus furtum non est nisi veniale, gravi censuræ non subjacebit, cui profecto subjaceret, si in damnificatores iniquos lata esset, quia gravis est, & iniquus damnificator,

Dico II. Probabilius est peccatum internum, ut tale, non esse censuræ materiam. Ratio est: I. quia ea tantum peccata censuris subjici possunt, de quibus Ecclesia judicare potest: atqui de internis judicare non potest Ecclesia. *Nobis*, ait Innocentius III. *datum est de manifestis tantummodo judicare*; de internis vero judicat *qui scrutator est cordium* (*c. 34. de Simon.*) Atque hinc fluxerunt hæc juris axiomata: *Non habent latentia peccata vindictam*, c. 23. XXXII. q. 5.. & *Cogitationis pœnam nemo patitur*, c. 14. dist. 1. *De pœnit.* II. quia pœna exterioris fori pro culpa solum exteriori decerni potest: atqui censura est pœna exterioris fori. III. quia censura ad eum debet modum ferri, quem indicavit Christus, cum ipsius ferendæ potestatem Ecclesiæ concessit: atqui indicavit Christus censuram pro exteriori solum culpa ferri debere; pro culpa nempe, quæ Ecclesiæ delata fuisset, aut saltem deferri posset, quamque, qui ejus reus esset, detestari nolens, ut ethnicus haberetur.

Obj. I. Qui hæretice sentiunt de aliquo fidei articulo, variis in Conciliis excommunicati sunt. Sic in Concilio Gangrensi (*Circa annum* 324.): *Si quis jejunia Ecclesiæ putaverit esse contemnenda, perfectam in sua conscientia judicans esse rationem, anathema sit.* In Concilio Toletano I. (*an.* 400.): *Si quis dixerit, vel crediderit Christum innascibilem esse, anathema sit*; ubi actus interior credendi contra exteriorem expresse distinguitur, & utrique decernitur anathema.

R. neg. ant. Et vero in Concilio Gangrensi non agitur de existimatione pure interiori, quam nunquam cognovisset Ecclesia, sed de ea, prout in actum exteriorem prodibat. Ibi nempe sermo est de Eustathianis Hæreticis, qui jejunia ab Ecclesia imperatis certa quædam a se inventa jejunia præferebant; quod sine actu exteriori non fiebat. Quod spectat ad Synodum Toletanam: I. dici potest particulam *vel* sumi pro conjunctiva *atque*, quæ in aliis ejusdem Concilii anathematismis legitur. Certe sicut ad incurrendum anathema non satis est, ut quis dicat, nisi credendo dicat, ita non satis est, ut interius credat, nisi aliquo modo credulitatem ostendat. II. dici potest hic damnari non eos solum, qui verbis, sed & eos etiam, qui factis docent, & ritibus; hoc enim est *credere* in foro, & facie Ecclesiæ. Eo sensu ibi damnantur *qui astrologiæ existimant esse credendum.*

Obj. II. Omissio pura est actus interior: atqui quædam sunt omissiones, quas sub pœna censuræ prohibet Ecclesia. Sic qui non revelat fulminato monitorio, anathemati subjacet; ergo.

R. in omissione actus debiti duo reperiri, nempe actum interiorem, qui omissionis causa est, & ipsam omissionem, quæ exterius manifestatur. Omissio in se sumta non punitur, sed prout exterius innotescit: unde si quis omittere vellet, & tamen non omitteret de facto, nullam pro mala hac voluntate censuram incurreret.

Obj. III. Ideo non posset Ecclesia contra actus mere internos censuram decernere, quia in ipsos nullam habet jurisdictionem; atqui hoc ad minus dubium

dubium est, ut patet ex dictis ubi de Legibus c. 5.

R. dist. min. Ecclesia habet jurisdictionem directivam in actus interiores, C. jurisdictionem coactivam, N. actus enim interiores sunt eatra objectum potestetis vindicetivæ, quæ, cum e Christo societati sensibili tradite fuerit, non alio, quam sensibili modo exerceri potest, edeoque in res pure insensibiles cadere nequit.

Ex his principiis quidam possunt casus resolvi: I. iteque censutas incurrit, qui eeterius, licet occulte, crimen sub censura prohibitum committit, v. g. clam legendo libros prohibitos: hoc enim peccatum non nisi per accidens occultum est, & ee nature sua hebet quod manifestum ficri possit. II. easdem censuras non incurrit, qui ponit actum quidem exterius malum, sed tamen ee caientem malitte, quæ sub censure prohibetur. Unde qui ee necessitate laborat die festa, quod vetitum est in co loco sub censure, a censura liber est: sic quoque qui exterius, sive metu, sive aliter profert hæresim, quem corde non tenet, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ. III. nec incurritur censure, si actus eeterior ab actu interiori malo procedat, modo eom non plene, sed ambigue significet. Hinc qui manducat carnes die Vaneris, quia hærctice judicat abstinentiam ab Ecclesia præcipi non potuisse, non subjacet censuræ contra Hæreticos latæ, nisi aliunde errorem suum manifestet: comestio enim cernis in die jejunii non est sufficiens hæreseos signum.

Dico III. Ad incurrendem censurem requiritur effectus completus, quem legislator intendit prohibere.

Prob. Tum quia lex non liget, nec operetur ultra intentionem legisletoris, de qua ex verbis constare solet; tum quia odia restringi decet.

Hinc I. si lata sit censure contra homicidas, qui homicidium ettentevit, sed non persecit ob impedimentum quodcumque, censuram non incurrit. Hinc II° censure sub conditione late, v. g. in eos, qui domum deprædati sunt, nisi restituant intra mensem, non nisi finito termino incurritur: incurretur temen hoc tempore, etiamsi reus forum mutet, quia per Judicis sententiam præventus est. Hinc III. si non solum actio, sed & conatus ejus sub censure prohibeatur, incurretur censura, quia actio jam completa est quantum lex requirit. Sic Perisiis reservata est sodomia, & bestialitas; *actu per se ad id ducente tentata*; unde etiam qui ad duellum provocant, illudve ecceptant, sunt ipso facto excommuniceti, etiamsi non sequatur conflictus. Hinc IV. non omnis censura ob quodlibet volunterium etiam ed mortale sufficiens incurritur: plus enim requiritur volunterii, cum lex ait: *Qui temere hoc fecerit, qui hoc ausus fuerit, qui scienter, vel ex contemtu hoc egerit, anathemate obstrictus esto*, quam cum lex iis verbis non utitur.

Dico IV. Ad excommunicetionem mejorem requiritur peccatum proprium, vel committendum, si censure sit a jure; vel jam commissum, & perseverans, si censura sit ab homine.

Prob. 1. pars, quia excommunicetio est pœna admodum gravis, & quidem de se medicinalis; ergo in innocentem, & bene valentem ferri non potest.

Prob. 2. pars, quia lex future non dirigit; ergo censure a jure fertur pro peccetis, quæ in posterum committi possent, ut cevcantur.

Prob. 3. pars, quia censura ab homine nunquam ferri potest, nisi in contumacem: etqui non est contumax, nisi qui in peccato perseverat, id est, qui præceptum sibi e Superiore factom contemnit; unde, ut dicemus infra, hujusmodi censura sine prævia monitione decerni non potest. Hinc qui officio Paschali defuit, excommunicari nequit, nisi se emendare, vel condignam satisfectionem præstere recuset.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Subjecto Censuræ.*

CErtum est I. non posse subjici censuris, nisi qui viator, baptizatus, & doli capax fuerit. Ratio est, quie ille solum censuris affici potest, in quem Ecclesie jurisdictionem habet, & quem e contumacia retrahere potest: porro talis est solus viator: mortui enim nec secundum animem subsunt Ecclesiæ foro, nec secundum corpus capaces sunt emendetionis. Aliunde vero non jodicat Ecclesia (*I. Cor.* 53.) *de iis, qui foris sunt*, quales sunt Catechumeni, & eo megis Judæi, & Infideles. Aliud est de Hæreticis, qui propter acceptum Beptismum pendent ab Ecclesia.

Quod autem solus vietor doli capax censuris subjici possit, petet, quia solus ille capax est delicti, & obligationis. Hinc absolute loquendo possunt impuberes ligari censura non solum *a jure*, ut tetentur omnes, sed etiam *ab homine*. Communiter tamen eximuntur ab excommunicatione, & a reservetione.

Certum est II. eos solum censuras incurrere posse, qui subjecti sunt ei, a quo illæ feruntur: quia ubi non est subjectio, ibi nec jurisdictio esse potest, & tamen eensura sine jurisdictione ferri nequit. Unde qui exemti sunt ab Ordinerii jurisdictione per privilegium sibi a Papa concessium, quales esse solent Reges, & Reginæ, ejusdem Ordinarii censuris non subjacent. Idem dicendum de Religiosis exemtis, qui in iis casibus, in quibus eeemti sunt, non contrahunt censuras, etiamsi Superior, qui eorum privilegie nescit, eos ferire intendat. In aliis vero casibus non minus quam ceteri censuris obnoxii sunt; quepropter si absque Episcopi licentia prædicare, secularium Confessiones excipere, absolvere e casibus reservatis præsumant, &c. censuris Episcopi subjacebunt.

Quæres, an Superioris sui censure ligetur subditus, qui elieno in territorio, vel in loco exemto versatur.

R. I. Subditus, qui in proprio Episcopi sui territorio deliquit, censuris ejusdem ligetur, etiamsi in alienum territorium fugerit. Ratio est, quie si homo ille plecti non posset in territorio, in quo peccevit, crimen ejus maneret impunitum; cum plecti non possit in alieno territorio, ad quod confugit, & ubi nihil admisit, quod censura puniri possit, ut nunc

nunc supponimus; sicque jurisdictio ecclesiastica sæpius eluderetur. Hinc si Parisiis ipso facto incurreretur excommunicatio ab homicida, qui vulnus letale infligeret Titio, & statim in Diœcesim Carnotensem avolaret, censuram contraheret, quo instanti mors ex vulnere sequeretur. Et id verum est, etiamsi letaliter vulneratus Parisiis in aliam transferatur Diœcesim, ibique moriatur ex vulnera: quia homicidium, non quidem quoad effectum, sed quoad actionem externam consummatum est in loco, ubi sub censura prohibitum erat. Eadem de causa qui Petrum letaliter vulneravit in Ecclesia, incurrit censuram latam contra eos, qui occidunt in Ecclesia, etiamsi Petrus in domo sua mortuus sit. A contrario qui in Ecclesia positus hominem catra ipsam explosa catapulta interimit, non incurrit censuram contra eos latam, qui in Ecclesia occidunt, quam incurreret, si extra Ecclesiam positus eum occideret, qui erat in Ecclesia. Ratio est, quia delictum prioris consummatur catra Ecclesiam, posterioris vero intra.

R. II. subditos, qui catra territorium Episcopi sui delinquunt, censuris per ejus statuta latis non subjacere. Patet id ex c. 2. *De Constitut.* in 6., ubi sic: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune*, id est, cum maneat impunitus qui non paret, seu qui legem transgreditur, &c.

Hæc secunda responsio non impedit: I. quominus Religiosi, ubicunque contra Superiorum suorum Statuta deliquerint, censuras ab iis latas contrahant, quia Religiosi, licet quoad missionem limites habeant, non habent tamen quoad jurisdictionem, cum mundum habeant pro territorio. II. quominus qui in Beneficio non resident, censuris contra absentes latis ligentur; quia in proprio suo territorio sunt fictione juris, secundum quam censetur quis peccare eo in loco, ubi non facit id, quod ibidem facere debet.

Quæres II. an extraneus, qui in alieno territorio deliquit, ibidem possit censuras incurrere.

R. I. Extraneus in alieno territorio delinquens contra jus naturale, aut commune, potest subjici censuræ, nisi satisfecerit. Ratio est, quia ex cap. ult. *De foro competenti* sortitur forum ratione delicti; ergo quandiu in illa Diœcesi remanet, legitime citari potest ab Episcopo loci, & compelli ad satisfaciendum parti læsæ, & si contumax sit, etiam excommunicari.

R. II. Extranei, vagi etiam, & errantes ligari videntur censura per loci statutum lata: ita multi contra multos. Ratio est, I. quia tutior est, & probabilior opinio, quæ docet, extraneos teneri legibus locorum, in quibus vivunt: porro qui tenentur legibus, subjacent censuris, quæ harumce legum violationi annexæ sunt, licet ob earumdem ignorantiam facilius quam loci incolæ a censura immunes judicari possint. II. quia statutum, cui annexa non esset censura, haud tamen violari posset sine peccato; utique enim peccaret, qui in speciali loci alicujus jejunio carnibus vesceretur; ergo statutum illud per se obligat, adeoque si huic annexa sit censura, eam a transgressoribus incurri necessum erit.

Si tamen nolit Superior, ut extranei, qui in territorio suo versantur, sine animo ibidem per sex, aut amplius menses commorandi, censuris a se latis subjaceant; (quod quidem de iis constare videtur, qui opinionem nostræ contrariam scientes, & approbantes in Seminariis suis doceri permittunt); tunc dicendum extraneos hisce censuris non subjacere, quia censuræ non operantur ultra ferentis intentionem.

R. III. Censura, si feratur per modum sententiæ, v. g. *Excommunicatus sit ipso facto, qui notitiam habet talis furti, nisi revelet*, non ligat eos, qui territorium nondum ingressi erant, quo tempore lata est. Ratio est, quia talis sententia fertur per modum præcepti transeuntis: porro præceptum transiens non cadit nisi in eos, qui actu præsentes sunt.

Quod spectat ad extraneos, qui jam in Diœcesi essent, cum talis fertur sententia, credimus eos, si sat diu ibidem morentur, ut commoda revelare possint, ad revelandum teneri sub censura: aliud esset de iis, qui quasi cursim transeunt, quia repugnat communis opinio, a qua sine gravibus causis recedendum non est (*Gibert. pag.* 389.).

Quæres III. an qui mandant, aut consulunt crimen, subjaceant censuræ latæ contra ejusdem executores?

R. I. eos non subjici huic censuræ, nisi explicite, vel implicite in lege contineantur. Quia in pœnalibus, ut sunt censuræ, stricta debet interpretatio fieri, nec ab uno ad aliud valet illatio; ergo cum is, qui aliquid fieri mandat, aut consulit, non dicatur stricte & proprie illud exequi, pœna in unum lata, non statim ad alium extendenda est.

Quod si censura his, aut similibus feratur verbis *Quicunque fuerit causa talis delicti, qui mediate, vel immediate, qui per se, vel per alium fecerit, sit excommunicatus*; tunc satis exprimuntur mandans, & consulens, ut censuram contraxisse judicentur.

R. II. Mandantes, etiam in lege contenti non incurrunt censuram, cum in effectum non influunt, nisi censura feratur adversus mandantes, independenter ab effectu. Ratio est, quia mandans, qui in effectum non influit, non est causa operis prohibiti sub censura, ut patet ex terminis; ergo non incurrit censuram, nisi hæc lata sit primario contra mandantes, ita ut ei vel solo mandato obnoxii fiant, sicut c. 1. *De homic.* in 6. excommunicatur *ipso facto* qui *quempiam Christianorum per assassinos non solum interfici fecerit*, sed etiam *mandaverit, quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur*.

Hinc liber est a censura, I. qui mandatum revocavit, modo sufficienter revocaverit, & revocatio innotuerit mandatario: si enim non innotuerit, communior opinio tenet mandantem ligari censura. II. qui bono animo consulit aliquid mali, ut alium retraheret ab inferendo majori malo, puta qui volenti Clericum occidere, suasit, ut solum percuteret; talis enim non influit culpabiliter in effectum sub censura prohibitum. Contra vero censuræ obnoxius erit consulens, qui malo consilio in effectum influxerit, ad quod sufficit ut

homi-

hominis jam ad crimen determinati voluntatem auxerit, eumque impulerit, ut citius, ardentius, & immobilius crimen exequeretur. Et hoc quidem cognosci potest, tum ea confessu illius, qui consilium accepit, si ramen dignus sit fide; tum ex conjecturis, ut si criminis patrator jam omnia ad delictum necessaria parasset, nec ejus esset indolis, ut verbis meis moveretur.

Quæres IV. an, & quatenus idem homo possit pluribus censuris ligari?

R. I. posse eundem pluribus subjacere censuris ejusdem, vel diversæ speciei. Ratio est, quia qui jam censura irretitus est, potest vel eamdem, vel diversam transgredi legem, cujus violationi alia annexa sit censura; ergo potest plures incurrere censuras. Unde si constet Titium *ob duplicem causam excommunicatum fuisse & expressisse tantum unam in literis, quas super absolutione sua impetravit*, semper habendus est pro excommunicato, donec secundam ab altera censura absolutionem obtinuerit. ( C. 27. *De* sent. exc. )

R. II. multiplicari censuras, prout moraliter multiplicantur numerice, aut specifice transgressiones: quia unicuique transgressioni completæ sua alligatur censura.

Hinc I. qui Clericum sæpius percutit sine interruptione morali, unicam incurrit censuram; quia percussio, ut & furtum, cum certam, & definitam extensionem non habeat, non censetur moraliter perfici uno aut altero actu, sed tandiu eadem numero reputatur, donec moraliter discontinuetur. Contra vero qui sæpius, etiam sine interruptione, fornicaretur cum eadem, plures contraheret censuras, quia fornicatio terminum habet definitum, in quo consummatur, & qui proinde plures poni nequit, quin plura numero peccata ponantur.

Hinc II. qui uno ictu tres occidit Clericos, tres incurrit censuras; duas vero qui furatur in Ecclesia, si censura lata sit in fures, & in sacrilegos. Ratio est, quia in occisione trium, triplex numero scelus; in furto autem rei sacræ duplex specie crimen occurrit. Eadem de causa percutiens eum, qui simul Monachus est, & Sacerdos, duabus irretitur censuris: quia duas violat leges, aliam, qua præcipitur reverentia debita statui clericali, aliam, qua præcipitur reverentia statui religioso debita; alia enim est Clerici, alia Religiosi consecratio.

R. III. Qui facit actum ab eodem, vel a pluribus Superioribus eamdem habentibus potestatem pluries prohibitum, non incurrit plures censuras. Ratio est, quia censuræ non multiplicantur, nisi multiplicetur contumacia: contumacia vero non multiplicatur, nisi multiplicentur actus, vel leges leges vero non multiplicantur, nisi nova imponantur jura: porro idem Superior, aut plures ejusdem ordinis Superiores nova non imponunt jura, sed unam eamdemque legem constituere censentur.

Quæres V. an valeat censura in totam Communitatem, Collegium, aut Civitatem indistincte lata.

R. Censura gravis, qualis est excommunicatio, *in Universitatem, vel Collegium proferri* non potest; id enim vetuit Innocentius IV. quia *nonnunquam contingeret innoxios hac sententia irretiri*. Quod si objicias Communitatem totam ob alicujus delictum suspendi, aut interdici posse; ergo etiam & excommunicari: respondet S. Thomas, ( *In Addit. q.* 22. *a.* 3. *ad* 2. ) *quod suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati, unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum Regnum ponitur sub interdicto pro peccato Regis; & ideo non est simile de excommunicatione, & suspensione*. Imo suspensio hæc quædam est delinquentium pœna, qua ad bonum revocantur, videntes etiam innoxios propter se gravari.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De forma censuræ.*

FOrma censuræ sunt ritus essentiales, aut accidentales, qui in ferenda censura servari debent. Ex iis alii præcedunt censuram, ut monitiones; alii comitantur, ut signa, quæ censuram exprimunt; alii subsequuntur, ut denuntiatio. De iis seorsim agendum.

### SECTIO PRIMA.

*An ad Censuras prærequiratur monitio.*

MOnitio est declaratio a Superiore facta, quod qui tali legi, vel sententiæ non obedierit, talem pœnam incurrat, vel incurrere mereatur. Si Superior moneat per ipsam legem, monitio vocatur *solemnis*. Si moneat per sententiam, seu nominatim, seu non expresso nomine, ut fit in Monitoriis, tunc vel omnes servat juris formalitates, & monitio vocatur *canonica*; vel easdem non servat, & monitio vocatur *non canonica*.

Certum est in censuris, quæ ipso facto a jure, vel statuto decernuntur pro peccatis futuris, semper reperiri idoneam monitionem: quia jus ipsum satis admonet: lex enim semper clamat. In his ergo casibus nulla monitio ab ipsa lege distincta requiritur, nisi lex novam monitionem præscribat, ut in Clem. unic. *De statu Monach.* excommunicantur ipso facto qui visitationes impedire præsumunt, nisi moniti resipiscant.

Tota ergo, quæ hic movetur difficultas, ad duo hæc reducitur: I. an censura, quæ fertur per modum sententiæ pro delicto præterito, decerni possit ipso facto incurrenda sine prævia admonitione; v. g. an valeat hæc sententia: *Excommunicamus tot, qui habitum sexus sui mutaverunt*; an vero dicendum sit: *Excommunicamus prædictos, nisi condigne satisfaciant*. II. an cum lex censuram ipso facto non infligit, sed comminatur, possit censura ferri sine nova monitione. Sit

CONCLUSIO I. Ad censuras, quæ pro delictis præteritis feruntur, essentialiter requiritur monitio; non tamen canonica.

Prob. 1. pars. Ille ritus in ferendis censuris servari debet, quem præcipiunt, aut graviter insinuant Scripturæ sacræ: atqui talis est monitionum usus. Nam Matth. 18. ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*, & ad Titum 3. ait S. Paulus: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correctionem devita*: atqui ii textus clare insinuant, eos solum sicut

 ethni-

ethnicos haberi debere, qui ab Ecclesia moniti, eidem parere detrectant; imo hic præceptum verum saltem aliquo sensu agnovit antiquitas, ut patet ex Concilio Rothomagensi an. 1118. ubi sic: *Statuimus ut qui decimas dare recusant, secundum Domini præceptum admoneantur semel, secundo, & tertio: qui si non emendaverint, anathematis vinculo feriantur.* ( C. 5. XVI. q. 7. )

Prob. II. ratione fundamentali, quam præbet Concilium Meldense his verbis: *Anathema est æternæ mortis damnatio; & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non poterit corrigi.* ( C. 41. XI. q. 3. ) Unde sic: Ut quis censura feriatur, oportet eum adeo contumacem esse, ut aliter non possit corrigi: atqui seclusa monitione nemo potest censeri ita contumax, & inemendabilis. Ille enim solum omnino contumax, & aliter inemendabilis judicari potest, cujus ad sanationem Ecclesia omnia, quæ penes se habet, remedia adhibuit; quique ita Ecclesiam spernit, ut ipsi obedire renuat: atqui cum Ecclesia nondum aliquem monuit, nec omnia adhibuit remedia, quæ penes se habet, nec ille ita Ecclesiam contempsit, ut eam audire renuat; onde sperari adhuc, & reipsa fieri potest, ut suaviter ac fortiter monitus ad obsequium revertatur, sicut tot aliis contigit; ergo. Quod hic dictum est de monitione anathemati præmittenda, valet pro aliis censuris: nam c. 26. *De appellat.* requiritur monitio ad suspensionem; ad interdictum vero eadem præcipitur c. 13. *De sent. excom.* in 6.

Confirm. Censura est pœna medicinalis per se directa ad eruendum hominem e statu peccati; unde essentialiter discrepat a pœnis puris, quæ vindictæ rationem habent: atqui si valeret censura sine monitione, jam non esset pœna medicinalis eo quo exposuimus sensu, sed esset pœna ut aliæ pœnæ: imo primario esset in vindictam, & per accidens solum tenderet ad eruendum hominem e statu suo; quandoquidem valide decerneretur contra eum, qui jam resipuisset; ergo.

Prob. 2. pars. Monitio canonica ea est, quæ fit tribus vicibus distinctis, vel una saltem, sed expresso quod pro tribus valitura sit: atqui talis monitio necessaria quidem est, ut censura juste & licita feratur, non autem ut valide: unde censura, quæ aliter fertur, sæpius dicitur injusta, nullibi vero invalida; ergo.

Posset tamen invalida esse censura defectu canonicæ monitionis, si ita jure constitutum esset. Sic ex Decreto Bonifacii VIII. c. 43. eodem tit. in 6. nullæ sunt excommunicationis majoris, suspensionis & interdicti sententiæ latæ contra *participantes excommunicatis ea participatione, quæ solum minorem* excommunicationem *inducit*, si decernantur *monitione canonica non præmissa*. Invalida etiam foret excommunicatio a delegato lata sine monitione canonica, si delegans eandem monitionem fieri imperasset, quia delegatus nihil potest ultra intentionem delegantis.

Obj. I. Si ad censuræ validitatem requiratur monitio, vel jure divino, vel ecclesiastico: atqui neutrum dici potest. Non 1. stando enim juri divino, non magis requiritur una monitio, quam trina; quæ tamen non requiritur jure divino. Non 2. quia suffragia Ecclesiæ applicantur Fidelibus ex speciali Ecclesiæ dispositione; ergo si quem iis privari volet Ecclesia, is illico privatus erit.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. & dico monitionem divino, & ecclesiastico jure requiri, quia utroque requiritur contumacia; haud tamen requiri monitionem trinam, quia trinam non expressit Christus ut essentialem, quod satis patet ex Ecclesiæ interpretatione.

Ad id, quod additur, dico Ecclesiam disponere quidem de suffragiis publicis, sed juxta formam a Christo, a Traditione, & a Canonibus præscriptam; unde fit, ut iis privare non possit, nisi in casibus sibi concessis: porro non concessum est Ecclesiæ, ut quemquam iis bonis privet, nisi contumacem.

Obj. II. Theodosius a S. Ambrosio rite excommunicatus est, & tamen sine prævius monitionibus.

R. I. ex Ambrosii erga Theodosium agendi ratione nihil posse colligi, quandoquidem quod eum a sacris abegit mysteriis, hoc Deo divinitus admonente fecit, ut ipse testatur Epist. 51. Deus autem in legibus & humanis, & divinis positivis dispensare potest.

R. II. Theodosium non subjacuisse excommunicationi prout nunc sumitur, sed partiali cuidam, cui obnoxii erant publice pœnitentes, ( & huic quidem nec omnino subditus [illegible] Deus, ait S. Augustinus Serm. 392. *ut* [illegible] *in conspectu populi.* Et [illegible] c. 26. [illegible] *stica coercitus disciplina* [illegible] *pro illo populus orans fleret*.

De celebri, & difficili cap. 26. *De appellat.* vide fusiorem nostram Theologiam p. 69. Tom. IV.

Hic nota, magnum esse discrimen excommunicationem inter & alias censuras: excommunicatio enim nunquam ferri potest, nisi ut pœna medicinalis, adeoque semper supponit contumaciam: at vero suspensio, & interdictum aliquando feruntur per modum pœnæ puræ, & tunc non requirunt contumaciam, quia pœna simplex non tam ordinatur ad resipiscentiam peccatoris, quam ad punitionem peccati, unde & infligitur pro peccato absolute præterito. Ratio discriminis sumitur ex gravitate excommunicationis, quæ ultimum est Ecclesiæ remedium, adeoque nonnisi in contumaces adhiberi potest.

CONCLUSIO II. Probabilius videtur monitionem non esse necessariam, ut actu feratur censura contra eum qui violavit legem censuræ comminatoriam.

Prob. Ibi non requiritur nova monitio, ubi sufficiens reperitur admonitio ex parte Judicis, & sufficiens contumacia ex parte delinquentis: atqui ubi præcedit lex, quæ censuram comminatur: I. reperitur monitio sufficiens ex parte Superioris: tum quia sufficienter admonitus est, qui legem, & pœnam lege statutam cognoscit; tum quia secunda monitio nihil operari potest quod non abunde præstiterit prima, & continua legis comminatoriæ monitio. II. reperitur sufficiens contumacia; satis enim contumax est, qui a lege continuo monitus, eidem non obtemperat.

Obj. Censura, quam lex minatur, de facto non fertur a lege, sed ab homine; ergo debet præviam habere monitionem ab homine. Prob. conseq. Non potest

test quis a lege excommunicari ipso facto, nisi ob spretam legis monitionem, unde oriatur contumacia contra legem; ergo nec potest quis excommunicari ab homine, nisi ob spretam hominis monitionem, unde oriatur contumacia contra hominem.

R. neg. utramque conseq. Sicut enim spreta lege, quæ censuram ipso facto incurrendam declarat, satis spernitur legislator, neque nova opus est monitione, ut quis contra eum contumax esse intelligatur; ita spreta lege, quæ censuram comminatur, satis spernitur persona illius, qui legem tulit.

Fatendum tamen satius esse, ut Judex in hoc casu monitionem saltem unam præmittat; quia hæc agendi ratio suavior est, & charitati consentanea magis. Licet autem monitio possit tunc absolute omitti, necessaria tamen est personæ delinquentis citatio, cui etiam aliquid temporis concedendum est, ut se defendere possit: neque enim puniri potest, nisi qui erit vera confessus est, aut confiteri renuens, convictus fuit. Interim Judex citationem omittens, non subjicet pœnis impositis contra eos, qui monitiones omittunt, quia pœnæ non sunt amplandæ.

Ceterum necessitas monitiones præmittendi censuris pro præterito delicto, etiam locum habet: I. in Prælatis Religiosis erga inferiores suos; & in Episcopis, qui nonnisi in sui defensionem censuram ferrent. II. cum reus coram ipso Judice, antequam moneretur, declaravit se nunquam eile obediturum; quia seclusa monitione, esset quidem talis reus contra Superiorem contumax, non contra censuram. III. cum agitur de iteranda censura. Hinc qui jam excommunicatus est a jure propter Clerici percussionem, non potest iterum propter idem scelus ab homine censura plecti, nisi ante fuerit monitus. Duplex enim pœna duplicem requirit culpam, & duplici censuræ duplex respondere debet contumacia.

Ut intelligantur cetera, quæ huc referuntur,

Quæres I. quomodo fieri debeat monitio?

R. eam, ut sit canonica, debere tribus vicibus, vel una saltem vice pro tribus fieri, expresso quod hæc pro tribus valitura sit. Dixi, vel *una saltem vice pro tribus*; nam c. 9. *De sent. excom.* in 6. sic habetur: *Statuimus, ut inter monitiones, quas statuunt jura præmitti, Judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla, nisi facti necessitas aliter ea suaserit moderanda.* Ex quo aapite patet aliquot, adeoque duorum saltem dierum intervallo, monitiones censuram præcedere debere. Sic in monitoriis, quæ veræ sunt monitiones, non profertur excommunicatio, nisi aliquot ab ultima promulgatione dies effluxerint: hæc tamen pendent a circumstantiis; fieri enim potest nonnunquam, ut periculum sit in mora etiam breviore, puta si Clericus ad supplicium raperetur; vel excitatæ in Ecclesia turbæ statim coerceri deberent.

Quæres II. utrum monitio debeat esse personalis?

R. Vel persona, cui parantur censuræ, cognita est, vel non. Si cognita non sit, ut contingit in literis monitorialibus, satis est, si monitio fiat in loco publico, unde ad delinquentium notitiam pervenire possit, v. g. in Pronao, ut fit in Gallia. Si vero reus a Judice cognitus sit, tunc monitio personaliter facienda est; ne in re gravissima innocens pro sonte, vel non contumax pro contumaci puniatur: fieri enim posset, ut monitio domicilio facta ad aures nocentis non deveniret.

Excipe I. si reus dolo latitet: quia tamen non præsumitur dolus, nisi probetur, res tota seria a Judice perpendi debet. II. si reus jam semel nominatim citatus fuerit. III. si monitio ad domum facta, ab eo cognita fuerit. IV. si denuo subjiciatur censuræ, quia male absolutus est. V. *si propter appellati, aut suorum metum, vel potentiam intimatio fieri nequeat*: tunc enim ex Clementina 3. *De elect.* satis est, ut monitio fiat in loco publico, vel Ecclesia, unde *ad appellati, seu procuratoris ejus notitiam possit verisimiliter pervenire*.

Quæres III. an etiam exprimi debeat Superior, & pœna, quam parat, & nomen illius, contra quem agitur.

R. I. monitionem fieri debere nomine Judicis; quia non censetur quis contumax, nisi cognoscat imperium Superioris, & Superiorem, cui parendum est. Si monitio fiat in alicujus privati bonum, ut vulgo contingit in monitoriis, fieri quoque debet ad hujus privati instantiam, si vero fiat propter bonum commune, tunc ut ex officio suo procedit Superior, sic nomine suo & monere, & citare potest.

R. II. exprimi debere saltem in genere censuram: neque enim alioqui foret vera contra censuram contumacia. Haud tamen necesse est, ut monitio hanc in specie censuram exprimat; cum is sufficienter sit contumax, qui non paret post indictam sibi in genere censuram: tum deinde Judicis erit eam decernere, quæ contumaciæ reprimendæ idonea magis videbitur.

R. III. eos, qui monentur, nominatim exprimi debere, ex c. 9. *De sent. excom.* in 6. nominatim vero monetur, cujus vel proprium nomen, vel certi, unde se agnoscere queat, characteres exprimuntur. Si agatur de Universitate, quæ tota excommunicari nequit, singuli nominatim moneri debent. In interdicto, quod propter noxam unius in Universitatem totam cadere potest, satis est, ut ii moneantur, qui sunt contumaces, & interdicto causam præbuere.

Quæres IV. an monitio in scriptis, an cum testibus, & per quos fieri debeat.

R. ad 1. scripturam ad monitiones necessariam non esse, quia hoc nulla lege requiritur.

R. ad 2. monitionem fieri debere *personis præsentibus idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio* (*Cap.* 18. *De sent. exc.*): idque sub pœna interdicti ab *ingressu Ecclesiæ per mensem unum.* Et id verum est etiamsi monitio fiat in scriptis; quia jus sine exceptione loquitur.

R. ad 3. hunc esse apud nos usum, ut monitiones partibus monendis intimentur per Apparitorem regium, qui monitionis exemplar iisdem tradat. Aliquando etiam monitiones Episcopi nomine fiunt ab Ecclesiasticis: ii porro partem monitam interpellare debent, ut chirographum apponat suum; quæ si renuat, denegationis hujus facient mentionem; tum omnibus in acta relatis, suaque, & testium apposita subscriptione, sci

 totius

totius *exemplum* ei, quem monitum venere, committent.

Hic duo notanda: I. harumce formalitatum defectu sententiam non fore invalidam, quia nullibi irritatur in jure: imo c. 48. *De sent. excom.* supponitur valida. II. Episcopos, qui eas omitterent, non ideo interdicto obnoxios fore, quia c. 4. *De sent. excom.* in 6. statutum est, ut Episcopi in nullo *casu interdicti, vel suspensionis pœnam incurrant ipso facto.... nisi de* ipsis *expressa mentio habeatur.*

## SECTIO SECUNDA.

*De iis, quæ Censuram comitantur, & sequuntur.*

CErtum est I. censuras, ut prosint, ferri debere modo, qui sensibilis sit. II. jus nullibi determinare verba, quibus eædem censuræ ferantur; unde sive dicas, *Excommunico te*, sive *Separo te a communione*, censura valida est. III. in censuris latæ sententiæ pro præsenti, aut pro futuro requiri verba, quæ determinate explicent intentionem Superioris: quia nosse debet qui ligatus est, an omnimode, an partialiter tantum ligatus sit. Dico in censuris latæ sententiæ; quia certum est IV. posse Superiorem censuras comminari non exprimendo quas de facto illaturus sit. Jam quæritur, an censura ab homine in scriptis proferri debeat, circa quod

R. I. *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero*, seu, ut ajunt copiam *hujusmodi scripturæ teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus.... & hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis volumus observari*, ait Innoc. IV. in Concilio Lugdun. (*C. Cum medicinalis* 1. *De sent. excom. in 6.*).

Hic duo notanda: I. non requiri ut scriptura hæc fide publici Notarii, testibusque, & sigillo authentico munita sit, quia hoc jus non requirit. Censet tamen Suares unum ex his requiri, quia alioqui Judex juridice probare non posset se sententiam tulisse, quod tamen intendit citatus Canon. II. causam, ob quam fertur censura, in specie scribendam esse: unde satis non fuerit si dicat Judex, *Excommunico Petrum ob contumaciam*, vel *rationabili causa motus*; sed delicti species singulariter exprimi debet.

R. II. Qui formalitates in citato capite *Cum medicinalis* expressas non servat, mortaliter peccat, & pœnis ibidem expressis subjacet, nisi sit Episcopus, aut legitimam habeat aliter agendi causam. Ratio est, quia qui præscriptas citato capite formalitates non servat, omittit legem, quæ est in materia gravi, quæque justissime sancita est, tum propter reum, qui facilius novit quam debeat culpam emendare, vel qui facilius tueri se potest, si innocens sit; tum propter Judicem, ut cautior sit in ferenda sententia cujus rationem scripto redditurus est, quæque omnium oculis subjici poterit. Et vero ibidem statuitur suspensio *per mensem unum ab ingressu Ecclesiæ, & divinis officiis*, contra Judicem, qui legis hujus *temerarius violator extiterit*: porro pœna tam gravis probat peccatum transgressoris fuisse gravissimum.

Has tamen pœnas non incurrerent: I. Episcopi legis prædictæ violatores, quia, ut dixi, Episcopi non subjacent hisce pœnis, nisi quando de ipsis expressa mentio habetur. II. nec Prælati Religionum, quibus licentia ferendi censuras sine scripto concessa est speciali privilegio Romani Pontificis, qui solus in jure communi dispensare potest. Incurrerent vero alii Regulares Prælati, quia caput *Cum medicinalis* absolute loquitur; nec aliunde debent Regulares quasi ad libitum graves ferre censuras. Incurrerent etiam ii omnes, qui sententiam etiam invalidam ferrent, quia citato capite non ponitur per se & primario prolatio censuræ invalidæ, sed omissio modi præscripti. Imo & incurrere viderentur, qui ea bona aliqua fide censuram sine scripto ferrent (*Cypr. c. 13.*): quia ignorantia ejus, quod ad proprium officium pertinet, non excusat, & licet temerarius dicatur in jure, qui ex dolo agit, temerarius quoque dici potest, qui præcipitanter agit, nec sciens, nec satis scire volens quo debeat modo procedere. Si tamen ea hic occurreret bona fides, quæ peccatum mortale tolleret, non incurrerentur eædem pœnæ, quæ cum graves sint, non nisi ob grave peccatum incurri possunt.

R. III. Censura sine prædictis scripturæ, vel expressæ causæ formalitatibus lata, non esset invalida; sed statim *& sine difficultate* a Superiore Judicis relaxanda, prout eodem capite præcipitur.

Censuram sequitur denuntiatio, hoc est, publicatio censuræ, qua quis ligatus est, sive per sententiam Judicis, sive a jure: sed ante denuntiationem juridicam censuræ a jure latæ, præcedere debet sententia, per quam Judex juridice declaret aliquem esse talis criminis reum, unde fit, ut contraxerit censuram ex quo crimen admisit.

Ut autem feratur declaratoria hæc sententia, necesse est, ut reus citetur, & audiatur; *sententia enim contra eum lata, qui nullo modo citatus fuit, nulla est ipso jure* (*Cabassut. L. 5. c. 10.*); idque in crimine etiam notorio locum habet; forte enim qui criminis postulatur, factum negabit: aut negabit se cum advertentia, aut sine necessitate, vel licentia operatum esse.

Circa denuntiationem quæritur: I. an necessario facienda sit. II. a quo fieri debeat. III. quinam in ea facienda ritus debeant usurpari. Qua de re

Dico I. Judex aliquando tenetur ad denuntiationem censuræ.

Prob. ex c. 20. xi. q. 3. *Curæ sit omnibus Episcopis excommunicatorum nomina, tam Episcopis vicinis, quam suis Parochianis pariter indicare, eaque in celebri loco posita præ foribus Ecclesiæ, cunctis convenientibus inculcare, quatenus in utraque diligentia, & excommunicatis ubique ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur.* Etsi porro verba hæc *Curæ sit* non inducant rigorosam denuntiationis obligationem; tunc saltem eam induci patet, cum necessaria est denuntiatio, ut quis per confusionem retrahatur a contumacia; ut per segregationem a Fidelibus desinat esse iisdem petra scandali; ut damnum illatum resarciat.

Hæc denuntiatio locum habet etiam in censuris ab ho-

homine: neque enim satis est, ut Judex pro tribunali suo publice coram partibus sententiam tulerit, sed sententiam hanc vel locis publicis affigi, vel coram frequenti populo secundum locorum consuetudinem promulgari necesse est.

Dico II. Judex non tenetur semper ad denuntiationem faciendam; imo tenetur aliquando ad non faciendam.

Prob. 1. pars; quia caput *Curæ sit* non importat strictum præcepti genus; & aliunde fieri potest, ut ex variis circumstantiis judicetur plus e denuntiatione secuturum mali, quam utilitatis.

Prob. 2. pars; quia non licet Judici ad denuntiationem procedere, si reus congruam offerat satisfactionem; tunc enim infamia ejus augeretur contra Ecclesiæ mentem, quæ est salus sontis, & satisfactio condigna.

Quæres, an Parochus, vel quilibet alius accepto a Superioribus mandato de facienda alicujus excommunicationis denuntiatione, possit eam omittere omnino, aut saltem differre. De quæstione hac, quam gravis esse momenti apud omnes constat, hæc statuunt saniores Theologi.

I. Executor seu delegatus qui certo scit sententiam (*Coll. Andeg. ibid.*) manifeste injustam esse, eandem nec potest, nec debet executioni mandare: quia talis sententia utpote evidenter falsa, ob violatum ordinem, qui servari essentialiter debet, non posset denuntiari sine mendacio & injuria gravi, per quam non excommunicatus pro excommunicato, & insons pro sonte haberetur.

II. Si executori constet sententiam, licet in rei veritate injustam, eo quod v. g. lata sit contra eum, quem privata scientia insontem esse novit, secundum allegata tamen & probata justam esse, potest, inquiunt, & debet idem executor Superiori parere, & eam denuntiare. Probant tum quia casum hunc solvisse videtur Innocentius III. his verbis: *Etsi sciat* (*C.* 18. *De offic. Jud. deleg.*) executor *sententiam*, quæ sibi a Superiore exequenda committitur, esse *injustam, exequi nihilominus tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit, ut ab hoc onere ipsum absolvat*: tum quia Judici justitiæ ordinem servanti, & consequenter juste imperanti parendum est: alioqui occurreret bellum ex utraque parte justum. Judex enim delegatum juste cogeret ut sententiam exequeretur, delegatus vero juste etiam parere recusaret: atqui tunc servatus est, ut supponitur, ordo justitiæ, unde & justum est Superioris imperium; ergo.

III. Si sententia sit formaliter injusta, id est, lata contra ordinem substantialem juris, & id ignoret ille, cui ejus exequendæ provincia demandatur, vel etiam de eo dubitet, tunc in utroque casu quantumvis noverit privata scientia sententiam materialiter injustam esse, Judici parere debet, juxta laudatos supra Theologos. Probant id I. ex Innocentio III. ubi sic: *Attendentes quod non cognitio, sed executio demandatur eidem*; quæ indicant delegati non esse, ut acta processus examinet, sed ut exequatur imperium Superioris. II. quia inferior quoties ei certo non constat mandatum Superioris injustum esse, in ejusdem Superioris favorem judicare debet; atqui tunc nec certo constat, nec certo constare potest, mandatum Superioris iniquum esse.

Notant tamen idem Doctores: I. delegatum hunc debere ad Superiorem recurrere, ut ei rei totius veritatem indicet, aut saltem, ut a denuntiationis onere per eum eximetur. (*Eveillon. pag.* 394.) Unde plurimum culpandi sunt Officiales, & alii, qui invehuntur in Parochos, quasi minus reverenter agant, dum non festinant ipsorum promulgare censuras, quas quidem Parochi, qui sæpe propioribus oculis res intuentur, per fraudem, & calumniam in factis, extortas a deceptis Judicibus esse norunt. Longe æquior, ac sanctior fuit Alexandri III. agendi ratio, ut patet ex cap. 5. *De rescriptis*, ubi ait *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione subjectum*.

II. Eundem delegatum, si sufficienter noverit sententiam secundum allegata, & probata esse injustam; puta quia condemnatur ut nocens, qui revera in processu litis non probatur nocens, tunc non posse eandem sententiam exequi. Ratio sumitur a contrario: ideo enim supra dictum est delegatum posse exequi sententiam contra innocentem, quia hæc vel cognoscitur, vel saltem præsumitur esse justa secundum allegata, & probata: atqui in præsenti casu sententia non modo injusta est, sed injusta esse cognoscitur per scientiam publicam, quæ ex ipso processu, & probationibus desumitur; ergo.

Dico III. Si censura sit ab homine, denuntiatio pertinet ad Judicem, qui sententiam tulit, nisi ipse committat alteri curam ejusdem denuntiationis faciendæ.

Prob. quia Judex jus habet sententiam suam vel per se, vel per alium exequendi. Idem dicendum quando contracta est excommunicatio ex violatione statuti Episcopalis. Si autem censura sit a jure communi, tunc denuntiatio fieri debet auctoritate illius, in cujus territorio reus deliquerit.

Denuntiatio vel fit non expresso personarum nomine, ut in sententiis, quæ ad monitoriorum executionem promulgantur; & hæc denuntiatio licet prohibere nequeat, quominus Fideles cum excommunicato communicent, quia tunc latet quis excommunicatus sit, efficit tamen, ut noverit qui reus est, se in excommunicationem incidisse, adeoque monet, ut quam primum poterit, absolvi curet. At denuntiatio, quæ fit designatis nomine proprio, aut per distinctivos characteres personis, efficit, ut vitentur excommunicati, & ut cogi possint ad abstinendum rebus sibi interdictis: neutra autem denuntiatio ab alio fieri potest, quam a Superiore habente jurisdictionem circa denuntiandum, aut ab ejusdem Superioris delegato, quantumvis notorium supponatur denuntiandi hominis crimen: ut enim in civilibus non licet unicuique reum etiam notorium punire, sic nec in spiritualibus: denuntiatio autem quædam est pœna infamans.

Ceterum, ex recepto nunc usu, habetur quis pro denuntiato, cum lata adversus eum sententia in Ecclesia coram frequenti populo promulgata est, aut

ad Ecclesiæ valvas, pro locorum more affixa. Apposite tamen monet Gibert, ( *pag.* 249. ) excommunicati nomen, & excommunicationis causam ad loca vicina mitti debera, quoties periculum est, ne excommunicatus eo se transferens, denuntiationem suo frustret effectu. Quod si excommunicatus ad meliorem frugem redeat, absolutio ejus publica denuntianda erit, ut Ecclesiæ bonis, & Fidelium consortio frui possit.

---

## CAPUT QUARTUM.

### *De causis ab incurrenda Censura excusantibus.*

IGnorantia, metus, necessitas, impotentia, dubium tum juris, tum facti, censuræ invaliditas, consensus læsæ partis, appellatio, totidem sunt causæ, de quibus quæritur, an censuram impediant. De invaliditate diximus supra, de reliquis hic dicendum.

Quæres itaque I. an ignorantia ab incurrenda censura excuset. Quid, & quotuplex sit ignorantia, repetendum ex Tract. de Actibus humanis p. 5.

R. I. Ignorantia invincibilis, sive facti, sive juris communis, aut privati excusat a censura: unde si quis invincibiliter ignoret abstinentiam a carnibus sub pœna censuræ esse tali die prohibitam, immunis est a censura, etiamsi carnes comedat; idem est, si legem cognoscens, inculpabiliter ignoret id, quod sibi ministratur, carnem esse, aut ex carne. Ratio est: I. quia jus ipsum non vult *ignorantes ligari* censuris, *nisi eorum ignorantia crassa fuerit, aut supina* ( *Cap.* 2. *De Constit.* in 6. ). II. quia ad censuram requiritur contumacia, & peccatum mortale: atqui ubi est ignorantia invincibilis, saltem alterutrum deest.

Hinc I. qui ignorantiam habent culpabilem, sed solum venialiter, uti illis contingere potest, qui non parum adhibent diligentiæ, ut eorum, quæ scire tenentur, notitiam comparent, sed tamen in hac ipsa indagatione nonnihil venialis negligentiæ affetunt; ii, inquam, censuram non incurtunt: quia censura gravis non incurritur sine peccato mortali: ubi porro negligentia solum venialis est, deest peccatum mortale.

II. Qui sciunt aliquid, v. g. percussionem Clerici, jure divino prohibitam esse, sed invincibiliter ignorant idem prohibitum esse jure ecclesiastico, immunes sunt a censura: quia censura non incurritur nisi per contemtum, & contumaciam contra Ecclesiæ legem: atqui ubi invincibiliter ignoratur lex Ecclesiæ, ibi nec est contemtus, nec contumacia.

III. Qui scit rem aliquam jure ecclesiastico esse prohibitam, v. g. ingressum in Monialium claustra, sed invincibiliter ignorat censuram, quæ contra delinquentes imponitur, ab eadem censura immunis manet. Ratio est, quia ut aliquis censuram incurrat, necesse est ut monitus fuerit: sed qui pœnam lege latam ignorat invincibiliter, monitus non fuit. Nec nocet, quod ex Reg. 13. in 6. *ignorantia facti excusat, non autem juris*: hoc enim verum esse potast in foro exteriori, ubi non facile præsumitur ignorantia juris, præsertim communis; at non idem est in foro conscientiæ. Aliud est de irregularitatibus, uti dicam suo loco.

R. II. Ignorantia vincibilis, quæ a peccato mortali non excusat, non excusat etiam a censura. Ratio est: I. quia ignorantia vere vincibilis, non immerito vocatur crassa, & supina, quia semper annexam habet gravem in re maximi momenti negligentiam, & aliunde supina laborare dicitur ignorantia, qui nullam, vel qui parvam adipiscendæ scientiæ diligentiam impendit: porro ignorantia crassa non eximit a censuris. II. quia vix alioqui in praxi discerni posset quis ad incurrendam censuram requiratur ignorantiæ gradus. III. quia incredibile videtur, Ecclesiam nunquam voluisse eam censuris suis plectere negligentiam, quam Deus æternis pœnis punira cognoscitur.

Addo ignorantiam affectatam non excusare a censura contra eos lata, *qui scienter aliquid fecerint*, vel *temere*, vel *consulto*, vel *qui præsumserint*, *qui contemserint*, *qui temerarii violatores extiterint*. Ratio est, I. quia ignorantia affectata pro scientia habetur, eique moraliter æquivalet. II. quia ille merito dicitur temerarius legis violator, qui quasi demisso capite facit id, quod suspicatur por legem prohiberi sub gravi pœna, non curans, sed potius id ignorare volens, ut liberius, quod cerebro suo sapit, exequatur. Porro hæc est conditio hominis ex ignorantia affectata agentis.

Idem est de iis, qui agunt ex ignorantia non quidem affectata, sed ita crassa, ut affectatæ æquipolleat. Qui vero agunt ex ignorantia simpliciter crassa, ab hujusmodi censuris excusari solent: quia lex contra temerarios violatores lata requirit aliquem contumaciæ gradum, qui iis deesse videtur, qui legem, licet non sine gravi sua culpa, penitus ignorant. Hæc decisio ob communem Theologorum sensum in praxi teneri potest.

R. III. Ignorantia concomitans, si vere invincibilis sit, excusat a censura. Ratio est, quia actus externus ex ignorantia concomitante, & invincibili factus, non habet eam malitiam, quæ prohibetur sub censura.

Hinc a censura eximi solet: I. qui eum, quem invincibiliter credit feram esse, vel Laicum, licet Clericus sit, occidere paratus, diceret. *Quam lubens occiderem Clericum mihi inimicum, sicut hunc occido!* ( Secus si diceret. *Volo hunc occidere, sive Laicus sit, sive Clericus*, quia tunc occisio Clerici satis voluntaria est). II. qui intendens occidere Joannem Clericum, alium occidit, aut ferit Clericum illac transeuntem, modo tamen satis adhibuerit diligentiæ, ne alium, aut saltem ne Clericum occideret: contra vero, qui Clericum percutit, ratus se Clericum alium percutere, censuram contrahit; quia ibi occurrit & intensio Clericum percutiendi, & actualis ejus percussio. Eidem censuræ subjacet, qui ebrius Clericum ferit, si advertit, aut advertere potuit secuturam ex ebrietate sua percussionem: nisi ante ademtum per

va-

vapores usum rationis sufficientem adhibuerit diligentiam ad vitandam percussionem: quia tunc percussio censenda esset involuntaria.

At, inquies, is, quem projecti in Clericum lapidis pœnitet ante percussionem, nihilominus censuram incurrit; ergo & eam incurret ebrius in casu proposito.

R. neg. conseq. nam effectus lapidis semel projecti impediri nequit; effectus vero ebrietatis multiplici via cohiberi valet, ut si ebrius se recludat, si alius serio imperet, ne se exire permittant.

Ceterum qui Laicum percutit, credens huic percussioni annexam esse censuram, eandem non incurrit: quia erronea conscientia non inducit censuram, sed Superior legitimus.

Quæres II. an qui agit in dubio, incurrat censuras.

R. Si dubitas an actioni, quam faciendam meditaris, annexa sit censura, eam certo incurris, si reipsa hæc ei annexa sit; quia & vere peccas, & satis contumax censeri debes, ut qui id facias, quod forte prohibitum est sub censura. Si vero dubium versetur circa actionem jam peractam, debes te gerere quasi censuram incurreris, ut infra dicam agendo de Excommunicatione minori.

Quæres III. an metus excuset a censura. Nota: metus vel est levis, isque nec a peccato, nec a censura excusat: vel gravis, & hic vel incutitur in contemtum Ecclesiæ, vel non: quibus positis,

R. I. Si res, quæ ex metu gravi agitur, prohibita sit solum jure ecclesiastico, qui eam facit, non incurrit censuram. Ratio est, quia qui legem mere humanam omittit ex metu gravi, puta amittendi vitam, famam, fortunas, non peccat; cum leges humanæ sub tanto incommodo obligare non soleant, ut dictum est pag. 117. (Aliud erit si metus incutiatur in contemtum Ecclesiæ: quia qui legem Ecclesiæ in ejusdem Ecclesiæ contemtum transgreditur, etiam ex metu gravi, non ideo immunis est a gravi peccato; ergo nec immunis est a censura contra hoc peccatum lata.)

Hinc infert Navarrus, homicidam post debitam contritionem, & confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore nisi celebret (*Manual.* c. 27. *n.* 28.). Idem dicit tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ constituto; tum de Moniali, quæ occultissime in censuram reservatam incidisset; ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset Choro interesse, & communicare, cum aliæ ad id tenentur, si ab iis abstinendo fama ejus, & monasterii periclitaretur. Unde sequitur excommunicatum occultum posse sine peccato, & irregularitatis metu audire Sacrum, celebrare, absolvere, &c. ad vitandum grave scandalum, vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum, & necessitatem. Nomine autem scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re, sed occasionem peccati, ut detractionis, & judicii temerarii. Ratio decisionis hujus præcipua est, quod ubi occurrunt præcepta duo, quæ simul observari nequeunt, tunc gravius observari debet: majus autem est præceptum non exhibendi scandalum, quam faciendi præter obligationem censuræ audiendo Sacrum, celebrando, &c. Qui tamen est in statu peccati mortalis, & nullum, vel valde dubium de eo dolorem sentit, potius omnia pati debet, quam in tali statu celebrare.

R. II. Si res, quæ fit ex metu, non ecclesiastico solum, sed divino, & naturali jure vetita sit, probabilius est incurri censuram. Ideo enim, qui legem mere ecclesiasticam ex gravi metu violat, non subjacet censuræ, quia immunis est a peccato, quod censuræ præsupponitur; ideo autem a peccato immunis est, quia non intendit Ecclesia, ut filii sui hasce leges cum tanto discrimine servent; porro hæc ratio jam locum non habet, cum res, quæ agitur ex metu, per se mala est, & juri naturali contraria. Et vero Ecclesiæ censuras decernentis scopus est, ut homines potentius, & efficacius retrahat ab iis, quæ jam divino, aut naturali jure prohibita sunt; ergo tam late obligare debet Ecclesiæ censura, quam Dei, vel naturæ lex: unde cum lex illa etiam in casu gravis metus obligare non desinat, non etiam ligare desinet Ecclesiæ censura. Unde docet Sylvius, eos e Christianis, qui in Turcarum triremibus metu mortis remigant contra Christianos, non esse a censura immunes.

Quæres IV. an impotentia faciendi id, quod præcipitur sub censura, ab ea excuset. R. affirmat. quia, quod excusat a peccato, excusat a censura: atqui impotentia excusat a peccato. Hinc non subjacet censuræ contra rei alienæ detentores latæ, qui absolutæ restituere nequit, vel id non potest sine gravi incommodo, v. g. sine damno longe majori, aut sine detrimento bonorum ordinis superioris.

Sed an cui certum tempus, v. g. mensis, constitutum est ad solvendum sub pœna censuræ, eam incurret, si initio mensis solvere potuit, & prævidit se reliquo tempore solvendo imparem fore? Incurret, quia talis restituendi omissio vere est culpabilis, adeoque censura plecti potest. Et vero quis a peccato excuset eum, qui mane Missam audire potuit, & non audit, prævidens futurum, ut deinceps audire non posset?

Quæres IV. an consensus illius in cujus favorem lata est censura conditionalis, possit eam suspendere. R. affirmat. I. quia si quis absolute remittat creditori suo debitum, quod sub pœna censuræ duos intra menses solvere tenebatur, cessabit censura ob subtractionem materiæ; ergo etiam suspendetur, si creditor terminum proroget. II. quia debitor ante elapsum terminum non est proprie debitor, neque est in mora. Ceterum hæc duo quæsita nullius sunt momenti in Galliis, ubi debitores ad solutionem per censuras non coguntur: sed quod de debito exempli gratia dictum est, ad similes casus trahi facile potest.

Quæres VI. an appellatio excuset a censura.

Not. I. Appellatio est provocatio ab inferiore Judice ad superiorem facta, ratione gravaminis illati, vel inferendi; unde appellatio species est quædam

defensionis, quæ innocenti injuste oppresso conceditur.

Appellatio duplex: judicialis, & eatrajudicialis Appellatio *judicialis* ea est, qua appellatur ab actibus judicialibus: unde de iis est, quæ in judicium veniunt, vel circa illud accidunt; eaque tripliciter interponi potest: I. ante litis contestationem, ut si quis appellet quia citatus est ad locum non tutum. II. post litis contestationem, sed ante sententiam definitivam, ut si quis appellet a sententia interlocutoria, seu quæstionis incidentis. III. post sententiam definitivam, ut si quis appellet ab ea, ne mandetur executioni. Appellatio *extrajudicialis* ea est, quæ fit ob gravamen, quod extra judicium ab aliquo infertur, aut probabiliter inferendum timetur, ut si quis appellet, eo quod Beneficium in ejus præjudicium alteri concessum fuerit; vel ne talis hominis electio fiat. Hæc appellatio non est vera, & proprie dicta appellatio: quia appellatio proprie dicta requirit Judicem *a quo*, & *ad quem*; extrajudicialis vero non fit necessario a Judice, sed ab eo omni, qui inique gravat, etiamsi Judex non sit.

Not. II. Appellationis legitimæ duplex est effectus: nam I. *devolvit* causam ad tribunal superius. II. *suspendit effectum* sententiæ Judicis inferioris. Verum appellatio posteriorem hunc effectum non semper parit, idque præsertim constat in censuris: qui enim a sententia excommunicationis contra se lata appellat, conqueritur quidem de hac sententia, sed non cessat ligari, donec is, ad quem appellatum est, agnita sententiæ injustitia eandem resciderit.

Not. III. Censura ferri potest vel pure, & absolute, ut cum quis excommunicatur, quia contumax est; vel conditionate, ut cum quis excommunicatur, nisi intra mensem satisfaciat. His positis

R. I. Appellatio legitima excusat a censura conditionali, modo appellatio fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi. Habetur expresse c. 40. *De appellat.* Ratio est, quia appellatio devolvit causam ad alium Judicem; ergo Judex ille jam amplius censuram valide ferre non potest: unde cum prior ejus sententia conditionalis nihil operata sit ante conditionem expletam, & jurisdictio ejus per appellationem suspendatur, jam appellantem ligare non potest.

R. II. Appellatio legitima a censura jam lata, eam non suspendit: idem est de censura conditionali, post conditionis eventum. Ita statuit Innocentius III. c. 53. *De appellat.* Ratio est, quia censura absolutè lata *executionem suam trahit*, & suum sortitur effectum; ergo tandiu ligat, donec ligatus absolvatur: absolutio autem non tribuitur per appellationem, ut patet: unde communis Canonistarum vox est, appellationem tunc devolutivam esse, non vero suspensivam. (*V. Edict. an.* 1693. *art.* 17.)

R. III. Per appellationem interpositam a censura ab homine, non solum ea non suspenditur, sed nec ejus denuntiatio impeditur: unde non obstante appellatione potest Episcopus excommunicatum denuntiare eum, contra quem talem sententiam tulit. Ita habetur cit. c. 53. *De appellat.*

R. IV. Ut legitima sit appellatio plura requiruntur: I. causa sufficiens, & probabilis; *appellationis enim remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum*, ex c. 61. *De appelat.* II. *Non oportet ad compares Judices appellationes referri; sed a minori judicio in majus tribunal ascendere.* (*Cau.* 2. *q.* 6. *cap* 28.) Unde non valet appellatio ab Ecclesia ad Ecclesiam. III. appellatio fieri debet intra 40. dies, qui computantur a publicatione sententiæ; atque id locum habet in Gallia, ut docet Cabass. lib. 4. c. 52.

---

## CAPUT QUINTUM.

*De absolutione a Censuris.*

Videndum hic I. quis absolvere. II. quis absolvi possit. III. quæ forma, quive sit absolutionis ritus.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Quis absolvere possit a Censuris.*

Certum est I. censuram tolli posse per absolutionem, quia Christus (*Matth.* 12.) solvendi simul, & ligandi potestatem Apostolis concessit; & hac potestate semper usa est Ecclesia.

Certum est II. censuram proprie dictam non nisi per absolutionem tolli. Unde si suspensio pro uno mense imponatur, eo quidem transacto desinet, sed non erit veri nominis censura, quæ semper durat si semper duret contumacia. Jam quæritur quis absolutionem illam tribuere possit; quod ut gradatim resolvamus, quæstionem, quæ in se generalior est, in plures alias partiemur.

R. *In articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, aut censuris absolvere possunt, ne scilicet quis pereat.* Ita Trident. Sess. 14. c. 7. Ratio est, quia in illo casu omnes Sacerdotes jurisdictionem habent; ut patet ex constanti Ecclesiæ usu.

Dixi, *omnes Sacerdotes*, ac proinde ii etiam, qui sunt excommunicati denuntiati, prout nunc saltem communiter docent Theologi: I. quia in textu Tridentino vox, *omnes Sacerdotes*, tam late patet, quam vox ista, *omnes*, seu *quoslibet* pœnitentes: atqui vox *quoslibet* ipsos etiam excommunicatos denuntiatos comprehendit; ergo a pari. Et certe, *ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus*, ait Glossa in cap. 13. dist. 55. II. quia nisi vox *omnes Sacerdotes*, ad ipsos etiam præcisos Sacerdotes extenderetur, jam Ecclesia dure ageret, non ut pia mater, imo nec assequeretur finem suum, qui est ut nemo pereat; quandoquidem ii perirent, quibus a præciso succurri non posset. III. quia Melchior Canus, & Dominicus Soto, qui Concilio Trid. interfuerant, aperte docent validam esse absolutionem a Sacerdote ex-

com-

communicato denuntiato concessam in præsenti casu: hoc autem non docuissent contra mentem Concilii, quæ eos latere non potuit. IV. quia etiamsi nostra hæc opinio dubia foret, liceret tamen ea uti; quia in extremis dubia jurisdictione, ut & dubia materia uti licitum est.

Si tamen periculum esset, ne seduceretur quis quærendo absolutionem ab Heretico etiam non denuntiato, tunc ab eo recusari deberet.

Sed potestne Sacerdos non approbatus in articulo mortis absolvere, cum præsens est proprius Sacerdos, aut alter approbatus, vel cum absolutio a censuris per literas obtineri a Superiore potest? Non potest: I. quia Rituale Pauli V. sic habet. *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit, quilibet Sacerdos poterit a quibuscunque censuris, & a peccatis absolvere*. II. quia Synodus Tridentina in decreto citato confirmat solum consuetudinem in Ecclesia semper custoditam: porro consuetudo antiqua non permisit unquam cuilibet Presbytero, ut in articulo mortis absolveret, nisi cum aberat Superior, aut Sacerdos approbatus, ut colligitur ex c. 54. XXVI. q. 6.

Quod si confessio non approbato fieri cœperit, & superveniat approbatus, poterit prior continuare, & absolutionem largiri: I. quia Tridentinum permittens, ut quilibet Sacerdos in periculo mortis absolvat, non restringit facultatem hanc usque ad adventum Superioris, alteriusve Sacerdotis approbati. II. quia jurisdictio delegata continuatur re non integra, nisi revocetur: porro Sacerdos approbatus, aut Superior jurisdictionem ab Ecclesia ipsa concessam revocare non potest. Ceterum Confessarius, qui aliquem in articulo mortis a censuris absolvit, debet curare: I. ut pœnitens actu satisfaciat, si potest. II. ut saltem cautionem, vel etiam juramentum præstet de satisfaciendo, aut heredes suos ad damni, quod ipse intulit, reparationem, instrumento quantum fieri poterit authentico cogat. III. jure communi obligandus est pœnitens, ut sublato impedimento, propter quod ab eo, qui aliunde incapax erat, absolutus fuit, quamprimum commode poterit, se præsentet Superiori, qui de jure extra illud periculum absolvere poterat; alioqui *in eandem sententiam recideret ipso jure*, prout statuit Bonifacius VIII. cap. 22. *De sentent. excomm. in* 6.

Verum hæc disciplina non ubique in Galliis viget; unde qui in mortis periculo absolutus fuit, immunis remanebit a censura, præterquam tribus in casibus: I. si non sit absolutus, nisi hac conditione, ut in censuram reincidat, si se Superiori repræsentare negligat, cum convaluerit. II. si Decretalis Bonifacii recepta sit ea in Diœcesi, in qua absolvitur, & cujus proinde Statuta consuli debent. III. si ejus censura publice denuntiata sit, tunc enim ei recurrendum erit ad Superiorem, non modo ut salutis monita, & pœnitentiam recipiat, sed ut ab eo in foro exteriori absolvatur: si tamen ante moriatur, quam publice absolutus fuerit, *non debent ei cœmeterium, & alia Ecclesiæ suffragia denegari*, quia ad hoc sufficit absolutio sacramentalis, quam recepit, ex c. 14. *De sepultur.*

An autem simplex Sacerdos possit in articulo mortis omnes prorsus censuras relaxare, controvertitur. Placet negativa; quia Concilium ideo solum facultatem absolvendi in articulo mortis concedit, *ne quis pereat*: atqui ut aliquis non pereat, satis est, ut absolvatur ab iis censuris, quarum occasione gratiam Dei consequi non posset, quales sunt excommunicatio, & interdictum personale. Ex quo patet a contrario, necessum non esse, ut ei relaxetur irregularitas, suspensio ab Ordine, Officio, vel Beneficio.

Porro, quidquid sentiant aliqui, idem esse credimus in hac materia articulum, & periculum mortis: I. quia periculum, & articulus mortis promiscue accipiuntur in Jure, ut patet ex c. 29. XVIII. q. 4. & c. 5. *De sent. excom.* in quibus eadem censura nunc extra periculum, nunc extra articulum mortis reservata dicitur, & ex c. 22. *De sent. exc.* in 6. ubi periculum, & articulus mortis perinde excipiuntur a reservatione. II. quia periculum morale in malis, sicut eventus ipse cavari debet: unde hæc statui posset regula, eum a quovis Sacerdote absolvi posse, qui hic & nunc jure divino ad Confessionem tenetur,

Quæres II. quis extra casum necessitatis a censuris absolvere possit.

Nota I. censuræ vel relaxantur in foro interiori, vel in foro exteriori. II. vel sunt ab homine, vel a jure. III. vel sunt reservatæ, vel non. IV. vel sunt in perpetuum, vel ad tempus, ut aliquæ suspensiones, quæ non tam sunt censuræ, quam pœnæ. His positis

R. I. In foro conscientiæ solus Sacerdos a censuris absolvere potest. Ratio est, quia solus Sacerdos Judex est in eo foro. Hæc tamen absolutio non valet nisi coram Deo; unde sic absolutus coram Judice in externo foro conveniri, & omnibus excommunicatorum pœnis subjici potest.

R. II. In foro exteriori a censuris etiam non reservatis absolvere potest solus, & omnis: I. qui censuram tulit. II. successor ejus. III. ejus delegatus. IV. & ejus Superior. Ratio est, quia ii omnes, & soli ordinariam, vel delegatam habent in illo foro jurisdictionem.

R. III. Excommunicatio a jure, aut statuto, quam legislator sibi non reservavit, ab omni Sacerdote ad audiendas confessiones approbato relaxari potest. Ratio est, *quia, conditor canonis*, eo ipso quo censuræ hujus *absolutionem sibi specialiter non retinuit, concessisse videtur facultatem aliis* eam *relaxandi*, ait Innocentius III. c. *Nuper* 29. *De sent. excomm.*

Hæc regula locum non habet; I. cum Episcopus censuras, quæ jure communi reservatæ non sunt, sibi specialiter reservavit: aut cum usu receptum est in certis Diœcesibus, ut simplex Sacerdos ab iis non absolvat. II. cum censuræ, etiam non reservatæ, ad forum contentiosum traductæ sunt: ita multo plures, a quibus non est recedendum inconsulto Episcopo. Si reus se purgaverit falsis etiam probationibus, jam censura, quam incurrerat, non magis reservata erit, quam ante illatam ei accusationem; quia crimen sine effectu ad Judices deductum censetur occultum, cum probatum non fuerit. Ita declaravit Sacra Congregatio; idque docet Ducasse s. p. c. 10. sect. 4. qui crimen dedu-

deductum ad forum contentiosum his, quæ ponderati merentur, definit verbis: *Une instance est pendante en quelque tribunal contentieux, non par la seule plainte, ni meme par les informations qui ont èté faites par le Juge en consequence de cette plainte, mais par le decret que le juge à donnè contre l'accusè* (*Coll. And. T.* 1. *p.* 356.164.): III. cum censura fertur ab homine per sententiam specialem; de quo paulo post.

Quod diximus de excommunicatione, idem videtur dicendum de suspensione; unde ea solum suspensio reservata est, quæ imponitur ad tempus, vel quæ est ab homine, vel quam expresse reservavit legislator. Ratio est: I. quia hæc doctrina nunc longe communior est; unde qui suspensionem non reservatam incurrerunt, ab ordinariis suis Confessariis sine scrupulo absolvuntur. II. quia certum videtur Innocentium III. ex occasione casus particularis, super quo consultus fuerat, regulam generalem statuisse, ut sæpe solent Romani Pontifices: atque id ab Adversariis ipsis est admittendum. Ii enim fatentur excommunicationem majorem, quoties reservata non est, a quolibet Sacerdote posse relaxari: atqui caput *Nuper*, non loquitur de excommunicatione majori, sed solum de minore, quam quis incurrit communicando cum excommunicato nominatim, non in crimine criminoso, sed in *oratione*, *vel osculo*; ergo necessum est, ut ipsi verba Innocentii latius interpretentur, quam pro subjecta materia.

Etsi momenta hæc gravia sunt, ut tamen omne invalidæ absolutionis periculum effugiam, hæc in praxi sequi conabor: I. si alicubi docent, aut doceri permittunt Episcopi, suspensionem omnem semper reservatam esse etiam non expressa reservatione, ut in Diœcesibus Agathensi & Catalaunensi, tunc non absolvam, nisi pro reservatis censuris approbatus sim (*Coll. Agath. T.* 182.). II. ubi Episcopi quasdam suspensiones sibi reservant, quasdam non; præsumam eas non esse reservatas, quarum reservatio non exprimitur, si nihil aliud obstet. III. in locis, ubi res dubia apparet, consulam Superiores, aut id sequar, quod timorati & peritiores facere consueverunt. IV. in suspensione, quam incurrit quis falsum, aut collusorium titulum exhibendo, non ausim absolvere. Vide Tractatum gallicum de dispens. tom. 2. pag. 451.

R. IV. Possunt Episcopi censuras Papæ reservatas remittere: I. cum eæ occultæ sunt. II. cum etsi publicæ sint, qui in eas inciderunt, Romam adire non possunt.

Prima pars patet ex his Tridentini verbis (*Sess.* 24. c. 6. *de reform.*). *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis*, (ac proinde annexam habentibus excommunicationem, cum & ratione hujus soleant reservari; & qui dicit, *quibuscunque*, nihil excipiat) *delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere imposita salutari pœnitentia.*

Hic notandum: I. in citato decreto Episcopi nomine intelligi Capitulum Sede vacante, quia Capitulum succedit in jurisdictionem ordinariam Episcopi. II. juxta plures ad hoc ut verba hæc, *in Diœcesi sua*, verificentur, sufficere, & requiri, ut vel Episcopus sit in Diœcesi sua, etsi ille, qui absolvendus est, sit extra ejus Diœcesim, vel ut subditus sit in Diœcesi, etsi Episcopus sit extra eam. III. verba hæc, *in foro conscientiæ*, non idem esse ac in foro pœnitentiæ, quia forum conscientiæ non solum est intra, sed & extra confessionem, modo res occulte fiat, non autem in foro contentioso (*Vide infra art.* 3. *q.* 4.). Et vero si præcepisset Concilium, ut Episcopus ab iis casibus in foro solum sacramentali absolveret, perperam apposuisset vocem hanc, *in Diœcesi sua*, quia satis clarum erat, subditum extra Diœcesim existentem non posse ab Episcopo manente in Diœcesi sua, sacramentaliter absolvi. IV. posse Episcopum vi Tridentinæ concessionis relaxare censuram ob crimen quadantenus publicum contractam, quia non omne, quod a pluribus cognitum est, censetur in præsenti casu vere, & simpliciter notorium. Quod ut intelligatur,

Notandum duplex distingui notorium, facti scilicet, & juris. Primum illud est, quod ita publicum est, & famosum, ut nulla possit tergiversatione celari in tota vicinia, vel in majori viciniæ parte, ad quod non requiritur scientia populi magni, vel omnium pagi alicujus incolarum, aut majoris partis ejusdem pagi; sed juxta probabiliorem sententiam sufficit certa cognitio decem hominum: decem enim homines faciunt populum, multitudinem, Parochiam, ex c. *Unio* x. q. 3., & communi Canonistarum sensu. Secundum, id est, *notorium juris*, illud est, quod constat vel ex confessione rei in judicio, vel ex Judicis sententia.

Hæc distinctio multo plus apud extraneos inservit, quam in Gallia, ubi commune est effatum, facti notorietatem locum non habere; unde hic nemo tenetur fugere excommunicatum, etiam notorium Clerici percussorem, nisi is ante denuntiatus fuerit; nemo quoque privatus potest peccatori etiam publico, & in obduratione sua mortuo sepulturam ecclesiasticam denegare, nisi præcesserit Judicis ecclesiastici sententia, qua mortuus ille declaratus fuerit publicus peccator, & sine qua hujusmodi ecclesiasticæ pœnæ non incurruntur (*Pontas v.* Pecheur public *cas.* 2.). Absit tamen, ut eadem distinctio apud nos omnino inutilis censeatur.

I. Enim in ipsa, quam nunc expendimus, materia multæ sunt Diœceses, quæ casum sola facti notorietate publicum Papæ reservant. Quid enim aliud sibi volunt verba hæc Mandati Parisiensis de casibus reservatis? *A casibus reservatis S. Pontifici, si sint occulti, absolvere possunt ii, quibus nomine D. Archiepiscopi hæc facultas concessa fuerit. Occultum autem hic opponitur illi publico, quod vel in judicio probatum est*, en notorietas juris, *vel nulla tergiversatione in tota vicinia celari potest*, en facti notorietas. Idem de irregularitatibus docent Ducasse, & Babin, qui & hoc mihi olim per literas testatus est.

II.

II. Notorietas facti aliquando ex usu transit in quandam notorietatem juris: sic aperte mortui in duello ecclesiastica sepultura privantur; qua etiam, sicut & Sacramentis (nisi resipiscant) privantur Comœdi, absque nova Judicis declaratione.

III. Sufficere etiam potest notorietas facti, cum agitur de pœnis jure, ut ita dicam, divino latis. Ecquis homini, qui fraterna cæde se se mox in omnium oculis polluit, Eucharistiam concedere ausit, hoc prætextu, quod crimen ejus nondum notorium sit notorietate juris? Hinc Pontas, vir disciplinæ nostræ gnatus, sic palam loquitur (*Ibid. cas. 3.*) *Un Curé, qui refuseroit publiquement la Communion à un Usurier public, sur la seule notoriété de fait, & sans qu' une Sentence declaratoire eut precédé, s'exposeroit à estre blamé, & même à être condamné par le Juge..... Cependant nous sommes persuadés que ce Curé.... ne pourroit, sans manquer à son devoir, admettre un tel homme à la sainte Communion, non plus que tout autre pécheur public, encore que son péché ne fut notoire, que d'une notoriété de fait. La raison est, que la Jurisprudence civile ne peut rien changer en ce, qui est defendu par le droit divin..... ainsi que le portoit la celébre Décision signée par trente Docteurs de Sorbonne, &c.* Præiverat Gamachæus in 3. p. q. 79. cap. 2. his verbis: *In majoribus locis ad evidentiam facti notorii, testes saltem duodecim, aut quindecim necessarii* sunt, *tuncque Sacerdos potius mori debet, quam Eucharistiam peccatori* sic notorio *administret .... quia non de humano, sed divino jure agitur.*

Quia tamen pronum est principiis sanioribus abuti, & multa a viris præcipitatione, scrupulo, aut malignitate laborantibus, pro notoriis habentur, quæ aliqua tergiversatione celari possunt; idcirco duo hic addo alte animis infigenda: I. facti notorietatem, *ordinarie* loquendo, non esse tutam agendi regulam, ut notat Lamet v. *Communion* cas. 4. II. ubicunque dubium occurret, statim, & semper interrogandum esse Episcopum, ejusve Vicarios generales, qui pleniorem juris, disciplinæque, & ejus, quæ tunc servanda est, agendi rationis notitiam habere debent.

Jam quod possint Episcopi a casibus Papæ reservatis, etiam non occultis, quamcunque censuram annexam habeant, eos absolvere, qui *imminente mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, inimicitia, puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus, vel alio impedimento canonico* Romam recurrere non possunt, expresse habetur c. 26. & 58. *De sent. excomm.* Idem docet citatum Parisiense Mandatum his verbis: *Ab iisdem casibus, etiamsi occulti non sint, absolvere potest D. Archiepiscopus Monachos, ac Regulares* (etiam exemptos, de licentia tamen Superiorum, (*Salmanticen. c. 2. n. 52.*) imo & sine ea, si injuste denegetur) *Moniales, conjugatas, juniores, viduas, puellas, pauperes, senes, valetudinarios, ac denique omnes, quibus salva vita, libertate, & rebus suis, Romam adire non licet.*

Ubi notandum est eos e Gallis, qui ob citata impedimenta Romam ire non possunt, ut Papæ se præsentent, non teneri Romam mittere, ut hinc absolutionem obtineant, nisi id locorum usu stabilitum sit. Certe enim ex Ritualibus Diœceseon Virdunensis, Metensis, &c. patet hanc in iis locis esse praxim, ut qui cessante impedimento, propter quod absoluti fuerant a censuris Papæ reservatis, Romam non adeunt, in easdem reincidant censuras.

R. V. Tempore Jubilæi possunt Sacerdotes omnes, modo tamen ab Ordinariis approbati sint, absolvere in foro pœnitentiæ a censuris Papæ reservatis.

Dixi I. *modo approbati sint*; id enim expresse ferunt Bullæ Jubilæorum, & aliunde usu receptum est. (*Ibid. cas. 7.*) Censentur autem ab Ordinario ad Jubilæi effectum erga fratres suos approbati, qui a Superioribus suis approbati sunt: quia, ut ait Sylvius, *Superiores Regulares sunt ordinarii respectu suorum subditorum.*

Dixi II. *in foro pœnitentiæ*, quia Sacerdos potestate sibi per Bullam Jubilæi concessa uti non potest, nisi in ordine ad absolutionem sacramentalem. Porro absolutio etiam Jubilæi tempore collata ei, qui publice denuntiatus fuisset censuram incurrisse, ei quidem prodest, ut Sacramenta secreto recipiat, non autem ut publice se gerat quasi absolutum; unde necessum est, ut in exteriori foro absolvi curet.

Circa hæc nota: I. eum, qui Jubilæi gratiam lucratus est, *si post transactum Jubilæi tempus recordetur peccati cum censura, cujus oblitus fuerat in sua Jubilæi tempore facta confessione* Sacerdoti ad id approbato, *posse deinde a quovis Sacerdote absolutionem suscipere, quia per priorem generalem censurarum absolutionem, omnis reservatio fuit ablata* (*Cabass. ibid. n. 6. Coll. Andeg. p. 215.*) Et id locum habet, quoties quis Sacerdoti pro reservatis approbato quædam peccata reservata confiteri oblitus est: tunc enim prima absolutio reservationem tollit; unde peccatum illud deinceps a quovis Sacerdote relaxari potest. II. eum, qui Jubilæi tempore confessionem ex mera sua culpa nullam emisit, non fuisse a reservatis absolutum, unde ad Sacerdotem pro reservatis approbatum recurrere debet. (*Ibid. cas. 5.*) Idem dicit Pontas de eo, qui homini vi solius Jubilæi approbato confessus fuisset sine intentione Jubilæum lucrandi.

R. VI. A censuris Superiori reservatis per ejus Statuta, absolvere non potest, nisi Superior ejus, successor, aut ab eo delegatus. Ratio est, quia reservatio ceteris potestatem hanc aufert; iis vero, quos citavi, auferre nequit.

Dixi I. *qui statutum fecit*: & is tamen ab hac potestate excidit: I. si denuntietur excommunicatus, suspensusve ab officio & Beneficio, aut interdictus; quia sic privatur jurisdictione. II. si appellatum sit ad Papam, qui censuram confirmaverit; tunc enim absolutio Papæ, tanquam ultimo Judici, reservatur.

Dixi II. *ejusve successor, aut Superior*; quia par in parem jus non habet, ac multo minus in Superiorem, unde neutrius manus ligare potest; sed nota censuras a Suffraganeo latas non relaxari in Gallia a Metropolitano, nisi in casu appellationis: pendente autem appellatione potest adhuc censuræ latorem relaxare, quia appellatio ligat manus, ne contra appellantem quid fiat, non ut pro eo aliquid fiat.

Dixi III. *aut delegatus*; qualis erga extraneos censetur

ſetur Sacerdos in alia Diœceſi approbatus, de quo infra. Circa delegatum nota longum in præſenti materia eſſe diſcrimen inter delegatum a Papa, & ab Epiſcopo. Nam I. delegatus a Papa ad abſolvendum a caſibus ei reſervatis ſemper habet poteſtatem abſolvendi a cenſuris; ſecus de delegato ab Epiſcopis, qui cum ad abſolvendum a caſibus reſervatis approbatur, non ideo approbatur ad abſolvendum a cenſuris, quia Epiſcopi multos ſibi reſervant caſus ſine cenſura. II. delegatus ab Epiſcopo ad ferendam cenſuram, non ideo cenſetur delegatus ad abſolvendum ab ea, niſi id expreſſerit Superior; ſecus in Galliis de delegato a Papa, qui nullam ferre poteſt cenſuram, quin ab ea abſolvere poſſit, ne Regis ſubditi extra Regnum trahantur, Romæ ſcilicet abſolvendi. Nota inſuper facultatem abſolvendi a cenſuris *ab homine*, comprehendi in generali facultate abſolvendi a quibuslibet cenſuris ab Epiſcopo, vel a Rom. Pontifice conceſſa.

R. VII. A cenſuris ab homine ſtricte ſumtis, quæ feruntur per ſententiam particularem, nemo abſolvere poteſt, niſi ad id ſpecialiter approbatus ſit ab Epiſcopo, qui eaſdem cenſuras tulit; quia eæ ſemper eidem reſervatæ ſunt, etiamſi reſervationis mentio non fiat. Hæc concluſio magni eſt momenti, & in praxi omnino tenenda: I. quia alioqui peſſum iret eccleſiaſtica diſciplina, juriſdictionum, & judiciorum ordo ſubverteretur, atrocia quæque crimina pœnam ſaltem ſibi parem effugerent, neque adamuſſim ſatisfieret Superiori, & partibus læſis, ad quarum exigentiam cenſura lata eſt: ſi enim pœnitens ipſe ut plurimum ignoret quid debeat, quanto magis id neſcient Confeſſarii plures, aliunde ſæpius parum accurati? II. quia tutior, communior, & ſanioribus Theologis probata eſt hæc noſtra aſſertio, quam tenent Suares, Vaſquez, Valentia, Coninch, Avila, Cabaſſut. Coll. Condom. p. 516. Andeg. p. 193. Habert, &c. eamque in praxi ſequi debent Regulares, quibus prohibet Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. ne *Laicos, vel Clericos a ſententiis ab homine latis ullatenus abſolvere poſſint*.

Sed hic caute notandum excommunicationem, quæ fertur contra eos, qui monitorio parere renuunt, licet generalis videatur ob generalia, quibus concipitur, verba, reipſa tamen eſſe cenſuram ab homine, eamque ſpecialem, quia quod perſona confuſe, vel in particulari exprimatur, vel quod delinquens ſit unus, aut plures, non variat modum ferendi cenſuram ab homine per ſententiam particularem (*Suares diſp. 7. ſe. 2. n. 20.*). Unde colliges cum Jacobo Eveillon c. 32. a. 5. Gibetto, & aliis paſſim, eum, qui Lugduni excommunicatus eſt, ſive nominatim, ſive quia monitorio non paruit, nec ab Epiſcopo Diœceſis alterius, in qua domicilium poſtea fixit, nec a Superiore Religionis, quam ingreditur, abſolvi poſſe: unde vel ad eum remitti debet, cujus ſententia innodatus eſt, vel ab eo per literas, aut aliter petenda eſt abſolvendi illius facultas (*Suar. ibid. n. 27. &c.*). Rurſus qui in aliena Diœceſi, ob aliquod delictum ſpeciali cenſura ligatus fuiſſet, ad ſua reverſus a proprio Epiſcopo abſolvi non poſſet, niſi de licentia Epiſcopi excommunicantis (*Habert. ibid.*). Ratio patet, tum ex dictis, tum quia, ex trito axiomate, *Præventus a Judice, forum ipſius in ea cauſa declinare non poteſt.* Addit Eveillon ibid. p. 460. eum, qui cenſura particulari percuſſus eſt ad inſtantiam partis, non poſſe etiam poſt præſtitam ei ſatisfactionem, & de ejus conſenſu ab alio abſolvi quam a Superiore, vel de ſpeciali ejus licentia. Et hæc omnia a Regularibus ipſis caute penſari debent; cum ii, quidquid poteſtatis habeant a Papa, nihil poſſint in cenſuras ab homine, quas ne ipſa quidem Apoſtolica Sedes per ſe relaxat, ut a viro experto didici.

Aliud eſt cum quis alicubi, v. g. Pariſiis cenſuram aliquam per ſtatutum Archiepiſcopo Pariſienſi reſervatam incurrit; is enim ſi bona fide in aliena Diœceſi confiteatur, poterit abſolvi ab Epiſcopo loci illius, vel a Sacerdote quovis, ſaltem ſi (quam reſtrictionem ſtatim expendam) pro cenſuris reſervatis approbatus ſit. Ratio eſt I. quia id uſu receptum eſt, conſuetudo autem juriſdictionem tribuit. II. quia hæc agendi ratio & immunis eſt ab incommodis, quæ ſequerentur abſolutionem a cenſura ab homine ubicunque conceſſam; & fere neceſſaria eſt, cum ſatis facile ſit incurrere cenſuras a jure, raro autem incidat quis in cenſuras ab homine per ſententiam ſpecialem.

Quæres obiter, a quo Titius, qui in caſum Pariſiis reſervatum ſine cenſura incidit, abſolvi poſſit.

R. I. Titius in Diœceſi Pariſienſi non poteſt abſolvi niſi a Confeſſario pro caſibus reſervatis approbato; res per ſe patet.

R. II. Si caſus ille etiam in alia Diœceſi, quam adierit Titius, reſervatus ſit, ejus quoque abſolutio ab eo petenda erit, qui pro reſervatis approbatus ſit, idemque ubique erit, ſi caſus ille ubique reſervatus ſit.

R. III. Si caſus ille non ſit reſervatus in illa alia Diœceſi, tunc a Confeſſario etiam pro reſervatis non approbato dimitti poterit.

R. IV. Si caſus Pariſiis non reſervatus reſervatus ſit in alia Diœceſi, v. g. Carnuti, in qua commoratur Titius, tunc etſi Pariſiis commiſſus ſit, non niſi a Sacerdote pro reſervatis approbato abſolvi poterit. Pariter ſi hodie cum peccat Titius, peccatum ejus reſervatum non ſit, cras vero novo ſtatuto reſervetur, habenda jam erit abſolutio ab approbato pro reſervatis. Ratio eſt, quia reſervatio, utpote quæ ſit limitatio poteſtatis ordinariæ, vel delegatæ, per ſe, & primario cadit in Confeſſarium, (prout ab Eugenio IV. definitum eſt;) ergo Confeſſarius ille non poteſt abſolvere Titium, etiamſi is peccaverit in loco, vel tempore, ubi nulla erat reſervatio.

Sed quid ſi caſui, in quem incidit Titius, annexa ſit cenſura in loco, ubi crimen commiſſum eſt, reſervata? R. abſolutionem a quocunque ſimpliciter approbato haberi poſſe, ſi nulla ſit reſervatio in loco, ad quem ſe Titius tranſtulerit. Ratio eſt, quia etſi cenſura directe in pœnitentem cadit, unde ſola abſolutione tolli poteſt, reſervatio tamen in Confeſſarium cadit; ergo remanente cenſura, tolletur reſervatio iis in locis, ubi cenſura hæc vel lata non eſt, vel ſaltem non fuit reſervata. Quidni ergo eadem cenſura a quocunque Sacerdote approbato relaxari poſſit?

Con-

Confirm. Ideo censent Caballutius, & Pontas, eum, qui Parisiis peccatum reservatum admisit, posse alibi a quocunque Sacerdote etiam pro reservatis non approbatum absolvi, si casus ille ibi reservatus non sit: I. quia Confessarius quilibet non potest adstringi ad sciendum omnes, & singulos casus reservatos in Diœcesibus eorum, qui ad se confessionis causa confluunt. II. quia ex constanti regula reus judicari debet *secundum jura loci, in quo judicatur*: atqui duplex ea ratio invicte ostendit censuram a statuto Parisiis reservatam, non autem Carnuti, ibi a quocunque Confessario remitti posse. An enim tenetur Confessarius Carnotensis ad sciendum omnes, & singulos casus reservatos cum censura in aliis Diœcesibus? An non judicabit secundum jura loci sui, si absque approbatione pro casibus reservatis eam relaxet censuram, quæ in Diœcesi sua reservata non est?

Quæres, quot sint censuræ Episcopis reservatæ.

R. I. in toto juris corpore, juncta Synodo Tridentina, unam esse hæreseos censuram, quæ ita Episcopis reservata sit, ut eis solis *in foro conscientiæ tantum, non eorum Vicariis*, ab ea absolvere *sit permissum*. Certum est Episcopos Galliæ absolvere ab hæresi, etiam publica, non per se solum, aut Vicarios suos, sed per eos omnes, quos ad hoc delegare volunt sive pro interiori, sive pro exteriori foro (*Gib. p. 137. Sess. 24. c. 6.*).

R. II. censuras omnes, quæ cum publicæ sunt, reservantur Papæ, reservari Episcopo cum occultæ sunt: idem est de censuris etiam publicis, cum qui iis ligati sunt, ad Apostolicam Sedem recurrere non possunt: utrumque sequitur ex supra dictis.

R. III. tres esse in Decretalibus excommunicationes, quarum absolutio Episcopis reservata sit, sed cum quadam limitatione. Prima ex est, quam incurrunt Clericorum percussores. Secunda, quam incurrunt incendiarii. Tertia, quam incurrunt qui cum effractione spoliant Ecclesias (*Vide c. 17. 19. 11. De sent. exc.*). Ab his de jure absolvere possunt Episcopi per se, vel per delegatos, sed, ut dixi, cum restrictione; nam qui Clericum percussit atrociter, a solo Papa absolvi potest, si percussor ad eum recurrere possit: incendiarius vero, & Ecclesiarum cum effractione spoliator, ab Episcopo absolvi non possunt, *si sint denuntiati*.

Quod spectat ad alias censuras, quæ Episcopis per eorum statuta reservantur, consulere debent Confessarii Libros Rituales Diœcesis, in qua versantur.

Quod spectat ad censuras Romano Pontifici reservatas, eæ sunt numero 29.

I. est contra eos, qui *suadente diabolo in Clericum, vel Monachum violentas manus* injecerint, c. *Si quis* XVII. q. 4. Hæc sola habetur in Decreto.

II. contra excommunicatos a Delegato Papæ, qui per annum in excommunicatione remanent, nec absolutionem obtinere satagunt, c. 26. *De offic. deleg.*

III. contra falsarios Literarum Pontificalium, qui *per se, vel per alios vitium falsitatis exercent*, c. 7. *De crim. falsi.*

IV. contra *non resignantes, vel non destruentes* hasce *Literas falsas intra viginti dies*, ibid. c. 4. in parte dec.

V. contra incendiarios, *ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati*, c. 19. *De sent. excom.*

VI. contra eos, qui cum effractione spoliant Ecclesias, *si sint denuntiati*, c. 22. ibid.

VII. contra *Clericos, qui scienter, & sponte participaverunt excommunicatis* a Papa, *& eos in officiis receperunt*, c. 18. ibid. Hæc habentur in Decretalibus.

VIII. contra *eligentes in Senatorem Rom. aliquem Imperatorem, Regem, Comitem, aut alium dignitate præcellentem, aut fratrem, aut filios ejus*, c. 17. *De elect.* in 6.

IX. contra *dantes licentiam capiendi, interficiendi, aut vexandi personas Aulicorum, aut eorum facultates, aut suorum, eo quod tulerint excommunicationis, suspensionis, aut interdicti sententiam in proceres, & quoscunque alios, & eorum ministros*, c. 11. *De sent. excomm.* in 6.

X. contra *insequentes, persequentes, vel capientes hostiliter Cardinalem, vel auxilium, & favorem dantes ad illud exequendum*, c. 5. *De pœn.* in 6. Hæ, ut patet, habentur in Sexto.

XI. contra eum, qui *quamvis Pontificem injuriose, vel temere percusserit, aut ceperit, aut banniverit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit*, Clem. 1. *De pœn.*

XII. contra Inquisitores, qui *odii, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu*, in Officio negligentes fuerint, aut injusti.

XIII. contra Religiosos, qui *non habita super his Parœcialis Presbyteri licentia* præsumunt *administrare Sacramenta Unctionis extremæ, & Eucharistiæ, Matrimoniumve* celebrare, seu *absolvere excommunicatos a canone*, præterquam in casibus, qui eis concessi sunt, *vel a sententiis per Statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis*, Clem. 1. *De privil.*

XIV. contra *prohibentes, ne excommunicati denuntiati ab Ecclesiis exeant tempore Missæ, & divini Officii*, Clem. 2. *De sent. excom.*

XV. contra *excommunicatos, & interdictos inobedientes a celebrantibus monitos, ut ab Ecclesia exeant*, ibid.

XVI. contra *Dominos temporales cogentes celebrare in Ecclesia interdicta*, ibid.

XVII. contra *Religiosos, & Clericos, qui aliquem inducunt ad vovendum, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant*, &c. Clem. 3. *De pœnis*. Hæ ex Clementinis; reliquæ sunt ex Extrav. commun.

XVIII. contra *violantes interdicta ab Apostolica Sede imposita*, c. 3. *De pœn.*

XIX. contra *conspirantes in personam Romani Pontificis*, ibid.

XX. contra *asserentes esse hæreticum, qui dicit.... B. Virginem esse conceptam sine peccato*, & vice versa, c. 2. *De Reliq. & ven. SS.*

XXI. contra *Religiosos mendicantes transeuntes ad aliam Ordinem non mendicantem, sine licentia Papæ, excepto Carthusiensium Ordine*, c. 1. *De Regular.*

XXII. contra *absolventes sine licentia ab excommunicatione Papæ reservata*, c. 3. *De pœn. & remiss.*

XXIII. contra committentes simoniam, & eorum mediatores, c. 2. *De simon.*

XXIV. contra eos, qui *aliquid dant, vel promittunt*

*tunt ad obtinenda a S. Sede Rescripta gratiæ, vel justitiæ, aut qui iis sic obtentis utuntur*, c. 1. *De sent. excom.*

XXV. contra *ferentes censuras in subditos, qui Sedem Apostolicam pro suis negotiis prosequendis adeunt*, c. 3. *De privil.*

XXVI. contra *deferentes arma, equos, victualia, & alia quæcunque mercimonia in Alexandriam, & alia loca Saracenorum terræ Ægypti*, c. 1. *De Judæis*.

XXVII. contra *exigentes, & etiam dantes pastus, pecunias, vel jocalia pro Religionis ingressu*, c. 1. *De simon.*

XXVIII. contra Religiosos, qui sine licentia Superioris transferunt se *ad partes transmarinas*; item contra Superiores, qui aliis, quam viris *literatis, providis, & expertis* licentiam illuc eundi concedunt.

XXIX. est contra reos *criminum hæresis*. Aliæ passim iisdem in libris decernuntur excommunicationes, quæ referuntur ad citatum caput *Si quis suadente* XVII. q. 4.

Ex his casibus sex, vel octo, plus, minusve variis in Ritualibus exscribuntur sub nomine casuum Papæ reservatorum; quia tamen moneat aliqui Præsules, præter eos, quos recensent casus, alios esse Papæ reservatos, quos omittunt, quia *rarius in his regionibus* (*Paris. p.* 92. *Blesens. pag.* 84.) accidunt, idcirco Confessarii ad Episcopum recurrere debent, si forte quosdam in pœnitentibus suis detegant casus iis similes, quos modo enumeravi.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De subjecto Censuræ, &c.*

CONstat I. quod Superior ut absentem ligare, sic & a censura absolvere potest. II. absolutionem ei esse tribuendam, qui eam humiliter petit, seque a contumacia recessisse probat. Hac occasione.

Quæres I. quo instanti operetur absolutio a censuris absenti data. R. eam si absolute & sine conditione data sit, operari statim ac concessa est, etiamsi nuntius, vel epistola nondum pervenerint ad absolutum. Ratio est: I. quia absolutio vim trahit ab intentione Superioris. II. quia si censura statim ac prolata est absentem ligat, quidni & absolutio statim solvat?

Quæres II. an absolvi possit invitus. R. vel quis est invitus, quia non vult a contumacia recedere; vel quia licet recesserit a contumacia, non vult absolutionem petere. Si 2. valide absolvi potest, quia censura non est culpa, sed pœna, & sic a nolente auferri potest. Excipe, si pœnitens absolveretur vi Bullæ, vel privilegii in ipsius pœnitentis favorem concessi, quia usus privilegii pendet a voluntate illius, cujus in gratiam concessum est. Si 1. vel peccatum, in quo quis contumaciter perseverat, uno actu non conficitur, sed tractum habet successivum, ut hæresis; vel peccatum illud ipso facto completur, ut fornicatio. In priori casu non potest tolli censura, remanente contumacia, nisi lex suspendatur, quia lex perseverans perpetuam operaretur censuram: unde tunc is solum a censura absolvere potest, qui potest legem tollere. In secundo casu, habens ordinariam absolvendi potestatem, absolvere potest etiam invitum, etsi legem tollere non possit: nam & jurisdictionem habet & actio ejus non irritatur per resistentiam ejus, quem absolvit, cum absolutio ab ejus voluntate non pendeat; & aliunde lex novam continuo censuram non infert, ut in priori casu.

Quæres III. an una censura auferri possit, remanente alia. R. affirm. quia nulla est inter censuras connexio: unde ut una ante aliam ferri, sic una ante aliam auferri potest. Hinc qui absolutionem petendo extra confessionem, unam expressit censuram, non debet judicari ab aliis absolutus, nisi conjici possit Judicem sine restrictione absolvere intendisse, quod nunquam præsumere debet, qui ex dolo aliquas, quibus tenebatur, censuras celavit. In Sacramento Pœnitentiæ Sacerdos intendit absolvere quantum licite potest, & indiget pœnitens; unde tollit eas etiam censuras, quæ e pœnitentis sui memoria exciderant. Quapropter si Confessarius a censuris reservatis absolvere potuit saltem indirecte, tenebitur quidem pœnitens peccata oblita clavibus subjicere, non autem denuo a censuris absolvi, unde absolvi poterit a quocunque Confessario. Docet tamen Avila, & alii multi, eum, qui in confessione oblitus est censuræ, a qua absolvi non poterat, nisi præmissa satisfactione partis, non remanere absolutum, etiamsi generalem a Sacerdote ad hoc approbato absolutionem obtinuerit; quia probabile non est Confessarium impendisse absolutionem, quam si valide dare potuit, non potuit tamen sine mortali peccato concedere.

Quæres IV, an absolutio a censuris dari possit, non data absolutione a peccatis.

Not. triplex forum hic distingui: forum contentiosum, forum conscientiæ, forum pœnitentiæ. Primum est illud, in quo res externæ discussæ judicantur secundum terminos juris. Secundum est ipsum pœnitentiæ tribunal, in quo major æqui, & boni habetur ratio, quam rigoris legum. Tertium est illud in quo res expediuntur absque judiciali strepitu, & Sacramentali confessione. His positis

R. I. eum, qui habet potestatem ordinariam, posse a censuris absolvere extra confessionem; idque vel in foro fori, vel in foro conscientiæ. Patet id ex usu.

R. II. eum, qui potestatem habet delegatam, seu ad absolvendum a censuris, seu ad dispensandum a voto, vel similibus, in foro conscientiæ, posse dispensare, absque eo quod audiat illius, quicum dispensandum est, confessionem; secus si delegetur ad dispensandum in foro pœnitentiæ. Ratio est, quia ex dictis, & usu Curiæ Romanæ, aliud est forum conscientiæ, aliud forum pœnitentiæ: unde, ait Bonacina, Parocho nondum Sacerdoti tribui potest facultas subditos suos in conscientiæ foro a censuris absolvendi, licet eorum confessiones excipere nequeat. Hæc tamen absolutio, sicut & dispensationes in tali foro concessæ, pro exteriori foro valere prohibentur, nisi aliud exigat æquitas, & præmissa sit satisfactio.

R. III. Censent non pauci Sacerdotem pro censuris reservatis approbatum, posse jam incœpta confessione, nondum autem finita, a censuris absolvere pœnitentem, cum id exigit ratio sufficiens, puta, ut intersit Missæ, vel Officiis, qui iisdem interesse solebat, nec sine aliquali scandalo ab iisdem recedere potest ( *ex Gibert.* ). Ita mihi declaravit celebris Canonista; atque id factum scio a Confessariis nec imperitis, nec via laxiori incedentibus; qui tamen merito existimabant talem absolutionem iis solum concedendam esse, ex quorum dispositionibus moraliter conjicitur eos, absoluta tandem confessione, dignos fore qui a peccatis absolvantur. Quia tamen hic aliquid est dubii, tutius est, ut hoc non faciant nisi ii, qui quasi specialiter approbati plus potestatis receperunt, quam alii: quales ii esse videntur, quibus Episcopus, amicitiæ, & fiduciæ gratia, id omne, quod potest, jurisdictionis communicat, aut qui ea de re specialiter Episcopum consuluerunt, quod ab omni erroris periculo magis est remotum.

Quæres V. an cui ex privilegio permissum est, ut Confessarium approbatum eligat, possit eligere Confessarium ab alterius Diœcesis Ordinario approbatum. R. neg. quia talis non censetur hic approbatus, ut declaravit Congregatio Cardinalium. Addo eum, qui non eligeret Confessarium pro censuris, aut casibus reservatis approbatum, non posse ab his per eum absolvi.

Quæres VI. an valeat absolutio censuræ per vim, metum, dolum, aut errorem extorta.

R. I. Absolutio data per vim, aut metum gravem injuriosum, a quocumque incussum ad obtinendam absolutionem, invalida est, etiamsi de minore solum excommunicatione agatur. Ratio est I. quia hæc absolutio irritatur c. un. *De iis, quæ vi*, in 6. II. quia non decet, ut qui Ecclesiæ injuriam facit, ab ea idcirco beneficium reportet.

Dixi *per metum gravem*; quia in jure non habetur ratio metus levis. Rursus dixi per metum incussum *ad obtinendam absolutionem*: unde si quis ab hoste pressus excommunicatum absolvat, ut hac ratione ipsum ad sui liberationem invitet, valebit absolutio, modo hostes absolutionem hanc extorquere non intenderint. Hinc qui excommunicatus sub conditione, ut intra mensem satisfaceret, ante elapsum terminum, vi, vel metu sententiam hanc revocari curavit, adhuc incurreret censuram, quia talis revocatio invalida est, & nihil operatur.

R. II. Absolutio extorta per dolum circa causam finalem, seu principalem, non valet. Ratio est, quia Superior non intendit absolvere, nisi subsistente causa finali sibi proposita: unde qui falso dicit se læsæ parti fecisse satis, non absolvitur. Si vero error, & dolus non sint in re substantiali, sed solum impulsiva, valebit absolutio, ut si absolvendus causas aliquas accidentales fingat, quo magis Judicis animum alliciat.

Quæres VII. cui detur absolutio ad cautelam. R. eam dari: I. ei, qui dubitat utrum excommunicationem incurrerit. II. cuilibet pœnitenti antequam absolvatur a peccatis, ut tollatur recipiendi Sacramenti impedimentum, si quod forte subest. III. non excommunicato solum, sed & ei etiam, qui ab ordine, officio, vel beneficio suspensus est, aut qui personaliter interdictus fuerit.

Quæres VIII. an in absolutione a censura exprimi debeat censura, a qua quis absolvitur, vel in genere, ut si dicatur, *Absolvo te a censuris*; vel in specie, ut si dicatur, *Absolvo te ab excommunicatione*. R. si quid præcedat, quod absolutionem satis determinet, necesse non est, ut absolvens exprimat censuram; unde petenti absolutionem ab una, vel pluribus censuris, satis est si dicatur, *Absolvo te*. Si vero nihil præcedat, unde talis determinatio moraliter fieri possit, ut cum absolvitur quis a censura invitus, aut nihil de censuris cogitans, tunc longe tutius est, imo & probabilius, requiri, ut absolutio determinetur ad censuras: verbum enim *absolvo*, utpote de se indifferens ad multa, non plus circa censuras, quam circa alia vincula operaretur.

Quæres IX. an in absolutione exprimenda sit causa, propter quam quis censuram incurrit ( *Vide Suar. disp. 7. sect. 9. n. 6.* ). R. id ad absolutionis validitatem non esse necessarium, nisi cum quis pluribus censuris ligatus est, & absolutionem petit ab eo, qui ab omnibus absolvere valens, non intendit tamen ab omnibus absolvere: tunc autem exprimitur causa, ut sciatur, quam, vel quas censuras relaxare velit Superior. Quod si absolutio petatur ab eo, qui ab una tantum potest absolvere; vel qui ab omnibus omnino absolvere valens, ab omnibus absolvere intendit, vel qui determinat a qua solvere velit, nulla requiritur causæ expressio; quia absolutio satis determinata est ex parte ministri, cujus potentia vel limitata est, & ideo non cadit nisi in objectum, ad quod limitata est; vel ad omnes censuras se extendit, aut ad aliquas tantum, sed ab ipso Superiore determinatas.

Ceterum cum absolutio a censuris datur in foro interiori ab habente facultatem, sufficit forma communis in absolutione sacramentali usurpari solita. Si autem detur in foro exteriori, tunc vel in mandato, quo Sacerdoti commissa est absolvendi facultas, certa forma præscribitur, & *illa omnino servanda est*; vel in mandato, seu commissione dicitur, *In forma Ecclesiæ consueta absolvat* ( *Ritual. Rom.* ), & sequendum est id, quod in Rituali uniuscujusque Diœcesis præcipitur.

# PARS SECUNDA.

## DE CENSURIS IN SPECIE.

IN hac parte dicam: I. de excommunicatione. II. de suspensione. III. de interdicto.

CAPUT

## CAPUT PRIMUM.

*De Excommunicatione.*

Dicendum hic de excommunicationis natura, divisione, causis, &c.

### ARTICULUS PRIMUS.

*Excommunicationis natura, divisio, &c.*

Excommunicatio est Censura privans baptizatum communione bonorum Ecclesiæ vel ex toto, vel ex parte. Scilicet excommunicatio alia est *major*, quæ communibus Ecclesiæ bonis privat ex toto, & quantum potest; alia *minor*, quæ aliquibus tantum Ecclesiæ bonis privat, nempe passiva Sacramentorum receptione, & electione passiva ad Beneficium, de quo infra. Hodie excommunicationis nomen solitarie sumtum de majori solum intelligitur: quia excommunicatio includit negationem communionis; negatio autem simpliciter addita totum destruit.

Circa subjectum excommunicationis quæritur: I. an Communitas v. g., Collegium, aut Universitas possit excommunicari.

R. I. excommunicationem hanc, si pro delictis præteritis feratur, illicitam fore. Ita statuit Innocentius III., & quidem *satis provide*, ait Sanctus Thomas in 4. dist. 18. q. 2. *ne collectis zizaniis simul eradicetur & triticum*; & ne insontes cum sontibus plectantur.

R. II. si constaret de crimine, & contumacia omnium, & singulorum Communitatis membrorum, excommunicationem jam non fore illicitam, etiamsi ferretur a simplici Episcopo; quia tunc nulla esset ratio timendi, ne innocentes eadem, qua noxii pœna obruerentur; quod unice cautum voluit Innocentius III.

R. III. probabile esse excommunicationem latam in omnia Communitatis membra, quorum quædam innoxia sunt, validam esse pro noxiis, licet pro aliis valere non possit. Ratio est, quia censura hæc licet prohibita sit, nullibi tamen irritatur in jure; ergo cum valere possit quoad eos, qui revera criminis conscii sunt, pro iis valebit, licet insontem ligare nequeat; qui tamen, si fides sit Sylvio, deberet in hoc casu se palam gerere ut excommunicatum, donec innocentiam suam probasset.

R. IV. licitam esse excommunicationem, quæ pro delictis futuris in hunc modum terretur: Si quis ex Communitate blasphemet, excommunicatus sit. Ratio est, quia hic censuræ ferendæ modus nihil per se habet iniqui, nihil, quod in jure reprobetur.

Quæres II. an Episcopi, aliique Prælati Papa inferiores comprehendantur in excommunicatione sive per sententiam, sive per canonem lata, cum expressa eorum mentio non fit. R. affirmat. quia Innocentius IV. ( *Cap.* 4. *de Sent. excomm. in* 6. ) statuit quidem, ut in nullo casu Episcopi suspensionis, vel interdicti censuram incurrerent, *nisi de ipsis expressa mentio habeatur*: at non ita eos exemit ab excommunicatione; ergo ea, tametsi nominati non sint, non minus quam alii irretiuntur, cum faciunt aliquid sub excommunicationis pœna prohibitum.

Et vero tametsi excommunicatio eosdem quoad Pontificalium executionem patit effectus, ac suspensio, & interdictum, ab his tamen eximi Episcopos decuit, non ab illa: I. quia plures sunt casus, in quibus incurritur suspensio, pauciores, in quibus incurratur excommunicatio. II. quia hæc non incurritur, nisi propter culpas adeo oppositas Episcoporum statui, ut ab iis admittendis procul abesse merito præsumantur; contra vero suspensiones contrahuntur in materia, ut ita dicam, Clericali, adeoque quasi Episcoporum propria; unde nihil mirum si in eas frequentius incidetent, adeoque ab iis debuerint eximi, quoties iisdem nominatim non includuntur. Hoc privilegium ad Episcopos nondum consecratos extendit Saytus post Glossam ( *l.* 1. *c.* 8. *n.* 25. ).

### ARTICULUS SECUNDUS.

*De effectibus Excommunicationis majoris.*

Effectus excommunicationis majoris, de qua sola agimus in præsenti Articulo, alii sunt *per se*, quos excommunicatio solitarie sumta producit; alii *per accidens*, qui novam in excommunicato malitiam, & contumaciæ augmentum supponunt: talis est irregularitas, quam contrahit Clericus, qui excommunicatione ligatus celebrat. Effectus *per se* adæquatus est totalis privatio communionis Ecclesiæ; partiales sunt privatio communium Ecclesiæ suffragiorum, participationis Sacramentorum activæ, & passivæ, divini Officii, &c. De his seorsim agendum.

#### SECTIO PRIMA.

*De privatione suffragiorum.*

Nota I. suffragium est quodcunque opus bonum applicatum proximo ad impendendum animæ ejus salutare auxilium, sive auxilium illud profit alteri ex opere operato, quod in solo Missæ sacrificio locum habet, sive ad modum operis operati, ut fit in indulgentiis, sive ex opere operantis, ut in jejuniis, &c.

Not. II. suffragia vel communia sunt, vel privata: *communia* sunt auxilia, quæ ex bonis Ministrorum Ecclesiæ operibus, puta sacrificiis, orationibus in persona, & nomine ejusdem Ecclesiæ factis, Fidelibus proveniunt; quo etiam pertinet fructus satisfactionum, qui ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias ab Ecclesiæ Prælatis applicatur. *Privata* suffragia sunt vel opera bona, ut orationes privatæ, jejunia, &c. quæ a Christianis, non ut Ecclesiæ ministris, sed ut a persona particulari pro aliis offeruntur.

Not. III. privata, & publica suffragia differunt, quatenus privata valorem suum perdunt ex indignitate offerentis, non item publica, quæ semper eum servant valorem, quem habent ab Ecclesia, cujus nomine

nomine offeruntur. In eo autem conveniunt: I. quod privata sicut & publica quendam habent valorem in eo situm, quod opera pia in unitate Ecclesiæ facta omnibus prosint Fidelibus independenter ab ulla sive operantis, sive Ecclesiæ ipsius intentione, & quasi ex natura rei: nam & in hoc ex parte sita est *communio Sanctorum*. II. quod utraque fructum insuper particularem pariunt, qui prodest tum ei, qui agit, tum ei, pro quo offertur actio, juxta id S. Ambrosii in cap. 5. Luc. *Magnus Dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis*.

Not. IV. excommunicatorum alii sunt tolerati, alii non. Priores ii sunt, qui violata lege, cui annexa erat excommunicatio, eamdem incurrerunt, sed nondum publice pro excommunicatis denuntiati sunt, etsi forte per Judicis sententiam excommunicationem incurrisse declarati sunt. Posteriores sunt ii, qui non modo per Judicis sententiam nominatim excommunicati sunt, sed & ut tales in facie Ecclesiæ denuntiati sunt; sive affixa sit valvis Ecclesiæ sententia, quæ in eos lata est; sive coram populo in Ecclesia collecto lata fuerit, cujus conditionis defectu ne ipsi quidem Protestantes pro Hæreticis vitandis habemus in Gallia, Anglia, Germania. His positis, quatuor hinc inquiruntur: I. an excommunicati Ecclesiæ suffragiis priventur. II. an id locum habeat in contritis. III. an in toleratis. IV. an suffragia pro iis non solum illicite, sed & invalide offerantur. Sit

CONCLUSIO I. Excommunicati privantur communibus Ecclesiæ suffragiis. Ita omnes.

Prob. quia ad hoc satis est, ut Ecclesia id possit, & id velit: atqui I. Ecclesia id potest: ut patet tum ex potestate instituendi censuras ipsi a Christo concessa; tum ex speciali jure, quod habet in hæc spiritualia bona, quorum dispensatrix ab eodem Christo constituta est. II. id vult, ut patet ex jure (*Cap.* 28. & 38. *de sentent. excomm.*), ubi vetitum est, ne pro excommunicato oretur, aut ne ad illum pars ulla bonorum Ecclesiæ derivetur; ergo.

Nihilominus Ecclesia legem, qua cavet, ne pro excommunicatis oretur, suspendit die Parasceves, ut Sponsum suum imitetur, qui eadem die pro inimicis suis oravit.

Hinc I. letaliter peccaret, qui preces, quæ Ecclesiæ nomine fiunt, funderet pro excommunicatis, quia Ecclesiæ præceptum in materia gravi transgrederetur. II. qui ut Minister Ecclesiæ, vel nomine ejus oraret pro excommunicato denuntiato, is sive Laicus, sive Clericus, minorem excommunicationem incurreret: nisi tamen id faceret ex ignorantia, vel gravi metu, modo non in ecclesiasticæ potestatis contemptum incusso.

Quæres I. an assertio nostra ad excommunicatos etiam toleratos extendatur. Ratio dubitandi sumitur ex celebri Decreto, quod incipit, *Ad evitanda scandala*, ubi sic: *Ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt, Christi Fidelibus misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, intus, & extra, prætextu cujuscunque sententiæ, aut censuræ ecclesiasticæ, a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia; aut censura hujusmodi fuerit lata contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum certum, aut certam, a Judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expresse.... Per hoc tamen non intendimus relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, & interdictos, aut prohibitos.* Jam ad propositum

R. affirmat. I. quia in citata Decretali Martinus V. vel quilibet alius ejus auctor declarat se non intendere *relevare, neque juvare sic excommunicatos, suspensos, & interdictos*; adeoque ullum iis favorem præstare: atqui magnus iis favor præstaretur, si pro iis publica suffragia applicari possent. Sic enim destrueretur præcipua excommunicationis ratio, quæ in eo sita est, ut quis ita excludatur ab Ecclesia, ut jam communibus ejus bonis non fruatur.

II. Quia is unus est Constitutionis citatæ finis, ut vitentur scandala, & *conscientiis timoratis* subveniatur: atqui finis ille obtineri potuit, absque eo quod concederetur interna cum excommunicatis communicatio. Hæc enim, quatenus interior, est invisibilis; quatenus vero per actus exteriores se prodit, pendet ab interiori applicatione, quæ sicut sine scandalo, & periculo pro solis Ecclesiæ filiis ab ea non præcisis dirigi potest, ita citra scandali metum, & sine *conscientiæ* remorsu potest pro excommunicatis non dirigi, imo vix pro illis publice, & nominatim exterius dirigi posset, ut fit in suffragiis communibus, sine scandalo.

Dices: Sepultura Ecclesiastica præcipue datur propter suffragia: atqui excommunicati tolerati Ecclesiastica sepultura privari non debent; ergo nec suffragiis.

R. hic dividi Theologos. Alii excommunicatum toleratum, nisi ante absolutus fuerit, in loco sacro tumulari posse negant, quia id cederet in maximum ipsius excommunicati honorem, & utilitatem. Ita Avila. Alii plures, quos sequitur Babin, contrarium censent; neque tamen ii omnes existimant eumdem excommunicatum publicis suffragiis juvandum esse, quia sæpe conceditur sepultura sancta, quibus suffragia negantur (*Cap.* 11. *de penit.*): sic antiquo jure Clerici, qui nec specialiter interdicti erant, nec interdicto causam dederant, poterant in loco sacro sepeliri, sed *cum silentio*, adeoque sine precibus publicis. Alii demum forte dicent Ecclesiam orare conditionate, si subjectum sit capax, vel legis suæ rigorem moderari in hoc casu.

Quia tamen suffragiorum denegatio iis, qui in excommunicatione, vel impœnitentia notoria moriuntur, totum aliquando regnum commovere potest, cavendum, ne quid fiat inconsulto Episcopo: cujus erit perpendere an excommunicatus v. g. ob percussionem Clerici tam debeat præsumi decessisse impœnitens, quam excommunicatus ob hæresim, cui raro admodum renuntiatur.

Quæres II. an non saltem excommunicatus contritus partem habeat in suffragiis. R. negat. I. quia censura, quæ sempcs manet, suum semper operatur effectum: atqui in homine conttito semper remanet censura, qua ligatus est. Minor patet, quia ex dictis censuræ non nisi absolutione sola tolluntur.

Prob. maj. Si censura remaneote tolleretur ejus effectus, utique pet piam Ecclesiæ concessionem, ut contendunt Adversarii: atqui hoc dici nequit; I. quia probari non potest Ecclesiam moderari magis effectum censuræ pro contritis, quoad suffragiorum, quam quoad Sacramentorum participationem; porro eacommunicati quantumvis per contritionem Dei amici evaserint, a Sacramentis arceri debent. II. quia ex jure manifestum est non minus requiri absolutionem a censuris, ut quis suffragiorum particeps fiat, quam ut Sacramenta conferre, vel recipere possit. Definit enim Innocentius III. (*Cap. 28. De sent. excom.*) excommunicatum *quantacunque in eo pænitentiæ signa præcessèrint, si morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen apud Ecclesiam* esse absolutum; unde & hunc post mortem absolvendum esse statuit. Si autem statuit Pontifex, ut pro homine jam mortuo, & ante mortem contrito, orationes, seu suffragia non offerantur, multo minus ea pro homine vivo offerri permittit.

At, inquies, Fidelium communio, quæ in charitate fundatur, ideoque in Symbolo vocatur *Communio Sanctorum*, non pendet ab Ecclesia, nec magis ab ea impediri potest, quam charitas, quæ ejus fundamentum est: atqui hæc communio nihil est aliud, quam communium suffragiorum participatio; ergo.

R. neg. min. Alia est enim Sanctorum communio, quæ fundatur in charitate; alia participatio in suffragiis, quæ Ecclesia pro membris suis per suos Ministros offert. Communio Sanctorum non pendet ex intentione operantis, sed velut ex natura rei producitur inter eos, qui eadem charitate conjuncti sunt. Ab hac itaque communione non excloditur homo per censuram, sed per culpam, unde ei restituitur statim ac sublata est culpa, etsi nondum sublata sit censura: sed non ita est de suffragiis, quæ cum iis solis prodesse possint, quibus applicantur ex Ecclesiæ consensu, & ex eodem consensu iis non applicentur, qui ab ea per excommunicationem nondum sublatam præcisi sunt, nulli prorsus excommunicato quantumlibet contrito opitulari possunt.

CONCLUSIO II. Non solum illicita, sed & invalida foret suffragiorum applicatio excommunicato facta.

Prob. quia Ecclesia communium suffragiorum dispensatrix, applicationem hanc annullat, unde non pluris valet, quam donatio a dispensatore facta, & a domino irritata. Ubi tamen ad vitanda scandala invaluit usus, ut v. g. post mortem pro quibusdam excommunicatis offerantur suffragia, videntur hæc iis prodesse, si in statu gratiæ decesserint.

CONCLUSIO III. Potest tamen Sacerdos privatim orare in *Memento* Missæ pro excommunicatis etiam denuntiatis, modo eos exterius non nominet, sive in Canone, sive in orationibus publicis.

Prob. I. quia Ecclesia id non prohibuit. II. quia is est Fidelium usus. III. quia id semper consuluerunt pii quicunque Ecclesiæ Doctores. *Absit*, ait S. Bernardus ubi supra, *ut etiam pro talibus, etsi palam non præsumimus, vel in cordibus nostris orare cessemus.*

## SECTIO SECUNDA.

### *De privatione usus Sacramentorum.*

SAcramentorum usus duplex: alter passivus, quo recipiuntur; activus alter, quo administrantur. De utroque multa quæruntur, circa quæ

Dico I. Letalis sacrilegii reus est excommunicatus, etiam toleratus, cum recipit Sacramenta. Ratio est: I. quia gravem transgreditur Ecclesiæ prohibitionem in re, quæ spectat ad cultum, & honorem rei sacræ. II. quia si excommunicati tolerati a Sacramentorum participatione abstinere non tenerentur, non tenetentur abstinere ab aliis, quibus interdicuntur excommunicati, quippe quæ fere omnia minoris sint momenti, quam Sacramenta: sicque excommunicatio vanum esset nomen: atqui absurdum consequens. Hinc excommunicatus duo ad minus committit peccata cum Sacramenta recipit; aliud quidem contra Religionem, abutendo rebus sacris; aliud contra expressam censuræ obligationem.

Fatentur tamen omnes excommunicatum excusari posse: I. ob ignorantiam facti, vel juris. II. ob inadvertentiam, seu oblivionem naturalem, quæ ignorantiæ invincibili æquiparatur. III. ob necessitatem vitandi scandali, infamiæ, aut gravis alterius mali; quia vel Ecclesia potestatem non habet præcipiendi cum tanto incommodo, vel ea pro sua pietate uti non vult. Et vero iis de causis licet aliquando dimittere, quod jure divino præceptum est: sic potest peccatum in confessione reticere, qui cum fundamento mortem timet si illud aperiat.

Sed potestne celebrare Sacerdos, qui nisi celebret, perdet grandem pecuniæ summam, quæ in stipendium datur ei, qui hac die celebrat, & non alias, vel causa erit, cur populus jacturam magnam temporalem patiatur. R. Supponunt communiter Doctores, tanti damni metum causam esse, cur celebrare possit Sacerdos. Mihi quidem videtur: I. facilius posse celebrari ob vitandum populi damnum, quod multa murmura, & peccata secum trahit. II. si damnum, quod quis ex defectu celebrationis passurus est, tale sit, ut eum magnas in angustias conjecturum sit, videtur celebrare posse post sinceram ad Deum conversionem; si vero damnum illud etsi grave, satis tamen tolerari potest, satius, meo quidem judicio, esset abstinere ab actu celebrandi, qui tunc non nisi ob gravissimas causas tentari debet.

Dico II. peccat, & quidem ex vi censuræ, qui Sacramenta confert excommunicato vitando. Ratio

est,

est, quia violat in re gravi prohibitionem sæpius ab Ecclesia factam; ergo peccat mortaliter, nisi forte excuset necessitas, aut alia justa causa, ut si excommunicatus sit in mortis periculo, aut legitimam habeat petendi Sacramenti rationem, puta si vitandum sit scandalum, vel infamia: quod contingere potest iis in locis, ubi censura contra eum lata ignoratur. Non excusaretur tamen Sacramenti Minister ob metum a recipiente incussum, quia conferre Sacramenta indigno prohibitum est jure naturali; indignus autem est, qui Sacramenta per metum extorquet.

(✠) Animadvertendum est, tunc Sacramenti Ministrum non posse ob metum gravem Sacramenta Excommunicato vitando administrare, quando certo sit illum non esse in gratia, & quando metus infertur in odium fidei, vel Ecclesiæ contemtum: tunc enim potius mori debet, quam cum ipso communicare. Videatur Cap. Sacris *de his, quæ vi metusve caussa fiunt*. (✠)

Qui vero excommunicato tolerato Sacramenta ministrat, non peccat vi censuræ, quia Decretum *Ad vitanda scandala* ecclesiasticam ea de re prohibitionem abstulit. Peccare tamen potest contra jus naturale, & divinum, quæ vetant, ne Sacramenta conferantur indigne petenti, nisi petens sit peccator occultus, & publice petat. Communiter tamen præsumere potest Sacerdos, a censuris absolutum fuisse eum, qui Eucharistiam petit, nisi contrarium manifeste constet, aut immineat scandali, alteriusve incommodi periculum.

Dico III. Excommunicatus cetera præter pœnitentiam Sacramenta valide recipit quoad substantiam.

Prob. ut Sacramenta valide recipiantur, sufficiunt materia, forma, & intentio tum Ministri, tum suscipientis: porro hæc omnia reperiri possunt in Sacramentis excommunicato collatis. Et vero prohibitio Ecclesiæ efficit quidem, ut Sacramenta illicite recipiantur ab excommunicatis, non efficit autem, ut invalide recipiantur: quia non pendet ab Ecclesia, ut irritet Sacramenta, quæ cum conditionibus a Christo essentialiter præscriptis conferuntur.

Dixi, *quoad substantiam*; neque enim excommunicati, nisi in raris casibus, de quibus modo dictum est, Sacramenti gratiam percipiunt; quia in ipsa Sacramenti receptione letaliter peccant: alios tamen recipiunt effectus, ut characterem in Ordine.

Dixi iterum, *præter pœnitentiam*; quia ad pœnitentiæ valorem requiritur sincerus de peccatis dolor, quem non habet, qui non obstante excommunicatione, a qua absolvi non curat, ad pœnitentiam accedit.

Quæres, an excommunicatus, qua talis, possit aliquando valide Pœnitentiæ Sacramentum percipere. Potest id dupliciter evenire: I. si excommunicatus ad pœnitentiam accedat non advertens, aut ignorans invincibiliter se esse excommunicatum. II. si petat absolutionem a censuris, & peccato, Confessarius vero ex oblivione, vel malitia eum a peccatis absolvat, non autem a censura.

R. valere in his casibus Sacramentum Pœnitentiæ. Si enim non valeret, utique quia, ut Adversarii volunt, Ecclesia suam Sacerdotibus ademisset jurisdictionem in excommunicatos omnes: atqui nullo prorsus jure probari potest, Ecclesiam intendisse auferre cuilibet Sacerdoti jurisdictionem in excommunicatos, qui sincero de peccatis dolore tacti, inculpabiliter obliviscerentur alicujus, qua ligati fuissent, censuræ. Et vero si res ita esset, qui omnino oblitus esset incurrisse se excommunicationem Papæ reservatam, nunquam nisi forte in articulo mortis absolvi posset a Pastore suo; quandoquidem bona pœnitentis fides excusat quidem a culpa, sed non dat jurisdictionem Confessario: hoc autem quis admittat?

Confirm. quia quod absolvatur quis a peccato, & non ab excommunicatione, neque implicat ex parte absolventis, neque ex parte absolvendi. Non ex parte absolventis: licet enim excommunicatus privetur sua in alios jurisdictione, non tamen privatur passiva subjectione ad Superiores; alioquin pœna ejus plus caderet in Superiores, quibus sua adimeretur jurisdictio, quam in ipsosmet excommunicatos. Non ex parte pœnitentis, qui non minus a peccatis suis per pœnitentiam absolvi potest, absque eo quod absolvetur ab excommunicatione, quam ab iisdem, non ab illa, absolvi possit per contritionem; ergo.

Hinc colliges I. eos, qui cum excommunicati essent, confessi sunt cum legitimis dispositionibus peccata sua, non autem excommunicationem, quæ prorsus excideret e memoria, vere absolutos fuisse, nec teneri ad iterandam confessionem, sed solum ad petendam absolutionem censuræ, si forte hæc in memoriam redierit. II. eum, qui sine sufficienti dolore peccata confessus fuisset, oblita excommunicatione, teneri ad iterationem confessionis, non precise ob excommunicationem, sed ob defectum dispositionis.

Ceterum qui aliquem ab excommunicatione non absolutum absolvit a peccatis, peccat mortaliter; quia contra Ecclesiæ prohibitionem communicat in re sacra, & gravissima cum excommunicato; aut saltem Sacramenta administrat homini, cui eorum susceptio graviter interdicta est. Sed excusare potest: I. inadvertentia juris, & facti. II. necessitas, ut si mors ita cuipiam immineret, ut non posset ab excommunicatione plus absolvi, quam a peccatis. Existimant tamen Soto, & Coninch hæc verba, *Absolvo te*, si adsit sufficiens intentio, e censuris simul, & a peccatis absolvere posse, quanquam consultum sit addere, *a censuris, & a peccatis*, quia hoc nihil nocere potest.

Quæres quas incurrant pœnas, qui excommunicatis Sacramenta conferunt, aut ea in hoc statu recipiunt. R. I. nullas incurrunt, cum non peccant suscipiendo, aut conferendo, quia pœna supponit peccatum. II. excommunicati, qui Sacramenta cetera præter Ordinem recipiunt, nullas incurrunt pœnas; quia nulla in jure contra excommunicatos Sacramenta suscipientes expressa est pœna. Qui vero Ordines in hoc statu recipiunt, ab iisdem sunt

 suspen-

suspensi, ut alibi dicam. III. qui excommunicatis toleratis Sacramenta conferunt, non subjacent pœnis ecclesiasticis, quia non peccant contra jus humanum, possunt tamen peccare contra jus divinum, vetans ne Sanctum detur canibus. IV. qui excommunicatis vitandis Sacramenta administrant, incurrunt excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ ex c. 8. *De privil.* in 6. Clericus vero, qui *scienter*, & *sponte* cum excommunicatis a Papa, & denuntiatis participat, eosdem ad divina Officia recipiendo, excommunicationem majorem, eamque Papæ reservatam incurrit ex c. 18. *De sententia excomm.*

Quod spectat ad Sacramentorum collationem quæritur: I. an excommunicati Sacramenta valide conferant. II. an licite. III. an hæc ab iis recipi possint. IV. quas incurrant pœnas, qui ministrant, aut qui recipiunt; circa quæ

R. ad 1. Excommunicati tolerati per se valide conferunt quodcunque Sacramentum, etiam Pœnitentiæ. Ratio est, quia valet Sacramentum, cum adsunt materia, forma, intentio ministri, & jurisdictio, si necessaria sit, ut est in Pœnitentia: atqui hæc omnia reperiuntur in excommunicatis toleratis: neque enim iis sua per excommunicationem aufertur jurisdictio, ut patet ex citata Martini V. Constitutione.

Dixi *per se*; quia fieri potest, ut peccet quis confitendo Sacerdoti excommunicato: unde tunc invalide absolvetur, non defectu jurisdictionis in ministro, sed dispositionis in pœnitente, de quo statim.

Aliud est de excommunicatis vitandis. Ii enim cum careant jurisdictione, Pœnitentiæ Sacramentum valide non conferunt; licet Sacramenta alia, quæ jurisdictionem non requirunt, valide conficiant.

Hinc colliges eum, qui scienter, aut ignoranter peccata sua excommunicato vitando confessus est, ad confessionem iterandam teneri. Quod tamen limitatur, si confessio facta sit in articulo mortis, vel in loco, ubi Sacerdos ex communi errore, ac titulo colorato habetur pro non excommunicato.

Quod de Sacramentorum validitate dictum est, extenditur ad Sacramentalia: quia Sacramentalia pertinent ad potestatem Ordinis, non ad jurisdictionem: unde consecrationes, & benedictiones, quas introduxit Ecclesia, ab excommunicato denuntiato valide fiunt.

R. ad 2. Excommunicatus sive toleratus, sive non mortaliter peccat conferendo Sacramenta extra casum necessitatis. Ratio est, quia Ecclesiæ præceptum in re gravissima transgreditur. Aliud est in necessitatis casu; tunc enim concedit Ecclesia, ut excommunicatus etiam vitandus conferat tum Pœnitentiam, ut diximus supra, tum Baptismum sine solemnitate; imo qui requisitus Baptismum conferre nollet, peccaret mortaliter. Non idem est, ut nobis videtur, de Eucharistia, quia hæc neque necessaria est necessitate medii ad obtinendam salutem, neque hoc in casu necessitate præcepti, cum ex communi Ecclesiæ sensu præceptum Eucharistiæ sumendæ tunc solum obliget, quando Sacramentum hoc decenter administrari potest, & sumi; unde & apud nos iis, qui extremo supplicio afficiendi sunt, denegatur. Idem eadem de causa dicendum de Unctione extrema: quia tamen hæc primam gratiam producere potest, & de attrito contritum facere, juxta sententiam satis communem; idcirco licite ab excommunicato vitando ministraretur infirmo, cui conferri non posset Pœnitentia; sed hæc pendent ex alibi dicendis. Ut ut est, constat Confirmationem, & Ordinem, quæ non ita necessaria sunt, non posse licite ab excommunicatis conferri.

Circa hæc not. non aliter licitum esse Sacramenta ab excommunicatis toleratis petere, quam ab improbis ministris: unde in praxi hæc tenenda: I. in casu necessitatis licet Catechumeno Baptismum, pœnitenti vero Pænitentiam a quocunque, etiam ab Hæretico postulare.

II. Extra casum necessitatis, si desit Sacerdos alter, potest Fidelis a Pastore suo Sacramentum quodcunque exigere, quia tunc utitur jure suo; neque æquum est, ut ob Pastoris iniquitatem priventur oves bono sibi plurimum salutari. Quod si præsto sit dignus Minister, graviter peccat qui Sacramenta petit ab indigno, etiam ea conferre parato; quia sine justa causa cooperatur actioni, quam moraliter conjicit ab eo impie exercendam; & quam nisi rogaretur, hic & nunc exterius non exerceret.

III. Si malus Minister non teneatur ex officio ad Sacramenta conferenda, non licet hæc ab eo petere, (*Sylv. in 2. p. q. 64. a. 6.*) nisi & ipse ministrare paratus sit, & adsit rationabilis petendi causa, id est, causa justa, & gravis, ut si quis sit in statu mortalis peccati, nec possit sine gravi saltem incommodo ad alium recurrere. Quin & magna quædam utilitas sufficit (*Grandin p. 72.*), ut si quis confiteatur excommunicato tolerato, quia ceteri Ministri admodum indocti sunt. Ceterum accurata videtur hæc P. Antoine doctrina: *Extra casum extremæ, aut saltem gravissimæ necessitatis non licet petere, nec accipere Sacramentum a ministro tolerato aperte errorem aliquem ab Ecclesia damnatum profitente .... nam alioqui crearetur scandalum, ac periculum perversionis Fidelium, & conciliaretur auctoritas errori.* (*P. Antoine de Sacram. c. 3.*)

Dico III. Excommunicati, suspensi ab Ordine, vel interdicti, qui Sacramenta illicite ministrant, irregularitatem incurrunt. Vid. Tract. de Irregul.

Dico IV. Qui ab excommunicato vitando Sacramenta extra casum necessitatis recipit, minorem incurrit excommunicationem. Ratio est, quia hæc Sacramentorum receptio veram importat communicationem, quæ minori excommunicatione punitur c. 39. *De sent. excom.* & c. 3. eod tit. in 6.

## SECTIO TERTIA.

*De privatione rerum sacrarum.*

PEr res sacras hic intelliguntur: I. divina Officia, publicæ Processiones, &c. II. consecratio chrismatis, benedictio aquæ, palmarum, candelarum, cinerum, & aliæ similes cæremoniæ, quæ solemniter fiunt ex institutione Christi, vel Ecclesiæ, &c. III. sepultura ecclesiastica; quibus an, & quatenus priven-

ventur excommunicati sigillatim expendam.

CONCLUSIO I. Excommunicatus quibbet, vi censuræ, ab auditione Missæ, aliisque omnibus divinis Officiis, prout publica sunt, prohibetur.

Prob. excommunicatus Missæ, & Officiis interesse non potest, quin cum aliis Fidelibus communicet: atqui communicatio cum Fidelibus, præsertim in divinis, prohibita est excommunicatis etiam toleratis; quia Constitutio Martini V. nihil prorsus iis concedere intendit, quod in eorum duntaxat favorem cedat, ut cederet hæc in divinis communicandi facultas. Hine Suares (*Disp.* 12. *sect.* 1.) cum aliis, eos, qui secus facerent, peccati ex genere suo mortalis reos esse docet, quia materia gravis est, & in re valde sacra. Excipe tamen, si excuset ignorantia, vitandi scandali necessitas, vel justa causa, qualis hæc una esse potest juxta Suarem, si Sacerdos celebrare obligatus, nullum alium habens, qui sibi Missam celebranti inserviat, excommunicatum toleratum ad sibi serviendum invitet. Circa hanc assertionem

Quæres I. an peccet excommunicatus per hoc, quod Missæ non interest die festa. R. eum, si absolutionem moraliter obtinere possit, peccare, non præcise ratione omissionis Sacri, quod in sensu composito censuræ omittere tenetur, sed ob negligentiam comparandæ absolutionis: quia lex aliquid præcipiens, præcipit etiam media ad illud necessaria, saltem cum hæc sine gravi incommodo adhiberi possunt: porro censuræ remotio medium est non solum ad Officii Paschalis, sed & ad Missæ auditionem necessarium.

Quæres II. an, & quomodo teneatur excommunicatus Horas recitare.

R. I. eum, qui ad Horas tenetur, non esse ab iis liberum ob excommunicationem; quia nemo ex contumacia sua commodum reportare debet. Unde non eadem est in Pastore Horarum ratio, quæ administrationis Sacramentorum; ab hac enim excusatur, quia non potest, eo, quo decet, modo sancta tractare; ab iis vero liber non manet, quia utiliter orare potest. Si quis tamen ipso Beneficii titulo privetur, jam ab obligatione sua liber erit.

R. II. Excommunicatus etiam toleratus neque potest sibi socium adhibere, quicum recitet; neque etiam dicere debet *Dominus vobiscum*, sed loco ejus, *Domine exaudi orationem meam*. Ratio est, quia communicaret cum Fidelibus, sive alternis orando cum iisdem, sive dicendo *Dominus vobiscum*; est enim hæc formula *Sacerdotis ad populum salutatio*, ut notat Petrus Damiani. Quia tamen levis est hæc materia, nec mortaliter peccaret, nec irregularitatem incurreret, qui recitandi socium sibi adsciscerct, aut citata orandi formula uteretur; nisi ea uteretur in Choro, aut in solemnibus Officiis.

Neque etiam videtur licitum excommunicato orare in Ecclesia, etiam seorsum ab aliis, qui ibidem orant. Ratio est, quia id omne negatur excommunicatis, quod iisdem expresse non conceditur: porro jus in uno tantum casu permittit excommunicatis Ecclesiam ingredi, (C. 53. *De sent. excom.*) nempe ut sacræ concioni intersit, quod & iis enixe suadendum est, si id expedire judicetur.

Quæres III. quam incurrat pœnam excommunicatus, qui Missæ, aliisve Officiis interest. R. eum nullam, præter mortale peccatum, pœnam incurrere, quia nulla contra eum imposita est in jure; minor enim excommunicatio incurritur quidem ab iis, qui cum excommunicatis vitandis communicant, sed non ab excommunicatis, qui communicant cum Fidelibus.

Excipiuntur casus duo: primus est, si Sacerdos excommunicatus auctoritate sua procuret, ut Missa, vel alia Ecclesiæ Officia coram se celebrentur; quia enim tunc moraliter se gerit ac si ipse celebraret; ideo ex communi Doctorum sensu irregularitatem incurrit. Eandem tamen non incurreret pœnam vel excommunicatus, qui Sacerdos non esset, vel Sacerdos, qui excommunicatus esset, & coram aliis etiam excommunicatis, sed non coram se, faceret celebrari, quia jura loquuntur de *Sacerdote excommunicato*, qui causa est, cur alius *coram se* celebret.

Secundus casus est, si excommunicatus assistens Missæ, monitusque a Sacerdote, ut ab Ecclesia exeat, parere nolit; tunc enim excommunicationem majorem Papæ reservatam contrahit; cui etiam subjacet tum interdictus denuntiatus in eadem hypothesi, tum ii omnes, qui impediunt, ne excommunicatus, vel interdictus recedant. Vid. Clement. 2. *De sententia excommunicationis*.

Quæres IV. quid faciendum, si excommunicatus vitandus divinis Officiis interesse velit.

R. I. Clerici, qui coram excommunicatis non toleratis Missam, aut alia divina Officia celebrant, licet irregularitatem non incurrant, *cum id non sit expressum in jure* (C. 18. De sent. excom. in 6.), peccant tamen mortaliter, quia contra gravem Ecclesiæ legem communicant cum excommunicatis. II. incurrunt minorem excommunicationem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ; & si ante receptam ab interdicto absolutionem celebrent, fiunt irregulares. (*C.* 8. De Privil. *in* 6.). Ceteri vero assistentes, qui ab Officiis, aut Processionibus non recedunt, peccant etiam mortaliter juxta multos, & juxta omnes minorem ex hac communicatione excommunicationem reportant.

R. II. iidem Clerici potius Officium publicum omittere debent, aut alibi recitare sine cantu, quam id prosequi coram excommunicato: ante tamen monendus est is, ut exeat; quin & si parere nolit, vi expellendus est, etiamsi sit Clericus, adhibito brachii secularis auxilio: neque hinc timendæ pœnæ Canonis, quia manus violentæ in eum ob solam Ecclesiæ defensionem injiciuntur. Si vero foras abigi non possit, ipsa etiam Missa dimitti debet, nisi jam ventum sit ad hæc verba: *Qui pridie quam pateretur*; tunc enim assistentes recedere debent. Sacerdos vero, ministro remanente, prosequi debet usque ad completam sacri sanguinis perceptionem; quia Sacrificii integritas, utpote jure divino præcepta, juri cuilibet ecclesiastico prævalere debet. Porro Sacerdos relictis aliis orationibus, & precibus ab altari recedere debet in Sacristiam, ibique Postcommunionem & cetera perficere.

CONCLUSIO II. Excommunicati vitandi ecclesiastica sepultura post mortem privantur. (C. Sacris *De sepult.*)

Prob. quia æquum non est, ut ei communicemus mortuo, quem, dum viveret, fugere tenebamur.

Hæc assertio ad eos etiam extenditur, qui ante mortem dederunt pœnitentiæ signa; quo tamen in casu absolvi debent, ac deinde cum aliis Fidelibus sepeliri. Si autem ante absolutionem in loco sancto sepulti essent, non deberent exhumari, sed absolvi, petita prius ab iis, quorum interest, absolutione. Qui vero nulla doloris signa ante mortem exhibuit, is, si in loco sacro sepultus sit, exhumari debet, & foras projici, si cadaver ejus ab aliorum corporibus secerni queat; postea autem Ecclesia solemni aspersione reconcilianda est, quia polluta fuit.

Ceterum qui excommunicatum vitandum cum aliis Fidelibus sepeliunt, aut funus ejus comitantur honoris causa, ad minus incurrunt excommunicationem minorem; huic enim subjacet qui mortuis, sicut qui viventibus communicat. Qui vero eumdem in loco sancto sepeliunt, vel potius sepeliri procurant, subjacent *excommunicationis sententiæ, a qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus sic fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem*. (*Clement* 1. De sepult.)

## SECTIO QUARTA.

### *De inhabilitate ad Beneficia, & privatione jurisdictionis.*

CONstat apud omnes invalidam esse Beneficii collationem factam excommunicato, etiam tolerato, & occulto, tum quia id definit Innocentius III. c. 7. *De clerico excom. minist.*, tum quia Beneficium datur propter officium, ad quod excommunicatos admitti non decet, licet ex post facto quandoque tolerentur. Neque hæc collatio, aut quæ ad eam prævia sunt, ut electio, resignatio; &c. per absolutionem postea secutam convalescunt, quia *non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit* (*Reg.* 18. *in* 6.); unde renovari debent obtenta a Superioribus legitimis post absolutionem dispensatione.

Excipiuntur ab hac lege Beneficia a Summo Pontifice concessa, etiamsi censuram ignoret; quia in provisionibus apponit clausulam absolutionis a censura, *ad effectum* gratiæ consequendum. Hæc autem Pontificia a censuris absolutio nec prodest irregulari, nec excommunicatis propter hæresim, quia jus renititur. Addit Gibert Ordinarium, cui a Papa committitur examen illius, qui Beneficium Romæ obtinuit, posse eidem literas, quas *Visa* vocant, denegare, si animadvertat eum nihil moliri, ut a censuris absolvatur.

Quod si collatio Beneficii facta sit ei, qui tempore collationis excommunicatus erat, non autem ipso præsentationis tempore, valida erit præsentatio, quam censura nondum existens irritare non potuit; invalida vero institutio, ut a contrario patet. Si quis autem tempore nominationis censura irretitus erat, & ab ea ante institutionem absolutus, invalida erit tum præsentatio, ut patet, tum institutio præsentationi huic innixa, nisi censuratus se se curaverit rehabilitari.

Quæres, an valeat collatio ei facta, qui invincibiliter ignorat se vel censura ligatum fuisse, vel ab ea non absolutum. R. negat. quia ignorantia non tollit inhabilitatem præcedentem in subjecto, sed solum excusat à culpa. An valida sit collatio pensionis excommunicato facta, dicam ubi de Suspensione.

Ceterum non privatur quis per excommunicationem Beneficio ante eam legitime adepto: quia nullum est jus, quod id constituat, nisi crimen, propter quod censura perculsus est, ex his sit, quæ per se Beneficii vacationem inducunt.

Imo nec privatur excommunicatus fructibus ejusdem Beneficii; tum quia pœna tam gravis non est imponenda, nisi certo expressa sit in jure, quod in præsenti locum non habet; tum quia consuetudo legitime introducta juri positivo derogare posset: porro invaluit in Gallia usus, ut excommunicati cum resipiscunt, fructuum Beneficii condonationem non requirant a Papa.

(✠) Observandum aliud esse, quod Excommunicatus privatus sit fructibus Beneficii, aliud est, quod illud restituere teneatur ante, vel post Judicis sententiam. Circa primum communis Theologorum sententia est excommunicatum sive vitandum, sive toleratum a tempore, quo fuit excommunicatus, Beneficii fructibus privatum esse; quam sententiam confirmat Canon in cap. 53. de appell., ubi legitur: *Illi excommunicato proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Secundo certum est, excommunicatum, qui neque per se, neque per alium suo fungitur munere correspondentibus Beneficii fructibus restituere debere ante Judicis sententiam. Utrum vero cæteros fructus restituere debeat ante, vel post Judicis sententiam, disputatur in utramque partem a melioris notæ Theologis; ac nodum solutu difficillimum esse aperte asserunt Salmanticenses. Hinc observanda sunt quæ sequuntur. (✠)

Hic tria notari velim: I. sicubi excommunicatus in censura obdurescens, Beneficii fructibus privatur, permittere teneram matrem Ecclesiam, ut ex iis decerpatur portio ad ejus sustentationem necessaria, ne in Cleri dedecus mendicare cogatur. II. eumdem, si mala fide Beneficii possessionem apprehenderit, teneri ad omnium fructuum restitutionem; secus si bona fide, puta ob ignoratam, qua ligabatur, censuram; tunc enim satis est, si Beneficio cedat, & id restituat, unde ditior evasit, quodque honestæ ejus sustentationi superfluum erat. Jam dicendum de privatione jurisdictionis.

Jurisdictio sumitur: I proprie & stricte, prout est potestas præcipiendi per leges, & censuras; judicandi in utroque foro sive per se, sive per alios; concedendi indulgentias, dispensationes, & actus similes exercendi. II. latius, prout est potestas Beneficia conferendi, eligendive, aut etiam præsentandi ad illa. Quæritur, an, & quatenus utraque priventur excommunicati, qua de re

Dico: Excommunicati omnes illicite faciunt, quæ sunt jurisdictionis; valide tamen, si sunt tolerati, secus si denuntiati sint.

Prob. 1. pars: quia excommunicati jurisdictionem in alios exercere non possunt, quin magnam, & in re

sum-

summi momenti communionem cum iis habeant; ergo id illicite faciunt: unde peccant mortaliter, nisi eos excuset vel materiæ levitas, ut si dispenset in re levi; vel necessitas agendi in aliorum favorem, & tunc ad Deum per contritionem, aut Confessarii ministerium reverti tenetur.

Prob. 2. pars: I. ex communi hodie Doctorum sensu, qui Constitutionem *Ad vitanda scandala*, sic pene semper intellexere, ut jurisdictionis actus a toleratis etiam notoriis exercitos, per eam validari crediderint. II. quia alioqui magna esset in Ecclesia confusio, nec satis animarum discrimini cautum esset, si Episcopus toleratus invalide dispensaret in votis, approbaret ad excipiendas Fidelium confessiones, leges, & censuras ferret.

Prob. 3. pars: quia excommunicato vitando non prohibetur solum, sed & aufertur exercitium jurisdictionis; cum ideo denuntietur, ut eo privatus maneat. Et vero excommunicatus vitandus ne ipsos quidem jurisdictionis impropriæ actus valide exercet. Horum enim præcipui sunt, collatio, electio, præsentatio, & institutio: atqui actus illi cum ab excommunicato vitando exercentur, omnino sunt invalidi; prout inferri solet ex c. 6. *De conc. Præbend.* Aliter tamen, præsertim in Gallia, sentiendum de Laici vitandi præsentatione, quia hæc non est actus potestatis ecclesiasticæ, sed fructus quidam patrimonii; excommunicatus autem nec patrimonio, nec juribus ei annexis privatur.

Sed valetne resignatio facta ab excommunicato vitando? R. vel resignatio hæc est simplex, & tunc ex omnium confessio valida est; quia nihil est aliud quam cessio Beneficii, quæ fieri potest, imo quæ ex quadam necessitate fit ab eo, qui Beneficii munia implere nequit: vel eadem resignatio fit in favorem, & tunc credimus eam non valere; I. quia posse Beneficium in alterius favorem resignare, quidam est Beneficii usus, & aliquid ipso Beneficii fructu præstantius: porro excommunicatus vitandus & usu, & fructibus Beneficii privatur. II. quia cessio in favorem participat naturam præsentationis ecclesiasticæ, & qua talis positive concurrit ad collationem Beneficii, quod ei solum conferri potest, cujus in gratiam dimissum fuit: porro præsentatio a Clerico excommunicato facta, nullius est momenti, ut dictum est.

Quæres, an, & quousque excommunicati priventur civili aliorum commercio. Nota. Communicatio politica duplex est; alia *privata*, quæ consistit in commercio civili, quod homines inter se privatim exercent simul vivendo, manducando, contractus ineundo, &c. alia *publica*, & *forensis*, quæ sita est in temporali publicæ rei gubernatione, & omnibus, quæ huic annexa sunt, ut leges civiles condere, judicia ferre, agere in judicio, testari, &c. Jam

R. I. Nec excommunicato vitando cum aliis Fidelibus, nec aliis cum eodem communicare licet.

Prob. 1. pars: tum ex c. 29. *De sent. excom.* ubi prohibetur, ne quis cum excommunicato communicet *in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo*: unde manavit id ab omnibus receptum: *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, de quo infra; tum ea ipsa excommunicationis definitione, ex qua sequitur excommunicatos omni, quantum fieri potest, & expedit, communione cum aliis privari. Expedit autem, ut commercio etiam civili priventur; tum ut pudore suffusi ad pœnitentiam redeant; tum ne aliis offendiculo sint. Hoc tamen peccatum sæpius veniale manet, ob materiæ levitatem, nisi forte sit intentio sæpius communicandi, quod ad mortale peccatum imputari posset.

Prob. 2. pars ex eod. cap. ubi censuræ subjacet, qui in prædictis cum excommunicato communicat: nulla porro censura sine peccato incurritur.

R. II. valent tamen contractus ab excommunicato etiam vitando facti. Ratio est, quia tales contractus nulla irritantur lege, imo pro validis habentur a legibus. Sic valere declarantur: I. receptio habitus Religiosi c. 32. *De sent. excom.*, quod jure non resistente ad Professionem extenditur. II. donatio, c. 8. *De donation.* quanquam oblationes, & eleemosynas ab excommunicato vitando factas recipere prohibitum sit Ecclesiæ Ministris. III. a fortiori valent alii contractus venditionis, emtionis, mutui; item testamenta, nisi fiant ab excommunicatis propter hæresim, aut percussionem Cardinalis: quæ restrictio pro prima parte non viget in Gallia.

R. III. Excommunicatus vitandus omni actu ad judicium pertinente, tam in foro civili, quam ecclesiastico privatus est de jure communi. Aliud est in Gallia, ubi *in judiciis rerum temporalium non admittitur exceptio excommunicationis* (*Test. lib. 3. tit. 35. n. 3.*), ut docent Pastor, & alii.

R. IV. Excommunicati etiam occulti ex parte sua tenentur communionem aliorum, quantum possunt, vitare tam in civilibus, quam in divinis. Ratio est, quia id intendit Ecclesia, quæ nusquam excommunicatis favere, aut suffragari voluit.

Addo quemlibet Fidelem, cui certo constat contractam ab aliquo fuisse excommunicationem, utcunque teneri naturali jure eum, etiamsi non sit denuntiatus, privatim vitare; præterquam in necessitatis casibus infra expressis, aliisque, in quibus eum, si denuntiatus esset, vitare non teneretur. Excipe si vitando proderet aliis occultum hujus excommunicati crimen: hac enim de causa, ait Paludanus, *eum, qui Parisiis excommunicatus* denuntiatus *est, non debet vitare Bononiæ in publico, sed tantum in occulto, si ibi nesciatur, quia quod est publicum Parisiis, est occultum ibi.*

Præter hos effectus, alii sunt qui excommunicationem sequuntur per accidens, ob novam excommunicati malitiam. Ii vero sunt I. irregularitas, quam incurrit, qui Officium alicujus ordinis exercet (*Trid. Sess. 25. cap. 3. de reformatione*). II. suspicio de hæresi in eo, qui per annum persistit in censura. III. juxta Rebuffum, & Navarrum privatio effectus absolutionis generalis, quæ in Rescriptis Pontificiis præmitti solet.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De præcipuis Excommunicationibus.*

DUas solom excommunicationes evolvam, quia plures expendere non licet.

### SECTIO PRIMA.

*De Excommunicatione contra percussores Clericorum.*

HAbetur hæc excommuoicatio c. 29. XVII. q. 4. iis verbis: *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjacerat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Quæres I. quid sibi velit vox, *si quis.*

R. I. per eam eos omnes intelligi, qui censuræ capaces sunt, seu viri sint, vel feminæ, puberes, vel impuberes, Laici, vel Clerici, aut Religiosi. Neque excipitur qui Clericum volentem percutit: quia licet ei, ut pote qui jure suo cedat, personaliter injuriam noo faciat, facit tamen injuriam Ordioi Clericali, *cum ille Canon non tam in favorem Clerici* particularis, *quam in favorem Ordinis Clericalis*, qui jure suo non cedit, *fuerit promulgatus*. (C. 36. De sent.excom.)

R. II. eidem pœoæ subjacet Clericus, qui ex ita seipsum percutit, mutilat, occidit, aut aliam sibimet injuriam irrogat, per actum charitati, quam quisque sibi debet, mortaliter contrarium: quia sic verum est, quod violentas in Clericum manus inferat com injuria Ordinis Clericalis. Aliter dicendum si quis mortificationis causa, aut ob dolorem e morte amici conceptum se flagellet, capillosve sibi evellat.

R. III. & eos etiam intelligi, qui mandant, aut consuluot Clerici percussionem (*V. c. 46. & 47.* De sent. excomm. *&. c. 23. h. t. in 6.*): item qui non obstant, cum ex officio tenentur obstare, ac demum qui ratam habent percussionem nomine suo factam: ita ex variis Canonibus colligitur. Hic notand. eam percussionem fieri *suadente diabolo*, quæ non fit sine peccato mortali.

Quæres II. quid *Clerici* nomine intelligator.

R. intelligi eos etiam, qui prima tonsura initiati sunt; ii enim vere Clerici sunt ex cap. 11. *De ætate, &c.*

Sed ab hoc *canonis privilegio* excidunt: I. qui eo quod habitum Clericalem noo deferant, probabiliter ignorantur esse Clerici, aut qui, licet Clerici esse sciantur, Clerici habitum non gerunt, postquam tribus distinctis vicibus ab Episcopo moniti fuere, ut eum deferrent. II. qui ter moniti ab Episcopo, oon desinunt a negotiis secularibus, vel arma ferunt, mimicamve artem per annum exercent, aut cauponem aguot, &c. III. qui degradati sunt realiter; secus si verbaliter tantom degradati sint: multo minus si solum sint irregulares, suspensive, aut excommunicati etiam vitandi: ii enim non desinunt Clerici esse, & pro talibus haberi. In Gallia Clerici conjugati non jam habentur pro Clericis, etsi forte habitum suum servent.

Quæres III. quid per *Monachos* intelligatur.

R. I. intelliguntur non solum Religiosi professi, licet solum Conversi, verum etiam Novitii (*Cap. 22. de sent. excom.*). II. Equites Militenses; sunt enim Religiosi propriis votis ligati. III. Moniales professæ, vel Conversæ, ac Novitiæ, modo, ait Bonacina, noo vivaot in domo propria more Laicorum. IV. Eremitæ, qui Regolæ alicui religiosæ inhærent; hi enim vel Religiosi sunt, vel Conversi.

Quæres IV. Quid intelligatur per *manus violentas.*

R. eo oomine significatur: I. quæcunque percussio, pugnis etiam, & pedibos, baculo, lapide &c. II. actio quælibet iojoriosa sive in personam Clerici, sive in res ei aliquo modo adhærentes, ita ut vis ei inferatur. Unde qui Clericum pulvere aspergeret, aut aqua, quive eum coospueret, aut vim rebus ei adhærentibus inferret, puta vestes, quas indutas habet, lacerando, aliquid, quod in manibos habet, injuriose rapiendo, equum, cui insidet, vulnerando, eumve apprehensis frænis sistendo, excommunicationem incurreret. Addo in his noo tam modum violentiæ, quam affectum, prout tamen exterius erumpit, pensari. Quare qui Clericum in custodia publica, aut privata domo detinet, custodesque apponit, ut eum apprehendant, si de domo exierit; ita ut sine strepitu, & confusione exire nequeat, excommunicatus est. Hinc Canonicus, qui ad alterius Canonici caput projecit Breviarium, cujos quidem ictum alter opposita manu declinavit, censuram contraxit: quia ibi est actio violenta, quæ licet in genere contactus physici levissima sit, moraliter tamen in ratione injuriæ gravis est.

Haud tamen sufficit gravis contra honorem Clerici injuria, qualis est in verbis, vel aliqua actione exteriori, v. g. brachii, & pugni tensione, fustis exhibitione comminatoria, sed requiritur vis tactu saltem mediato consummata, quia alia quævis injuria violentam manuom injectionem non importat. Unde liber est a censura: I. qui actu subdolo aliquid aufert Clerico, v. g. marsopium, cingulumve, quo actu cingitur, etiamsi interveniat præcisio. II. qui vestes Clerici dormientis subripit, aut lacerat. III. qui Clericum metu cogit, ut a certo loco exeat, modo metus incutiatur solum per verba, aut actiones, quæ personam ipsam non attingaot. Ratio est, quia in his casibus fit quidem injuria, sed sine violenta manuum injectione, saltem quæ cadat in rem personæ adhærentem. Si Monialis abortum sibi procuret, non erit censuræ obnoxia, ut quæ non sibi, sed fœtui injoriam irroget.

Eximuntur etiam a censura: I. qui Clericum percutiuot in justam defensionem vitæ, hooris, aliaromve rerum, quia *vim vi repellere inconti nenti, omnes leges, omniaque jure permittunt* (C. 3. De sent. excom.) Sed hic servandum inculpatæ tutelæ moderamen, intra quod sistere censetur qui id solum facit, sine quo aliter se, aut res suas servare noo potest.

Qui

Qui tamen aliqualiter justæ defensionis modum excederet, ex ea commotione, quæ in hoc casu invitis etiam nobis irrepit, non incurreret censuram.

II. Excusatur a censura, licet non a culpa, qui Clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum percutit; secus si Clericus deprehendatur in stupro, vel adulterio cum ea, quæ percussorem tam proxima consanguinitatis linea non contingit. Ubi nota I. eum censeri turpiter inventum, qui in osculis, & amplexibus, imo qui solus cum sola in loco suspecto reperitur: modo tamen personæ ipsæ rationabili de causa pro suspectis habeantur. II. eum, qui Clericum sic inventum cædit, excusari solum cum percutit incontinenti: tunc enim acer doloris sensus, quo quis aduritur, aliquid meretur indulgentiæ.

III. Excusatur qui, ut pater, herus, magister, disciplinæ causa Clericum ferit, modo notabiliter non excedat. Item qui justa de causa vim infert Clerico, ut si de Superioris sui mandato Laicus Clericum capiat, eumque trahat in judicium. Idem dic, si quis cædendo leviter peccet: unde qui leviter Clericum cædit, ut in rixis aliquando solent infantes, non contrahit censuram, etiamsi eliciat sanguinem e naribus, modo in quantitate modica. Quia tamen quandoque difficile discernitur gradus advertentiæ, vel materiæ ad mortale peccatum sufficientis, quoties hic verum suberit dubium, petenda erit absolutio ad majorem cautelam.

Quæres V. ad quem pertineat hujus censuræ absolutio. R. eam de jure communi Papæ reservatam esse (*V. c. 30. & 17. de sent. excomm.*); posse vero Episcopos, aut alios Superiores ab ea absolvere: I. cum percussio levis est, & modica; quo nomine non intelligitur percussio venialis, cum hæc nec ad mortale peccatum, nec proinde ad censuram sufficiat; sed ea, quæ opponitur enormi, & mediocri. Enormis porro, seu atrox ea est, quæ pervenit ad occisionem, aut mutilationem membri, oculi ejectionem, illationem vulneris magni, & a Chirurgia serio tractandi, vel effusionem multi sanguinis aliunde, quam e naribus effluentis. Levis a contrario ea est, ubi nec abscinditur membrum, nec dens evellitur, nec sanguinis multum effunditur; qualis satis communiter ea esse solet, quæ fit palma, pugno, &c. Mediocris levem inter, & enormem media incedit. Fatendum tamen hæc omnia ad viri prudentis arbitrium dijudicanda esse ex circumstantiis personarum, loci, temporis, modi ipsius percussionis. Quod enim leve est respectu junioris Clerici; ut alapa, mediocre, aut grave esse potest respectu senis, Superioris, Prælati. Quod fit occulte, non ejusdem est gravitatis, quam quod fit in frequenti cœtu. Quod fit domi, levius est, quam quod in Ecclesia Ministro sacris jam vestibus induto, aut sacra facienti inuritur. Porro in arbitranda læsionis gravitate, sufficit recurrere ad Episcopum, ex quo enim et certis in casibus conceditur absolutio, eidem & conceditur jurisdictio ad videndum, num hi, vel illi casus ad se pertineant.

II. Regularis, qui Regularem ejusdem Monasterii verberat, a Guardiano suo, vel Priore absolvi potest, vel ab alio de ejus consensu; secus si secularem feriat, aut alterius Claustri Regularem: nam in primo casu ab Episcopo, in secundo tum a proprio suo, tum ab alterius Religionis Superiore absolvi debet. Excipe in his omnibus, si enormis sit percussio: quanquam hodie Religiosi fere omnes ex privilegio absolvi possunt a Superioribus suis, ne eis tribuatur vagandi occasio. Quin & Novitius absolvi potest, cum onere tamen in eamdem reincidendi sententiam, si ante professionem egrediatur.

III. mulieres, fortes, aut infirmæ, divites, aut egenæ, viduæ, vel non, a quacunque per Episcopum absolvi possunt percussione, etiam enormi, quia jus indistincte loquitur. Idem est de impuberibus, etiamsi non nisi post adeptam pubertatem absolvantur: idem etiam de inopibus, de ægris, & de senibus tametsi vegetis, & bene valentibus.

IV. Qui capitales subit inimicitias, & vitæ suæ timet, ad Papam ire non tenetur, nisi debeat & possit hisce simultatibus finem imponere.

V. Judea, vel apparitor alicujus Potentis, qui ex fortuito casu, & sine lædendi proposito, non tamen sine negligentia, leviter, aut mediocriter Clericum percussit, absolvi potest ab Episcopo, secus si enormiter percusserit. Nobiles vero, & magnæ potentiæ viri, qui sine periculo status suos deserere non possunt; ii item, qui itineris hujus laborem sustinere non valent, haud tenentur Romam ire, sed ab Episcopo, qui prius rei veritatem perpenderit, absolvi possunt. Antea tamen eorum conditio Sedi Apostolicæ intimari debet, & tunc secundum ejus consilium impertienda absolutio, nisi periculum sit in mora.

VI. Clerici, qui in communi vivunt, a percussione, modo non enormi, per Episcopum absolvi possunt: facile enim communio discordiam parit; unde casus iste merito in jure exceptus est. Idem est tum de Janitore, qui in exercitio officii, *etiam injuriandi animo*, ait Sayrus, aliquem, modo non enormiter, percutit: tum de iis, qui utpote alterius potestati *adstricti*, juris sui non sunt, ut servi, & filii familias. Ceterum circa reservationem censuræ hujus consulenda sunt uniuscujusque Diœcesis Statuta; & retinendum nec levem etiam publicam, nec occultam etiam enormem percussionem Papæ unquam reservari.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Excommunicatione in Monitoriis.*

MOnitorium est Mandatum Ecclesiæ, quo sub excommunicationis pœna præcipitur manifestatio auctorum criminis Reipublicæ perniciosi, vel damni gravis proximo illati, ejusdemque criminis reparatio, in favorem quorundam Ecclesiæ membrorum.

Dicitur I. *mandatum Ecclesiæ*, seu Judicis Ecclesiastici, qui solus excommunicationem comminari, aut decernere potest.

Dicitur II. *quo sub excommunicationis pœna &c.*, seu pœna hæc actu infligatur, cum promulgatur Monitorium; seu tantum declaretur inferenda, ut nunc me-

lius

lior; & communior usus obtinet.

Dicitur III. *manifestatio criminis perniciosi, aut gravioris damni &c.* Excommunicatio enim, quæ gravis est pœna, non nisi pro rebus magni momenti decerni debet: unde Parisiensis Senatus Monitorium pro 33. libellis decretum, abusivum declaravit anno 1601.

Ex his colliges: I. mortaliter peccare tum eos, qui, ut Monitoria obtineant, simulata prætexunt damna; tum Judices, qui ea levibus de causis postulari permittunt; tum & Officiales, qui eadem iis in casibus decernunt: ii enim pati potius debent bonorum suorum *saisinam*, & ad superiorem Judicem tanquam de abusu provocare. II. Monitoria decerni posse non solum in causis civilibus, in quibus insequitur quis crimen contra se commissum, non ad vindictam, sed ad obtinendum, ut ajunt, *interesse*; verum etiam in causis criminalibus. Cavendum tamen, ne Monitoria decernantur *pro injuriis verbalibus, nisi forte atrocioribus*, quales eæ censentur, quibus Sacerdoti, Magistratui, mulierive intactæ famæ, turpe quid, & infame palam objicitur (*Concil. Senens.*). Libelli quoque infamatorii pro capitali crimine habentur.

Circa hæc quatuor notanda: I. Monitoria decerni non posse pro injuriis, quæ homini crimen admittenti fuerunt illatæ, aut quarum reparatio per annum neglecta fuit: actio enim, qua reparatio injuriæ vocalis exigi potest, anno uno præscribitur. II. communem esse Gallicanorum Jurisperitorum sententiam, Monitoria nonnisi pro mobilibus bonis concedi posse. III. ea, quæ populis levia videntur, reipsa plerumque gravia esse. Hinc qui norunt columbarum, aut garenæ cuniculorum occisores, ad revelationem tenentur. IV. in Monitoriis personas suspectas nec nominatim exprimi debere, nec designari statura, vultus, & capillorum colore, habitu, quo induuntur: tale enim Monitorium, inquit Ducasse pag. 199., pro libello infamatorio haberetur; qui vero sic designaretur, jus haberet impediendi, ne ad alias Monitorii promulgationes procederetur. Quanquam censet Gibert, quod si Monitorium prodesse non possit, nisi personæ ex prædictis indiciis designentur, designatio hæc permittenda sit.

Dicitur V. *in favorem quorundam Ecclesiæ membrorum*. Monitoria enim de jure concedi non debent: I. heterodoxis, cum eos ab Ecclesia protegi non deceat, qui Ecclesiæ leges aspernantur. II. excommunicatis, & publicis peccatoribus, iis præcipue, qui Paschali Officio non funguntur: quia qui Ecclesiam in spiritualibus præcipientem oderunt, Ecclesiam in temporaneis adjutricem habere non debent. Sed hæc restringit Gibert: I. ad excommunicatos denuntiatos. II. ad Hæreticos, eo sensu, quod non proprio nomine, sed tantum Regii Procuratoris, Monitoria obtinere possint. III. quod spectat ad publicos peccatores, justa hæc erga eos severitas non amplius in usu esse videtur; unde iis, sicut aliis, connivente seculari tribunali, Monitoria conceduntur.

Sit jam

§. I. *Quinam ad revelandum teneantur.*

Dico I. Omnes diœcesani, qui subjacent Episcopo Monitorium concedenti, tenentur revelare, statim ut Monitorii notitiam habent, nisi jure eximantur a revelando. Ratio est, quia ii omnes Episcopo suo generaliter præcipienti parere tenentur: atqui per Monitoria Episcopus generaliter præcipit. *Et généralement contre tous ceux, & celles, qui sçavent, & ont connoissance des faits ci-dessus.* Verba sunt in literis monitorialibus apponi solita.

Hinc I. Infideles, Judæi, ipsimet Catechumeni, amentes, infantes necdum usum rationis adepti, non obligantur per Monitoria; quia vel Ecclesia in eos jurisdictionem non habet, vel obedientiæ incapaces sunt. Is est Ecclesiæ Gallicanæ usus, ut pueri utriusque sexus, etsi nondum puberes, ad depositionem admittantur. An vero, si non revelent, subjaceant excommunicationi, dictum est supra.

Hinc II. Monitorium, cum actus sit jurisdictionis, in eos omnes, & solos fertur, in quos Superior jurisdictionem habet, ac proinde in omnes Diœcesis incolas; imo & in Regulares exemtos, qui Episcopo quoad censuras submittuntur a Concilio Tridentino (*Sess. 25. de Regular. c. 12.*). Idem facile dedam: I. de advenis, qui pro negotiis in aliquo territorio stant, ibique Diœcesani sunt pro Sacramentis, abstinentia, jejunio, & festis, (quæ omnia non multum requirunt temporis, & moræ); quia censura, quam importat Monitorium, privat bonis, quibus homines illi in hoc territorio fruuntur. II. & certius de iis, qui in aliam, etiam commorandi gratia, Diœcesim transierunt post inchoatam Monitorii promulgationem. Ratio est, quia ex jure *ubi captum est semel judicium, ibi & finem accipere debet*: porro per primam promulgationem inchoatur judicium in foro illius, qui Monitorium decrevit.

Dico II. In Monitoriis, quæ ad Religionem, aut commune Regni bonum spectant, nemo liber est a revelando, nisi sceleris auctores, aut participes. Ratio est, quia quisque bona hæc tanta cuilibet privato, etiam suorum bono anteponere debet; unde receptum illud: *Contra publicos hostes, & majestatis reos, omnis homo miles.* Hinc si agatur de hæreseos disseminatione, proditione Regni, Regis morte, præsertim nondum executioni mandata, filius contra patrem, uxor contra virum, & vicissim, revelare debeat.

Excepi *sceleris auctores, aut participes*; quia nemo reus se ipsum prodere tenetur, etsi teneatur ad criminis sui reparationem, quam per alios, præcipue vero per Confessarium præstare facile potest. Idem dicendum in materia civili.

Dico III. In ceteris Monitoriis non obligantur ad revelandum qui revelare non possunt: I. absque aliqua sui diffamatione. II. sine gravi detrimento. III. sine secreti naturalis violatione. IV. & ex quorum revelatione nulla exorietur utilitas; uno verbo quibus sub mortali præcipi nequit, ut revelent. Ratio est, quia non intendit Ecclesia, ut quis vel infamet se, vel alieno bono per grave boni proprii dispendium

spendium

ſpendium conſulat, vel naturæ jura violet, vel demum pro peccato aut non admiſſo, aut veniali tantum, graviſſima excommunicationis pœna plectatur: & tamen hæc mala conſequerentur, ſi quis in quatuor caſibus mox enumeratis revelare teneretur.

Hinc I. proximi parentes contra cognatos, & affines contra affines revelare non tenentur: tum quia parentes parentum negotia rebus propriis æquiparare cenſentur: tum quia infamia unius in alterius infamiam vergit. Unde ſi noverim ſupellectilia Titii apud unum e cognatis meis translata fuiſſe, & ab eo celata, ita ut cognatus ille reus haberi poſſit in judicio, revelare non teneor: tenerer vero, ſi nihil inde periculi immineret conſanguineo meo, puta ſi incunctanter probare poſſet rem innocenter actam eſſe.

Sed hic notand. I. per affines non intelligi in præſenti materia eos, quorum affinitas ſolum eſt ſpiritualis. II. privilegium non revelandi conſanguineis conceſſum ad quartum uſque gradum extendi in linea collaterali, in directa vero uſque in infinitum; & quidem non in materia ſolum capitali, ſed & in civili; prout conſtat ex Edicto anni 1667. Si tamen agatur de verificatione facti alicujus, quod in domus penetralibus geſtum ſit, & non prodierit extra, parentum contra parentes teſtificatio recipitur.

Hinc II. regulariter loquendo, domeſtici contra herum revelare non tenentur: I. quia vulgo, & quidem legitime timent, ne indecore abigantur, & debitis priventur ſtipendiis: quod talibus in grave detrimentum cedit. II. quia inde familiarum quies perturbaretur, nec præſumi poteſt rem ita odioſam exigi ab Eccleſia. Aliud eſt tamen: I. cum conquerens domeſticos aſſignat coram Judice; cujus erit perpendere quam depoſitionis eorum rationem habere debeat: interim domeſticus juridice interrogatus, vera loqui debet. II. cum agitur de crimine privilegiato, puta de hæreſi, vel patriæ proditione, vel de criminibus, quorum notitia independenter a domeſticis haberi non poſſit, ut ſi maritus uxorem percuſſerit, occideritve; & viciſſim ſi uxor, aut e domeſticis quiſpiam id attentaverit. Item ſi agatur de hæreditatis dilapidatione, ſupellectilium, aut bonorum ſubſtractione externis ignota.

Hinc III. a revelando diſpenſatur quiſquis grave damnum ſpirituale, aut temporale ſibi timet, vel ſuis, puta patri, uxori, genero, quæ forte ad quartum gradum extendenda ſunt: tunc tamen cavendum, ne quis formidet ubi non eſt timor, efficiendumque omni, qua poterit via, ut malum aliis illatum reparetur. Adde revelandum eſſe, cum agitur de bono publico notabili; huic enim privatum quodcumque commodum poſthaberi debet.

Hinc IV. qui legitima uſi compenſatione, vel præſcriptione bona alienus compararunt, nec tenentur ad reſtituendum, nec qui hoc norunt ad revelandum; imo ſi revelent, peccant juxta multos. Idem ſentiunt de eo, qui a Titio ceſſionem ( *Faillite* ) bonorum mediante pecuniam ſibi debitam præ aliis creditoribus anterioribus recepit: is enim ſine gravi ſui incommodo revelare non poſſet, quia præſumeretur conſcius eſſe doli in ceteris.

Hinc V. quiſquis revelare nequit, niſi ſecretum explicite, vel implicite promiſſum prodat, revelare non poteſt. Unde a revelando immunes ſunt: I. Advocati, Notarii, Procuratores, Sollicitatores, conſulti; his enim res domeſticas nemo aperit, niſi cum pacto ſilentii, quod niſi ſervent, jam ſuſdeque vertendæ ſunt familiæ, & claudenda conſiliis janua; II. Medici, Pharmacopolæ, Obſtetrices, Chirurgi, qui omnes ſacramento ſecreti ſe ſolent obſtringere, idque ab iis ſervari publicæ rei plurimum intereſt. III. ii, quos ligat tacita ſecreti promiſſio; hæc vero præſumitur non quidem inter amicos ſimpliciter, ſed eos, inter quos tam arcta vincit neceſſitudo, ut res ſuas ſibi communicent, quaſi ferme in unam coaleſcerent perſonam.

Fatentur tamen Doctores ne amiciores quidem amicos a revelando eximi: I. cum agitur de impedimento matrimonii dirimtivo, quia ex matrimonio invalido ſequuntur graviſſima mala, profanatio Sacramenti, proles illegitima alienis fruitura bonis. II. cum agitur de conſilio contra bonum publicum, aut etiam privatum pernicioſe formato, & necdum executioni mandato.

Hinc VI. cum ad actum inutilem nemo teneatur, revelare non tenentur ii, quorum revelatio inanis foret: unde plures a revelando eximunt eum, qui ſolus novit homicidium v. g. ab alio perpetratum. Res tamen non caret difficultate, ut ſupra dixi. Interim cavendum, ne revelationem ſuam ſuperfluam putet, qui novit jam præceſſiſſe ſufficientem revelantium numerum: tum quia probationum abundantia non nocet, tum quia ſæpe fit, ut eludantur probationes, quæ videbantur invictæ; tum quia meum eſt Eccleſiæ parere, non vero judicare, an ſufficiant teſtes, qui præceſſerunt, necne. II. nec revelare tenetur, qui Pauli crimen a Petro ſolo didicerat, ſi Petrus ipſe revelaverit; aut qui per plateas ab ignotis, nec fide dignis hominibus audivit crimen a Paulo fuiſſe perpetratum: hæc enim denuntiatio nullam in judicio fidem faceret. III. qui phyſica, vel etiam morali ( qua ſcilicet ſecluſo Monitorio non peccaret ) reſtituendi impotentia laborat, & laborare cognoſcitur, nec reſtituere tenetur, nec ab aliis vi Monitorii detegi: quia *rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit* ( *C. 2. de Conſtit.* ). Ubi nota eum incurrere excommunicationem, ſi quæ lata ſit contra non reſtituentes, qui jam inchoata, vel præcognita Monitorii promulgatione conjiceret ſe in impotentiam reſtituendi; ſecus de eo, qui reſtituere non valens, ſic eſſet affectus, ut etiamſi par foret reſtituendo, reſtituere nollet: eos enim, quorum mala eſt voluntas, plectere non intendit Eccleſia, cum agendo vere ſunt impares. Qui tamen ad pinguiorem reverſus fortunam non reſtituit, ſtatim contrahit excommunicationem, niſi qui eam tulit, ceſſerit loco. Hæc enim cenſura, cum ſit ab homine, eo extincto extinguitur.

Quæres, an ad revelandum teneatur qui ſcit Monitorium conceſſum fuiſſe alicui nullam in rebus, de quibus agitur, partem habenti. R. Supponendum eſt eum,

tum, qui Monitorium concessit, officio suo non defuisse: unde qui factorum notitiam habet, ad revelandum tenetur, nisi error manifestus sit, ut esset si Petrus Monitorium obtinuisset pro injuria non sibi, sed Paulo illata, & de qua Paulus neutiquam conqueretur. Quod si Petrus ad procurandam Paulo reparationem injuriæ eidem illatæ Monitorium obtineat, Paulus, qui injuriam hanc remittere potest, non tenetur ad revelandum. Si vero publicus criminum vindex, cujus est grassantia mala cohibere, Monitorium obtinuisset, tunc ne ipse quidem Paulus immunis esset a revelando, quia potest quidem juri suo renuntiare, non autem iis, quæ ordinantur ad bonum commune.

§. II. *Quo tempore, & quo titulo revelandum, &c.*

Duo hic expendenda: I. an qui facti in Monitorio contenti notitiam habent, quamprimum revelare teneantur. II. an si huic officio desint, peccent non solum contra reverentiam Ecclesiæ mandatis exhibendam, sed & contra justitiam proximo debitam. Qua de re

Dico I. Post primam monitionem stricte tenentur ad revelationem omnes, qui facti notitiam habent, nisi legitima causa moram permittat.

Prob. I. quia tenetur quilibet Ecclesiæ in materia præsertim gravi parere quam primum potest: atqui Ecclesia per primam monitionem præcipit; ergo intolerando laborant errore, qui putant revelationem posse differri, donec triplex præcesserit monitio.

Prob. II. quia ex dilatione revelationis sæpius sequitur grave *conquerentis* detrimentum. Nam sæpe fit: I. ut conquerens ad graves sumtus teneatur, a quibus abstinuisset, si statim ad revelationem venissent testes. II. ut dum procrastinatur revelatio, res furto abreptæ abscondantur, vel alio transferantur. III. ut fontes fugæ tempus inveniant, quod non invenissent, & ut qui prima hebdomada pares erant solvendo, post tertiam non sint solvendo, &c. ergo.

Dixi, *stricte tenentur*. Nam stricta est obligatio, quæ ex religione, & ex justitia nascitur: porro obligatio revelandi quamprimum nascitur: I. ex religione, ex debita nimirum Superioribus Ecclesiasticis reverentia. II. nascitur etiam ex justitia: si enim, ut statim dicam, ad damni totius refusionem tenentur, qui non revelando damni hujus causa fuere, quis eximat a restituendo pro rata eos, quorum dilatio alicujus detrimenti conquerentibus causa fuerit?

Dixi iterum, *nisi legitima causa excuset*. Non enim peccat, qui differt revelationem: I. quia proprius, & gravibus negotiis alio trahitur. II. qui grave ex præcipiti revelatione damnum timet. III. qui dubitans, an revelare teneatur, ante vult eruditum quempiam consulere, quam revelet. IV. qui sperat partes ante excommunicationis fulminationem mutuo secum invicem conciliatum iri; item qui sperat salubribus se consiliis præstiturum, ut delinquens parti læsæ faciat satis. Extra hos, aut similes casus peccat, qui differt revelationem: imo si prævidisset futurum, ut statuto tempore revelare non posset, ob aliquod superveniens impedimentum, graviter peccasset non revelando eo tempore, quo potuit, & excommunicationem incurreret, cum postea fulminaretur, etsi jam eo tempore revelare non posset.

Dico II. Qui revelationem suo tempore omisit, ad eam obligatur quandiu conjicere potest eam utilem fore. Ratio est, quia terminus præfigitur, ut sollicitetur revelatio, non ut eo transacto expiret ejusdem revelationis obligatio; ergo, &c.

Dico III. Ad restitutionem tenentur, qui consequenter ad Monitorium revelare negligunt.

Prob. quia illa opinio in praxi admitti debet, quæ ut tutior, sic & probabilior est ab extrinseco, & ab intrinseco: atqui sic se habet opinio, quæ ad restituendum obligat eos, qui cum revelare possent, non revelaverunt. Ita Parochos suos doceri, & docere voluerunt S. Carolus Borromæus, Cardinalis Le Camus in suis statutis, Emin. Noailius in Collation. de usura, tom. 3. lib. 6. p. 206. Episcopus Genevensis in Resol. Pastor. tom. 2. pag. 3. tit. 6. cap. 3. Episcopus Catalaunensis, cujus pro Diœcesi exarata est Theologia Haberti. Idem satis aperte tradit Babin tom. 5. pag. 460., & expresse Pontas, v. *Restitutio*, cas. 101.

Confirm. I. Qui ex justitia tenetur ad revelandum, is, nisi revelet, tenetur ad restituendum: atqui urgente Monitorio, qui revelare potest, non ex religione solum tenetur ad revelandum, sed & ex justitia. Nam tenetur ex justitia, qui tenetur ex officio; sed tenetur ex officio, qui tenetur urgente Monitorio; tunc enim officium hoc, & onus imponunt Ecclesiasticus, & Secularis Judex, ut qui damnum alterius avertere potest revelando, avertat, & hoc onus suscipiunt omnes Ecclesiæ filii. Et vero conquerens jus acquirit per præceptum Ecclesiæ, ut omnes, qui testificando sibi opem ferre possunt, hanc revera sibi ferant.

Confirm. II. ex S. Thoma 2. 2. q. 62. ar. 4. ubi sic: *Tenetur*, quis *ad restitutionem .... si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur id, quod erat in via habendi*: atqui conquerens erat in *via habendi*, & recuperandi rem suam, nisi obstitisset silentium non revelantis; ergo non revelans ad restitutionem tenetur quatenus damnificator.

Confirm. III. Qui per dolum impedit, ne alius rem suam recuperet, is ex omnium confesso obnoxius est restitutioni: sed qui non revelat hoc in casu, per dolum impedit, ne alius bonum suum recuperet. Sicut enim per dolum impedit, ne stipem obtineam, qui dolose verbis, aut nutibus dicit me non indigere, sic & per dolum impedit, ne rem meam assequar, qui æquivalenter dicit neminem cognosci, qui ad damni mei reparationem teneatur: atqui hoc æquivalenter dicit, qui non revelat, cum revelare ab Ecclesia jubetur, idque ex ejus silentio colligitur; ergo.

Quæres, an ad restitutionem teneatur, qui revelavit, cum debebat abstinere a revelando. R. affirm. quia

quit qui revelat, cum non debet, lædit jus strictum alterius. Unusquisque enim jus habet, ut crimen suum non detegatur ab iis, qui ipsum sub silentio premere debent; unde qui sic revelant, sunt vere proditores, proditor autem ex dolo agit, & est triste iniquus.

Quia tamen qui injuste revelavit, vix scire potest, an æqui Judices aliquam revelationis evidenter iniquæ rationem habuerint; item an non is præcessisset testium numerus, qui independenter a proditore rei crimen satis detexerint, ideo vix unquam in praxi ad damni totius refusionem obligari potest temerarius revelator, idque adhuc verius est, cum ex bona fide revelavit.

Quæres quid faciendum a Parocho, cui publicandi Monitorii provincia demandatur. R. decem hæc. I. ex supra recensitis excommunicationis natura, & effectibus, exponet quam formidanda sit excommunicatio etiam injusta.

II. insurget in eos, qui ex vindicta, aut levibus de causis Monitoria postulant, & qui cum sæpe divites sint, terribiliores Ecclesiæ pœnas pro iis extorquent rebus, quarum jacturam viri etiam pauperes, sed plusculum Christiani, æquo animo ferunt.

III. si certo deprehendat Monitorium obreptitie obtentum fuisse, rei totius veritatem indicabit Officiali, cui id molestum accidere non debet.

IV. cavebit, ne publicationes auctoritate propria suspendat, eo quod damni auctor ei in confessione asseruerit se ad exhibendam satisfactionem paratum esse: hæc enim publicationum suspensio in grave conquerentis præjudicium cedere posset, & pluribus Arestis prohibita est.

V. Monitoria non promulgabit in festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, aliisque solemnioribus diebus, nisi Episcopus aliter censueit. Ita enim præscribunt libri Rituales non pauci, & probat ipsa rei natura; cum æquum non sit sanctam solemniorum dierum lætitiam, pœnarum, quas Religio maximas habet, strepitu, vel inflictione turbari: unde publicatio hæc in subsequentem festam diem una cum Pronao differri debet.

VI. Monitorium leget alta, & distincta voce, non festinanter, ut neme non audiat singulos articulos, qui Monitorii materiam constituunt.

VII. cum excipiet depositiones, cavebit, ne quis alia revelet, quam quæ ad Monitorium spectant.

VIII. docebit, quam errent graviter, qui revelationem usque ad ultimum terminum differunt.

IX. exponet per Monitorium ligari reum, & testes; eeum quidem, ut satisfaciat sub excommunicationis pœna, (quæ tamen non ubique contra eeos imponitur) non autem ut se prodat; testes vero, ut sub excommunicationis pœna revelent.

X. monebit eos, qui defectu revelationis excommunicationem incurreront, non posse, quocunque se transferant, absolvi, nisi ab Episcopo Monitorium decernente, ejusve successore, quia censura hæc est *ab homine* per sententiam specialem.

De Aggravatione, aut Reaggravatione, quæ in monitorialibus literis apponi solent, non loquor, quia Aggravatio, & Reaggravatio nihil operari posse videntur, quod nunc excommunicatio non operetur; unde fatuus esset ab iis abstinere.

## ARTICULUS QURTUS.

### *De Excommunicatione minori.*

EXcommunicatio minor est censura privans hominem receptione Sacramentorum, & voce, seu electione passiva: unde qui ea ligatus recipit Sacramenta, & Beneficia, peccat mortaliter; quia facit contra Ecclesiæ prohibitionem in materia gravi. Graviter etiam peccat tum qui excommunicato minori Sacramenta confert, nisi excuset ignorantia, aut scandali, alteriusve mali vitandi necessitas, tum qui eumdem ad Beneficium sciens, & volens eligit, præsentat, &c. uterque enim violat jus naturale prohibens, ne Ecclesiæ bona conferantur indignis.

Valida tamen sunt Sacramenta, quæ hujusmodi excommunicatis conferuntur, excepta Pœnitentia, quia supponitur deesse dolor de peccatis, sine quo Pœnitentiæ Sacramentum valide recipi non potest: secus si prius petens censuræ absolutionem, aut eam sibi impertiendam esse sciant, ut communiter præmitti consuevit. Valida item est electio ad Beneficium, aut ejus collatio, ut colligitur ex cap. 10. *De Clerico excom. minist.*

Quæres I. an peccet excommunicatus minor si Sacramenta conficiat aut administret. R. eum mortaliter peccare, si Missam celebret: quia qui Missam celebrat, communicare debet, quod non potest excommunicatus minor. Si vero alia Sacramenta conferat, videtur non nisi venialiter peccare, quia indecens est, ut qui a Sacramentorum susceptione tanquam indignus prohibetur, eadem administret.

Hic duo animadvertenda: I. excommunicatos minores nullam incurrere irregularitatem, pœnamve canonicam sive conferendo, sive recipiendo Sacramenta, quin nulla est expressa in jure. II. eosdem divinis Officiis interesse posse, suffragiis frui, absolvere a censuris, actus jurisdictionis exercere, &c.

Quæres II. quas ob causas incurratur hæc censura. R. eam nunc tantum incurri, quando communicatur in rebus prohibitis cum excommunicato majori, eoque denuntiato. Varias autem illicite hujus communicationis species exprimit versiculus iste: *Os orare, vale, communio, mensa negatur.*

*Os* denotat commercium per verba, nutus, literas, & alia amicitiæ signa, ut sunt amplexus, missio, vel acceptatio munerum, non tamen retentio eorum, quæ ante censuram recepta erant.

*Orare* significat externam communicationem in Officiis divinis, Sacramentis, orationibus etiam privatim factis cum tali excommunicato.

*Vale* significat salutationem honorificam. Quod ita extendit Suares, ut nequidem permittat aperiri caput sine verbis, ut resalutetur excommunicatus.

*Communio* denotat eadem exercitia, contractus, deambulationem cum alio, quietem in eodem cubiculo,

culo per modum societatis; secus si id ob dormiendi necessitatem fiat, & sine societate.

Per vocem *mensa* prohibetur communicatio non solum cibi, & potus, sed & mensæ, etiamsi non iisdem ferculis vescaris, &c.

Hæc, quæ prima fronte jugum intolerabile videntur, non parum emolliuntur sequenti versu varios indicante casus, in quibus sine culpa, ac proin sine censura excommunicati frequentari possint. *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*: I. itaque excusat *utile* (*Cap.* 103. *xt. q.* 3.), id est, utilitas sive excommunicati, sive communicantis cum eo, sive alterius tertii. Unde licet Casuistam excommunicatum consulere, Medicum invisare, & ab eo sibi, aut aliis emere remedia, litaris cum ordinaria saluta, aut verbis monere, ut resipiscat, &c.

II. *lex*, matrimonii scilicet: licitum enim est oxori cum marito præciso, vel marito cum uxore præcisa communicare in redditione, aut petitione debiti conjugalis; in iis, quæ ad domus, & familiæ gubernationem spectant; imo, & in colloquio familiari, (modo tamen non omittatur correctio fraterna, cui si desit præsertim maritus, letaliter peccabit ex Avila, & aliis.) Ratio est, quia vix vitari potest incontinentiæ periculum, si tam arcte conjunctis interdicatur prædicta communicatio: unde & id ampliari solet, si ambo sint excommunicati. Limitatur tamen si matrimonium scienter contraxerint in excommunicatione; qui enim contra censuram delinquunt, ab ejus onere eximi non debent; item si lata sit censura ob causam, quæ ad matrimonium spectet, puta si ob dubium de matrimonii valore prohibeatur cohabitatio; denique si conjuges divortio separati sint.

III. excusat *humile*, seu dependentia militum v. g. a ducibus, famulorum a dominis, filiorum a patribus. Censet tamen Sylvius illicitum esse famulis mancipare se obsequio hominis jam excommunicati: si famulum excommunicari contingat, debet herus eum omni, qua poterit, via reducere ad pœnitentiam; sin autem parere nolit, abigere, præsertim si grave ex ejectione ejus damnum non sequatur.

IV. excusat *ignorantia*, sicut & inadvertentia, modo utraque sit invincibilis. Si enim voluntaria sit, non excusat a censura, eum non excuset a participatione culpabili: unde petenda est absolutio saltem ad cautelam.

V. excusat *necessitas* etiam gravis, sive temporalis sit, sive spiritualis, sive mea, sive alterius, cujus cura mihi ea præcepto, vel consilio incumbat. Non enim probabile est velle Ecclesiam obligare contra divina, aut naturalia consilia.

Quæres III. an qui dubitat, num alter excommunicatus sit, teneatur eum vitare. R. eum esse vitandum, si immineat periculum scandali, vel Sacramenti alicujus, v. g. Pœnitentiæ, invalide suscipiendi, &c. Extra hos casus, qui dubitat simul, an altar sit excommunicatus, & denuntiatus, nec potest, nec debet eum vitare, quia exponeres se periculo eumdem jure suo privandi, eique injuriam faciendi. Si vero certus sis de ipsius excommunicatione, sed dubites, an denuntiatus sit, potest eum vitare, sed ad id non tenetur; quia jus præcipiens, ut vitentur excommunicati denuntiati, stricte intelligendum est da iis, quos satis constar esse denuntiatos.

Quæres IV. an qui dubitat, an ipse excommunicatus sit, debeat se gerere ut excommunicatum. R. affirmat. sive dubium sit juris, ut cum qui tale commisit delictum, dubitat, an ei annexa sit censura, sive sit facti, ut cum quis scit huic delicto annexam esse censuram, sed dubitat, an tale delictum commiserit, puta an is, quem se percussisse meminit, Clericus esset, an secularis. Ratio est: I. quia id expresse habetur c. 5. *De Clerico excomm. ministr.* ubi sic: *Quia in dubiis via est tutior eligenda; etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare*: II. quia, ut alibi dicam, in dubio votum implendum est; ergo a pari.

Hinc I. qui non facit id, quod in se est, ad excutiendum dubium, quo laborat, regulariter loquendo, temere se Sacris ingerit, ob periculum, ne excommunicatus, vel alia ligatus censura celebret, aut quid simile faciat. II. imprudentissime agit, qui stante dubio non curat saltem ad cautelam prius absolvi, quam Sacramenta conficere, aut ministrare attentet. Sufficit autem absolutio Episcopi; quia sicut votum perpetuæ castitatis, si dubium sit, reservatum esse cessat, sic & censura alioqui reservata Papæ.

Ceterum excommunicatio minor tolli potest ab omni, & solo Sacerdote approbato: vetuit enim an. 1679. Innocentius XI. *ne etiam venialium confessio fiat simplici Sacerdoti*, etiam Regulari, *non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.*

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Suspensione.*

SUspensio est censura, qua Clerico prohibetur exercitium alicujus ministerii sacri. Vox *censura*, quæ locum habet generis, impedit, ne peccatum mortale, quod etiam ecclesiastico ministerio privat, sit suspensio prout hic sumitur: unde etiam prohibitio celebrandi facta decrepito, non est vera suspensio, quia non supponit culpam. Vox *Clerico* ostendit suspensionem ratione subjecti, quod afficit, distingui ab aliis censuris, quæ etiam seculares ligare possunt. Per hæc verba *exercitium ministerii sacri*, distinguitur suspensio: I. ab irregularitate, quæ per se, & primario privat Ordinum susceptione, eorum vero usu non nisi secundario, & per accidens. II. a depositione, & degradatione, quæ non modo Beneficii, & Officii usum suspendunt, sed & ipsum, ut ita loquar, utrinsque substantiam, quantum est de se, convellunt. III. ab excommunicatione: hæc enim privat spiritualibus bonis, prout important communicationem cum aliis Fidelibus, suspensio vero privat bonis, prout sunt usus potestatis ecclesiasticæ, quæ cuipiam ratione Beneficii, vel Officii convenit. IV. ab interdicto

interdicto, quod non solum in Clericos, sed & in Laicos, non solum in personas, sed & in loca cadere potest, quodque per se privat usu passivo bonorum Ecclesiæ, Officiorum, v. g. quatenus iatetdictus iis interesse non potest: cum suspensus iis solum privetur quatenus sunt functio ecclesiasticæ potestatis: unde suspensus non privatur eo ministerio, quod a Laicis vel in sacrificio Missæ, vel in Sacramentorum administratione exercari potest; secus de eo, qui interdictus est.

Suspensio alia est *medicinalis*, quæ fertur ut homo resipiscat; alia *pœnalis*, quæ fertur in vindictam criminis præteriti. Pœnalis alia est *temporalis*, quæ fertur cum limitatione termini; v. g. ad biennium: alia indefinita, cui nullum præfigitur tempus; & tunc intelligitur duratura donec alter Snperiori visum fit.

Ex his suspensionibus nulla est præter medicinalem, quæ vere fit censura. Suspensio autem medicinalis, vel est *totalis*, quæ simul privat bonis omnibus, quibus privare potest, Ordine scilicet, Officio, & Beneficio; vel est *partialis*, quæ non privat simul his omnibus, sed vel uno tantum, vel duobus: potest enim Sacerdos a Missa celebranda, non ab aliis Sacramentis, a prædicatione, non a confessione suspendi. Hæc ut magis elucescant, sit

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De effectibus suspensionis.*

Suspensionis effectus alii sunt *per se*, privatin nempe Officii, vel Ordinis, vel Beneficii, aut horum omnium simul; alii *per accidens*, & hi vel in suspensum ipsum cadunt, vel in alios oecasione ipsius. Jam

Dico I. Suspensio absolute lata suspendit ab Ordine, Oficio, & Beneficio. Prob. tum quia nulla est ratio, cur suspensio hæc ad unum potius, quam ad aliud limitetur; tum quia ut excommunicatio simpliciter lata intelligitur de majore, sau de totali, sic & suspensio. Unde si Superior partialiter solum suspendere velit, necesse est, nt clare designet, quo ab Officio suspendat: alioqui enim totaliter suspendere eensebitur.

Dico II. Suspensio ab Officio simpliciter, & absolute lata privat usu Ordinis, jurisdictionis, & omnis Ecclesiastici ministarii, quod a Clerico, ut tali, axerceri postulat. Unde sic suspensus nec celebrara, nec Sacramenta administrare potest, quia hæe sunt actus Ordinis: item non potest censuras ferre, concedera indulgentias, alios ad confessionem approbare, quia hæc pertinent ad jurisdictionem: danique non potest eligere, & similes actus exercera, sive hi in tigore jurisdictionem includant, siva aliquod jus æquivalens quod Clerico, ut tali, concedatur ab Eeclesia, & ab eadem auferri possit. Prob. quia qui prohibet totum, prohibet & omnes ejus partes: atqui suspensio ab Officio absolute prolata prohibet totnm; quia non magis coarctatur ad hanc totius partem, quam ad illam; ergo eum juxta doctiores Canonistas (*Gibert. p.* 434.), nomine Officii ecclesiastici, intelligatur & usus Ordinis, & usus hominem ab Officio illimitte suspensum, non solum a jurisdictionis usu suspendi, sed etiam ab usu Ordinis. Vox enim Officii latn admodum exrenditur, & omnia præter Beneficium comprehendit, ut eum aliis docet Avila.

Ad pleniorem nostræ hujus assertionis intelligentiam, sedulo ponderandum est: I. effectus suspensionis quoad jurisdictionis eessationem locum non habera, nisi in iis, qui nominatim denuntiati sunt suspensi. II. eosdem effectus quoad incapacitatem obtinendi Beneficia, (da qua interim) locum habere ante omnem denunriationem: quia Constitutio *Ad evitanta*, non favet excommunicatis, vel suspensis. III. cum suspensio contra aliquem fartur, caute pensanda essa verba legislatoris, ut videatur, an suspensio non referatur ad expositionem delicti, quod quis commisit, & inda modificetur. IV. suspensionem ab Officio etsi late extenditur, non privare tamen iis ministeriis, quæ Clericorum propria non sunt: unda suspensus potast Saeramenta præter Ordinem recipera, indulgentias lucrari, eelebranti Missam inservire, cum aliis in Choro Horas canere, non tamen Orationes, & Capitnla cantare, ut Hebdomadarii solent, quia hæc functio ex usu solis Sacerdotibus competit: potest etiam Epistolam canere sine sacris vastibus, imo cum alba, & tunica sine manipulo; id anim seculares quoque non raro præstant.

Quæres, an qui ab Officio suspensus est, sit consequenter a Beneficio suo, ejusve fructibus suspensus. R. negative: I. quia eensura dividitur in suspensionem ab Officio solum, & suspensionem ab Officio simul, & Beneficio; quæ divisio inutilis foret, si suspensio ab Officio necessario involveret eam, quæ est a Beneficio. II. quia in pœnalibus verba stricte sunt interpretanda, nisi quid subsit, quod contrarium exigat: nihil est porro, quod exigat, ut Officii nomine Beneficium intelligatur. III. quia quando legislator ab Officio simul, & Beneficio suspendere vult, utrumque exprimit. Sententia hæc est communis, & certa, etiamsi agatur de suspensione, quæ fit ab homine, aut quæ contracta sit propter gravem culpam, modo culpa talis non sit, quæ ex se privationem Beneficii inducat. Hinc confirmatur, quod supra dixi, neminem per excommunicationem privari fructibus Beneficii.

Ex his sequitur, suspensos ab una parte Officii, non suspendi ab altera ai necessario non connexa; suspenditur tamen ab audiendis confessionibus, qui suspensus ab Ordine; quia potestas confessiones excipiendi fundatur in potestata Ordinis.

Dico III. Suspensus simpliciter ab Ordine suspensus est ab omni Ordine, suspensus vero ab Ordine superiori non ideo suspensus est ab inferiori.

Prob. 1. pars, quia nulla est ratio, cur suspensus ab Ordine simpliciter, potius ab uno, quam ab alio suspensus dicatur.

Prob. 2. pars, quia quædam culpæ satis sunt graves, ut a supremo ministerio, nimis vero leves, ut ab infimo arceant: & id vetari disciplinæ congruit, juxta quam Subdiaconi e gradu suo ajecti aliquando tamen Lectoris, & Ostiarii officium exercere poterant.

At

At qui suspensus est ab Ordine inferiori, est etiam regulariter a Superiore suspensus: quia cui non licet, quod minus est, nec ei licere debet, quod majus.

Excipe I. si suspendatur quis a functione inferiori ob culpam in ejus exercitio commissam: sic ex c. 4. *De temp. Ordin.* in 6. qui *homini Diœcesis alienæ clericalem* præsumit *conferre tonsuram absque* Episcopi ejus *licentia, per unum annum a collatione clericalis tonsuræ duntaxat* suspensus est, *ut in eo, in quo peccaverit, puniatur*. II. si Ordo inferior, a quo quis suspensus est, non includatur in superiore; unde si Episcopus suspensus sit a Pontificalibus, non poterit quidem ea præstare, quæ spectant ad usum Ordinis Episcopalis: qualia sunt Ordinum collatio, Ecclesiarum, & virginum consecratio: at ea exequi poterit, quæ sunt Ordinis mere sacerdotalis, ut Missam celebrare: nam simplex celebratio Missæ non pertinet ad Pontificalia, cum Missa ab iis celebretur, qui non sunt Pontifices.

Dico IV. Suspensio a Beneficio simpliciter lata suspendit ab omnibus Beneficiis. Ratio est; quia suspensio hæc se habet ad Beneficia, sicut suspensio ab Ordine simpliciter se habet ad Ordines: porro ex dictis suspensio ab Ordine simpliciter suspendit a quocunque Ordine. Unde qui plura variis in Diœcesibus possidet Beneficia, ab omnibus suspendi potest: quia licet hæc omnia Beneficia non subjaceant uni Episcopo, ei tamen subjacet, qui ea omnia possidet, ac proinde ab omnibus suspendi potest, si id mereatur. Si tamen Episcopus quempiam suspendat, nec exprimat se ab omnibus suspendere, credi potest eum non ab omnibus, sed ab iis solum, quæ jurisdictioni suæ subsunt, Beneficiis suspendere voluisse: unde existimat Pontas suspensionem, quæ ex Statuti alicujus violatione incurritur, ab iis solum suspendere Beneficiis, quæ sita sunt in loco, in quo obligat Statutum illud; contra vero eam, quæ per sententiam fertur, nunc a quibusdam, nunc ab omnibus suspendere, prout Superior vel quædam solum, vel omnia exprimit: in dubio satius est ad Episcopum recurrere, ejusque intentionem percunctari.

Dico V. eum, qui a Beneficio simpliciter suspensus est, non privari ipso Beneficii titulo, privari tamen fructibus ejus. Prima pars patet, quia suspensio ipsam rei substantiam non perimit; alias jam esset depositio, non pœna medicinalis imposita solum, donec quis resipiscat. Secunda pars non minus constat; quia alioqui suspensio nihil circa Beneficia operaretur. Hinc qui etiam occulte suspensus a Beneficio, percepit ejusdem fructus, tenetur in conscientia ad restituendum Ecclesiæ. Potest tamen, si indiget, eam sibi fructuum partem reservare, quæ ad moderatam sustentationem necessaria est; potest quoque, si Officium suum impleverit, ea detrahere, quæ substituto ad inserviendum donanda fuissent. Excipe, si ex animi obstinatione in suspensione perseveret; & tunc tamen Officium recitare, & alias muneris sui partes implere tenetur; quod enim fructus non percipiat, ejus est culpa, nemini autem culpa sua patrocinari debet.

Etsi vero suspensus a Beneficio non potest de jure communi Beneficium resignare in favorem, vel permutare, aut temporalia Beneficii bona administrare, ædes v. g. locare: hæc tamen potest in Gallia: ibi enim permutatio, resignatio in favorem, contractus locationis, & similia pro foro exteriori a Curiis secularibus valida habentur, donec quis ipso Beneficii sui titulo spoliatus fuerit. Unde si Prælatus in locum Parochi ab omni Officio suspensi, alium Sacerdotem præficiat, debet is ad Judicem secularem recurrere, ut sibi adjudicetur congrua portio ex fructibus Beneficii, cujus onus sustinet.

Si inquiras, an suspensus a Beneficio ad aliud valide promoveri possit. R. Vel suspensus est quis ab iis solum Beneficiis, quæ actu possidet, vel ab omni prorsus Beneficio. Si primum, valide, & licite aliud Beneficium acceptare potest, cum ibi sibi prohibitum non fuerit. Si secundum, credimus ob dubia Theologorum, tutius esse, ut qui ab Officio, aut a Beneficio quocunque suspensus accepit Beneficium, vel ei renuntiet, vel dispensationem, novamve collationem petat. Certe hæc obligatio ad minus dubia est, cum & agnoscatur a gravissimis viris, qui sunt numero plures, suique loci traditionem, & usum exhibent, & nulla satis firma juris auctoritate possit elidi.

Ex dictis facile intelligitur, quid in ordine ad Beneficia operentur variæ censuræ. Excommunicatio inhabilem facit ad Beneficia: idipsum præstat suspensio tum a Beneficio, tum ab Officio. Excommunicatio non privat fructibus Beneficii jam possessi, sed nec iisdem privat suspensio ab Officio: privat autem ea, quæ est a Beneficio, quia vel hoc, vel nihil operatur. Si quis tamen in foro pœnitentiæ a censuris absolutus fuerit, jam communiter loquendo, licite & valide Beneficia recipiet in foro conscientiæ.

Dixi *communiter loquendo*, quia etiam post acceptam a censuris absolutionem aliquando remanet incapacitas ad possessionem Beneficii: sic absolutus ab excommunicatione propter simoniam contracta manet adhuc ad idem Beneficium inhabilis, donec dispensetur a Papa, vel ab Episcopo ad tempus, si gravis id exigat ratio. Addidi *in foro conscientiæ*, quia si censura denuntiata fuerit, & qui ea ligatus est, nondum in exteriori foro absolutus fuerit, provisiones Beneficii eidem collati invalidæ censebuntur, donec absolutionem publicam receperit. Ut solvantur alia, quæ hic moram injicere possunt,

Quæres I. an censuræ eumdem circa pensiones, ac circa Beneficia effectum operentur, ac proinde an valida sit pensio collata sive excommunicatis, sive suspensis ab Officio, aut Beneficio: an item teneantur pensionis fructus restituere, qui vi suspensionis tenentur fructus Beneficii restituere. Affirmant plures: I. quia pensio venit nomine Beneficii late sumto vocabulo, ut ait Gigas q. 57. *De pensionibus*. Unde pensio iisdem amittitur modis, quibus Beneficium. II. quia in rescriptis Pontificiis, quibus pensiones conceduntur, præmitti solet absolutio a censuris *ad effectum*, &c. quod argumento est, hominem prædictis censuris ligatum reputari inhabilem ad pensiones. III. quia pensio post Pium V. est titulus, & reditus vere Ecclesiasticus, unde qui ea fruitur, tenetur ad Officium B. Virginis: porro excommunicati, & ii qui a Beneficio, vel Officio suspensi sunt, inhabiles sunt

ad

ad acquirendum jus in reditus Ecclesiasticos,& nonnunquam ad eos percipiendos, etsi jam radicem juris, & titulum habeant, ut statim dictum est de iis, qui a Beneficio sunt suspensi. Etsi opinio ista difficultate non caret, eam tamen semper consulam, ut tutiorem in praxi, nisi aliud certa loci consuetudine firmatum sit.

Quæres II. an acta per suspensum valida sint. R. suspensus vel est denuntiatus, vel non. Si 1. non valent actus ab eo contra suspensionem facti, si jurisdictionem requirunt; unde invalida est absolutio data ab eo, qui ab officio suspensus est, & nominatim denuntiatus: si vero jurisdictionem proprie dictam non requirant, validi sunt; ut Ordinatio, Confirmatio, Consecratio virginum, &c. Si 2. iidem actus licet prohibiti, sunt tamen validi, ex Constitutione *Ad vitanda scandala*.

Quod spectat ad effectus per accidens, constat eos, qui suspensionem violant, peccare mortaliter, nisi excuset materiæ levitas, ut si suspensus ab ingressu Ecclesiæ, in eam paulisper introeat, quo tempore divina Officia recitantur. Difficultas est an, & quando suspensionis violatores irregularitatem contrahant. Sit

REGULA UNICA. Qui solemniter exercet ea, quæ sunt Ordinis sacri, a quo suspensus est, is & solus ex suspensionis violatione irregularitatem incurrit. Quod incurrat patet ex c. 1. *De sent. excom.* in 6. quod in hoc solum casu incurrat, patet etiam; quia pœna hæc nullibi contra alios cujuscunque suspensionis violatores decreta legitur.

Dixi I. *qui solemniter exercet*; si enim non exerceat solemniter, non incurret irregularitatem: unde eam non incurrit Subdiaconus ab officio suo suspensus, si Epistolam canat in Missa sine manipulo, quia non censetur canere ex officio.

Dixi II. ea quæ sunt *Ordinis sacri*, quia cum actus Ordinum minorum jampridem exerceantur etiam a Laicis, qui eorum actus solemniter exercerent, quantumvis suspensus, non incurreret irregularitatem. Hinc suspensio secundum hodiernam Ecclesiæ praxim ab iis solum incurritur, qui sunt in Sacris: unde cum in Sacramento Pœnitentiæ præmittitur absolutio a censuris, omittitur vox, *a vinculo suspensionis*, nisi pœnitens ad minus sit Subdiaconus.

Hinc sequitur: I. suspensum ab Ordine nec peccare, nec irregularem fieri, si mensam benedicat, aut Choro eum aliis intersit: secus si juxta Ecclesiæ solemnitatem benedicat aquam die Dominica, aut ceras v. g. in die festa Purificationis, fructus item, nuptias, aut mulierem post partum. Item si Orationes canendo, præmittat *Dominus vobiscum*; quia hæc omnia sunt totidem sacri Ordinis functiones.

Sequitur II. Episcopum suspensum a Pontificalibus irregularem fieri, si exerceat actus, qui necessario supponunt consecrationem Episcopalem, puta si conficiat chrisma, calices consecret, conferat Ordines. Quod si idem solemniter benedicat per hæc verba, *Sit nomen Domini benedictum*; certius multo est eum inde irregularem fieri (*Fagnan.*), *quia hæc benedictio, quamvis non sit Ordo, est tamen actus proprius Ordinis Episcopalis, qui jure ordinario inferioribus Presbyteris non competit*.

Sequitur III. suspensum a jurisdictione, aut Beneficio non fieri irregularem, si vel ea, quæ jurisdictionis sunt, exerceat, ferendo v. g. censuras, absolvendo in foro exteriori, &c. vel Beneficii fructus recipiat, aut etiam Missam celebret; quia non violat suspensionem ab Ordine, sed a jurisdictione sola. Idem dic de eo, qui a Presbyteratu suspensus Diaconi, aut Subdiaconi functiones facit: is enim non violat suspensionem a Presbyteratu, a quo solum est suspensus.

Sequitur IV. Presbyterum, & Diaconum a divinis, aut etiam a prædicatione suspensos, haud tamen irregulares fieri prædicando, prout alibi dicam. Aliud est de eo, qui suspensionem ab Ordine ad tempus latam violat: quia Ecclesia irregularitatem annectere potuit violationi censuræ etiam latius sumtæ. Quod autem id actu fecerit, patet ex c. 1. *De re judic.* in 6. & c. 1. *De sent. excom.* in 6. & ita sentiunt Suares, Rituale Burdigalense anni 1707. p. 145. Gibert p. 786. Præiverat S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 1. juxta quem etiam suspensus sub *conditione, quod satisfaciat, si celebret ante absolutionem, est irregularis; quia in hoc factum Judicis est necessarium, ut habeatur pro absoluto*.

Quæres, an peccet, qui communicat cum homine suspenso. R. Vel suspensus est toleratus, vel est denuntiatus. Si 1. non peccat saltem contra jus ecclesiasticum, is, qui cum eo communicat, & id sequitur ex iis, quæ supra dixi de participante cum excommunicato. Si 2. peccat mortaliter, saltem aliquando, qui cum eo participat in iis actibus, a quibus est suspensus: quia gravem infert injuriam tum censuræ, tum Judici, a quo lata est: ideo enim Judex suspensionem denuntiat, ut vitetur quis in actibus, a quibus suspensus est. Qui vero cum suspenso participat in actibus humanis, aut non peccat, aut ad summum non nisi venialiter delinquit, cum talis participatio cum ipsis excommunicatis vulgo non excedat peccatum veniale, & excommunicatio eo distingui debeat a suspensione, quod illa, non hæc, quacunque exteriori communione privet. Ceterum fatentur omnes eum, qui cum suspenso participat, etiam in crimine, propter quod is suspensus est, nec censuram ullam, nec irregularitatem contrahere, quia talis pœna nullibi expressa est in Jure: potest tamen quis occasione alienæ suspensionis & ipse suspendi, si v. g. recipiat Ordines ab Episcopo suspenso, & denuntiato.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Suspensionibus, quæ ipso jure contrahuntur.*

NE hominibus aliena Beneficia *titulo devoluti* expetentibus rimam ullam aperiant Beneficiarii, varios nosse debent casus, in quibus incurritur suspensio, ut absolvi, ac rehabilitari curent. Præcipuas ergo suspensiones jure impositas contra Clericos duas in partes distribuam, quarum prior eas complectetur, quæ Papæ reservatæ sunt, posterior, quæ Episcopis.

Suspensionem Papæ reservatam incurrunt: I. qui eum titulum non habeant, promittunt, aut jurant seu

 Epi-

Episcopo, a quo sunt ordinandi, seu cuilibet Beneficiario, a quo ad Ordines præsentantur, se nihil unquam ab iis ad victum petituros esse. Ita colligitur ex c. 37. & 45. *De simonia*, ubi etiam Episcopus, & alii, qui prædictam promissionem exigunt, manent per triennium suspensi, ille a collatione, hi vero ab executione Ordinum, quos receperunt: ipse vero *ordinatus ab Ordine sic suscepto* suspensus est, *donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit*; c. 49. ibid.

Certius etiam videtur incurri suspensionem tum ab iis, qui sine Episcopi licentia, & participatione ordinantur absque titulo, tum ab iis, qui sub fraudulento Beneficii, vel Patrimonii titulo ordinantur; quales ii sunt, qui quasi sufficiens exhibent beneficium, quod reipsa non æquat taxam dioecesana lege constitutam; aut qui Patrimonium impar, aut debitis hypothecariis gravatum afferunt. Ita Suarez, Fagnan, Ducasse, Babin, Habert, Pontas, qui omnes adducunt declarationem Sacræ Congregat. datam die 26. Nov. 1610. & Can. 1. & 2. dist. 70. quibus nulla posteriori lege derogatum est. Idem expresse constitutum fuit in variis Regni Dioecesibus, potissimum vero in Parisiensi, ubi statuta sic habent: *Suspensionem reservatam incurrit qui ordinatur .... supposito titulo ad majores Ordines requisito.*

Hic notand. I. eos, qui a suspensione hac absoluti fuissent, non posse sine nova suspensione ad superiorem Ordinem promoveri, nisi secum in titulo dispensatum esset, quod regulariter a solo Episcopo fieri potest. II. eum, qui ex doloso titulo obtinet a Præsule suo Literas dimissorias, vi quarum ab alio Præsule ordinatur, geminam probabiliter incurrere suspensionem; aliam, quia ex dimissorio subreptitie obtento, ac proinde reipsa nullo; aliam, quia sine titulo ordinatur. III. eum, qui ante Diaconatus, aut Sacerdotii susceptionem verum, sub quo Subdiaconatum recepit, Beneficii titulum dimittit, incurrere suspensionem; quia ordinatur sine titulo. Si vero Presbyter titulum alienet, (quod quantum ad titulum Patrimonii valide in Gallia fieri nequit ex Constitutione Aurelianensi an. 1560.) peccabit quidem graviter, sed non erit obnoxius suspensioni, utpote nullibi decretæ contra Presbyteros, qui titulum alienant. IV. eum, qui solum promittit se extra casum magnæ necessitatis nihil exacturum esse ab eo, qui titulum sibi constituit, non subjacere suspensioni, juxta viros graves ea de re consultos: quia Ecclesia non exigit titulum, nisi ut quis in necessitate habeat unde vitam citra Clerici dedecus sustentet. Idem est, si testes declaraverint prædium tanti valere, quod nisi sit, de suo supplementum præbituri sint; nisi declaratio hæc publica loci conventione illusoria sit.

II. Suspensi sunt, qui excommunicatione ligati Ordines culpabiliter recipiunt. Ita colligunt omnes ex c. 32. *De sent. excom.* Hac suspensione non ligantur juxta Suarem, Avilam, Navarrum, &c. excommunicati, qui primam tonsuram recipiunt.

Dixi, *qui culpabiliter Ordines recipiunt*; quia hic excusat tum ignorantia invincibilis, tum etiam aliquando gravis metus, ut supra dixi.

III. Monachus, qui *aliquem sacrum Ordinem in apostasia* recepit. Is enim *quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in Ordine sic suscepto*, ex cap. 6. *De apostat.*

IV. qui post contractum, licet non consummatum matrimonium (*Extravag. Joan. XXII. c. unic. De voto*) *aliquem de sacris Ordinibus* præsumunt accipere; atque hæc suspensio ad Beneficium etiam, & quodcumque Officium Ecclesiasticum extenditur. Si tamen qui sic Ordines recipit, Religionem ingrederetur, posset ab Episcopo dioecesano absolvi. Quod si quis bona fide ordines sacros suscipit, putans mortuam esse uxorem, quæ tamen vivit, is ab Ordinis sic suscepti executione, non quidem stricte, & per modum censuræ suspensus erit, sed solum prohibitus, quamdiu uxor vivet, nisi hæc juri suo cedat, emittens v. g. votum castitatis, &c.

V. qui eodem die, duobusve diebus continuis duos sacros Ordines recepit: is enim ab ordinis ultimo recepti executione suspensus manat ex cap. 13. *De temp. Ord.* sed nullam præsertim in Gallia suspensionem incurrunt, qui eadem die minores Ordines, & Subdiaconatum recipiunt.

VI. qui Ordines per simoniam realem recipiunt; cap. 2. *De simon.* in extravag. commun.

VII. qui Ordines suscipiunt furtive, id est, absque eo quod ab Episcopo examinati, aut admissi fuerint. Hæc suspensio non est reservata Papæ: nisi cum Episcopus furtivam hanc, ut multis in Dioecesibus fieri solet, Ordinum receptionem sub excommunicationis pœna prohibuit; alioqui enim ab Episcopo relaxari potest. Potest quoque Episcopus a prædicta suspensione eos omnes absolvere, qui Religionem ingressi, in ea *laudabiliter fuerint conversati*. Vide titulum *De eo qui furtive*, &c.

VIII. qui ante legitimam ætatem ordinantur; sic enim sanxit Pius II. Bulla sua septima, quam qui usu contrario revocatam esse volunt, nulla satis firma ratione nituntur (*Babin. tom.2. p. 344.*). Ubi nota: I. suspensionem hanc, cum semel contracta est, per supervenientem legitimam ætatem non tolli (*Ducasse*). II. eam non incurri ab iis, qui bona fide rati se ætatem habere canonicam, sacris initiantur. Unde si re comperta abstinuerint ab Ordinum usu, poterunt absque ullo ad Superiorem recursu celebrare, statim ut ætatem præscriptam attigerint. III. neque etiam eam incurri ab iis, qui minores solum Ordines ante debitam ætatem recipiunt (*Cabassut. Cherubin hic Schol. 2.*): aut qui inter Ordines etiam sacros præscripta interstitia non servant; quia pœna hæc nullibi expressa est in jure: quanquam graviter delinquunt qui in utroque casu Ecclesiæ legem violant. IV. & id semel dictum sit, prædictas suspensiones ab Episcopo auferri posse, quoties occultæ sunt; ut patet ex cap. 6. Sess. 24. Conc. Trid. Idem est erga eas etiam, quæ publicæ sunt, cum Episcopus legitime præscripsit facultatem ab iisdem absolvendi, &c.

Suspensionem Episcopis jure reservatam incurrunt: I. qui per saltum ordinantur, seu qui Ordinem superiorem recipiunt omisso inferiori: verum cum talibus

libus, *modo tamen non ministraverint* in Ordine sic suscepto, *Episcopus ex legitima causa* potest *dispensare*, ait Tridentinum Sess. 23. c. 14. *De reform.* Porro declaravit Sacra Congregatio subjacere suspensioni huic eum, qui Ordines recepit non recepta tonsura; tum quia tonsura quandoque vocatur Ordo, ut cap. 11. *De ætat. & qualit. præfic.*; tum quia ex Ecclesiæ usu tonsura primus est gradus ad Ordines, eorumque basis.

II. qui absque Literis dimissoriis proprii Episcopi, aut iisdem suppositis, ab alio Episcopo ordinantur. Ita sancit Pius II. Bulla 7. quæ quoad articulum hunc in Galliis viget.

III. qui ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto denuntiato; aut a simoniaco, tali per sententiam declarato; ita sancitum c. 1., & 2. *De schismaticis*, & c. 108. 1. q. 1.

IV. qui vacante Episcopatu, & nulla arctante Beneficii causa, a Capitulo ante completum annum dimissoria obtinent, iisque nixi sacros Ordines recipiunt (*Trid. Sess.* 10. c. 7.). Qui vero minoribus solum in eodem casu donantur, privilegii Clericalis privatione, non autem censura puniuntur. Non constat an suspensio hæc in Gallia vigeat (*Babin p.* 384.); idemque dicendum de proxime sequenti.

V. qui a proprio etiam Episcopo, extra suam Diœcesim, & absque Ordinarii locorum licentia expressa, ordinantur: secus si agatur de tonsura, quam Episcopus cuilibet e Diæcesanis suis, & ubilibet conferre potest (*Trid. Sess.* 6. c. 5.).

VI. qui Ecclesiam suam alienis debitis gravare præsumunt, eamve obligant; ii enim ab administratione temporalium, & spiritualium, donec aliter Episcopo visum sit, suspenduntur, c. 2. *De solution.*

VII. qui usurarios manifestos ad communionem admittunt, eorum recipiunt oblationes, ipsosve Christianæ tradunt sepulturæ (*Cap.* 3. *de usuris*). Hæc secundum ea, quæ superius dixi, restringenda sunt in eo, quod ad sepulturam pertinet.

VIII. Ab Officio, & Beneficio suspenduntur Visitatores, qui in cursu Visitationis aliquid ultra id, quod sibi debitum est, vel exigunt, vel sponte oblatum recipiunt; suspenduntur, inquam, donec duplum gravatis Ecclesiis restituerint, cap. 2. *De censibus* in 6.

IX. Ex Trid. sess. 24. de reformat. cap. 1. *Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, qui alterius Parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia, matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure* pure, & simpliciter *suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.* Hoc Decretum in Gallia viget: unde si sponsi in matrimonium conjuncti alterius sint Diœcesis, tenetur Sacerdos legis hujus transgressor ad Episcopum, cujus aliunde subditus non est, pro obtinenda suspensionis hujus relaxatione recurrere.

X. Suspensi etiam sunt, vel, ut malunt alii, interdicti ab ingressu Ecclesiæ, qui *scientes celebrant, vel faciunt celebrari divina .... in locis interdictis, aut qui excommunicatos publice, vel interdictos, ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittunt* (*C.* 8. *de privil. in* 6.) Decretum hoc licet a Bonifacio VIII. prodierit, in Gallia locum habere ex usu tradunt Doctores nostri; modo tamen per excommunicatos *publice* ii intelligantur, qui per sententiam denuntiati sunt; alias enim nec ab Officiis arceri, nec ecclesiastica sepultura inconsultis Episcopis privari debent. Hæ suspensiones, etiamsi publicæ sint, ab Episcopis remitti possunt.

Quæres I. an concubinarii, sodomitæ, aliique id genus sint ipso jure suspensi. R. eos immanis quidem sacrilegii reos esse, si sacra celebrent, a quibus etiam in perpetuum deberent abstinere: sed nullo, quod in Galliis vigeat, jure esse suspensos suspensione proprie dicta, cujus transgressio irregularitatem inducat. Bulla enim 72. Pii V. apud nos recepta non est.

Quæres II. an ii, quibus ex Judicis decreto indicta est comparitio personalis ad certum diem (*Decret d'ajournement personnel.*), sint illico suspensi. R. negat. quia laicus Judex nullam potest ferre censuram; Judex vero ecclesiasticus eamdem non fert, nisi id diserte exprimat. Unde obtinuit consuetudo multis in Diœcesibus, ut cum Clerico intimatur decretum personaliter comparendi, simul & intimetur suspensio a quacunque Officii, vel Beneficii functione; quam suspensionem si violaverit, irregularitatem non effugiet. Et vero non decet, ut Sacerdos de crimine præventus, sacras ministerii functiones exercere pergat, donec decretum, ut ajunt, purgatum sit, & accusatio falsi convicta.

Quæres III. quibus modis tollatur suspensio. R. Suspensio vel est censura, & tunc nulla est circa eam specialis difficultas; sed hic applicanda sunt, quæ supra dixi de absolutione a censuris: vel est pura pœna; tuncque vel imponitur ad certum tempus v. g. ad triennium, aut donec suspensus satisfecerit, vel in perpetuum. Si 1. cessat ea elapso tempore, aut præstita satisfactione; nec ante ab alio potest relaxari, quam a quo imposita fuit: & ea quidem hoc in casu non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, quia talis pœna ita est suspensio, ut simul speciem habeat irregularitatis, quæ sola dispensatione relaxatur. Si 2. tamdiu quoque durat, donec legis auctor, vel successor ejus, superiorve, aut delegatus eam relaxaverit. Ita Navarrus (*Cap.* 27. *n.* 162. *Coll. And. p.* 359.), & Babin, qui hinc inferunt suspensionem pœnalem in jure contentam, ab Episcopis, utpote qui Papæ juris conditori inferiores sint, dimitti non posse. Et vero legislator, qui vel ad tempus, vel in perpetuum aliquem suspendit, virtualiter prohibet, ne pœna hæc toto illo tempore ab inferiori tolli possit; quia alioqui nec delicta pro merito punirentur, nec satis timeretur pœna, quam unusquisque facile relaxare posset. Et hæc ratio, ait Suarez, tam efficax mihi videtur, ut existimem, ne ipsum quidem Papam licite pœnam hanc relaxare posse absque gravi, & rationabili causa.

## CAPUT TERTIUM.

*De Interdicto.*

NAturam interdicti, divisionem, effectus, &c. pro solita methodo delibare conabimur.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De essentia, & divisione interdicti.*

INterdictum est censura ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum divinarum, quatenus eæ a Fidelibus possideri possunt. Hinc interdictum differt: I. a suspensione, quæ non privat rebus sacris, prout sunt bona Fidelium, sed prout sunt usus alicujus ministerii ecclesiastici; unde suspensio in solos Clericos cadit, interdictum vero etiam in seculares. II. ab excommunicatione, quæ & plures parit effectus, quam interdictum, & cum iis privat bonis, quibus interdictum privat, non tamen eodem modo: excommunicatio enim privat rerum sacrarum usu, quatenus communicationem importat cum aliis Fidelibus; interdictum vero hanc eum aliis communicandi rationem non curat, unde privat rebus sacris, quatenus quædam sunt bona, quæ a Fidelibus, nisi prohibeantur, possideri possunt.

Ab aliis, sed non tam stricte, definitur interdictum: Censura, qua certis personis, certisve in locis prohibentur Officia divina, Sacramenta quædam, & sepultura ecclesiastica. Scilicet interdictum præter divisiones, quas cum censura in genere communes habet, dividitur: I. in personale, locale, & mixtum.

Interdictum *personale* immediate afficit personas, easque, ubicumque sint, arcet a divinis. *Locale* immediate respicit locum, prohibetque, ne Missa in eo celebretur, vel audiatur etiam ab extraneis; item ne quis in eo Sacramentis, aut sepultura donetur: hinc mediate cadit in personas, & sub eo respectu vera est censura. Interdictum *mixtum* complectitur personale, & locale; unde si speciale sit, cadit & in loca quoad omnes personas etiam extraneas, quæ hic divina facere non possunt, & in personas quoad omnia loca, quia personæ illæ nullibi divinis frui possunt, ut cum incolæ loci alicujus, & locus ipse interdicuntur, aut interdicitur persona, & locus omnis, in quem ea se contulerit, quod Canonistæ vocant interdictum *ambulatorium*.

Dividitur II. tam locale, quam personale in *generale*, & *particulare*.

Interdictum locale generale illud est, quo interdicitur locus universalis, seu locus, sub quo alia loca continentur, ut Regnum, Diœcesis, Civitas, Parochia tota. Ad interdictum enim generale sufficit, & requiritur, ut locus, in quem cadit, duo locorum genera contineat, scilicet locum sacrum, & locum profanum: tunc enim prohibetur celebratio non solum intra Ecclesiam, ubi fieri solet, sed & extra Ecclesiam, extra quam in casu necessitatis fieri posset; sive sub dio, sive in locis ad hoc deputandis.

Interdictum speciale locale illud est, quo interdicitur locus aliquis particularis, non autem ea, quæ ad illum ita pertinent, ut neque partes ejus sint, neque ei accessoria. Hinc particulare est interdictum, quod fertur in solam Ecclesiam: licet enim ea interdicta interdicantur Capellæ, quæ intra eam sunt, & cœmeterium ei contiguum, quod ut accessorium naturam sequitur principalis; haud tamen interdicta sunt alia loca profana, in quibus proinde quod quis divina facere nequeat, oritur ex conditione loci, non ex natura interdicti. Unde interdictum latum in omnes mundi totius Ecclesias, adhuc speciale foret: multitudo enim templorum nihil facit ad interdictum, generale, nisi etiam loca quæcunque ejusdem districtus interdicantur, quia adhuc extra Ecclesias divina peragi possunt, sive in Oratoriis constructis, aut construendis, sive alibi. Hæc differentia strictius ponderanda fuit: quia ii, quibus ex privilegio concessum est, ut tempore generalis interdicti possint audire, percipere, vel celebrare divina, id non possunt tempore interdicti particularis. Circa hæc

Not. I. *si civitas, castrum, aut villa subjiciantur ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia* seu vicina *ædificia eo ipso sunt interdicta*, ex cap. 17 *De sent. excomm.* in 6. *ne* scilicet *vilipendi valeat sententia interdicti, quod fieret, si posset, in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari, ut prius.* Pari de causa, *si sit Ecclesia interdicto supposita, nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepelliri; secus si ei contigua non existant.* Ea porro ædificia nobis videntur *continentia* esse, quæ ita parum ab urbe distant, ut a civibus adiri commode possint, adeoque in quibus si celebrarentur Officia, parvi penderetur interdictum; & hoc ex circumstantiis, prudentumve judicio definiendum est, vel ab ipso Judice decernendum.

Ampliatur hæc doctrina, etiamsi suburbia civitatis sint alii Episcopo subdita; tunc enim vel a jure interdicuntur, vel a vicino Episcopo interdicta supponuntur, ne interdictum suo frustretur effectu. Unde ipsæ etiam Religiosorum exemtorum Ecclesiæ, licet particulari interdicto subjici nequeant, subjiciuntur tamen generali, quod proinde Religiosi servare tenentur (*Trid. Sess.* 25. *c.* 12. *de Regul.*): id tamen limitant aliqui, si Ecclesia Matrix, Cathedralis, aut Parochialis interdictum servet, & non aliter.

Quod spectat ad cœmeteria, ea dicuntur Ecclesiæ esse contigua, quorum extrema Ecclesiam immediate tangunt, ita ut & nullus inter ea mediet locus plenus, aut vacuus, & unum moraliter censeatur esse pars, aut accessorium alterius. Hinc si duo cœmeteria ad duas pertinentia Ecclesias, parietem habeant intermedium, interdicta ex his Ecclesiis una, interdicetur & cœmeterium ejus, eidem, ut suppono, contiguum: non tamen cœmeterium aliud, quod etsi vere contiguum dici possit, non est tamen moraliter aut pars, aut accessorium respectu Ecclesiæ, vel cœmeterii interdicti, sed totum aliquod ab aliis plene independens. Unde si duæ totales Ecclesiæ, & a se prorsus independentes

pendentes, tam contiguæ essent, ut ambæ uno pariete sustinerentur, interdicta una, non censeretur alia interdici.

Ceterum interdicto cœmeterio, non ideo interdicitur Ecclesia contigua: quia interdictum totius cadit in partes, non interdictum partis in totum.

Not. II. interdictum quodcumque locale complecti personale interdictum eorum, qui ei causam dederunt; unde hi ubicumque privantur bonis, quibus privantur, qui personaliter sunt interdicti: secus de iis, qui criminis, propter quod latum est interdictum, consocii non sunt; ii enim extra locum interdictum *possunt licite interesse divinis*.

Not. III. interdictum personale, si particulare sit, nullum complecti interdictum locale; ita colligitur ex cap. 16. *De sent. excomm.* in 6. Sed neque interdictum generale populi totius in civitate aliqua existentis, loci ipsius interdictum involvit: quia duo hæc interdicta omnino distincta sunt: unde tunc extranei in Ecclesiis ejusdem loci Officia divina facere possent, modo tamen abessent interdicti.

Not. IV. interdictum generale loci, cum gravis sit, & communis pœna, non nisi ob gravem, eamque quadantenus communem culpam decerni posse. Culpa autem communis ea est, quam communitas, aut saltem communitatis caput, ut Princeps, Gubernator, Magistratus, Toparcha commiserit; de quo vide Concordatum titulo 15.

Interdictum generale personale illud est, quod directe fertur in aliquam communitatem, prout certum aliquod corpus constituit, v. g. in populum Meldensem; & hoc quidem interdicto comprehenduntur omnes, qui sunt de populo illo, vel universitate, præcise quatenus sunt ejus pars.

Interdictum personale particulare illud est, quod fertur in unam, plurcive personas particulares, qua tales sunt: tale autem est, sive aliqui nominatim interdicantur, sive etiam generaliter interdicantur ii omnes, qui v. g. furtum commiserint, etsi mille sint, & prorsus ignoti. Ratio est, quia interdictum semper particulare est, nisi cadat in communitatem, quatenus talis est: atqui in casu præsenti, qui interdicuntur, non spectantur ut pars communitatis, sed singuli immediate per se ob proprium crimen feriuntur censura, perinde ac si singuli solitarie peccassent. Unde interdictum hoc non est generale unum, sed particulare multiplex.

Eæ duæ personalis interdicti species in hoc conveniunt, quod sicut specialiter interdicti nullibi possunt divinis interesse, aut suscipere Sacramenta; sic & qui generaliter interdicti sunt, etiamsi sint innocentes, vel absentes dum fertur interdictum, quandiu manent, & sunt pars communitatis interdictæ, ubicumque sint, a divinis abstinere tenentur. Differunt vero, quod specialiter interdicti non nisi per absolutionem ab hac censura rediml possint; contra vero qui generaliter interdicti sunt, modo causam interdictu non dederint, statim ac desinunt esse pars illius communitatis, quæ immediate interdicta est, ab interdicto relevantur: unde a contrario sensu non interdicti, hoc ipso, quod communitatis alicujus interdictæ pars fiunt, subjacere incipiunt interdicto. Ratio est, quia ad tale interdictum requiritur, & sufficit, ut quis pars sit, & membrum hujus communitatis: atqui priores ejusdem communitatis membra esse desinunt, incipiunt vero posteriores.

Ut cetera huc spectantia intelligantur,

Not. I. *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur interdictus populus, nisi aliud sit expressum*, ex cap. 16. *De sent. excomm.* in 6. Tunc ergo populus potest alios accersere Sacerdotes, qui sibi divina celebrent, & conferant Sacramenta. Pariter interdicto populo, non interdicitur Clerus, aut personæ Religiosæ etiam Laicæ. Neque etiam interdicto Clero, Religiosi interdicuntur: quia etsi nomine Cleri veniant Regulares in favorabilibus, non tamen in odiosis. Si tamen Regularis Pastoratum, aut simile Officium habeat in civitate interdicta, is interdicto sicut & Seculares ligabitur.

Not. II. interdicta familia, interdici Clericos ejusdem familiæ, quia familiæ nomen tam Clericis, quam Laicis competit: pariter interdicta Universitate, quæ Laicis constat, Clericis, & Regularibus, omnes interdicti manent.

Not. III. aliquos esse ex omnium confessio, qui interdicto, quantumvis generali, non ligantur. Tales sunt: I. Episcopi, nisi expressa eorum mentio fiat, ex c. 4. *De sent. excomm.* in 6. II. pueri, & quicunque doli incapaces sunt: ii tamen sepulturæ ecclesiasticæ tradi non possunt, quia sepeliri non possunt absque ministerio Sacerdotum, qui eo per interdictum prohibentur. III. peregrini, exteri, aliique, qui per longum etiam tempus inter interdictos commorantur: etsi enim hujusmodi homines locorum legibus tenentur, non tamen tenentur iis, quæ afficiunt personas singulares, prout sunt pars hujus populi, qualiter afficit interdictum generale personale. Qui vero duplex habent domicilium, quorum aliud in medio populi interdicti situm est, aliud extra, si in priori maneant, interdicti sunt, quia sortem populi, cujus sunt pars, subire debent; secus si in alio commorentur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De effectibus Interdicti.*

Effectus *per se* interdicti triplex, privatio quorumdam Sacramentorum, divinorum Officiorum, sepulturæ ecclesiasticæ: hi effectus aliquando à se invicem separantur ad nutum Papæ, & Episcopi. Effectus *per accidens* sunt pœnæ, quas incurrit violator interdicti. Circa primum

Quæres I. quibus Sacramentis privet interdictum.

R. I. Tempore interdicti conferri potest, & recipi sive ab infantibus, sive ab adultis Baptisma, idque etiam in Ecclesia specialiter interdicta, & quidem cum consuetis Baptismi solemnitatibus. Ratio est: I. quia c. 19. *De sent. excomm.* in 6. interdicti tempore permittitur chrismatis confectio in die Cœnæ Domini, eo quod chrismatis unctio in Baptismo adhibeatur; atqui unctio hæc non adhiberur nisi in

 Baptismo

Baptifmo folemni. II. quia in pœnalibus illud licitum eft, quod non eft prohibitum: porro nullibi prohibitum eft, ne Baptifmus in Ecclefia interdicta adminiftretur. Non debet tamen Baptifma conferri a Miniftro fpecialiter interdicto, nifi in cafu neceffitatis, tuncque abfque folemnitate Sacramentum hoc miniftrare debet.

R. II. Poteft etiam eodem interdicti tempore conferri, & recipi Confirmatio (*Cit. cap.*); quia hæc pro quodam Baptifmi complemento habetur. Haud tamen confirmari poteft, qui fpecialiter interdictus fuit; quia fpecialiter, & ob culpam fuam interdictus æquiparatur excommunicato quantum ad paffivam Sacramentorum receptionem, c. 8. *De privil. in* 6.

R. III. *Tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati, tam fani, quam infirmi, ad pœnitentiam, (quæ propter pronitatem ad peccandum fumme neceffaria eft) licite admittuntur*; iis tamen exceptis, qui interdicto caufam dedere, eifve *confilium, vel favorem* præbuerunt: ifti enim ad pœnitentiam admitti non debent, *nifi prius fatisfecerint, vel de fatisfaciendo idoneam dederint cautionem*. Ita habetur celebri cap. *Alma mater* 24. *De fent. excomm.* Hic nota Sacramentum Pœnitentiæ ab interdictis perfonaliter fimul, & fpecialiter licite conferri non poffe: valide tamen conferretur, quia licet excommunicatus denuntiatus fua fpolietur jurifdictione, non tamen interdictus denuntiatus; unde is indulgentias concedere, Beneficia conferre, imo alios interdicere poteft; cum hæc pendeant a jurifdictione, cujus ablatio ad nullam ex tribus interdicti effectibus revocari poteft.

R. IV. Euchariftia nec interdicti tempore, nec interdictis etiam infirmis, conferri poteft, nifi fint in mortis periculo. Interdicti fpecialiter Sacramentum hoc miniftrare nequeunt, nifi defint a quibus conferatur. Cum autem ad infirmos defertur Viaticum, ufurpari poffunt folemnitates folitæ.

Porro ut Euchariftia debite pro morientibus confecrari, ac renovari queat, licitum eft (*Cap.* 17. *de fent. excomm.*) *Ecclefiarum Miniftris femel in hebdomada tempore interdicti, non pulfatis campanis, voce fubmiffa, januis claufis, excommunicatis, & interdictis exclufis, Miffarum folemnia celebrare*; quod de loco etiam fpecialiter interdicto intelligitur, quia periculofum effet, quod Paftor ex aliena Parochia Sacramentum hoc fubditis fuis morientibus petere cogeretur.

R. V. nec Unctio extrema, etiam Clericis, & Religiofis, qui interdictum fervarunt, nec Ordo conferri poffunt tempore interdicti. Ita omnes. Si tamen infirmo Pœnitentia conferri non potuiffet, poffet eidem conferri Unctio extrema. Pariter fi deeffent Sacerdotes ad ea miniftranda Sacramenta, quæ jura miniftrari permittunt, licitum effet aliquos confecrare: quia dum aliquid conceditur, ea quoque conceduntur, fine quibus illud fieri non poteft.

R. VI. Rebus bene penfatis, incertum videtur, an matrimonium interdicti tempore contrahi poffit; unde recurrendum effet ad Superiorem.

Quæres II. an, & quatenus interdictum divinis privet Officiis. Hic, nomine divini Officii ea omnia munia intelliguntur, quæ ex Chrifti, & Ecclefiæ intentione, per fe a folis Clericis fieri debent, ut celebratio Miffæ, benedictio folemnis nuptiarum, fontis baptifmatis, aquæ, olei chrifmatis, item recitatio Officiorum, prout a Miniftris Ecclefiæ folemniter fieri folet; aut etiam a Monialibus, quibus per accidens committitur id, quod per fe folis Clericis competit. Jam

R. I. Interdictum tam locale, quam perfonale a divinis Officiis prohibet. Ita omnes ex c. 16. *De fent. excomm.* in 6. Unde non prohibetur eo tempore facra Concio, quæ non ad recitandas Dei laudes, fed ad inftruendum populum ordinatur; item nec menfæ benedictio, recitatio Litaniarum fine folemnitate, &c.

R. II. Jure novo, quod continetur c. *Alma mater*, conceffum eft I. ut *fingulis diebus in Ecclefiis, & Monafteriis Miffæ celebrentur, & alia dicantur Officia ficut prius; fubmiffa tamen voce, & januis claufis, excommunicatis, & interdictis exclufis, & campanis non pulfatis*. Unde etiam teneotur Clerici intereffe Miffæ feftis diebus: quod enim jure tibi conceffum eft, fi aliunde id implere tenearis, peccas nifi impleveris. II. conceffum eft ut *in feftivitatibus Natalis Domini, Pafchæ, ac Pentecoftes, & Affumtionis Virginis*, (nec non, & in fefto Corporis Chrifti, ac Conceptionis, & utriufque Octava) *campanæ pulfentur, & januis apertis, alta voce divina Officia folemniter celebrentur; excommunicatis prorfus exclufis, fed interdictis admiffis .... fic tamen quod illi, propter quorum exceffum interdictum hujufmodi eft prolatum, altari nullatenus appropinquent*.

Circa hoc not. I. conceffionem capitis *Alma*, non extendi ad interdictum locale fpeciale, fed generale tantum. II. licentiam Officii fingulis diebus faciendi, non fuffragari Laicis, fed Clericis, fub quorum nomine veniunt, qui gaudent privilegio fori, & canonis. Hinc Miffæ privatis in Oratoriis interdicti tempore celebrari nequeunt, quia privata Oratoria nec funt Ecclefiæ nec Monafteria; de quibus folum loquitur Bonifacius VIII.

Quæres III. quinam tempore interdicti generalis ecclefiaftica priventur fepultura. R. I. omnes prorfus, exceptis folum Laicis, qui privilegio gaudent, & Clericis, qui nec fpecialiter interdicti funt, nec caufam dederunt interdicto, nec illud fervare omiferunt: hos enim in omni loco ad Fidelium fepulturam deftinato, etiam fpecialiter interdicto, fi alios defit, *fine campanarum pulfatione, ceffantibus folemnitatibus omnibus cum filentio* tumulari permittit Innocentius III. cap. 11. *De pænit.*, *& remiff.* Non excipiuntur infantes, neque ii etiam, quibus Sacramentorum fufcepio fpecialiter indulta fuiffet.

R. II. In interdicto locali fpeciali, qui nec fpecialiter interdicti funt, nec caufam dederunt interdicto, fepeliri poffunt in alio loco facro non interdicto: qui vero perfonaliter interdicti funt, & denuntiati, in loco facro fepeliri non debent.

R. III. In generali loci interdicto fepeliendi funt mortui in campo aliquo, vel loco non benedicto, ab iis, quorum intereft, deputato: unde ceffante interdi-

terdicto, exhumari, & in locum sacrum deferri possunt, si nec specialiter interdicti sint, nec interdicto causam dederint. Rei vero non modo in locum sacrum post interdicti finem deferri non debent, sed etiam exhumandi, & in loco profano secludendi sunt, si corpora eorum ab aliis secerni valeant: secus de iis, qui in culpa non fuere; etsi enim peccaverint, qui eos in loco sacro sepelierunt, haud tamen eos exhumari necesse est, quia nulla lex id jubet, & multa prohibentur fieri, quæ facta tenent.

(✠) Interdicti tempore vi *Bullæ Cruciatæ* concedit Bened. XIV. Constit. 86. tom. 1., quæ incipit *Quoniam* dat. Romæ die 16. Decemb. an. 1745. Privilegium sacrum peragere faciendi, sumendi Sacramenta, ac gaudendi Ecclesiastica sepultura modo ibi §. 5. præscripto. (✠)

Verum de his satis hactenus, cum vix in Galliis locum habeant interdicta generalia, & jam ab annis 1350. 1359. Regiis Sanctionibus Pontificiæ declarationi innixis, cautum sit, ne quis Dominium Gallicum interdicto subjiciat.

Non desunt tamen etiam posteriori ævo famosa interdicti localis exempla: sic an. 1614. Episcopus Ambianensis *oppidum Monstroliense, suburbia, & oppidanos interdicto* subjecit, præcepitque *claudi Ecclesias omnes secularium, aut Regularium, Capellas, & Oratoria, dictæ urbis, & suburbiorum, &c.* (Gibert p. 562.) Fatendum tamen cum Bonifacio VIII. plus plerumque ex interdictis generalibus oriri mali, quam boni; unde ægre prorsus ad remedium illud confugiendum est, cujus etiam, licet Pragmatica, & Concordato confirmatum sit, summa est hoc in Regno, summaque erit, Deo juvante, raritas.

Nunc paucis videndum: I. quibus in casibus interdictum incurratur jure communi. II. cui obnoxii sint pœnæ, qui interdictum violant.

Dico I. Interdictum locale in sex præcipue casibus incurritur: I. a civitate qualibet, præter urbem Romam, quæ Cardinalem hostiliter insequentibus, percutientibus, &c. *consilium vel auxilium dederit, vel intra mensem saltem, taliter delinquentes non duxerit puniendos*, Cap. 5. *De pœnis* in 6.

II. ab urbibus, quæ publicos usurarios recipiunt. (*Cap. 1. de usur.* in 6.)

III. ab ea etiam, quæ *quemvis Pontificem injuriose, vel temere percusserit, aut ceperit, seu banniverit*. (*Clement. 1. de pœnis*.)

IV. eidem interdicto subjacent Ecclesiæ, & cœmeteria Religiosorum, & secularium, qui ibidem sepelierunt eos, quos induxere ad vovendum, jurandum, aut aliter promittendum *ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent*. (*Cap. 1. de sepul.*)

V. & loca, in quibus Hæretici sepeliuntur.

VI. Ecclesiæ, in quibus ad Officia admittuntur nominatim interdicti. Circa hæc notandum est, locale interdictum, post Bullam *Ad vitanda scandala*, nullum esse nisi denuntietur. Ratio est, quia post eam Constitutionem, nullum est censuræ subjectum, quod vitari debeat ante denuntiationem; ergo nec locus interdictus vitari debet, nisi interdictus denuntietur.

Dico II. Interdicuntur ipso facto ab Ecclesiæ ingressu: I. qui celebrant in loco interdicto. II. qui ad Officia, Sacramentave, aut ecclesiasticam sepulturam nominatim excommunicatos, vel interdictos admittunt, donec satisfaciant ei, cujus sententiam violarunt, cap. 8. *De privileg.* in 6. III. Episcopi, aut Superiores, qui Beneficiariorum, & Ecclesiarum vacantium bona, & hæreditatem usurpant, (*C. 12. De Offic. ordin. in 6.*). IV. qui præsumunt ferre censuram non servata solemnitate præscripta, c. 1. *De sentent. excomm.* in 6. aut excommunicare omissis monitionibus; iique etiam a divinis Officiis per mensem suspenduntur, c. *Sacro* eod. tit. V. Episcopi, qui in Visitationis decursu aliquid recipiant ultra id, quod sibi debitum est, nisi intra mensem duplum restituant, c. 2. *De censib.* in 6.

Celebre interdictum, secundum quod *omnis utriusque sexus Fidelis*, qui Paschali non fungitur officio, *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceri, & moriens christiana sepultura* privari debet (*Cap. 8. de pœnit.*), non est latæ sententiæ, sed ferendæ, nisi forte ex locorum usu latæ sententiæ existimetur: & is usus circa quinque casus mox assignatos consuli debet. Ceterum Ecclesiastica sepultura non negatur nisi nominatim interdictis, aut saltem nisi consulto prius Episcopo.

Circa secundum dico: I. Clericus, qui scienter celebrat in loco interdicto denuntiato, irregularitatem incurrit, & fit passive, & active ineligibilis, ac impostulabilis ad Dignitates Ecclesiasticas. Qui personaliter interdictus, aut suspensus, vel ab ingressu Ecclesiæ, vel a divinis, Ordinis sacri functionem exercet, iisdem subjacet pœnis. Colligitur ex c. 18. & 20. *De sent. excom.* in 6. & cap. 1. *De postul.*

Dico II. Celebrans in loco interdicto, suspenditur insuper ab ingressu Ecclesiæ, donec ei satisfecerit, cujus sententiam violavit (*Cap. 9. de priv. in 6.*) Idem dicendum tum de eo, qui coram excommunicatis, aut interdictis non toleratis celebrat, vel celebrare facit (*Clement. 1. de sepult.*); tum de iis, qui eosdem *excommunicatos, vel interdictos ad divina Officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel sepulturam admittunt* (*Clement. 1. De sent. excom.*): imo qui sepeliunt excommunicatum, vel interdictum in loco sacro, vel non interdictos contra juris permissionem in loco interdicto, excommunicantur.

Eidem excommunicationis censuræ subjacent: I. Religiosi etiam exemti, qui non servant interdictum, quod Ecclesia Matrix, aut Parochialis servat. II. Domini temporales, qui cogunt aliquos in locis interdictis celebrare divina; vel campanæ pulsu, aut aliter plebem etiam non interdictam convocant ad audienda iis in locis Officia; vel impediunt, ne nominatim excommunicati, aut interdicti, jussi egrediantur Templo; aut demum, qui excommunicati, & interdicti nominatim, moniti, ut ab Ecclesia exeant, exire nolunt; atque hæc istorum excommunicatio Papæ reservata est. Vid. Clement. 2. *De sent. excomm.* Indubie porro Laici, aut Clerici violantes inter-

interdictum mortaliter peccant, nisi excuset tenuitas materiæ.

## APPENDIX

*De Depositione, Degradatione, &c.*

Depositio definitur Pœna ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum, & sine spe restitutionis, privatur omni Officio, & Beneficio, retento tamen privilegio Clericali, seu fori, & canonis. Depositio aliquando vocatur degradatio *verbalis*.

Degradatio simpliciter sumta, quæ etiam *realis* nuncupatur, est pœna, qua Clericus privatur in perpetuum, & sine spe restitutionis non solum omni Officio, & Beneficio, sed etiam privilegio Clericali: onde qui Clericum hunc percuteret, posset quidem peccare, sed excommunicationem non incurreret; is tamen Clericus nec a castitatis voto, nec ab Horarum recitatione fieret immunis. Degradatio verbalis, seu depositio a Vicario generali fieri potest, ex Tridentino Sess. 13. c. 4. realis a solo Episcopo, eoque consecrato, quia est actus Ordinis. Qui depositus est, ad ea omnia inhabilis est, ad quæ inhabilis est qui totaliter suspensus fuit.

Ut suspensioni affinis est depositio, sic & interdicto vicina est cessatio a divinis. Ea vero definiri potest: Desistentia legitima a divinis Officiis, & Sacramentis certo in loco peragendis. *Legitima*, inquam, id est, secundum leges, & justam ob causam indicta; sive ab homine, qui eam per sententiam magis, aut minus generaliter decernere potest; sive a jure, ut cum Ecclesia polluitur, ideoque in ea cessatur a divinis.

Circa hanc a divinis cessationem conveniunt Doctores: I. illicitum esse tunc temporis, ulla, præter unicum Sacrum in hebdomada, Officia celebrare. II. posse tunc Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, & Eucharistiam in mortis periculo administrari: unde sequitur posse etiam chrisma confici feria quinta majoris hebdomadæ, & propter hostiarum renovationem, Missam semel per hebdomadam celebrari posse, prout interdicti tempore. Potest & juxta, ooo paucos, matrimonium celebrari, & Pœnitentiæ Sacramentum iis, qui infirmi non sunt administrari.

Ex his sequitur cessationem, & interdictum in quibusdam convenire, in aliis non. Conveniunt in eo, quod per utrumque Fideles iisdem spiritualibus bonis priventur: differunt vero: I. quod interdictum sit censura, cessatio vero nec censura est, nec proprie pœna, sed simplex prohibitio divinorum in signum mœroris ab Ecclesia concepti, ob injuriam gravem Deo vel in se, vel in ministrorum suorum persona illatam. II. quia interdictum etiam locale semper aliquas afficit personas, quæ eidem causam dederunt, cessatio a divinis non item. III. quia nulla cessationis violatio irregularitatem inducit, secus de violatione interdicti; Religiosi tamen, qui cessationem violant, *excommunicationis sententiæ hoc ipso* subjacent, ex Clement. 1. *De sent. excomm.* Plura non congero, quia cessatio a divinis, qua multi abutebantur, in desuetudinem abiit.

Jam paucis agendum de violatione Ecclesiæ; tunc porro Ecclesia pollui, seu violari dicitur, cum in ea quædam fiunt adeo reverentiæ ejus contraria, ut in ea non amplius liceat Officia divina celebrare priusquam reconcilietur. Hæc violatio nunquam imponitur ab homine, sed solum a Jure, idque in quinque casibus, qui ot magis explicentur, sit

Regula I. Polluitur Ecclesia per homicidium in ea volontarie, & injuriose factum; ita habetur cap. 4. *De consecr. Ecclesiæ*.

Dixi I. *per homicidium*, sive Christiani, sive Gentilis, etiam sine effusione sanguinis: unde polluitur locus sacer, si quis in eo suffocetur, aut suspendatur.

Dixi II. *in ea* factum, seu factum in ea qualibet ejus parte, quæ vere sit locus sacer: locus vero sacer dicitur illud spatium, quod spectat ad interius corpus Ecclesiæ a tecto interiori usque ad pavimentum. Unde si homicidium fiat in Sacristia, in campanili, supra fornicem Ecclesiæ, vel in specu subterraneo; modo non ad sepulturam Fidelium deputato, vel in cameris Ecclesiæ adhærentibus, non violatur Ecclesia, quia hæc non veniunt nomine loci sacri, cum non ad Officium divinum, sed alios in usus deputentur, v. g. ad vestium sacrarum custodiam. Unde etiam si quis in exterioribus Ecclesiæ muris suspendatur, non polluetur Ecclesia; pollueretur tamen cœmeterium, si paries Ecclesiæ simul esset cœmeterii murus, quia tunc violaretur locus sacer.

Violatur quoque Ecclesia, si quis in ea recipiat letalem ictum, etiam sine effusione sanguinis, unde extra moriatur, quia actio mortis illativa in loco sacro posita est. Si quis ab homine intra Ecclesiam existente letaliter extra eamdem vulneretur, non inde polluitur locus sacer, etiamsi vulneratus Ecclesiam ingrediatur, ibique sanguinem effundat, aut moriatur. Pollueretur vero, si quis foris existens, jaculum, aut glandem mittat, eumque, qui in Ecclesia est, occidat.

Dixi III. *voluntarie*; neque enim polluitur Ecclesia, si quis fortuito casu, puta trabe corruente oppressus moriatur: item si quis mentis inops in ea se occidat: secus si, qui se occidit, sit sanæ mentis; non enim interest, an alium, an te ipsum perimas: ubi nota Ecclesiam ea solum occisione pollui, quæ satis voluntaria sit, ut ad peccatum mortale sufficiat.

Dixi IV. *injuriose*, id est, modo, qui graviter adversetur reverentiæ loci sacri: unde non polluitur Ecclesia si quis ad sui defensionem, & cum justo moderamine alium occidat; polluetur vero, si mors reo inferatur, etiam per sententiam Judicis: item si martyr ob fidem occidatur; etsi enim sanguis Sanctorum Ecclesias consecrat, eorum tamen cædes immane

mane est sacrilegium; unde tunc Ecclesiam polluit non sanguis effusus, sed injuriosa effusio.

Regula II. Polluitur Ecclesia per humani sanguinis effusionem injuriosam, etiam citra mortem. Ita habetur citato c. 4. *De consecr. Ecclesiæ*. Si modicus sanguis ex injuriosa etiam percussione effusus sit, non polluitur Ecclesia; imo nec pollueretur ob effusionem copiosam sanguinis e naribus in rixa puerorum eliciti, præsertim si rixa hæc vacet a peccato mortali. Non pollueretur etiam ob percussionem casu factam, vel ab amente, vel non injuriosam, ut si fiat ex joco; aut a Chirurgo; vel ad debitam sui, aut justitiæ defensionem. Si vulnus in Ecclesia infligatur, sanguis vero extra Ecclesiam fluat, polluitur Ecclesia, quia per accidens est, quod sanguis non fluat in ipsa Ecclesia.

Ad violationem Ecclesiæ non sufficit vulnus grave, v. g. carnium contusio, fractio ossium absque effusione sanguinis; Canones enim loquuntur vel de morte illata, vel de vulneratione cum effusione sanguinis: in pœnalibus autem non est facienda extensio. In dubio, an ex vulnere citra sanguinis effusionem illato mors secutura sit, nec reconcilianda est Ecclesia, quæ non nisi in mortis instanti polluta evadet; nec tamen continuanda ibidem Officia ob imminentis mortis periculum.

Regula III. Violatur Ecclesia per quamcunque seminis humani effusionem in ea voluntarie factam, sive in copula carnali, sive non: ita habetur c. 10. *De consecr. Ecclesiæ*. Hinc illusio in somnis contingens, aut in vigilia, sed coacte, Ecclesiam non violat. Imo nec, juxta multos, sufficit vel effusio seminis voluntaria in causa, vel distillatio mera seminis; sufficit vero copula conjugatorum exercita etiam ad vitandum incontinentiæ periculum, ut tempore belli evenire potest. Si enim cum maritus infirmatur, vel pro negotiis diu abest, conjux continere debet, cur non similiter in præsenti casu propter reverentiam loci sacri?

Regula IV. Polluitur Ecclesia, cum in ea etiam ignoranter sepelitur excommunicatus denuntiatus; habetur cap. 6. *De consecr. Eccles.* In hoc autem casu Ecclesia non nisi exhumato cadavere, si ab aliis discerni queat, vel collata a censuris absolutione, si excommunicatus pœnitentiæ signa dederit, reconciliari potest. Sicubi obtinet usus, ut Hæretici cum Catholicis inhumentur, ut in Germania, Ecclesia, vel cœmeterium inde non polluuntur. Licet autem interdicti, & excommunicati in jure æquiparentur, non violatur tamen Ecclesia, si interdicti denuntiati in ea sepeliantur, cum id nullibi expressum sit.

Regula V. Ex c. 27. *de consecr.* dist. 1. polluitur etiam Ecclesia, si infidelis in ea tumuletur; tuncque parietes radi debent, vel dealbari, ut alii explicant. Hac de causa violatur Ecclesia, si infans non baptizatus extra matris uterum in ea sepeliatur; quod extendit Sylvius, etiamsi infans ex utero mortuæ matris extractus sit, & postmodum in ea repositus, ut cum ea in loco sacro sepeliri possit.

Regula VI. Ecclesia de novo consecrari debet, cum vel omnes Ecclesiæ parietes simul renovantur, vel major eorum pars; secus si successive. Habetur cap. 6. *De consecrat.*

Circa hæc notand. I. Ecclesiam non pollui per facta occulta, qualia ea etiam dicuntur, quæ per duos aut tres testes probari possunt. II. solam facti notorietatem sufficere, ut Ecclesia censeatur violata: one si Sacerdote Missam coram pluribus celebrante committatur in Ecclesia homicidium, dimittenda est Missa, ut præcipiunt Rubricæ, nisi jam Canon inchoatus sit. III. cœmeterium Ecclesiæ contiguum pollui, cum polluitur Ecclesia, adeoque illud antea reconciliandum esse, quam in eo quis sepeliatur: haud tamen polluitur Ecclesia polluto cœmeterio. IV. tutius esse, ut Ecclesia non censeatur per supervenientem sacrificii absolutionem reconciliata. V. mortalis peccati reum fore, qui sine consensu Episcopi in Ecclesia violata celebraret, haud tamen irregularem, quia jus id non decernit.

Quæres, quomodo fieri debeat Ecclesiæ pollutæ reconciliatio. R. Vel Ecclesia hæc consecrata fuerat, vel solum benedicta (*C. final.* De consecr.) Si 2. reconciliatio ejus ab Episcopo, vel Vicario generali committi potest simplici Presbytero, atque is uti poterit aqua benedicta communi, &, ut ajunt, *exorcizata*. Si 1. censet Sylvius (*p.* 396.) eam ita per Episcopum reconciliari debere, ut id non possit simplex Sacerdos, nisi de consensu summi Pontificis; tuncque utendum aqua per Episcopum benedicta, quæ *Gregoriana* dicitur; ita præcipit Gregorius IX. c. 9. eod. tit. Verum hæc Constitutio in pluribus saltem Galliæ Diœcesibus non observatur, ut notat Pontas.

# TRACTATUS
## DE
## IRREGULARITATIBUS.

Dicam I. de irregularitate in universum. II. de variis irregularitatis speciebus.

## PARS PRIMA,
### DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

Videndum hic I. quid sit irregularitas, & quotuplex. II. quænam sint ejus causæ. III. quos habeat effectus. IV. quæ ab ea incurrenda excusent.

### CAPUT PRIMUM.

*De natura, & divisione Irregularitatis.*

Irregularitas definitur: Impedimentum canonicum, quo directe impeditur Ordinum susceptio, & secundario susceptorum usus.

Dicitur I. *impedimentum*; id est, moralis inhabilitas

tas ex aliqua indecentia, non tamen semper ex culpa proveniens.

Dicitur II. *canonicum*, id est, per Ecclesiæ Canones constitutom, ut ostendatur: I. nullam stricte loquendo, esse irregularitatem juris divini. II. neminem nisi Ecclesiæ Canonibus subjectum, adeoque baptizatum, proprie vocari posse irregularem. III. non omnem inhabilitatem idem esse cum irregularitate: mulier enim, sicut & Infidelis non baptizatus ad Ordines promoveri non possont, nec tamen dicuntur irregulares, quia eorum inhabilitas juris est divini.

Dicitur III. quo *directe impeditur Ordinum susceptió*. Quibos verbis distinguitur irregularitas: I. ab excommunicatione, quæ ab Ordinum susceptione, & usu arcet, non præcise quatenus sunt Ordines, sed quatenus sunt bona, quæ important communicationem cum aliis Ecclesiæ membris, excommunicato prohibitam. II. ab interdicto, per quod privatur quidem aliquando Clericus usu Ordinom, sed non ut Ordines sunt; bene vero ut alicujus Officii divini auditionem, vel Sacramenti prohibiti collationem important. III. a suspensione, tum quia irregularitas, quantum est de se, hominem inhabilem facit ad Ordines, ipsamque tonsutam; suspensio vero tonsuram supponit, cum non nisi Clericis possit imponi; tum quia suspensio directe prohibet Ordinum functiones; irregularitas vero directe prohibet Ordinum receptionem. Unde nota, & pondera Canones, qui quempiam in culpæ poenam ordinum usu, & functionibus primario privant, suspensionem decernere, non irregularitatem. IV. a depositione, & degradatione, quæ non solum hominem arcent ab Ordinum receptione, ut irregularitas, sed etiam acceptos tollunt, quantum humano modo possunt tolli; quod moraliter magis est contumeliosum, quam ab iisdem excludere; joxta vulgatum id, *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes*.

Dicitur IV. & *secundario* susceptorom usus; cui enim prohibitum est, ne Ordines recipiat, vulgo prohibitum est, ne susceptis utatur. Dixi *vulgo*, quia irregularitas partialis impedit quidem susceptionem Ordinis nondum recepti, non autem exercitium illius, qui jam receptus est.

Irregularitas dividitur I. in perpetuam, & temporalem. Perpetua ea est, quæ dispensatione sola tolli potest; talis est irregularitas ex homicidio. Temporalis est ea, quæ solo temporis lapsu cessat; talis est irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate tollitur.

Dividitur II. in totalem, quæ absolute, & totaliter excludit ab omni Ordine, Ordinis usu, & Beneficio, & partialem, quæ non omnes istos effectus parit, sed aliquos solum ex ipsis. Quod ut intelligatur, quinque statuemus regulas, quarum aliquæ commodius explicabuntur cap. 3.

Regula I. Dantur irregularitates partiales quoad usum Ordinum, id est, quæ ita excludunt ab exercitio unius Ordinis, ut non excludant ab omni aliorum Ordinum exercitio. Sic c. 12. *De homic.* permittitur, ut Sacerdos dubitans, an homicida esset, in minoribus Ordinibus, non tamen in sacris, ministret.

Regula II. Dantur etiam irregularitates partiales respectu Beneficiorum, seu quæ ita excludunt ab uno, ut non excludant ab alio. Sic c. 11. *De filiis Presbyt.* filius etiam legitimus Beneficia a Patre possessa immediate post eum tenere nequit, adeoque ad hæc, licet non ad alia, irregularis est.

Regula III. Irregularitas, quam incurrunt Laici ex defectu, vel ex delicto, semper totalis est; excepta tamen ea, quæ oritur ex defectu ætatis, vel scientiæ; qui enim junior est, aut nimis imperitus, ut ad Subdiaconatum promoveatur, non ideo inhabilis est ad tonsuram, & Ordines minores.

Regula IV. Irregularitas, quam incurrunt Clerici, semper totalis est respectu promotionis ad Ordines; at non semper totalis est respectu functionom Ordinis jam suscepti, ot patet ex cit. cap. 12. *De homicidio.* Quod si susciperent eum, ad quem irregulares sunt, in eo ministrare non possent.

Regula V. Toties irregularitas, quam incurrunt Clerici, debet censeri totalis quoad Ordines, & quoad Ordinum usum, quoties eadem irregularitas pure, simpliciter, & absolute annexa est casui, in quem iidem Clerici incideront; & id quidem in Tractatos decursu, qua data occasione, detegemus.

Dividitor III. irregularitas in eam, quæ est ex defecto, & eam, quæ est ex delicto. Hæc incurritur propter indecentiam propria culpa contractam; illa oritur ex indecentia, quæ licet incolpabilis sit, repugnat spiritui Ecclesiæ, vel ejus ministros in contemtum adducere potest.

Differunt eæ duæ irregularitatis species: I. in eo, quod irregularitas ex delicto sit semper voluntaria, Irregularitas ex defectu non item. II irregularitas ex delicto, si facti infamiam excipias, sola dispensatione tollitor; quæ vero est ex defectu, non raro cessat cessante defectu. III. irregularitas ex delicto occulto, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario, ab Episcopis relaxari potest; quæ autem est ex defectu, communiter Papæ reservata est.

Irregularitatum ex defectu species octo recensentur 1. nataliom. 2. animi, 3. corporis, 4. ætatis, 5. libertatis, 6. famæ, 7. bigamiæ, 8. lenitatis Irregularitatem ex delicto pariunt: I. homicidium II. iteratio baptismatis. III. mala Ordinum receptio. IV pravus eorumdem usus. V. demum hæresis.

---

## CAPUT SECUNDUM

### *De causis Irregularitatis.*

QUæres I. quænam sit causa finalis, seu quis finis irregularitatis. R. Finis irregularitatis est tuenda sacrorum majestas, & servandum Religionis decus. Exigunt enim decus, & honos Religionis, ut sacra ministeria decenter, & irreprehensibiliter exerceantur: porro ad id necesse fuit, ut instituerentur irregularitates, quarum ope arcerentur a Christi ministerio ii, qui vel certa admisere delicta, vel quosdam habent defectus, qui Ecclesiæ spiritui, vel majestati adversantur.

Quæ-

Quæres II. quæ sit causa efficiens irregularitatis. R. Jus instituendæ irregularitatis soli Ecclesiæ, vel Romano Pontifici competit. Quod Ecclesia, vel Pontifex irregularitates instituere possint, patet, quia omnes, quæ extant irregularitates, vel a Papa, vel a generalibus Conciliis institutæ sunt, ut ex facienda omnium inductione patebit in decursu. Quod autem potestas illa Ecclesiæ soli, vel Papæ conveniat, prob. ex cap. 18. *De sent. excom.* in 6. ubi, *qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione polluta* celebravit, *irregularitatis laqueum* non incurrisse dicitur, quia id *in jure expressum non est*: hic autem nomine juris non intelligitur, nisi jus canonicum, & commune, ut fatentur omnes: porro jus illud ab Ecclesia sola, solove Papa condi potest, non a privatis Episcopis.

Hinc colliges: I. nullam esse irregularitatem, quæ vel peculiaribus Diœceseon Statutis, vel ipsa simplici consuetudine introducatur. Prima pars ab omnibus recepta est, & sequitur ex dictis. Altera pars, quæ plus habet difficultatis, probatur tamen, quia licet consuetudo possit inducere jus novum, & antiquum obliterare; id tamen non potest, cum jus, cui ipsa derogat, resistit, & manet in robore suo: porro jus omnem rejiciens irregularitatem, quæ in ipso juris corpore non contineatur, in robore suo manet: cum Papa, Episcopi, & Doctores unanimi consensu nullas agnoscant irregularitates præter eas, quæ in jure continentur. Si tamen lis sit de aliqua irregularitate, quæ non ita clare exprimatur in jure, quamque in usu esse testetur consuetudo communi Doctorum sensu agnita, tunc irregularitas hæc admittenda erit; quia satis expressum est in jure, quod in eodem exprimi declarat Doctorum sensus, & Ecclesiæ consuetudo, qui optimi sunt Canonum Interpretes.

Colliges II. in irregularitatibus non valere argumentum a simili, vel a fortiori: quia similis, vel major instituendæ irregularitatis ratio non efficit, ut hæc de facto instituta fuerit: unde male quis dicat, irregularis est qui duas uxores duxit; ergo & qui cum duabus fornicatus est.

Colliges III. eum, qui irregularitate aliqua etiam ex delicto innodatus Ordines recipit, vel exercet, novam irregularitatem non incurrere, quia id nullibi expressum est in jure.

Quæres III. quæ sit causa materialis irregularitatis.

R. I. Causa irregularitatis aliquando est defectus sine peccato, qualis est defectus natalium; aliquando actio peccaminosa.

R. II. Ad irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis, eaque exterior, & in genere suo consummata, sed non requiritur culpa publica.

Prob. 1. pars. Pœna gravis pro levi culpa infligi non debet, ex cap. 5. *De pœnis* in 6.: atqui irregularitas, quæ ob delictum incurritur, est pœna gravissima; cum per se in perpetuum privet rebus maximi momenti, & difficile relaxetur; ergo.

Hinc colliges: I. irregularitatem ex delicto non incurri, si actus eam inducere natus ex aliqua circumstantia excusetur a mortali. II. id, quod veti tum est sub irregularitatis pœna, vetitum esse sub mortali, quia alias culpa venialis irregularitatem induceret.

Prob. 2. pars; quia Ecclesia vel non potest, vel saltem non vult peccata mere interna pœnis plectere, juxta id Juris: *Non habent latentia peccata vindictam* (C. 23. xxxii. q. 5.). Hinc qui vehemens habuit hostis sui interficiendi desiderium, quod exequi non potuit, non incurrit irregularitatem.

Prob. 3. pars; quia lex non ligat ultra legislatoris intentionem; ergo si legislator ad irregularitatem requirat opus consummatum, irregularitas ante plenam effectus executionem non incurritur: quare si irregularitas non nisi propter homicidium inferatur, non incurret eam qui vel mortem attentaverit, vel letalia vulnera inflixerit, nisi mors de facto sequatur, etiamsi solo miraculo eam averti contingat. Rursus si verba legis requirant duntaxat actum inchoatum, & attentatum, eodem posito nihil deest, ut incurratur irregularitas; talis enim effectus in genere suo consummatus dici potest.

Prob. 4. pars: I. quia Tridentinum Sess. 24. c. 6. *De reform.* loquitur de *irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus*; ergo supponit quasdam esse irregularitates, quæ propter delicta occulta contrahuntur. II. quia si censuræ ob actionem secretam, v. g. secretam libri sub excommunicatione prohibiti lectionem incurrantur, quidni incurratur irregularitas propter occultam alicujus rebaptizationem? III. quia ubi lex non distinguit, nec nos nisi temere distinguere possumus: atqui lex cum loquitur de irregularitatibus ex delicto occulto, pure, & simpliciter loquitur; ergo.

At, inquies, si pœna occulta subjaceret irregularitati, cogeretur aliquando Sacerdos occultum suum scelus manifestare, abstinendo scilicet a functionibus suis, donec dispensationem obtinuisset: quod repugnat.

R. neg. maj. quia leges Ecclesiæ cum gravi diffamationis periculo non obligant, ut alibi probatum est: unde qui commisit culpam occultam irregularitati obnoxiam, aliquando celebrare potest, non quia irregularis non est, sed quia non intendit Ecclesia, ut leges suæ cum tanto detrimento observentur.

Quæres IV. quæ sit formalis causa irregularitatis.

R. ea solum verba irregularitatem inducere, quæ vel eam diserte continent, vel effectus ejus proprios, atque in primis inhabilitatem ad accipiendos Ordines: hinc verba comminatoria, quæ significant effectum de futuro, irregularitatis signum esse nequeunt; quia verba hæc requirunt sententiam Judicis, quæ ab homine fit: irregularitas autem ab homine non imponitur.

## CAPUT TERTIUM.

### *De effectibus Irregularitatis.*

Certum est nullam esse irregularitatem, qua privetur homo iis actionibus, quæ Clericis, ac Laicis ex æquo conveniunt: unde irregularis potest

Sa-

Sacramenta quæcunque præter Ordinem, recipere, cum aliis communicare, in loco sacro sepeliri, minorum Ordinum Officia exercere, quia hæc nunc passim a Laicis peraguntur; potest & Officia publica cum aliis decantare, modo tamen abstineat ab iis, quæ ex Ecclesiæ usu sacro sunt Ordini annexa: potest demum absolvi a quolibet peccato, atque ab eo etiam, propter quod irregularitatem contraxit. Neque quia irregularitas reservata erit, reservatum id circo erit peccatum, propter quod contracta est, quia absolutio peccati non habet necessariam cum irregularitatis dispensatione connexionem. Difficultas est de aliis effectibus, qui ut magis intelligantur,

Dico I. Irregularitas totalis impedit susceptionem Ordinum, & eorum executionem.

Probatur utraque pars tum ex simplici irregularitatis notione; tum ex unanimi Doctorum omnium suffragio, qui id colligunt omnes ex Can. 9. & 11. dist. 34., & ex cap. 17. *De temp. ordinat.*

Tria hic notanda: I. irregularitatem non impedire, quin Ordines valide recipiantur, aut exerceantur; unde valide consecrat Sacerdos irregularis. II. irregularitatem arcere ab ipsa etiam tonsura. Ratio est: I. quia id demonstrat totius Ecclesiæ praxis. Nemo enim sporius tonsuram sine dispensatione recipere ausit. II. quia irregularitas primario inducta est, ut arceantur a statu clericali ii, quos ad eum admitti non decet: porro irregularitas eum habere effectum non posset, nisi etiam excluderet a tonsura. Hinc mortaliter peccat irregularis tonsuram recipiens, eamve ipsi scienter conferens; quia uterque Ecclesiæ præceptum transgreditur in materia, quæ pro levi haberi non potest; cum non sit quid leve hominem fieri membrum Cleri, privilegiorum ejus participem, habilemque ad Beneficia. Valide tamen recipitur tonsura ab irregulari, quia licet tonsura, utpote ab Ecclesiæ nutu dependens, ab ea irritari possit, non tamen irritata est. III. irregularitatem aliquando omnes suos habere effectus, aliquando quosdam solum. Omnes habet, si sit totalis; unde qui simpliciter irregularis est, nec communicare sub duplici specie, nec ex præsanctificatis communicare se potest, quia hujusmodi actus Ordinis sacri executionem continent. Contra vero qui partialiter irregularis est, solum arcetur ab usu cujusdam Ordinis, vel a possessione cujusdam Beneficii; sic Sacerdos, qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, *Missam non permittitur celebrare* (*C. 2. de Cler. ægrot.*), potest tamen *ceteris Officiis Sacerdotalibus fungi*, ac proinde baptizare solemniter, assistere matrimonio, alia ministrare Sacramenta, &c.

Credimus porro irregularitatem, quæ solum partialis est respectu illius, qui jam Ordinem aliquem recepit, esse generalem respectu illius, qui necdum ullo Ordine initiatus est; ac proinde eum, qui ex pollicis defectu inhabilis est ad Sacerdotium, non posse ad alios promoveri Ordines, si iis necdum initiatus sit. I. quia ita statuit Rota, cujus decisionem refert Garcias. II. quia expresse prohibitum est Can. 2. dist. 33., ne bigamus in clericum ordinetur; & Can. 59. dist. 50., ne corpore vitiati *divinis* applicentur *ministeriis*: atqui, ait Rota, *in confesso est eum, qui ad Clericalem admittitur tonsuram, divinis applicari ministeriis*: aliqui bigami, de quibus etiam loquitur citatus Canon, ad tonsuram inhabiles non essent; ergo tutius est, & probabilius eos, qui etiam sine sua culpa ad Sacerdotium irregulares sunt, ne ad tonsuram quidem sine dispensatione admittendos esse. III. quia ea est irregularitatis natura, ut non ab uno tantum Ordine, sed a toto Clericali statu separet.

Dico II. Beneficii collatio irregulari facta non solum illicita est, sed & invalida.

Prob. I. ex variis Juris textibus Cap. *Dudum* 22. *De electio.* dicitur irregularem impediri per Canonum sanctiones, quominus possit ad officium Præpositurae promoveri. Cap. 2. *De Clerico pugnant. in duello* dicitur dispensari posse cum Clerico irregulari, ut Beneficium possideat. Cap. 7. Concilii Trident. sess. 14. *De reform.* statuitur, ut homicida *nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat*. Unde sic: Ideo ex iis textibus colligi non posset irregulares ad Beneficia valide recipienda inhabiles esse, quia iidem textus nimis ambigui sunt, nec expresse satis collationis ipso facto irritæ pœnam continent: atqui hæc ratio nulla est. Textus enim, licet forte ambigui, legitime, & efficaciter probant, cum flectuntur ad sensum, cujus absque vi ulla capaces sunt, & ad quem rationabiliter determinari debent; atqui sic se habent citati textus: I. quidem capaces sunt sensus, quem iis adscribimus, ut fatentur Adversarii, qui solum negant eos satis expressos esse. II. & ad eum rationabiliter determinari debent: textus enim, qui certo aliquo sensu semper, aut pene semper intellecti sunt, eodem intelligi debent; usus enim, & praxis legitimi sunt Canonum interpretes, & merito, cum qui primi sensum ambigui Canonis explicuere, non raro ejus conditorem per se consuluerint, aut mentem illius ex testibus fide dignis compertam habuerint: atqui adducti Canones, aliique, qui adduci potuissent, sic semper, aut pene semper intellecti sunt; cum opinio nostra iisdem Canonibus innixa, sit alia longe communior, & receptior, ut etiam fatentur Adversarii; ergo.

Prob. II. quia in iis, quæ tanti sunt momenti, non licet a trita via recedere absque gravissimo fundamento, quod probabiliter elidi nequeat: atqui Adversarii fundamentum nullum habent, quod probabiliter non elidatur, rationi enim admodum congrua est probatio præcedens, qua potior eorum ratio convellitur.

Prob. III. quia irregularitas est impedimentum, quod tam grave reputatur in Jure, ut a toto statu clericali removeat; ergo & a Beneficiis removere debet, non prohibendo tulum, sed & eorum collationem irritando.

Prob. IV. quia irregularitas invalidam facit receptionem pensionum, ut ex stylo Romanæ Curiæ docent Navarrus, & Collat. Andeg. pag. 495. ergo a fortiori & Beneficiorum.

Ex his sequitur: I. irregularem non facere suos Beneficii in irregularitate accepti fructus: unde eosdem restituere debet juxta regulas alibi de possessoribus

ribus malæ fidei præscriptas. Quod si quis irregularitatem suam invincibiliter ignorasset, sufficeret id ab eo restitui, quod adhuc retineret, vel id, quo factus esset ditior. Debet autem irregularis Beneficium dimittere, nisi irregularitatis dispensationem, & insuper novam collationem obtineat; neque irregulares juvat clausula in Apostolicis Litteris apponi solita; hæc enim absolvit solum a censuris, non vero dispensat in irregularitatibus.

Sequitur II. actus eligendi, præsentandi, Beneficia conferendi, ipsumve Beneficium in irregularitate acceptum administrandi, aliosque similes, invalide ab irregulari exerceri. Ratio est, quia deficiente fundamento, deficiunt omnia, quæ ipsum præsupponunt. Quod si jus præsentandi non a Beneficio oriretur, sed aliunde, v. g. a jure patronatus, valeret utique præsentatio ab irregulari facta. Nemo enim hactenus dixit invalidam esse præsentationem factam a bigamo, vel homicida.

Sequitur III. irregularem esse inhabilem ad recipiendam de novo jurisdictionem ordinariam sive in interiori, sive in exteriori foro: quia jurisdictio ordinaria non convenit nisi ratione Beneficii, vel Dignitatis; adeoque cum collatio Beneficii, vel Dignitatis irregulari facta sit nulla, nulla etiam esse debet jurisdictio, quæ in his fundatur, nisi interveniat, prout frequenter, error communis.

Aliud est de jurisdictione delegata, & de ea omni, quæ non ex intrinseco titulo, sed ex commissione procedit: hanc enim Suarez licite, & valide ab irregulari recipi posse censet pro utroque foro; exceptâ tamen jurisdictione ad audiendas confessiones, quam putat illicite quidem, ut per se patet, sed valide tamen ab irregulari recipi posse, & exerceri. Et vero jurisdictio delegata non pendet a Beneficio, sed solum a voluntate delegantis; & hæc quidem voluntas nulla lege irritatur quoad irregulares. Ita Suarez, Babin, &c.

Quod si irregolaritas superveniat jurisdictioni ordinariæ jam obtentæ, tunc ejus exercitium non invalidat, nisi publica sit: porro irregularitas publica non fit, nisi post denuntiationem, aut aliquid denuntiationi æquivalens; quale est decretum apprehensionis corporalis a Judice ecclesiastico emissum, & debito modo intimatum, satisque promulgatum (*Gibert*, *Usages &c. p.* 610.). Ratio est, quia de irregularitate tolerata differendum est, sicut de censuris toleratis, cum rationes, quæ suam ab excommunicato tolerato jurisdictionem exerceri permittunt, locum habeant in irregulari.

Dico III. Aliqua irregularitas, saltem ratione criminis, cui annexa est, privat Clericum Beneficiis antea obtentis; at non omnes, imo paucæ sunt irregularitates, quæ eum effectum operentur.

Prob. 1. pars ex iis, quæ dicemus agendo de Beneficiorum vacatione.

Prob. 2. pars. Si quæ irregularitas ipso facto hominem Beneficiis suis privaret, ea utique, quæ est ex delicto: atqui non omnis irregularitas ex delicto privat ipso facto..... Nullum enim citari potest jus ecclesiasticum, quod generatim Clericum irregularem ipso facto privet Beneficiis antea legitime obtentis; ergo.

Confirm. Irregularitas ex homicidio contracta, omnium fere gravissima est, ut patet ex cap. 4. dist. 50. atqui tamen hæc irregularitas non privat hominem Beneficiis ante Judicis sententiam, ut colligunt omnes ex cap. 10. *De excessib. Prælator.*

Ad uberiorem materiæ hujus intelligentiam, not. I. quod licet irregularitas Beneficio superveniens eodem possessorem ipsius non privet, privat tamen omni jure *ad rem*, quod quis antea habere potuisset, ut sunt Graduatorum nominationes, aliæque gratiæ expectativæ. Ita judicant Curiæ seculares.

II. Quamvis regulariter loquendo collatio Beneficii irregulari facta pleno jure irrita sit, quatuor tamen sunt casus, in quibus eadem collatio valet. Siquidem Beneficium (*Gib. p.* 652.) ad honestam sustentationem sufficiens conferri potest sive Subdiacono, qui culpa sua mortis alterius occasionem dedit, sive Presbytero, ex cujus percussione secuta est mors alterius, sive ei, qui factum aliquod duello probaturus, pugilem in sui locum commisit, a quo alter interfectus est (*Vid. tit.* de Cler.pugn.) sive demum Diacono, qui *Missarum celebrationem usurpare præsumsit.* (*Cap.* 2. De Cleric. non ordin. &c.). Ideo autem hujusmodi irregulares a Beneficiis non arcentur, quia cum a Sacerdotio, ejusve functionibus in perpetuum arceantur, eum iis *misericorditer* agendum fuit, *ne sustentatione privati ad seculi negotia reverterentur*, aut quid indecens peragerent.

III. Qui post obtentum Beneficium irregulares evadunt, tenentur Beneficium dimittere, si irregularitatis dispensationem obtinere nolint, vel non possint, (& tunc possunt de Beneficio etiam in alterius favorem disponere, nisi obstet Beneficii conditio, aut crimen, propter quod irregularitatem contraxerunt, tale sit, ut ipso facto Beneficii vacationem inducat). Ratio est, quia nemo potest id retinere, unde oritur obligatio, quam nunquam licite implere potest. Si tamen irregularitas sit solum ex defectu, puta ex ægritudine, Beneficiarius nec a Judice spoliandus est Beneficio, nec eidem renuntiare tenetur, quia *afflictio afflicto* non est *addenda* (*C.* 5. De Cleric. ægrot.). tunc tamen Beneficiario coadjutorem associari necesse est. Qui irregularitatis dispensationem prosequitur, etiamsi eam non obtineat, retinere potest, quos dispensationem expectando percepit Beneficii fructus, modo nec sit negligentior in prosequenda dispensatione, nec temere eam speret, & interim ex reditibus Beneficii curet ejusdem Beneficii servitium præstari.

Dico IV. Irregularis, qui ordines quoscunque, imo & tonsuram recipit, peccat mortaliter.

Prob. I. quia severam Ecclesiæ legem transgreditur in materia gravi. II. quia irregularitas est vinculum excommunicatione minori gravius, & tamen letaliter peccat, qui minori solum excommunicatione ligatus recipit Ordines, saltem sacros, ut patet ex cap. 10. *De cleric. excom.*

## CAPUT QUARTUM.

### *De iis, quæ ab incurrenda irregularitate excusant.*

CErtum est: I. hominem ab incurrenda irregularitate ex delicto excusari per ea omnia, quibus a peccato mortali excusatur: unde ignorantia juris, vel facti, oblivio, inadvertentia, bona fides, materiæ levitas, quatenus a culpa gravi excusant, impediunt, ne incurratur irregularitas ex delicto; quia hæc, utpote gravis pœna, pro culpa vel nulla, vel levi incurri non potest. (*Sup. p.* 458.). Aliud est de irregularitate ex defectu; hæc enim, posito etiam inculpabiliter defectu, semper contrahitur, nisi forte talis sit defectus ille, ut irregularitatem non pariat, nisi oriatur ex actu voluntario. Hinc irregularis est Judex, qui latronem debitæ morti addicit; secus si eum vel nolens, vel amens, aut inculpabiliter ebrius occidat.

Certum est II. ignorantiam vere hic & nunc vincibilem non excusare ab irregularitate, quia non excusat a gravi culpa. Ita Gregorius IX. c. 9. *De Cleric. excom. minist.*

Sed duplex hic remanet difficultas: I. an incurrat irregularitatem, qui facit aliquid, homicidium v. g. quod scit quidem jure divino prohibitum esse, sed nescit prohibitum esse lege ecclesiastica. II. an eamdem irregularitatem incurrat, qui legis quidem ecclesiasticæ prohibitionem novit, sed pœnam irregularitatis ab eadem lege contra ipsius transgressores latam omnino ignorat. Quod de ignorantia dictum fuerit, de oblivione, inadvertentia, & inconsideratione intelligendum est. Ut solvatur utraque difficultas, incipiendo a secunda, quæ facilior est,

Dico I. Ignorantia solius irregularitatis ab ea non excusat eum, qui sciens, & volens violat legem ecclesiasticam, cujus transgressioni annexa est irregularitas.

Prob. I. ut ignorantia solius irregularitatis ab eadem non excuset, tria sufficiunt: I. ut irregularitas in hoc casu sit pœna mera. II. ut generaliter verum sit, ignorantiam pœnæ ab eadem non excusare. III. ut id non minus in irregularitate verum sit, quam in aliis pœnis: atqui hæc omnia videntur admodum certa: I. quidem irregularitas ex delicto, de qua sola difficultas movetur, est pœna pura, cum imponatur in vindictam delicti, nec sit pœna medicinalis, ut est censura. II. generaliter verum est, neminem ob ignorantiam pœnæ ab eadem pœna excusari: & id quidem patet in omni crimine; blasphemus enim, fur, & alii de facto obnoxii fiunt pœnis a Deo, vel ab homine sancitis, tametsi eas ignoraverint. III. nulla est specialis ratio, cur cognitio irregularitatis magis necessaria sit, ut hæc incurratur, quam necessaria sit cognitio aliarum pœnarum, ut quis iisdem obnoxius evadat; ergo.

Dices: Ignorantia censuræ ab eadem excusat; ergo a pari.

R. neg. conseq. Censura enim est essentialiter pœna medicinalis, quæ supponit hominem formaliter contumacem, qualis ut sit, debuit antea *moneri* de pœna sibi per Ecclesiam infligenda: at vero irregularitas, quando est pœna, non fertur ut medicinalis, sed in vindictam delicti; ergo non minus quam aliæ pœnæ incurri potest absque prævia ejusdem cognitione.

Prob. II. Irregularitas fundatur in indecentia, propter quam certos quosdam homines ab Ordinibus arceri convenit: atqui ignorantia irregularitatis indecentiam hanc non tollit; etsi enim ignoravit homicida annexam esse crimini suo irregularitatem, utique tamen indecens est, ut qui manus suas humano sanguine fœdavit, Ecclesiæ a sanguine abhorrentis Minister constituatur; ergo.

Dico II. Neque etiam ignorantia Ecclesiasticæ legis excusat reum ab irregularitate.

Prob. I. quia sicut qui irregularitatem ignorando committit crimen, cui eadem annexa est, non desinit contrahere indecentiam, propter quam ab Ordinibus arceri debet; sic eamdem contrahit indecentiam, qui perpetrat crimen, quod ab Ecclesia prohibitum esse ignorat.

Prob. II. quia merito præsumitur Ecclesiam actu, & de facto statuisse, ut qui certa contra jus naturale, aut divinum committeret delicta, certis subjaceret pœnis, puta irregularitati. Quoties enim legislator simpliciter decernit pœnam contra aliquod crimen, nihil aliud explicans, sed solum exigens criminis positionem ad hoc, ut subeatur pœna, toties, si nihil aliud obstat, qui crimen ponit, incurrit pœnam: atqui ut subiretur irregularitas, nihil unquam exegit legislator, nisi commissionem criminis: quod quidem crimen tale est, ut per se hac puniri pœna possit, & quadantenus debeat ob indecentiam, quam invehit; ergo.

Obj. Clerici, de quibus sermo est cap. 2. dist. 82. & qui ad hanc usque diem impure vixerant, non ignorabant libidinem tam a natura, quam a Deo prohibitam esse: atqui tamen iidem Clerici eximuntur a pœna depositionis, si ignoraverint Constitutionem Siricii Papæ, qua hujusmodi crimina sub pœna depositionis prohibentur; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ eximit a pœna.

R. I. plura requiri ad depositionem, quæ gravissima est pœna, quam ad irregularitatem. II. in pœnis non valet ratiocinatio a pari; ergo si ad depositionem requiratur contemtus legis Ecclesiasticæ, non ideo requiritur, ut quis irregularitati obnoxius fiat.

Hæc Conclusio in principiis nostris vera est de iis etiam, qui ex metu gravi legem naturalem, aut divinam violant; non item si transgrediantur legem ecclesiasticam, quæ cum gravi incommodo obligare non solet.

Quæres, an in dubio incurratur irregularitas. Nota dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est, quando lex canonica ita obscura est, ut peritiores ambigant, an irregularitas per eam feratur, necne. Dubium facti est, cum aliquis ambigit, an eum posuerit actum, cui lex irregularitatem expresse annectit; dubium facti vel concernit homicidium, ut si dubites, an occideris in bello justo; vel respicit aliquid ab homicidio diversum, ut si dubites, an

reba-

rebaptizaveris eum, qui baptizatus jam erat.

Certum est eum, qui dubitat, an irregularitatem incurrerit, teneri expendere dubium priusquam operetur; quia alias exponeret se periculo violandæ irregularitatis, quam forte pleniori rerum examine a se contractam deteget: sed quæritur quid fieri possit, si consultis Doctoribus, aut rebus bene pensatis dubium perseveret.

R. I. In dubio juris nemo censeri debet irregularis. Ita pene omnes Theologi, & Canonistæ.

Prob. quia ex c. 18. *De sent. excomm.* in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; expressis, inquam, diserte, vel probabiliter: atqui casus vere dubii, nec diserte, nec probabiliter expressi dici possunt, ut per se notum est. Quod enim tam dubium est, tam ambiguum, ut prudentes quique, & rerum periti suum de eo judicium suspendere cogantur, eo ipso nec diserte, nec probabiliter expressum dici potest; vera enim probabilitas importat motivum grave, ex quo licet fallibili mens judicat hoc potius esse, quam illud: ubi autem res vere est dubia, deficit illud motivum, ut ex terminis patet; ergo extra dubium est, nullam in dubio juris irregularitatem incurri.

Quod si res non sit simpliciter dubia, sed cadat sub opinionem, quæ a dubio longe discrepat, tunc sequenda erit pars regulæ alibi circa opiniones probabiles constitutæ, adeo ut quis pro irregulari habendus sit, si opinio, quæ irregularitatem hac, vel illa lege contineri dicit, longe sit probabilior opposita: secus si utraque opinio æque sit probabilis. Is enim ipse est dubii juris casus, in quo definiit irregularitatis auctor, neminem pro irregulari habendum esse.

Qui vero non discusso juris dubio, in quo versabatur, Ordines recepit, poterit, adhibita deinceps debita diligentia, & perseverante dubio juris, Ordinis recepti functiones obire. Is enim solum peccavit peccato negligentiæ, cui licet gravi nulla alligata est in jure irregularitas, vel censura.

R. II. In dubio facti homicidium concernentis debet quisquis pro irregulari se gerere.

Prob. ex cap. 18. *De homicidio volunt.* ubi statuit Innocentius III. *quod si discerni non possit, ex cujus ictu interiit* fur a pluribus percussus, *in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, & a Sacerdotali officio abstinere, etsi forte homicida non sit: cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliqua vero magnum periculum timeatur.*

Idem decernit Clemens III. cap. 12. ibid. Consultus enim de Presbytero, qui *volens corrigere quendam de familia sua*, eum aliquantulum vulneraverat *in dorso*, eo *quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus* esset, sic respondet: *Quia utrum occasione vulneris*, an ex alia graviori infirmitate, quæ eidem jam convalescenti supervenerat, decesserit, *dubium habetur*, judicamus: *quod cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, injungendum sit *Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret*; ergo in dubio homicidii, sive voluntarii, sive casualis, abstinendum est ab iis omnibus, a quibus abstinere debent irregulares.

Hinc colliges medicum, qui cum rationabili fundamento suspicatur ægrotum sua mortali culpa interiisse; eum item, qui cum abortus causa sit, dubitat an fœtus animatus esset; aut qui dato homicidii consilio, dubitat, an consilium suum in alterius mortem efficaciter influxerit, non posse citra dispensationem ordinari. Idem dicendum de eo, qui dubitat hominemne, an cervam occiderit. Est enim id dubitare an homicida sis.

R. III. In dubio facti, quod homicidium non sit, non incurritur irregularitas. Ita Suares, Avila, Cabassut. Babin, &c.

Prob. I. quia odia restringi debent, non extendi: atqui irregularitas est quid odiosi; ergo restringi debet, nisi clare fuerit expressa: clare autem expressa non est pro facto dubio, nisi sit homicidii; cum quæcunqua allegantur jura, de solo homicidii facto loquantur, ut agnoscunt Adversarii; ergo.

Prob. II. quia in dubio juris nemo irregularis præsumi debet: atqui ubi est dubium facti alterius præter homicidium, ibi est dubium juris. Ibi enim est dubium juris, ubi jus expresse non decernit irregularitatem, imo ubi tam ambigue loquitur, ut omnes pene Theologi nullum in ipso irregularitatis vestigium hactenus sibi deprehendere visi sint: atqui jus propter alia, quam homicidii facta, irregularitatem non decernit expresse, &c.

Obj. Romani Pontifices, etsi pro causa homicidii responderint, generali, & antiquitus recepto usi sunt principio, eam scilicet in dubio tenendam esse partem, quæ nihil habet periculi; eam vero dimittendam, quæ a periculo non vacat: atqui principium hoc in cujuscunque facti dubio locum habet. Abstinere enim a divinis in dubio facti alterius præter homicidium, nihil habet periculi; magnum vero est periculum si tunc celebretur, quia ut abesse, sic adesse potest irregularitas.

R. dist. maj. in dubio tenenda est pars tutior, id est, ea pars, quæ magis removet a culpa, C. id est, ea pars, quæ magis removet ab indecentia, subd. tenenda est ea pars, si lex ipsa non tollat hujus indecentiæ periculum, C. secus, N. Itaque ut in præsenti casu possit quis se pro irregulari non habere, sufficit, ut nullum subsit culpæ, vel indecentiæ periculum: atqui in ceteris facti extra homicidium dubiis, nullum est culpæ, vel indecentiæ periculum. Totum enim culpæ periculum fundaretur in periculo indecentiæ; cum ideo solum prohiberi possit Ordinum susceptio, vel usus ei, qui de irregularitate sua dubitat, quia non decet Ordines suscipi, vel exerceri ab eo, qui irregularis esse potest: atqui nullum est in præsenti casu periculum indecentiæ. Ratio est, quia Ecclesia tunc virtualiter dispensat ab irregularitate eum omnem, qui vere & serio dubitat, an posuerit actionem, cui annexa est irregularitas, nisi actio illa sit homicidii.

Et vero tota Adversariorum ratiocinatio contra eos retorqueri potest pro dubio juris. Quin & is, qui certus de facto, scilicet de crimine suo, solum est

dubius

dubius de jure, minus indulgentiæ meretur, quam qui certus de jure vere dubitat de facto, an nempe nocens sit, vel reus. Si cui autem hæc responsio minus placet, recurrat is ad Episcopum, ad quem dubiorum hujusmodi decisio nativo quodam jure pertinet.

Ex his colligunt Salmanticenses: I. Laicos ne in ipso quidem dubio facti ad homicidium pertinentis, pro irregularibus habendos esse, quia citata jura non nisi de Clericis loquuntur, sed male: quia eadem ratione dici posset irregularitatem in dubio homicidii a solis Presbyteris contrahi, eum de iis solum citata jura loquantur. Colligunt II. & bene, in dubio mutilationis neminem debere gerere se pro irregulari, quia mutilatio non est vere, & proprie occisio. Colligunt III. Clericos in dubio homicidii quoad Ordinum susceptionem, aut usum irregulares esse, non autem quoad Beneficia, quia jus de solis Ordinibus loquitur, nun autem de Beneficiis (*Vid. sup. p.* 460.). Huic opinioni favet: I. quod jus quibusdam homicidis Beneficia indulgeat. II. quod in materia pœnali, qualis est irregularitas, ab Ordinibus ad Beneficia non valeat illatio. Qoia tamen Beneficium datur propter ministerium ecclesiasticum, a quo excluditur dubius homicida, nolim in hoc casu quidpiam fieri inconsulto Episcopo.

# PARS SECUNDA,

## DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

### CAPUT PRIMUM.

*De Irregularitate ex defectu natalium.*

Defectu natalium laborant illegitimi, quorum alii *physice* illegitimi sunt, alii illegitimi sunt *canonice*. Illegitimi physice, & naturaliter dicuntur ii, qui ex parentibus vero matrimonio non conjunctis procreati sunt. Canonice illegitimi sunt ii, qui suscepti sunt ex vero, & legitimo conjugio, sed cujus usus evasit illicitus per solemne castitatis votum, seu in Ordinis sacri susceptione, seu in Professione Religiosa legitime emissum. De utrisque sit

CONCLUSIO. Illegitimi tam physice, quam canonice irregulares sunt, sive illegitimitas eorum occulta sit, sive publica.

Prob. 1. pars de illegitimis physice, tum ex cap. 1., & ult. *De filiis Presbyter.*; tum ex c. 1. ejusd. tituli in 6.

Prob. 2. pars de illegitimis canonice, ex cap. 14. *De filiis Presbyt.* utraque tenetur ab omnibus.

Ratio, cur hanc irregularitatem invexerit Ecclesia, triplex. Prima est periculum incontinentiæ ex imitatione paterna (*V. Supra p.* 458.) nam *sæpe solet similis filius esse patri, & vitia parentum etiam ad posteros transferuntur*. Secunda est justa ratio metuendi, ne hoc vitio laborantes, populorum ludibrio, & dicteriis exponantur. Tertia est, *ut paternæ incontinentiæ memoria è locis Deo consecratis ..... longissime arceatur*. Trid. Sess. 25. c. 15. *De reform.*

Prob. 3. pars, de iis etiam, quorum illegitimitas occulta est: tum quia lex generaliter loquitur, nec distinguit inter occultos, & notos; tum quia non magis necessaria est notorietas ad inducendam irregularitatem ex defectu natalium, quam necessaria sit in aliis casibus; atqui in aliis casibus (infamiam excipio) non requiritur notorietas (*Dist.* 56. *c.* 10.); ergo nec in casu defectus natalium, qui non parit irregularitatem ratione infamiæ, sed ob alias rationes paulo ante memoratas.

Hinc si noverit Titius se esse illegitimum, quamvis alii id ignorent, necessum est, ut ante petat dispensationem, quam Ordines, vel Beneficium recipiat. Aliud esset, si quis urgeretur ad suscipiendos Ordines, & dispensationem obtinere non posset absque gravi sui diffamatione apud Pontificem, vel Episcopum.

Quæres possitne mater suadere filio, quem sola illegitimum esse cognoscit, ut Clericatum ingrediatur. R. posse, si legitimæ vocationis indicia præ se ferat. Ratio est, quia mater hoc suadens, nec peccat, eum ipsa turpitudinem suam filio aperire non teneatur, nisi forte id exigant causæ multo graviores; nec causa est cur peccet filius, eum & illud, quod ei suadet, per se bonum sit, & supponamus eum invincibiliter ignorare irregularitatem suam. Quod si quis inculpabiliter ob ignorantiam ad Ordines promotus, certo comperiat irregularitatem, qua ligatur, necesse est, ut statim ab Ordinum usu abstineat, donec dispensationem obtinuerit. Qui vero sciens, & volens, ordinari se permittit, nunquam, aut raro, nec sine labore magno rehabilitari potest.

Quæres iterum, an filius qui pro legitimo habetur, teneatur habere fidem patri, vel matri, qui in extremis declarant eum esse illegitimum. R. non teneri, nisi rationibus validis convincatur: tum quia allegantiet etiam eum juramento suam turpitudinem in præjudicium alterius, nulla debetur fides, ut docent Canonistæ; tum quia favor matrimonii semper prævalet, unde receptum istud L. 5. ff. *De in jus vocando: Pater is est, quem nuptiæ demonstrant.* His accedit praxis Senatus Parisiensis, qui an. 1656. pro legitimo haberi voluit filium mulieris, cujus maritus impotentem se esse contendebat, quod & ab uxore ejus confirmabatur.

Aliud esse si illegitimitas validis, & quasi invictis rationibus probaretur, ut si mater demonstraret maritum suum toto conceptionis, & nativitatis filii tempore abfuisse. Quod si filius matris auctoritate pressus, et fidem habeat, seque illegitimum putet, tunc etsi forte legitimus sit, dispensationem petere debet, priusquam Ordines suscipiat, iisve fungitur: alioqui peccaret agendo contra conscientiam. Si vero dubius permaneat, non tenetur gerere se ut irregularem, quia in dubio facti extra homicidium, non subsistit irregularitas.

Quæres

Quæres III. quid juris de infantibus expositis. R. eos pro illegitimis haberi debere: I. quia *in obscuris quod verisimilius est, attenditur.* ex Leg. 114. ff. *De div. reg. juris*: atqui multo verisimilius est, infantes expositos esse illegitimos, & longe sæpius contingit, ut exponantur illegitimi, quam alii, prout agnoscunt qui majorem hujusce rei notitiam habent: unde testatur Hugolinos se per annos multos, quibus animarum curam gessit, nunquam vidisse expositos, qui ex legitimo matrimonio procreati essent; & Garcias certum esse ait ex centum, qui exponuntur, plusquam 90. esse illegitimos.

II. quia ex praxi Galliæ nullus ad tonsuram admittitur, nisi probet se ex legitimo matrimonio ortum esse.

Fatentur tamen communiter hujus opinionis assertores, Episcopum posse cum expositis dispensare, ut suscipiant Ordines, & in iis bona fide susceptis ministrent; quia irregularitas, quæ non est penitus certa, ab Episcopo relaxari potest. Ita Covarruvias, Bonacina, Suares, Habert, & alii plures, quorum opinio etsi intrinsece difficilis, practice teneri posse videtur, quia communis.

Ex dictis satis quidem intelligitur illegitimos ab Ordinibus excludi: sed necdum intelligitur quid requiratur, aut sufficiat, ut quis relative ad Ordines legitimus censeatur. Itaque.

Dico: Legitimi sunt relative ad Ordines, & Beneficia: I. qui nati sunt de matrimonio vero, etiam in ratione contractus civilis, quale est matrimonium Infidelium, quorum filii adhuc essent legitimi, etiamsi eorum parentes in gradibus ab Ecclesia prohibitis contraxissent, ut docet Innocentius III. cap. 15. *Qui filii sint legitimi*.

II. qui nati sunt de matrimonio nullo quidem, & invalido propter aliquod impedimentum dirimens, sed invincibiliter saltem ab uno contrahentium ignoratum; idque verum est, etiamsi impedimentum postea innotuerit, & partes per Judicis sententiam a se invicem separatæ fuerint. Ita statuitur cap. 2. & 14. eodem tit. Si tamen parentes aut clandestine contraxissent, aut bannorum promulgationes omisissent, non censerentur impedimentum, quo ligati erant, bona fide ignorasse; unde filii reputarentur illegitimi, & irregulares.

III. qui licet ex fornicatione nati sint, per matrimonium deinceps contractum legitimati sunt: *tanta enim est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*, cap. 6. *Qui filii sint legitimi*.

Extenditur hæc doctrina: I. ad filios, quorum parentes non nisi post intermedias nuptias matrimonium contraxissent. Quare si Petrus ex Lucia concubina filium habuerit, deinde Mariam duxerit, eaque defuncta, Luciam, filius Luciæ, non obstante intermedio Petri cum Maria conjugio, legitimus fiet. II. ad matrimonium invitis etiam illegitimis contractum; quia matrimonio ipsi annexus est favor ille, cui proinde a filio renuntiari nequit: etsi aliud forte sit de jure civili.

Hic tamen notandum: I. legitimationem, quæ fit per matrimonium subsequens, non sufficere, ut quis promoveri possit ad Beneficium, quod ex fundatione sua non nisi vere legitimis conferri debet; legitimati enim non sunt stricte legitimi, sed solum fictione juris: porro fundationes stricte intelliguntur.

Not. II. ad hoc, ut filii ex illicita copula concepti per matrimonium subsequens legitimentur, necessum esse, ut coitus tempore parentes matrimonium non quidem licite, sed valide contrahere potuerint (*Pont. lib.* 11. *c.* 2. *n.* 9.): unde *si vir vivente uxore sua aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eam duxerit, nihilominus spurius erit filius* ex cit. cap. 6. *Qui filii sint legitimi*. Eadem de causa, si consanguineus cum consanguinea, vel affinis cum affine, in gradibus ab Ecclesia prohibitis rem habuerit, filii inde concepti non legitimabuntur per matrimonium deinde contractum, quia conceptionis tempore parentes ob impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis, valide contrahere non potuissent. Hinc receptum illud filios naturales legitimari, non spurios.

Atque hujus nostræ responsionis veritas constaret: I. etiamsi ante prolis nativitatem parentes ex dispensatione legitimum matrimonium contraxissent; quia semper in hoc casu verum est, prolem formatam fuisse eo tempore, quo parentes contrahere nequibant. II. etiamsi matrimonium mala fide validum, subinde revalidatum esset per dispensationem solum concessam ad contrahendum de novo. Ratio est, quia dispensatio non operatur ultra terminos ejus; ergo cum termini solum ferunt, ut matrimonium validari possit, non autem ut proles ante concepta legitimetur, proles, quæ tempore invalidi matrimonii concepta est, non legitimatur per solam dispensationem de novo contrahendi, adeoque nova opus est dispensatione, quæ prolem ipsam legitimet.

Not. III. filios legitimos aliquando a Beneficiis, imo & ab Ordinibus perinde ac illegitimos arceri. Sic I. filius legitimus Beneficia a patre possessa, immediate post eum tenere nequit ex cap. 11. *De filiis Presbyt.* (*V. Cabassut. Lib.* 2. *c.* 9.), & hoc in nepotibus relative ad avos locum habet ex Rebuffo. Sic II. *Hæretici, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filii*, usque ad secundam lineam paternam, ad primam vero maternam, sunt inhabiles ad Beneficia, ex cap. 15. *De Hæret.* in 6. quod in Gallia erga Hæreticos toleratos locum non habet, ut alibi dicam.

Quæres quot modis tolli possit irregularitas ex defectu natalium. R. eam tolli quatuor modis: Primo enim tollitur Professione Religiosa, sed solum partialiter, ut constat ex c. 1. *De filiis Presbyt.* Ratio hujus privilegii est, quod Professio Religiosa per se removeat ab occasionibus, in quibus filii paternæ incontinentiæ imitatores esse possint: unde sequitur Religiosum, qui vota sua cassari curat, nequidem receptis in monasterio Ordinibus uti posse, multo minus ad alios, quos nondum recepit, promoveri, quia Professio nulla nullum parere potest effectum, ac proinde nusquam extinxerat irregularitatem, sed extinxisse putabatur. Qui ejiciuntur a Religione, manent ab irregularitate immunes, ut qui non desinant esse vere Religiosi. Haud

tamen eis prodest hæc irregularitatis immunitas; cum, juxta decretum facræ Congregationis, ejecti a Religione perpetuo sospendantur ab exercitio Ordinum, hujusque suspensionis laxandæ facultas Ordinarius tollatur.

Dixi I. *Professioni Religiosa*; sola enim habitus susceptio non sufficit, ut docent vulgo Canonistæ.

Dixi II. *solum partialiter*; nempe quoad Ordines, & Beneficia simplicia, quia cit. cap. 1. *De filiis Presbyt.* præcipitur, ut illegitimi, etiam professi, *Prælationes nullatenus habeant*: unde etiam inferri solet collationem Prælaturæ cujuslibet, sive secularis, qualis est Episcopatus, Abbatia Commendata, &c. sive Regularis, qualis est Superioritas monastica, Dignitas, aut Personatus, Monacho, vel Canonico Regulari illegitimo factam absque prævia Romani Pontificis dispensatione, esse jure communi invalidam: huic tamen juri aliquando derogant specialia Religionum privilegia.

Secundo tollitur irregularitas ex defectu natalium per legitimationem: hæc autem vel fit per matrimonium, ut paulo ante dictum est; vel absque matrimonio, eaque vel a Papa conceditur, vel a Principe. Quæ fit a Principe, non inservit, nisi ad effectus civiles; unde vi ipsius nemo ad Ordines, vel Beneficia idoneus efficitur, (exceptis tamen extraneis, qui, modo nihil aliunde desit, obtentis a Principe iis Literis, quas *Naturalitatis* vocant, Beneficiorum in hoc Regno possidendorum capaces efficiuntur). Quæ vero a Papa conceditur, non inservit ad effectus civiles, sed solum ad Ecclesiasticos: unde sic legitimatus & ad Ordines omnes evehi potest, & ad quælibet Beneficia promoveri, iis, ut jam dixi, solum exceptis, quæ a fundatione habent, ut non nisi legitimis conferri possint: unde legitimatio eo solum differt a dispensatione, quod hæc generalis non sit.

Tertio tollitur eadem irregularitas per dispensationem, circa quam hæc notanda sunt.

I. Solus Papa dispensat *ad Ordines majores, vel Beneficia curam animarum habentia* (*C.* 1. De filiis Presb. *in* 6.): Episcopi proinde dispensant solum ad tonsuram, & Ordines minores, eaque Beneficia, quibus *animarum cura non imminet* (*Ibid.*), modo Beneficia hæc Ordinem facrum hic & nunc non exigant; modo etiam non sint Dignitates, vel Personatus, quæ non intelliguntur nomine Beneficiorum simplicium, &c.

II. Necessitas recurrendi ad Papam pro dispensatione ad Ordines sacros, & Beneficia duplicia, locum habet, etiamsi illegitimitas omnino occulta sit; quia facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto per Tridentinum Episcopis concessa, de iis solum intelligitur, quas quis ex proprio delicto incurrit, uti docet probabilior opinio. Ubi tamen irregularitas penitus occulta est, haud necesse est, ut ad Datariam, sed sufficit, ut ad Pœnitentiariam recurratur.

III. In hac dispensatione petenda omnino exprimendum est, an illegitimus sit ex soluto, & soluta, ex soluta, & conjugato; ex Sacerdote, an ex Laico: tum quia qui ex graviori nati sunt crimine difficilius dispensantur: tum quia iidem aliquando duplici egent dispensatione: sic illegitimus, qui in eadem Ecclesia, in qua pater suus Sacerdos Beneficium habet, vel habuit, Beneficium habere vult, indiget dispensatione gemina, qua & ad Beneficium ut sic, & ad Beneficium in tali Ecclesia obtinendum idoneus reddatur.

IV. Quod potest Episcopus respectu illegitimorum, hoc potest Capitulum Sede vacante, & Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. Ratio pro Capitulis est, quod Capitulum succedat in jurisdictionem ordinariam Episcopi in iis omnibus, quæ jure non prohibentur. Ratio pro Abbatibus est, quod in nullo præterquam in consecratione differant ab Episcopis, nisi jus, aut consuetudo resistat.

V. Etsi probabile est posse Episcopum cum illegitimo dispensare ad effectum possidendi Canonicatus in Ecclesia Cathedrali, quia Canonicatus ille reipsa est Beneficium simplex, & potestas Ordinariorum, utpote favorabilis, non est absque gravi fundamento restringenda: nihilominus ob sententiarum diversitatem, & vitandas lites, quæ intendi possent, suadendum est illegitimis, qui ad Cathedralium Canonicatus nominantur, ut ab Apostolica Sede dispensationem obtinere curent.

VI. Qui a proprio Episcopo dispensationem obtinuit ad effectum possidendi Beneficii simplicis, ubique dispensatus censetur; adeoque in alia etiam Diœcesi Beneficiis simplicibus donari potest.

VII. Dispensatio, prout a legitimatione distinguitur, stricte interpretanda est: onde dispensatus ad Ordines, non intelligitur dispensatus ad Ordines sacros, nisi aliunde de mente S. Pontificis colligatur ex circumstantiis. Dispensatus ad Diaconatum censetur quidem & ad Subdiaconatum dispensatos, non vero ad Sacerdotium. Dispensatus ad unum Beneficium non est dispensatus ad plura. Dispensatus ad Beneficium simplex, non est dispensatus ad Curatum. Neque ad Episcopatum, qui simpliciter ad Dignitates dispensatus fuit. Ratio est, quia recessus a jure communi odiosus est: odia vero restringenda sunt, non amplianda.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Irregularitate ex defectu animi.*

Defectus animi tres irregularitatem inducunt, scilicet defectus rationis, scientiæ, & fidei confirmatæ.

Primo quidem irregulares sunt, qui totaliter carent usu rationis, quales sunt pueri, & perpetuo amentes; qui proinde nec ad Ordines promoveri, neque eorum, quos forte suscepissent, actiones exercere possunt, durante rationis deliquio.

II. Ex eodem rationis defectu irregulares sunt, non ii solum, qui habitualiter, & perpetuo, sed & ii quoque qui variis temporum intervallis a rationis usu excidunt; ut *lunatici*, qui lucida quædam habent rationis intervalla, sed & quasdam ejus eclipses patiuntur; *energumeni*, seu arreptitii, qui a malo dæmone vexantur, & ideo sui compotes non sunt; *furiosi*, qui irruente furoris accessu non sunt liberæ mentis; *epileptici*, qui morbo comitiali, quod malum caducum vocant, ita corripiuntur, ut cadant quasi exanimes,

Ho-

Horum, & similium irregularitas colligitur, tum ex dignitate ministerii sancti, quod ab iis tractari non decet, quos ne mundani quidem rerum suarum participes esse vellent; tum ex Can. 2. dist. 33. ubi *qui in furiam aliquando versus insanivit*, ab Ordinibus excluditur.

Circa hæc quædam sunt notanda: I. facilius lunatici, & alii, ab Ordinibus arcentur, antequam susceperint, quam ab eorumdem jam susceptorum exercitio: unde qui vere amentes fuerunt, licet omnino sani videantur, vix unquam admitti ad Ordines possunt; tum quia semper timendum est, ne malum idem redeat quod prius; tum quia rarò fit, ut ii homines sana penitus mente fruantur. Si tamen justa quandoque causa postulet, ut qui olim insanivit, ad Ordines evehatur, ante omnia consulendi erunt periti Medici, ut judicent, an plane convaluerit: deinde obtinenda ei erit dispensatio, quæ etiam necessaria est Energumenis, saltem ad Ordines sacros, ut docet sanior opinio.

II. Etsi epileptici vere sunt irregulares, usu tamen receptum est, ut irregularitas non inducatur per affectus epilepticos, qui acciderunt ante pubertatis annos; quia, ut docet Hippocrates, epilepsia sæpe curatur, & omnino recedit in iis, qui pubertatem attingunt. Qui vero post pubertatem eo morbo corripiuntur, irregulares censeri debent, quod, juxta Navarrum, & Sylvestrum, de iis etiam verum est, qui nonnisi semel hoc morbo capti fuissent. Expectandum igitur est donec 25. ætatis annum attigerint: qui enim post ætatem hanc morbo illo affligi pergunt, vix unquam ab eo liberantur: unde qui epilepsiæ accessus post annum 25. ætatis suæ expertus est, nec Ordines suscipere, nec iisdem sive bona, sive mala fide susceptis uti posset, nisi obtenta dispensatione a Pœnitentiaria quidem, si res occulta sit, a Dataria vero, si accessus mali palam contigerint.

De iis vero, qui sòlum post acceptos Ordines morbis modo recensitis obnoxii esse incipiunt, hæc nobis videntur statuenda: I. qui frequenter his morbis corripiuntur, ab Ordinum exercitio removeri debent ob indecentiam, & periculum casus. (*Vid. cap.1.v.11. q.2.*)

II. si quis horum Dei misericordia convaluerit, permittunt Canones, ut Ordinum functiones exercere possit, postquam competenti tempore probatus fuerit ab Episcopo, ut habetur Can. 3. dist. 33. Imo poterit Episcopus cum eo dispensare, ut ad Ordines superiores promoveatur. Porro probatio committenda est examini petitorum Medicorum, qui non permittant iis vexatos malis antea functionum suarum exercitio restitui, quam judicaverint eos perfecte convaluisse.

III. qui raro iis morbis impetuntur, vel graviter impetuntur, ita ut spumas jactent, confusas voces emittant &c., vel impetuntur leviter. Si 1. adhuc abstinere debent; si 2. *non prohibentur ab officio Missæ, dum tamen habeant juxta se alium Sacerdotem, ut si illi eadem, vel deficiant, ipse suppleat*: verba sunt S. Antonini p. 3. tit. 28. c. 5. Quæ tamen ob periculum, ne morbus ingruat, quo tempore Calix elevabitur, difficilia videntur Giberto.

IV. demum iisdem morbis obnoxii non ideo privati sunt Beneficiis, sed Vicariis uti debens.

Etsi qui vertigine laborant, non sint stricte irregulares, quia Canones nullibi de vertiginosis loquuntur, si tamen vertigines tam graviter afficiant Sacerdotem, ut is sine indecentiæ, & irreverentiæ periculo sacra facere non possit, tunc utique a celebranda Missa abstinere debet: si vero nullum, vel leve subsit irreverentiæ periculum, poterit quidem celebrare, sed omnia prævideri, præcaverique necessum est, ne quid suboriatur mali, puta celebrando in loco humili, cum altaria excelsa vertiginem patiant &c.

Secundus animi defectus, qui irregularitatem parere potest, est carentia scientiæ, pro cujus intelligentia not. I. majorem ad majores, dignioresve Ordines scientiam requiri, ut patet ex Concilio Trident. (*Sess.23. c. 4.*), secundum quod ad primam Tonsuram requiritur, ut ea initiandi *Sacramentum Confirmationis susceperint, & fidei rudimenta edocti fuerint, legereque, & scribere sciant*. Ad Minores, ut iis donandi *saltem latinam linguam*, & quæ ad eosdem Ordines pertinent, *intelligant*, ita ut nemo iis initiari possit, *quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat* (*C. 11. & 13.*). Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut ad eos promovendi *litteris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint*. Litteræ, quibus Subdiaconos, ac Diaconos imbutos esse præcipit S. Synodus, complectuntur Sacramenti Ordinis notitiam, & intelligentiam Officii divini, ad cujus recitationem tenentur qui sunt in Sacris (*Gibert. p. 719.*). Ad Presbyteratum ii solum promovendi sunt qui idonei sunt *ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad ministranda Sacramenta* (*Trid. ibid. c. 14.*).

Not. II. duplicem distingui scientiam: alia dicitur eminens, alia competens, quæ & mediocris nominari potest (*Vid. Cap. Nisi 10. de renunt.*). Scientia eminens ea est, qua quis arduas quæstiones discutere, & definire novit, & in promptu sine librorum sevolutione respondet præsertim de fide, moribus, & disciplina interroganti. Scientia competens ea est, ait Innocentius IV., qua quis, licet ad omnia in promptu respondere nesciat, *scit tamen aliquo modo examinare negotia, & in libris quærere veritatem eorum, quæ sibi proponuntur*; seu scit solvere, & respondere in his, quæ admodum intricata non sunt; in difficilioribus vero, & magis arduis, libros, vel homines se peritiores consulere: quæ quidem dubitandi facultas longe rarior est, & difficilior in Sacerdotibus, quam sentiant multi, eam supponat generalem quandam omnium Theologiæ partium notitiam; unde rudes, & imperiti nunquam, aut sàto dubitant. His præmissis,

Dico I. Qui caret scientia competente, nec Ordines suscipere sine gravi peccato, nec in susceptis ministrare potest. Ita Theologi, etiam non rigidi.

Prob. I. Peccat qui in materia gravi violat jus naturale, divinum, & ecclesiasticum: sed qui absque sufficienti scientia Ordines recipiunt, eosve exercent,

 in

in materia, quæ non nisi ab impiis pro levi haberi potest, violant I. jus naturale, cum ipsa natura dictet non admittendos esse ad munus spirituale, qui munus illud vix aliter, quam mœchanice exercere possunt. II. jus divinum, cum Deus, etiam in antiqua lege, cujus ministerium carnale erat, eos semper a suis altaribus repulerit, qui scientiam repulerant, ut patet ex c. 4. Osee. III. jus ecclesiasticum, ut constat tum ex Can. *Illiteratos* statim citando, tum ex jam relatis Concil. Trid. textibus; ergo.

Dico II. qui caret scientia competenti, qualem exigit Tridentina Synodus, habendus est pro irregulari.

Prob. I. ex cap. 1. dist. 36., ubi sic loquitur Gelasius: *Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia literis carens, sacris non potest esse aptus officiis*, unde sic: Illiterati, de quibus in hoc Canone loquitur Gelasius, vere sunt irregulares, non secus ac illi, qui aliqua corporis parte imminuti sunt: atqui illiterati illi non ii solum sunt, quia ita ignari sunt, ut nequidem legere sciant, prout falso locum hunc interpretatur Gibalinus; sed & ii etiam, qui scientia competente, & necessaria carent: I. quia illiterati, quos Gelasius ad Clericatus Ordinem promoveri vetat, ii sunt, qui ex literarum defectu non possunt sacris apti esse officiis: atqui non ii solum, qui legere nesciunt, sed & ii etiam, qui scientia competenti carent, sacris Officiis inepti sunt, ut etiam fatentur Adversarii: cum concedant tales illiteratos graviter peccare, si se ad Ordines promoveri permittant. II. illiterati, quos Gelasius ab Ordinibus excludit, ii utique sunt, quos alii Canones præcipiunt graviter puniri una cum Episcopis, a quibus ordinati sunt: atqui ignari illi sunt ii etiam, qui scientia competente careant, non ii vero tantum, qui adeo rudes sunt, ut legere nesciant. Totum hoc argumentum constat ex sola lectione capitis 14. *De ætate*, &c. ergo.

Prob. II. quia ridiculum est, ut ea solum ignorantia in Diacono, vel Sacerdote irregularitatem inducat, quæ eam in juniore Clerico inducit: atqui si vera sit Gibalini opinio, Diaconus, vel Sacerdos eo solum scientiæ defectu irregulares erunt, qui in Clerico irregularitatem inducit: sicut enim Clericus ille non est irregularis, juxta Gibalinum, nisi cum legere nescit; sic nec irregulares erunt Diaconi, vel Sacerdotes, nisi cum eo usque illiterati erunt, ut legere nesciant.

Hinc colliges provisionem Beneficii concessam illiterato scientia competente destituto, invalidam esse. Ratio est, tum quia, qui ad Clericatum inhabilis est, ad Beneficia habilis esse nequit; tum quia incapacitas ex defectu scientiæ orta, una est e præcipuis incapacitatibus: porro collatio Beneficii incapaci facta, jure communi, & Gallico invalida est.

Dico III. Irregularitas ex illiteratura aliquando indispensabilis est, aliquando ad tempus dispensari potest. Ratio primæ partis est, quod ignorantia aliquando tanta esse possit, ut qui ea laborat, Beneficii, vel Ordinis sui munia sine peccato, neque nunc, neque longo post tempore exercere queat: quo in casu ignorantia hæc juri naturali, & divino contraria est. Ratio secundæ partis sumitur a contrario.

Conditiones dispensationis, quæ illiteratis conceditur, quatuor in jure recensentur. Prima est, ut scientiæ defectus non sit gravis, atque subjectum, quicum dispensatur, scientiæ, quæ deest, comparandæ capax sit. Secunda est, ut qui dispensatur, pietate polleat, adeoque spem præbeat se studio vacaturum ut decet. Tertia, ut abstineat a functionibus, quæ scientiam, quam nondum assecutus est, postulant. Quarta, ut non occurrant alii, qui absque dispensatione ad idem officium evehi possint. Quod limitaram si brevi futurum sit, ut qui actu ceteris inferior est scientia, eosdem longe superaturus sit.

Dispensatio illiteratis a Papa concedi potest; verum, ait Fagnan., (*In c. Quæris de ætate, &c. n. 9.*) *Episcopi contra hoc Decretum Concilii dispensare non possunt, etiam ex magna causa; unde sacra Congregatio Concilii, etiam in locis ubi maxima est Sacerdotum inopia, nunquam censuit ignaros posse promoveri ad sacros*. Addit alibi idem Canonista, Episcopum in casu necessitatis non debere exquirere tam exacte ab iis, qui nec ad ministranda Sacramenta, nec ad animarum curam deputati sunt, habilitatem a Tridentino requisitam, prout declaravit Summus Pontifex ea de re interrogatus. Jam de Neophytis.

Neophyti nomen idem est, ac nuva planta: unde neophyti dicuntur, qui de novo a priori statu recesserunt, aliumque diversum amplexi fuere. Hinc multiplex distinguitur genus neophytorum. Nam neophyti sunt: I. qui recens in Christo per Baptismum renati sunt. II. qui nuper ad Religionem Christianam conversi sunt. III. qui ab hæresi, vel a mundana vivendi ratione, ad fidem puram, aut pietatis exercitium transierunt. IV. & ii olim inter neophytos censebantur, qui Baptismi receptionem differebant, donec gravi morbo decumberent, unde Clinici vocabantur. His positis,

Dico: Neophyti recens ad fidem conversi, sunt irregulares.

Prob. I. ex Apost., qui vult non ordinari *neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* (*I. Timot. 3.*) Et vero vel neophytus ad Ordines promoveri ambit, vel non. Si 1. suam ipse superbiam arguit. Si 2. facile est, ut qui tam præpropere evehitur, Ecclesiæ necessarium se credat, sibique complacens, Luciferi e Cœlis dejecti sortem experiatur.

Prob. II. quia indecens est, ut qui discipoli fuere, magistri esse incipiant; ut qui necdum satis edocti sunt, & in fide confirmati, alios erudire, & confirmare aggrediantur; ut qui adhuc quasi funtes sub proprii criminis pondere gemunt, aut gemere debent, aliorum peccatis onerare se ausint, & pro iis gratiam efflagitare, quam necdum pro semetipsis consecuti sunt. Ecquis *quem paulo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem?* sane *præferens.... criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem*. (*Cap. 3. dist. 61.*)

Hæc momenta probant neophytos cujuscunque sint gene-

generis ab Ordinibus excludi debere; & insuper eos ex ipsis irregulares esse, de quibus id in jure constitutum fuerit; quales sunt neophyti in fide.

Ex his colliges I. Laicos recens ad Clerum cooptatos, non posse licite ad superiores Ordines præpropere, & non servatis interstitiis promoveri. Unde is, qui tot in juvenibus emicat rapide ab Ordine in Ordinem convolandi furor, perpetuæ Canonum definitioni, nec non, & ipsi Apostolo adversatur. *Sicut* enim tempore S. Pauli *neophytus dicebatur, qui adhuc noviter in sanctæ fidei erat conversatione plantatus; sic modo neophytus habendus est, qui adhuc novus est in sancta conversatione*. ( *S. Gregor. L. 4. Ep. 50.* ) Hujusmodi tamen, cum stricte, & in rigido Canonum sensu neophyti non sint, non sunt etiam stricte irregulares.

Colliges II. neophytos omnes non ante, vel ad Clericatum, vel ad majores Clericatus gradus esse promovendos, quam sufficienti tempore probati fuerint: quod quidem relinquitur Episcopi arbitrio, cujus est perpendere an recenter ad fidem conversi tantæ sint virtutis, & constantiæ, ut nihil ab illis ob fidei novitatem timeatur, ipsisque Ecclesiastici Ordinis gradus committi valeant.

De Clinicis unum extat Caput in toto Juris corpore, his conceptum verbis: ( *Dist. 57.* ) *Si quis ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet.... nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit*. Verum hic diutius sistere non vacat, quia rarum est hodie ut baptizentur adulti, rarius ut non nisi premente morbo baptizentur.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Irregularitate ex defectu corporis.*

CErtum est I. corpore vitiatos per plura sæcula ne ad Episcopatum quidem irregulares fuisse, nisi vitium corporis tale foret, ut eo laborans sacrarum functionum incapax efficeretur (*Sozom. l. 6. c. 30.*). Patet id ex celebri historia Ammonii Anachoretæ, qui, ne Episcopus crearetur, aurem sibi abscidit, existimans *integri corporis Sacerdotem constitui* oportere. At ne hac quidem expeditione Episcopatum declinasset, quia pro certo tunc habebatur, *Ecclesiam de corpore non curare, dummodo Sacerdos integer sit moribus*. ( *Hist. Lausiac. c. 12.* ) Unde refert Palladius, *fuisse Episcopum, qui dixit Ecclesiam Legi* ( *Levit. c. 21. v. 18.* ) *veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato*.

Certum est a quinto Ecclesiæ sæculo, & deinceps vitium corporis irregularitatem induxisse: idque constat ex c. 1. 3. & 12. dist. 55., in quibus *corpore vitiati, aliqua membrorum damna perpessi, debiles corpore*, generaliter, & indistincte a Clero, & Ordinibus arceantur. Ratio autem cur hoc in puncto disciplinam suam mutaverit Ecclesia, hæc esse potuit, quod primis Ecclesiæ sæculis multi ex Fidelibus ob solam fidei defensionem corpore vitiati, aut debiles effecti essent; indignum autem fuisset eos ab Ordinibus ob corporis defectum arceri, quorum dignitas, vel hoc ipso defectu commendabatur. At post redditam, & firmatam Ecclesiæ pacem, factum est, quod & hodie contingit, ut corporis defectum non compensaret animi robur, & ut sacro ministerio applicarentur, qui forte ad profanum admissi non fuissent; cui malo ut occurrerent Pontifices, vetuerunt, ne corpore vitiati Clerum ingrederentur absque Superiorum licentia. Sed ut palam fiat, quo corporis defectu invehatur irregularitas, sit

CONCLUSIO Ille solum corporis defectus hominem facit irregularem, quo qui laborat, vel *secure propter debilitatem*, vel *sine scandalo*, seu notabili indecentia, quæ ministri, adeoque & ministerii ipsius contemtum pariat, *propter deformitatem*, functiones suas exercere non potest. Ita habetur cap. 2. *De Clerico ægrot.* Multo igitur magis irregularis est, qui ex eodem defectu omnino *impotens redditur ad exequendum officium Pastorale* ( *C. 10. De renunt.* ), Ratio est, quia ab Ordinibus arceri debet, qui eos, vel tuto, vel sine adstantium horrore exercere non potest.

Ob impotentiam, vel periculum irregulares sunt: I. qui *manu altera* mutilati sunt: c. 6. *De corp. vit.*

II. qui *tantum de digito* ad sacras functiones necessario perdiderunt, ut *sine scandalo solemniter celebrare* non possint, c. 1. ibid. Circa quæ nota, eum, qui caret pollice, jure naturali irregularem esse. Qui vero alios præter pollicem, & indicem digitos non haberet, esset irregularis, non solum ob deformitatem, & scandalum; ut docet Ugolin., sed etiam quia aliqui saltem ex his digitis adhiberi solent, ut benedictio detur. Unius tamen digiti, imo nec duorum, qui ad sacras functiones necessarii non sint, defectus irregularitatem non parit. Si quis vero unguibus in totum careat, irregularis non erit, si nec inde notabilis nascatur deformitas, nec subsit periculum in celebrando: secus si defectus ille, vel inducat magnam deformitatem, vel impediat, ne hostia contrectari, frangive satis decenter possit, aut Calix sine effusionis periculo attolli; unde etiam irregulares censendi sunt, qui manus tremolas habent. In dubio recurrendum est ad Episcopum, cujus est dijudicare, an, & quando deformitas, vel periculum sufficiant ad irregularitatem.

III. eadem de causa irregulares sunt muti, seu a natura, seu vi morbi tales sint. Idem dic de iis, qui tantam loquendi difficultatem habent, ut risum pene invitis pariant, aut qui ita balbutiunt, ut nullam distincte, & integre vocem pronuntient; secus si licet tarde, verba bene exprimant.

IV. omnino surdi; qui vero altera tantum aure surdi sunt; surdastri item, & difficulter audientes, modo utramque aurem habeant, promoveri possunt, consulto prius, si res dubium patitur, Episcopo.

V. qui non vident, sive oculi eruti sint, aut effossi, sive non. Si Sacerdos fiat cæcus, perdit *executionem Ordinis quantum ad consecrationem Eucharistiæ*,

ex S. Thoma ( 3. *p.* q. 82. *art.* 10. ). Monoculus, seu qui uno oculo, quisquis ille sit, orbatus est, etiam *invitus*, adhuc irregularis dici debet, ex Can. 13. dist. 55. quia membro privatus est. Sed si utrumque habens oculum, unius solum visu privatus sit, non ideo irregularis erit, etiamsi oculus, cujus visu caret, sit oculus sinister, qui etiam oculus Canonis dicitur: modo tamen ea sit oculi dextri vis, ut absque indecenti conversione Canon legi possit; tunc enim cessat ratio irregularitatis, cum nec desit membrum, nec adsit deformitas.

VI. abstemii, seu qui vinum bibere non possunt, aut retinere, quin evomant, non tam irregulares sunt, quam jure naturali Presbyteratus incapaces. Neque in hoc dispensare potest Papa, juxta communem Doctorum sententiam; quia facere non potest, ut Missæ Sacrificium sola panis, & non vini consecratione peragatur.

Propter nimiam deformitatem, & quæ ex ea consequuntur, horrorem, & scandalum, irregulares sunt tum ii, qui certam corporis, membrorumve, & faciei præsertim conformationem habent, quæ populos notabiliter offendit; tum ii, qui laborant morbis quibusdam, qui eumdem pariunt effectum: unde irregulares censendi sunt: I. qui habent os turpiter distortum; labia cortosa, aut abscissa, adeo ut vix dentes operiant; dentes extra os prominentes, qui tamen si resicari possint, cessabit una cum deformitate irregularitas.

II. qui notabilem habent maculam in oculo ex cap. 2. *De corp. vitiat.* quamvis oculus sit integer, & bene perspiciat. Item strabones, seu qui oculos distortos habent; aut ita lippos, ut putridum quid, & acre distillent, quod ab adstantibus absque subtili inspectione percipi possit. Qui brevem habent visum, aut sine conspicillis non vident, irregulares non sunt; sicut nec ii, qui oculum unum habent altero grandiorem, nisi notabilis sit excessus, & sic notabilis deformitas.

III. qui naso carent; qui autem nasum solito grandiorem, aut breviorem gerunt, Episcopi arbitrio, atque pro modo deformitatis, irregulares vel non judicabuntur.

IV. qui carent auriculis, id est, externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, irregulares sunt, nisi vitium hoc capillorum velamine celare possint: sed æquum est, ut in casibus hujusmodi consulatur Episcopus, cujus est de hisce defectibus arbitrari.

V. qui ventrem gerunt præturgidum, vel ita gibbosi sunt, ut vix erigere se, & recto capite stare possint: secus si deformitas, quæ ex eo corporis situ procedit, notabiliter oculos non offendat.

VI. monstruosi, quales sunt, qui duo capita habent, quatuorve manus, aut faciem adeo fœdam, ut horrorem, vel risum intuentibus facile procreent. Qui vero sex digitos habent non judicantur irregulares, nisi digitus superfluus aliorum usum impediat, ut contingere potest, cum pollex, & index per modum unius sub ungue communi existunt; tunc enim hostia difficile contrectari solet.

VII. qui carent altero pede, aut qui absque baculi auxilio functiones altaris exequi nequeunt, c. 57. dist. 1. *De consecrat.* Idem dicendum videtur de eo, qui licet vero pede non careat, indiget tamen pede ligneo; hoc enim magnam habet indecentiam.

Quæres, an privatio membri occulti, quæ nec periculum in celebrando, nec horrorem inducit, irregularitatem inducat: membrum hic late sumo, prout etiam partem significat. R. non inducere per se; sed tunc solum, cum quis, vel sibi membrum hoc culpabiliter resecavit, vel sua culpa meruit illud ab aliis resecari: atque hinc nonnulli solvuntur casus: I. itaque qui *abscidit semetipsum*, seu *sibi virilia amputavit*, irregularis est, c. 4. dist. 55., & hoc procedit, etiamsi quis se absciderit causa castitatis, & existimans se obsequium præstare Deo, c. 5. ibid. A fortiori irregulares sunt, qui se abscindunt, vel permittunt ab iis abscindi ad conservandam vocem: Ratio est, quia vix ullus est, qui invincibiliter ignorare possit Deum hac abscissione graviter offendi. Adde virilium resecationem, nedum medium sit ad castitatem, majoribus carnis stimulis exponere.

II. *qui a Medicis propter languorem desectus est, aut a barbaris excisus*, si *alias dignissimus invenitur*, *ad Clerum* admitti potest, ( *Can. 7. ibid.* ) Qui vero *semetipsum* ob morbum aliquem, v. g. *propter epilepsiam curandam eunuchizavit*, *secundum rigorem Canonum*, *nec ad altiorem gradum promoveri* ( *Coll. And. p.* 104. ), *nec in eo*, *in quo erat Ordine ministrare* potest, ex Yvone Carnot. Epist. 231., *quod ei non interdiceretur*, *si esset sectus a medicis*.

III. & is quoque irregularis est, cui in pœnam delicti, sive Judicis mandato, sive a marito adulteræ abscissa sunt virilia.

Quæres II. an eadem sit ratio defectuum corporis, qui Ordines, & beneficia præcedunt, ac eorum, qui subsequuntur. ( *Vid. Gibert p.* 243. ) R. negat., sed differunt tripliciter: I. quia defectus, qui præcedunt Ordines, ab omni Ordine excludunt; qui vero Ordinum receptionem sequuntur, ab eorum duntaxat functionibus removent, quos ii defectus exerceri non sinunt. II. defectus, qui tonsuram præcedunt, ab omni Beneficio excludunt; qui vero tonsuram superveniunt, ab iis solum arcent Beneficiis, quorum hominem reddunt incapacem. III. defectus, qui promotionem ad Beneficia antecedunt, impediunt, ne eadem Beneficia sine dispensatione conferri possint homini, qui iisdem ut decet defungi nequit; defectus e contra, quibus Beneficiarium affligi contingit, haud permittunt eum suo privari Beneficio, quia *afflicto non est addenda afflictio*, *sed miseriæ miserandum*, ex c. 5. *De Cleric. ægrot.*

Quæres III. cujus sit judicare, an ordinandi ex defectu corporis irregulares sint. R. in dubio standum esse judicio Episcopi eorum, qui ad Ordines promoveri exoptant, ut patet tum ex c. 2. *De corp. vitiat.* tum ex unanimi Doctorum consensu: unde colliges Prælatos Religionum non posse per semetipsos dijudicare, an subditi sui corpore vitiati, irregulares sint, necne; quia privilegium hoc nullo jure

iis

sis concessum est. Si Episcopus diœcesano suo, quem ex corporis vitio irregularem esse non judicavit, dimissorias literas concesserit, eæque ad aliquem dirigantur, cui idem defectus irregularitatem inducere videatur, poterit is, imo & tenebitur ab eo ordinando abstinere.

Irregularitas ex defectu corporis cessat: I. per cessationem defectus, ut si curetur morbus, quo quis irregularis efficiebatur. II. per dispensationem; & hæc Papæ reservata est, non quidem jure communi, sed ex usu constanti tum eorum, qui dispensatione indigent, quique ad Curiam Romanam recurrere consueverunt, tum ipsius Curiæ Romanæ, quæ dispensationem hanc tanta cum cautione concedit, ut ejus executionem ipsi, & soli locorum Episcopo committat.

Possunt tamen Episcopi dispensare cum eo, qui *credens se obsequium præstare Deo, fecit sibi virilia amputari* (*C. 2. De corp. vitiat.*), vel amputavit ipse; aut qui voluntarie aliquam corporis partem sibi abscidit, vel ab aliis abscindi culpa sua promeruit. Eæ enim irregularitates non sunt ex puro defectu, sed ex delicto. Porro licitum est *Episcopis in irregularitatibus omnibus.... ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare*. (*Trid. sess. 2. c. 6. De refor.*)

## CAPUT QUARTUM.

### *De Irregularitate ex defectu ætatis.*

JUxta præsentem, quæ jam diu viget disciplinam, *nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum* promoveri potest. Ita Trid. sess. 23. c. 12., cujus praxis Articulo 29. Edicti Blesensis comprobata est. In his porro materiis annus inceptus habetur pro completo.

Quod pertinet ad Ordines minores, *Congregatio Concilii respondit* die 20. Maii an. 1592. *nullam esse a Tridentino Concilio præstitutam ætatem tonsuræ, & quatuor minoribus Ordinibus, sed eam attendendam, quæ a sacris Canonibus præscribitur*. Sed quia variant ea de re Canones, melius sentiunt, qui docent minus esse periculi in differendis, quam in concedendis præmature tonsura, & minoribus; & hæc videtur esse mens Concilii Trid. Vult enim S. Synodus, ut *prima tonsura ii solum initientur.... de quibus probabilis conjectura sit, eos... ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse* (*Sess. 23. c. 4.*); vult insuper, ut *nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante 14. annum Beneficium possit obtinere*: atqui vix unquam pueri septennes, nugis ludoque potius, quam Deo devoti, probabilem conjecturam, nostro præsertim ævo, injicere possunt, se solo Deum fideliter colendi intuitu, statum Clericalem amplecti. Adde, quod ubi quis tonsura initiatus est, eo ipso in Gallia capax fit Beneficii; ergo Episcopi, qui Tridentini Concilii mentem sequi volunt, tonsuram, nisi graves urgeant causæ, & insolitæ tonsurandi dispositiones, ante annos 14. conferre non debent. Minores Ordines ante 18. ætatis annum multis Diœcesibus non conferuntur, eique consuetudini, ubi viget, tenaciter adhærendum est.

Jus commune, & Gallicum non semper conveniunt in assignanda ætate ad Beneficiorum possessionem necessaria, quod ut probetur, satis erit ætatem ad singulas Beneficiorum species utroque jure requisitam exhibere.

I. Ad Episcopatum jure communi requiritur, ut promovendus *jam trigesimum ætatis annum exegerit*, cap. *In cunctis 7. de elect.* Jure Gallico *Rex Franciæ unum gravem magistrum in 27. ætatis suæ anno constitutum nominare* potest (*Concord. tit. 6. §. 1.*); unde cum in 27. ætatis anno constitutus sit, qui annum 27. inchoavit, merito judicant plerique e nostris, ad Episcopatum sufficere annos 26., & diem, ut ajunt.

II. Jure communi Beneficia quæcunque curam animarum annexam habentia, seu sint Parochialia, seu Dignitates sint, aut Personatus, puta Decanatus, Archidiaconatus, Abbatiæ, Prioratus Conventuales, iis solum conferri possunt, qui *jam 25. annum ætatis attigerint*, ex citato c. *In cunctis*. Excipiuntur ab hac lege: I. Pœnitentiariæ, quæ annos 40. exigunt, in quo tamen dispensat Episcopus (*Trid. Sess. 24. c. 8.*). II. Abbatiæ, & Prioratus Monialium, ad quorum possessionem eæ solum eligi possunt, quæ vel annis 40. minores non sint, vel saltem annum trigesimum excesserint (*Ibid. Sess. 25. c. 7. de. Reg.*).

*Ad Dignitates* autem, *vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest*, sufficit ex Trid. Sess. 24. cap. 12. ut qui eliguntur 22. *annis minores* non sint: circa quem textum S. Congregatio declaravit: I. eum esse intelligendum de anno vigesimo secundo completo. II. eum extendi debere etiam ad Dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, tametsi iis Dignitatibus nulla animarum cura annexa sit.

Longe aliud erat de Gallico jure, prout continetur in Concordato. Verum natos hinc abusus peremit Declaratio Regia data Versaliis die 13. Januarii an. 1742. & a Parisiensi Senatu verificata die 26. ejusdem mensis, ubi sic: *Voulons que nul Ecclésiastique ne puisse être pourvu dorénavant d'une Cure, ou autre Benefice à charge d'ames, soit sur la présentation des Patrons, soit en vertu de ses degrés, soit à quelqu'autre titre, & par quelque Collateur que ce soit, s'il n'est actuellement constitué dans l'Ordre de Prêtrise, & s'il n'a atteint l'age de vingt cinq ans accomplis, &c.*

Quod ad alia Beneficia, quæ curam animarum non habent, sed tamen de jure Sacerdotium, Diaconatum, aut Subdiaconatum exigunt, etiamnum, ut olim, sufficere puto, ut provisus in tali ætate sit constitutus, ut infra annum ad Ordines requisitos promoveri valeat, & ita statuit Sacra Congregatio. Aliud erit si Beneficium ex ipso fundationis titulo aliquem ex sacris Ordinibus requirat; tunc enim ei solum conferri potest, qui jam Ordines illos susceperit; alioqui in

Galliis irrita est collatio, etiam post dispensationem Papæ.

Circa Dignitates, & Personatus, quibus nulla animarum cura incumbit, nihil præscribit jus Gallicum, quod juri communi adversetur: unde ad præfatas Dignitates, & Personatus sufficit, ut quis annum 22. inchoaverit, juxta vulgare effatum, *Annus inceptus habetur pro completo*.

Circa ætatem ad Canonicatus, & Præbendas, sequimur communiter in Gallia regulam 17. Cancellariæ Romanæ, quæ exigit annos 14. completos ad Canonicatus Cathedralium, & decem itidem completus ad Canonicatus Collegiatarum. Dixi *communiter*, quia in majori Consilio sufficiunt anni decem ad Canonicatus Cathedralium. In regionibus subactis, seu, ut ajunt, conquisitis, Cathedralium Canonicatus annos 21. & diem; Collegiatarum vero, annus 13., & unam quoque diem prærequirunt.

Ad Beneficia simplicia requiruntur a Tridentino anni 14. Verum sancta hæc dispositio non ubique viget in Galliis: unde absolute loquendo, sufficit apud nus septennium, quod an completum esse debeat, necne, inter Jurisperitos nostros controvertitur. Prioratus simplices, qui etiam Prioratus *simplicis tonsuræ* nominantur (*Pastor ibid. Gohard p.* 252.), si in Commendam conferantur, exigunt annos 14. completos, juxta Jurisprudentiam Senatus Parisiensis: septem vero tantum annos, juxta stylum majoris Consilii; unde vitandæ litis gratia melius sibi consulunt impuberes, qui ætatis dispensationem a Papa postulant (*Ibid. p.* 254.).

Ad pensiones Ecclesiasticas sufficit eadem ætas, quæ ad tonsuram.

Quæres I. unde computetur ætas ad Beneficia, vel Ordines requisita. R. eam non computari a tempore conceptionis, vel Baptismi, sed a puncto nativitatis, prout resolvit Sacra Congregatio.

Quæres II. an in supputanda ætate Ordinandorum, eorumve, qui Religionem aliquam profiteri debent, enumerandus sit dies bissextus. R. affirmat. I. quia annus computari debet juxta ritum, & consuetudinem Ecclesiæ; ergo cum Ecclesia plures in anno dies numerat, plures quoque nos debemus numerare; præsertim cum dies bissextus optime quibusdam in annis superaddatur, propter horas, quæ singulis annis superfunt ultra 365. dies, quibus constant anni communes. II. quia si dies bissextus anni, in quo quis ordinari debet, non deberet computari, neque etiam computandi essent dies alii bissexti, qui per totam ejus vitam occurrerunt, sed habendi per accidens, id autem absurdum est: alias posset quis natus die prima Junii, ordinari post annos viginti quatuor, die 25. Maii, extractis scilicet a computatione, diebus sex bissextis, qui annorum 24. spatio concurrerunt. Imo censet Fagnan computari debere has circiter horas sex, ex quibus quarto quoque anno conficitur annus bissextilis: & vero cur eæ horæ minus numerandæ sint, cum singulis annis fluunt, quam cum quarto quoque anno diem integram constituunt? Sit jam

CONCLUSIO I. Defectus ætatis irregularitatem inducit quoad Ordines, & quoad Beneficia.

Prob. 1. pars: I. ex pluribus decretis, quæ habentur dist. 77., ubi qui needum præscriptam ætatem attigerunt, ordinari prohibentur. II. ex Clementina ult. *De ætate*, &c., ubi qui certam ætatem habent, ordinandi dicuntur, nisi aliud obstet impedimentum canonicum; ergo supponit Pontifex defectum ætatis esse canonicum impedimentum. III. ex communi Doctorum consensu. IV. quia si certa quædam ætas ad munia secularia requiritur, quanto magis eadem necessaria erit, ut canonice recipiantur Ordines, qui plus consilii, & maturitatis exigunt, quam mundanæ dignitates.

Quia vero qui sacris ante legitimam ætatem initiantur, sunt etiam ab eorumdem Ordinum usu suspensi, hinc si suspensionem violent, Ordinis recepti functiones exercendo, novam irregularitatem incurrunt, a qua nisi dispensentur, celebrare non possunt, etiamsi ætatem requisitam jam attigerint; quia ætas superveniens nec suspensionem, nec suspensionis effectus tollere potest. Si vero non celebraverunt, possunt, post obtentam tum suspensionis, quam incurrerunt, absolutionem, tum ætatem legitimam, functiones Ordinis sui exercere; quia cessavit eorum irregularitas per ætatis complementum. Quod si quis bona fide existimans se ætatem canonicam habere, Sacris initietur, suspensionem non incurret, adeoque obtenta ætate, celebrare poterit absque ullo ad Superiorem recursu.

Prob. 2. pars tum ex cap. 14. *De elect.* in 6., ubi collatio Paruchialis Ecclesiæ homini legitimam ætatem non adepto, *viribus omnino carere* dicitur; tum ex aliis Canonibus supra relatis, qui cum certam ætatem postulant ad Beneficia, ita semper in foro civili, & ecclesiastico intellecti sunt, ut collatio aliter facta, pleno jure irrita sit.

CONCLUSIO II. In defectu ætatis solus Papa dispensat, neque omnis ejus dispensatio valet in Gallia.

Prob. 1. pars tum ex cap. final. *De temporib. ordinat.* in 6. (*Id. ibid.*), tum quia is solus dispensat ab irregularitate, qui eam posuit, nisi extet privilegium: atqui nullum extat privilegium, quo liceat Episcopo eum Diœcesanis, aut Prælato cum Religiosis suis quoad ætatem dispensare: quod enim Regularibus a Pio V. concessum erat, hoc a Gregorio XIII. abrogatum est per Bullam, in qua statuit, ut Tridentini Concilii Decreta observentur, etiam in iis, quæ spectant ad Regulares.

Prob. 2. pars, quia ex constanti Galliæ usu non potest Papa dispensare in defectu ætatis ad effectum possidendi Beneficii, quod ætatem hanc ex ipsa fundatione postulat (*Hericourt* 2. *p.* 12. *n.* 12.), quod præsertim verum est in Beneficiis, quæ Laicos pro fundatoribus habent.

Quæres, an irregularitas ex defectu ætatis non possit contrahi per nimiam, & decrepitam ætatem. R. negat. nullibi enim Canones præfixerunt terminum, ultra quem illicita sit Ordinum susceptio; & merito, cum ætas quo maturior est, eo sit Ordinum gravitati accommodata magis. Si tamen talis sit senectus, ut in morbum declinet, eive æquivalcat, ita

ita ut obstet, ne sacræ functiones eo, quo par est, modo exerceri possint, tunc instar morbi perpetui pariet irregularitatem; vel si mavis, incapacitatem quandam, in qua, ut pote quæ juris naturalis esse possit, ne ipse quidem Papa dispensare queat. Ita Suares ibidem num. 5.

## CAPUT QUINTUM.

*De Irregularitate ex defectu libertatis.*

DEfectum libertatis relative ad Ordines habent tum servi, tum curiales, tum ad reddenda ratiocinia obligati, tum conjugati.

De servis stricte, & proprie dictis, qui etiam mancipia dicuntur, gallice *Esclaves*, hæc præcipiuntur jure communi ( *Dist.* 54. *c.* 1. ): I. *Nullus Episcoporum servum alterius ad Clericatus officium promovere* debet. Ratio est, tum quia servus domini obsequiis mancipatus, ad divina ministeria, sicut Clericum decet, expeditus esse nequit ( *Ibid. c.* 6. ); tum quia *vilis persona manens, Sacerdotii dignitate fungi non potest* ( *Ibid.* c. 1. ).

II. si tamen domini *petitio*, *aut voluntas accesserit*, servus ordinari potest ( *Ibidem c.* 20. ): imo *si servus sciente, & non contradicente domino, in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso .... liber, & ingenuus erit*, liber, inquam, a temporalibus officiis, non autem a spiritualibus, c. 4. *De servis non ordin.* Sed hæc fusius non prosequor, quia servitus in Gallia locum nun habet ( *Consuetud. Meld. art.* 79. *Nivern. art.* 17. ); quanquam certis in locis extant homines gallice dicti, *Serfs de main morte*, qui ad Ordines promoveri non debent, nisi vel dominus consenserit, vel si dissentiat, illatum ei damnum compensent.

Irregulares quoque erant jure antiquo Curiales, seu Magistratus, qui populi, cujus obsequio una cum familia sua, bonisque suis mancipati erant; quasi servi esse videbantur. In Gallia Curiales, & Officiales Regii ordinantur, retentis etiam officiis, si ea cum muneribus Ecclesiasticis sint compatibilia.

Eodem jure communi a statu Clericali excluduntur alieni boni administratores, quales sunt *Procuratores* ad lites; *Actores*, seu aliena negotia agentes; *Executores*, *seu Curatores* adultorum, vel *pupillorum*, iique omnes non nisi *post deposita onera*, & *reddita ratiocinia*, ad Ordines assumi possunt ex tit. *De oblig. ad ratiocinia*. Ratio hujus prohibitionis est, tum quia hujusmodi Officiales in reddendis rationibus, doli redargui, magnisque litibus vexari possent, quod in damnum, & infamiam Ecclesiæ redundaret; tum quia ii nequidem ad publicos honores, & munia idonei sunt, l. 6. ff. *De munerib.*

Ab hac lege excipiuntur: I. administratores bonorum Ecclesiæ, vel cujuslibet alterius causæ piæ, seu publicæ, seu privatæ. II. defensores miserorum, quibus cum opem suam negare non debeat Ecclesia nec eos, qui eam impendunt, ab Ordinibus removere debet. III. qui legitimam propinquorum agnatorum tutelam susceperunt, &c.

An autem hæc irregularitas in Gallia vigeat, ne ipsi quidem Galli consentiunt inter se. Censeo vel nullam hic esse irregularitatem, vel si qua supersit, ab Episcopo relaxari posse: unde qui ad Ordines promoveri optant, si alienæ rei administratione, & ratione onerati sint, statum suum aperire debent Episcopo, qui hujusmodi hominibus manus cito imponere non debet.

Circa conjugatos, qui suo modo servi sunt, quia corporis sui potestatem non habent, hæc tenenda: I. conjugati sunt irregulares, & ne ad tonsuram quidem admitti possunt, c. ult. *De temp. ordin.* in 6. II. iidem consequenter inhabiles sunt ad Beneficia, cum nequidem ea retinere possint, quibus ante conjugium donati fuerant, sed iis ipso facto priventur. III. cum conjugatis dispensari nequit, ut ordinentur, aut Religionem ingrediantur, invita uxore ( *Pastor l.* 3. *c.* 3. ); nisi vir legitimam habeat divortii causam, v. g. ob uxoris adulterium. IV. non potest conjugatus ad minores etiam Ordines promoveri, *nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus* c. 5. *De convers. conjugat.*

An autem sufficiat, ut uxor continentiæ votum emittat in seculo, an non vero Religionem profiteri debeat, distinguendum est ( *Cap.* 4. *de convers. conjugat.* ). Vel enim *ita uxor senex est*, *& sterilis*, seu extra periculum incontinentiæ posita, *quod sine suspicione possit esse in seculo, & tunc dissimulare* potest Episcopus, *ut ea in seculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem*, vel, ut satis communiter a quadam paritate rationis inferunt Interpretes, ad statum Clericalem *transeat vir ipsius*: vel hæc mulier juvenis est, & tunc non ante ordinari debet vir ejus, quam ipsa Religionem professa fuerit, ex Can. 6. dist. 77. Et vero exigunt alii Canones ( *Cap.* 4. 8. 13. *ibid.* ); ut juvenis uxor illius, qui Religionem ingredi exoptat, & ipsa Religionem ingrediatur; ergo & id magis exigendum est, cum quis ita ordinari vult, ut in seculo manere debeat: majus enim subesset periculum incontinentiæ, quia Clericus secularis uxorem facilius invisere potest, quam Regularis.

## CAPUT SEXTUM.

*De Irregularitate ex defectu famæ.*

INfamia opponitur famæ; unde cum fama sit bona existimatio, quæ publice habetur de alicujus excellentia, consequens est infamiam nihil aliud esse, quam publicam diminutionem, seu amissionem boni nominis, & rectæ existimationis. Duplex porro distingui solet infamia, juris scilicet, & facti.

Infamia juris contrahitur: I. per commissionem criminis, cujus executioni infamia jure civili, vel canonico annexa est. II. per sententiam Judicis. III. per exercitium officii, vel professionis licitæ, vel illicitæ, quam qui exercent in jure reputantur infames.

Infames

Infames sunt ob crimen: I. *homicidæ*, *malefici*, *fures*, *sacrilegi*, *raptores*, *adulteri*, *incesti*, *venefici*, *criminosi*, *perjuri*, *qui raptum fecerunt*, *vel falsum testimonium dixerunt*, *seu ad sortilegos*, *divinosque concurrerunt*, belli desertores, & alii, quos videre est cap. 9. III. q. 5. & c. 17. VI. q. I.

II. in duello pugnantes, adjuvantes, spectantes, Trid. sess. 25. c. 19. de reform. Item hæretici, schismatici, simoniaci, sodomitæ, lenones, rei læsæ majestatis, usurarii, famosum libellum facientes, consentientes, & invenientes, si non frangant, & alii, qui jure civili infames sunt: *nam infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant* (Can. 2. V. q. I.); quod tamen aliquam patitur exceptionem, ut notat Gratianus in c. 7. II. q. 3.

III. neque ii solum jure infames sunt, qui crimen admisere, sed & aliquando eorum filii, quia parentum scelus nonnunquam adeo enorme est, ut in filios redundet. Hinc infames sunt tum filii eorum, qui de crimine læsæ majestatis damnati sunt, c. 22. VI. q. I.; tum qui ex muliere palam meretrice, tametsi conjugata nati sunt.

Infames sunt per sententiam Judicis: I. qui, etiamsi non damnentur ob crimina, quæ in jure infamiam important, damnantur tamen ad pœnam infamantem, v. g. ad triremes, vel ad exilium, etiam ad tempus; item qui e certo districtu, vel loco relegantur, (quanquam eæ literæ, quæ vulgo dicuntur *de cachet*, per se non infamant;) qui officii sui exercitio interdicuntur; qui cæsi sunt fustibus, notati stigmate *de la fleur-de lis*, ferreo collari ad palum adstricti, *mis au carcan*; * ignominiose traducti, *obligés à faire amande honorable*, reprehensi a Judice, *blâmés*, secus si solum admoniti sint; item qui mulcta pecuniaria in materia criminali mulctati sunt; secus si solum in eadem materia propter aliquod peccatum damnentur ad eleemosynam.

II. qui a Judice sententia definitiva, (interlocutoria enim ad infamiam non sufficit) declarantur rei criminis, cui annexa est de jure infamia, etiamsi ad pœnam infamantem non condemnentur (*Vid. tit. De his, qui notantur infamia, ff.*). Imo in Gallia corporis comprehensio decreta sufficit ad infamiam juridicam; unde Senatus Parisiensis die Augusti 18. an. 1688. judicavit collationem Beneficii factam homini, cujus corporis decreta erat comprehensio, invalidam esse (*Gibert. p.* 759. 761.).

Infames sunt ob exercitium professionis: I. comœdi, mimi, histriones, & quisquis *artis ludicræ, pronuntiandive causa in scenam prodierit, sive in publico, privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causa admittantur*, l. I., & 2. ff. *De his, qui notantur infamia*; & cap. I. XV. q. I. II. qui *macellariorum, aut tabernariorum officium publice, & personaliter* exercent, & ab eo desistere nolunt (*Gibert. p.* 738.): colligitur ex Clementina I. *De vita, & honest. Cleric.* Non loquor de tortoribus, quos infames esse constat, & qui insuper ex lenitatis defectu ab Ordinibus arcentur.

Infamia facti ea est, quam quis contrahit ex commissione delicti, quod infame censetur apud graves viros, etsi crimen illud non sit ex eis, quæ in jure reputantur infamia (*Garcias 7. p. c.* 8.). Dixi, *apud graves viros*; quia personæ leves, & quæ facile moventur, non sufficiunt ad infamiam, etiamsi plures sint.

* numellis publicis versati, *mis au pilori*.

Alii aliter definiunt infamiam tum juris, tum facti. Infamia juris, inquiunt, ea est, quæ contrahitur seu per sententiam Judicis declaratoriam, aut definitivam, seu per juridicam rei confessionem, prout supra dixi. Infamia vero facti ea est, quæ contrahitur ipso facto, & ante quamlibet sententiam; & hæc duplex est, legalis alia, alia popularis. Infamia legalis facti ea est, quæ oritur ex solo facto, sed cui annexa est infamia; unde infamia hæc non incurritur, nisi per exercitium professionis, aut commissionem criminis, cui annexa est a legibus infamiæ nota. Infamia popularis ea est, quæ incurritur ob crimen, quod licet infamia non notetur in jure, tale tamen est, ut ex prudentum, & bonorum æstimatione, boni nominis amissionem pariat. Juxta hanc distinctionem, quæ clarior, & strictior videtur, loquemur in decursu Capitis. Itaque sit.

CONCLUSIO I. Infamia saltem aliqua parit irregularitatem.

Prob. I. ex c. 27. VI. q. I. *Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia ...... hi omnes ad sacros gradus provehi non debent*; II. ex regula 87. in 6. *Infamibus portæ non pateant Dignitatum*: porro Ordo Clericalis est Dignitas. Et vero cum de constituendis Diaconis cogitaverunt Apostoli, id primum consideravere, ut eligerentur viri *boni testimonii*, Act. 6., & Paulus id præsertim in Episcopo requirit, ut *testimonium habeat bonum ab iis* etiam, *qui foris sunt*. I. Timot. 3.

CONCLUSIO II. Nullum crimen, quantumlibet grave, & enorme, infamiam, & irregularitatem inducit, quandiu manet occultum, exceptis paucis.

Prob. I. ex cap. 4. *De tempor. ordinat.*, ubi Alexander III. consultus de Clerico, qui tam graviter deliquerat, ut *si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab Ordine, quem suscepit*, mandat Episcopo, ut ei condignam pœnitentiam imponat, & suadeat, ut *parte pœnitentiæ peracta, Ordine suscepto utatur, eoque contentus existens, ad superiores non ascendat. Verumtamen*, ait Alexander, *quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere*.

Prob. II. quia infamia in sua definitione involvit notitiam publicam: atqui ubi crimen occultum est, implicat repetiti notitiam publicam; ergo & implicat crimen occultum inducere infamiam.

Dixi *paucis exceptis*; quædam enim sunt crimina, quæ ex dispositione juris per se, & ratione sui, sine notorietate, & per consequens sine infamia formali irregularitatem inducunt. Tale est homicidium voluntarium, & alia, de quibus infra loquemur, ubi de irregularitatibus ex delicto.

Quæres, an nefandum sodomiæ crimen ex iis sit, quæ, licet occulta, irregularitatem inducunt. R. neg., quia id nullibi expressum est in antiquo jure: Bulla autem 72. Pii V., quæ *omnes, & quoscunque Clericos*,

secu-

*feculares*, *& regulares cujuſcunque gradus*, *& dignitatis tam dirum nefas exercentes omni privilegio Clericali*, *omnique Officio*, *Dignitate*, *& Beneficio* privat, in Galliis promulgata non eſt, vel ſolum ſpectat ad forum exterius. Docet tamen Pontas eos, qui in hoc ſcelus prolapſi ſunt, etiamſi pœnitentiam egerint ab accipiendis Ordinibus abſtinere debere; quia is eſt Eccleſiæ ſpiritus, ut qui tam fœde prolapſi ſunt, a ſacris altaribus in perpetuum recedant. Hæc tamen temperanda puto, ſi urgeat neceſſitas, & eximia promovendorum emendatio.

CONCLUSIO III. Probabile eſt infames infamia juris, & facti legalis, vere eſſe irregulares.

Prob. I. quia jura, quæ infames irregularitate plectunt, exigunt ſolum, ut eorum crimina, vel *ordine judiciario comprobata* fuerint, *vel* alio modo ſint *notoria*; ergo nihil amplius exigere poſſumus.

Prob. II. quia mimi, & alii id genus, ante Judicis ſententiam irregulares ſunt; ergo ſola facti publicitas ad inducendam ex infamia irregularitatem ſufficit. Non nego hiſce profeſſionibus annexam fuiſſe a jure infamiæ notam, ſicut hæc multis criminibus annexa eſt; ſed quæſtio eſt, an infamia hæc ſola facti notorietate, & ante proceſſum juridicum operetur: operatur autem indubie quoad eos, qui artem infamantem exercent; ergo & quoad alios.

Prob. III. quia ut infamia facti legalis irregularitatem pariat, duo ſufficiunt: I. ut Eccleſia poſſit eos, quorum publica eſt infamia, irregularitate plectere. II. ut id velit: atqui utrumque conſtat: I. enim tam poteſt Eccleſia criminibus legaliter, & publice infamantibus irregularitatem annectere, vi cujus ſic infamati Beneficiorum incapaces fiant, quam poſſit Communitas politica eoſdem infamet ab Officiis ſuis repellere: atqui id poteſt politica Communitas; ergo, & idem poteſt Eccleſia: præſertim cum poſſit ob crimina etiam occulta, v. g. ob homicidium ſecretum, irregularitatem imponere. II. vult Eccleſia, ut publice infamati irregulares ſint, cum, ut jam dixi, generatim, & indiſtincte decernat irregularitatem in eos, qui palam horumce criminum reos ſe conſtituerint.

Prob. IV. quia in Gallia, ut alibi, infames facto multis in punctis æquiparantur iis, qui ſunt juridice infames: unde neutra ſpecies efficaciter teſtatur in judicio, neutra ad Magiſtratus evehitur. Unde a fortiori colliges infames legaliter non minus irregulares eſſe, quam qui juridice infames ſunt.

Dixi *probabile eſt*; neque enim deſunt viri graves, qui ſentiant neminem in Gallia reputari infamem ex delicto, quantum ad inducendam irregularitatem ſufficit, niſi præceſſerit Judicis ſententia criminis declaratoria, aut modo infamanti condemnatoria, aut ſaltem decretum comprehenſionis corporis. Ratio opinionis hujus eſt, quod quantumcunque leges alicui crimini infamiam alligaverint, infamia hæc non contrahatur, niſi certo, & publice conſtet de commiſſione criminis: atqui, inquiunt, in Galliis, ubi in iis, quæ juris ſunt poſitivi, notorietas facti locum non habet, nihil certo, & publice conſtare poteſt, niſi per ſententiam Judicis; ergo. Quia tamen principium hoc, non ſecus, ac alia, exceptiones ſuas habet, ita ut in ipſa Gallia comœdi, & duelliſtæ ipſo facto Eccleſiaſtica ſepultura priventur, idcirco in re tanti momenti ad Epiſcopi judicium recurrendum eſſe puto. Imo Clerici publice concubinarii ſecluſa quacunque Judicis ſententia, aut reorum confeſſione, ſunt irregulares, & aliquando indiſpenſabiliter, ut patet ex tit. 13. Concordati.

Ceterum infamia popularis tollitur emendatione ſceleri proportionata, & publica. Ratio eſt, quia ex cap. diſt. 56. *Ad meliora converſum nequaquam prior vita commaculat*.

Dixi *emendatione*, non autem pœnitentia, quia pœnitentia ſolemnis, quæ deſcribitur cap. 64. diſt. 50. nedum ſolveret irregularitatem, eam inducebat e contra, & *ab infimis etiam officiis Clericorum* excludebat, ut patet ex cap. 55. 56. & 60. ead. diſt.

Dixi II. *proportionata*, *&c.* quæ nimirum prioris vitæ maculas in opinione hominum deterſerit, adeo ut deteriori famæ ſuccedat bona exiſtimatio ex contrariis virtutis operibus ſæpe, ac diu repetitis; diu inquam, quantum moraliter ſufficit, ut prudentum arbitrio homo vere converſus intelligatur; ad quod triennium requirunt Barboſa, Navarrus, &c.

II. Infamia per ſententiam contracta, prout irregularitatem inducit, non tollitur per emendationem, ſed per Eccleſiæ diſpenſationem. Ratio eſt, quia non magis emendatio ſufficit ad tollendam infamiam, quam ad tollendas alias pœnas, ab homine, vel a jure, impoſitas: atqui pœnitentia non ſufficit ad tollendas hujuſmodi pœnas, ut patet tum in cenſuris, tum in exilio, aliiſque pœnis, quæ a Curiis ſecularibus decernuntur; ergo neceſſaria eſt diſpenſatio. Hæc autem concedi poteſt: I. a Papa, quamvis indecens eſſet eum cum infami nondum bonum nomen publice adepto diſpenſare, niſi graviſſima urgeret cauſa, quæ vix fingi poteſt. II. ab Epiſcopis, ſed cum duplici limitatione: I. ut non diſpenſent in criminibus adulterio gravioribus. II. ut non diſpenſent, ut quis de novo ad Ordines, vel Beneficia promoveatur, ſed tantum ut acceptis uti poſſit. *Vid. interpretes in cap.* 4. De judiciis.

III. Infamia facti legalis ſola etiam diſpenſatione tollitur in opinione eorum, qui irregularitatem ei annexam cenſent: quia, inquiunt, hæc irregularitas eſt vera pœna juris; pœnæ autem juris tandiu durant, donec a juris auctore tollantur, ut patet in cenſuris.

Quæres, an infamis in uno loco, ſi in alium, ubi ignota eſt ejus infamia, tranſmigret, deſinat eſſe irregularis. R. infamia facti tollitur per mutationem loci: ſive autem tollatur per eamdem mutationem infamia juridica, ſive non, non tollitur irregularitas inde contracta.

Prob. 1. pars; quia qui alicubi ignotus eſt, ibidem infamis eſſe nequit, præſertim cum *tandiu debeat quiſque præſumi bonus*, *donec conſtet eum eſſe malum*.

Prob. 2. pars: I. quia irregularitas eſt impedimentum perſonale, & perpetuum, cum illimitate ponitur a jure: atqui impedimentum hujus generis perſonam ubique comitari debet, donec eadem tollatur aucto-

auctoritate, qua constitutum est. II. quia alioqui jus irregularitatem hanc decernens facile eluderetur.

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Irregularitate Bigamiæ.*

MOnogamiæ, quæ est conjunctio cum uxore unica (*Ad tit. 21. lib. 1. Decretal.*) opponitur bigamia, quæ est conjunctio cum duabus: unde stricte loquendo ii solum bigami dicendi essent, qui duo, vel plura matrimonia contraxere. Triplex tamen distinguitur bigamia, vera scilicet, seu realis, interpretativa, & similitudinaria.

Bigamia realis est, cum quis plures legitimas successive duxit, & cognovit uxores.

Interpretativa est, cum quis fictione juris censetur plures habuisse uxores, licet reipsa plures non habuerit: id autem contingit: I. cum quis ante uxoris suæ mortem buna, vel mala fide de novo contrahit cum alia, eamque carnaliter cognoscit.

II. cum quis duo contrahit matrimonia invalida, ut si duas ducat, quibuscum propter aliquod impedimentum dirimens contrahere non poterat, & cum ipsis copulam habeat. Quod addo, quia nulla unquam est bigamia vera, vel interpretativa, nisi ad copulam ventum sit: unde qui legitimo matrimonio accipit virginem, quam non cognoscit, eaque mortua ducit alteram, quam cognoscit, non est bigamus, sicut nec ille, qui duceret uxorem alterius, nec ab eo, nec ab alio cognitam; quia *nec ipse*, nec illa *carnem suam divisit in plures*, c. 5. *De bigamis &c.*

III. cum quis viduam alterius ab eo cognitam, vel puellam cum alio fornicatam ducit uxorem, & cognoscit, sive sciat eam corruptam fuisse, sive nesciat (*Supra ibid. n.* 190.): is enim, licet re ipsa bigamus non sit, bigamus tamen reputatur ab Ecclesia. Ratio est, quia matrimonium ejus non repræsentat perfecte spirituale matrimonium, seu conjunctionem Christi cum Ecclesia: unio enim Christi cum Ecclesia fuit viri, qui aliam non habuit sponsam, & sponsæ, quæ alium non habuit virum; ergo bigamus reputari debet, sive qui carnem propriam cum multis uxoribus divisit, sive qui duxit uxorem, quæ cum viris pluribus carnem divisit.

IV. & is quoque bigamus juris fictione censetur ob rationem mox tactam, qui unicam, & virginem duxit, sed eam post adulterium ab ipsa commissum carnaliter cognoscit; is enim jam incipit esse sponsus illius, quæ adulterando carnem suam divisit in plures.

Bigamia similitudinaria est, cum quis post emissum solemne castitatis votum contrahit matrimonium sive cum jam cognita ab alio, sive cum virgine, eamque cognoscit; is enim bigamus æstimatur, quasi qui duplex contraxerit matrimonium, aliud spirituale verum, aliud carnale, vulgo nefandum. Sit jam

CONCLUSIO. Bigami, quocunque ex assignatis modis tales sint, sunt irregulares.

Prob. I. de bigamia reali, ex Apostolo, qui I. ad Timoth. 3, & ad Titum 1. eos solum in Episcopos, Presbyteros, aut Diaconos eligi permittit, qui *unius* sint *uxoris Viri*: cum ergo qui ad superiores Ordines ascendere prohibentur, nequidem ad inferiores admitti possint, constat bigamos reales a toto Clericatu arceri debere, juxta id Innocentii I. *Ne is, qui secundam duxit uxorem, Clericus fiat* (*Epist. 2. ad Victric. c. 6.*).

Ratio, cur bigamia irregularitatem invehat, triplex. Prima: Ministri Ecclesiæ non a vitiis solum deterrere, sed ad perfectionem Fideles sibi commissos adhortari debent: *Quomodo autem potest hortator esse* virginitatis, aut ipsius *viduitatis*, quæ novarum nuptiarum statu longe perfectior est, *qui ipse conjugia frequentaverit*, ait S. Ambrosius (*c. 3. dist. 26.*). Secunda: Non debent suspecti esse incontinentiæ, qui *divinarum rerum servitio* sunt dedicati (*Gelas. Ep. 9.*): atqui incontinentiæ suspecti sunt, qui uxore prima minime contenti ad ulteriores nuptias convolant. Tertia, eaque universalior, est defectus Sacramenti: *Qui enim*, ait Augustinus lib. de bono conjugii c. 18., *excessit uxorum numerum singularem .... normam quandam Sacramenti amisit ..... ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam*; quia, ut jam dixi, non potest perfecte repræsentare matrimonium Christi cum Ecclesia, quod est unicæ cum uno, & unius cum unica, eaque incorrupta.

Prob. II. de bigamia interpretativa ex cap. 4. 5. & 7. *De bigamis*.

Prob. III. de bigamia similitudinaria ex c. 4. *de bigamis*, ubi vult Innocentius III., ut *cum Clericis, qui, quantum in ipsis fuit*, susceptis Ordinibus *secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non sint*. Ut quædam exponantur,

Quæres I. circa bigamiam realem, an ex bigamia irregularis sit, qui duas duxit uxores, alteram ante Baptismum, alteram post, vel utraque ante Baptismum. R. affirmat. I. quia ita sentiunt SS. Augustinus lib. de bono conjug. c. 18. Innocentius I. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. ult. S. Thomas, & alii complures (*Sayr. l. 6. c. 3. n. 23.*). II. quia irregularitas ex bigamia non est ex delicto, sed ex defectu significationis matrimonii: porro defectus ille significationis tam reperitur in eo, qui plures ante Baptismum uxores duxit, quam qui postea.

Quæres II. an, & quæ matrimonii consummatio requiratur ad bigamiam realem.

R. I. ex matrimonio, nisi consummatum sit, non exurgit bigamia realis; unde si sponsa post ratum matrimonium, nec consummatum Religionem profiteatur, sponsus, qui alteram ducet, non est bigamus. Idem est de eo, qui vel plures duceret uxores, & cum nulla, vel una tantum matrimonium consummaret, vel *alio viro ductam, sed minime cognitam* duceret (*C. 5. de bigam.*). Ratio est, quia *nec illa, nec ipse* in ullo ex propositis casibus *carnem suam divisit in plures*, cum caro nonnisi per copulam dividatur: porro ubi non est divisio carnis, non potest esse defectus Sacramenti.

R. II. matrimonium non consummari sola copula, nisi

nisi accedat feminis emissio, & quidem intra vas debitum. Ita vulgo Theologi.

Quæres III. circa bigamiam interpretativam, an bigamus sit, qui secundum matrimonium invalide contraxit defectu consensus, ac proinde non ex animo contrahendi, sed illusorie, & ad extorquendam copulam. R. affirm. I. quia Christianus, qui vivente prima uxore scienter secundas nuptias contrahit, fit irregularis, ut tenent *S. Thomas*, *& omnes*, ait Suaresius: atqui impossibile est, ut Christianus, qui vivente prima uxore secundas nuptias contrahit, sinceram habeat intentionem efficiendi matrimonium, eique intus, & ex animo consentiat; ergo. II. quia si vera matrimonium contrahendi intentio ad hancce bigamiam necessaria foret, Sacerdos, qui ex ignorantia secundas nuptias contraheret, fieret irregularis, non vero si scienter, & ex malitia: atqui absurdum est consequens.

Quæres IV. an conjugatus, vel Sacerdos, qui plures habet concubinas, fiant irregulares. Videtur, quod sic: si enim irregularis est, qui ducit uxorem a priore marito juste cognitam, a fortiori irregularis esse debet, qui ipsemet carnem suam divisit in plures, cum unicuique factum suum plus nocere debeat, quam factum alterius. R. tamen negat., & id quoad Sacerdotes decisum habetur cap. 6. *De bigam.* Quod spectat ad difficultatem propositam, dico: I. in his, quæ a jure positivo pendent, non esse a pari, nec a fortiori discurrendum. Objectio proposita ostendit quidem eum, qui cum pluribus fornicatus est, potuisse declarari irregularem, non probat vero eum de facto irregularem esse. Dico II. eo tempore, quo bigamiæ irregularitas instituta fuit, impudicitiæ scelus irregularitatem longe majorem invexisse, quam quæ per bigamiam incurrebatur: at temporum lapsu, rebus propter morum intemperantiam mutatis, abrogata est irregularitas ex impuritate (*Gibert. p.* 704.), ob quam plures e Clero arcendi fuissent; remanserunt vero res in eodem, ac erant, statu erga irregularitatem bigamiæ, quæ rarior est. Dico III. crimina impuritatis communiter occulta esse, bigamiam vero communiter esse publicam: unde facilius hujus, quam illorum irregularitas perseverare potuit.

Quæres VI. an bigamus fit, qui puellam non ab alio, sed a se ipso prius violatam ducit. R. negat. I. quia id nullibi expressum est in jure, cum textus, qui requirunt, ut quis virginem ducat, ne bigamus fit, sic facile intelligi possint, ut non debeat ducere ab alio corruptam. II. quia in hoc casu nec sponsus, nec sponsa carnem suam diviserunt in plures.

Quæres VII. an irregularitatem contrahat, qui ad uxorem adulteratam accedit, sed invitus, puta quia ad id coactus est per censuras. R. affirmat. cum enim hæc irregularitas non ex delicto, sed ex defectu proveniat, contrahi debet quoties dividitur caro, nec servatur significatio perfecta Sacramenti: atqui in proposito casu dividitur caro, &c. Hinc nec bona fides excusat a bigamia, nec ipsa, ut ita dicam, æquitas: quare qui carnaliter cognoscit uxorem suam, quæ, audita mariti morte, alteri bona fide nupserat, bigamus est, & irregularis. Hinc etiam irregularis est, qui accedit ad uxorem suam ab alio cognitam per vim, & dolum: quia quamvis mulier oppressa non sit adultera, non est tamen apta ad repræsentandam unionem Christi cum ea sponsa, quæ virum nunquam experta est.

Quæres VIII. circa bigamiam similitudinariam, an ut Religiosus, sic & Subdiaconus fiat irregularis, si matrimonium contrahere, & consummare attentet. R. affirm. I. quia ex c. 24. XXVII. q. I. *Quotquot virginitatem pollicitam prævaricati sunt, professione contemta, inter bigamos haberi* debent: atqui non Monachi solum sed & Clerici in Sacris, virginitatem polliciti sunt; ergo *inter bigamos haberi* debent, si ad nuptias transire ausint. II. quia vult Alexander III., ut Sacerdotes, qui nuptias sacrilege attentarunt, *post longam pœnitentiam ..... officio suo restitui* possint, *& ex indulgentia Episcopi, ejus executionem habere* (*Cap.* 4. *de Cler. conj.*); ergo supponit eos manere irregulares, donec peracta pœnitentia ab Episcopo dispensentur.

Quæres IX. an Laicus irregularis fit, si ducat Monialem professam. R. negat. jura enim decernunt quidem ut irregularis sit, qui post emissum castitatis solemne votum nuptias contrahit; at id non decernunt de eo, qui ab omni voto liber contrahit cum Moniali professa: porro non incurritur irregularitas, nisi in casibus jure expressis.

Quæres X. an irregularitas ex bigamia sit dispensabilis. R. esse, idque patet: I. ex pene unanimi Doctorum consensu. II. ex praxi antiqua: Lucius enim III. cum Episcopo Panormitano, qui bigamus erat, dispensavit: III. ideo irregularitas ex bigamia auferri non posset, quia instituta est ab Apostolo: atqui hæc ratio non valet, cum Constitutiones Apostolorum præcise ut tales non transcendant jus humanum, & Ecclesia in his, quæ ad jurisdictionem spectant, eamdem cum ipso Petro potestatem habeat.

Quæres XI. quis in bigamia dispensare possit.

R. I. Solus Papa in bigamia vera, & interpretativa, saltem quoad Ordines sacros dispensare potest. Ratio est, quia hæc potestas nullibi Episcopis conceditur in jure, imo iisdem expresse interdicitur c. 2. *De bigam.* ubi *Ordinatores privandi* dicuntur *potestate, & officio ordinandi*, si quempiam ex bigamis *ad sacros Ordines* promoverint. Ita Theologi, & Canonistæ.

R. II. Probabilius est eosdem bigamos, ne ad tonsuram quidem, & minores Ordines, ab Episcopis dispensari posse; nisi forte contrarium antiquo usu firmatum sit. Ratio est: I. quia Concilium Lugdunense II. Can. 16. (*Cap. unic. de bigam. in* 6.) declarat *bigamos omni privilegio Clericali nudatos, & ipsis sub anathemate* prohibet *deferre tonsuram, vel habitum Clericalem*; Tridentinum vero sess. 23. c. 17. de reform. vetat, ne bigami ad *Ordinum minorum munia* applicentur: sed qui jam acceptis Tonsura, & Minoribus, eorum ministeria exercere non possunt, multo minus ad ea possunt promoveri; ergo bigami ne ad tonsuram quidem dispensari possunt ab Episcopis, quia contra Conciliorum generalium statuta nihil valent. II. quia ita definitum est a S. Congregatione, & a Sixto V. apud Fagnan in c. *Quoniam*

*niam de Constit.* Atque hinc colligit Suates, Episcopos nequidem ad usum Minorum cum bigamis dispensare posse, quia id etiam nullo jure Episcopis concessum est, imo satis eisdem per citatos Canones interdictum.

Hæc assertio limitatur in casu necessitatis gravis, & cum ad Papam recurri non potest: quia Ecclesia tacite consentit, ut non reserventur leges, quæ sine gravi populorum damno servari non possunt.

R. III. Episcopus dispensare potest in bigamia similitudinaria, non solum ut qui eam contraxerunt, peracta pœnitentia suis Ordinibus utantur, sed etiam ut ad altiorem gradum promoveri possint. Ita habetur cap. 4. *De Clericis non conjug.*, & cap. 1. *Qui Clerici*, &c.

Excipe I. cum quis post emissum solemne castitatis votum, contrahit cum vidua, vel non virgine. II. cum contrahit quidem cum virgine, sed jam ante Ordinum susceptionem contraxerat cum alia, post cujus mortem Ordines susceperat. Ita omnes ex cap. 4., & 7. *De bigam.* Ratio est, quod in his casibus jungatur bigamia interpretativa similitudinariæ.

Hic duo notanda: I. Prælatos Regulares, spectato jure communi, & seclusis privilegiis, nihil aliud cum subditis suis posse, quam quod cum Diœcesanis suis possunt Episcopi; unde cum iis ne ad minores quidem Ordines dispensare possunt in bigamia vera, vel interpretativa; secus si agatur de similitudinaria. II. in petenda dispensatione explicandum esse quot quis contraxerit matrimonia: quia in supplicatione id exprimendum est, quod dispensationis assecutionem longe difficiliorem reddit. *Vidimus* autem, ait Corradus, *quandoque fuisse trigamo, nempe ei, qui cum virgine, & successive cum vidua contraxit, denegatam dispensationem: quidquid dicat Navarrus.*

## CAPUT OCTAVUM.

### *De Irregularitate ex defectu lenitatis.*

NEmo ambigit, quin generaliter loquendo irregularis sit omnis, & solus baptizatus, qui actu consummatu, & voluntarie hominem occidit, vel mutilat, aut ad homicidium, vel mutilationem proxime concurrit. Patet id ex Clementina unica *De homicid.* (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *a.* 2.). Et vero cum Ordines omnes referantur ad Eucharistiæ Sacramentum, in quo repræsentatur passio Christi, qui in toto vitæ decursu mitem se exhibuit, & qui instante tenebrarum hora eum pateretur, non comminabatur, evidens est, hominem justa etiam de causa homicidam a norma, & exemplo Christi deficere, ac proinde merito constitui irregularem.

Dixi I. *generatim loquendo*, propter quasdam exceptiones, de quibus in decursu.

Dixi II. *omnis, & solus baptizatus*; quia jura de eo solum loquuntur, qui *homicidii post baptismum conscius fuerit*, cap. 8. & 61. dist. 50.

Dixi III. *qui actu consummato*; lex enim factum requirit, cap. final. xv. q. 1. Hinc ab irregularitate immunes manent: I. qui solum conantur occidere, vel mutilare, sed id exequi non possunt. II. qui vulnerant, lacerant, sanguinem effundunt, nisi sequatur mors, aut abscissio membri, directe, vel indirecte, sive mors per miraculum, aut aliter impediatur.

Dixi IV. qui *voluntarie*; quia furiosus, infans, dormiens, ebrius, &c. si occidant, irregulares non fiunt ob rationis defectum. Excipitur dormiens, qui prævidet, se, cum v. g. interdiu iratus est, per noctem arma rapere, & iis obvios ferire; is enim, nisi arma sibimet subtrahat, irregularis fiet, etiam in somnis occidendo. Idem de ebrio dicendum.

Dixi V. *occidit, vel mutilat*; homicidium enim, & mutilatio quantum ad incurrendam irregularitatem æquiparantur in citata Clementina *De homicid.* quanquam irregularitas ex homicidio semper Papæ reservata est, non autem quæ est ex mutilatione. Ut intelligatur quid ad mutilationem sufficiat, vel non,

Quæres I. quid sit mutilatio. R. est membri truncatio, seu amputatio. Hinc irregularis non est qui membrum incidit, debilitat, aut aridum reddit: quia mutilatio significat separationem, abscissionem, aut diminutionem membri, non incisionem meram, aut percussionem. Unde rursus sequitur Judicem absque irregularitatis periculo condemnare, sive ad torturam, licet hæc debilitet membra, sive ad flagella.

Quæres II. quid intelligatur nomine membri.

Nota triplex esse partium genus: aliæ non pertinent nisi ad ornatum, ut barba, & mammæ in viris: aliæ non tantum pertinent ad integritatem individui, sed etiam proprium habent officium ab aliis partibus distinctum, ut oculi ad videndum: aliæ demum pertinent non solum ad ornatum corporis, sed & ad ejus integritatem; ita ut tamen non habeant operationem ab aliis distinctam, sed accessoriam, & conjunctam cum aliqua parte præcipua; tales sunt digiti, qui manibus; dentes, qui linguæ, & ori inserviunt. His positis,

R. Partes, quæ proprium, & distinctum ab aliis officium exercent, seu quæ sunt quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, eæ, inquam, solæ partes sunt veri nominis membra: ac proinde ex istarum, non item ex aliarum amputatione nascitur irregularitas. Ratio est: I. quia hæc membri acceptio Juri canonico satis consentanea est. Nam cap. 6. *De corpor. vitiat.* is, cui deest manus altera, dicitur simpliciter mutilatus; at vero c. 2. *De Clerico ægrot.* qui *duos digitos cum medietate palmæ* amisit, non dicitur membro truncatus, sed debilitatus, & deformis. II. quia in odiosis non est extendenda vocum significatio, sed stricte accipienda: ergo licet digiti, v. g. utcunque vocari possint membra, quia tamen rigorose membra non sunt, non debent intelligi membri nomine in materia irregularitatis, quæ, ut suo modo pœnalis, est odiosa. III. quia si membrum dici posset ea pars, quæ aliis partibus socia est, & adjutrix in earum officio, pars digiti, quæ certe manum in officio suo adjuvat, membrum dici

dici deberet ; ficque qui partem digiti amputaret, effet irregularis, quod ne ipfe quidem Cajetanos admittit.

Obj. Non minus qui pollicem, aut indicem abfcindunt alicui, irregulares effe debeot, qoam is, qui abfciffionem illam patitur ; imo magis, cum culpa fit in mutilante, non in motilato : atqui is, cui abfcinditur pollex, eft irregularis ; ergo & qui abfcindit ; ergo & pollex verum eft membrum.

R. neg. maj. irregularitas enim non incorritor, nifi in cafibos jure eapreffis : atqui expreffum eft in jure, ut qui certos habent defectus, etiam ex aliorum culpa, fint irregulates, non autem, ut qui horum defectoum caufa fint, & ipfi femper irregulares fint ; unde omnino falfum eft quod aliqui regulæ inftar affumunt, irregularem effe eum, per quem alter efficitur irregularis. Nam irregularis non eft qui manum alterius debilitavit, & tamen irregularis eft, cujus maous debilitata eft, & enervata. Neque etiam irregularis eft, qui potione alium in amentiam vertit, qui filium fpurium genuit, qui ad neceffariam vitæ fuæ defenfionem alium mutilavit ; tametfi amentes, & alii mox enumerati, irregulares efficiantur. A contrario poteft quis irregularis fieri ex actione, quæ alium irregularem non reddat, ut patet in eo, qui alii iojufte membrom virile refecat.

Ex his infero irregularem non fieri, qui alterius auriculam ampotat ; quia aoricula, feu cartilago, quæ eft circa aurem, non eft membrum, cum auditui neceffaria non fit. Aliud eft de eo, qui feminæ mamillam abfcindit ; quia mamilla quælibet in feminis officiom nutrieodi habet per fe diftinctum, ficut quilibet oculus officium habet videndi.

Dixi VI. qui *hominem* occidit, aut mutilat ; hinc irregularis eft, qui Paganum, vel Hæreticum, aut aliom quemlibet interficit, quia & ö homines funt. A contrario irregularis non eft : I. qui, inveoto cadavere inimici, cui mortem parabat, in ipfum ex rabie defævit, ejufqoe membra abfcindit. II. qui virum, aot mulierem fterilem reddit ; cum ne is quidem irregularis fit, qui fœtus nondum vivificati abortum procurat.

Dixi VII. *vel concurrit*, &c., five phyfice, ot carnifex, five folum moraliter ; idque vel pofitive, ut mandans, confulens, &c., vel negative, ut non obftans, qui ex officio obftare tenetur. Quæ ut ea parte in Capite præfenti folvantur, variæ hic proponendæ funt quæftiones circa quadruplex hominum genus, qui fine peccato, & aliquando meritorie alios necant, aut mutilant, quales funt : I. Judices, & quotquot morti reorum legitime cooperantur. II. militos, qui in bello jufto pugnant. III. Chirurgi, qui ut toti confulant, partem abfcindunt. IV. qui, ut vitam fervent, alienam invadunt. Ab ultimis exordium ducam.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *An Irregularis fit, qui occidit ad defenfionem vitæ, &c.*

CONCLUSIO. Qui ut vitam fuam ab injufto invafore tueatur, eumdem mutilat, vel occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis.

Prob. ex Clementina unica *De homicid.* obi fic. *Si furiofus, aut infans, feu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit ; & idem de illo cenfemus, qui mortem aliter vitare non valens, fuum occidit, vel mutilat invaforem.*

Si tamen, ut fæpe fit, dubitetur, an invafus intra moderatæ defenfionis limites fteterit, tunc ad majorem cautelam, tollendamque omnem fcandali, propriive fcrupuli occafionem, res tota Epifcopo aperiri debet, ut videat, an homicida indigeat difpenfatione ; prout præcipit Trident. Seff. 14. c. 7.

Dixi I. ut *vitam fuam* fervet ; quia Clemens de eo folum loquitur, *qui mortem aliter vitare non valens* occidit, vel mutilat : hac occafione

Quæres I. an irregularis fit, qui fua culpa conftituit fe in neceffitate vel occidendi, vel moriendi ; puta qoi in adulterio deprehenfus, maritom occidit, alioqui ab eo occidendus. R. eum, qui in tali neceffitate fe conftituit, aliquando effe irregularem, aliquando non. Non erit quidem irregularis, fi oon obftante neceffitate, in quam fe conjecit, fervet jus ad vitam fuam, & occidendi neceffitatem nec præviderit, oec prævidere potuerit ; erit vero irregularis, fi defit alterutra conditio. Secunda pars, quæ primæ partis probationem importat,

Prob. I. quia qui occidit, quando non habet jus vitam foam cum vitæ alienæ difpendio confervandi, eft injuftus occifor : atqui injuftus occifor eft irregularis ; ergo qui occidit, cum non habet jus vitam fuam per alterius occifionem confervandi, eft irregularis : unde irregulares font, qui ut propriæ vitæ confulant, occidunt vel hoftes in bello injufto, vel fatellites, a quibus jufte quæruntur ad mortem.

Prob. II. quia qui formaliter homicida eft, irregularitatem incurrit : atqui poteft quis fervare jus ad vitam fuam, & tamen effe formaliter homicida injufti invaforis. Poteft enim quis alium, quem ad effufionem fanguinis promtum effe cognovit, conviciis infequi : fed qui fic provocat, & infequitur alium, fervat jus in vitam propriam ; cum alter non habeat jus occidendi eum, a quo injuriis afficitur ; aliunde vero eft idem formaliter homicida ; cum fciens, & volens homicidii caufam pofuerit ; ergo tunc erit uterque irregularitati obnoxius ; ergo falfum eft id, quod aliqui dicunt, toties aliquem ab irregularitate immunem effe, quoties vitam fuam tuetur contra eum, a quo injufte invaditur : ergo melius diximus, ad hoc, ut quis irregularitatem ex homicidio non contrahat, duo requiri, nempe ut fervet jus ad vitam fuam, & ut nec præviderit, nec prævidere potuerit homicidium ex injufta fua actione fecuturum ;

ergo

ergo rursus ad judicandum, an quis irregularitatem incurrerit, inspiciendæ sunt singulæ rei circumstantiæ, ut intelligatur, an qui mala aliqua actione se implicavit, in ea tanquam in causa homicidium virtualiter voluisse censeatur.

Quæres II. an irregularis sit, qui cum fugere potest, iniquum invasorem mutilat. R. affir. quia Clementina citata eum duntaxat ab irregularitate eximit, *qui mortem aliter vitare non valens*, mutilat vel occidit: porro qui fuga vitæ suæ consulere potest, potest aliter, quam occidendo mortem vitare. Hinc si invasor ipse jam arriperet fugam, irregularis esset invasus, etiam ab eo graviter vulneratus, si eum insequeretur, & occideret; quia jam non esset defensio licita, sed ultio privatis personis prohibita. Eadem de causa irregularis est, qui occidit, cum sufficeret mutilare, quia non sistit intra limites licitæ defensionis.

Quæres III. an irregularis sit, qui parantem insidias ad ferendam necem prævenit, & occidit. R. Insidiæ vel tales sunt, ut instet mors, nisi præveniantur: vel alia, quam occisionis, via declinari possunt. Si 1. irregularis non est qui occidit, quia cum nullum aliud habeat medium salvandi vitam, vera est defensio. Si 2. irregularis est, quia non occidit pro vita, quam aliter servare potest.

Quæres IV., an qui ob honoris, vel bonorum defensionem alium occidit, exinde irregularis evadat. R. affirmat. quia homicidium, & mutilatio semper pariunt irregularitatem, præterquam in casibus jure exceptis: atqui in jure non excipitur casus, nisi defensionis vitæ propriæ. Qui autem honorem, vel fortunæ bona defendit, non defendit vitam propriam, nisi in casu fere metaphysico, quo quis eripere vellet bonum, sine quo vita sustentari non posset.

Quæres V. an irregularis sit, qui alium necat, ut servet vitam patris, fratris, alteriusve consanguinei, aut proximi innocentis, quam aliter servare nequit. R. probabilius est, quod sic: quia citata toties Clementina eos solum ab irregularitate eximit, qui occidunt cum aliter mortem propriam vitare non possunt: id autem non habet locum, quando quis non ob propriæ, sed ob vitæ alterius defensionem, alium occidit.

An autem incurrat quis irregularitatem, cum non solum occidere licite potest, sed, & ad occidendum tenetur jure naturali, vel divino, ut si Rex, qui invaditur, defendi debeat; non convenit inter præcedentis responsionis assertores. Negat Avila: I. quia si occidens ad defensionem vitæ corporalis ab irregularitate immunis sit, a fortiori ab ea liber erit, qui occidit, ne spiritualiter moriatur, transgrediendo præceptum naturale. II. quia vix credi potest Ecclesiam aliquem damnificare, eo quod præceptum naturale impleat. III. quia alioqui multi metu irregularitatis ab executione præcepti naturalis impedirentur. IV. quia homicidium ut inducat irregularitatem, debet esse volitum, saltem in causa, ut in Judice, qui professionem Judicis amplexus est, quia voluit: porro tale non est homicidium, de quo loquimur in præsenti.

Dixi II. in Conclusione, *cum moderamine inculpatæ tutelæ*; est porro moderamen illud evitatio excessus in sui, suorumque defensione; ita ut non fiat plus, quam secundum rectam rationem necesse sit ad propulsandam injuriam. Unde excedit modum justæ defensionis, ac proinde irregularis fit, qui occidit, aut mutilat, ut calumniam, minas, & similia propulset; ista enim non sunt proprie *vis*, ac proinde alia via, judicii scilicet, vel saltem patientiæ, & mansuetudinis repelli debent.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De occidentibus ordine judiciario.*

NOta I. potest quis ad alterius mortem in ordine judiciario concurrere, vel cooperando ad prolationem sententiæ, & sic concurrunt accusator, denuntiator testes, Judices, capitalium causarum Libellio ( *Le Greffier criminel* ) &c. vel cooperando ad ejusdem sententiæ executionem, & sic concurrunt carnifex, satellites, vendentes supplicii instrumenta, &c.

Not. II. circa hanc materiam nec Galli cum cæteris, nec utrique secum invicem conveniunt: I. itaque juxta cæteros, quisquis alium criminaliter accusat, seu contra eum agit ut puniatur, contrahit irregularitatem, si Judex accusato mortem, aut mutilationem inferat. Ratio est, tum quia tunc directe, ac per se expetitur vindicta sanguinis; tum quia Bonifacius VIII. c. 2. *De homicid. in* 6. eos solum Clericos ab irregularitate excusat, qui de malefactoribus apud Judices conquerendo *petunt emendam*, seu satisfactionem *sibi fieri*, *protestando expresse*, *quod vindictam*, *seu pœnam sanguinis non intendunt*; ergo qui accusat criminaliter, semper irregularis est, etiamsi protestetur se nolle mortem accusati, quia protestatio facto contraria plane inutilis est: qui vero civiliter, seu ad boni sui recuperationem accusat, irregularitatem vitat, si protestationem a Bonifacio VIII. præscriptam emittat: secus si omittat, etiam ex oblivione, vel ignorantia.

Idem est juxta plures, si protestatio hæc non sit sincera, quia protestatio non operatur in ordine ad vitandam irregularitatem, nisi talis sit, qualem eam lex requirit: porro lex seriam non autem mendacem, & fraudulentam protestationem requirit. Ita S. Antonin. Pontas, &c.

In Gallia non subsistunt eæ difficultates, quia in hoc Regno nemo furem, aliumve insequitur, nisi civiliter; nam criminaliter insequi solius est Procuratoris Regii, vel jurisdictionalis. Si tamen accusator intenderet mortem malefactoris, irregularitatem non effugeret, ait N. Alexander; unde denuntiatores, qui Judicibus detegunt auctorem criminis, quod nec sibi, nec ulli e suis nocivum fuit, communiter pro irregularibus haberi debent, quia solam rei pœnam intendere videntur: secus si eos denuntient, qui grave aliquod malum meditantur; quia tunc mali hujus aversionem, non pœnam rei intendere præsumendi

mendi funt, nisi contrarium aliunde cooftet.

II. juxta eosdem extraneos Theologos, testes in causa sanguinis, secura illius, contra quem testantur, morte, vel mutilatione, irregulares sunt; quia reorum morti principaliter cooperantur: nec est, quod irregularitatem evadere putent, emittendo prædictam protestationem; ea enim non in testium, sed in accusatoris solios favorem introducta est. Excipiunt Suares disp. 47., & alii casum, in quo testis ad ferendum testimonium obligatur, seu jure naturali, ut si aliter innocentis vita conservari nequit; seu præcepto Superioris, seu metu in virum constantem cadente: neque enim, inquiunt, credibile est Ecclesiam eos ab altaris ministerio arcere, qui implent id, a quo sine peccato, vel gravi detrimento abstinere non possunt.

Aliter sentiunt Galli, præter paucos; testesque ab irregularitate eximunt: I. quia alioqui pessime consultum esset bono publico, si ii, qui facinorosos cognoscunt, eosdem, ob irregularitatis metum detegere non auderent. II. quia Canones, quibus nituntur Ultramontani, vel hoc in Regno recepti non sunt, vel nihil probant, ut ostendit Pontas (*Cas.* 58.). Censent tamen Doctores nostri, irregularitatem contrahi a testibus, cum eos ad testandum inducit, non boni publici desiderium, sed mortis alienæ libido.

III. exteri Theologi pro irregularibus habent Procuratorem, Advocatum, & Scribam: moventur iisdem rationibus ac supra, nempe quod ii omnes in mortem fontis proxime influant.

Aliud communiter sentiunt auctores Galli de Procuratore, & Advocato, nisi ambo vel innocentis causam male defendendo, ipsius mortem procurassent; vel rem injuste tuendo fuissent in causa, cur justus accusator mortem fonti debitam subiisset. Major est controversia de Scribis: ideoque censet Pontasius tutius esse, ut iidem Scribæ dispensationem obtineant *ad majorem cautelam*: & id sequetur in praxi.

IV. in Gallia, ut alibi irregulares sunt: I. Procurator Regius, vel alius hujusmodi, qui reum morte plectendum esse *concludit*. II. Judices, qui sententiam mortis ferunt. III. Lictores, qui fontem deducunt. IV. tortor, qui eum morte afficit. Ratio est, quia ii omnes proxime influunt in mortem rei. Qui vero furem comprehendunt, aut in causa sunt clamore suo, ut ab aliis comprehendatur, aut eum Judici tradunt, non sunt irregulares in Gallia; quia nemo eorum habetur ut proxima mortis causa.

Sed quid de Clericis, qui reorum supplicio intersunt. R. eos peccare contra id Concilii Lateranensis sub Innocentio III: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur, intersit.* (*Cap.* 9. Ne Clerici, *&c.*) Nulla tamen hinc pertimescenda irregularitas: I. quia nemo per simplicem assistentiam reorum morti cooperatur. II. quia id docet Glossa communiter recepta. III. quia peccatum illud communiter pro veniali solum haberi consuevit.

Quæres, an irregularitati subjaceant funium, vel furcarum artifices, qui hæc Justitiæ ministris ad reorum occisionem præbent. R. cum S. Antonino: Vel quis *fecit scalas, vel funes, vel gladium, non ad mortem inferendam, sed ad omnes usus, & casu postea aliquis utitur ipsis ad occisionem*; & tunc irregularis non est, quia vendidit aliquid tum in se, tum in intentione sua indifferens, quodque forsitan non vendidisset, si futurum ejus usum cognovisset: vel hæc instrumenta sciens, & volens ad aliorum occisionem vendit, & tunc videtur irregularis; quia actione sua in mortem alterius tendit: unde faber, qui in solos tortorum usus laboraret, non levem crudelitatis notam in ore populi sustineret. A fortiori irregularis est, qui projicit, vel defert ligna, ut vivus quis comburatur; secus si solum ut comburatur cadaver illius, qui jam suffocatus est.

Si quis per accidens solum, & præter intentionem causa est, cur reus citius moriatur, non fit inde irregularis; quia effectus per accidens non imputatur ei, qui dat operam rei licitæ: unde qui a Judice impetrant, ut reus per viam consuetam non ducatur, ne juxta matris suæ domum transeat, irregulares non sunt, etsi inde fiat, ut reus per viam breviorem ducatur, & citius pereat. Neque etiam irregulares sunt, qui reum consolationis gratia comitando dicunt: Eia pergamus; sicut nec Confessarii, qui carnificem monent se suo jam functos esse officio.

Dixi, *qui per accidens solum*, *&c.* non enim ita clarum est, eos ab irregularitate immunes esse, qui etiam bono, & misericordi animo rei mortem directe accelerant: unde, ait Nat. Alexander, irregularitatis periculo se exponunt, qui carnificem hortantur, ut furciferum citius interficiat, ne diu vexetur; ut omnino suffocet eum, qui necdum satis strangulatus apparet, ne diutius langueat; ut crura hoc modo frangat, quia sic aperiet venam, unde reum citius moriturum esse continget. Utique, pergit idem Theologus, qui hæc faciunt, magnæ imprudentiæ rei sunt, & in dubio a suis functionibus abstinere, & a Papa dispensationem efflagitare debent.

Quæres, an irregularitatem incurrat Sacerdos, qui grassantia crimina reprimi intendens suadet Principi, ut legem ferat, qua qui scelera hæc commiserint, capite plectantur. Item an irregularis fiat Princeps, qui legem hanc tulerit, vel Confessarius, qui absolutionem denegat seu Principi, qui hujusmodi legem ferre non vult, seu Magistratui, ut fonti parcat, secundum legem hanc judicare non vult, seu reo, qui juridice interrogatus, crimen suum detegere non vult.

R. neminem ex istis irregularem fieri: quia, ut quis incurrat irregularitatem, necesse est, ut in mortem proxime influat, & libere: atqui ii, de quibus agitur in quæstione proposita, vel proxime non influunt in mortem, vel saltem non libere: I. quidem non influunt proxime. Qui enim fert legem, qua certorum criminum deinceps rei capite plectantur, directe, & primario tendit in Reipublicæ bonum, nec in quempiam determinate animadvertit, sed generaliter loquitur; ergo non est causa particularis, cur hic, vel iste morti detur; ergo nec qui legem hanc tulerit, irregularis est, nec qui eam ferri suaserit, aut præceperit. II. etiamsi proxime influerent, non tamen in-

influerent libere ; cum Confessarius non possit absolutionem tribuere Judici, id, ad quod tenetur, facere nolenti.

At, inquies, non magis Confessarius in casu præsenti immunis est ab irregularitate, quam Judex: atqui iste non, ex toties dictis; ergo nec ille. Prob. maj. Ideo Judex, licet a ferenda mortis sententia abstinere non possit sine peccato, contrahit nihilominus irregularitatem, quia homicidium eidem saltem in causa voluntarium est, ut pote qui Judicis officium sponte amplexus fuerit: atqui pariter Confessarius Confessarii officium libere amplexus est; ergo.

R. ad 1. neg. maj. Ad 2. ideo Judex ratione occisionis irregularitatem incurrit, quia occisio malefactorum officio ejus necessario, & primario annexa est, ita ut eam in se, ut Reipublicæ bonam, velit. At aliter se res habet de Confessario, cujus ministerium in sola peccatorum reconciliatione consistit: ex quo fit, ut cum specialius in reorum mortem influit, hanc non in se, & directe velit, sed solam pœnitentis salutem, quæ pendet ab observatione legum, sive eæ mortem rei, seu aliud quid præcipiant.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Militibus, & Chirurgis.*

Circa milites, eosque, qui in bello justo pugnant, quæritur: I. an simplex armorum gestatio hominem militiæ adscriptum constituat irregularem. R. etsi solent Bancarii Expeditionarii Curiæ Romanæ iis, qui arma gestaverunt, auctores esse, ut dispensationem postulent; constat tamen eos de jure communi non esse irregulares; idque satis colligitur tum ex c. 24. *De homicidio*, ubi Sacerdos, qui contra Saracenos dimicaverat, eo solum in casu ab altaris ministerio abstinere præcipitur, *si de interfectione cujusquam in illo conflictu* sua eum *conscientia remordet*; tum ex unanimi Casuistarum consensu, qui omnes docent, neminem in bello justo irregularitati subjacere, nisi qui propria manu alium invaserit.

R. II. eum, qui pugnæ interfuit, & dubitat cum fundamento, an quempiam interfecerit, aut qui de interfectione suspectus est, teneri dispensationem obtinere; sive ne aliis scandalo sit, sive ne partem minus tutam in dubio homicidii sequatur.

Quæres II. an irregularis sit, qui in bello justo non occidit quidem propria manu, sed aliis occidentibus, aut mutilantibus operam tulit. R. eorum, qui sive in bello, sive in rixa occisioni iniquæ cooperantur, neminem ab irregularitate liberum esse; quia jus eos omnes punire voluit, qui concurrunt ad crimen homicidii: at non idem est in bello justo; in hoc enim ii solum irregulares a jure constituti sunt, qui per se, & propria manu occidunt, aut mutilant; quod merito statutum est, ne ex actione unius aliquando hominis tot alii canonicum hoc impedimentum contraherent, & sic a bellis etiam justis retraherentur. Eadem de causa irregulares non sunt etiam Clerici, qui bellum justum consulunt.

Quæres III. an aliquando ab irregularitate liberi sint, qui in bello etiam justo mutilant, vel occidunt. R. irregulares esse eos omnes, qui in bello aggressivo mutilant, vel occidunt; non autem qui in bello defensivo, nisi eo venerint animo præliandi. Prima pars patet tum ex cap. 24. *De homic.*, tum quia qui in bello justo occidunt, similes iis sunt, qui auctoritate publica malos tollunt e medio: ii porro irregulares sunt, ut ostendimus. Secunda pars certa est, quia pejor non est conditio eorum, qui in bello, quam qui extra bellum necessitate compulsi occidunt, ne occidantur: atqui isti irregularitatem non incurrunt; ergo nec illi. Unde irregularitatis expertes sunt, qui in bello etiam injusto positi, præcise ut milites spiritualiter adjuvent, aut pacem componant, in eas aliquando angustias veniunt, ut vitam suam nonnisi hostilis vitæ dispendio servare possint.

Dixi, *nisi eo venerint animo præliandi*; censent enim Suares, & plures alii, eum, qui pugnandi animo ad bellum, etiam justum, processit, irregularem fieri, si occidat, etiam in propriæ vitæ defensionem: I. quia qui præliandi animo aciem ingreditur, saltem in causa vult homicidium, *cui se* exponit: atqui homicidio in se, vel in causa volito annexa est a jure irregularitas. II. quia Judex, licet malefactorem occidere teneatur, non desinit esse irregularis, quia sponte accessit ad officium Judicis; ergo a pari miles, qui excubias agit, quique occidendus est nisi occidat, non vacat ab irregularitate.

Quæres IV. an qui alium hortatur ad fundendam pro fide sanguinem, irregularis sit secuta morte. R. negat. non enim causa est, cur Judex impius mortem inferat, sed cur Christianus vividæ charitatis actum eliciat. Idem dicendum de eo, qui alium precatur, ut se conjiciat in flumen, unde aliquem aquis abreptum extrahat: is enim non intendit mortem illius, qui in flumen se conjicit, quam etiam probabiliter non prævidet, ut supponimus, sed solam pereuntis liberationem.

Quod spectat ad Medicos, & Chirurgos.

Dico I. Laici, qui Medicinam, aut Chirurgiam exercent, non sunt irregulares, morte etiam secuta, licet membrum abscindant, modo secundum artis suæ regulas operentur. Ratio est, quia in iis operationibus non deest lenitas, sed elucet misericordia: neque enim membrum amputant in vindictam, & pœnam, sed ad totius conservationem; unde patet quantum eos inter, & Judices intersit differentiæ.

Dixi: *modo operentur secundum artis regulas*: si enim culpa, vel imperitia Medici, aut Chirurgi mors sequatur, incurrunt irregularitatem ex delicto; quia imperitia in iis, qui ut periti operam suam promittunt, culpæ annumeratur. Cum autem irregularitas ex delicto non nisi ob peccatum mortale contrahatur, evidens est, incuriam, quæ Medico, aut Chirurgo irregularitatem procurat, debere esse mortalem: sed simul fatendum in re tanti momenti, in qua de vita hominum agitur, minus ad culpam letalem requiri, quam in alia materia. In dubio, an

Medicus

Medicus, aut Chirurgus necessaria usus sit diligentia, pro irregulari habere se debet, ut colligitur ex cap. 18. *De homicid.* A fortiori irregularis est, qui ut potionis sibi non satis cognitæ experimentum faceret, eamdem propinavit ægroto, qui ex ea mortuus est.

Si Medicus porrigat ægroto medicinam, quam dubitat illi profuturam esse, videndum est, an aliud præsto habeat remedium, aut certum, aut a prudentioribus Medicis in eodem casu adhiberi solitum, an non. Si habet, peccat, & irregularis est, qui in re tanti momenti dubia, & incerta certis præponit. Si non habet, videndum rursus, an infirmi salus desperata sit, necne. Si necdum desperata sit, adhuc peccat, & irregularitatem contrahit, quia censetur incerto remedio eum peremisse, quem natura sanare potuit, aut qui fortasse vixisset, donec certiori remedio reficeretur. Si vero jam desperata sit ægrotantis vita, non videtur irregularis, si applicet remedium, de quo dubitat profuturumne sit, an secus; quia satius est aliquid de se non malum tentare cum spe salutis, quam inertem, & otiosum mortis alienæ spectatorem manere. Hinc patet quid sentiendum de Chirurgo, qui membrum abscindit, dubius, sitne abscindendum.

Dico II. Clericus, etiam in sacris, non fit irregularis exercendo Medicinam, aut Chirurgiam secundum artis regulas, citra incisionem, aut adustionem. Ratio est, quia id nullibi prohibitum est Clericis; unde si mors sequatur, modo non ex eorum incuria, & culpa, irregularitatis expertes sunt. Sicubi tamen Medicinam, aut Chirurgiam exercent Sacerdotes, caute simul, & sobrie gerere se debent: caute, ne periclitetur eorum castitas, & fama, si frequentius cum feminis versentur, & aliquos curent morbos, qui pudicum oculum lædunt: sobrie, ut pauperum, non item omnium medici esse videantur, utque id non faciant, quod alii istius professionis homines facere possunt.

Dixi I. *secundum artis regulas*; quia qui eas ignorat, occidendi periculo se exponit, ac proinde secuta morte irregularis est.

Dixi II. *citra incisionem, &c.*, quia Concilium Lateranense (*Cap. 9. Ne Cleric.*) prohibet, ne *ullam Chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem, vel incisionem inducit*: unde Sacerdos, etsi omnem adhibeat diligentiam, & secundum artis regulas brachium abscindat, erit irregularis, si mors inde sequatur: quod etiam verum est, juxta Sylvium, & alios plures, si solum venam aperiat, quia qui venam aperit, proprie dicitur incidere.

Circa hanc assertionem quædam notanda: I. Clericus si tantum consulat, imperet, aut opem ferat Chirurgo, ut membrum abscindat, irregularitatis expers manet, etiamsi mors sequatur, modo non sequatur ex consilii, vel jussionis imprudentia, sed ex vi morbi. Ratio est, quia etsi Clericis sacris vetitum est, ut per se adurant, aut incidant, non tamen, ut id ab aliis fieri suadeant, aut imperent, si sat periti sint, ut id prudenter suadere valeant. Et vero pœna in operantes imposita non ligat mandantes nisi lex exprimat. II. si Subdiaconus urgente necessitate, puta tempore pestis, deficientibus, vel nolentibus Chirurgis, membrum incidat, vel amputet, non erit irregularis; quia excusat necessitas. III. Si Clericus extra casum necessitatis abscindat membrum, & mors non sequatur, peccabit quidem contra legem Concilii Lateranensis supra relatam: at non erit irregularis; quia irregularitas ex ea solum mutilatione incurritur, quæ per se ordinatur ad conservationem totius, qualis ea est, de qua agitur in præsenti. In dubio, an mors secuta sit ex adustione, an ex vi morbi, vel ex ægroti culpa, qui regimen sibi præscriptum sequi noluit, tutius est, ut quis se gerat ut irregularem, nisi antea obtinuerit licentiam artis hujus exercendæ. A fortiori qui contra Medici præceptum aliquid tradit, aut tradi consulit infirmo, aut qui cum debet, non obstat, ne id tradatur, etiamsi id faciat, ne æger diutius careat optato cibo, irregularitatem incurrit, si infirmus inde pereat, aut mors ejus acceleretur.

Quæres quis in irregularitate ex defectu lenitatis dispensare possit. R. solus Papa, vel quibus id ab eo concessum fuerit. Ratio est, quia per Tridentinum solummodo conceditur Episcopis, ut dispensent in irregularitatibus ex delicto, &c. porro irregularitas ex solius lenitatis defectu non est ex delicto.

# PARS TERTIA.

## DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

### CAPUT PRIMUM.

*De Irregularitate ex homicidio.*

Homicidium dividitur in necessarium, voluntarium, & casuale. Necessarium illud est, ad quod aliquis quasi obligatur seu ratione legitimæ defensionis, ut cum vitam suam aliter tueri non potest, seu ratione officii, ut cum Magistratus sontem morti addicit.

Homicidium voluntarium illud est, quod contra æqui regulas intenditur directe, vel in se; ut cum alicui collum abscinditur, vel in causa adeo eum effectu conjuncta, & ut tali cognita, ut non possit quis causam velle, quin effectum ab ea inseparabilem voluisse censeatur; ut cum quis venenum maxime mortiferum propinat alteri.

Homicidium casuale illud est, quod agens nec in se, nec in causa eum effectu necessario conjuncta voluit, quodque ideo hoc sensu est præter intentionem agentis. Homicidium casuale duplex est: aliud pure casuale, quod etiam inculpatum vocatur: aliud mixtum, & culpabile. Homicidium pure casuale est illud, quod præter intentionem agentis sequitur ex

actione, ex qua nec prævidetur, nec moraliter prævideri potest esse secuturum. Tale est homicidium ab eo factum, qui *cum pulsaret campanas, ut conveniret populus ad divina, cadens tintinnabulum percussit quemdam puerum, qui* ex eo vulnere *decessit* (*C. 23. de homic.*). Homicidium casuale mixtum est illud, quod quis nec intendit, nec prævidit, sed prævidere potuit, & debuit, & eatenus impedire, sive majorem adhibendo diligentiam, sive abstinendo ab opere periculoso, in quo satis peritus non erat. Hinc patet in homicidio casuali mixto mortem partim casualem esse, quia ab agente non intenditur; partim voluntariam in causa, quatenus agens libere voluit, aut omittere diligentiam debitam, aut suscipere opus, in quo satis peritus non erat. Hinc rursus homicidium non est voluntarium, prout voluntarium opponitur casuali mixto, quoties est contra intentionem agentis, etiamsi ex tali opere non raro, sed sæpius, modo tamen non necessario, & inseparabiliter sequatur. Ratio est, quia in materia admodum pœnali, illud duntaxat homicidium pro simpliciter voluntario habendum est, quod ut tale exhibetur a jure, & a Conciliis: atqui jus, & Concilia illud duntaxat homicidium ut voluntarium exhibent, quod directe volitum est, sive in se, sive in causa; cujus volitio cum effectus nolitione non compatitur. Homicidium enim simpliciter voluntarium a jure, & a Conciliis exhibetur ut homicidium, quod quis commisit *per industriam, per insidias, voluntate sua, ex proposito, non ex casu* (*Cap. 1. de homic. Trid. sess. 14. c. 7.*): atqui tale homicidium necessario importat intentionem directam, voluntatem, & propositum occidendi; cum ibi non sit sermo de alia voluntate, vel proposito, quam occidendi; ergo.

A contrario homicidium erit simpliciter voluntarium, etiamsi raro admodum ex actione, quæ posita est, sequatur, modo ab agente intentum, & præcogitatum fuerit, quia casuale, & voluntarium in intentionem præsertim refundi debent: sicut ergo qui nec in se, nec in causa inseparabili homicidium voluit, non censetur directe, & simpliciter homicida; sic voluntarie homicida judicari debet, qui homicidium intendens, usus est causa, quæ effectu suo frustrari poterat. Unde si quis campanam pulsat ea intentione, ut cadens malleus aliquem obruat, quem de facto obrui contingat, pulsator ex hoc facto licet parum communi, homicidii voluntarii reus erit. His præmissis dicemus: I. de homicidio voluntario. II. de casuali.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Irregularitate ex homicidio voluntario.*

HOmicidium simpliciter voluntarium gravissimam inducere irregularitatem demonstrat id Synodi Tridentinæ sess. 14. c. 7. *Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum conferre liceat, &c.*

Porro voluntarii hujus homicidii ii omnes rei sunt, qui actione sive physica, sive morali, proximi mortem directe intendunt, & procurant. Unde homicidæ voluntarii sunt: I. omnes, qui in duello, in bello clare injusto &c. ex proposito alium injuste, & spontanee necant, sive protinus, & absque mora, sive sensim & via longiori; ut si quis alteri præbeat venenum, quo paulatim, & aliquando plures post menses extinguitur: idqoe verum est, etiamsi dederit venenum animo ejusdem efficaciam experiendi; vult enim directe mortem, tanquam effectum, in quo veneni sui vis manifestanda est. Quin & si is, qui talem applicuit causam, de facto suo sincere doleat, priusquam eadem causa operetur, non ideo desinet fieri irregularis: quia sicut pœnitentia irregularitatem jam contractam non tollit, sic nec impedire potest, quin eadem contrahatur, præcipue in casu præsenti, in quo non impedit, ne homo vere, & efficaciter sit homicida, & dignus pœna tam civili, quam ecclesiastica.

II. Homicidæ simpliciter voluntarii sunt mandantes, consulentes, & alii cooperantes; hi enim omnes veræ sunt homicidii causæ.

Circa mandantem hæc notanda: I. eum homicidam directum reputari, etsi homicidium non expresse, sed tacite solum mandaverit: unde *si injuriatus dicat filio, vel famulo: Ne redeas domum, donec aliquid novi de te audiam* (*Avila*), censebitur auctor homicidii inde subsecuti. Si tamen mandans mandatum revocavit expresse, vel æquivalenter, jam nec causa est homicidii, quod in mandatarii nequitiam refundi debet, nec irregularitatem contrahit.

II. Si mandatarius a principio mandatum acceptare noluerit, illudque postea mutata voluntate exequatur, forte etiam contra mandantis voluntatem, qui a priori proposito recessit, idem mandans adhuc subjacet irregularitati: quia in hac materia non est sermo de mandato, quod veram obligationem inducat, sed de mandato, quod consistat in petitione, vel eshortatione acri, qua alter ad agendum impellatur: hæc porro omnia, licet ab initio repudiata, semper idonea sunt ad movendum, semperque mandatarii animo exhibent eam esse mandantis voluntatem, ut hostis ejus occidatur, donec ipsemet sufficienter declaraverit se voluntatem hanc abjecisse.

III. Si contingat mandatarium ab eo, cui mortem intentat, occidi, mandans, (idem est de consulente) irregularis efficitur, non quidem irregularitate ex homicidio voluntario, cum mandatarii mortem non intenderit; sed irregularitate homicidii casualis, quia causa fuit, cur alter propriæ mortis periculo se exponeret: vix enim fieri potest, ut quis sine sui periculo mortem alterius tam proxime machinetur.

Quod spectat ad consulentem, quæritur: I. an quisquis homicidium consuluit, irregularis fiat.

R. eum ab irregularitate immunem esse, si is, cui consilium dedit, jam adeo ad homicidium paratus erat, ut nullam ex hoc consilio determinationem receperit. Aliter dicendum si consulens occidendi vo-

lunta

fontatem in alio adaugeat, puta si suo efficiat consilio ut alter facilius, citius, crudelius ve aut animo firmiori homicidium committat, tunc enim irregularis est, quia jam consilium in mortem influit. Si parato ad occidendum, aut mutilandum suadeas, ut tantum percutiat, idque suadeas non intuitu, & desiderio percussionis, sed ut ab homicidio, vel mutilatione retrahas, irregularitatem non incurris; non enim vere causa es cur fiat percussio, sed cur non fiat homicidium.

Quæritur II. qua ratione agnosci possit, an consulens influxerit in homicidium. R. interrogandum esse eum, cui consilium datum est, qui si dicat se consilio motum non fuisse, aut voluntatem suam nullatenus ex eo obfirmatam fuisse in proposito occidendi, consulens ab irregularitate liber erit: modo tamen is, qui consilium accepit, talis sit, ut fidem mereatur, puta si in sermone verax sit, & sincerus. Quod si consilii influxus ab ipso homicida resciri nequit, recurret vir prudens ad conjecturas: perpendet v. g. an, consulentis verba, animum homicidæ commovisse visa sint, an statim aut paulo post in crimen proruerit: in dubio autem præsumet consilium influxisse, quia id ut plurimum contingit, ac proinde stabit pro irregularitate.

Quæritur III. quomodo qui alteri consilium occidendi dedit, gerere se debeat, ut vitet irregularitatem. R. eum omni modo consilium a se datum revocare debere, & quidem efficacius, quam mandans mandatum suum revocare tenetur: in mandato enim agitur de ipsa re mandantis, cujus in gratiam agit mandatarius; ac proinde revocato mandato, tota agendi vis aufertur; at in consilio agitur de re ipsius consulti, & in ipsius gratiam consilium datur; unde quandiu subsistent motiva animo ejus initar veneni maligne instillata, consilium ipsum subsistet, eique proin attribuetur quidquid consultus operabitur mali. Quapropter debet consulens tetri, quod infecit, consilii motiva motivis aliis elidere, & precibus importunis uti, ut hominem a sententia sua deterreat. Quod si verba sua nihil operari animadvertat, debet occidendum, secundum charitatis, & prudentiæ regulas, seu generatim, seu specialius ad arbitrium viri prudentis, commonere, ut sibi caveat; quo semel peracto, liber erit ab irregularitate, morte etiam secuta, quæ in occisi solius negligentiam refundetur: quod si alium monere nequeat, eo interfecto irregularis evadet; unde Clericum, qui abortus consilium dederat conjugatæ, a quo eamdem postea dimovere non potuit, irregularem judicavit Navarrus.

De cooperantibus iniquæ mutilationi, vel occisioni una omnium vox est eos, irregularitatem homicidii voluntarii contrahere; unde irregulares fiunt: I. omnes & singuli milites in bello injusto, etsi non nisi eorum unus quempiam ex hostibus mutilet; quia ii omnes cum conjunctis viribus pugnent, sibique mutuo opem ferant, sunt una causa moralis cædis. Eadem de causa, qui arma pecunias, & similia, intentione hujus belli præbent, aut milites conducunt, irregulares judicantur: quod ad eos etiam, qui sarcinas custodiunt, extendunt Navarrus, & Avila. II. qui testificantur, accusant, judicant injuste, aut injuste accusato viam legitimæ defensionis præcludunt. Idem est de iis, qui invaso arma ipsius, quibus tueri se posset, occultant animo mortis eidem procurandæ. III. qui homicidio adsistunt armati, licet arma non educant, si opem occisori ferre parati sunt; hi enim occisorem ad pugnam acuunt præsentia sua, & sic stragi suo modo cooperantur. IV. Si plures communi consilio se se concitent ad cædem, nemo effugiet irregularitatem, etiamsi unus tantum occiderit. Si autem absque consilio, in rixa subito exorta, uno quis letali vulnere percussus fit a Titio, ab aliis vero leviter, solus Titius de homicidio tenebitur: in dubio quis letale vulnus inflixerit, omnes pro irregularibus habendi sunt; alias nemo eorum esset irregularis, sicque daretur culpa sine pœna, quod est absurdum. Si certus esses te leviter solum percussisse, non esses irregularis; essent vero ceteri ub dubium.

Irregulares etiam esse possunt ex homicidio voluntario, qui ei consentiunt. Qua de re hæc lex mihi statuenda videtur, ut tunc solum consensus irregularitatem pariat, cum parit restituendi obligationem. Unde cum ratihabitio damni, quod nomine alicujus illatum est ipso nesciente, eumdem restitutioni obnoxium non faciat, si alias in damnum non influxerit; sic nec homicidii nomine, & intuitu tuo commissi ratihabitio, seu approbatio subsequens, irregularitati obnoxium te facit; quod verum est, etiamsi homicidam remuneres.

Quæres, an non impediens homicidium, quod impedire potest, fiat irregularis.

R. I. qui solum ex charitate homicidium impedire tenetur, non fit irregularis non impediendo. Ratio est, quia qui solum violat charitatem, non potest esse stricte, & vere homicida, cum homicidium essentialiter pugnet contra justitiam. Hinc irregulares non fiunt, licet gravissime peccent: I. qui pauperem fame pereuntem non relevent. II. qui parato ad ferendam alicui opem, ne occidatur, malo animo consulunt, ut non ferat: consulens enim non aliud admittit crimen, quam ipse consultus; is vero ea hypothesi non peccat nisi contra charitatem. Aliter dicendum, si quis ad subveniendum homini periclitanti ex sola charitate paratus, ab alio per vim, vel dolum retrahatur; quia retrahens tunc peccat contra justitiam, sicut & contra eam peccat, qui per vim, vel fraudem impedit, ne pauper eleemosynam sibi destinatam recipiat.

R. II. qui ex justitia ad avertendam proximi cædem obligantur, ii nisi obstent quantum possunt, irregularitati subjacent: quia ii proximum re ipsi debita privant, ac proinde ut restitutioni, sic & irregularitati subjacent. Unde irregulares fiunt: I. Judex, qui injustæ mortis sententiæ non obstat. II. ferarum custos, qui non cavet, ne animalia custodiæ suæ credita obvios quosque occidant. III. qui puellæ, quam decepit, abortum proponenti non contradicit; debet enim ex justitia vitam prolis servare.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De irregularitate ex homicidio casuali.*

Cum homicidium casuale, ut irregularitatem pariat, voluntarii quidpiam habere debeat, non quidem in se, sed in causa per accidens, ex qua tamen secuturum præviderí potuit, & præcaveri; hinc videndum hic: I. an qui operam dat rei licitæ, ex qua sequitur homicidium, irregularis sit, si sufficientem adhibuerit diligentiam. II. an irregularis sit, si res eadem illicita quidem esset, sed de se non periculosa. III. quid dicendum, si res illa simul illicita fuerit, & periculosa. Sit

CONCLUSIO I. Qui vacat rei licitæ, & debitam adhibet diligentiam ne quem occidat, non contrahit irregularitatem, aliasve homicidii pœnas, etiamsi ex facto ejus sequatur homicidium.

Prob. Homicidium non inducit irregularitatem, nisi voluntarium sit, & culpabile: atqui homicidium in præsenti casu nec voluntarium est, nec culpabile; non enim reos est, qui facit aliquid liciti, unde sequitur aliquid, quod nec præcavere, nec impedire potuit.

Hinc irregularis non est, qui ex improvisa equi ferocitate raptus, obvium infantem opprimit; secus si cognovisset vitium equi, eumque fræni impatientem esse, aut frænum nimis tenue esse, ut equum coerceret.

Dixi, qui vacat rei licitæ, *& debitam adhibet diligentiam*; si enim interveniat culpa, aut vitandi periculi negligentia, incurritur irregularitas, quia homicidium, quod vitatum non fuit, eum vitari potuit, & debuit, merito reputatur voluntarium. Hinc irregularis est Magister, qui in discipuli correctione nimium excedit, aut eum percutit in capite, *si discipulus ex ipsa percussione interiit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur expirasse* (*C. 7. De homic.*) Et vero percussio, in qua non leviter exceditur, aut quæ fit in capite, parte de se periculosa, periculum involvit, & multum supponit negligentiæ.

Ceterum ad contrahendam hanc casualis homicidii irregularitatem requiritur culpa mortalis, ac proinde gravis negligentia. An autem ea negligentia requiratur, cum quis vacat rei illicitæ; an non tunc sufficiat levis, vel levissima, discutiendum manet. Pro solutione, nota quod res aliqua duabus de causis illicita esse potest, vel omnibus, vel certo personarum statui: I. quia periculosa est, seu quia de se ad mortem tendit: sic pericolosum est chirurgiam per incisionem, aut adustionem exercere. II. res aliquando prohibita est, quia licet de se periculosa non sit, alicui tamen virtuti, vel præcepto adversatur: sic prohibetur certis temporibus venatio, ea etiam, quæ fit sine periculo, puta ne noceatur conceptui, aut segetibus. His positis, sit

CONCLUSIO II. Qui dat operam rei illicitæ, sed non periculosæ, non nisi ex culpa lata casualis homicidii irregularitatem incurrit; unde ab ea immunis est, si ad præcavendum homicidium eamdem adhibeat diligentiam, quam adhibent communiter, qui similem actionem licite exercent.

Prob. I. irregularitas non incurritur nisi in casibus jure expressis: atqui nullibi expressum est in jure, ut irregularitatem incurrat is, ex cujus actione illicita quidem, sed non periculosa subsecutum est homicidium, quando sufficientem adhibuit diligentiam, ne tale quid ex actione sua sequeretur. Imo contrarium exprimit cap. 48. dist. 50., ubi qui equos furando, quæ actio sane illicita est, collisit mulierem, quæ abortum fecit, furti solom damnatur, non autem irregularitatis, aut censuræ, quibus, ait Canonis auctor, *non potest, nec debet addici per leges*, quia *voluntas illius non agnoscitur perniciosa fuisse*, id est, cujuspiam mortem intendisse.

Prob. II. quia in opposita opinione dicendum est, eum, qui interdicti tempore campanas pulsat ad convocandum populum, esse irregularem, si eæ cadendo quempiam mutilent, non autem si alio tempore hominem occidunt. Item irregularis erit, qui cædendo proximi arborem, omnem adhibuit diligentiam, ne quis ab ea opprimatur; non erit vero irregularis, si eum eadem attentione arborem suam cædat. Pariter irregularitatis expers erit Laicus, qui venando in suo saltu ex errore invincibili hominem occidit pro fera, erit vero si ex eodem errore hominem occidat in saltu alieno: atqui hæc omnia absurda sunt.

CONCLUSIO III. Tenendum est in praxi, eum, qui vacat rei illicitæ, & non parum periculosæ, secuto homicidio irregularem fieri, licet sufficientem ad illud vitandum diligentiam adhibuerit.

Prob. In dubio, an quis culpabiliter sit homicida, judicari debet eum esse irregularem: atqui cum aliquis rei prohibitæ simul, & valde periculosæ indulgens, hominem occidit, ad minus dubium est, an sit culpabiliter homicida. Si enim id negent Theologi graves gravibus momentis suffulti, ex adverso stant Theologi forte graviores, rationibus non minus firmis innixi. Ita inter alios S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. Navarrus, Fagnan., Cabassut., Babin, Pontas, &c. Ratio est, quia homicidium, quod prudenter judicatur voluntarium in causa, parere debet irregularitatem: atqui homicidium, quod ex actione de se ad mortem tendente, ideoque prohibita quia periculosa, sequitur, prudenter judicatur voluntarium in causa; qui enim vult causam adeo periculosam, effectus inde sequentes velle censetur; nec præsumitur sufficientem adhibere diligentiam, nisi penitus cesset ob opere. Nulla enim est diligentia, quæ rerum naturam mutare possit, & efficere, ut id, quod valde periculosum est, non sit periculosum, ac proinde ut qui opus periculosum posuit, de effectu inde contingenti non teneatur.

Obj. Canones non statuunt irregularitatem, de qua loquimur, nisi ob homicidium aliquo modo voluntarium: atqui mors nullatenus est voluntaria ei, qui in actione quantumvis periculosa, tantam adhibet diligentiam, ut nullo prorsus modo suspicari possit periculum occidendi. Ut enim mors censeatur volun-

voluntaria in causa, non sufficit, ut causa hæc nata sit in genere parere homicidium; sed oportet, ut hic & nunc nata sit illud parere, spectatis omnibus circumstantiis, quæ humanitus spectari possunt; ergo si his omnibus spectatis non appareat actio hic, & nunc periculosa, mors fortuito secuta nullatenus imputari poterit operanti, nec proinde erit ei sic voluntaria, ut irregularitatem pariat.

R. ad 1. dist. min. Mors nullatenus est voluntaria reipsa, transeat; non est voluntaria interpretatione legis, N. fatente enim Gibalino potuit Ecclesia imponere irregularitatem ei, qui prohibitum aliquid, & periculosum faceret, quoties inde contingeret homicidium, etiam omnino, aut quasi omnino casuale: quod autem id statuerit de facto, evincunt, aut saltem admodum probabile reddunt argumenta superius adducta. Atqui hæc irregularitas erit homicidii, non quia culpa absolute erit homicidii, sed quia non nisi eo secuto imponitur; imo homicidium illud quadantenus voluntarium erit; quia profectum erit a causa specialiter ipsius homicidii intuitu prohibita.

Quæres, an, & quis in irregularitate homicidii dispensare valeat.

R. I. potest Papa dispensare in qualibet irregularitate, etiam ex homicidio injusto prodeunte. Ratio est, quia hæc irregularitas juris est solum positivi.

Quoniam vero multa licent, quæ non expediunt, raro admodum dispensat Apostolica Sedes cum homicidis omnino voluntariis, qui de industria, vel per insidias occiderunt, saltem si necdum ad ullum Ordinem promoti fuerint; idque ea mente Tridentini (*Sess.* 14. c. 7.) quod hujusmodi homicidas ab *omni ordine, ac Beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuo* excludit. Sed *cum jam promotis*, si homicidium voluntarium occultum sit, *longe frequentius dispensat S. Pœnitentiaria, cum urgens justaque ratio id postulat. Veluti si Sacerdos e loco commissi delicti discedere nequeat, nec ibi abstinere possit a celebratione Missæ, quin scandalum generet, & suspicionem præbeat de perpetrato homicidio, cujus auctor ignoratur, &c.* Ita Fagnan.

R. II. Episcopi non possunt dispensare in homicidio voluntario justo, vel injusto. Ratio est, quia in ampla, quæ Episcopis datur, facultate dispensandi in irregularitatibus, ea excipitur, *quæ oritur ex homicidio voluntario*, vel ex defectu; ergo Episcopi nec in homicidio voluntario injusto, quod Trident. Synodus directe excepit: nec in homicidio justo, quale illud est, quod publica auctoritate fit, dispensare possunt, cum illud pariat irregularitatem ex defectu. Quin & prohibitio Episcopis facta, ne in homicidio voluntario etiam occulto dispensent, de se extenditur etiam ad exercitium minorum Ordinum, & Beneficium simplex, prout docent Navarrus, & Fagnan. Potest tamen Episcopus dispensare cum homicida occulto, ut ministret in sacris, si magna urgeat necessitas, ad Papam recurri non possit.

R. III. possunt Episcopi dispensare in irregularitate, quæ provenit ex mutilatione injusta, si hæc occulta sit: quia Episcopi dispensare possunt in qualibet irregularitate, modo hæc oriatur ex delicto occulto, quod homicidium voluntarium non sit: porro mutilatio non est homicidium. Possunt etiam Episcopi dispensare in irregularitate contracta ex homicidio casuali occulto: quia homicidium casuale mixtum non est stricte, & proprie voluntarium, prout supra probatum est. Hinc dispensare possunt Episcopi: I. cum eo, qui leviter solum percutere intendens, occidit. II. cum eo, qui mandavit servo, ut percuteret, expresse inhibens, ne occideret. III. cum eo, qui prægnantem percutiendo abortum procuravit, si eam gravidam esse probabiliter ignoraverit, aut leviter percutere intendens, errante manu duriorem inflixerit plagam; is enim homicida simpliciter voluntarius non videtur.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De Irregularitate ex iteratione Baptismi.*

QUæres I. an qui rebaptizat, & rebaptizatur, ambo irregulares sint. R. affirmat. De rebaptizatis habetur expresse c. 6. 5. dist. 50. non esse *unquam permittendum, ut ad Clericatus gradum promoveantur.* Idem de rebaptizantibus colligitur ex c. 2. *De Apostatis*, ubi etiam junior Acolytus, qui in fratris sui rebaptizatione *ministerium* exhibuerat, irregularis declaratur; quanto ergo magis, inquiunt Theologi omnes, irregularis est, qui per semetipsum rebaptizat; sicut si irregularis est qui occisioni cooperatur, quanto plus qui occidit?

Haud tamen irregularis est, qui in infantia semel, & iterum baptizatus fuit: idemque dicendum de eo, qui rebaptizat eum, quem ante baptizatum fuisse nescit, aut de cujus priori Baptismo legitime dubitat: est enim hæc irregularitas ex delicto; porro nullum est in casibus modo assignatis delictum.

Sed quid si Sacerdos vel mala fide, vel temere veritus, ne perturbata, aut imperita obstetrix erraverit, eum, quem domi secundum formam communem baptizatum fuisse rescivit, denuo in Ecclesia sub conditione baptizet: aut baptizet absolute eum, de quo ex oblivione non interrogavit, fueritne jam baptizatus? R. in neutro casu incurri irregularitatem: non in postremo, quia irregularitas hæc iis solum inuritur, qui rebaptizant cum intentione baptizandi: atqui probabile non est Sacerdotem nullo infectum errore novum homini jam baptizato Baptisma conferre voluisse; ejus ergo intentio legitime præsumta fuit virtualiter conditionalis, ita ut infantem, si jam tinctus esset, baptizare noluerit. Non in primo casu; quia Sacerdos ille non rebaptizat reipsa, cum non habeat intentionem baptizandi, si is, qui sibi præsentatur, jam fuerit baptizatus; hæc enim verba: *Si non es baptizatus*, &c. etiam mentaliter subintellecta, idem sunt, ac ista: *Si es baptizatus, ego te non baptizo.* Graviter tamen peccaret Sacerdos in casu proposito, quia non licet sub conditione rebaptizare, nisi

res sit dubia. Addo eum, qui ex mera suspicione, & absque maturo antea examine, se se rebaptizari curaret, irregularem evasurum esse.

Quæres II. an qui ex metu gravi rebaptizat, aut rebaptizatur, sit irregularis. R. esse, si quantum est de se, veram habeat intentionem ille baptizandi, hic suscipiendi Baptismum, quia neuter ad hanc intentionem metu cogi potuit. Si vero quis absque intentione, & ficte Baptismum receperit, censent plures eum non esse irregularem.

Quæres III. quis in hac irregularitate dispenset. R. eam, si publica sit, reservatam esse summo Pontifici; si vero occulta sit, ab Episcopo relaxari posse.

Quæres IV. an irregularitas ex indigna aliqua Baptismi receptione incurratur. R. incurri: I. cum quis ab Hæretico declarato libere, & sine necessitate Baptismum recipit, Can. 18. 1. q. 1. II. cum quis Baptismi receptionem usque ad mortem differt, de quo jam supra.

Quæres V. an iterata alterius præter Baptismum Sacramenti receptio, vel confectio irregularitatem inducat. R. neg. quia id nullibi expressum in jure. Unde qui bis Confirmationem recipit, bis Diaconatum confert, bis eamdem hostiam consecrat, liber est ab irregularitate, non tamen a gravi sacrilegio.

## CAPUT TERTIUM.

*De Irregularitate ex occasione Ordinum.*

POtest quis irregularis fieri Ordines male recipiendo, vel male exercendo: verum non quæcunque mala Ordinum receptio irregularitatem inducit: sic etsi peccat, & quidem graviter juxta multos, qui ordines ante Confirmationem recipit, haud tamen est irregularis: quia id nullibi constitutum est in jure. Hic ergo videndum, quæ peccata ordinandum faciant irregularem.

Dico I. qui Ordines recipiunt furtive, id est, qui examen fraudulenter effugerunt, seu per dolum, aut ignorante Episcopo, immiscent se ordinandis, fiunt irregulares.

Prob. ex cap. 1. *De eo qui furtive, &c.* ubi qui furtive Diaconatum accepit, dicitur ad Sacerdotium promoveri non posse absque dispensatione.

Ab hac irregularitate dispensare potest Episcopus, si ipse furtivam hanc Ordinum receptionem sub excommunicationis pœna non prohibuerit, sed quia passim hodie, juxta Pontificale Romanum, Archidiaconus ante Ordinationem monet sub excommunicationis pœna, *ne quis non descriptus*, examinatur, *approbatus, & nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere*, idcirco hæc irregularitas, si publica sit, semper est Papæ reservata, nec ab Episcopo potest relaxari, nisi sub conditione, ut furtive ordinatus, *in aliquo Monasterio, seu Canonia habitum suscipiat regularem*; tunc enim, *ex quo in illo habitu aliquanto tempore fuerit laudabiliter conversatus*, poterit cum eo Episcopus dispensare. Ita habetur cit. cap.

Dico II. Qui scienter ordinatur ab Episcopo excommunicato excommunicatione majori, suspenso, interdicto, deposito, vel degradato, peccat mortaliter, & est suspensus ab Ordinis sic suscepti executione, & aliquo modo irregularis.

Prob. ex Can. 4. 1x. q. 1., ubi prohibetur ei, qui sic ordinatus est, tum suscepti Ordinis usus, donec impositam ab Episcopo pœnitentiam peregerit, tum ad superiores Ordines ascensus, *nisi necessitas, vel utilitas maxima flagitaverit, & ipsius sancta conversatio promeruerit*; quæ verba suspensionem, & irregularitatem quadantenus exprimunt.

Hæc autem de ordinato ab excommunicatis, &c. qui tales nominatim denuntiati sunt, intelligi debent; quanquam a peccato excusari non potest, qui a quocunque excommunicato, ut tali cognito, Sacramenta sine necessitate recipit, ut alibi docent Theologi.

Dico III. Qui *durante matrimonio nondum etiam consummato, aliquem de sacris Ordinibus præsumit accipere.... nec in sic suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi* potest, *soluto* etiam *matrimonio*. Ita Joan. XXII. tit. 6. *De voto, &c.* Porro cui expresse prohibetur Ordinis superioris susceptio, vere est irregularis. Sed hic nota quosdam e Gallis Scriptoribus existimare citatam Extravagantem in hoc Regno non observari (*Gibert.*). Unde consulendi sunt locorum usus.

Jam dicendum de irregularitate ex pravo Ordinum usu: peccat autem quis dupliciter in Ordinum usu: I. male exercendo eos, quos habet. II. eos etiam exercendo, quos non recepit. Usus is, seu potius abusus irregularitatem aliquando parit; quandonam vero, paucis expediendum, sit

CONCLUSIO I. Ligatus majori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, etiamsi toleratus sit, & occultus, irregularitatem incurrit exercendo solemniter, seu ex officio actum majoris Ordinis, nisi legitima ratio excuset.

Prob. 1. pars ex cap. 7. x1. q. 3. ubi omnis spes dispensationis denegatur ei, qui in excommunicatione positus Ordinis sui functiones exercuerit.

Prob. 2. pars de suspensis ex c. 1. *De sent. & re judic.* in 6., ubi qui *suspensione durante, ingerit se divinis* celebrandis, *irregularitatis laqueo* innodari dicitur.

Prob. 3. pars de interdictis ex c. 18. & 20. *De sent. exc.* in 6. ex quorum priori, *qui scienter in loco celebrat interdicto, nisi super hoc privilegiatus existat, aut a jure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit*. In posteriori autem eidem subjacet pœnæ, qui personaliter ab Ecclesiæ ingressu, ac proinde a divinorum celebratione interdictus, *divinis se ingerit, in suo agens officio sicut prius*. Hi porro textus de quibuscunque censuratis generatim, & indistincte loquuntur.

Dixi, *nisi excusetur*, v. g. ex ignorantia invincibili, inadvertentia, oblivione, necessitate vitandi scandali, de quibus dictum est supra. Hinc irregulares fiunt Clerici censura ligati: I. cum Hebdomadarii officium peragunt in Ecclesia, vel extra Ecclesiam, ut in exercitu: ad hoc autem necesse est, ut dicatur *Dominus vobiscum*; qui enim illud omittit, nihil aliud facit, quam quod facere solent Moniales. II. cum canunt so-

solemniter Epistolam, vel Evangelium, id est, cum manipulo & stola. III. cum matrimonium solemniter benedicunt, aut cum solemniter baptizant: hæc enim propria sunt sacri Ordinis munia. Aliud esset, si privatim, & sine solemnitate baptizarent in casu necessitatis; id enim aliquando præstant mulieres. Si tamen Sacerdos post censuram sacramentaliter absolvat clanculum, etiam invalide, fiet irregularis: quia absolutio, etiam occulte data, sacræ functionis usum continet; imo nec ullam habet aliam solemnitatem, quam quæ in verborum prolatione consistit.

Quæres, an qui duplici ligatus censura Ordines sacros exercet, geminatam incurrat irregularitatem. R. affirm. quia duo specie committit delicta, quorum unicuique sua pœna respondet. Aliud esset, si una solum censura ligatus pluries celebrasset.

CONCLUSIO II. Qui serio, scienter, & quasi ex officio sacrum, quem non recepit Ordinem, exercet, est irregularis. Ita communiter Theologi, & colligitur ex c. t. & 2. *De Cleric. non ordin. minist.*

Dixi I. *serio*; quia si id facit repræsentative, ad discendas v. g., aut docendas Missæ cæremonias, aut etiam jocose, non erit irregularis, etsi peccare aliquando possit.

Dixi II. & *scienter*; citatus enim Canon *temeritatem*, & præsumtionem requirit; unde si quis bona fide, & non ex ignorantia affectata in Ordine, quem non habet, ministraverit, putans se eum habere, aut ministerium, quod exercet, esse sui Ordinis, irregularitatem non contrahet.

Dixi III. *quasi ex officio*, seu *solemniter*; is autem actum Ordinis ex officio, seu solemniter exercere dicitur, cujus actus talis est, ut non possit taliter exerceri ab alio, quam ab eo, qui talem Ordinem habet: unde si quis Evangelium legat sine stola, non erit irregularis.

Dixi IV. *Ordinem sacrum*; nam irregularis non fit, qui Minores exercet; neque etiam qui eas exercet functiones, quæ licet a solis Sacerdotibus, aut Diaconis exerceantur, ab eorum tamen Ordine non pendent. Unde Laicus, qui conciones sacras haber eo more, & modo, quo ex officio haberi solent, non est irregularis: tum quia id per se ad Ordinem sacrum non pertinet: tum quia irregularitas hæc nullibi in jure constituta est; tum quia S. Congregatio, re diligenter examinata, censuit munus *prædicationis* committi posse etiam Clerico, qui non sit in sacris.

Quæres I. an qui non est Sacerdos, si confessionem alterius excipiat, irregularis fit. R. affirm. sive absolutionem proferat, sive non: hæc enim functio, *divini officii* nomine satis exprimitur, & per se ad usum clavium pertinet.

Quæres II. an Sacerdos, qui Eucharistiam, Pœnitentiam, & alia id genus ministrat non subditis, inde irregularis efficiatur. R. negat. quia jus non constituit irregularitatem contra eum, qui exercet jurisdictionem, quam non habet, sed contra eum, qui exercet Ordinem, quem non recepit: porro in casu præsenti exercet quis Ordinem, quem recepit, tantumque alienam jurisdictionem usurpat.

Quæres III. quis in hac irregularitate dispenset. R. in irregularitate contracta ob violationem censuræ per Ordinis exercitium solus Papa dispensat, si crimen publicum sit: Episcopus vero, si sit occultum. In ea vero, quæ incurritur per exercitium Ordinis nondum recepti, dispensat Episcopus quoad usum Ordinis, quem quis jam habebat, post pœnitentiam *biennio* toto *vel triennio* peractam (*C.* 2. De Cleric. non ord. min.); Papa vero quoad ascensum ad Ordines superiores, modo tamen crimen publicum sit; si enim occultum fuerit, Episcopus etiam ad Ordines superiores dispensat.

## CAPUT QUARTUM.

### *De Irregularitate ex delicto hæresis.*

JURE communi irregulares sunt hæretici, apostatæ a fide, eorumque fautores, & defensores; unde ne quidem post receptam absolutionem ordinari possunt. Patet id: I. de hæreticis ex cap. 21. q. 7. ubi gratiæ instar conceditur iis, qui ab hæresi resipiscunt, ut *ademta sibi omni spe promotionis*, in Ordine jam suscepto *maneant*; ergo hæretici ad ordines superiores gradum facere non possunt, imo nec in iis, quos susceperint, ministrare, nisi ex gratia quadam, & dispensatione. Idem decernitur de apostatis c. 32. dist. 50. & merito, quia apostatæ a fide in omnibus rejiciunt fidem, quam hæretici non nisi in uno quodam puncto abjiciunt. Idem denique de hæreticis simul, & eorum fautoribus statuitur c. 2. *de hæret.* in 6., ubi vetat Alexander IV., ne ulli eorum ad ecclesiastica Beneficia, vel *officium publicum admittantur*: Ordo autem pertinet ad officium publicum.

Circa hæc notant satis communiter Doctores: I. ut incurratur irregularitas ex hæresi, necessum non esse, ut hæresis notoria sit, etiam notorietate facti, sed satis esse, si non sit mere interior. II. eos, qui hæresim exterius professi, ex metu v. g. vel animo assentationis, fidem servant in corde, licet graviter peccent, haud tamen irregularitati adversus hæreticos sancitæ obnoxios fieri: quia reipsa hæretici non sunt: possent tamen irregularitatem ex infamia incurrere. III. eos, qui exterius solum a fide apostatant, v. g. idolis sacrificando, fieri nihilominus irregulares; quia citatum caput 32. dist. 50. in eos omnes cadit, *qui immolaverunt*. IV. eos, qui a professione religiosa apostatant, *ad Clericatus officium admitti* non debere, ex cap. final. dist. 50.; unde sequitur eos esse irregulares. Aliud est de Clericis, qui ab habitu, & tonsura Clericali apostatant: ii enim nullibi in jure declarantur irregulares.

In Gallia hæretici, Calvinistæ v. g. non habentur pro irregularibus; unde cum ab errore conversi absolutionem receperunt, possunt absque dispensatione ordinari, & Beneficia recipere: & hoc verum est, etiam post Edicti Nannetensis revocationem. Qui vero hæresim publice professi publice etiam sacros Ordines exercuerunt, non video, qua ratione ab alio, quam a Papa, dispensari possint.

Quæres, an Schismatici sint irregulares.

R.

mentum in uno loco occultum, in alio publicum est, & qui eodem tenentur impedimento ad Pœnitentiariam solam rescripserunt, *non facta mentione quod delictum sit publicum* alibi; monet, inquam, Confessarios, ut in hisce casibus *nunquam dispensent, nisi expresse in Brevibus, seu Literis sacræ Pœnitentiariæ detur eis facultas in hujusmodi occultis dispensandi*. Quia inquit, *Pœnitentiaria non solet admittere* (id est, dispensando relaxare) *genus occulti, quod est publicum in alio loco* (*Pag. 27. ibid.*).

Not. III. non omne delictum, quod ad forum contentiosum deducitur, parere irregularitatem Papæ reservatam. Nam I. necesse est, ut reus saltem citatus fuerit: a citatione enim judicium inchoatur; unde non sufficeret vel solos conquestus apud tribunal ecclesiasticum (*Vid. sup. p. 425. in fi.*), vel informatio ab eodem tribunali facta. II. necesse est, ut reos innocentiam suam non probaverit: si enim ex falsis etiam probationibus absolutus fuerit, censetur crimen ejus occultum, quia accusatio sine effectu nihil operatur. III. si reus nec absolutus fuerit, nec condemnatus, sed composuerit, & transegerit cum parte, vel cum Curia, ad quam res deducta erat, delictum hoc adhuc ab Episcopo vi Tridentini relaxari potest, ex Piasecio.

Not. IV. eos, qui ab Apostolica Sede irregularitatis dispensationem obtinere volunt, ad Datariam, ubi Oratoris nomen, & Diœcesis exprimenda sunt, recurrere debere, si crimen sit publicum; si vero occultum fuerit, satis est, ut ad Pœnitentiariam recurrant, ubi nihil horum exprimitur.

Regula VI. Irregularitates omnes ex defectu, paucis exceptis, communiter sunt Romano Pontifici reservatæ. Idem dicendum de irregularitatibus ex delicto publico. Ratio est, quia dispensatio irregularitatis interdicta est Episcopo, quoties eidem non est permissa a jure, vel a consuetudine sufficienter prescripta: porro jus, & consuetudo non permittunt Episcopis, ut dispensent nisi cum illegitimis, & cum bigamis similitudinariis; idque cum limitationibus suo loco assignatis.

Dixi, *communiter*; quod ut explicem, sit

Regula VII. Irregularitates ceteroqui Papæ reservatæ in duplici casu ab Episcopis relaxari possunt.

I. quidem cum dubiæ sunt. Ratio est, quia reservatio, utpote odiosa, & Episcoporum potestati incommoda, restringi debet ad casus certæ irregularitatis; unde, ut alibi diximus, Episcopi in dubio castitatis voto, dubia censura, dubio, & incerto matrimonii impedimento dispensare possunt. Ita Galli & Ultramontani (*Vid. Gibert. Instit. Eccles. p.*278.). Eadem de causa irregularitates relaxari ab Episcopis possunt, cum dubium est, an Papæ reservatæ sint.

II. eædem irregularitates ab Episcopo relaxari possunt vel in perpetuum, vel ad tempus, cum irregularis vel nunquam ad Apostolicam Sedem recurrere poterit propter paupertatem suam, vel saltem hic & nunc recurrere nequit ob imminens scandalum. Ratio est, quia alioqui reservatio esset in destructionem.

Quæres, an irregularitas, quam quis incurrit, violando proprii sui Episcopi censuram, possit, etiam cum publica est, ab eodem Episcopo relaxari.

R. neg. nisi aliud loci usu constitutum sit. Ratio est, quia licet censura, cujus occasione incurritur irregularitas, feratur ab Episcopo, ipsa tamen irregularitas fertur a jure communi, ac proinde irregularitas in genere naturam sequitur.

Nota obiter irregularitatem, cui annexa est plena jure privatio Beneficii, tolli posse a Papa, absque eo quod quis ad Beneficium hoc rehabilitetur; irregularitas enim, & inhabilitas sunt pœnæ omnino dispares, quarum prior, posteriori remanente, auferri potest.

# TRACTATUS DE DE JUSTITIA, ET JURE.

IN hoc summi momenti Tractatu dicemus I. de justitia. II. de jure. III. de restitutione in genere IV. de diversis ejusdem speciebus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De Justitia.*

JUstitia, quæ aliquando accipitur pro complexione omnium virtutum, ut Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam* (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 58.) sumitur in præsenti pro una e quatuor virtutibus cardinalibus, & definitur ab Ulpiano constans, & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi; melius vero, Virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.

Dicitur I. *Virtus*; Virtus enim est habitus naturæ modo, & rationi consentaneus, hominemque, & hominis opus bonum efficiens: atqui justitia talis est habitus. Quid enim naturæ, & rationi consentaneum magis, quam ut homo alteri reddat, quod eidem debet?

Dicitur II. Virtus *moralis*; Neque enim est theologica, cum objectum ejus immediatum non sit Deus, sed jus alteri reddendum, adeoque creatum aliquid, & finitum.

Dicitur III. Virtus inclinans ad reddendum alteri *jus suum*, seu id, quod alteri debitum est plus, aut minus rigorose; debitum enim justitiæ commutativæ strictius est, quam debitum justitiæ legalis.

Dicitur IV. *ad æqualitatem*, quæ quidem æqualitas est commensuratio rei, quæ reddi debet, cum jure alterius. Et hæc est causa cur justitia dicatur attingere medium *rei*, quod semper idem est respectu cujuscunque personæ seu nobilis, seu plebejæ: aliæ vero virtutes servant medium *rationis*, quod pro personarum diversitate diversum est: sic temperantia in-

infirmo aliter & sano mensuram alimentorum determinat.

Justitia dividitur in *generalem*, quæ etiam *publica*, & *legalis* dicitur, & *particularem*.

Justitia generalis est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum communitati id, quod ei debitum est ratione juris, quod habet communitas in personas privatas, earumque bona, quibus uti potest, prout exigit Reipublicæ utilitas. Hine non desunt casus, in quibus justitia legalis ad rationem justitiæ stricte sumtæ accedat, & versetur circa debitum stricte sumtum. Sic communitas, aut qui eidem præest, habet verum jus ad exigenda a subditis ea, quæ ad Reipublicæ bonum necessaria sunt, adeo ut hæc a subditis etiam invitis extorqueri possint; unde subditi in conscientia tenentur ad hæc subministranda, prout diximus agendo de Lege tributorum.

Justitia particularis dividitur in commutativam, & distributivam. *Commutativa* definitur Virtus firmans privatum ad reddendum alteri privato quod ei debitum est, servata æqualitate rei ad rem. *Distributiva* vero est Virtus firmiter inclinans communitatem, vel illum, qui eam repræsentat, ad servandam debitam proportionem inter ea, quæ distribuuntur, & conditionem personarum, quas distributio respicit. Hinc justitia commutativa servat proportionem arithmeticam, quæ ipsa est æqualitas rei ad rem, v. g. dati ad acceptum, mercedis ad laborem, rei restitutæ ad sublatam. Justitia vero distributiva servat proportionem geometricam, quæ est adæquatio proportionis rerum distribuendarum, cum proportione conditionis personarum, quibus eæ res distribui debent; ita ut in bonorum communium distributione tanto plus tribuatur uni præ altero, quanto major est dignitas, aut meritum istius præ illo; unde si sex recipiat nummos qui dignus est ut duo, duodecim recipere debet qui dignus est ut quatuor. Contra vero in distributione onerum communium, si nummos centum contribuat qui viginti nummorum millia habet, quinquaginta tantum præbere debet, qui summam habet media parte breviorem.

Justitia commutativa est justitia proprie, & stricte sumta, ex cujus violatione sequitur obligatio restituendi. Aliter sentiendum de justitia distributiva: quia jus membrorum communitatis, quibus aliquid distribui debet, non est jus strictum, ut patet in Beneficiis, vel Officiis secularibus, quæ a Superiore Ecclesiastico, aut seculari ita distribui possunt, ut qui nullam, vel levem eorum partem recipiunt, de ejusdem Superioris agendi ratione, tanquam stricte injusta, conqueri non possint; qui enim alicui digno officium confert, non aufert alteri etiam digno quod suum est.

Certum est nihilominus Principem communitatis plerumque teneri ad restitutionem, non præcise quia violat justitiam distributivam; sed quia eam lædendo, simul & commutativam lædit. Sic, quod summopere notandum est, ad restituendum tenentur: I. qui indignis officia conferunt; quia Respublica multum inde recipit detrimenti, quod quidem detrimentum avertere tenentur, qui eidem Reipublicæ præsunt. II. qui animo vindictæ, aut examinis defectu, inter lances, & ollas, ut frequentius evenit, variis oneribus, puta militum hospitio, annuis tributis, gallice *la Taille*, privatos gravant, ut parentibus suis parcant, aut Magnatum favorem sibi concilient. III. qui in concursu minus dignum præferunt digniori. Ex pacto enim, quod intervenit in concursu, nascitur jus stricte sumtum in iis, qui concurrunt. IV. Parochi, qui in distributione eleemosynarum singulis loci cujusdam pauperibus legatarum, devotum gregem, garrulam quandoque, & inertem, abunde reficiunt; dum pauperiores familiæ fame, & inedia consumtæ languent, & tabescunt. V. Duces, qui contra Regis intentionem, expugnatæ urbis spolia dividunt, absque ullo respectu ad eos, qui acriter magis, aut minus decertavere. VI. qui Beneficia, vel Bursas in Seminariis, aut Collegiis pro paupere quadam familia fundatas, alienigenis conferunt, & sæpe non indigentibus.

Justitia vindicativa est Virtus reddens malefactori pœnam culpæ ejus debitam, & adæquatam. Hæc justitiæ species summopere est necessaria, seu Principibus, cæterisque Superioribus, qui nisi eam servent, non raro contrahunt obligationem restituendi; sive privatis, qui plerumque quod amiserunt recuperare non valent; sive toti communitati, quæ gravia propter Judicis in puniendo negligentiam pati potest detrimenta. Et vero non minus tenetur Judex ad restituendum, cum impunitos sinit eos, qui civium vitæ, & bonis insidiantur, quam ad id teneatur custos horti, qui accepto stipendio, ut malas herbas auferat, iisdem bonum semen suffocari permittit: atqui &c.

Quæres, an explicata hactenus justitiæ divisio legitima sit.

R. affirmat. quia totuplex est justitia, quotuplex est ordo, in quo reddi potest alteri quod suum est: atqui triplex est hujusmodi ordo in Republica; totius nimirum ad partes, ad quem respicit justitia distributiva, quæ partibus reddit quod ipsis debitum est, tum in præmiis, tum in pœnis; partium ad totum, pro quo assignatur justitia legalis, per quam quælibet pars communi bono invigilat; partium denique ad se invicem, in quo servatur justitia commutativa; qua pars comparti quod ejus est reddit; ergo.

Ceteras quæstiones, quæ hic agitari solent circa justitiæ causas, & partes, omittimus consulto, ne tricis adhærendo, graviora prætermittere cogamur.

APPENDIX

# APPENDIX

## DE NOTITIA, ET LECTIONE UTRIUSQUE JURIS CANONICI, ET CIVILIS.

(✠) QUum in Christianæ Ethices Libris plures occorrant Textus utriusque juris, in quibus legendis sæpissime Tyrones hærent, nec quo se vertant, habent. Hinc necessarium duximus perbrevem utriusque juris notionem ex onere; ac methodum, qua citari utcumque solet, paucis declarare.

I.

Corpus Juris Canonici in duo volumina vulgo distributum, ut illud omittamus, quod antiquum dicitur, continens Canones a variis Auctoribus collectos, quels per octingentos annos usa est Ecclesia, aliud non est, quam Canonum collectio auctoritate Ecclesiæ editorum, quibus diriguntur Christiani, & quinque istis Libris comprehenditur, Decreto scilicet Gratiani, quinque Libris Decretalium Greg. IX. Sexto Decretalium Bonifacii VIII., Clementinis, Extravagantibus Jo. XXII., & Extravagantibus communibus.

II.

Decretum Gratiani, ab Auctore suo Gratiano Monacho Benedictino Etrusco nuncupatum, in tres partes dividitur. Prima pars inscribitur: *Distinctiones*, quæ sunt num. 101., quarum quælibet suos habet Canones. Secunda pars inscribitur: *Caussæ*, quæ sunt 36., quarum quælibet in quæstiones subdividitur; & quælibet quæstio suos habet Canones. Caussa autem 33. tractatum complectens de pœnitentia, utpote diffusior septem continet distinctiones. Tertia pars tractatum complectitur de *Consecratione* in quinque distinctiones divisum; quæ omnia memoriæ juvandæ gratia sequentibus carminibus notari solent.

Decretum centum distinctiones dat, & unam,
Triginta caussas, & sex addit tibi mixtas,
Distinguit septem pœnitentia. Consecra quinque;
Auctorem quarum tibi declaro Gratianum.

Non est ab omni mendo immunis hæc Gratiani collectio, atque in hoc præsertim peccat, quod uni interdum tribuat Auctori, quod alteri conveniat. Quapropter consulendum est eruditissimum opus novissime a Cl. Advocato Berardo in Regia Taurinensi Universitate Juris Canonici Professore doctissimo, summa diligentia elaboratum, cui titulus est: *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, corrupti ad emendatiorum Codicum fidem exacti, difficiliores commoda interpretatione illustrati.*

III.

*Decretales*, Gregorii vulgo dictæ, aliud non sunt, quam nova Decretalium Epistolarum Alexandri III., Innocentii III., Honorii III., & Gregorii IX. Summi Pontificis collectio jussu Gregorii IX. a S. Raymundo de Penoafort Ord. Prædicatorum Sanctissimo Viro in lucem edita an. circiter 1230., hæc divisa est in *Titulos*, Tituli in *Capitula*, & Capitula in *Paragraphos*, ita ut primus Liber agat de munere, & officiu personarum Ecclesiasticarum, secundus de judiciis, & ad ea spectantibus, tertius de rebus ad Clericos, & Ecclesiam pertinentibus, quartus de pertinentibus ad Laicos, ac præsertim de matrimonio, quintus de delictis, & de pœnis eorum, quos omnes complectitur hoc Distichon.

*Judex, judicium, Clerus, Sponsalia, Crimen*
*Hæc tibi designant quid quæque volumina signant.*

IV.

*Sextus* Decretalium liber Bonif. VIII. est collectio ab eodem Bonif. VIII. promulgata an. circiter 1298. complectens omnes decretales, & suas, & suorum prædecessorum usque ad Greg. IX., a ceteris decretalibus divisus, ita ut, quod in illis non est decisum, decisum reperiatur in *sexto*, in quo idem servator librorum, & rerum ordo, qui in Decretalibus, atque etiam divisus est in quinque libros, quorum singuli continent titulos, tituli autem capita.

V.

*Clementinæ* sunt constitutiones aliæ a Clemente V. in Conc. Viennen. editæ, & a Jo. XXII. ejus successore promulgatæ circa annum 1316., continent pariter quinque libros, & versantur circa easdem materias.

VI.

*Extravagantes*, aliæ nom. 20. Jo. XXII., aliæ communes vulgo dictæ, & sunt ipsæ constitutiones a Jo. XXII. editæ, & ejus nomine promulgatæ, sicut & ceteræ ab aliis Rom. Pontificibus ortæ, & corpori juris Can. insertæ, quæ extravagantes dicuntur, eo quod olim extra corpus juris canonici vagarentur, quatuor duntaxat hæc collectio libros habet, quia in extravagantibus de matrimonio non agitur.

VII.

Ad citationum praxim observandum est, quod ubi reperiuntur hæc signa:

*Can.* vel *cap.* dist. 11., significant primam partem decreti Gratiani.

Can. vel cap. 12. caus. q. 4., secundam partem ejusdem decreti.

Dist. de pœnit., trigesimam designant caussam ubi sunt 7. distinctiones de pœn.

Can. vel cap. dist. *de Consecrat.*, tertiam denotat partem Gratiani decreti.

Can. vel cap. e. g. *de feriis* ostendit decretales; illarumque titulos.

Can. vel cap. *de feriis* in 6. tunc sextus decretalium liber consulendus est.

Can. vel cap. *Clemens.*, videndæ sunt Clementinæ.

Can. vel cap. Extravag. 22. vel comm., adire debes Extravagantes Jo. XXII. vel communes.

*Lectio Citationum.*

Can. Clericum 74. XI. q. 1., idest Canone, qui incipit *Clericum*, & est 74., qui reperitur caussa undecima quæstione prima secundæ partis.

Cap. *Novit.* Extra *de judiciis*, idest capite cujus initium est, *novit.*, quod reperitur extra Gratianum, scilicet in decretalibus lib. 2.

Clemen. *si furiosus* de homic. volunt. vel cas., idest Clementina, quæ incipit, si furiosus, in titulo de homicidio voluntario, vel casuali, qui est in libro quinto Clementinarum. &c.

Jus

VIII.

Jus civile est earum Legum collectio, queis homines in Reipublicæ bonum diriguntur: aliud est commune, seu Romanum, aliud particulare; de communi tantum pauca dicemus.

Jus civile Romanum, duplex est, *antiquum*, quod constat ex Codice Hermogeniano, Gregoriano, & Theodosiano, & *novum*, quod ex illis constat libris, qui in scholis explicari solent, & integrum juris civilis corpus constituunt.

Corpus Juris Civilis novi continet: I. quatuor libros Institutionum divisos in titulos, & paragraphos. II. Pandectas, seu 50. libros Digestorum distinctos in titulos, & leges. III. duodecim libros Codicis distinctos pariter in titulos, & leges. IV. *Novellas* diversorum Imperatorum. V. Feudorum Constitutiones. VI. Extravagantes.

IX.

Notæ, quibus in praxi citari solent Juris Civilis libri, sunt quæ sequuntur.

I., scilicet Institutiones.
D., vel ff., idest Digesta; seu Pandectæ,
C., seu Codex.
N., id est Novellæ.
E., id est Edicta Justiniani Imp.
N. J., seu Novellæ Justini.
C. T., id est Constitutiones Tiberii.
C. JJ., id est Constitutiones Justiniani Justini.
L., id est Leonis Novellæ.
C. I., seu Constitutiones Imperiales.
F., id est Feudorum consuetudines.
Ex., id est Extravagantes.

Cognitis hisce facile est quaslibet Juris Civilis citationes legere; quare supervacaneum ducimus alia hic exempla producere. (✠)

## CAPUT SECUNDUM.

*De jure.*

JUs prout præsentis est instituti, definiri potest, Legitima potestas disponendi de re tanquam nostra per se efficiens, ut nemo, nobis rationabiliter invitis, de eadam re disponere possit.

Dicitur I. *potestas*, quæ est habitudo ad id, circa quod jus habere dicimur. Ea vero vel concipitur per modum potentiæ activæ, ut cum agitur de jure, quod habet Judex ad ferendam sententiam: vel per modum potentiæ passivæ, ut cum dicitur filium habere jus, ut nutriatur a patre: vel per modum potentiæ resistendi, quale est jus, quo impedire potes, ne alius ædificet in tali loco, ne altius ædificet, ne fenestram aperiat, unde prospicere possit quid in area tua fiat.

Dicitur II. *legitima*, hoc est concessa a lege, sive naturali, uti est jus ad tuendam vitam; sive divina, uti est jus ad percipienda Ecclesiæ Sacramenta; sive demum humana, uti est jus præscribendi jus hæreditarium, &c.

Dicitur III. *disponendi de re tanquam sua*. Ubi nota I. rei nomen late sumi pro eo omni, quod utcunque ad nos pertinere potest, sive sit substantia ipsa boni; quo sensu filius habet jus in hæreditatem paternam: sive sit simplex rei usus; quo modo jus habet in hortum, qui ejus usum habet a proprietate distinctum: sive sit mera functio, v. g. pronuntiandæ sententiæ, aut quasi functio, puta jus retinendæ conditionis, in qua sumus: vel negatio functionis, ut non militandi, non solvendi tributi, ad quod alii obligantur. II. verbum *disponere* non id tantum respicere, quod actu possidemus *possessione facti*, ut ajunt; sed id etiam, quod possidemus *possessione juris*, id est, quod ut nobis jam debitum, & obligatum prosequi possumus.

Dicitur IV. *efficiens ut nemo*, *&c.* Si enim res vere mea sit, injuriam facit mihi, qui de ipsa contra voluntatem meam, sine legitima causa disponit.

Jus dividitur in *jus ad rem*, *& jus in re*. Jus ad rem est jus, quod quis habet ut res fiat sua; & hoc jus, non dat actionem in rem, sed in personam, a qua res tradi debet. Jus in re illud est, quod quis habet in re jam sua & obtenta; & hoc jus dat actionem in rem, quæ quocunque transeat, repeti potest ab eo, qui tale in ipsa jus habet. Res enim transit cum onere suo; rei vero onus est, ut ejus sit, cui tradita est, aut a quo apprehensa fuit. In Beneficiis, qui prior est *in data*, ut ajunt, censetur habere jus in re: unde præfertur ceteris prius provisionem, atque etiam possessionem adeptis.

Ad jus ad rem refertur jus, quod habes per electionem, postulationem, præsentationem ad Beneficium; imo per collationem Beneficii ante acceptationem. Ad jus in re revocantur dominium rei, usus, & ususfructus, servitutes, & alia, de quibus seorsim dicendum.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De Dominio.*

DUæ erunt hujus Articuli sectiones. Prima explicabit naturam, divisionem, subjectum, & objectum dominii. Secunda varios acquirendi dominii modos expendet.

### SECTIO PRIMA.

*De Dominii essentia, divisione, &c.*

DOminium est jus disponendi de re vel ex toto, vel ex parte. Unde dominium aliud est plenum, aliud non plenum.

Dominium plenum est jus disponendi de re, & commodis ejus, v. g. usu, usufructu, &c. unde continet proprietatem tum rei, tum commodorum ejus. Dominium non plenum est illud, quo vel tantum rei proprietas habetur, vel ejus duntaxat usus, aut ususfructus; hinc dominium non plenum subdividitur in *directum*, & *utile*. Directum est illud, quo habetur sola rei proprietas: tale est dominium, quod

habet

habet dominus in agro, quem tradidit ad emphyteusim. Dominium utile solam rei commoditatem, & utilitatem complectitur: tale est, quod habet emphyteuta in agro sibi ad emphyteusim tradito. Unde dominium plenum, prout directum & utile complectitur, definiri solet: Jus in re, extendens se ad omnem ejus usum, seu dispositionem, nisi lege prohibeatur.

Dicitur I. *Jus in re*, quæ vox excludit omnia jura ad rem, & habet locum generis: quia omne dominium est jus in re, sed non e contra; qui enim habet pignus, vel usumfructum rei, habet jus in re, non tamen dominium plenum.

Dicitur II. *extendens se ad omnem usum*, &c. quæ voces dominium plenum distingunt ab alio quocunque: nam dominium directum, per se solum non extenditur ad usum, aut usumfructum; dominium vero utile ipsam rei proprietatem non complectitur.

Dicitur III. *nisi lege prohibeatur*: quia qui habet dominium rei, non semper sua in illam potestate uti potest, lege impediente. Sic pupillus, licet bonorum suorum dominus, ea tamen alienare nequit, quia id ei legibus vetitum est.

Ad dominii acquisitionem sufficit apprehensio, quoties agitur de re, quæ nullius erat. Si vero agatur de dominio ab uno in alium transferendo, tunc jure communi requiruntur ordinarie titulus, & traditio. Titulus quidem, quia titulus definitur radix dominii, seu id, in quo totum jus primitus fundatur, ut emtio, donatio, successio hæreditaria. Traditio vero, quia ex Leg. 22. Cod. *De pactis*. *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Et vero traditio est actus, quo quis in possessionem rei antea non suæ mittitur: is autem actus ad dominium requiritur.

Dixi *ordinarie*, quia certi sunt casus, in quibus jure communi non requiritur traditio, ut dominium acquiratur. Sic I. in Beneficiis, jus in re acquiritur per solam collationem, & acceptationem. Illud tamen jus in re, seclusa possessione, parum prodest, de quo alibi. II. in hæreditate: hæres enim, sive ab intestato, sive ex testato, sine traditione dominium acquirit, *adita* tamen *hæreditate*; aditur vero hæreditas, dum acceptatur verbo, vel facto. Apud nos in locis consuetudinariis valet hæc regula; *Le mort saisit le vif*: neque ibi opus est institutione. III. in legatis, quorum legatarius de jure communi dominium acquirit, statim ut hæreditas acceptatur ab hærede. IV. in donatis, venditis, aut relictis ad pias causas, v. g. in gratiam Monasteriorum, Hospitalium, vel in redemtionem captivorum. V. si alteri domum vel fundum tradideris, ea lege, ut alimenta tibi præberet, illo non præbente, statim ad te revertitur rei tuæ dominium absque traditione. Sed in his consulendæ sunt privatæ locorum Leges.

Præter divisiones dominii superius allatas, alia est ejus divisio in dominium *altum*, & *humile*.

Altum illud est, quod habet Princeps, vel Respublica in bona privatorum: de quibus disponere possunt, cum id exigit bonum commune. Humile est illud quod habet unusquisque in rem suam, qua, ut ajunt, uti vel abuti potest, absque eo quod alteri cuipiam homini injuriam faciat.

His præmissis duo investiganda manent, I. an homo quilibet sit capax dominii. II. quodnam sit humani dominii objectum. Circa primum triplex est difficultas. Prima, an peccatores & infideles; secunda, an amentes & parvuli; tertia, an filii-familias sint dominii capaces. Circa secundum, duo inquiruntur: I. an homo sit famæ suæ dominus. II. an homo hominis alterius dominus esse possit. Quæ omnia thesibus quinque prosequemur. Sit

CONCLUSIO I. Peccatores & Infideles sunt capaces dominii. Est contra Wiclefum, & Joannem Hus.

Prob. I. Peccatores & impii erant Pharao, Saul a Deo reprobatus, Cæsar & alii id genus: atqui tamen ii omnes verum in Imperio quisque suo dominium habebant, ita ut de facto justitiam læsisset, qui Cæsari non reddidisset ea, quæ erant Cæsaris. Hinc S. Augustinus L. 5. de civ. Dei, c. 21. *Deus dat regnum terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet*.

Prob. II. Si peccatores & Infideles dominium non haberent, maxime quia fides & gratia essent fundamentum, & radix dominii; atqui falsum consequens: I° quia fundamentum dominii manifestum esse debet, ut dominium probari possit: porro fides gratia non sunt quid manifesti. II. quia si fidei aut sanctitatis defectus aliquem dominio privet, jam licebit negare tributum dominis præsertim discolis; quin & eorum bona usurpare licebit: atqui hæc necdum licita sint, e contra expresse prohibita sunt; ergo.

Obj. Rom. 13. *Non est potestas nisi a Deo*: sed impii non habent potestatem a Deo, juxta illud Osee 8. *Ipsi regnaverunt, sed non ex me*; ergo.

R. neg. min. mali enim dicuntur non regnasse ex Deo, non quia non fuere Reges legitimi, sed quia non regnaverunt secundum Dei voluntatem: unde statim additur, *Principes extiterunt, & non cognovi*: id est, non approbavi. Adde quod Propheta alludere potuerit ad eos, qui, ut Amri, & Sellum, tyrannice regnum invaserunt.

CONCLUSIO II. Parvuli & amentes sunt capaces dominii.

Prob. tum quia parvulis & amentibus injuriam facit, qui eorum bona usurpat; tum quia bona eorum nec sunt Reipublicæ, nec Principis, nec curatorum aut tutorum; ergo superest, ut parvuli ipsi eorum habeant proprietatem. Hinc Galat. 4. *parvulus* dicitur *dominus omnium*.

Obj. Ad dominium requiritur potestas libere utendi vel abutendi: atqui infantes & amentes potestatem hanc non habent; ergo.

R. sufficere ad dominium potestatem disponendi de re, sive per se, sive per alium, qui de ea, non suo, sed alterius nomine disponat: hoc enim est evidens dominii signum, si alter rem ut tuam tractet, non ut suam; tunc enim supponeris habere dominium, ille meram administrationem.

Non loquimur hic de servis, qui apud Romanos mancipia dicebantur, apud nos gallice, *esclaves*: quia quis-

quisquis Galliam ingreditur, etiam servus, eo ipso libertatem vulgo consequitur.

CONCLUSIO III. Filii-familias verum habent in certa quædam bona dominium, aliquando plenum, aliquando non plenum.

Antequam probetur Conclusio, notand. quadruplex esse genus bonorum, quæ a filiis non emancipatis haberi possunt. Primum genus est castrensium: secundum, quasi castrensium: tertium adventitiorum: quartum denique profectitiorum. Atque varia hæc bona Romani *peculium* dicunt.

Bona *castrensia* sunt ea, quæ a filio in militia justa, vel occasione militiæ, sive mari, sive terra comparantur, qualia sunt stipendia militum, prædæ de hostibus, donativa Ducum aut commilitonum; testamentum & legata occasione militiæ; mobilia a parentibus intuitu militiæ data filio ad militiam proficiscenti. Castrense etiam dicitur id omne quod acquirit filius-familias in obsequio & aula etiam Principis, sive Principis largitione, sive propria industria; in castelli, aut arcis custodia etiam tempore pacis, & quidquid ex iis bonis provenit per contractum legitimum, ut si filius-familias ex illis emat fundum frugiferum, ludat, negotietur, atque lucretur.

Bona *quasi castrensia*, sic dicta, quia gaudent privilegio castrensium, acquiruntur ratione militiæ sacræ, togatæ, vel literatæ. Quadruplex est peculii quasi castrensis genus: *Clericale*, quod a filiis-familias post Clericatum acquiritur, sive ex Beneficio Ecclesiastico, sive aliunde: unde quidquid in aliis filiis adventitium foret, illud post Clericatum quasi castrense est; bona tamen ante Clericatum possessa, post ipsum ejusdem remanent naturæ. *Forense*, quod acquiritur in foro, vel ratione alicujus Officii publici non mechanici, puta Judicis, Assessoris, Notarii. *Palatinum*, quod datur a Rege, vel Regina, aut a supremis Principibus, & *Scholasticum*, quod acquiritur occasione liberalium artium, & multo magis ex professione Theologiæ, Jurisprudentiæ, &c.

Bona *adventitia* sunt ea, quæ non proveniunt a patre, neque ejus causa, vel intuito principaliter dantur filio. Talia sunt ea, quæ filius vel proprio labore, non ex rebus patris, vel successione, vel donatione facta alio, quam patris intuitu comparat; vel quæ filio fortuito obveniunt, ut si thesaurum inveniat: aut quæ ex propria acquirit industria, ut si ex pecunia mutuo accepta, negotiando lucretur. Bona hæc dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo non proveniunt:

Bona *profectitia* ea sunt, quæ filius acquirit vel ex bonis patris, v. g. ex iis negotiando, aut ea administrando; vel intuitu patris, ut si quis ob amicitiam, aut obsequium patris, filio bona quædam largiatur; secus si hæc daret ob amicitiam filii, puta quia filium patris negotia strenue gerentem amavit: tunc enim pater esset causa nimis remota, ut bona hæc illius intuitu filio concessa judicarentur.

His præmissis, dico quod filii-familias bonorum castrensium, aut quasi castrensium plenum, ac perfectum habeant dominium; bonorum adventitiorum proprietatem solam, non usumfructum; profectitiorum vero, nec usumfructum, nec proprietatem, sed solam administrationem. Ita habetur in Just. Lib. 5. tit. 9.

Hinc sequitur I. filium-familias, nisi lex ob tenellam ipsius ætatem resistat, de bonis castrensibus posse pro nutu disponere, ea alienando, donando, &c. patrem vero, si quid ex iis subtrahat, teneri ad restitutionem.

Sequitur II. filium non posse secluso patris consensu disponere de bonis adventitiis, quia eorum utilitas pertinet ad patrem: patrem quoque, si eorumdem bonorum substantiam dilapidet, teneri ad restituendum, per se, vel per hæredes suos, quia proprietas eorum penes filium manet. Quod si dilapidatio fructus tantum concernat, nulla erit restitutionis obligatio. Et hæc quidem dispositio non viget in Gallia, nisi in iis regionibus, quæ *jure scripto* reguntur, ut statim dicam.

Sunt tamen, etiam secundum jus Romanum, aliqui casus, in quibus pater adventitiorum filii bonorum usumfructum non retinet: Ut I. si bona filio-familias relinquantur hac solum lege, ut ususfructus non pertineat ad patrem. II. si pater cum filio succedat alteri filio in bonis adventitiis; pars enim, quæ devenit ad filium superstitem, non debet usumfructum patri. III. si filius aliquid acquirat titulo donationis, aut successionis, patre irrationabiliter contradicente; quia non est æquum, ut inde pater commodum reportet. IV. si pater incestas nuptias contrahat, si fiat Judæus, si Hæreticus: sed videndæ locorum consuetudines. V. si filio non relictus sit nisi ususfructus: quia ususfructus alterum usumfructum non habet.

Gravis hic movetur quæstio, an quæ filius paterna in domo lucratur, pertineant ad ipsum, an ad patrem; an non, dum præ ceteris filiis laborat, aliquid retinere possit instar salarii.

R. I. lucra non ex bonis patris, sed ex operibus filii provenientia, puta si filius sit musicus, fistulator, &c. numerari inter adventitia, ac proinde posse a filio recuperari post patris obitum; deductis tamen impensis, quas in alendo filio fecit pater: quia non tenetur pater alere filium habentem propria, id est, castrensia, quasi castrensia, vel adventitia bona. Ratio est quia ex lege 10. *De obseq. parentibus præst. ff. Pietatem liberi parentibus non operas debent*, nisi pauperes sint.

Si tamen filius opificis operam suam patri præstet, nulla expresse, vel tacite petita mercede, præsumitur illam patri remittere titulo pietatis; unde si mortuo patre repetere illam a fratribus velit, non est audiendus. *Cessat tamen hæc præsumtio in foro conscientiæ, si filius certus est de sui contraria voluntate, quam patri ex reverentia, vel metu non fit ausus significare* ( *Cabassut.* ). Idem docent probatioris notæ Theologi; & hoc in Gallia *consuetudinaria* pro certo habendum est, quia in ea filius ex bonis adventitiis acquirit patri, præter commoditatem, & durante minoritate administrationem. Idem viva voce declaraverunt mihi Causidici Parisienses, quos ob injectum ea de re scrupulum consului.

Respondet II. Cabassut, aliique multi contra non

paucos

paucos, filium v. g. fabri, aut mercatoris, qui ex bonis paternis ipso patris nomine, & auctoritate lucratur, jus habere in hujusce lucri partem. Addunt iidem, filium, si præ metu reverentiali jus illud suum petere non ausit, aut sciat se, si peteret, passurum repulsam, nec sibi jus illud compuratum iri, posse sibi clam assumere unde operam suam compenset, sive vivente, sive mortuo patre. Ratio est, inquiunt: I. quia hoc peculii genus non omnino profectitium est, sed mixtum ex profectitio quoad paterna bona, & adventitio ratione proprii laboris, & industriæ; bona autem adventitia ad filium pertinent. II. quia filius non debet esse deterioris conditionis, quam extraneus, qui dubio procul debito non careret stipendio. III. quia filius non tenetur jure naturali pro patre non indigense laborare. Si ergo pater nullam lucri hujus partem quasi societatis jure filio largiatur, tantum ei salarii debet, quantum extraneo, nisi remittat filius, qui consequenter, si clanculum servaverit summam labore suo non majorem, eam retinere potest, ut ait Pontas v. *Compensatio*, cas. 5.

Hic tamen certas quasdam conditiones exigunt citati Casuistæ. Prima est, ut filius ea deducat, quæ tunc temporis expendit pater in eo alendo, & vestiendo. Secunda, ut filius usumfructum lucri hujus sibi non vindicet ante emancipationem suam, vel patris mortem. Tertia, ut pater per se, vel per alium minori pretio id facturus non fuisset, quod fecit filius. Quarta, ut filius non teneatur operam suam egenti patri, vel matri gratis, & pietatis titulo præstare. Quinta, ut non resistant leges locorum, prout in Armorica resistere monuit me vir eruditus.

Hæc opinio, licet ob auctoritates, quibus nititur, tuta appareat, magnam in praxi cautionem exigit.

(✠) Cautus equidem hac in re Confessarius esse debet. Difficile enim est in praxi, quod pater nullam præfati lucri partem lucranti filio largiatur, vel ratione vestium, quæ ut plurimum pretiosiores sunt, dum ceteros filios vilius induit, vel propter majora subsidia, quæ ipsi subministrat, vel ratione majoris portionis, quam in hæreditate obtinebit; Quapropter prudens Confessarius attento animo considerare debet quæ habentur in Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid a Patre suo, & a Matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*, seu ostendit se optare patris mortem. Præterea Justinianus lib. 4. instit. tit. 1. §. 13. *Hi*, inquit, *qui in parentum, vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtivam causam cadit. Et hoc furtum* subjungit S. Antoninus p. 2. tit. 1. cap. 15. §. 1. *si est quid notabile*, idest longe majus, quam factum ab extraneo, *mortale est* ...... *& ad restitutionem tenetur coheredibus nisi pater dederit, vel coheredes ipsum tantundem subripuisse certo sciat*. Tandem animadvertat Confessarius quod sicuti ea, quæ filio ex bonis paternis lucranti clam assumere permittunt citati Auctores, ideo permittunt ut operam suam compenset. Verum ad compensationem satis non est debitum incertum, & solo probabilitatis colore vestitum, ut suo loco videbitur. Adeoque &c. (✠)

CONCLUSIO IV. Homo est dominus suæ famæ.

Prob. Ille famæ suæ dominus est, cui competunt primarii actus dominii circa famam: atqui, &c. Potest enim homo famam proprio labore acquirere; ablatam potest ut rem suam in judicio repetere: potest demum restitutionem ejus sine cujusquam injuria condonare; ergo homo famæ suæ dominus est, eamque multis in casibus amittere potest: puta I. ad petendum consilium. II. ad sui humiliationem, vel ad misericordiæ divinæ commendationem: qua ratione declarat S. Paulus se blasphemum fuisse.

Hoc tamen hominis in famam suam dominium ligatum est, cum vergit in alterius nocumentum. Vergit autem: I. cum ex nostri diffamatione sequitur alterius infamia; sic fama patris, Superioris, Prælati vix violari potest, absque eo quod inde infametur filius, vel Communitas. II. cum ex læsione famæ sequitur scandalum proximi, & hoc maxime locum habet in Sacerdotibus, qui satis ponderare nequeunt id S. Augustini Lib. de bono vidult. cap. 21. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*.

Dices. Homo qui passus est mutilationem membri, potest restitutionem ejus condonare: atqui tamen non inde sequitur hominem esse dominum membrorum; ergo ex eo quod possit homo remittere obligationem restituendæ sibi famæ, non sequitur eum famæ suæ dominum esse.

R. dist. maj. potest condonare restitutionem membri, secundum quod illius dominium habet, C. maj. secus, N. maj. Homo habet dominium utile membri, quatenus ad nutum membro uti potest, & secundum hoc potest nullam exigere reparationem: at vero si membrum secundum se restitui posset, non posset restitutionem ejus remittere; quia nemini concessit Deus dominium plenum in membra sua. Aliud est de fama: hæc enim secundum se restitui potest, adeoque vere illius sic dominus debet, qui illius restituendæ obligationem remittit.

CONCLUSIO V. Homo alterius hominis dominus esse potest; adeoque licet homini hominem servum facere, aut habere.

Prob. Ut homo alterius dominus esse possit sine peccato, satis est, ut servitus non pugnet contra jus vel naturale, vel divinum, vel humanum: atqui servitus non pugnat: I. contra jus naturale. Homo enim habet dominium utile membrorum suorum: porro non vetat natura, ut qui tale dominium habet, vel ipsum transferat in alium per voluntariam servitutem, vel eo per necessariam servitutem privetur. II. non pugnat servitus contra jura divinum. Quin e contra: nam Exodi 21. mentio fit de servis etiam Hebræis, qui se vendiderant; & I. ad Timot. 6. hortatur Apostolus, ut *quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos* etiam infideles *omni honore dignos arbitrentur*. III non pugnat contra jus Ecclesiasticum, quod inter positiva jura majoris est momenti; idque patet ex variis Juris Canonici titu-

lis, ubi multa disseruntur de servis Christianis. Vide caus. 12. q. 2. c. 55. & seq.

Ubi tamen legibus Principum prohibetur servitus, ut in Gallia, admitti non debet: quanquam & Galli servos habent in America.

Hic notandum jus dominorum in servos ultra rationabile servitium non extendi, unde non licet domino servum necare: imo S. Thomas, & post eum alii multi negant servum per vim, & fraudem a contrahendo matrimonio impedire posse. Posset tamen impedire a recipiendis Ordinibus, quia tunc efficeretur liber, posset & impedire ab ingressu Religionis, ad quam si transiret invito domino, furtum sui domino faceret, deberetque ei restitui, si ante finem triennii eumdem repeteret, cap. *Si quis* caus. 17. q. 2.

Quæres, an licitum sit servis fugere.

Quæstio non movetur de servis, qui se in servitutem vendiderunt, aut ex matre aliter, quam per bellum serva servitutem contraxerunt: ii enim tam numerantur in rebus domini sui, quam cæteræ ejus possessiones. Neque etiam de iis sermo est, qui ad infidelitatem, aut quodlibet aliud mortale peccatum periculose sollicitantur, quibusve dominus necessaria vitæ auxilia denegat; ii enim omnes jus habent domini sui jure potius, vitam suam seu corporalem, seu spiritualem tuendi. Præcipua ergo difficultas est, utrum servo, qui in bello captus est, jure postliminii fugere liceat. Jus postliminii est jus recuperandæ rei suæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ.

R. servi in bello etiam justo capti fugere possunt ad suos, non tamen dominis persequentibus vi resistere.

Prob. ex consuetudine ubique recepta, quæ habet, ut servi bello capti ad suos sine conscientiæ scrupulo fugere possint: is enim ubique est usus eorum, qui bella gerunt, ut nunquam petant, aut mittant pretium eorum, qui fuga libertatem recuperavere; ergo.

Dixi I. servos *posse fugere ad suos*: non enim libertatem recuperant, quandiu intra hostium, a quibus capti sunt, confinia morantur; adeoque servi manent, donec *ad suos* devenerint.

Dixi II. eos *non posse dominis persequentibus vi resistere*. Habet enim dominus verum jus eos retinendi, quandiu extra hostium fines non pervenerint; ergo cum bellum utrinque justum esse non possit, non possunt vi se tueri.

Obj. Servus fugiendo privat dominum justa sua possessione; servus enim ante fugam justo, ut supponimus, belli titulo possidetur; ergo.

R. dist. Servus dominum possessione sua privat, secundum legem ubique receptam, C. secus, N. Itaque habent domini jus in servos, ut eos retineant, iisque opportunitatem fugæ eripiant: sed non habent jus ut servi oblata fugiendi occasione non utantur: jus enim gentium iis concedit, ut libertatem, si possint, ambabus ulnis amplectantur.

## SECTIO SECUNDA.

*De variis acquirendi dominii modis.*

NOtandum bona, quæ comparantur, multiplicis esse generis: I. enim quædam sunt, quæ dominum nullum unquam habuere, aut saltem nunquam habuisse censentur, ut feræ complures, Insulæ hactenus inhabitatæ, metalla, gemmæ, &c. II. quædam sunt, quæ dominum habuerunt, vel jam pridem, ut thesauri, vel non ita pridem, ut bona defectu hæredum & testamenti vacantia; item bona derelicta, vel nuper amissa. III. demum quædam habent dominum, & nihilominus absque ejus consensu in alterum transferuntur. Bona, quæ nullius fuerunt, dicuntur *occupari*: quæ jampridem possessore carent, aut nuper amissa sunt, dicuntur *inveniri*: quæ vero sine domini consensu ad alium deveniunt, dicuntur *præscribi*. Itaque dicendum est de acquisitione dominii: I. per occupationem. II. per inventionem. III. per præscriptionem. IV. differemus de aliis quibusdam acquirendi dominii modis.

### PUNCTUM PRIMUM.

*De occupatione animalium, gemmarum, &c.*

BEstiarum aliæ natura sua feræ sunt, ut cervi & lepores; aliæ cicures, ut oves, & gallinæ; aliæ cicurantur ex feris, ut cervi; aliæ efferantur ex cicuribus, ut capræ, quæ feræ evadunt. Sit

CONCLUSIO I. Animalia naturaliter mansueta & domestica, etiamsi dominorum potestatem longius evaserint, occupari ab alio non possunt.

Prob. Ideo animalia hæc ab alio occupari possent, quia censerentur libertatem recuperasse: atqui non possunt censeri libertatem recuperasse, cum natura sua mansueta sint, & domestica; atque ideo ad restituendum tenentur: I. qui horumce animalium lanam, plumas, vel ova suos in usus converterent. II. qui ovem, aut ovis partem eriperent e faucibus lupi, quia tandiu domini sui est, quandiu subsistit.

CONCLUSIO II. Animalia cicurata, quæ consuetudinem habent revertendi, aut facile reducuntur, non cedunt capienti, sed priori domino restituenda sunt; secus si amiserint *animum revertendi*. Ita habetur in Instit. Lib. 2. tit. 1. n. 15. & hæc doctrina in Galliis viget, nisi quod accipiter, & falco, etiam eum desinunt reverti, nostri esse non desinant.

Hinc qui in columbario ponunt illecebras ut filiorum columbas retineant, tenentur ad restituendum; secus si duntaxat melius pabulum columbis suis præbeant, aut columbarium in loco commodiori ædificent.

Quandonam autem animalia animum revertendi exuerint, arbitrio viri prudentis definiri debet. Columbæ, quæ tribus, aut quatuor diebus continuis ad columbarium non revertuntur, videntur aliquibus amisisse revertendi animum; secus de cervis & apris, qui

qui licet per dies aliquot juxta domum vagentur; & sponte non redeant, facile se reduci permittunt.

Quæres, an columbaria sint licita.

R. affirmat. Patet id tum ex consuetudine, tum quia columbæ notabile damnum non pariunt, ut quæ vescantur non tantum bonis, sed & malis seminibus, quæ sata suffocarent, ut lolio, tum quia legitimæ suppetunt rationes quibusdam concedendi jus illud, etsi aliis onerosum. Quibus autem licita sint columbaria, ex locorum consuetudinibus definiendum est.

Ex dictis colliges, peccare rusticos etiam pauperes, qui sementis tempore columbas occidunt; (nisi certo cognoscant illas eorum esse, qui jus columbarii non habent: quod vix fieri potest, cum columbæ diversorum locorum aliæ aliis permixtæ vivant, & sæpe a columbariis suis plusquam leucis duodecim recedant.) Ratio est, quia jus columbarii est velut servitus quædam in vicinos agros dominis, non gratuito, sed oneroso titulo concessa: tenentur enim Dynastæ Regem ad bellum proficiscentem aliquando comitari, expositos infantes alere, &c.

Curare tamen debent qui columbarii jure fruuntur, ut columbas suas alant eo præsertim tempore, quo vicinis agris damnum inferrent, nisi vicini omnes agri, eorum ipsorum sint.

CONCLUSIO III. *Bestiæ feræ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.* Verba sunt simul, & probatio Justiniani in Institutis, ubi supra num. 12.

Idem dicendum de animalibus feris, quæ libertatem recuperaverunt: eam autem recuperasse censentur, quando tam difficilis est eorum prosecutio, ac antea erant, quam prima vice occuparentur. Hinc ibid. Justinianus: *Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis ejus prosecutio est; alioquin occupantis fit*, etiamsi in alieno fundo occupet. Hæc generalia Romani juris principia magnas in Galliis modificationes habent, quæ ut intelligantur.

Quæres I. an Princeps possit sibi, absque populi consensu, venationem in locis publici juris reservare ad solam recreationem.

R. posse; quia cum multos pro Republica labores suscipiat, æquum est, ut proprio quodam, & speciali modo animum recreare possit. Adde, quod id etiam pertineat ad Principis dignitatem.

Neque solus Princeps venationem sibi reservare potest, sed & ii etiam, qui jus illud habent a Principe, aut a consuetudine legitime præscripta. Ii tamen cavere debent, ne feræ nimis multiplicatæ nimiam agris perniciem inferant; alioqui tenentur ad reparationem damni, nisi forte agros incolis cum hoc onere diviserint: imo tenerentur adhuc ad restituendum, etiamsi permitterent animalia hæc occidi ab iis, in quorum agros devenerint; occidendis enim feris quæ sata devastant, vix ac ne vix quidem vacare possunt pauperes rusticani.

Quæres II. an peccent, & ad restituendum teneantur, qui contra prohibitionem venantur.

Not. venationem prohiberi posse quinque de causis: I. ratione status; & sic vetita fuit Clericis, & Religiosis. II. ratione temporis: sic prohibita est venatio diebus festis, & tempore partus, & educationis fœtuum. III. ratione publicæ utilitatis, ne feræ, aves, pisces funditus tollantur, si omnibus pro libitu suo liceat venari, vel piscari. IV. ratione instrumenti, propter eamdem publicæ utilitatis causam; quomodo non ita pridem prohibitum est, ne piscatores maritimi strictis quibusdam retibus uterentur, quæ etiam pisciculos comprehendebant. V. ratione Loci. Locus autem triplex distinguitur. Primus est proprius ipsius domini, muro circumclusus: secundus, proprius quidem ipsius domini, sed non circumclusus: tertius, publicus, & communis. His præmissis

R. I. Clericos, & Religiosos, qui proprio in fundo venantur, restitutioni obnoxios non esse, cum alienum non invadant; peccare tamen contra religionem & obedientiam, prout alibi dicemus.

R. II. peccare eos, qui venantur, cum venatio prohibita est ratione publicæ utilitatis: quia communi bono nocent. Unde qui magnam piscium vim veneno inficit, qui ferarum multitudinem maximam necat, easve ex sylvis, & agris seu arte magica, seu prava alia machinatione extrahit, debet restituere Reipublicæ.

R. III. eos qui in alterius fundo muris, aut sepe circumcluso venantur, peccare, & teneri ad restitutionem animalium, quæ ibidem capta sunt. Ratio est, quia dominus fundi, vere dominus est hujusmodi animalium, quæ cum volet, facile apprehendere potest, quæque naturalem libertatem moraliter loquendo amiserunt. Hac de causa furti reus est, qui piscator in alieno stagno, vivario, & quolibet loco clauso. Non etiam licet in Gallia piscari in rivis minoribus, etiam cum linea, ut ajunt, piscatoria: jus enim ibi piscandi pertinet ad dominos, quorum terras hi fluvii allambunt; ita ut ad duos pertineat, si rivus duorum jugeribus allambitur. In fluviis navigabilibus, linea uti licet, non autem retibus, nisi iis, qui professione sunt piscatores, & quibus id juris concessum est a Rege, qui rerum communium, puta viarum, litorum, maris, & fluminum dominus est.

R. IV. peccare eum, qui invito domino venationis jus habente, in ejus loco non circumcluso venatur, non tamen teneri ad ferarum restitutionem. Peccat quidem: I. quia alteri rationabiliter invito injuriam facit. II. quia gravi se se pœnæ exponit, exilii scilicet, & triremium. III. quia ejusmodi venatores sic affecti esse solent, ut saltuum custodes potius necent, quam arma deponant.

Addo eos tamen non teneri ad ferarum restitutionem: quia animalia, quæ ex uno loco in alium quotidie transmigrant, ut rusticulæ, coturnices, turdi, &c. reipsa nullius sunt domini, nec sunt fructus silvarum, aut agrorum, adeoque sunt primi occupantis.

Excipiuntur columbæ, cuniculi, garenæ, phasiani, & alia id genus, quæ magnis impensis aluntur, & non magis a dumetis suis discedunt, quam columbæ a columbario.

CONCLUSIO IV. *Lapilli, & gemmæ, & cetera, quæ in littore maris inveniuntur, jure naturali statim fiunt inventoris.* Instit. Lib. 2. tit. 1. §. 18.

Hæc dispositio viget in Gallia quoad gemmas, & lapillos, non autem quoad Salmones, Delphinos, aut alia quædam in littore maris deprehensa, quæ ad Regem pertinere declaravit Ludovicus XIV. an. 1681.

Quod spectat ad venas auri, & argenti, quæ in terræ visceribus deteguntur, ex jure Gallico sunt Regis, qui fundum proprietario solvere tenetur: hinc Dynastæ etsi in thesauros, at in metallicas venas nihil juris habent.

Quæres I. ad quid teneantur qui contra justam prohibitionem pascunt, aut cædunt ligna.

R. eos graviter contra justitiam peccare, si grave damnum Reipublicæ inferant, ut si stirpes multæ notabiles cædantur: si vero non ita graviter Reipublicæ noceatur, censet Sylvius non nisi venialiter peccari, nullamque esse restituendi obligationem; quia ligna, quæ cædis, etiam post Reipublicæ prohibitionem tua sunt; nec aliunde tot cædis, ut supponitur, quin aliis quoque cædenda alia supersint. Ergo peccas quidem, quia legem justam transgrederis: non peccas tamen graviter, quia in rei veritate nemini injuriam stricte dictam facis.

Quæres II. quid sentiendum de pauperibus, qui ligna cædunt in silvis, quæ ad alios pertinent.

Not. duplex distingui lignorum genus: alia sunt quæ dicuntur mortua, gallice, *bois-mort*; alia sunt quæ dicuntur ligna caduci roboris, gallice * *mort bois.* His permissis.

R. I. eos qui arbores cædunt, (quod sæpius efficiunt rustici, ut eas post aliquot dies extrahant quasi sponte sua aridas invenerint) ad restituendum teneri; quia rem alienam rapiunt invito domino.

R. II. non licere pauperibus rusticis lignum ullum ex silvis, quæ usuariæ, seu communes non sunt, auferre, nisi contraria, eaque legitima vigeat consuetudo; quæ, ut talis censeatur, fundari debet in expresso aut tacito proprietariorum consensu, qui supponitur I. cum domini hanc lignorum exportationem vident, & non arguunt. II. cum ea, quæ auferuntur eam exigui sunt momenti, ut domini obsistere non possint sine immani quadam duritie: unde homini in ea necessitate constituto, ut alioqui hyemem sine igne & calidis alimentis transigere debeat, licitum est, minuta quæ humi jacent ligna, vepres & genestas colligere in usum foci proprii. Ratio est, quia vel domini tunc inviti non sunt, vel irrationabiliter non sunt inviti.

* *Par*, bois-mort, *il s'entendra & sera signifié bois sec en étant ou gissant: & par ces mots*, mort-bois, *sera entendu* & *signifié bois de saulx, morsaulx, é, int, puine, seur, aulne, genest & genevre, & non autre.* Francois I. Ordonn. du 4. octob. 1533.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De Acquisitione Thesaurorum, &c.*

THesaurus definitur, Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, & quæ idcirco jam dominum non habet. Per vocem *vetus*, excluduntur res nuper reconditæ, quæ dominum habent, eum scilicet, qui recondidit aut ejus hæredes: per vocem, *pecunia*, intelliguntur aliæ res mobiles, ut gemmæ, vasa aurea.

Jure Romano, *thesauri quos quis in loco suo invenerit*, ejus sunt *qui eos invenerit: idemque est si quis in sacro, aut religioso loco, fortuito casu invenerit. At si quis in alieno loco, non data ad hoc opera, sed fortuito invenerit, dimidium domino soli, & dimidium inventori concedetur .... cui conveniens est, ut si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium ipsius esse debeat, & dimidium fisci, vel civitatis.* Ita habetur in Instit. L. 2. tit. 1. §. 39. Circa hanc decisionem, quæ locum habet in iis Galliæ locis ubi servatur jus Romanum,

Not. I. thesaurum tunc tantum esse totum inventoris, quando invenitur in fundo, qui fit inventoris, quoad dominium directum simul, & utile. Hinc si idem fundus duos habeat dominos, directum scilicet, & utilem; & dominus utilis, ut feudatarius, vel emphyteuta, thesaurum inveniat, tres partes pertinebunt ad inventorem, quarta vero ad dominum directum. Inventori enim ut sic, debetur dimidium; cum vero inventor sit, ex hyphothesi, etiam dominus ex parte (emphyteuta enim, & feudatarius non sunt nudi usufructuarii) debetur adhuc ei media pars dimidii superstitis. Ita Lessius, qui simul docet usurarii, conductoris, habentis rem in pignus, imo & ipsius usufructuarii nudi, nullam haberi rationem, quia veri domini non sunt: unde si illi thesaurum invenerint, mediam tantum ejus partem habere debent titulo inventionis. Aliud esset de eo, qui fundum emisset a venditore redimendum; quia enim talis emtor dominus est, non tenetur ad restitutionem thesauri redemto fundo.

Not. II. hic agi duntaxat de iis, qui thesaurum fortuito inveniunt in alieno fundo: si enim eum invenirent *data opera*, seu de industria, tunc thesaurus non esset inventoris, sed domini terræ, in qua inventus fuisset; ei ergo deberet totus restitui, in pœnam injuriæ, quam inventor domino loci alicujus infert, eum absque ejus licentia fundum ejus fodit. Hæc tamen restitutio non urget nisi post sententiam Judicis, & idem est cum thesaurus magicæ artis auxilio inventus est.

Sed quid, si quis thesaurum domini consensu quæsitum invenerit? R. si quod pactum initum est inter dominum fundi & inventorem, illud servari debere: si vero nullum initum fuerit pactum, tutius erit si inventor thesaurum ex æquo dividat cum domino, qui facile præsumi non potest omnino juri suo cedere in gratiam inventoris.

Not. III. jus esse communiter receptum in Gallia,

sia, tum consuetudinaria, tum quæ Jure Romano regitur, ut thesaurus in Ecclesia inventus, inventorem inter, & Ecclesiam dividatur. Quanquam aliqui negant Dynastam a tertia parte thesauri in Ecclesia reperti excludendum esse.

Not. IV. in Gallia consuetudinaria hæc communiter teneri de thesauris. Si thesaurus inveniatur in via publica, aut loco publico, pro parte cedit inventori, pro parte Regi, aut viarum curatoribus, gallice, *les Voyers*, quia viæ magnæ Regis sunt; secus de transversis, quæ cum ad Dynastas pertineant, iisdem suam in thesauris partem attribuuot. Si in loco proprio, dividitur inter inventorem, & Dynastam, id est eum, qui maximam in loco jurisdictionem habet. Si in alieno loco, tres in partes dividitur; quarum prima sit inventoris, secunda illius, qui est dominus fundi, tertia Dynastæ. Quia tamen quædam consuetudines thesauros Regi soli vindicant, aut aliter & aliter de iis disponi præcipiunt, unusquisque tenetur in conscientia, & stricte propriam loci sui consuetudinem indagare, & sequi.

Quæres I. an qui emit agrum, sciens in eo latere thesaurum, istius dominium acquirat.

R. affirmat. I. quia pretium rei cujuslibet non præcise ex majori ejus utilitate, sed ex communi hominum æstimatione sumi debet; sed qui emit agrum, de quo nunc agitur, supponitur pretium ejus secuodum communem hominum æstimationem solvere. II. quia oon est dubium quin peritus pharmacopola, qui magnam utilitatem cognoscit in herba alias vili, quæ est in fasce herbarum in usum jumentorum vendenda, possit fascem hanc pretio communi emere; ergo a pari.

Quæres II. an artifex, qui in veteri, quam dissolvit, arca gemmas invenit, possit earum partem sibi retinere, ut inventori. R. si arca hæc pertineat ad alium, qui ignoret originem hujus thesauri, nec prudenter suspicari possit, eum a majoribus suis reconditum fuisse, mediam partem pertinere ad eum, qui gemmas invenit: quia nihil refert, an thesaurus in terra lateat, aut in re mobili. Unde si artifex arcam hanc emisset bona fide, non teneretur reperti postea thesauri partem restituere venditori, ut qui nunquam ejus vere dominus fuisset; cum rei prorsus ignotæ nulla sit possessio.

Quæres III. an lex, quæ præcipit, ut inventor certam thesauri partem fisco, aut proprietario applicet, obliget in conscientia ante sententiam Judicis. R. affirmat. Lex enim de dividendo inventorem inter & dominum fundi, aut fiscum, thesauro, pænalis non est: cum constituta noo fuerit, ut puniretur inventor; ergo statim impleri debet.

Quod spectat ad res inventas, certum est: I. easdem domino suo, si fieri possit, restituendas esse.

Certum est II. dominum rei magis, aut minus inquirendum esse pro qualitate rei; idque non solum in loco ubi res inventa est, sed etiam in pagis, & urbibus vicinis, si sit spes, aut suspicio futurum, ut dominus detegi possit, & præsertim cum res magni est valoris.

Hæc autem inquisitio fieri debet expensis rei restituendæ, si inventor sit bonæ fidei; si vero malæ sit fidei, impensis ejusdem. Sed quæritur an, non invento post sufficientem inquisitionem domino, possit inventor rem facere suam, an non teneatur erogare pauperibus, quorum nomine hic veniunt non solum egeni, sed & Ecclesiæ, Xenodochia, Monasteria, quæ indigeot, imo & opera pietatis, ut fundatio Officii divini. Sit

CONCLUSIO. Res inventa, cujus dominus cognosci non potest, ab inveotore pauperibus est eroganda, aut pios in usus consumenda; exceptis quibusdam casibus.

Prob. I. ex Concilio Mediolanensi IV., quod præcipit, ut *res inventa pauperibus, aut piis locis erogetur, si dominus diu requisitus non appareat*. Idem statuit Catechismus Romanus.

Prob. II. Ut res inventa pauperibus erogari debeat, duo sufficiunt: I. ut qui rem amisit, remaneat ejus dominus. II. ut piam hujus rei erogationem velle merito præsumatur: atqui utrumqne verum est: I. quidem, qui rem amisit, amissæ dominus remanet, cum ea nec privetur per legem ullam, nec per propriam voluotatem, ut patet. II. legitime præsumitor velle, ut ea res pie distribuatur. Legitime enim præsumitur eam esse domini voluntatem, ut res, quam recuperare nequit, expendatur aptiori modo, sibique, & Reipublicæ utiliori; atqui sic expenditur cum datur pauperibus: pessime contra expenderetur plerumque, si remaneret penes ioventorem, qui de bona fortuna gaudens, ea ut plurimum abuteretur, aut certe ita uteretur, ut nihil inde, vel perditor, vel Respublica perciperent utilitatis; ergo.

Dixi *exceptis quibusdam* casibus. Res enim aquis abrepta, & in ripa fluvii navigabilis inventa, habetur pro eo, quod Gallice dicimus *Epave de riviere*, & pertinet ad Regem ex Constitutione Regia an. 1665.

Obj. I. Si res inventa paoperibus distribuenda sit, ob præsumtam domini intentionem, thesauri eadem de causa pauperibus erunt restituendi: atqui falsum consequens ex dictis; ergo.

R. neg. maj. I. quia thesauri dominum non habent, saltem qui humano modo reperiri possit; bona vero inventa dominum habent, & quidem reperibilem, licet per accidens non inveniatur. II. quia leges thesaurum certis personis, non autem pauperibus adjudicant, quod non faciunt cum agitur de rebus inveotis.

Obj. II. Legitime præsumitur unumquemque velle, quod magis in commodum sui vergit: atqui, quod res perdita maneat penes inventorem, magis vergit in commodum perditoris: tum quia si ipse rem alterius perditam invenerit, poterit eam sibi servare; tum quia rem suam facilius obtinere poterit ab inventore, quam a pauperibus; ergo.

R. neg. min.: I. quia secundum doctrinam nostram, perditor spiritualiter juvabitur tum sacrificio Missæ, tum precibus pauperum: hanc autem esse communiter hominum intentionem, patet ex eorum

testamentis, quibus sollicite cavent, ut bona sua pios in usus dispensentur. II. quia in moralibus argumentandum non est ex unius, aut alterius hominis dispositione, sed ex communi sapientum usu: atqui vix reperiatur homo sensatus, qui bona sua penes hominem forte helluonem remanere malit, quam penes Ecclesiam, aut pauperes. III. quia incommodum, quod objicitur vitari facile potest, sequendo id, quod præscribit S. Thomas infra referendus.

Ex his sequitur, absolutionem esse iis denegandam, qui bona inventa suos in usus vertunt; quia opinio contraria prorsus est improbabilis, & naturali legi adversa. Ceterum utilior rem inventam restituendi modus est, si ea expendatur, ut offeratur sacrificium pro dominis: quod si pauperibus detur, necesse non est, ut detur pauperioribus; sed satis est si detur vere pauperibus, amicis etiam, aut consanguineis.

Quæres I. an pauper rem inventam sibi applicare possit. R. communiter consulendum esse Confessarium, ut omne propriæ deceptionis periculum vitetur; si vere nullum sit periculum, opus non erit alieno consilio; atque hoc etiam locum habet in bonis incertis, quæ ex injusta acceptione possidentur. Quia tamen hæc applicatio, sive eam tibi feceris, sive aliis pauperibus, hanc includit conditionem, *Si dominus non compareat*, sequitur, quod domino comparente, res si adhuc vel apud te, vel apud pauperes extet in se, aut in pretio, sit ei restituenda.

Quæres II. sitne aliquid restituendum domino comparenti, postquam res inventa consumta fuit.

R. I. eum, qui sufficienti adhibita diligentia rem bona fide inventam pauperibus distribuit, ad nihil teneri: secus si res non adhibita sufficienti diligentia pauperibus donata esset: sic enim illata esset injuria domino, qui jus habet ne bona sua præpropere alienentur.

R. II. Si inventor malæ sit fidei, puta quia dominum non satis inquisiit, & postea pœnitentia ductus, omnem, quo culpam reparet, diligentiam adhibeat inutiliter, ita ut rem pauperibus elargiri teneatur, tunc eadem est ejus conditio, quæ furis. Porro censent viri graves furem, qui dominum rei cognoscere non valens, ipsam pauperibus erogavit, non teneri ad restituendum: quia nec tenetur ratione rei acceptæ, cum nihil apud ipsum extet, nec ratione injuriæ, cum restituerit eo modo, quo potuit, ac debuit; nec ratione contractus, aut legis, cum nec ullus existat contractus, nec ulla possit lex citari, quæ secundam restitutionem præcipiat. Verum ut omnis tollatur scrupuli locus, sequendum est in praxi, quo docet S. Thomas, aut quivis alius auctor Opusculi 73. c. 16. *Si forte, quibus facienda sit restitutio, nescitur....... ad ipsam Ecclesiam* facienda est: *hoc tamen addito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse fuerit aliquando in tempore futuro, per inopinatam reversionem eorum, quibus de jure erat facienda.*

Quæres III. Possitne inventor retinere aliquid, vel exigere pro *mancia*, seu inventionis præmio.

R. I. potest inventor repetere impensas, quas fecerit in rei inventione, secus nihil de re retinere potest: sicut nihil ex bonis amici, de quo bene meritus fuisti, retinere potes, si in re quidem gratus futurus erat, sed ante mortuus sit, quam gratitudinem suam exerceret.

R. II. Inventor a domino, qui comparet, aliquid petere potest titulo gratitudinis, quo etiam titulo tenetur dominus aliquid eidem rependere: at nihil exigere potest inventor, quasi ex justitia debitum; quia dominus rem, quæ tota sua est, nequidem ex parte emere debet. Hinc si dominus præmium promiserit, inventor debet ei relinquere omnimodam libertatem præmium hoc rependendi, vel non: neque illud præcise quia promissum sit, acceptare potest; quia retributio hæc secundum quid est involuntaria, solumque offertur a domino, quia timet, ne res sua sibi pereat, nisi hac arte alliciat inventorem; non ergo magis acceptare potest inventor præmium illud, quam homo mutuo dans acceptare possit id, quod sibi offertur a mutuatario, nisi constet id omnino libere offerri.

Circa bona derelicta sciendum est, hæc seu mobilia sint, seu immobilia, Jure Gallico pertinere ad Dynastam loci, ad quem etiam pertinent animalia errantia, & expavefacta, quæ gallice dicuntur, *épaves*, nisi intra certum tempus non eodem modo ubique definitum repetantur a proprietariis. Sed hic duo emergunt dubia; unde

Quæres I. an pro bonis derelictis haberi debeant bona naufragantium. R. negat. Idem dicendum de his, quæ propter incendium ejiciuntur, aut per aquarum eluvionem auferuntur: hæc enim non ut domino pereant, sed e contra, ne eidem pereant, ejiciuntur. Quapropter cum bona naufragantium fisco addicerentur a Comitibus Armoricæ, barbarum hunc morem improbavit Concilium Nannetense an. 1127. & qui bona hæc arriperent, fures esse declaravit. Videnda est ea de re Regia Ludovici XIV. Constitutio an. 1681.

(✠) Observandum est, excommunicationi Romano Pontifici reservatæ illos subjici, qui Christianorum naufragantium bona in litore inventa sibi usurpant, animo eadem non restituendi: quod si quis eadem bona capiat animo illa Domino restituendi, & postea illum debita adhibita diligentia reperire nequeat, tanquam derelicta considerare illa debet, quæ jure naturæ spectato sunt primi occupantis. Si autem debita diligentia adhibita verum dominum invenerit, restituere illa debet, etiamsi periculo eripuerit, alias peritura, ex Instit. de rer. divis. & l. 18. Cod. *de furtis*, & ex cap. 3. de raptor., & ex Bullis Julii II., & Pauli III. (✠)

Quæres II. an non saltem ea retinere possis, quæ nisi apprehendisses, peritura erant. R. negat. quia res tandiu nostra est, quandiu consumta non est: nihilominus unusquisque id retinere potest, unde compensetur labor suus, aut periculum, quod in re alterius extrahenda, & conservanda incurrit.

Quod spectat ad bona vacantia, (quo nomine ea intelliguntur, quæ relinquit quis ab intestato decedens sine

sine hæredibus, qui ei juxta legem ab intestato succedant) hæc in Gallia pertinent ad Regem, jure, ut ajunt, *Albinatus*. Bona hæc Rex donare consuevit: sed si duo libellarum gallicearum millia non attingunt, ceduntur Publicanis.

Excipiuntur ab hac Albinatus lege: I. Legati Principum: iis enim succedunt legitimi eorum hæredes, etiam non Regnicolæ. II. mercatores extranei, qui habebant animum ad sua revertendi. III. excipiuntur, quoad mobilia bona, mercatores, qui nundinas Lugdunenses frequentant. IV. alienigenæ, qui, & quandiu in Universitatibus nostris student. Extranei, etsi causa mortis donare, aut ad pias etiam causas legare non valent, possunt tamen inter vivos donare; quia quamvis moriantur ut servi, vivunt ut liberi: haud tamen successionum, legatorumve capaces sunt.

## PUNCTUM TERTIUM.

### *De præscriptione.*

PRæscriptio, seu usucapio definitur Acquisitio dominii, & juris per possessionem tempore a Legibus præscripto continuatam. Sed hinc jam a limine gravis nascitur difficultas, an præscriptio ad legitimum dominium sufficiat. Sit

CONCLUSIO. Præscriptio legitima verus est rei possidendæ titulus, etiam in interiori conscientiæ foro: unde res gratuito etiam titulo comparata, si præscripta sit, domino comparenti restituenda non est.

Prob. I. quia dominium, quod præscriptione comparatur, ut legitimum approbat Jus civile L. 1. ff. *De usucapionibus*; canonicum vero causa 16. q. 3., & tit. *De præscriptionibus*.

Prob. II. quia dominium, quod quis præscriptione acquirit, in eum transfertur: I. auctoritate Reipublicæ, vel Principum, nempe per leges ab iis conditas. II. transfertur iis in casibus, in quibus Respublica id potest. Nam Respublica privatorum bona ab uno in alium transferre potest, cum id bonum commune, & civium pax postulat: atqui transferri præscriptione dominium ab uno in alterum postulant bonum commune, & civium pax; tum ut puniatur eorum socordia, qui res suas ab aliis possessas repetere negligunt; tum ut tollatur incertitudo dominiorum alioqui futura, si res ab aliis diu possessas repetere liceret: sæpe enim legitimi possessores suis privarentur bonis; quin sæpe fit, ut quo quis legitime magis rem possidet, eo minus possit possessionis suæ validitatem probare: ergo.

Obj. I. Per præscriptionem privaretur quis sua re sine culpa, quod est contra regulam 23. Jur. in 6.

R. neg. ant. Sic enim habet hæc regula: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: atqui multiplex est causa, cur homini sua res præscribendo auferatur; nimirum *ne semper incerta sint rerum dominia, & ne possessores immortali timore teneantur*. (*Leg. 2. ff. De usucap.*).

Inst. Ex reg. 48. ibid. *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*: atqui per præscriptionem locupletaretur aliquis, &c.

R. dist. locupletari non debet ex jactura alterius facta per injuriam, & auctoritate privata, C. locupletari non debet utendo beneficio legis, N.

Obj. II. Non potest quis rem retinere, quantumvis judiciali sententia sibi adjudicatam, cum agnoscit eam non esse suam, sed alterius; ergo neque etiam potest retinere rem alterius, quam præscripsit.

Confirm. Lex, in qua fundatur præscriptio, nititur falsa præsumtione, sicut prædicta Judicis sententia. Nam ea lex supponit hominem potuisse impedire, ne curreret præscriptio: atqui suppositio hæc plerumque falsa est, puta si quis nescierit fundum ab altero possessum esse suum. Minor patet: prob. major, quia ex ipsa lege, *contra impotentem, & legitime impeditum non currit præscriptio*; ergo.

R. ad 1. neg. conseq. Judex enim per sententiam nec transfert, nec intendit transferre dominium rei ab uno ad alium, sed solum definit ad quem secundum allegata pertineat res, de qua litigatur: at lex præscriptionis ob varias rationes, quæ bonum commune spectant, verum in præscribentem transfert dominium; unde patet disparitas legem inter, & Judicem, qui falsa nititur præsumtione.

Ad 2. neg. ant. ad 3. neg. maj. Quod addis præscriptionem, non currere contra impeditum, aut impotentem, dist. non currit in casibus jure exceptis, v. g. contra mente captos, pupillos, aut minores, C. in ceteris casibus, N. Quapropter non teneris reddere rem ei, qui invincibiliter ignorans eam esse suam, non impedit, quominus præscriberes; atque si præscriptionis beneficium ignorans eam reddidisses, posses eam repetere ut tuam. Verum ad id necessariæ sunt quinque conditiones his expressæ versiculis:

*Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus:*
*Sit quoque possessor completo tempore legis.*

Singulas singulis paragraphis prosequimur.

### §. I.

### *De Materia Præscriptionis.*

Materia præscriptionis est illud omne, cujus dominium præscriptione comparari potest. Ut autem intelligatur, quæ bona præscribi possint, sufficiet ea recensere, quæ sub præscriptionem non cadunt. Porro non præscribuntur: I. res usibus publicis deputatæ, ut forum, pontes, viæ publicæ: alicubi tamen arbores publicis in viis plantatæ præscribuntur.

II. quæ Principi ratione superioritatis ejus debentur, ut tributa, census, jus appellationis, &c. Ratio est, quia nihil præscribitur nisi secundum leges Principis; is autem non fert leges juribus suis contrarias.

III. quæ ad Deum pertinent, puta res sacræ, immobiles, ut Templa; item res religiosæ, ut cœmeteria, quia hæc sunt extra commercium; mobiles vero res sacræ, ut vasa sacra, ut alienari possunt absque auctoritate Episcopi, sic & possunt præscribi.

IV. non præscribuntur a Laicis jura decimarum, pri-

primitiatum, & alia id genus spiritualia, quia hæc a Laicis possideri non possunt. Sed hic tria notanda: I. ab Ecclesia contra Ecclesiam decimas posse præscribi per possessionem 40. annorum. II. licet contra decimas præscribi non possit, posse tamen præscribi contra quantitatem earum, & solutionis formam, ad quod etiam requiruntur 40. anni. III. decimas, quæ *infeudatæ* dicuntur, & quæ a Laicis ante Concilium Lateranense III. an. 1179. possessæ sunt, ab iis legitime retineri.

V. non præscribuntur quæ juris sunt naturalis: sic præscribere non possunt subditi adversus Prælatum, ut ab eo non visitentur, vel ut non solvant *procurationem* ipsi tempore visitationis debitam. Potest tamen Ecclesia Collegiata præscribere adversus Archidiaconum, ut ab eo non visitetur; quia ejus dignitas est juris humani, adversus quod præscribi potest. (*C.* 16. De præscript.)

VI. non præscribuntur fines Provinciarum, Episcopatuum, aut Parœciarum, si de limitibus constet: alioqui enim præscribere potest Prælatus, ut alterius Antistitis subditi ad se pertineant. (*ibid.*)

VII. non præscribitur adversus hominem liberum, ut fiat servus. Instit. Lib. 2. tit. 6.

VIII. non præscribitur servus fugitivus, quia sui ipsius furtum fecit: (*ibid.*) neque etiam præscribuntur *res furtivæ*, & *quæ* vi possessæ sunt; quia res transit cum vitio, quo affecta est; quæ tamen non obstant, ne res furtivæ annorum 30. spatio præscribantur ab hærede, vel acquisitore bonæ fidei.

IX. non præscribuntur res illius, qui adeo impotens est, aut impeditus, ut rem suam in judicio repetere non possit. Sic non præscribitur contra meo se captum, aut eum, qui amentiæ, vel dissipationis causa interdictus est, contra filium sub potestate patris existentem, contra uxorem, cujus bonorum administratio penes virum manet, nec denique contra minorem 25. annis, excepta tamen Armorica, exceptis item Parlamentis, quæ Jure scripto reguntur, & in quibus præscriptio annorum 30. contra minores currit.

X. addi potest, in multis Galliæ locis nulla temporis possessione præscribi jura publici furni, & molæ; item servitutes prædiales sine titulo, licet ubique contra servitutes præscribi possit. Sed in hac materia necessario consulendi sunt locorum mores.

Porro notandum, Leges & Romanas, & nostras, cum dicunt certa quædam bona præscriptioni obnoxia non esse, eo sensu aliquando debere intelligi, quod ea bona non præscribuntur ordinario tempore; licet longissimo tempore, puta 30. aut amplius annorum, præscribi possint. Sic Jure Romano res fisci, fundus in dotem datus, res furtivæ alicubi dicuntur non præscribi, alibi vero longa possessione præscribi dicuntur.

## §. II.

*De possessione & titulo ad Præscriptionem requisitis.*

Possessio est Actus, aut jus detentionis rei: Actus detentionis vocatur *possessio facti*; jus detentionis vocatur *possessio juris*.

Possessio facti est rei detentio adminiculo corporis, & animi, & juris.

Dicitur I. *detentio rei*: quo nomine intelligitur quidquid possideri potest, sive illud sit *corporale*, ut ager, domus, &c. sive sit *incorporeum*, ut census, servitus, &c.

II. *adminiculo corporis*: quia ut res incipiat possideri, debet aliquo modo corporaliter apprehendi vel manibus, ut teræ, vel pedibus, ut Insulæ, vel oculis, ut si antiquus possessor eminus, aut cominus fundum mihi ostendat, & me acceptante possessionem ejus tradat. Apprehensio quæ fit manu, aut pede, dicitur *vera*: *ficta* vero, quæ fit oculis, vel ope scripturæ, seu instrumenti.

III. *animi*: quia ad possessionem requiritur intentio rem apprehensam occupandi ut suam.

IV. denique *adminiculo* etiam *juris*: quia ad possessionem requiritur, ut leges non impediant, ne detentio rei censeatur possessio ejus: qua de causa detentio rei sacræ a Laico facta, ne quidem est possessio facti, lege id prohibente. Detentio vero rei furtivæ profanæ, licet injusta, est tamen vera possessio, quia Jus non impedit, ne detentio talis rei sufficiat ad possessionem.

Possessio juris est jus insistendi rei tanquam suæ, non prohibitæ possideri. *Jus*, inquam, verum, vel præsumtum, prout oritur ex possessione facti, vel justa in se, vel quæ justa præsumitur in externo foro, licet in se justa non sit. *Jus insistendi rei*, *&c.* id est rem ut propriam perseveranter tenendi, & tuendi contra perturbantes. *Non prohibitæ possideri* per Juris dispositionem, per quam prohibetur, v. g. ne locus publicus a privato possideatur seu juste, seu etiam vere.

Possessio multipliciter dividitur. Nam: I. alia est, quæ fit *proprio nomine*, ut in proprietatio; alia, quæ est *nomine alieno*, ut in depositario.

II. alia est *justa*, quæ fundatur in titulo, qui justus sit vel in se, vel ex bona fide; alia est *injusta*, quæ legitimo titulo destituta est.

III. præcipue alia est *civilis*, alia *naturalis*. Civilis est detentio rei adminiculo solius animi: quamvis enim ad incboandam possessionem civilem requiratur adminiculum corporis simul, & animi, ad eam tamen continuandam sufficit solus animus retinendi rem; hinc vere possidet is, qui corpore absens a rebus suis, eas tamen animo retinet, & occupat. Hæc possessio dicitur civilis, quia parit effectus civiles, nempe rei usucapionem, & dominium fructuum.

Possessio naturalis ea est, qua res corpore, & animo simul occupatur; ut cum quis rem occupat de facto, quam etiam retinere vult.

Titulus est causa ex se habilis vel ad transferendum dominium, vel ad præbendam usucapiendi potestatem. Quadruplex distinguitur titulus: verus scilicet, coloratus seu apparens, existimatus, ac denique præsumtus.

Titulus *verus* est ille, qui a parte rei subsistit, & qui sufficit ad fundandum jus, quod quis se habere contendit, talis est emtio valida.

Titulus *coloratus* est ille, qui bona fide creditur esse validus, licet ob latentem defectum invalidus sit: talis est venditio ab eo facta, qui contra legitimam exi-

existimationem vel rei venditæ dominus non erat, ve carebat alienandi potestate.

Titulus *existimatus*, seu *putativus* est, cum nec vera, nec apparens præcessit causa, quæ dominium transferre posset; sed tamen errore probabili creditur præcessisse, ut si possideas quasi a servo emtam rem, quam emi jusseras, & ille subripuit.

Denique titulus *præsumtus* ille est, quem jus ob temporis diuturnitatem intervenisse præsumit, etsi tamen forte non intervenerit. Sit jam

CONCLUSIO I. Possessio est necessaria ad præscriptionem.

Prob. tum ex ipsa præscriptionis definitione, quæ possessionem involvit, tum ex hac regula Juris in 6. *Sine possessione præscriptio non procedit.*

Porro ut possessio ad præscriptionem sufficiat, requiritur: I. ut sit proprio nomine. Hinc tutor, aut Monasterii procurator, quia non sibi, sed aliis possident, non sibi, sed alus præscribunt. II. non sufficit possessio precaria: quia quod accipitur precario, non possidetur ut proprium. III. neque etiam sufficit possessio naturalis: nam depositarius, imo & fur naturaliter possident; nec tamen præscribunt. IV. demum non sufficit cujusvis temporis possessio, sed requiritur possessio continuata per totum tempus, quod lex exigit. Hinc si quis re, quam per aliquod tempus legitime possedisset, privaretur juste, & eam iterum deinceps possideret, non posset annos prioris possessionis computare, & conjungere cum annis possessionis subsequentis, quia possessio non esset continuata.

Non est tamen necessarium, ut possessio ab eadem persona continuetur; potest enim secundus possessor annos, quibus possedit, conjungere cum iis, quibus possedit auctor suus, seu prædecessor.

CONCLUSIO II. Ad præscriptionem ordinarie requiritur titulus.

Prob. I. quia dominii translatio non fit sine causa ad translationem sufficiente: atqui ea causa, & quidem sola est ordinarie titulus, cum titulus esse soleat radix, & fundamentum justæ possessionis.

Prob. II. ad præscriptionem requiritur bona fides: atqui hæc non subsistit sine titulo. Non enim potest quis credere se habere jus rei possidendæ, nisi credat se habere titulum, unde jus illud oriatur.

Porro non requiritur titulus verus: is enim si adesset, puta si res emta fuisset a legitimo ejusdem domino opus non esset præscriptione. Sufficit ergo, & & requiritur titulus apparens, qualis est donatio ab eo, qui putabatur esse dominus, licet re ipsa dominus non esset. Et is quidem titulus non præsumitur, sed probatur, cum agitur de præscriptionibus, quæ fiunt breviore, vel ordinario trium, decemve, aut viginti annorum tempore: at vero in præscriptionibus, quæ vocantur longissimi temporis, quia nonnisi spatio 30., & 40., vel amplius annorum complentur, opus non est, ut allegetur, & probetur titulus: possessio enim tam longa locum habet tituli, & merito; quia veros titulos innumeris modis per tempus adeo longum perire potuit.

Limitatur hæc regula præsertim cum res a possessore malæ fidei transit ad successorem ejus universalem, seu hæredem: hæres enim, aut legatarius, vel donatarius universalis, etiamsi bona fide successerint in hæreditatem sibi a possessore malæ fidei relictam, eam tamen nunquam præscribunt. Ratio afferri solet, quod hæres ita personam defuncti repræsentet, ut fictione juris una sit cum ipso persona, adeoque & damna per eum illata resarcire debeat: qui autem damnum rei resarcire tenetur, multo minus rem illam, quamtumvis diu possessam retinere potest.

Sed mala fides auctoris successori particulari non nocet: potest enim is, si bonam fidem habeat, præscribere, non quidem prædecessoris sui possessionem computando, sed incipiendo præscriptionem a propria sua possessione. Porro nomine successoris particularis ille intelligitur, qui in re aliqua particulari succedit quocunque titulo, sive gratuito, sive oneroso, sive ex testamento, sive inter vivos, dummodo hæres non sit, aut hæredis conditionem suscipiens prout eum suscipiunt legatarius, & donatarius universales.

## §. III.

### *De bona fide ad præscribendum requisita.*

Bona fides est persuasio, qua quis prudenter existimat rem, quam possidet, esse suam, licet forte sua non sit; ut cum quis absque ulla suspicione emit equum, quem nescit furtivum esse. Hæc autem bona fides deesse potest vel ab initio, vel in decursu solum præscriptionis: quo in casu quæritur, an locum habeat præscriptio.

CONCLUSIO. Bona fides toto præscriptionis tempore necessaria est.

Prob. I. tum ex reg. 2. Juris in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*; tum ex Concilio Lateranensi IV. ubi sic: *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis.... unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.*

Prob. II. Si valeret præscriptio cum mala fide, possent simoniacus, usurarius, & latro res ablatas, & diu possessas retinere: atqui illud est contra jus naturale, quod vetat, ne cui fraus & dolus patrocinentur; ergo.

Quæres I. quid sentiendum sit de legibus municipalibus, quæ vetant, ne mercenarii elapso certo tempore æqua laboribus suis stipendia repetere possint. R. Intentio hujusmodi Legum non est, ut qui certi sunt se aliorum esse debitores, non solvant: hoc enim iniquum foret: sed ut operarii, aliive in foro externo actionem non habeant, quod æquitati consonum est: tum ut unusquisque sollicitus sit de postulando, quod sibi debitum est, tum ut ii, quibus aliquid præstitum est operæ, non subeant periculum bis solvendi.

Quæres II. an præscribat, qui malam habet fidem, sed solum ex ignorantia, quia falso credit non licere sibi præscribere id, quod possidet.

R. negat. quia Lex 31. *Si fur*, ff. *De usucap.* decernit præscriptionem nullam esse in hypothesi prædicta.

Quæ

Quæres III. an dubium tollat bonam fidem.

R. Vel dubium præcedit possessionem, vel possessioni bona fide inchoatæ supervenit. Si primum, fatentur omnes, bonam fidem ea dubitatione impediri, nec proinde cum ipsa præscriptionem inchoari posse. Quia non stat fides cum peccato: peccat autem, qui apprehendit rem, de qua dubitat, an sua sit.

Si secundum, credimus cum non paucis, eum, qui dubium habet grave, & probabile, an res, quam possidet, sua sit, necne, eo ipso non habere bonam fidem, nec præscribere posse; ac proinde eum non posse rem totam retinere sibi, sed teneri vel dividere pro ratione dubii, vel aliquam cum altero compositionem inire, &c. Ratio est: I. quia ad bonam fidem requiritur, ut quis *quiete*, & tranquille judicet rem esse suam: sed in dubio fundato, & probabili, non potest quietum hoc judicium efformari, sed vacillans tantummodo; ergo. II. quia qui dubium grave, & discretum habet, exponit se periculo rem alienam retinendi.

Nec nocet hæc juris regula; *In pari causa potior est conditio possidentis*. Nam regula hæc non dicit in pari causa totum esse possidentis, sed in pari causa meliorem esse conditionem possidentis. Porro melior est conditio possidentis in nostra etiam opinione: I. quia qui possidet, non tenetur statim rem abdicare, sed eam tandiu retinere potest, donec adhibita sufficienti diligentia, dignoscere possit, an sua sit, an alterius. II. quia ceteris æqualibus, majorem rei partem sibi retinere potest, cum ex ipsa sua possessione jus quoddam habeat.

Quæres IV. an, & qui error impediat præscriptionem.

Certum est præscriptionem omnem fundari in aliquo errore; fundatur enim in bona fide, qua per errorem existimas id esse tuum, quod tuum non est. Duplex autem est error: alter *juris*, cum ignoratur ipsa lex, ut si quis nesciat requiri auctoritatem tutoris, ut aliquid valide a pupillo accipiatur: alter *facti*, cum lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc factum huic esse legi contrarium, ut si cognoscas illicitum esse aliquid emere a fure, sed nescias eum, a quo emis, esse furem. His præmissis

Dico I. Error vincibilis juris, aut facti, impedit præscriptionem. Ratio est, quia reipsa bonam fidem impedit: nemo enim censetur bona fide ignorare id, quod scivisset de facto, si sufficientem diligentiam impendisset.

Dico II. Error inculpatus facti præscriptionem non impedit; sed facit. Patet id ex natura præscriptionis, quæ semper aliquid erroris supponit.

Dico III. Error etiam invincibilis juris, clari, & evidentis impedit præscriptionem ordinariam.

Prob. Quia vis præscriptionis ex Legum dispositione pendet: atqui Leges excludunt præscriptionem fundatam in ignorantia etiam invincibili juris. Ita colligunt Doctores ex Leg. 4. ff. *De juris, & facti ignor.* quæ sic habet: *Juris ignorantia negatur in usucapione prodesse: facti vero ignorantiam prodesse constat*; ergo qui aliquid usurario contractu acquisivit, quive munus accepit a Religioso, id præscribere nequit, etiamsi supponatur bona fide credidisse neutrum esse illicitum: atque id extendit Molina ad eos etiam, qui ut milites, rustici, feminæ, ejus sunt conditionis, in qua error legum toleretur; iis enim prodest quidem error, ut nec puniantur, nec in bonis suis detrimentum ferant, non autem ut resistente jure alieni boni dominium comparent.

Dixi I. Ignorantia *juris clari*: quia si jus vere dubium sit, currit præscriptio: quod licet quidam negent, videtur tamen esse tutum, tum ob majoris Doctorum partis consensionem, tum quia lex dubia non est vere lex, quam claram esse oportet ex cap. 2. dist. 4.

Dixi II. *præscriptionem ordinariam*: quia communior Doctorum opinio tenet, eum, qui ex invincibili juris errore quidpiam acquisiit, illud idem 30. annorum spatio præscribere: I. quia præscriptio hæc nullibi irritatur in jure. II. quia leges ne quidem titulum requirunt ad præscriptionem extraordinariam.

## §. IV.

### *De tempore ad præscribendum requisito.*

Not. I. Rerum, quæ præscribi possunt, aliæ sunt *mobiles*, aliæ *immobiles*. Res mobiles eæ sunt, quæ possunt loco moveri, ut animalia: ad res mobiles reducuntur debita mobilium, actiones ad ea obtinenda. Res immobiles eæ sunt, quæ nequeunt loco moveri, ut ager, domus &c. Ad res immobiles reducuntur eæ, quæ in jure *incorporales* dicuntur, ut servitutes, jura, & actiones ad immobilia, Beneficia, census, reditus, jus patronatus, usufructus. Quædam tamen mobilia fictione juris immobilia reputantur, ut cuniculi in garena, pisces in vivario.

Not. II. tempus, quod sufficit ad præscribendam rem unius, non semper sufficere ad præscribendam rem alterius. Duplex enim est genus possessorum, contra quos præscribitur. Alii sunt *privilegiati*, quorum bona non præscribuntur, nisi per tempus solito longius: tales sunt Ecclesiæ, Hospitalia, Monasteria, & Communitates Ecclesiasticæ. Alii non sunt privilegiati, contra quos ut valeat præscriptio, sufficit tempus communi lege requisitum, & ii *privatorum* nomine exprimi solent.

Not. III. præscriptionem dividi in eam, quæ est longi, & eam, quæ est longissimi temporis. Prima est 20. annorum, vel infra; secunda est 30. annorum, & supra. Illa requirit titulum coloratum, ut supra dixi, hæc ordinarie non requirit nisi in quibusdam casibus Jure expressis: sic Episcopus, qui per annos 40. Diœcesis alterius decimas possedit, non præscribit tamen sine titolo, *nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat*, ex cap. 1. *De præscript.* in 6. Unde patet supradictis præscriptionibus addi posse eam, quæ temporis est immemorialis.

Not. IV. plus aliquando, aliquando minus temporis ad eamdem rem præscribendam requiri; quia præscriptio nonnunquam dormit, aut interrumpitur. Præscriptio dicitur *dormire*, quando jam inchoata currere desi-

desinit, ita tamen ut finita causa, propter quam dormiebat, incipiat de novo currere sicut antea, adeo ut posteriores anni cum prioribus jungantur, licet ii non numerentur, quibus dormivit. Præscriptio *interrumpitur*, quando, postquam inchoata est, ita cessat, ut si rursus reviviscat, posteriores anni cum prioribus continuari non debeant.

Dormit præscriptio: I. tempore belli, vel pestis, quando jus non dicitur, vel homines alio diffugiunt. II. cum Ecclesia caret Rectore; tunc enim cessat contra Ecclesiam. III. cum is, contra quem præscribitur, non potest agere, qualis est pupillus durante pupillari ætate, absens ob publica regni negotia, captivus &c.

Interrumpitur præscriptio vel *naturaliter*, ut si possessor a rei possessione, etiam per vim ejectus, intra annum non postulet restitui, vel *civiliter*, hoc est per actum juridicum, puta per litis contestationem. Si tamen actor rem non prosequatur, non interrumpitur præscriptio, quia qui litem sponte deserit, censetur ejus injustitiam agnovisse. His positis, sit

CONCLUSIO I. Res mobiles cum titulo per triennium usucapiuntur. Ita Justinianus Lib. 2. tit. 6. Instit.

Conclusio extenditur etiam ad bona mobilia locorum Religiosorum, & Ecclesiæ cujuslibet, etiam Romanæ, ex communi Doctorum sensu.

Dixi, *cum titulo*, quia res mobiles sive privatorum sint, sive Ecclesiæ, non præscribuntur sine titulo, nisi spatio triginta annorum.

(✠) Excipienda hoc loco est Ecclesia Romana, contra quam sive in rebus mobilibus, sive immobilibus nulla admittitur præscriptio nisi post longissimum 100. annorum spatium, ut habetur in *Authentica Quas actiones Cod. de sacrosanctis Ecclesiis &c.*, & cap. *Cum a nobis* caus. 14. *de præscrip.*, & cap. ult. caus. 16. q. 3. (✠)

Conclusio hæc in tota fere Gallia obtinet: nisi quod moribus Armoricæ quinquennalis exigitur præscriptio, & Bituticum, 30. annorum spatium.

CONCLUSIO II. Res *immobiles* privatorum *inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis* cum titulo *usucapiuntur* ordinarie. Instit. ibid.

Dixi I. *res immobiles privatorum*; quia res immobiles Ecclesiæ Romanæ non præscribuntur nisi 100. annis; alterius vero Ecclesiæ nonnisi annis 40. quod etiam locum habet in Monasteriis, Hospitalibus, aliisque locis, quibus bona pias ad causas relicta sunt, & id observatur in Gallia. Nota quod si contra privatum præsentem jam cucurrerint quinque anni, & res illius incipiat pertinere ad Ecclesiam particularem, sufficiant 20. anni, ut contra eam compleatur præscriptio.

Dixi II. *decennio inter præsentes*, &c. Jure autem Gallico præsentes ii dicuntur, qui sunt sub unius aut Ballivi, aut Senescalli, ut vocant, jurisdictione. Hinc patet, quid intelligatur per absentes. Quod si quis post transactos v. g. annos quinque sub eadem jurisdictione in aliam commorandi causa transeat, anni superstites duplicari debent: quia æquum non est, ut quis habeatur tanquam præsens eo tempore, quo reipsa absens fuit.

Dixi III. *cum titulo*; quia ad præscribendum sine titulo requiruntur anni triginta.

Dixi IV. *ordinarie*; quia quædam sunt exceptiones: sic Beneficium Ecclesiasticum per tres annos a pacifico possessore titulum coloratum habente præscribitur. Sed de his, sicut & de plerisque casibus, qui in hac materia pullulant, videndi locorum usus, qui non omnes inter se conveniunt.

Quæres, an detur remedium aliquod adversus præscriptionem.

R. dari, scilicet *restitutionem in integrum*, qua tribuitur alicui potestas suam sibi rem vindicandi. Conceditur autem: I. minoribus, id est iis, qui nondum annum 25. expleverunt, iis nempe in locis, & quibus præscriptio contra eos currit. II. Ecclesiis, in piis locis, etiamsi præscriptio sit 40. annorum: quia Ecclesia est instar pupilli, & minoris: III. majoribus, non quidem in præscriptione 30. aut 40. annorum, sed in præscriptione 10. aut 20. annorum, modo probent præscriptionem aut omnino sine sua negligentia, aut, cum probabili sua ignorantia fuisse peractam.

## PUNCTUM QUARTUM.

### *De ceteris acquirendi dominii modis.*

Plures insuper sunt modi, quibus dominium comparari possit: præcipui sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, & ædificatio, de quibus secundum Gallicum Jus, & Romanum loquemur.

Alluvio est *incrementum latens*, seu insensibile, quod flumen ex uno prædio detrahit, & alteri paulatim adjicit (*Instit. lib. 2. tit. 1. n. 20.*). Incrementum hoc ad eum, cujus fundo adjicitur, pertinet etiam in Gallia. Sed si repentina *vis fluminis, de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit* (quo casu dicitur *incrementum patens*) *palam est eam tuam permanere* (*Ibid. n. 21.*), Incrementa hæc, si magna sint, & a nemine repetantur, censentur Regis in Gallia.

Specificatio est, *cum ex aliena materia*, quoddam opus *confectum est ab aliquo, ut si quis ex alienis uvis vinum fecerit, aut ex alieno auro vas aliquod fecerit. Quæri vero solet quis eorum dominus sit: utrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit.* (*Ib. n. 25.*) Circa quod, nisi aliud ferat consuetudo loci, hæc regula statuenda videtur, ut quoties specificatio facilis est, & quasi sine arte, ita ut rei substantia laborem superet, res ei cedere debeat, cujus est substantia; secus si opus materiam superet; ridiculum enim est, *picturam Apellis in accessionem vilissimæ tabellæ cedere* (*Ibidem n. 34.*) Tunc tamen pictor priori domino tenetur de damno tabulæ.

Accessio est cum quid ornatus causa adjicitur rei alterius, ut si quis alienam domum pinxerit; & tunc accessio ejus est, qui rei dominus erat; quia *accessorium sequi congruit naturam principalis*. Si tamen ornamentum rem, cui adjectum est, pretio longe superaret, ut diximus de pictura Apellis, ornamentum haberetur pro principali, & pertineret ad artificem.

Con-

Commixtio, & confusio eo differunt, quod quæ confusa sunt, novam pariunt speciem: sic ex vino, & mele confusis efficitur nova species, quam mulsum dicunt; mixta vero eamdem servant speciem, ut grana tritici, vel oves ( *Ibid. n.* 27. ). De his statuuntur regulæ sequentes. Prima : separari debent, quæ separari possunt, ut oves. Secunda : si separari non possunt, ut mel, & vinum simul confusa, seu casu furtuito, seu ex utriusque domini consensu confusa fuerint, tunc quod resultat, utrique commune sit pro rata materiæ.

Ædificatio dupliciter fieri potest, vel *ex aliena materia in suo solo*, vel *ex sua materia, in solo alieno* ( *Ibidem n.* 29., & 30. ). Si primum, valet in nostro, sicut & in Romano Jure hæc regula : *Ædificium semper solo cedit*. Quod si quis aliena materia usus sit bona fide, non tenetur nisi ad solvendam ejus æstimationem, si vero mala fide, tenetur insuper de omni, ut ajunt, interesse, de lucro cessante, &c. Si secundum, vel qui ædificavit ignorabat se alieno in solo ædificare, & tunc jus habet materiæ, & artificii pretium repetendi; vel non ignorabat se in alieno fundo ædificare, & tunc in Gallia contra Romani Juris dispositionem, potest adhuc exigere materiæ, & impensarum pretium, nisi justa de causa velit dominus, ut solum suum priori statui restituatur, ut aliquando contingit, cum quis intra annum, & diem ædificia minus necessaria constituit in fundo, unde retractu gentilitio extruditur.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De reliquis speciebus Juris*,

INter alias juris species numerantur ususfructus, usus, habitatio, emphyteusis, feudum, libellus, superficies, servitus, pignus, & hypotheca, quibus affinis est possessio.

Ususfructus definitur *Jus alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia* Inst. Lib. 2. tit. 4.

Dicitur I. *Jus* : neque enim hic loquimur de usu actuali, quem Jurisperiti usum *facti* vocant. II. *utendi* : ut distinguatur a jure, quod habet creditor in re sibi oppignerata; aut depositarius in deposito : hi enim si rebus illis domino *invito* utantur, tenentur ad restituendam æstimationem usus. III. *fruendi*; & sic distinguitur ususfructus a mero usu. Nam simplex usuarius habet solummodo usum rei, v. g. equi, domus, agri, silvæ, *ad necessitatem quotidianam*; unde superfluos fructus vendere, *jus, quod habet, alii locare, vendere, aut gratis cedere non potest : cum is, qui usumfructum habet, possit hæc omnia facere* ( *Leg.* 12. *ff. De usu.* ) Instit. ibid. tit. 5.

Hic duo notanda : I. fructus maturos, quos antequam collegerit, moritur usufructuarius, non pertinere ad hæredes fructuarii, sed ad proprietarium rei. Sed vicissim, *si pendentes fructus jam maturos reliquisset testator, fructuarius eos feret .... nam & stantes fructus, ipso facto ad fructuarium pertinent.* ( *Leg.* 27. *ff. De usuf.* ) In his tamen videndum quid ferat conventio, qua quis usufructuarius constitutus est. Sic in Beneficiis fructus ultimi anni, annum a mense Januario, ut moris est, inchoando, successorem inter, & titulares hæredes dividuntur pro rata temporis, quo post inchoatum annum vixit titularis. Unde si Beneficiarius sub finem mensis Martii decedat, quarta pars fructuum *stantium* ad hæredes ejus pertinet; tertia vero si sub Aprilis finem mortuus sit.

II. non solum in fructu esse immobilia, fundum, v. g. ædes, sed etiam mobilia, puta gregem, cujus lana, lac, & fœtus percipi possunt. Hinc in jure, silva cædua, apes, seminaria plantarum, statuæ, & alia id genus, in usumfructum relinqui posse dicuntur.

Dicitur IV. *rebus alienis*; ususfructus enim est servitus, quæ nonnisi in re aliena constitui potest.

Dicitur V. *salva rerum substantia*; quia usufructuarius rem integram proprietario reservare debet. Porro ut silva maneat rei substantia, quædam sunt onera fructuarii :

I. enim *si gregis usumfructum habeat, in locum capitum demortuorum, alia capita e fœtu, quem recipit, submittere debet*. Inst. *De rer. divis.* §. 38. Si tamen singulorum capitum divisim, non gregis collective sumti usumfructum habuerit, non tenetur ad alia substituenda capita in locum eorum, quæ perierint. Idem dicendum si pecus ejus sit naturæ, ut prolem non habeat.

II. qui vineæ, aut silvæ usumfructum habet, *in locum demortuarum arborum*, aut vitium, alias plantare tenetur : & tunc *priores*, quæ mortuæ sunt, *ad fructuarium pertinent* L. 18. ff. *De usufr. Arbores vero vi tempestatis, non culpa fructuarii eversas, ab eo substitui non placet*, ait Lex 59. eod. Verum arbores illæ non cedunt fructuario, sed proprietario, qui eas impensis suis tollere tenetur. Si tamen eversæ arbores ad villæ refectionem necessariæ sint, iis uti poterit fructuarius.

III. qui domus usumfructum habet, tenetur modicas reparationes de suo præstare, ne pereat rei substantia; non tamen majores, neque etiam ædes, si vetustate corruerint, reficere tenetur. Imo quamvis rem possit facere meliorem, qualitatem ejus immutare prohibetur : unde ei ædes altius tollere non licet.

Ususfructus dupliciter acquiritur : I. dispositione Legis, & tunc dicitur *legalis* : talis ille est, quem pater Jure Romano habet in adventitio peculio filii sub potestate sua constituti. II. hominum voluntate, puta testamento, venditione &c., & hic dicitur *conventionalis*.

Finitur autem ususfructus : I. per mortem usufructuarii. II. si res v. g. domus, in qua constitutus est, pereat. Quod si ea reficiatur, non reviviscet ususfructus. III. si fructuarius tanto tempore jure suo non utatur, quanto opus est, ut dominus directus contra eum præscribat. IV. si ususfructus *domino proprietatis ab usufructuario cedatur*, ( *nam cedendo extraneo nihil agitur* ) *vel ex contrario, si usufructuarius proprietatem rei acquisierit, quæ res consolidatio appellatur*. ( *Instit. ibid.*

*Ibid.* n. 3. ) V. si ad certum tempus vel ex Lege, vel ex conventione cunstitutus sit, eo enim exacto finitur.

In Gallia extinguitur usussructus morte etiam civili: civiliter autem moriuntur: I. qui petemtotiu, & ultimu judiciu ad mortem damnati sunt. II. qui carceri perpetuu, item qui triremibus, exiliove in perpetuum; aut ultra 9. annus mulctantur. III. qui solemnia Religionis vuta emittunt: quidquid enim eorum est, hæredibus cedit, non Monasterio.

Usus est jus utendi tantum re aliena in usum proprium, salva ejus substantia: unde multo minus cumpetit juris usuario, quam fructuario. Nam qui merum habet usum domus, vix *hospitem recipere* potest, neque alii jus suum cedere valet: qui usum habet fundi, oleribus, pomis, fœno, lignis uti potest, sed non nisi ad proprium usum ( *Instit. l.* 2. t. 5. ): qui denique ovium usum haberet, iis sulum uti posset ad stercurandum agrum, nun tamen uti agnis, lacte, vel lana, quia hæc sunt in fructu. Plura vero potest fructuarius, ut patet ex dictis.

Dixi, *salva substantia*; quia usuarius, sicut & fructuarius, rem integram domino directo conservare debet: unde si cui legaretur usus vini, vel panis, non tam videretur ei tribui usus, quam dominium, quia rei substantia ipso ejus usu destruitur.

Atque hinc oritur quæstio, quæ olim inter Franciscanos magno animorum æstu agitata fuit, an in rebus, quæ usu consumuntur, possit usus a dominio distingui; adeo ut possit Minorita uti vino ad bibendum, pecunia ad emendum, absque vero ejusdem vini, aut pecuniæ dominio, qua de re sit

CONCLUSIO. In iis etiam rebus, quæ usu consumuntur, dominium ab usu separari potest.

Prob. I. Ut usus in iis etiam rebus, quæ per usum pereunt, a dominio distinguatur, sufficit, ut possit quis earum usum concedere, non cuncesso dominio: atqui hoc non repugnat. Potest enim quis alteri tradere facultatem re sua utendi, sed ea lege, ut quoties voluerit facultatem hanc revocet: tunc autem qui usum habebit, nun habebit duminium, cum ille vere dominus remaneat, qui rem suam ad se pro nutu revocare potest; ergo.

Prob. II. Cunviva habet usum ciborum sibi appositutum: atqui tamen eorum dominus nun est: semper enim pruhibere potest ab eo, qui ipsum invitavit, isque eibos jam mensæ impositos remuvere, aut pauperibus largiri potest.

Prub. III. Duminium rei non habet, nisi qui vult illud acceptare: atqui Minures acceptare nolunt dominium rerum, quæ sibi dantur, sed usum duntaxat pro dantis, aut alterius nutu revocabilem.

Obj. I. Qui re per usum consumtibili uti potest, eo ipso potestatem habet ejusdem destruendæ; ergo & ejus dominium habet.

R. neg. cons. non enim satis est ad duminium, ut rem destruere possis, sed insuper requiritur, ut ea rei destruendæ potestas non pendeat ab alio, ad cujus nutum revocari possit: atqui Minoritæ re sibi certos in usus concessa non utuntur, nisi dependenter a voluntate alterius, &c.

Obj. II. Usus est facultas aliqua re utendi salva ejus substantia: atqui nemo potest uti re usu consumtibili, salva ejus substantia; ergo res consumtibilis usum non habet a duminio distinctum.

R. majorem esse veram de usu, pruut in Jure civili accipitur, quia Jurisperiti de usu disserunt, prout versatur circa res, quæ ipso usu non consumuntur: at si jus mataphysice accipiatur, strictius definiri potest: actus, vel facultas utendi re aliena ad nutum illius, ad quem pertinet ea res.

Habitatio definiri solet Jus habitandi in alienis ædibus, salva earum substantia.

Habitatio dumus in Jure etiam Gallico distinguitur ab usu dumus: qui enim solum dumus usum habet, eam per se habitare tenetur; qui vero jus habitationis habet, *non solum in* domo *per se* degere, *sed etiam aliis* eam *locare* potest

Jus habitatiunis perdurat tota legatarii vita nisi aliter conventum sit. ( *Instit. lib.* 2. tit. 5. *n.* 5. ). Si marito concessum sit, extenditur ad uxorem, filios, domesticus: neque enim seorsim ab iis vivere præsumitur. Idem dicendum, si uxori cuncessum sit, aut vidoæ ( mudu non a priori marito ) quæ ad ulteriures nuptias teansvulet: sed si legata marito pars dumus toti ejus familiæ nun sufficiat, non ideo alias domus partes sibi non legatas puterit occupare.

*Emphyteusis*, quæ sic dicta est a meliurandu, est contractus, quu res immubilis possidenda, & fruenda alicui traditur, ea lege, ut pensio annua inde dumino directo præstetur. Hæc pensio, quæ dicitur *Canon*, modica esse debet, prout emphyteuta plus, aut minus ad meliorationem tenetur. Emphyteuta pensiunis remissiunem exigere nequit eo prætextu, quod toto sterili annu nibil cullegerit; imo si rei emphyteuticæ pars aquis abrepta, aut aliter perierit, quod residuum est integram, ut ante, pensionem debet: sed in eo casu emphyteuta a contractu resilire putest.

Quæres I. an rejici possit emphyteuta, qui pactam pensionem non solvit. R. posse expelli, si pro Ecclesiastiea emphyteusi per biennium, pro seculari per tutum triennium nun sulverit: sed expulsionem hanc per Judicem, partibus vocatis, decerni oportet. Expulsus autem emphyteuta impensas, quas in meliurando fundo posuit, repetere non potest: debet tamen Judex, habita meliorationum ratiune, cungruam dilationem emphyteutæ cuncedere, ut vel sulvere, vel emphyteusim suam alii vendere possit, quud sine consensu dumini facere potest.

Quæres II. an emphyteuta fundum, quo voluerit modo, meliorare possit. R. negat. Soli enim faciem immutare non debet; unde non licet agros in silvas, aut silvas in arationes vertere: si tamen emphyteuta fœno, pascuis, ligno indigeret, aut Baccho magis, quam Cereri opportuna esset tellus, tunc vetitæ non essent eæ mutatiunes.

Feudum est contractus, quo rei immobilis duminium utile alicui sub fidei, & obsequii conditione traditur a domino rei ejusdem proprietatem retinente.

te. Qui tradit, dicitur *infeudator*: qui accipit *vasallus*, aut *feudatarius*: res data *feudum*; ejusque proprietas ad vasallum magis, quam ad dominum nunc pertinere censetur.

Jura domino a vasallis præstanda, alia sunt honorifica, ut fidelitas, *foi & hommage*; alia utilia, quæ consistunt in quibusdam emolumentis. Jura dominis in singulis mutationibus debita, gallice *lods, & ventes*, a die initi contractus vere & ex justitia debentur; unde qui rem feudalem vendit aut emit, (sunt enim ea de re variæ consuetudines) ea in conscientia solvere tenetur, etiam non requisitus.

Libellus est contractus, quo emphyteuta, & vasallus rem suam emphyteuticam, aut feudalem cedit tertio in emphyteusim, aut feudum.

Superficies est jus, quo quis alieni soli superficiem possidet, & in eo ædificare potest. Qui hoc jus habet, habet dominium utile domus superficiariæ, cujus proprietas penes dominum loci remanet.

Servitus sumta active est jus, quod quis habet in re alterius, ut sibi, aut rei suæ serviat. Servitus passive sumta est ipsa rei subjectio in commodum alterius.

Servitus dividitur: I. in *realem*, & *personalem*. Realis ea est, per quam res rei servit, ut domus domui, cujus stillantes aquas excipit. Personalis ea est, qua res personæ obligatur, vel persona rei: res quidem, ut si jus habeam non propter agrum, sed aliunde, hac transeundi: persona vero rei, ut si Titius agrum meum excolere debeat. Ususfructus, usus, & habitatio sunt propriæ servitutes personales.

II. Servitus realis dividitur in *urbanam*, & *rusticam*. Urbana ea est, quæ urbano prædio debetur; rustica, quæ prædio rustico debita est. Sed nota urbani prædii nomine intelligi quodcunque ædificium a patre-familias habitandum, sive sit in urbe, sive in villis, & in vicis, & hortum amœnitatis causa annexum: per prædium vero rusticum intelligi prædium omne distinctum ab humano habitaculo, appendiceque illius, horto amœno. Hinc ager, stabula, horrea, ab hominis habitaculo separata, prædium rusticum constituunt, etiamsi in urbibus sita sint.

*Urbanorum prædiorum* servitutes, & *jura talia sunt: altius tollendi ædificii, & officiendi luminibus vicini, aut non extollendi: item stillicidium avertendi in tectum, vel aream vicini, aut non avertendi; item immittendi tigna in parietem vicini* (*Institut. lib. 2. tit. 3.*).

*Servitutes rusticorum prædiorum sunt iter, actus, via, aquæductus*; dicunturque servitutes *nominatæ* (*L. 1. ff. de serv. præd. rust.*).

Iter est jus, quo quis pedes, aut eques per alterius fundum transire, aut ambulare potest: qui solum itineris jus habet, etsi jumento vehi potest, jumentum tamen agere non potest ante se. Actus est jus agendi jumentum, aut vehiculum. Via utrumque itineris, & actus jus complectitur; adeoque est jus eundi, & agendi jumentum, & vehiculum. Aquæductus est jus aquam ducendi per alienum fundum, sive canalibus, sive rivo per alterius terram depresso, quo aqua decurrat.

Servitutes rusticæ, quæ *innominatæ* dicuntur, sunt aquæ haustus, jus pascendi pecoris, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c.

Quæres quibus modis servitus acquiratur.

R. servitutes alias esse, quæ alicui libere conceduntur, & eæ comparantur, ut alia quæcunque bona, puta venditione, &c. alias, quæ necessario constituuntur; ut *si quis sepulchrum habeat, viam autem ad sepulchrum non habeat* (*L. 12. ff. De relig.*); is enim Judicis opera vicinum cogere potest, ut justo pretio iter sibi præstet ad sepulchrum.

*Omnes servitutes* præscribuntur *decennio contra præsentes, vel viginti spatio annorum contra absentes* Leg. 13. Cod. *De servit.* In Gallia consulendi sunt locorum usus; nam v. g. in consuetudine Parisiensi *nulla est servitutum præscriptio sine titulo*: unde sive ruri, sive in urbe nequidem post annos centum servitutem præscripseris, nisi titulum exhibeas.

Servitus finitur non præscriptione solum, sed & contrariis pactis, item reductione prædii ad dominum, cui serviebat, aut destructione rei, quæ servituti occasionem dederat. Sic si aruerit fons, in quo, ut aquam haurires, per fundum meum transire poteras, jam hac transire non poteris; at reviviscente fonte, reviviscet jus tuum, etiamsi elapsum fuisset tempus præscribendi.

---

## CAPUT TERTIUM.

### *De Restitutione in genere.*

OBligationem restituendi parit injustitia, quæ definitur alieni juris violatio, & quæ proinde volenti inferri non potest, cum implicet lædi jus illius, qui volens jure suo cedit, si tamen cedere non prohibetur: unde qui Clericum percutit volentem, subjacet censuræ, quia Ecclesia ob honorem sui totius vetat, ne Clerici etiam volentes contumelia afficiantur.

Restitutio definiri potest Redditio rei debitæ, vel in se, vel in æquivalenti. Est quidem I. redditio, ac proinde actus justitiæ commutativæ, quo constituitur æqualitas rei ad rem, inter jus personæ, & rem, quæ personæ illi redditur. II. est redditio *rei debitæ*: seu res debeatur ex injuria, furto, v. g. vel rapina: seu debita sit alio titulo, depositi v. g., commodati, &c. III. est redditio *in se, vel in æquivalenti*: quia restitutio fieri potest, absque eo quod reddatur, aut reddi possit illud numero bonum, quod alteri ablatum est; ut si pecuniæ summam ei conferas, cujus bovem occidisti. Ut restitutio fiat æquivalenter, lucrum cessans & damnum emergens compensari debent, ut ex dicendis constabit.

Restitutio differt tum a satisfactione, tum a solutione; a satisfactione quidem, quia satisfactio est injuriæ alicui illatæ separatio, eo major, quo dignior

gnior

gnior est persona offensa: restitutio aotem oeque necessario supponit injuriam, ut patet in redditione mutui: neque respicit personam, sed rem, oude major esse non debet restitutio, quæ fit nobili, quam quæ plebejo. A solutione vero: I. quia solutio supponit rem, quæ solvitur, diversam esse ab ea, pro qua solvitur: restitutio vero ejosdem rei esse potest. II. quia solvi dicitur, quod debetur ex voto, & juramento, non dicitur vero restiroi; e conttario depositum dicitur restitui, oon veto solvi.

His præsuppositis videndom, an necessaria sit restitutio, qoæ ejus radices, qua ex culpa oriatur, qui ad eam teneantur, quo ordine facienda, quinam demum ab ea immunes sint.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De necessitate Restitutionis, ejusque radicibus.*

CONCLUSIO. Restitutio in re, aot in voto oecessaria est ad salutem.

Prob. I. ex Scriptora. Ezech. 33. *Si impius fecerit judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit.... vita vivet, & non morietur.* Jacobi 5. *Merces operariorum.... quæ fraudata est a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Unde sic: Illud est ad salutem necessarium, cujus omissio mortem infert animæ, & severam u Domino vindictam expectare debet: atqui ex citatis textibus restitutionis omissio infert mortem animæ, &c. Hine notum illud S. Augustini Epist. 54. *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum..., cum restitui potest.*

Prob. II. ratione. Omissio restitutionis est virtualiter furtum; est enim acceptio rei alienæ continuata: atqui fur salvari non potest; ergo nec qui rem alienam non restitoit.

Dixi, restitotio *in re, aut in voto*, quia ei, qui restituere non potest, satis est, ot sincerum habeat propositum restituendi cum poterit.

Obj. I. Qui rem habet alieoam, domino consentiente, nut irrationabiliter invito, non tenetur ad ejus restitotionem: atqui dominus consentit, aut consentire debet, ot res sibi ablata retineatur a fure; alioqui præferret rem temporalem æternæ alterius saluti, quæ periclitabitur, oisi consentiat, ut alter rem illam sibi retineat.

R. ad 1. neg. min. si enim valeat pia hæc subtilitas, jam unusquisque rem alterius invadere poterit; nemini etiam in judicio opes suas defendere licitum erit, ne forte fratris sui animam peccato expooat. Apage novum charitatis genus.

Ad 2. dico nos non teneri spirituale proximi bonum bono nostro corporali anteferre, nisi cum proximus in gravi, aut extrema constitutus est necessitate, a qua liberari oequit, nisi per boni nostri jacturam. At cum homo animæ periculum nonnisi propria voluntate sobit, aliter ratiocinandum est, alioqui melior esset furum, quam virorum frugi conditio.

Obj. II. Rachel Genes. 31. furata est idola patris sui; David I. Reg. 27. legitur oves, & boves abstulisse: atqui nec Rachel, nec David leguntur restituisse; ergo.

R. I. nec sancta fuisse omnia, quæ fecerunt viri sancti, nec scripta fuisse omnia eorum pœnitentiæ opera: fieri ergo potuit, ut restituerint, & hoc scriptura non expresserit.

II. Quod spectat ad Rachelem, multi eam accusant furti domestici, & ita sensisse videtur ipse Jacob cum ad Laban dixit: *Apud quemcunque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Alii vero existimant potuisse Rachelem jure compensationis auferre idola Laban, qui debitam filiabus suis dotem denegaverat, ut patet ex. v. 14. ibid.

Quod pertinet ad Davidem, abstulit ille pecora eorum, quos Deus occidi jusserat: quibus autem eripi vita potest, & bona eripi possunt.

Quæres I. an præceptum restitoendi, affirmativum sit, an negativum. R. com S. Thoma q. 62. art. 8. ad 1. *Præceptum de restitutione facienda, quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Hæc aotem negativi præcepti ratio est qnid primarii in præcepto restitutionis: primario enim vetamur retinere alienum, tum deinde ex consequeoti illud restituere jubemur.

Hinc colliges I. præceptom restitoendi obligare *ad statim*, sive agatur de animi præparatione, quia qui novit se rem alterius habere, statim animum habere debet ejusdem quam primum restituendæ, sive agatur de ipsa executione. Illud tamen *statim*, non mathematice accipiendum est, quasi consistat in indivisibili; sed moraliter: moraliter aotem id censetur statim fieri, quod fit cum commode fieri potest. Et vero dominus rationabiliter invitus non erit, si quis per levem motam restitutiooem differat.

Colliges II. hominem, qui non restituit, cum potest, semper peccare. Docet tamen Sylvius peccatum hoc unum esse & idem, nisi expresse, vel tacite renovetur propositum non restituendi: expresse quidem, ut si positive statuas alienum detinere; tacite vero, ut cum advertis, aut facile advertere potes te alienum retinere, nec tamen proponis restitoere. In hac autem cootinuatione gravitas peccati semper erescit, tum ratione damni, quod diutius sustinere cogitur verus rei dominus, tum quia ipsa detentionis, imo & injustæ voluntatis diuturoitas, potest esse circumstantia notabiliter aggravans. Unde debet pœnitens aperire: I. a quo tempore rem alterius detineat. II. an eam semper restitoere potuerit. III. an voluntatem ejus retinendæ pluries iteraverit.

Colliges III. negandam esse absolutionem pœnitentibus restitutioni obnoxiis: I. eum firmum non habent restituendi propositum, quo carere prudenter judicantur, qui media ad comparandam restituendi facultatem oecessaria non udhibent.

II. etiam in periculo mortis, eum restitotiouem, quam per se possunt, hæredibus faciendam committunt. Et hoc præcipue locum habet io Magnatibus, quorum testamenta vix unquam implentur ab hæ-

hæredibus, qui satis se facere putant, si quam restitutionem avus patri, & sibi pater præcepit, hanc ipsi posteris suis novis onustam debitis commendent.

III. cum toti solvendo pares non nisi partem restituunt, sub eo prætextu, quod dominus, utpote dives, nihil ex hac dilatione patiatur detrimenti: peccas enim eo ipso quo alienum rapis, sive dominus inde damnum patiatur, sive non: crescit tamen peccatum crescente proximi damno.

IV. cum jam in aliis confessionibus polliciti se restituturos, necdum tamen promissis steterunt, quia æquum non est ut habeatur fides mendaci, nisi forte, ait Silvius, evidentia sinceritatis indicia præ se ferat, quibus absque ulla erroris formidine vir sapiens fidem habere queat.

(✠) Quamvis teneatur debitor rem alienam statim restituere, quia ut præclare docet S. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 8., *sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam*. Plures tamen excipiendi sunt casus, queis restitutio licite differri potest. Casus isti enumerantur, & explicantur articulo quarto. Interim consideranda est hæc propositio a Ven. Innocentio XI. proscripta, quæ numero est 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis*. (✠)

Quæres II. quandonam censeatur non perseverare virtualiter propositum detinendi rem alienam. R. hos vulgo assignari casus: I. cum detentor contritionis actum elicit, & rem, quam detinet restituere sibi proponit. Videndum tamen an non illusorius sit ille contritionis actus: *a fructibus eorum cognoscetis eos*. II. cum rei alienæ detentio desinit esse peccatum, v. g. quia retentor factus est impotens ad reddendum: sed & videndum, an non is ita mente sit affectus, ut etiamsi possit restituere, si nolit.

Quæres III. quot sint restitutionis radices.

R. quatuor assignari posse, scilicet injustam acceptionem, injustam detentionem, injustam damnificationem, ac denique contractum, aut quasi contractum.

Injusta acceptio est, cum res aliena domino rationabiliter invito usurpatur.

Injusta detentio est cum aliquis rem alterius inique retinet, quod contingere potest absque injusta acceptione, ut si meas inter gemmas alterius gemmam, quam sine advertentia collegi, detexero, eamque restituere noluero.

Injusta damnificatio, cum cuipiam infertur damnum absque ulla rei ejus acceptione, aut detentione: ut cum quis alterius ædes succendit, vel dolose impedit, ne bonum aliquod obtineat.

His titulis addi potest quartus, nimirum ratio contractus expliciti, aut impliciti. Sic tenetur ad restituendum, qui pecuniam mutuo acceptam fortuito casu amisit: sic et restitui debet, qui alterius absentis negotia sponte, & utiliter gessit, aliquid pretio æstimabile pro illis impendendo; ut si flammam a domo ejus removerit.

Porro plurimi interest scire, quo ex titulo teneatur quis ad restituendum. Si enim tenetur quia rem alterius inique possidet, perseverat restituendi obligatio, re etiam destructa, vel sublata; licet non inde ditior factus sit: quia iniqua damnificatio fundat restitutionis obligationem, quæ subsistit, donec realis ponatur damni reparatio. Si vero teneatur ad restituendum absque prævia injustitia, tunc si absque ipsius culpa pereat res, quam restituere debebat, non tenetur nisi quantum ex ea factus est ditior; quia totum obligationis ejus fundamentum inde est, quod habeat rem alterius vel in se, vel in aliquo, quod ei succedat. Est autem differentia inter rem ipsam secundum se, & id quod loco ejus succedit, quod res ipsa semper clamat domino, eique secundum se debeatur quandiu superest, excepto præscriptionis casu; id vero, quod loco rei succedit, tunc solum domino debetur, quando, & quantum bonæ fidei possessor factus est locupletior. Ut autem hæc melius intelligantur, videndum est, an non aliquando ad restituendum teneatur quis absque ulla culpa, &c.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De culpa Restitutionis obligationem pariente.*

CUlpa duplex hic distinguitur, alia *theologica*, quæ est peccatum mortale, vel veniale; alia *juridica*, quæ est omissio alicujus diligentiæ per ignorantiam, incuriam, aut inadvertentiam, ex qua alicui damnum creatur: non refert autem an omissio hæc peccatum sit, necne.

Culpa juridica triplex: lata, levis, & levissima, quibus addunt aliqui latissimam, & latiorem.

Culpa *latissima* est diligentiæ, quam ceteri adhibere solent, omissio damnosa, ea intentione ut alter damno afficiatur. Talis est culpa militis excubias agentis, qui dormit, aut dormire fingit, ut faciliorem hosti accessum præbeat. Hæc culpa grande est peccatum, & verus dolus. Dolus autem est quævis machinatio ad decipiendum.

Culpa *latior* est dolus præsumtus: ut si sciens, & valens impedire, non impediam tamen, quominus v. g. fur rem apud me depositam auferat.

Culpa *lata* est omissio diligentiæ, quam prudentes ejusdem conditionis homines in ejusmodi rebus adhibere solent. Talis est negligentia ancillæ, quæ domus januam claudere vespere neglexit.

Culpa *levis* est omissio diligentiæ, quam adhibent diligentiores. Talis est culpa illius, qui librum reliquit in cubiculo, quod satis non occluserat, aut qui servum admisit probitatis non satis notæ.

Culpa *levissima* est omissio diligentiæ, quam solertissimi in rebus ejusdem naturæ adhibent, qualis est illius, qui cubiculum clausit, sed non probavit manu pulsando, an bene clausum esset.

Ex his multa sunt, quæ sine ullo peccato contingere possunt, puta ex oblivione naturali, &c.

His positis videndum est, qua ex culpa nascatur restituendi obligatio: sed antequam id præstetur, sedulo est observandum non eamdem esse rerum omnium, quæ alicujus culpa pereunt, conditionem,

Quæ-

Quædam enim non supponunt contractum, ut si bestia tua de se stabulum meum ingressa, ibi cum meis subrepta fuerit. Quædam supponunt contractum, aut quasi contractum. Contractus autem, vel transfert dominium, ut emtio, & mutuum; vel non transfert, ut locatum, & depositum. Insuper contractus, vel cedit in utilitatem solius recipientis, ut commodatum; vel in utilitatem solius dantis, ut depositum; vel in utilitatem utriusque, ut locatum. Quasi contractus sunt negotiorum alienorum gestio, tutela, cura, officium Judicis, Advocati, Medici, &c. Sit nunc

CONCLUSIO I. Ad inducendam restitutionis obligationem sufficit, & requiritur culpa theologica venialis adversus justitiam commutativam, extra casum contractus, aut quasi contractus.

Prob. 1. pars: I. ex cap. 9. *De injuriis*, ubi sic: *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his te satisfacere oportet*: atqui per peccatum etiam veniale, alicui injuria etiam formalis inferri potest. Nam infertur formaliter injuria ab eo, qui sciens, & volens jus alterius lædit: atqui venialiter peccando lædit quis jus alterius sciens, & volens; ergo

II. quia si venialis culpa non sufficeret ad inducendam restituendi obligationem, nullum esset veniale furtum, nulla restituendi lex iis imponenda, qui per minuta furta magnam pecuniæ quantitatem congessissent, quod absurdum est.

Prob. 2. pars, quod nimirum secluso contractu requiratur culpa theologica. Quia non tenetur quis ad restituendum, nisi ratione alicujus ex radicibus restitutionis, quæ supra recensitæ sunt: (*Sup. p. anteced.*) atqui ubi deest tum contractus, tum culpa quævis theologica, deest omnis radix, quæ restitutionis obligationem parere possit. Nulla enim est rei acceptio, detentio, aut damnificatio formaliter iniqua, cum absit omne peccatum; nullus quoque est contractus, aut quasi contractus, ex hypothesi; ergo.

Obj. I. Sanciunt Romanæ (*Inst. lib.* 4. *tit.* 9.), & Gallicæ leges, ut animal, quod alicui damnum sine domini sui culpa intulit, ab eo, qui damnum passus est, occupari, & retineri possit, nisi malit dominus feræ damnum totum reparare; ergo.

R. I. casus iste unicus est, & singularis, adeoque est exceptio firmans regulam. II. ea lex juxta Theologos multos non obligat in conscientia ante sententiam Judicis. Unde non videtur dominus peccare, si neque restituat, neque animal dedat, sed occultet, quando lata est contra ipsum sententia, nec quidquam omisit eorum, quæ necessaria erant, ut proximi damnum averteretur.

Obj. II. Jure naturali qui posuit inæqualitatem, tenetur eam reparare: sed qui alteri damnum intulit etiam sine culpa, posuit inæqualitatem.

R. neg. maj. generaliter intellectam. Ea enim solum inæqualitas est necessario reparanda, quæ est formaliter injuriosa, non autem quæ nascitur ex casu fortuito extra contractum. Neque hoc durum videri debet domino, qui damnum sensit, tum quia nollet debet neminem sine culpa puniri debere, tum quia ipse in simili casu immunis erit a restituendo.

CONCLUSIO II. Qui ex culpa veniali grave damnum intulit, non videtur teneri ad reparationem totius extra contractum. Ita viri graves.

Prob. I. Injuria venialis citra contractum, aut quasi contractum non debet tantam parere obligationem, quantam injuria gravis, & plene voluntaria; quia nimirum obligatio restituendi minus sumitur ex parte objecti, quam ex parte injuriæ formalis; unde statim dictum est, ubi est grave damnum, & culpa theologica nulla, nullam esse restituendi obligationem: atqui si teneretur quis ex culpa veniali ad refusionem damni totius, injuria venialis tantam pareret restituendi obligationem, quantam injuria gravis &c.

Prob. II. Obligatio restituendi, licet non sit proprie pœna, pœnæ tamen rationem imitatur, est enim quoddam onus impositum delinquenti: atqui pœna culpæ proportionata esse debet; ergo si levis sit culpa, pœna levior esse debet.

Hic duo notanda: I. in dubio, an culpa mortalis sit, an venialis, judicandum est eam mortalem esse, adeoque imponenda est damni totius reparatio; tum quia potior esse debet conditio innocentis, quam delinquentis; tum quia in operibus externis, quæ graviter periculosa sunt, raro contingit, si quosdam vehementis passionis casus tollas, ut quis non tantum attendat, quantum ad peccatum mortale necessum est: opus enim graviter periculosum naturaliter, & sponte sua mentis advertentiam excitat, ut experientia docet. Porro cum occurrit dubium aliquod in praxi, resolvendum est ex iis, quæ communiter, non ex iis, quæ raro contingunt.

Not. II. quod licet non teneatur quis ex culpa veniali, nisi ad reparandam illati damni partem, ad id tamen teneri possit sub peccato mortali. Quia tanta esse potest illati damni quantitas, ut pars culpæ veniali respondens gravis sit momenti.

Obj. Ut quis totam, quam posuit, inæqualitatem resarcire debeat, sufficit, ut hæc ei secundum se totam voluntaria sit: atqui res sic se habet in casu damni per culpam venialem illati; cum qui illud intulit, ab eo toto potuerit, & debuerit abstinere; ergo.

R. neg. min. non enim sufficit, ut aliquis quomodocumque voluerit damnum proximi; sed requiri videtur, ut id voluerit in gradu, qui injuriam formaliter gravem constituat; alioqui enim injuriæ solum levis reus eodem plecteretur modo, quo qui gravissimam intulisset; quod justitiæ regulis minus congruit.

At, inquis, idem damnum intulit, ac si mortaliter peccasset; ergo eadem opus est reparatione.

R. dist. ant. idem intulit damnum objective, C. formaliter, N. Porro, ut jam monuimus, non damni objective sumti, sed injuriæ formalis præcipue habenda est ratio: alioqui teneretur quis aliquando sine ulla culpa theologica totum refundere damnum, quia fieri potest, ut majus alicui damnum inferas ex inadvertentia, quam si sciens & volens eidem noceres.

CONCLUSIO III. Ad obligationem restituendi, supposito contractu, requiritur culpa lata, cum contractus cedit in commodum solius dantis; sufficit ve-

ro culpa levissima, si cedat in utilitatem solius recipientis: requiritur autem, & sufficit culpa levis, si cedat in utilitatem dantis, & recipientis.

Prob. 1. pars. Non tenetur quis majorem adhibere diligentiam erga rem alienam, quam sine ullo sui commodo recipit, quam erga res proprias: atqui ad majorem teneretur diligentiam, si restituere deberet ex culpa levi, vel levissima. Quisque enim censetur res suas prudenter curare, cum in earum cura culpam omnem latam devitat, ut indicat ipsa culpæ latæ definitio; ergo qui servabat depositum, quod ablatum est, nec de levi culpa, nec de casu fortuito tenetur regulariter loquendo.

Dixi, *regulariter loquendo*; quia de deposito teneris ex culpa etiam levi: I. *si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro ejus custodia recepisti* (C. 2. De deposito): quia tunc vel contractus vergit in utilitatem utriusque, vel majorem solito diligentiam promittere censeris; imo teneretis ex culpa levissima, si te tanquam diligentissimum custodem obtulisset, quia eo ipso diligentiam maximam promisisses. II. adhuc teneris ex culpa levissima, imo etiam de casu fortuito, si ex pacto ad casum fortuitum te obligaveris, si depositum transtuleris in locum periculosum, si fueris in mora, non reddendo cum reddere poteras. *Pacto enim culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur* (*Cap. 2. sup.*).

Prob. 2. pars, quia postulat æquitas, ut qui rem alterius in solam sui utilitatem accepit, summa, ne quid dominus patiatur damni, utatur diligentia; ergo si librum tibi commodatum amiseris, quia januam non clausisti, vel quia non fat observasti, an clausa esset, teneris ad restituendum.

Non tamen tenereris ex casu fortuito, quia ubi nulla culpa, vel pactio intercedit, res domino suo perire debet.

Excipe: I. si commodatarius casui fortuito causam præbuerit: ut si equum Versalias usque acceperit, cum promissione ultra non transeundi, & tamen ultra progressus in latronum manus inciderit. II. si præcesserit pactum de re quocunque pereat modo restituenda. III. si commodatarius sit in mora restituendi rem præfixo tempore, quæ interim perierit, aut deterior evaserit, quod verisimiliter sine mora hac non contigisset.

Quæres I. an eadem sit conditio precarii, quæ commodati. R. negat. Cum enim precarium habeat hoc onus annexum, ut semper revocari possit ad nutum concedentis, merito sancitum est, ut in precarii contractu non teneatur quis ad restituendum, nisi ex dolo, aut culpa lata. Aliud est de commodato: commodans enim rem commodatam revocare non potest; nisi post usum, & tempus, de quibus conventum est; adeoque cum ex hac parte plus habeat oneris, ex alia minus sustinere debet.

Quæres II. Quid juris, si res commodata apud commodantem peritura fuisset, sicut apud commodatarium v. g. communi incendio. R. Nulla est tunc restituendi obligatio, quia commodatarius non est causa damni; supponimus enim eum incendii causam non esse.

Quæres III. Si commodatarius res suas simul, & alienas sibi commodatas liberare nequeat ab incendio, quid faciendum? R. videndum, in cujus utilitatem cedat commodatum. Si, ut fieri solet, in utilitatem solius accipientis, debet ille præferre rem alienam suis propriis minoris, aut æqualis valoris, non autem suis, quæ pluris notabiliter valent. Si agatur de commodato improprie dicto, quod magis vergat in commodum dantis, potest res suas etiam minoris valoris, rebus alterius præferre. Quod si contractus sit in utilitatem utriusque, potest quisque ceteris paribus res proprias majoris, aut æqualis valoris præferre alienis, non autem quæ sunt viliores. Idem dicendum de re deposita, conducta, in pignus tradita, &c.

Quæres IV. an censeri debeat in culpa, qui rem sibi commodatam remittit per nuntium, cujus culpa perit. R. eos, qui aliquid commodato accipiunt, non intendere obligari ad illud per semetipsos reportandum. Itaque vel eligunt aliquem, de cujus fidelitate, & diligentia certi sunt, quantum satis est, vel non: si 1. restituere non debent, quia sine sua culpa decepti fuere: si 2. restituere tenentur, qua tunc magnæ negligentiæ rei sunt. Si quis tamen per nuntium etiam fidelem remittat rem mutuo acceptam, quæ fortuito pereat in via, tenetur de damno: quia mutuatarius rei mutuo acceptæ dominus est, ret autem domino suo perit.

Prob. 3. pars Conclusionis, quod nempe sufficiat, & requiratur culpa levis, si contractus cedat in utriusque contrahentis utilitatem: Prob. inquam, quia in hoc casu nec sufficit culpa levissima, nec requiritur culpa lata: I. quidem non sufficit culpa levissima, quia cum hujusmodi contractus cedat etiam in utilitatem dantis, æquum non est, ut accipiens ad tantam teneatur diligentiam, ac si contractus in solam suam utilitatem vergeret. II. non tamen requiritur culpa lata, quia propter oppositam rationem æquum non est, ut qui commodum percipit ex contractu, non teneatur ad majorem diligentiam, quam si nihil inde perciperet emolumenti; ergo superest, ut requiratur, & sufficiat culpa levis.

Nautæ tamen, Caupones, Stabularii de culpa etiam levissima tenentur, etiamsi aliquid gratis apud se receperint.

Quæres V. an teneatur quis ante Judicis sententiam restituere id, quod ex culpa levi, vel levissima debet. R. affirmat. quia id non solum legibus, sed & unanimi contrahentium usu constitutum est.

CONCLUSIO IV. Ad obligationem restituendi ex quasi contractu requiritur aliquando culpa lata, aliquando sufficit culpa levis, aut levissima.

Prob. Nam I. requiritur culpa lata, cum quis ex officio aliquid facit in utilitatem alterius, sed gratis; qui enim aliquid gratis facit, non censetur majorem spondere diligentiam, quam quæ a prudentibus in eodem casu communiter expectatur, nisi se obtulerit alio diligentiore se offerente; quia tunc censetur eamdem promisisse diligentiam, quam spondebat ille diligentior.

II. Ex culpa levi tenentur qui ex officio aliquid fa-

faciunt mercede conducti, ut Tutores, Curatores, Advocati, Medici, Chirurgi, Artifices, Architecti, &c. Ratio est, quia qui ex officio suo aliquid percipiunt emolumenti, majorem adhibere debent diligentiam, quam si nullum inde lucrum reportarent. Equidem si Advocatus bona fide præstiterit id omne, quod vere prudentes præstare solent, non tenebitur, si causa cadat, ad restituendum, tametsi omiserit aliquid quod non omisissent diligentissimi: sed si eam non admiserit diligentiam, quam diligentiores solent, est in culpa levi, & ad restituendum obligatur.

III. Varii sunt casus, in quibus tenetur homo de culpa etiam levissima: ut, v. g. I. si se profiteatur diligentiorem, & peritiorem aliis: tunc enim promittit saltem implicite, se plus præstiturum, quam præstent alii. II. si operas locet in re tanti valoris, ut ex natura sua singularem custodiam requirat, ut si agatur de lite, ea qua sequi debeat familiæ alicujus infamatio; aut si transferenda sit columna, quam sine grandi periculo transferri non posse manifestum est; in his enim casibus tacita esse videtur diligentiæ maximæ postulatio, & promissio.

Quæres, quid sentiendum de iis, qui suo consilio nocuerunt. R. Si agatur de iis, ad quos ratione officii, vel professionis spectat consilium dare, quales sunt Confessarii, Theologi, Jurisconsulti, imo ii etiam, qui pro idoneis consiliariis se gerunt, eos teneri ad restitutionem ex culpa lata. Ratio est: I. quia ex cap. 9. *De injur. Si culpa tua datum est damnum; vel injuria irrogata .... aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super hoc satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. II.* quia qui ex officio consilium dant, eam saltem adhibere tenentur diligentiam, quam passim adhibent diligentes ejusdem professionis viri; ergo si eam non adhibuerint, tenentur ad restituendum.

Imo qui mercede, seu stipendio conductus (ut Medici, Advocati, Parochi) malum consilium dedit, videtur de culpa etiam levi teneri, ut notat Sylvius, & satis probant quæ hactenus dicta sunt. Unde multum sibi metuere debent ii omnes, qui ratione officii sunt imperitorum consiliarii: ex iis enim multi per liberiora consilia frequentem injustitiis causam præbent. Qui tamen bona fide exequitur id, quod ex decisione Confessarii, vel Advocati licitum esse putat, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus aliquid habet rei alienæ, aut ex ea ditior factus est: Advocatus vero, & quilibet alius consulens ex officio tenetur ad totum.

Ab hac ob datum consilium restituendi obligatione immunes sunt: I. qui indicant se dubitare de casu proposito. II. qui dicunt ita quidem sibi videri, at monent, ut alii consulantur. III. ii, ad quos ratione officii, vel professionis non pertinet consilium dare, quales sunt idiotæ, rustici, mulieres, & qui pro idoneis consultoribus non se gerunt. Si tamen agitur de damno tertii, puta si suadeas alteri, ut non restituat, peccas graviter, & ad restituendum teneris, quia illi tertio damnum infers: nec obstat quod veritatem ignores inculpate; quia nihilominus imprudenter agis; utpote qui in rebus, quæ te prætereunt, aliis consilium præbere ausis.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De iis, qui ad restituendum tenentur.*

HIc nobis dicendum est: I. de Possessore bonæ fidei. II. de Possessore malæ, aut dubiæ fidei. III. de iis, qui alterius damno cooperantur.

## SECTIO PRIMA.

*De Possessore bonæ fidei.*

POssessor bonæ fidei ille dicitur, qui aliquid possidet, quod sine dolo, & fraude suum esse putat, licet sit alterius. De eo hæc certa sunt:

I. quod non peccet contra justitiam, rem alienam retinendo, minoris vendendo, & dissipando, quandiu durat bona ipsius fides.

II. quod rem illam, etiamsi publice emerit, gratis restituere debeat, statim ac cessat bona fides, nisi satis effluxerit temporis ad præscriptionem. Deduci tamen debent impensæ: quas in rei conservatione fecit emtor bonæ fidei.

III. si cum dominus comparet, res, quam bona fide a fure emisti, jam alteri a te revendita fuerit, debes rescisso contractu, suam secundo emtori pecuniam reddere, quia venditor emtorem de venditione indemnem servare tenetur. Quod si is, qui rem furtivam secundo loco emit, cum eadem non compareat, primus emtor, seu bonæ fidei possessor id solum vero domino restituere debet, quo factus est ditior; quia id solum penes se habet alieni boni. Et hæc quidem intelligenda sunt sensu paulo post explicando.

IV. si is, qui rem alterius bona fide comparavit, eamdem legitimo, quem cognoscit, domino restituere culpabiliter moretur, jam erit malæ fidei possessor, ac proinde in eum cadent, quæ infra dicam de malæ fidei possessoribus. His præsuppositis quæritur, an qui alienæ rei, quam inculpate possidebat, fructus percepit, eosdem cessante bona fide restituere teneatur. Circa quod

Not. I. Nomine fructuum intelligi solet utilitas omnis, quæ ea aliqua re colligi potest, deductis impensis, quæ fidei debent.

Not. II. Fructus dividuntur in *naturales*, *industriales*, *mixtos*, & *civiles*. Naturales ii sunt, qui natura sola, aut fere sola operante producuntur. Tales sunt fœtus animalium, fructus arborum, &c. Industriales ii, sunt qui per hominis industriam proveniunt ex re mere sterili. Tale est lucrum ex negotiatione pecuniæ, ea artificioso usu alicujus instrumenti, ex rerum venditione, &c. Fructus mixti ii sunt, qui partim naturaliter, partim ex industria proveniunt; sive æqualiter a natura, & industria proveniant, sive paulo plus ab una, quam ab altera. Dixi, *sive paulo plus, &c.* quia ubi non parum est industriæ, licet plus sit naturæ, habenda est adhuc ratio indu-

striæ. Denique fructus civiles sunt reditus, qui ex certo jure alicui concesso secundum leges percipiuntur. Sic *urbanorum prædiorum pensiones pro fructibus accipiuntur*, Leg. 36. ff. *De usuris*.

Not. III. eum, qui rem alterius bona, vel mala fide possidet, posse circa eam triplicis generis impensas facere, necessarias, utiles, & voluptarias. Impensæ necessariæ eæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura sit; ut si ædificium ruens reparatum fuerit &c.: unde industria, & labor in re conservanda, in fructibus colligendis inter expensas necessarias censeri possunt. Impensæ utiles eæ sunt, quæ licet necessariæ non sint, rem tamen meliorem faciunt, & ejus reditum adaugent. *Veluti si novelletum in fundum factum sit, aut si in domo pistrinum* quis, *aut tabernam adjecerit*. (*L. 5. & 6. ff.* De imp. in res, &c.) Demum *voluptariæ impensæ sunt, quas aliquis ad voluptatem fecit, & quæ speciem duntaxat ornant, non fructum augent, ut sunt viridaria, aquæ salientes, & picturæ*. (*L. 7. Ibid.*) Fatendum tamen ex impensis voluptariis multas esse, quæ cum rei valorem adaugeant, inter utiles recenseri debent; quia si dominus rem viridariis v. g., & picturis instructam vendere velit, majus ex ea pretium percipiet. His positis sit

CONCLUSIO I. Possessor bonæ fidei non tenetur fructus mere industriales restituere.

Prob. Nemo tenetur restituere id, quod suum est: atqui fructus mere industriales sunt illius, a cujus industria prodierunt; ergo qui alterius instrumento usus ad opus aliquod artificiale peragendum, opus illud sibi retinere potest. Et hoc extenditur etiam ad possessorem malæ fidei: unde si quis ex aliena pecunia, etiam inique parta, lucratus sit ludendo, vel mercaturam exercendo, non tenetur ad restitutionem hujusce lucri.

CONCLUSIO II. Possessor bonæ fidei tenetur restituere fructus naturales, si extant: si vero non extant, restituere debet id, quo factus est ditior.

Prob. I. pars: quia res quælibet domino suo fructificat: atqui possessor bonæ fidei non est dominus rei, quæ ex hypothesi est aliena; ergo res illa non fructificat huic possessori, sed vero ipsius domino; ergo fructus rei restitui debent sive adhuc pendeant, sive jam collecti sint, modo adhuc extent. Deducendæ tamen sunt expensæ, quæ præmitti solent, ut fructus colligantur.

Prob. II. pars: quia nemo juste ditior fieri potest ex alienis bonis; ergo id, quo quis factus est ditior, restituendum est, quia alioqui possideretur res aliena, saltem in æquivalenti.

Ditior autem factus censetur, qui adhuc habet valorem rei alienæ sibi donatæ, quam vendidit; quive consumendo rem alienam, pepercit suæ, aut sumtibus, quos ex re propria fecisset, adeoque restituere debet quantum propriis rebus pepercit. Si quis vero occasione rei alienæ, quam suam esse putabat, majores fecerit sumtus, quam alioqui fecisset, si se credidisset minus divitem, non tenetur ad restituendum, quia nec habet alienum, nec ex alieno ditior factus est. Porro ex dictis supra ubi de Præscriptione, sequitur, eum, qui fructus etiam naturales, & civiles instar rerum mobilium triennio possedit, non teneri ad eorum restitutionem, quia res mobiles præscribuntur possessione triennali cum titulo colorato.

Quæres, an Titius, qui rem alienam bona fide vilius emit a fure, & bona fide carius revendidit, teneatur pretii excessum restituere. R. si excessus pretii a sola Titii industria provenerit, nulla est obligatio restituendi, ut patet ex dictis: si vero excessus non industriæ solum, sed etiam rei venditæ fructus sit, Titius id solum retinere potest, quod vir prudens judicaverit ipsius industriæ, & labori respondere. Unde si Titius equum alterius hic valentem 50. aureis vendiderit Lutetiæ, ubi rariores erant equi, aureis 100., non satisfacit, si solum 50. domino reddiderit; quia licet industria Titii causa sit, cur hic equus Lutetiam conductus fuerit, non tamen causa fuit, cur ibi valeret 100. aureis; ergo Titius retinere non potest, nisi æstimationem laboris, industriæ, & expensarum in equo illuc transferendo. Ratio est: I. quod res ubicunque sit, semper est domini, & domino valet, quod ibi valet, sive tanti valuisset, sive non. II. quod qui sentit onus, debeat sentire & commodum: atqui si equus ille periisset, aut deterior factus fuisset in manu possessoris bonæ fidei, onus illud in dominum cecidisset, etiamsi idem equus in manu domini nec periturus fuisset, nec deterior evasurus; ergo a contrario æquum est, deductis deducendis, ut dominus augmentum ejus percipiat.

Hactenus multoties dixi possessorem bonæ fidei repetere posse expensas, quas fecit; verum circa hoc quædam sunt animadvertenda: Et I. tenetur quidem dominus, qui rem suam repetit, refundere valorem expensarum meliorationis; at non ipsum valorem meliorationis: sæpe enim melioratio rei pluris valet, quam expensæ in re melioranda factæ: major autem ille valor ipso facto pertinet ad dominum rei. II. si expensæ superent valorem meliorationis, dominus rei nihil debet pro hoc excessu; alioqui teneretur rem suam emere pluris, quam reipsa valeat, quod absurdum est. III. si dominus rei, minori pretio, puta dimidio, meliorationem hanc per se facturus fuisset, non tenetur nisi ad refundendum dimidium pretii, quod in his expensis insumsit alter. IV. si possessor ex fructibus rei tantum percepit, & consumsit, quantum expendit, nihil pro expensis exigere potest; quia per hoc eas compensavit.

CONCLUSIO III. fructus mixti, sive adhuc extent, sive iis ditior factus sit possessor bonæ fidei, restituendi sunt secundum id quod naturales sunt, non vero prout sunt industriales. Patet ex Conclusionibus præcedentibus.

CONCLUSIO IV. Quod dictum est de obligatione restituendi fructus naturales, ad fructus etiam civiles extendi debet.

Prob. quia fructus illi maxime accedunt ad naturales; unde sæpe cum iis confunduntur. Hic tamen deduci debent expensæ, quæ factæ fuerint.

Quæres, an repeti possint impensæ voluptariæ. R. affirmat. si impensæ illæ auferri possint absque rei,

vel

vel fundi deterioratione. Sic qui villam alterius tabellis & statuis instruxit, hæc repetere potest; quod verum est etiam de possessore malæ fidei. Si vero meliorationes ita fundo cohæreant, ut ab eo vel nullatenus, vel sine gravi fundi læsione separari non possint, possessor etiam bonæ fidei damnum hoc pati debet: non enim tenetur dominus rei sumtus *nulla re urgente, sed voluptatis causa factos* ( *L. 27. ff. de negot. gest.* ), a quibus ipse abstinuisset, solvere. Monet tamen Domat postulare quandam æquitatem, ut, si fieri potest, hujusmodi sumptuum ratio habeatur.

## SECTIO SECUNDA.

### *De Possessore malæ fidei.*

POssessor malæ fidei ille est: I. qui injuste accipit alienum, seu id, quod judicat, vel judicare potest non esse suum. II. qui licet injuste non acceperit, injuste tamen retinet, ut debitor, & depositarius, qui sunt in mora culpabili. Quæritur ad quid teneatur is malæ fidei possessor. Sit

CONCLUSIO I. Possessor malæ fidei tenetur rem ipsam restituere, si extet; si vero non extet, pretium æquivalens reddere debet; etiam si res ea casu fortuito perierit.

Prob. tum quia locupletari nemo debet cum injuria alterius, tum quia qui inæqualitatem in alterius bonis sua culpa posuit, eamdem reparare tenetur, etiamsi nihil inde perceperit lucri.

Quæres I. si quis triticum, gemmas, aut similia, octo abhinc annis furatus sit, quomodo pretium æquivalens refundere possit. R. restituendum esse pretium, non supremum, vel infimum, sed medium, quo res venundabantur cum furto subreptæ sunt. Hoc autem pretium vel ex publicis registris cognoscetur, si sermo sit de annona; vel ex libris mercatorum, si agatur de gemmis & similibus. Quod si gemma ab eo, cui subrepta est, ad præsens usque tempus servari debuisset, restituenda est secundum valorem quem hodie habet, etiamsi forte multo majorem quam esset tempore ipsius furti: res enim domino suo crescit.

Quæres II. an qui subripuit, & statim vendidit pullum equinum, quem dominus usque ad annos perfecti valoris servaturus erat, teneatur restituere equi perfecti valorem. R. affirmat. quia alioqui damnum inter illatum, & restitutionem non esset vera æqualitas. Hic tamen: I. deduci debent expensæ, quas pulli dominus facturus fuisset. II. cum id, quod est in spe, non æquivaleat ei, quod est in re, restitutio hæc ad arbitrium viri prudentis temperari debet.

Quæres III. secundum quem valorem restitui debeat triticum, quod vilioris erat pretii cum subripuisti, v. g. 10. vendebatur libris; postea cum esset apud te erevit usque ad 20., ac demum decrevit ad 10.

R. I. si dominus rem suam servaturus erat usque ad tempus incrementi, & tunc eam venditurus, aut consumturus, tenetur male fidei possessor ad refundendum totum illius valoris incrementum, Idem dicendum, si res apud furem passa sit, etiam ex casu furtuito, detrimentum quod apud dominum passura non fuisset. Ratio est: I. quia malæ fidei possessor tenetur domino restituere, & lucra cessantia, & damna emergentia. II. quia quisquis est in mora culpabili, tenetur de casibus fortuitis.

R. II. si fur vendiderit rem tempore majoris incrementi, quam dominus tempore, quo vilioris erat pretii, vendidisset, restitutio facienda est secundum valorem, quem habebat res quo tempore vendita fuit a fure. Ratio est, quia sicut res est domini quoad substantiam, sic & est domini quoad statum; ergo cum res est in optimo statu, restituenda est domino: vel in se, vel secundum pretium eidem æquivalens.

R. III. si fur rem vendiderit primo tempore, quo minoris valebat, sufficere, ut valorem hunc refundat, si rei dominus rem suam eodem tempore venditurus, aut consumturus erat. Ratio est, quia læsio, de qua agitur, non nisi in valore infimo damnificativa est, ad discrimen læsionis, de qua in præcedenti responso dictum est: hæc enim dominum privat re sua in statu optimo constituta.

Dixi, *primo tempore*; quia si rei pretium creverit, & postea decreverit in manibus furis, restitutio fieri debet secundum majus pretium. Ratio est, quia obligatio semel a fure contracta, non extinguitur per fortuitum rei interitum, aut deteriorationem sequentem, sed restitutione sola, vel domini condonatione: porro fur tenebatur ad restituendam rem eo ipso tempore, quo pluris apud ipsum valebat; res enim, quæ sive ab extrinseco, sive ab intrinseco melioratur, domino suo melioratur, eique pluris valet. Ita S. Raymundus.

Quæres IV. an res, quæ periit apud furem, restituenda sit, si apud dominum peritura erat.

R. I. si dubium sit, an res apud dominum fuisset peritura, necessario restituendum est: quia in dubio melior est conditio innocentis.

R. II. si res apud dominum certo peritura erat, sed injuste, puta quia ab alio rapienda erat, non excusatur fur a restituendo: quia qui furtum alterius prævenit, non desinit esse fur.

R. III. si res non perierit apud furem quo tempore apud dominum peritura erat, sed postea, fuc adhuc est obnoxius restitutioni. Ratio est: I. quia res, quam v. g. fur ex incendio eripuit, non desinebat esse domini sui; ergo eidem restituenda erat; ac proinde si fur restituere omiserit, fuit in mora culpabili, consequenter ad quam tenetur de casu fortuito. II. quia alioqui, qui hodie emisset equum cras apud se pereuntem, sed æque periturum apud venditorem, non teneretur pretium ejus solvere, quod absurdum est.

R. IV. si res, quæ apud injustum possessorem perit, simul eodem casu apud dominum fuisset peritura, censent viri graves restituendum esse: quia qui damnum vere intulit, damnum reparare debet: atqui fur in casu præsenti damnum vere intulit, hoc ipso quod dominum rationabiliter invitum re sua spoliavit. Neque casus subsequens efficit, ut damnum.

damnum non intulerit; sicut quod Titius occidatur a Petro hora tertia, alioqui eadem hora occidendus a Joanne, non facit quod Petrus non sit vere homicida. Hæc opinio utpote tutior, nec minus probabilis videtur melior in praxi, sed cum limitatione ad calcem sequentis casus afferenda.

Hinc colliges, eum, qui furatus est rem valentem 20. quæ paulo post decrevit usque ad 10., non satisfacere reddendo 10. etiam si res ea idem in domini manibus decrementum passura fuisset. Ratio est: I. quia fur tenebatur rem restituere, quo tempore plurimi erat: atqui obligatio semel contracta rem restituendi secundum maximum ejus valorem, sola valoris hujus restitutione auferri potest: neque enim hinc tollitur, quod dominus pro tunc re sua usurus non fuisset; alias si servaturus erat eam in tempus, quo nihili esset; aut eam in ignem, vel mare projecturus, nulla esset restituendi obligatio, quod a nemine hactenus dictum est. II. quia si fur rem primum abstulisset, quo tempore valebat florenis 20. libentius faterentur Adversarii hoc pretium domino restituendum esse: atqui, quod fur rem vel abstulerit primum, vel injuste retinuerit, quo tempore pluris erat, idem est in sanioribus principiis; ergo.

Objiciuntur duo, eaque gravia: quod fur æqualitatem ponat actuale rei pretium refundendo, quandoquidem dominus sic constituitur in eo statu, in quo alioqui futurus erat. II. quod furi satis esset rem, si adhuc extaret in se, restituere prout est de præsenti: ut quid ergo ad eam pro præterito statu restituendam tenebitur?

R. ad 1. ponendam esse a fure æqualitatem proportionatam damno, quod dominus ex furto passus est; cum ergo furtum pro certo tempore intulerit damnum florenorum 20., æquum est, ut illud resarciatur. Et vero si res aliter esset, fur re 20. florenis vendita, 10. solum restituere teneretur, ut qui iis solum 10. dominum damnificasset.

R. ad 2. reipsa satis non esse, ut res secundum se restituatur, sed debere superaddi aliquid unde compensetur valor, a quo res excidit.

Quia tamen adductæ rationes non omne dubium perimunt, consulerem iis, quibus hujusmodi restitutio facienda esset, ut mitius agerent cum restitutoribus. Imo non dubitem, quin pro dubii gradu, quem rebus hinc, & inde coram Deo perpensis sentiet unusquisque, minuenda sit restitutio: quia hæc juri creditoris commensurata esse debet, jus autem aliquid habens ambigui, minus est, quam jus liquidum; & hæc una vice pro ceteris ejusdem speciei casibus dicta sunto.

CONCLUSIO II. Possessor, malæ fide restituere debet fructus omnes, tum civiles, tum naturales, & mixtos etiam, qua parte naturales sunt; quia res domino suo fructificat. Et hoc verum est: I. etiamsi dominus hos fructus percepturus non fuisset, quia eo ipso quo producti sunt, in domini solius commodum producti sunt: deduci tamen debent expensæ. II. etiamsi malæ fidei possessor eos non perceperit, modo tamen rei dominus eos percepturus fuisset: secus si dominus eos de facto percepturus non erat; tunc enim nec lucratus est possessor malæ fidei, id quod erat alienum; nec amisit dominus id, quod suum erat. III. etiamsi possessor malæ fidei ditior inde factus non sit: qui enim rem alienam consumsit mala fide, eam restituere tenetur. Tenetur insuper malæ fidei possessor ad restituenda lucra cessantia, & damna emergentia; quia alioqui non constitueretur debita æqualitas.

Quæres, an possessor malæ fidei expensas detrahere, aut repetere possit. R. Expensæ etiam voluptariæ, si a re, in qua, aut circa quam factæ sunt separari possunt, possunt & repeti; a fortiori æquum videtur, ut restituantur impensæ necessariæ, & utiles. Ratio est, quia æquitas utcunque exigit, ut dominus rei contentus sit, rem suam sibi, quoad se, & quoad fructus totam restitui, absque eo quod ditior fiat ex alieno: equidem alienum illud te invito rebus tuis a prædone immixtum est, sed tamen alienum est; ergo non satis æque agis, si tales impensas tibi serves, nihilque restituas ei, qui ut conscientiam suam exoneret, totum restituit tibi. Et in hoc omnes fere Theologi consentiunt.

## SECTIO TERTIA.

### *De Possessore dubiæ fidei.*

POssessor dubiæ fidei is est, qui vel acquisivit rem, de qua dubitabat an esset aliena; vel postquam bona fide acquisiit, dubitare incipit an res aliena sit, necne.

Circa primum, certum est: I. eum peccare mortaliter, qui rem acquirit, de qua dubitat, an v. g. furtiva sit. Ratio est, quia se exponit periculo rem alienam possidendi, domino rationabiliter invito. Tenetur itaque homo in hoc dubii casu malum, quem habuit animum mutare; deinde sufficientem adhibere diligentiam, ut rei veritatem comperiat. Si autem adhibita convenienti diligentia perseveret dubium, videtur is aliquam rei partem sibi servare posse, quantitati dubii sui proportionatam: eam enim alteri, ad quem ut pertinere, sic & non pertinere potest, totam cedere, pœna est, quæ ante Judicis sententiam subiri non solet.

Hæc autem procedunt de casu æqualis, aut pene æqualis dubii. Si enim rebus omnibus coram Deo pensatis, longe probabilius appareat rem furtivam esse, res tota vel domino si cognoscitur, vel si ignoretur, pauperibus donanda est cum omnibus fructibus: quia non possum prudenter judicare meum esse, quod multo magis appareat esse alienum. Si e contra longe probabilius appareat rem non esse alienam, videtur eam ab acquisitore, & multo magis a possessore, qui ipsam sua inter bona reperisset, retineri posse; quia in pari causa par esse judicium debet.

Quod si cum dubitare cœpisti, an res penes te existens aliena esset, neglexeris inquirere rei veritatem, quam postea detegere non vales, I. peccasti mortaliter exponendo te periculo privandi alium re sua. II. teneris & rem, & rei fructus naturales, ac mixtos restituere domino, ab ipso dubii tempore; neque vero eos solum fructus, quos percepisti, sed & quos dominus percepturus erat, si suam habuisset,

set, rem, reddere debes. Ratio est, quia ex tunc fuisti possessor malæ fidei, & violasti justitiam non expendendo jus alterius.

Certum est II. si dominus compareat, suam ei rem esse restituendam, & quidem gratis; cum legitimus rei dominus rem suam solvere ne quidem possessori bonæ fidei cogatur.

Quæres, quid de eo dicendum, qui dubitans an res aliena esset, eam emit, non animo retinendi, sed eam domino, si postea compareat, reddendi.

R. I. non tenetur is de casu fortuito, sed solum ex culpa lata; cum se habeat ut depositarius, qui rem servat in utilitatem domini. II. Potest exigere pretium, quod pro servandis alteri rebus suis impendit; non enim tenebatur proprii boni dispendio alterius jacturam avertere. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum: qui enim justo, aut etiam majori pretio rem a fure emeret, reddendam domino de ea parum laboranti, utiliter domini hujus negotia non gereret; unde tunc sufficiet, ut dominus partem pretii refundat ad arbitrium viri prudentis: secus si rem pluris emisset, quia noverat eam domino gratissimam esse, aut valde necessariam.

Quod spectat ad eum, qui postquam rem bona fide emit, dubitare incipit, an sit furtiva, debet is I. veritatem omni, quo poterit, modo inquirere. II. durante inquisitione, non potest illa re uti, si sit usu consumtibilis: secus si non sit usu consumtibilis. An autem debeat dicti usus pretium solvere, definiendum est ex natura usus ejusdem: durum enim videretur, si quis equo ad modicum iter usus sit, eumdem cogere ad restituendum; secus si eo usus fuerit ad agendum vehiculum, aut ad alia, quæ pœnosa sint. III. si post sufficientem inquisitionem subsistat idem dubium, res vel ex æquo dividenda erit; vel tota ei cedenda, cujus jus longe probabilius fuerit. Quod si vendatur, ut vendi potest, monendus erit emtor de conditione rei, ut nimirum eam domino si comparuerit restituat; & ideo minoris vendenda erit; quia ratione vitii hujus non tanti valet.

## SECTIO QUARTA.

*De iis, qui ad restituendum obligantur ratione cooperationis.*

AD restituendum teneri, non eos solum, qui per se, & proxime damnum inferunt, sed & illos etiam, qui ipsis cooperantur, docuit Innocentius XI. cum hanc proscripsit propositionem, *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati*. Ii porro cooperari dicuntur, qui jubendo, suadendo, &c. causa sunt, cur alius damnum inferat, quod quidem contingere potest novem modis, qui his versibus comprehenduntur.

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Primi sex directe, & positive concurrunt, tres alii solum privative. Qui dato pretio alterum allicit ad inferendum proximo damnum, revocari potest ad mandantem, qui alium sibi subjicit ut ministrum voluntatis suæ, revocari etiam posset ad consulentem; quod ex circumstantiis æstimari debet. Antequam de cooperantibus singillatim loquamur, quædam de illis in genere prænotanda sunt.

Not. itaque I. non omnes cooperatores eodem ordine, & modo ad restituendum obligari; cum ii ceteris in restituendo præire debeant, qui sunt principalis causa damni, ut infra dicemus.

Not. II. neminem ex iis, qui damno cooperantur, teneri ad restituendum, nisi qui fuerit efficax causa damni: censemus porro eum omnem esse efficacem damni causam, qui vel per se damnum operatur, vel sic cooperatur aliis, ut ex ejus cooperatione physica, vel morali sequatur damnum alterius, sive interim alii per se solos id facturi fuissent, sive non. Unde si quis jam ita ad malum determinatus erat, ut consilium tuum nihil influxerit in ejus actionem, non teneris ad restitutionem, ur docet S. Thomas 2. 2. q. 62. a. 7.

Ex quibus colliges cooperatorem plus, vel minus teneri ad restitutionem, prout plus, vel minus in actionem damnosam influxit. Unde si influat solum in partem damni, tenebitur solum ad restitutionem partis: si influat in modum, v. g. si causa sit cur ille, cui mors certo inferenda erat, citius, aut atrocius occidatur: tenebitur in quantum intererat damnificati, ut damnum tam cito, vel tam atrociter non sustineret: si denique licet cooperetur quantum est de se, ipsius tamen actio sit prorsus inefficax, ad nihil tenebitur.

Sed quid in dubio, an mandatum v. g. influxerit? R. teneri te ad restituendum pro rata dubii, seu dubites an mandatum, consilium, vel auxilium iniquæ damnificationis executori dederis, seu certus te dedisse, dubites, an in effectum influxerit.

Prob. 1. pars, tum quia æquum videtur, ut qui dubitat, an efficax alieni damni causa fuerit, non se gerat, ut si certus esset se nemini nocuisse, ac proinde ut aliquid restituat secundum gradum dubii sui, attendendo v. g. an, & quousque exitialia aliis consilia dare solitus esset, &c. Tum quia qui serio, & graviter dubitat, an votum emiserit, tenetur illud implere; ergo a pari.

Prob. 2. pars: I. quia innocenti magis favendum est, quam reo: reus autem est, qui consilium de se damnificativum dedit. II. quia qui actum de se validum posuit, potius judicare debet eum suo non caruisse effectu, quam e contra.

Aliquando tamen valde probabiliter æstimari potest consilium, aut mandatum nihil influxisse in damnum alterius: ut I. si damnificator neget se alieno consilio motum fuisse; ei enim, si aliunde fidem meretur, in interiori foro credi potest. II. si homicida v. g. post consilium datum, inimicum non occiderit, etsi fausta illius

illius occidendi se se obtulerit occasio ; sed solum ad facinoris executionem devenerit ob novas, quæ inter utrumque exortæ sunt simultates, vel propter vetera odia, quæ ex nova occasione recroduer.nt.

Quod si certum sit injustæ damoificationis causam ab uno ex pluribos positam fuisse, sed dobitent illi, a quo præcise posita fuerit, omnes tenentur ad partem damni restitueodam pro ratione damni, & dubii : I. quia tunc vel omnes restituère debent, vel omnes a restituendo eximi: atqui æqunm noo est, ut omnes a restitutione liberentur. II. quia qui in certa hypothesi commodum sentiunt, in hypothesi opposi-ea onus sentire debent : atqui in dubio quinam e certo oumero damnum passi siot, omnes, de qoibos dubiom est, recipere debent partem ejus, quod restituitur ; ergo a contrario, &c. Injoste tamen quidam nobiles, certi quod furtom ab uno e famulis, sed incerti a quo commissum sit, stipendii partem unicuique famulorum subtrahunt ; cum plerumque non omnes damni causam posuerint, nt ii posuisse supponuntur, de quibus loquimur in præsenti.

## PUNCTUM PRIMUM.

### *De Mandante, & Consulente.*

PEr *mandantem* intelligitur quisquis explicite, vel implicite præcipit, & præcipiendo movet ad actionem injuste damnificativam. *Explicite* mandat, qui mandat verbis expressit ; *implicite*, qui mandat signis, nutibus, aut qui manifestat inferiori gratum sibi fore, si actionem hanc exequatur. Hinc implicite mandant Magnates, cum erumpunt in verba, quæ vindictæ desiderium spirant. De mandante hæc communiter docentur.

I. restituere debet omne damnum, quod ex mandato suo secutum est, non minus ac si ipsemet propria manu damnum intulisset. Actio enim ex mandato facta magis tribuenda est mandanti, quam executori, cum mandans se habet ad executorem, ut causa primaria ad instrumentalem.

II. non tantum tenetur de damno, quod jussit, sed etiam de illo, quod habita circumstantiarum ratione prævidere potuit ex mandato suo secuturum. Hinc si famulis iracundis præceperit, ot aliquem baculi ictibus insigniter exciperent, tenebitur etiam de morte, licet contra ejus prohibitionem evenerit. Quod si mandatum de se periculosum non erat, & mandatarius præ malitia sua plus feeerit, quam fuerat sibi imperatom, mandans oon tenebitur, nisi pro ratione damni, quod mandavit.

III. qui mandatum suum revocavit, commoniter non tenetur ad restituendum, etiam secuto effectu. Ratio est, quia mandans in hoc casu non est causa damni, sed mandatarius solum, ut pote qui suo, non autem mandantis oomine egerit. Porro mandatum revocari potest vel expresse, vel æqoivalenter, ut si mandans eum adversario affinitatem contraxisset, aut aliter cum eo in gratiam sincere rediisset. Si tamen mandatarius cognita magistri sui indole dolosa revocationem hanc crederet non fieri serio, sed ut facilius alii struerentur insidiæ, maodans adhuc teneretur de damno, quia vi mandati poneretur effectus.

Dixi mandantem revocato mandato non teneri *communiter*, *&c.* nam adhuc tenetur in multis casibus ; & I. cum mandati ecvocatio mandatario non innotuit ; ex incuria v. g., vel malitia illius, qui onus susceperat hancce revocationem mandatario notificandi. Sic qui propinavit alteri venenum, cujus effectum postea impedire conatus est, sed frustra, non desinit teneri ad restitotionem damni ex homicidio procreati. II. cum mandatum etiam revocatum in damnum influit per modum consilii : puta si mandaos mandatarii voluntatem tam potenter commoverit, ut alio opus sit remedio, quam simplici mandati revocatione.

IV. qui mandatum jam revocare oequit, tenetur eum monere, qui injuriam acceptutos est, nt sibi invigilet : quia qui damnum, cum illatum est, reparare debet, idem, cum nondum illatum est, impedire tenetur. Si tamen id fieri non posset sine looge graviori mandantis detrimento, morte v. g., aut gravissima infamia, aliter esset dicendom : quia ut non tenetur quis ad restituendum hic & nunc, cum id sine graviori longe proprio incommodo non potest, sic nec alium in eodem caso monere tenetur : tenetur tamen ad resarciendum postea damnnm illatum, ut qui ejus causa extiterit. Imo si absque damno tuo longe graviori, damnom alterius avertere potes, teneris avertere, quia pejor est tua, quam innocentis conditio. Denique si mortem alterios nonnisi propriæ vitæ dispendio impedire queas, potius moriendom est, quam sinendum, ut alter vi mandati tui occidatur.

V. si scias alium paratum esse alicui damnum inferre nomine tuo, nec id impedias, cum potes, teneris ad restitutionem : qnia tenetor quisque etiam ex justitia impedire, ne quis nomine suo damnum aliis inferat.

Quæres I. an qui approbat damnum nomine suo illatom, quod tamen non mandavit, ad restituendum obligetur. R. negat. Ratihabitio enim non est causa efficax damni jam facti, sed inefficax in eo jam commisso complacentia. Si tamen ex tua ratihabitione moveretur alter ad non restituendum, jam esses causa injustæ detentionis, ac proinde tenereris ad restitutionem.

Quæres II. ao mandans teneatur de damno, quod mandatarius ob iniqui mandati executionem patitur. R. si mandans sit superior, tenetur de damno mandatarii : I. quia subditus superioris mandato quasi cogitur moraliter, ita ut fere invitus operari censeatur. II. quia mandans virtualem cum servo suo cootractom inire videtur, quo eum a quocunque, quantum poterit, damno incolumem præstet. Quod si mandans non sit superior, sed mandatarium stipendio conducat, oegant plures enm teneri ad restituendom, quia mandatarius, cui liberum fuit periculo huic se non exponere, omne, quod patitur, damnum, imputare sibi debet, cum volenti non fiat injuria. Jam de consulente.

Consulens est ille, qui alium ad damnificationem movet consilio, precibus, promissis ; item hortando, motiva suggerendo, facilitatem ostendendo. De consulcado hæc in praxi tenenda. I.

I. Tenetur ad restitutionem, quia est causa moralis & injusta damni; unde proscripta est hæc superius adducta propositio, *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati*. Quod si plures rem injustam consuluerint, omnes ex æquo ad restituendum tenebuntur, quia ex æquo ad damnum concurrerunt.

II. Consulens teneri ad restitutionem secundum naturam damni, quod vi consilii fuit illatum est. Qui ergo consuluit alteri, ut aureos 100. furaretur, totidem refundere debet. Qui jam vere determinato ad furandos 50. persuasit, ut 100. subriperet, nonnisi 50. restituere tenetur. Qui persuasit, ut decem furaretur eo in loco, ubi majorem esse summam noverat, quæ reipsa sublata fuit, ad summæ totius restitutionem obligatur, quia consilium dedit periculosum.

III. Qui consulit minus malum ei, qui jam ad majus inferendum determinatus erat, aliquando immunis est a restituendo, aliquando non. Immunis quidem est, si minus malum consulat, animo solum avertendi majoris damni; quia qui v. g. Petro vaccam furari volenti persuadet, ut vitulum duotaxat auferat, proximi rem utiliter gerit.

Sed immunis a restitutione non est: I. si minus malum ex nocendi affecto consulat. Sic duo prædones, quorum alter viatoris pecunia contentus alterum a morte eidem inferenda averteret, ambo ad restituendum tenerentur. II. si consulat, ut minus malum inferatur alicui, de quo damnificator non cogitabit; non enim licet tibi rem Petri utiliter gerere cum dispendio Pauli. Si tamen consuleret tantum, ut potius divitis, quam egeni bona auferret; aut si volenti egenum spoliare diceret duotaxat: Hunc relinque, alii sunt ditiores; nulla esset, saltem juxta multos, obligatio restituendi; quia, inquiunt, non tam hortaretur ad spoliandos ditiores, quam ad parcendum pauperi.

Quæres, an sit obligatio restituendi revocato consilio, secuto tamen effectu. R. si consulens ita consilium revocet, ut totum motivum, totamque, quam dederat, damni causam auferat, ad nihil tenetur etiam secuto effectu: tenetur vero si adhuc motivum, & data causa subsistunt. Porro tunc sufficienter tollitur omne mali consilii motivum, cum motivum illud consistebat in precibus solis, blanditiisve, aut promissis, aut falsa doctrina, falsove supposito, quæ retractata fuerint: secus si consilii motiva petita fuerint ex damnificationis facilitate, delectatione, utilitate, &c.

Utraque hæc regula æquitati consentanea videtur. Si ergo consulueris Petro, ut talem ineat contractum, quippe qui usurarius non sit, & postea doctior factus ostendas contractum hunc vere usurarium esse, rationesque in contrarium allatas destruxeris, certum est, quidquid faciat alter, te a restituendo liberum fieri. Pariter si Caium blanditiis, aut promissionibus determinaveris ad inferendam alicui mortem, & serio hæc omnia revoces, jam Caius, si quid faciat mali, non movetur, nisi a se ipso. At vero si alteri malum consulueris, ostendendo quantum inde percepturus sit utilitatis, & lætitiæ, item suggerendo modum, & vias faciles exequendi, tunc revocato etiam consilio, remanet obligatio restituendi: quia adhuc subsistere potest totum consilii robur, motivum, & impressio; adhuc, quidquid in contrarium dixeris, sentio quam facile, quam impune alteri malum inferre possim, quantum inde accrescere mihi debeat gaudii, & utilitatis. Quandiu ergo momenta hæc per alia graviora non elidentur, consulens damni causa merito judicabitur; quia non tam consilium revocaverit, quam revocare conatus fuerit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

### *De Consentiente, Palpone, Receptante, & Participante.*

Consentiens hic dicitur, qui externa approbatione efficaciter determinat ad inferendum alicui detrimentum: atque hujusmodi consentientem ad restitutionem teneri nemo ambigit, quia est efficax damni inferendi causa. Sed quia consensus aliquando simplex est complacentia, quæ cadit in actionem ita determinatam, ut in eam non influat, quæri solet, quandonam consensus sit efficax damni causa.

R. tunc censeri causam, cum consentiens ex officio tenetur non consentire, & damnum impedire potest. Unde ad restituendum obligantur: I. Consiliarii Regis, vel alii, qui bello iniquo, quod impedire possent, vel condemnationi iniquæ suffragantur. II. qui in Collegio, Capitulo, &c. consentiunt, ut vel indignus eligatur, vel rejiciatur dignus. III. qui præ hominum metu suffragari omittunt in Senatu, ita ut non avertant damnum, quod avertere possunt, & ex officio avertere tenentur.

Sed hic oritur difficultas, an Senator v. g. qui inter postremos suffragium ferens, consentit injuriæ, quæ jam irrevocabiliter decreta est sufficienti suffragantium numero, teneatur ad restituendum: quod enim peccet, nullus dubitat, quia iniquitati consentit.

Certum est eum teneri de damno: I. si suffragium dederit, antequam damnum sufficienti votorum numero decretum esset, quamvis non obstante ejus suffragio, damnum sufficienter ab aliis statuendum fuisset. Ratio est, quia etiamsi sufficiens damni causa sine illo ponenda fuisset, ipse tamen reipsa in damnum influxit. II. adhuc tenebitur, si nesciat sufficientem esse suffragatorum numerum, ut si secreto ferantur suffragia: tum quia hic militat ratio præcedens, tum quia tunc fuit, quantum de se erat, damni causa. III. quamvis non dederit suffragium, nisi postquam malum jam sufficienter decretum erat, adhuc tenebitur, si tantæ erat auctoritatis, ut priores suffragatores a sua posset sententia revocare; tunc enim tenetur non solum ut mutus, sed ut positive concurrens ad damnum, quod ex hypothesi non erat irrevocabiliter decretum.

Tota igitur quæstio est de casu, in quo præcesserit sufficiens suffragatorum numerus, qui a sententia sua deterreri non possint. Et tunc credimus Senatorem hunc teneri ad restitutionem: I. quia promtius, & alacrius sententia iniqua executioni mandatur, cum omnes in eam consentiunt. II. quia illi omnes ad re-

stitu-

stitutionem tenentur, quorum nomine damnum infertur: atqui damnum posteriorum etiam suffragatorum nomine infertur; omnes enim damni inferendi facultatem conferunt, omnes iniquam, quæ damni causa est, sententiam formant, & constituunt.

Palpo, seu adulator ille dicitur, qui laudibus, applausu, adulatione ad damnum proximi provocat, & accendit. Ad hoc genus referuntur, qui offenso suam, si non ulciscatur, ignaviam exprobrant; qui vitam alicujus pauperem despiciendo, ad furandi artem impellunt; qui uxoris adulterium marito objicientes, causa sunt, ut illa, vel adulter occidatur.

Hi omnes tenentur ad restituendum, si contingat, ut quispiam ex his laudibus, vel vituperiis ad inferendum damnum moveatur. Ratio est, quia sunt moralis causa damni, atque sæpe efficacius ad injustum aliquod facinus determinant, quam si idem expresse consulerent. Porro necessarium non est, ut adulatores directe intendant alterius damnificationem, sed satis est, ut prævidere debeant eam ex iniqua hac agendi ratione sequi posse.

Quod si adulator hominem laudet de injustitia jam commissa, non tenebitur ad restitutionem, quia damni causa non fuit; nisi forte alter hisce laudibus ad aliud furtum, aut ad non restituendum id, quod jam furatus est, impellatur.

Receptans ille est, qui sive ante, sive post illatum damnum, securitatem, fiduciam, & commoditatem præbet damnificatori, ut vel malum inferat confidentius, vel illatum non reparet: tales sunt, qui malefactoribus asylum promittunt, aut iisdem post patratum scelus refugium præstant, sive personas eorum, sive res furtivas, sive maleficii instrumenta recipiendo, & occultando; item qui spolia emunt, aut servant. Quod autem hujusmodi receptatores de damno teneantur, patet; quia ante furtum v. g., causa sunt injustæ acceptionis, & post illud causa sunt injustæ detentionis. Quapropter si prædam in manibus habent, tenentur eam vero domino restituere, nisi graviora mala, incendium v. g., vel mortem sibi a latrone inferenda vereantur: tunc enim satis est ut damnum postea compensent; ad quod non tenentur, qui bona fide rem, quam furtivam esse nesciebant, receperint.

Hinc colliges inter receptantes merito numerari: I. Advocatos, qui partis suæ injustitiam contra propriæ conscientiæ dictamen tuendo causa sunt, quod parti læsa non satisfiat. II. legionum præfectos, qui milites protegunt, eosque ad varias extorsiones implicite stimulant: Magnates item, qui cum officiarios potentiæ suæ innixos, plures committere injustitias vident, non tamen obsistunt, sicque causa sunt, cur malum eo liberius fiat, quo magis impune.

Hinc etiam colligitur, eos, qui malefactorem hospitio reciperent titulo amicitiæ, consanguinitatis, patriæ &c., aut etiam qui eumdem a Magistratu, vel lictoribus quæsitum absconderent, aut fugiendi vias indicarent, non esse vere, & formaliter receptantes; tunc enim exercent actum charitatis, ob quem reprehendi non possunt. Quod si fur, quem Justitiæ ministris subtraxisti, denuo ad latrocinia revertatur, non teneberis ad restituendum, quia relapsus ille non nisi per accidens ex opere misericordiæ secutus est: si tamen cognosceres furem ex benigna tua in ipsum agendi ratione occasionem arrepturum in nova proruendi crimina, tenereris de damno, ut qui malefactis ejus concurreres.

Participans aliquis dupliciter esse potest: I. ratione rei acceptæ, licet non ratione actionis, ut cum qui furatus non est, suam in præda partem habet. II. ratione actionis damnosæ, cum quis quoquo modo juvat ad actionem injustam, sive aliquid de furto recipiat, sive non.

De participante ratione rei acceptæ idem dicendum quod de possessoribus bonæ, vel malæ fidei dictum est. Nempe si rem furtivam bona fide acceperint, eam, si adhuc extat, reddere debent; si non existat, satis est, ut restituant in quantum ditiores facti sunt. Si vero mala fide, tunc rem, vel aliquid æquivalens, etiamsi ditiores facti non sint, refundere debent pro ratione damni, quod intulerunt: unde si Petrus gallinam pullos 12. foventem occiderit, tenebitur de damno matris, & pullorum: Paulus vero, qui gallinæ partem cum Petro manducavit, non nisi de parte hac tenebitur; quia eo usque, & non amplius alium damnificavit, nec alium in actione hac adjuvit, ut supponimus.

Quod spectat ad participantes in actione damnosa, puta, qui præbent auxilium, instrumenta, vel qui explorant &c., certum est, eos teneri ad resarciendum damnum pro rata; imo totum, si suas alii partes non restituant: & hoc verum est, sive damnum sine eis nihilominus fuisset illatum, sive non; quia reipsa damni hujus causa fuere.

Ex hoc capite ad restituendum tenentur: I. faber ferrarius, qui adulterinas claves efficit. II. qui furi scalam applicat, & tenet, quive eunti comitem se facit, ut animos addat, aut qui exploratorem agit, portas aperit, aut effringit. III. institor, seu factor usurarii &c. IV. qui venenum præbet ei, quem eo usurum esse novit ad inimici sui mortem, aut qui arma subministrat homini jam ad occidendum parato. V. famuli etiam abstemii, qui aliis conservis heri vina furantibus præsto sunt, aut circumspiciendo impediunt, ne deprehendantur.

(✠) Silentio præterire non possumus celebrem illam propositionem, quam Innoc. XI. damnavit, & est ordine 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Huic affinis est illorum doctrina, qui asserunt licite posse hæc, & similia famulum præstare, quando *e domo heri expulsus mendicare, vel penuriam pati cogeretur.* Enim vero *notabile detrimentum* non solum est *e domo expelli*, verum etiam illa omnia, quæ inde sequuntur, ferre incommoda, atque insuper quæ maximum in discrimen adducere hominem possunt; quapropter nec mortis metu licite potest homo cooperari alienis actionibus,

quæ

quæ posthabitis metaphysicis tricis, & inutilibus distinctionibus, quas novitatis amor, & partium studium in morum invexere doctrinam, in praxi mala sint, peccata sunt; adeoque probanda non sunt, quæ secundum Sylvii, viri alias doctissimi, placita, infra sequuntur. Nemini enim durum esse debet neglecta privati Scriptoris auctoritate, veritatem sequi (+).

Quæres, an rustici, qui a militibus gravi metu coacti, fores effringunt, pecora e stabulis abigunt, per fenestras ascendunt, instrumenta præbent, prædas vehunt &c. peccent, & ad restituendum teneantur.

Ego quidem rebus mature pensatis crederem hæc omnia esse illicita: cum in his sit vera cooperatio furto. Sed quia Sylvius, aliique viri graves, a quibus durum est recedere, permittunt, ut rustici prædas vehant, id improbare non ausim. Unde dici forte potest, communi quodam multitudinis consensu stabilitum esse, ut unusquisque ad salvandam vicini sui vitam, aut bona direptis sibi bonis majora, jure suo cedat, eaque ab ipso transferri consentiat. Addendum vero erit, idem non fuisse permissum in aliis casibus supra enumeratis, prout ex Doctorum judicio colligi potest.

## PUNCTUM TERTIUM.

*De Muto, non obstante, &c.*

Mutus ille est, qui tacet, cum tenetur ex justitia loqui, dissuadendo, prohibendo, clamando. Dixi, *cum tenetur ex justitia*, id est ratione officii, muneris, pacti, vel contractus. Ratio est, quia qui ex officio tenetur malum proximi impedire, violat justitiam, quatenus non servat pactum, quod fecit de impediendo proximi damno: qui vero ex officio non tenetur, solam charitatem lædit, non autem pactum, quod ut supponitur, non fecit.

Dices: Qui a latrone pecuniam accepit, ne clamaret, ad restituendum tenetur: atqui tamen non tenebatur ex officio ad avertendum illud damnum; ergo.

R. dist. maj. tenetur ad restituendum, ut positive influens in actionem latronis, C. ut simpliciter mutus, N. Itaque qui pacta pecunia latroni silentium spondet, eumdem ex timido reddit audaciorem; ergo in damnum positive influit. Contra vero mutus, de quo loquimur, negative prorsus se habet; ergo non obligatur ad restituendum, etiamsi ex odio, vel invidia taceat, quia odium, & invidia solum efficiunt, ut contra charitatem graviter peccet.

Non obstans dicitur ille, qui ex officio, vel pacto obstare tenetur, v. g. dando subsidium, aut operam, ne proximo noceatur. Tales sunt Duces belli, ministri Justitiæ, custodes nemorum, vinearum, gabellarum, & alii, qui contractu quovis expresso, vel virtuali, aliorum saluti invigilare debent. Tales etiam sunt patres respectu filiorum, tutores respectu pupillorum, & domini, qui non impediunt, ne famuli sui, vel animalia sua, quorum ferocitatem norunt, proximo damnum inferant.

Non manifestans est ille, qui damnificatorem non manifestat, sive ante illatum damnum, ne inferatur, sive post illatum, ut resarciatur. Tales sunt adhuc custodes civitatum, silvarum, & quicunque ratione officii, vel stipendii tenentur ad damnificatoris manifestationem. Et ii peccant: I. contra justitiam, unde damnum sua negligentia illatum resarcire debent. II. contra religionem, quia violant juramentum quod præstare solent. Ab utroque tamen peccato immunes esse videntur, si damnum tam leve sit, aut illatum a persona tam paupere, ut præsumi rationabiliter possit, eum, a quo constituti sunt custodes, non esse invitum. Sic alibi excusavimus eos, qui caduca, & inutilia ligna, quæ in saltibus jacent, ad vitæ sustentationem colligunt: unde & tunc excusari debent custodes. Ut solvantur aliqui casus,

Quæres I. an vectigalium collectores, qui fraudantibus non obstant, teneantur ad mulctam pecuniariam, quæ in defraudatores constituta est. Item an custodes, qui sinunt introduci merces, quæ deprehensæ fisco cedere debebant, earumdem pretium solvere teneantur; an non satis sit, ut solvant pretium, quod pro introducendis mercibus a mercatore solvendum erat.

R. videri quod sic: quia merces, quæ secundum se prohibitæ sunt, ut telæ indicæ, regio fisco quasi ex natura rei debitæ sunt: cum Rex eas justis de causis suas esse velit, si deprehendantur; ergo qui eas intrare permittunt, videntur teneri ad restitutionem illis æquivalentem, quia in causa sunt, cur iis Rex privatus fuerit.

Quod ad alias merces, quæ non sunt extra commercium, sed certa quædam jura solvere debent, quæ nisi solverint, aut fisco applicantur, aut de quadam mulcta tenentur, quæro, quid intendat Princeps, dum urbium portas custodibus committit? An non: I. ut exigant vectigal? II. ut in lucrum Principis occupent eorum merces, qui vectigal non solverunt, quatenus hac agendi ratione partim consulatur bono communi, partim recuperet Princeps id, quod occultis aliorum, vel eorumdum mercatorum defraudationibus perdidit? Quidni ergo custodes incauti, aut pecunia corrupti, teneantur ad restitutionem vel mulctæ, vel ipsarum mercium cum causa sint, cur iis Princeps fuerit defraudatus?

Idem servata proportione dicendum de custodibus sylvarum, vinearum &c: si enim conducti sint, ut fieri solet, non solum ut vigilent, & damnum avertant, sed etiam ut malefactores manifestent, tenentur ad refundendam domino mulctam in locum prædonis cui pepercerunt (licet ad eam non teneatur ipse prædo, sed solum ad damni reparationem, quæ sæpe minoris est, quam mulcta.) Ratio est, quia custodes vi pacti cum dominis initi, tenentur ex justitia ad manifestandos hujusmodi deprædatores: porro violatio justitiæ restituendi obligationem inducit.

Quæres II. an custodes, qui de industria latitant, ut fures deprehendant in furto, teneantur ad restitutionem. R. negat. non enim tenentur domino, quia damnum ipsi illatum satis compensatur per eos, qui deprehenduntur; non etiam iis, quos deprehendunt, quia nullam ipsis injuriam inferunt, cum non teneantur

tur ea justitia impedire, ne peccent.

Quæres III. an ad restituendum teneatur, qui clamare contra fures volentem impedit, unde sequitur alterius damnum. R. teneri: I. si alter ex officio clamare tenebatur; quia qui impediit, ne clamaret, causa est, cur alteri injustitiam fecerit. II. si per vim, aut dolum eum impediat, qui clamare voluit, etiamsi is ea officio clamare non teneretur; unusquisque enim jus habet, ne quis defensionem suam vi, aut dolo impediat: alias non tenetur, ut qui solam charitatem lædat.

Quæres IV. an testis, qui rei veritatem non aperit, teneatur ad restitutionem.

R. I. si testis ultro non prodeat ad testandum, peccare potest contra charitatem, sed non peccat contra justitiam stricte sumtam; quia qui damnum passus est, jus non habet strictum, ut testis damni ipsum reparari curet, antequam a Judice citetur.

R, II. testis legitime citatus a Judice, seu per Monitorium, ut ajunt, seu aliter, si verum taceat, tenetur ad restituendum: I. quia qui vocatur in judicium, agit personam, officiumque publicum, ac proinde ea pacto quodam, non autem ex obedientia sola veritatem aperire debet. II. quia falsum asserendo, aut verum tacendo, est causa damnorum alterius, qui implorato legis auxilio jus habet, ut sibi succurratur.

R. III. eum, qui a Magistratu citatus, ut verum dicat, non comparet, cum potest, probabilius teneri ad restituendum: I. quia per citationem Judicis is qui læsus est, jus acquirit, ut damnificator suus manifestetur. II. quia sicut Judex, qui ad jus dicendum invitus eligitur, debet reparare damna, quæ inferri passus est, ita & testis, qui ex citatione contrahit quoddam onus a Republica sibi impositum.

Quæres V. an servus, qui heri sui bona dilapidari videt, & tacet, teneatur ad restituendum.

R. I. fatentur omnes servum, cui domus, vel aliud quid particulariter commissum est, ad restituendum teneri, quia ratione officii sui obstare tenetur.

R. II. communis quoque est sententia servum, cui commissa non sit specialis rerum cura, teneri de damno, quod ab extraneis hero suo advenit. Quis enim famulum conducit, nisi cum pacto saltem tacito, quod bona ejus servet, si possit?

R. III. longe probabilius esse servum, qui a conservis suis damnum communi domino inferri cognovit, teneri ad restituendum: I. quia hoc etiam pacto saltem virtuali conducuntur omnes servi. II. quia quo damnum facilius, & diutius inferri potest, eo strictior incumbere debet illius avertendi obligatio.

Quæres VI. an Confessarius ad restituendum teneatur, si pœnitentem restitutioni obnoxium ad restituendum non obliget, vel obliget eum, qui non tenebatur. R. Confessarium etiam non Parochum ex culpa lata ad restituendum teneri: tum quia tunc est causa damni, quod impedire potest, & debet; tum quia Confessarius, qui restitutionem non præcipit, se habet, quasi qui negaret eamdem fieri debere. Excipi solet casus, in quo Confessarius pœnitentem officii sui monere omisit, vel ex incogitantia, cui & ipsi Sacramentorum ministri inculpabiliter obnoxii esse possunt, vel ex legitima persuasione, quod pœnitens, qui damnum a se commissum intelligebat, idem reparaturus esset.

## ARTICULUS TERTIUS.

*De Restitutionis affectionibus, seu circumstantiis.*

Restitutionis circumstantiæ hoc disticho habentur.

*Quis, quid restituat, cui, quantum, quomodo, quando.*

*Quo ordine, quove loco, quæ causa excuset iniquum.*

Ex dictis patet, *quis* restituere debeat: *quomodo* autem facienda sit restitutio, nihil habet difficultatis; optimo enim modo restituit, qui quod alteri debet, hoc reddit ad æqualitatem, sive per se, sive per alium. Nihil etiam interest, an palam, vel occulte, nisi agatur de restitutione famæ, cui labes si palam inusta fuerit, palam resarciri debet. Superest igitur, ut alias circumstantias prosequamur: quod ut fiat, dicemus: I. de ordine, qui a damnificatoribus servari debet, quis nempe, cum plures in idem damnum influxerunt, omnium primus restituere teneatur. II. de ordine servando erga eos, quibus restituendum est, & sic de ceteris.

### SECTIO PRIMA.

*De ordine, quem damnificatores restituendo servare debent.*

NOt. I. inter damnificatores, qui ad se invicem relationem habent, & de quibus solis agitur in præsenti, alios concurrere inæqualiter, ut cum unus mandat, alter exequitur, tertius consulit; alios concurrere æqualiter, sive sint causæ magis principales, ut duo mandantes; sive causæ sint minus principales, ut duo consulentes.

Not. II. eos, qui prius in damnum influunt, teneri ad restituendum primo loco. Is porro ad restituendum *primo loco* teneri dicitur, qui sic obligatur, ut eo restituente ceteri fiant liberi, alio autem restituente, ipse eidem refundere teneatur; is vero secundo loco teneri dicitur, quo restituente, ceteri, excepto primo, fiunt immunes, & sic de aliis. His præmissis, sit

CONCLUSIO I. Is, ad quem res furtiva pervenit, primo loco eamdem restituere tenetur, sive extet, sive non.

Prob. I. quia obligatio ratione rei acceptæ est omnium maxima, cum res aliena semper domino suo clamet. II. quia facta rei restitutione ab eo, ad quem res illa pervenit, ceteri damnificatores ab omni restitutione liberi sunt: quod non esset, nisi is, qui rem alienam habet, omnium primus ad restituendum obligaretur.

Dixi, *sive res extet, sive non*, quia quod quis rem alte-

alterius consumserit, nova est iniquitas, quæ eum a restitutione eximere non potest. Aliquando tamen a restitutione immunis esse potest, qui rem alienam consumsit, neque factus est ex ea ditior. Sic si herus ovem furto subreptam a famulo suo comedi præcipiat, eo ipso in se suscipere videtur obligationem restituendi in locum famuli.

CONCLUSIO II. Cum plures æqualiter damno cooperati sunt, æqualiter restituere debent: uno autem deficiente, ceteri tenentur in solidum; quæ obligatio restituendi in solidum locum habet in iis etiam, qui minus, quam alii cooperati sunt.

Prob. 1. pars, quia cum omnes æqualiter damno cooperati sunt, non est cur unus plus restituat, quam alter.

Prob. 2. pars. Illi obligantur ad restitutionem in solidum, qui non partem solum damni, sed damnum totum resarcire debent, quod alii vel nolunt, vel non possunt: atqui non partem solum damni, sed damnum totum resarcire debent, qui damno huic efficienter cum aliis cooperati sunt. Singuli enim cooperatores sunt causa totius damni non quidem totalitate causæ, sed totalitate effectus. Nam I. si plures auferant trabem, quam quilibet eorum auferre non potuisset, palam est, quod totalitas effectus, nempe trabis asportatio, sit unicuique attribuenda: quia uno deficiente trabes a ceteris asportari non potuisset, ut supponimus. II. si duo duas ponant actiones, quarum unaquæque per se solam satis fuisset ad effectum, evidens est, utrumque de toto damno in solidum teneri; quia uterque ita influit in effectum, ut sit simpliciter causa illius: ut si duo letale homini vulnus seorsim infligant. III. si duobus tignum per se ablaturis accedat tertius, qui iisdem opem ferat; ille adhuc in solidum restituere debet, quia nulla est damni pars, in quam non influxerit; & licet alii sine ejus auxilio damnum illaturi fuissent, reipsa tamen sine ipso non intulerunt. Quod vero fuerit tantum causa partialis damni, probat quidem eum non teneri ad restitutionem totius absolute, sed non probat eum non teneri ad totum, ex hypothesi quod alii non restituant.

CONCLUSIO III. Cum plures inæqualiter damno cooperati sunt, mandans primo loco restituere debet, deinde executor, tertio ceteri cooperantes.

Prob. 1. pars: quia mandans est principalis causa damni; est enim causa tum efficiens, quia non nisi imperio ejus damnum infertur; tum finalis quia quidquid proximo infertur mali, propter mandantem inferri supponitur.

Et hæc intelligenda sunt non solum de mandante, qui auctoritatem habet, quales sunt pater, Judex, Præfectus militiæ; sed de eo etiam, qui vi, metus aut fraude alium impellit, & quasi cogit, ut malum proximo inferat; item de eo, qui suasit, aut rogavit damnum nomine suo inferri. Ratio est, quia ii omnes & reipsa mandantes sunt, aut mandantibus æquivalent, & totum restituendi onus in se suscipiunt ex communi hominum æstimatione.

Prob. 2. pars, quia executor, utpote physice in damnum influens, est principalis post imperantem ejusdem damni causa; ergo consulenti, palponi, &c. restituendo præire debet. Si tamen multi uno consensu in damnum aliquod conspirent, illudque unus ceterorum nomine exequatur, tunc omnes ad restituendum æqualiter tenentur; quia nemo eorum est, qui non sit principium damni.

Prob. 3. pars: si enim nec imperans, nec executor restituere velint, aut possint, superest, ut ceteri, qui damni causæ sunt, restituere teneantur.

Quæres I. quis sit ordo inter eos, qui minus præcipue cooperantur tum positive, ut consulens, & palpo; tum negative, ut mutus, & non obstans.

R. I. inter prædictos cooperatores hunc esse ordinem, ut positive cooperantes ante eos, qui privative solum cooperati sunt, restituere teneantur. Ratio est: I. quia positivi cooperatores prius influunt in damnum, quam negativi; cum isti ideo solum peccent, quia aliorum actionem non impediunt. II. quia ineptum esset, ut positivus, cooperator, qui illatum damnum compensavit, recursum suum habere vellet in eum, qui malam ejus actionem non impediit.

R. II. Inter cooperatores positivos minus præcipuos, ad se invicem comparatos, non videtur esse aliquis ordo, sed omnes in eodem gradu ad restitutionem obligandi sunt; ita tamen, ut qui efficacius cooperatus est damno, plus restituere teneatur.

Prob. 1. pars, quia qui pari gradu influunt in damnum, pari gradu ad damni reparationem concurrere debent: atqui consulens, consentiens, palpans, &c. pari gradu influunt in damnum; quia nemo eorum alterius nomine operatur; nemo aliud agit, quam ut quempiam impellat, ut proprio suo nomine alteri damnum procreet. Hi autem impulsus, etsi alii aliis priores tempore esse possunt, una tamen concurrunt ad movendam damnificatoris mentem; ergo prædicti cooperatores non sic sibi subordinati sunt, ut alter ante alterum restituere teneatur: tenebitur tamen quilibet in aliorum defectum restituere.

Prob. 2. pars, quia qui magis contulit in damnum, majorem restitutionis partem, qui minus, minorem subire debet. Unde fieri potest, ut consulens ad minus teneatur, quam palpans, quia viri nobilis adulatio majorem, quam plebei consilium, efficaciam habere potest.

R. III. si positivi cooperatores restituere non possint, is inter negativos ordo constitui potest, ut I. restituat superior, ex cujus incuria illatum est damnum, II. custos rei. III. testis qui juridice interrogatus, damnificatorem non manifestat.

Prob. quia superior ante custodem, custos ante testem damnum avertere debet; ergo ante alios restituere tenetur; alii vero non nisi in solidum.

Verum hæc doctrina quoad superiores, puta Magistratus, & *politicæ* Præfectos, tunc tantum vera est, cum vel custodes constituere negligunt, vel eorum actionibus non invigilant: alioqui enim custos particularis, qui non obstat, ante Magistratum, aut ducem restituere debet, quia immediatus concurrit, ad

ad damnum, quod prospector generalis per se ipsum impedire non potest. Unde practica principiorum mox expositorum applicatio magnam ad singulares circumstantias attentionem requirit. Sic aliquando causa negativa ad restitutionem ante causam positivam teneri potest: si quis v. g. non obstitarit damno, & damnificator ex præterita ejus negligentia ad inferendum novum proximo damnum excitetur, profecto non obstans primaria damni causa evadet, adeoque ante alios ad restituendum obligabitur.

Quæres II. an plures, qui ad damnum aliquod non idem in individuo, sed diversum concurrerunt, teneantur ad restitutionem in solidum: puta, si plures milites eandem in bello injusto urbem depopulati sint.

R. eos non teneri si alii aliis insciis, & nullo pacto moventibus damnum intulerint: quia in hoc casu alii aliis cooperati non sunt.

R. II. si quis eorum, qui damnum intulerunt, primus alios moverit; videndum est, an moverit per modum causæ, an solum exemplo. Si moverit per modum causæ, rursus expendendum est, in quo causæ genere moverint, an imperando, ut nonnunquam faciunt juvenes nequam, qui alios ætate, & viribus inferiores ad scelus minis, & imperio trahunt: an simpliciter consulendo, palpando, &c. in his autem casibus sequendum est, quantum circumstantiæ ferent, id, quod statim diximus de ordine inter damnificatores observando.

Quod si quis alios solum moverit exemplo, ut faciunt ii, qui coram aliis furando, eosdem exemplo suo ad furtum excitant, probabilius nobis videtur, & hic quoque esse obligationem restituendi: I. quia ex cap. ultimo *De injuriis*, *si culpa tua datum est damnum, jure super his te satisfacere oportet*: atqui cum prævidere potuisti probabiliter alium exemplo tuo movendum esse ad inferendum proximo damnum, jam idem damnum culpa tua datum est. II. quia ex l. 30. ff. ad Leg. Aquil. *qui occasionem præstat, damnum fecisse videtur*: atqui in hoc casu damni occasionem præstitisti, ut fatentur omnes. III. quia non minus movet quis exemplo, quam consilio; imo magis, quia *exemplo trahunt*: sed qui consilio movet, ad restituendum tenetur; ergo & qui movet exemplis.

R. III. cum plures ad furtum aliquod a singulis pro se peragendum conspirarunt communi consilio, & consensu, sed absque eo quod alter alterius motor principalis extiterit, aut etiam traxerit exemplo, ut cum dicente uno: *Ecce eo ad prædam*, exclamant alii: *Et ego id habebam in mente, jamque profecturus eram*; & hic quoque credimus urgere obligationem restituendi in solidum: I. quia singuli milites in hac hypothesi, ex ipsa sua multitudine depopulandi audaciam sumunt. II. quia nisi tanta esset eorum multitudo, singuli nihil diriperent, facile enim a civibus impedirentur; ergo singulorum influxus magni est momenti.

Quæres III. an cum ille, qui damnum passus est, debitum relaxat uni cooperatorum, alii a restituendo immunes fiant.

R. I. si condonatio fiat ei, qui primo loco restituere tenebatur, ceteros post ipsum a restitutione liberari: I. quia ceteri in ejus tantum defectum restituere debent; ergo eo nihil amplius debente, ceteri nihil debent. II. quia qui damnum passus est, non potest efficere pro notu, ut hic, vel ille primo loco restituere debeat; ergo cum eum a restituendo eximit, qui primo loco tenebatur, ceteros omnes eximit.

R. II. si condonatio fiat alicui, qui non nisi secundo loco restituere debebat, anteriores, & magis principales non eximi; quia principales tenentur independenter a posterioribus.

R. III. si multæ sint causæ primariæ, aut secundariæ, & uni condonatio fiat, ceteras ejusdem ordinis causas adhue teneri ad restituendum; non quidem partem illam, quæ condonata est, sed id, quod ea parte detracta superetit. Ratio est, quia singuli partes singulas debent; ergo uni remissio fieri potest, eadem ceteris non facta.

## SECTIO SECUNDA.

*Quo ordine personis, quæ læsæ sunt, restituendum sit.*

QUæstio procedit de debitore, qui multis creditoribus diversi ordinis debet, sed omnibus satisfacere nequit.

Debita porro multiplicis sunt generis: nam I. alia sunt *certa*, ut si certo noveris te Titio debere centum aureos: alia sunt *incerta*, ut si dubites de debito, vel certus de debito, dubites cui debeas.

II. alia sunt, quæ in dominium tuum transierunt, ut merces a te emtæ, sive adhuc extent apud te, sive non: alia sunt, quorum dominium non habes, ut pignus, res furtivæ.

III. debita alia sunt *realia*, cum bona debitoris sunt creditori obligata per hypothecam generalem, vel specialem; alia *personalia*, cum creditor in personam debitoris, non vero immediate in ejus bona actionem habet.

IV. debita tum realia, tum personalia vel sunt *privilegiata*, vel *simplicia*, prout creditores sunt hypothecarii, vel chirographarii; & utrique vel habent privilegia, quibus præ aliis creditoribus solvantur, vel hisce privilegiis carent.

V. debita vel sunt *ex delicto*, ut si debeas quia furatus es; vel *ex contractu*, ut si debeas quia mutuo accepisti, &c. Item alia sunt ex titulo *gratuito*, v. g. promissione, legato, &c. alia ex titulo *oneroso*, puta emtionis, &c. His positis, sit

CONCLUSIO I. Debita ex delicto, vel ex titulo oneroso, prius solvi debent, quam debita ex titulo gratuito.

Prob. quia alioqui gratuita promissio vergeret in præjudicium tertii, illius nempe, cui aliquid debetur propter delictum, aut emtionem, &c.

Hinc colliges: I. quod illicitum sit acceptare dona, vel legata illius, qui ex donationibus, aut legatis efficitur impar solvendis debitis, quæ titulo oneroso contraxit. II. quod hæres onerosa defuncti debita-

bita prius solvere debeat, quam legata etiam acceptata; imo quam res voto promissas; quia vota, quæ in tertii præjudicium vergunt, a Deo reprobantur: hæc tamen, ut pote quæ ipsam voventis personam ligent, prius solvi debent, quam legata.

CONCLUSIO II. Res aliena extans prius est restituenda domino suo, quam solvatur quodcunque aliud debitum; deinde solvi debent impensæ pro funere debitoris, item pro curatione ejus.

Prob. 1. pars, quia hujusmodi res domino suo clamat; ergo ei præ ceteris est restituenda; ergo depositum, pignus, res per usuram ablatæ, dominis suis reddendæ sunt, non aliis creditoribus dividendæ. Quod si ignoretur dominus rei, quæ in sua specie remanet, ut hæc vestis tunc in pauperes, aut opera pia erogari poterit; quia non tenetur debitor creditori satisfacere ex alieno: an vero id possit, expendemus Conclus. quarta.

Prob. 2. pars ex l. 45. *De relig. & sumtibus funerum*. Porro *sumtus funeris* æstimantur *pro facultatibus & dignitate defuncti*. L. 12. ibid.

Quæres, an res, quam quis emit, & cujus pretium nondum solvit, ante omnia venditori reddi debeat.

R. In Gallia venditor rei immobilis, qui pretium non recepit, ceteris creditoribus præfertur, etiam Regi, juxta art. 3. Edicti an. 1669.: imo venditor ille jus habet rem, ut ajunt, suam insequendi, quocumque transierit: at non ita est de bonis mobilibus, quæ semel ab emtore revendita, a venditore occupari non possunt, (nisi aliud ferat loci consuetudo necessario consulenda); possunt vero quamdiu sunt in mano primi emtoris.

CONCLUSIO III. Debita, de quibus certo constat, prius solvi debent, quam ea, de quibus dubitatur an debita sint.

Prob. ex unanimi Theologorum consensu, qui magni esse debet ponderis: tum quia ubi est aliqua obscuritas, id sequendum est in praxi, quod prudentissimi quique judicant; tum quia consensus ille indicat populos inter se quasi convenisse, ut prius iis restitutio fieret, quibus certo debetur, quam iis, quibus nihil forte debitum est.

CONCLUSIO IV. Debita certa ante incerta hoc etiam sensu solvi debent, quod prius restituendum sit domino certo, quam incerto, etiamsi de debito constet: ita S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 7.: hæc tamen opinio non caret difficultate.

Prob. Ut debita certa, de quibus loquimur, prius restituenda sint quam incerta, sufficit, ut præsumi merito possit dominum ignotum in id consentire: atqui hoc præsumi merito potest. Voluntas enim pia, & quæ domino ignoto favet, de unoquoque legitime præsumitur: atqui voluntas ut debita certa prius restituantur, quam incerta, & pia est, & domino incerto favet: 1. quidem pia est: eum pium sit opem ferre iis, qui ære alieno gravati, premuntur a creditoribus, idque quoddam sit genus eleemosynæ Deo acceptissime. II. eadem voluntas creditori incognito favet: sic enim integrum servatur ejus debitum, ita ut debitor si ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur illud domino, cum comparuerit, reddere, vel tunc saltem ipsum pios in usus expendere.

Obj. Dominus incertus, seu ignotus tantum habet juris, quam notus; ergo non minus ipsi satisfieri debet in persona pauperum, quam ceteris.

R. dist. tantum habet juris, sed jus illud non eodem exigit modo pro pauperibus, ac pro se, vel hæredibus suis, C. & exigit illud eodem modo, N. vel enim debitos postquam creditoribus suis satisfecerit, ad priorem fortunam reverti potest, vel in eas conjectus erit angustias, unde moraliter loquendo resurgere non potest. Si 1. quis dubitet hanc esse creditoris ignoti voluntatem, ut debitor illud pauperibus non distribuat, quod aliquando recuperare ipse poterit? Si 2. an non æque pium est, ut debitor debita sua ex ære alieno solvere possit, quam ut illud pauperibus eroget?

CONCLUSIO V. Debita contracta ex delicto, non sunt prius solvenda, quam quæ ex justo contractu oneroso prodeunt; sed inter utraque nullus est ordo.

Prob. quia nec positivo, nec naturali jure ostendi potest, majorem esse unius debiti, quam alterius solvendi obligationem. Non positivo, cum jus positivum inter varia hæc debita nullibi distinguat. Non naturali; quia jure naturali unum debitum non ligat arctius, quam aliud.

Obj. I. in gratiam eorum, qui debita ex delicto præferunt: Cum omnibus culpis recedi non potest, ab iis primo recedendum est, quæ graviores sunt: atqui rapina est culpa gravior, quam furtum, & furtum, quam usura; ergo prius restituendum est pro furto, quam pro usura, prius pro usura, quam pro contractu onerosо, in quo nihil fuit mali.

R. dist. maj. recedendum est primo a culpis, quæ graviores sunt, si sunt diversæ speciei, C. si ejusdem, N. Sic si Petro fureris centum, & Joanni decem, non ideo prius Petro, quam Joanni restituere teneris: porro delictum rapinæ, & furti ejusdem speciei sunt quantum ad actum restituendi.

Inst. Qui ex delicto damnum passus est, magis est & esse debet invitus, quod sua res retineatur, quam ille, cui quidpiam debetur ex contractu; ergo.

R. neg. conseq. obligatio enim restituendi non hinc desumitur, quod creditor magis, aut minus invitus sit, id est animo magis impatienti rei suæ jacturam ferat; alioqui præ ceteris omnibus restituendum esset avaro feni, qui bonis suis tenacius adhæret: sed restituendi onus inde oritur, quod homo invitus sit objective, id est non cedat jure, quod in rem suam habet; porro venditor non magis cedit jure suo, quam is, cui res sua subrepta fuit.

Obj. II. in gratiam eorum, qui debita ex contractu oneroso præferenda esse putant: Quod ex contractu debetur, duplici fidelitatis, & justitiæ titulo debetur; ergo prius solvi debet.

R. dist. conseq. prius solvi debet, si prius solvi possit sine injuria, & damno alterius, C. si non possit, N. Itaque exigit fidelitas, ut quantum inculpate fieri potest, promissa tua impleas: sed non postulat, ut ei totum solvas, cui totum solvere non potes

potes sine alterius dispendio: atqui si totum solveris venditori v. g., & nihil ei, cujus equum furatus es, jam inde dispendium patietur ille, cui furto tuo nocuisti; ergo.

CONCLUSIO VI. Ceteris paribus creditori pauperi prius restituendum non est, quam diviti.

Prob. quia paupertas non efficit, ut pauper plus habeat juris, quam dives; ergo.

At, inquies, restitutio fit ut tollatur proximi damnum; hoc vero in paupere majus est, quam in divite.

R. dist. maj ut tollatur damnum proximi, id est ut reddatur proximo secundum jus, quod habet, C. secus, N. cum ergo jus in paupere majus non sit, quam in divite, consequens est, quod inter utramque nullus sit præferentiæ ordo: si tamen pauper in extrema necessitate constitutus sit, imo in gravi, juxta aliquos, tunc præferri debet, aut saltem potest diviti. Ratio est, quia cum negatur aliquem alteri esse præferendum, id semper intelligitur salvo ordine charitatis virtutum omnium reginæ.

CONCLUSIO VII. Creditoribus, qui hypothecam, aut privilegium habent, prius est satisfaciendum, quam iis, qui non habent.

Prob. quia jus hypothecæ ideo legibus constitutum est, ut creditores, qui eo gaudent, aliis antepoanantur. Idem est de privilegiatis.

Porro circa privilegia, & hypothecas sequendæ sunt locorum Consuetudines. Unde in casibus, qui ad hanc materiam pertinent, Confessarius, nisi uberi juris legumque scientia instructus sit, necessario consulere debet Advocatos, & similes, qui magnam Juris seu communis, seu municipalis cognitionem adepti fuerint; in hac enim materia, sicut, & in aliis, circa quas jus naturale nihil præscribit, standum est legibus locorum, & justæ consuetudini, quia obligant in conscientia.

Quæres I. an debitor, qui omnibus solvere non potest, & uni totum solvit prætermissis aliis, qui privilegiati non sint, peccet contra justitiam.

R. vel ille, cui debitor totum solvit, hoc exegit in judicio, vel extra judicium, vel nullatenus. Si 1. teneretur debitor ei totum solvere etiamsi esset tempore posterior. Ratio est, quia *vigilantibus jura subveniunt*; & Legibus constitutum est, ut qui diligentior est in repetendo debito, ceteris præferatur. Si 2. crederem cum Lugo, non sufficere privatam creditoris petitionem absque sententia Judicis, quia privata petitio non potest non tribuere jus, quod in aliorum detrimentum vergat. Si quis tamen aliter egisset bona fide, damnare non auderem. Si 3. debitor contra justitiam peccavit, quia debet unicuique tantum largiri quantum pro circumstantiis potest: hoc autem non facit, qui unum etiam non petentem ceteris anteponit, ut eidem gratificetur; ergo peccat contra justitiam, ac tenetur de damno alterius creditoris æquale jus habentis, nisi cum juris, vel facti ignorantia excuset.

Quæres II. an creditor, qui jus prælationis non habens solutionem ante alios recepit, teneatur aliis restituere. R. vel alii creditores jus prælationis habebant vi privilegii, aut hypothecæ; vel non habebant, nisi jus æquale. Si alii creditores prælationis jus habebant ei cognitum, cui præ ipsis restitutum fuit, tenetur is ad restitutionem ante sententiam Judicis; quia recipiendo id, quod primo loco aliis debebatur, recepit id, quod suum non erat, & aliunde iniquæ aliorum damnificationi cooperatus est. Si vero creditores alii non erant potiores jure, sed omnino pares, probabilius nobis videtur, quod docent Lugo, & Sylvius, creditorem, qui totum debitum recepit, teneri ad restituendum aliis: quia creditor ille cooperatur tum debitori violanti justitiam, tum injustæ aliorum creditorum damnificationi, prout efficaciter impedit, ne iis hic & nunc solvatur, quod ipsis saltem ex parte solvendum erat.

At, inquies, creditor ille non recipit, nisi quod suum est; ergo.

R. non esse creditoris id, quod ei sine aliorum injuria solvi non potest, ut in præsenti casu contingit. Fatendum tamen, quod in re intricata, & multum controversa facile excuset bona fides. Dico, *bona fides*. Si enim creditor debitum suum obtineat per fraudem v. g., simulando gravem inopiam, non posset eximi a restitutione.

Hinc a fortiori sequitur, eum ad restituendum teneri, qui aliquid titulo gratuito accipit a debitore, quem inde seu conjiciendum in restituendi impotentiam. Ratio est, quia cooperatur iniquæ actioni, qua debitor solvendo imparem se constituit. Merito igitur proscripta est an. 1700. a Clero Gallicano propositio ista; *Etiamsi donatario perspectum sit, bona sibi donata a quopiam ea mente, ut creditores frustrentur, non tenetur restituere, nisi eam donationem suaserit, vel ad eam induxerit.*

## SECTIO TERTIA.

### *Cui facienda sit Restitutio.*

Certum est I. restitutionem rei vero ejus domino, cum cognoscitur, esse faciendam, si nihil obstet; quia hic est naturalis æqualitatem reponendi modus. Quod si dominus rei fato functus sit, restitutio hæredi ejus facienda erit, quia hæres in omne jus mortui succedit. Hæres porro dicitur quisquis de jure in hæreditatem defuncti succedit sive ab intestato, sive aliter.

Certum est II. rem a possessore malæ fidei ablatam non ipsi, sed domino esse restituendam: cavendum tamen, ne injustus possessor restitutionis iterum faciendæ periculo exponatur, quod fiet, si vel ipse, vel rei dominus debito modo commoneantur. Sed quia fieri potest: I. ut res eadem secundum diversos respectus diversis personis restitui possit. II. ut legitimo domino non nisi periculose restituatur. III. ut verus rei dominus non cognoscatur; inde fit, ut variæ circa præsentem materiam exoriantur disceptationes, quas ut breviter expediamus, sit

CONCLUSIO I. Res ordinarie ei reddenda est, a quo legitimo titulo possidetur, etsi non sit rei dominus. Prob.

Prob. quia si res commodata, deposita, locata non reddatur commodatario, depositario, &c. sed domino, commodatarii, qui re illa utendi jus habent, læduntur; ergo nisi fiat iis restitutio, peccatur contra justitiam, & contrahitur onus iisdem restituendi pro damno emergente, & lucro cessante. Pariter si vestis, vel farina domino, non sartori, vel molitori, quorum in manibus erant, reddantur, iisdem grave creatur incommodum: tum quia forte laboris sui pretium amittent; tum quia ab eorum quasi negligentium officina recedent, qui antea iisdem utebantur.

Dixi *ordinarie*, quia si possessor nihil patiatur detrimenti ex eo, quod restitutio fiat proprietario, nihil interest, an uni, vel alteri fiat.

CONCLUSIO II. Qui a possessore bonæ fidei acceepit aliquid, quod alterius esse comperit, hoc vero ejus domino restituere debet, si gratis acceperit: si autem oneroso titulo comparaverit, id reddere potest possessori, & pretium suum repetere.

Prob. 1. pars, quia ei facienda est restitutio, qui jus in rem habet, non ei, qui tali jure non gaudet: atqui possessor in præsenti casu nullum jus in ea re habet, quam supponimus alienam esse, ergo.

Quod si rem sine gravi tui incommodo domino, v. g. nimium distanti restituere nequeas, sufficit, ut eam reddas possessori, nisi merito conjicias futurum forte, ut possessor eam domino non reddat; tunc enim habere te debes quasi inventorem, qui rem inventam ea, qua par est, cura servare debet.

Prob. 2. pars. Unicuique licet bono proprio consulere, cum id potest sine alterius dispendio: sed qui rem reddit ei, a quo emit, bono suo consulit sine alterius dispendio: supponimus enim possessorem, a quo res emta fuit, esse hominem, in cujus manu eadem res non periclitetur, & cui proinde non secus ac fideli nuntio committi possit ad verum dominum transmittenda.

Hac occasione quæritur, an qui rem emit a fure, hanc ei reddere possit, ut pretium suum consequatur. Quæstio non movetur de eo, qui rei, quam animadvertit furtivam esse, possessionem inire noluit. Si quis enim numerata pecunia gemmam recepturus, cognoscat eam non esse venditoris, potest is & pecuniam suam recipere, & furtivam gemmam in manu furis relinquere: sicut qui rem alienam invenit in via, potest eam ibi relinquere, si metuat, ne propter eam furti redarguatur; quia licet unicuique sibi magis consulere, quam alteri. Quæstio igitur procedit de eo, qui rem furtivam apud se habere cœpit, ejusque possessionem iniit.

R. rem etiam bona fide a fure emtam, eidem reddi non posse, nisi moraliter judicari possit eam vel a fure vero domino esse reddendam, vel in manibus furis deprehendendam esse a domino prudenter admonito.

Prob. I. Ideo, juxta Lessium, & alios, rem furi, a quo eam emisti, reddere potes, quia tunc nullam domino injuriam facis, cum rem ejus in eo reponas statu, in quo eam invenisti, & a quo eam extrahere cum proprio tui detrimento non teneris: atqui hæc ratio omni ex parte nutat. Nam I. falsum est, quod in hoc casu nulla fiat domino injuria. Qui enim rem e manibus furis ablatam eidem reddit, causa est, cur dominus re sua privetur, re, inquam, quæ semper domino clamat, etiam dum ab aliquo emta est; quia emtio nunquam efficere potest, ut res alterius eidem debita non sit. II. emtor rem restituendo furi eam quidem non ponit pejori in loco, quam fuerit ante emtionem; at eam pejori in statu ponit, quam fuerit post emtionem, quia res illa secure erat in manu emtoris, non ita vero in manu furis: atqui non potest emtor rem alterius semel bono in loco constitutam in alio periculoso constituere. Quia res ad dominum pertinet cum omnibus suis *melioramentis*: atqui quod res sit in statu securitatis, quoddam ejus est melioramentum; ergo qui hoc tollit, reipsa domino facit injuriam, & rem ejus in pejori, quam antea erat, statu reponit.

Prob. II. ex ista juris naturalis regula: Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis: atqui nullus adversariorum vellet, ut res sua, quam quis bona fide emisset a fure, furi redderetur, a quo eam non esset recepturus. Durum quidem est, quod quis pretium bona fide datum amittere debeat; sed si fur obiisset, si non inveniretur, si solvendo par non esset, an non res furtiva domino reddi deberet? ita sane est ex omnium confesso: atqui ex eo quod inveniatur latro, qui solvendo par sit, dominus nihil amittit juris sui; ergo qui rem alienam reddit furi, peccat & contra charitatem, &, ut ex prima probatione liquet, contra justitiam.

Prob. III. non liceret emtori rem furtivam vendere extraneo, ut pretium suum recuperaret; ergo nec ipsi licitum est eam reddere furi; quia fur non plus in eam juris habet, quam extraneus.

Obj. I. Emtor rem reddendo furi jure suo utitur. Prob. Unusquisque jus habet, contractum ex una parte injustum, ex altera vero per errorem initum, rescindendi: atqui talis est contractus emtoris cum fure.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Unusquisque jus habet contractum injustum rescindendi, si fieri id possit sine injuria tertii, C. si non possit, N.

Inst. Rei dominus non potest rationabiliter invitus esse, quod rescindatur contractus, de quo loquimur. Nemo enim rationabiliter invitus esse potest, quod alter propriis rebus magis consulat, quam alienis, cum par est utriusque innocentia, par & causa: atqui res sic se habet in præsenti. Quandoquidem emtor non minus ad pretium suum juris habet, quam dominus ad rem suam.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. Par quidem est utriusque innocentia, sed non par est causa. Dominus enim nullo modo causa est, cur emtor pretii sui jacturam subeat, sed in totum venditoris malitiæ imputari debet: at vero emtor rem restituendo, furi causa erit, cur dominus rei suæ jacturam faciat.

Obj. II. Non teneor damnum pati, ut alterius damnum avertam; ergo rem furi reddere possum.

R. neg. conseq. Non teneris quidem damnum pati, ut alterius damnum avertas, sed teneris damnum pati, cum illud evitare non potes, nisi fias alteri, & quidem innocenti, moralis damni causa, ut in præsenti casu.

Inst. Possem marsupium alterius tradere furi, qui mortem minitatur, nisi tradidero? Possem quoque alterius supellectilia e domo mea ejicere, si propter illa apud me reperienda de furto accusari possem; ergo a pari.

R. neg. conseq. quia etsi bona primi ordinis, ut vita, & fama, bonis longe minoribus alienis præferri possint, absque eo quod quisquam rationabiliter invitus esse possit, non sequitur, quod idem dicendum sit in casu nostro, in quo nec vita, nec fama in periculum venire supponuntur.

CONCLUSIO III. Non semper licet rem vero ipsius domino restituere, puta cum ex hac restitutione grave imminet ipsi, aut alteri nocumentum spirituale, vel temporale, quod quis sine gravi proprio detrimento impedire potest.

Prob. quia unusquisque damnum alterius quantum potest, avertere tenetur: sed qui domino reddit rem, quam prudenter judicat ipsi, aut alteri perniciosam fore vel in spiritualibus, vel in temporaneis, damnum ejus, quantum potest, non vertit; ergo peccat, qui reddit pecuniam ei, quem cognoscit ea usurum, ut Beneficium emat, &c. item qui reddit scalas ei, quem scit iis ad furta, & rapinas usurum esse. Licet enim hæc omnia per se non ordinentur ad peccatum; ordinantur tamen ex prava recipientis intentione, quam, si possum, impedire teneor.

Dico, *si possum*: non enim teneor grave subire detrimentum, ut alterius peccatum avertam. Cavendum tamen, ne quis rem suam, etiam levis momenti, alterius saluti anteponat, ut ii faciunt, qui amicis suis media ad injustitiam sternunt, ne eos contristent.

Quæres I. cui ergo facienda sit restitutio, si domino ipsi fieri non possit. R. id definiri non posse nisi ex circumstantiis. Censent Navarrus, & Merbesius, eum, qui Prælato rerum Ecclesiasticarum dilapidatori summam pecuniæ furatus est, posse, & debere summam hanc non Prælato, sed Ecclesiæ, quæ est vera illius domina, restituere. Addunt restitutionem posse, imo debere fieri uxori, non marito, cum maritus bona sua temere dissipat: sic tamen, ut quoad esse potest, caveatur omnis perturbatio regiminis domestici. Sed, ut dixi, innumeræ occurrere possunt circumstantiæ, quæ ad aliam agendi rationem determinent. Sic differri debet restitutio, si spes affulgeat futurum, ut rei dominus ad meliorem frugem revertatur; sic operariis in summa miseria positis, & qui debita mercede privantur, potius restituendum esset, quam Ecclesiæ, &c.

Quæres II. an peccet contra justitiam, qui alicui rem suam, ut gladium, reddit, cum prævidet inde creandum ipsi domino, aut proximo detrimentum. R. affirmat. qui enim gladium reddit homini parato ad inferendam alii mortem, ad mortem hanc suo modo concurrit. Tunc enim se habet, ac si proprium suum ensem commodaret, cum hic & nunc nec teneatur, nec debeat alterius gladium eidem reddere. Excipitur casus, in quo nisi alteri rem suam reddideris, idem ab ipso passurus sis damnum, quod aliis impendet; quia non teneris temporale alterius damnum boni tui æqualis dispendio avertere.

CONCLUSIO IV. Bona, quorum dominus, aut domini hæredes post diligentem inquisitionem cognosci non possunt, Pauperibus sunt eroganda jure naturali. Sequitur ex iis, quæ dixi agendo de rebus inventis.

Animadvertendum tamen Conclusionem hanc procedere de domino, qui ignoratur, tam in communi, quam in particulari; aliter enim agendum est in praxi: I. quando dominus cognitus est in communi, quo pacto milites, qui oppida; Provinciarum Præfecti, qui Provincias dilapidaverunt, cognoscunt in communi, quibus damnum intulerint, licet eos in particulari discernere nequeant. II. cum cognoscitur rem pertinere ad unum e multis, sed quis unus ille sit definiri non potest.

In primo casu restitutio in communi, si ita loqui fas est, fieri debet, idque in loco, ubi damnum illatum est, adeo ut qui læsi sunt, vel eorum hæredes recipiant, prout prudenter ex circumstantiis judicatur eos vexatos fuisse. Hinc optimi consilii est, ut restitutio hæc fiat per manus Episcopi, vel Magistratuum, qui cum facilius uniuscujusque jacturam cognoscere possint, tutius quoque debitam proportionem servare possunt. Quod spectat ad œnopolas & alios, qui minori vel mensura, vel pondere vendiderunt, necessum est, ut iis, qui ad officinam suam venire solent, pretio viliori vendant; sic enim paulatim refundetur, quod paulatim ablatum est: debent insuper aliquid pauperibus largiri, in gratiam extraneorum, quos a se fraudatos fuisse cognoverunt.

In secundo casu restitutio ex æquo facienda est iis omnibus, quos dubium respicit; quia non potest totum dari uni, quod prudenter judicatur non minus ad alios, quam ad ipsum pertinere.

Quæres I. quid faciendum, cum cognoscitur in genere bona aliena, quæ penes nos sunt, & quorum dominus ignoratur in specie, pertinuisse ad Infidelem, qui piis operibus juvari non possit.

R. bona hæc in manibus Principis, aut Reipublicæ reponenda esse, ut in Communitatis utilitatem impendantur; si tamen bona hæc ad Regem, aut Rempublicam aliquo titulo, ut *albinatus*, pertineant: alias enim crediderim eum, qui pagi alicujus Infidelis bona injuste depopulatus esset, teneri ad faciendam ibi restitutionem; quæ enim Cæsaris infidelis sunt, eidem reddi necesse est.

Quæres II. quid sentiendum sit de iis, qui postquam remotas urbes spoliaverunt, superba alibi Monasteria, aut pauperum hospitia constitui jubent. R. iis, eorumque doctoribus graviter timendum esse: Deus enim *odio* habet *rapinam in holocausto* (*Isai* 61.); nec patitur, ut qui nihil passi sunt damni, ex aliorum miseria lucrum reportent: unde restitutio iis est facienda, qui læsi fuere.

## SECTIO QUARTA.

*Quantum, quando, ubi, & cujus impenſis reſtitui debeat.*

CErtum eſt: I. tantum reſtitui debere, quantum ablatum eſt: quia is eſt reſtitutionis ſcopus, ut lædentem inter, & læſum reducatur æqualitas. Hinc qui alium ſpoliando ſimul excepit ignominioſe, debet & rem reſtituere, & pro honore læſo facere ſatis. Hinc etiam ei, qui rem alterius habet in individuo, non ſufficit aliam æque bonam reddere, ubi dominus eſt invitus. Quia is, præſertim cum ſpecialem in rem ſuam affectum habet, gravem tunc patitur injuriam. Si tamen eadem res in ſpecie reſtitui nequeat, quin inde fur occultus manifeſtandus ſit, ſatis eſt, ut reddatur æquivalens.

Quod ſi res jam non extet, reſtitui debet valor ejus, ſi notus; ſi vero ignotus ſit, ſive quia generatim aſſignari non poteſt certus ablatæ rei valor, v. g. famæ, & honoris; ſive quia rei deſtructæ quantitas ignoratur, ut ſi domum variis ſupellectilibus inſtructam combuſſeris, adhærendum eſt judicio viri prudentis, ita ut re plus inter, & minus æſtimata, vel attingatur æqualitas, vel ad eam quam proxime accedatur.

Certum eſt: II. ex dictis debita ratione rei acceptæ, aut injuſtæ detentionis reſtituenda eſſe quam primum moraliter; debita autem ex contractu, tempore ſecundum pacta, aut Leges determinato: quod ſi tempus præfixum non fuerit, reſtitutio facienda eſt, vel cum eam fieri exigit creditor, (ſi tamen debiti memor ſit, aut metu, vel aliter non impediatur a repetendo), vel cum a debitore fieri commode poteſt. Alias peccatur mortaliter, & contrahitur obligatio reſtituendi lucrum quodcunque ceſſans, & damnum emergens: idque verum eſt, etiamſi qui aliquid ex contractu debet, non interpelletur ad ſolvendum: nam dies definita *pro domino interpellat*, cap. final. *De locato & conducto*.

Quæres, an debitor ſolvere poſſit ante præfinitum tempus. R. Vel terminus præfixus eſt in favorem debitoris, ut in mutuo, & commodato evenire ſolet, vel in favorem creditoris. Si 1. debitor anticipate ſolvere poteſt, quia unicuique licitum eſt cedere juri ſuo. Si 2. debitor anticipare nequit, quia alioqui inferret injuriam creditori, qui jus habet, ne ſibi ſolutio fiat ante præfinitum tempus. Jam videndum ſuo loco, & quibus impenſis reſtitutio fieri debeat. quod quidem pendet ex circumſtantiis; unde ſit

CONCLUSIO I. Sufficit, ut qui rem alterius bona fide accepit, eam reſtituat in loco, ubi ipſam poſſidet; unde ſi eam ad dominum abſentem remittat, non tenetur ſuis expenſis remittere.

Prob. quia qui nullam alii injuriam fecit, nullum debet detrimentum ſubire: atqui poſſeſſor bonæ fidei nullam ei, cujus rem habet, injuriam intulit; aliunde damnum ſubiret, ſi rem impenſis propriis ad dominum remittere teneretur; ergo.

Si quis tamen rem alienam alio transferret imprudenter, puta quia noluit a domino inquirere, quid de re ſua fieri vellet, tunc teneretur de impenſis, quas dominus non feciſſet: aliter dicendum ſi res alio fuerit transferenda, quia poſſeſſor eam ſervare non potuit in loco, ubi eam primo habere incepit.

Si dominus nimium diſtans, ut apud Indos, moneri non poſſit, aut res minoris ſit momenti, quam ut certæ pro ea transferenda impenſæ fieri debeant, tunc res vel pio in loco deponatur ea lege, ut reddatur domino, ſi compareat, vel donetur pauperibus, præſertim conſanguineis domini; quia hanc ejus eſſe voluntatem præſumi rationabiliter poteſt.

CONCLUSIO II. Qui rem injuſte accepit, propriis eam impenſis reſtituere tenetur, idque in loco, ubi eam dominus poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet.

Prob. quia dominus ex alterius iniquitate damnum perciperet, ſi rem ſuam alio ablatam propriis ſumtibus ad ſe revocare teneretur.

Hinc alienæ rei invaſor ad plures pro ea reſtituenda ſumtus aliquando tenetur, quam res ſecundum ſe valeat. Certe æquius eſt, ut delinquens duplum perdat, quam ut innocens dominus re ſua privetur.

Hic duo notanda: I. debitor poteſt deducere impenſas, quas ipſe dominus in re ſua transferenda feciſſet: ſatis eſt enim, ut debitor dominum præſtet indemnem, non requiritur, ut ei lucrum afferat. II. ſi reſtitutio fieri non poſſit ſine ſumtibus maximis, docent vulgo Theologi, ipſam ex quadam æquitate naturali differri poſſe, donec debitor eam ſine tanto detrimento facere poſſit, aut reſciverit a creditore, quid de re ſua fieri velit.

Quod ſi ea ſit rerum conditio, ut niſi modo reſtituas cum maximis impenſis, futurum ſit, ut nunquam reſtituere poſſis, damnare non auſim eum, qui rem nec neceſſariam, nec admodum utilem domino daret conſanguineis illius, aut ſaltem pauperibus; quia creditor nec chriſtiane, nec rationabiliter velle poteſt, ut res ſua tanta cum inæqualitate ad ſe remittatur.

CONCLUSIO III. Debita ex contractu nunc in hoc, nunc in illo loco, nunc expenſis unius, nunc expenſis alterius contrahentis reſtitui debent.

Prob. Contractuum aliqui cedunt in commodum dantis ſolius, alii in commodum ſolius accipientis: atqui in primo caſu reſtitutio facienda eſt expenſis dantis; neque enim par eſt, ut gravetur aliquis alteri favorem præſtando. In ſecundo caſu reſtitutio fieri debet expenſis accipientis: hinc ſi tua cauſa equum commodato acceperis, teneris eum propriis tuis ſumtibus remittere, etſi non teneris eum longius mittere, quo dominus commigravit, niſi aliter commodantem inter, & commodatarium conventum fuerit.

Sed quid juris, ſi contractus cedat in utilitatem utriuſque, puta ſi quis equum locaverit, aut pro ſervando depoſito aliquid receperit pretii?

R. impenſas ab eo regulariter fieri debere, in cujus utilitatem vergit contractus, & ad cujus exigentiam communiter fieri ſolet. Hinc ex communi uſu, qui equum conduxit, tenetur eum propriis impenſis remittere; qui vero depoſitum alteri credidit, illud impenſis ſuis transferre debet; pretium enim non ſolet dari depoſitario, ut rem remittat, ſed ut com-

pensetur ejus in re custodienda labor.

## SECTIO QUINTA.

*Cujus periculo restituendum sit.*

QUæstio est de re, quæ ab ipso possessore immediate domino reddi non potest, vel quia abest dominus, vel quia possessoris interest, ut a domino non cognoscatur: cum ergo ea res in via perit seu culpa nuntii, cui commissa erat, seu casu fortuito, quæritur quis de eo damno teneatur. Ut solvatur quæstio.

Not. I. hic non agi de nuntio, quem creditor ipse elegerit, aut cujus eligendi libertatem reliquerit debitori; hoc tantum petens, ut unum assumeret, qui pro fideli haberetur: in utroque enim casu damnum in creditorem cadit. In primo, quia nuntius ab ipso missus personam ejus ræpresentat; in secundo, quia debitor id omne præstitit, quod sibi a domino præscriptum est. Idem est, cum res commissa fuit nuntio Judicis auctoritate designato: quia tunc debitor aliud restituendæ rei medium eligere non potuit.

Not. II. rem, quæ ad alium mittitur, ei vel per injuriam detentoris ereptam fuisse, vel non. Item res vel pertinet ad eum, ad quem mittitur, ut equus conductus, vel ad eum, qui mittit, ut res mutuo accepta. Sit

CONCLUSIO I. Res, quam quis sine sua culpa habet, si pereat in via, domino perit, non remittenti, si is sufficientem adhibuerit diligentiam.

Prob. quia res, quæ sine culpa mea perit, non mihi, sed domino perire debet: atqui in præsenti casu res sine culpa mea perit; sine culpa, inquam, vel præcedente, quia rem illam via iniqua non possedi; vel concomitante, quia omnem, quæ necessaria fuit, in ea remittenda diligentiam adhibui; ergo non mihi, sed domino perire debet.

Hinc si bonæ fidei possessor convenerit cum domino, se per talem nuntium rem suam ipsi remissurum esse tenetur ad restituendum, si eam committat alteri, a quo diripiatur: quia alteri dando est in culpa.

CONCLUSIO II. Restitutio rei per injuriam ereptæ fit periculo debitoris. Est communior.

Prob. I. quia debitor iniquus dominum prorsus indemnem servare debet, ergo omne periculum subire tenetur. Hinc cap. ult. *De depos.* statuitur quod *culpa* præcedente, *casus etiam fortuitus imputetur.*

Prob. II. si res illa inter ipsas debitoris manus periret, periret debitori, ut fatentur omnes; ergo a pari eidem debitori perit, si pereat inter manus nuntii; quia nempe nuntius rem ferens personam gerit ipsius debitoris. Hinc idem homo bis, & tertio ad ejusdem rei restitutionem obligari potest. Neque id debet videri durum: I. quia longe durius est, quod innocens re sibi injuste ablata spoliatus remaneat. II. quia ex reg. 86. in 6. *damnum, quod quis culpa sua sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

Obj. I. Dominus tacite consentit, ut res ad se transmittenda, committatur personæ fideli. Quid enim exigere amplius possit sensatus quisque, quam ut res sua ad se mittenda curetur omni sollicitudine, qua fieri potest?

R. dist. tacite consentit, id est mavult, ut res sua fideli, quam infideli nuntio committatur, C. id est rei suæ jacturam subire intendit, si forte ea pereat, N. Unum curat dominus, nempe ut rem suam recuperet, qua vero via eam recuperet, non satagit; sed quandiu ea caret, tandiu jus habet ipsius repetendæ, quia hactenus subsistit inæqualitas, quam fur removere debet.

Obj. II. Modus per Confessarium restituendi ita frequens est, & usitatus, ut de eo consentire censendi sint omnes creditores; ergo.

R. modum hunc valde approbari, quia vix ulli periculo obnoxius est; at non eo usque approbatus est, ut creditor re sua privari velit, si hanc culpate, vel inculpate in Confessarii manibus perire contingat.

CONCLUSIO III. Res ex contractu debita perit creditori, cum is ejus dominium servat; sed perit debitori, si dominium ejus in debitorem translatum fit.

Prob. utraque pars, quia res quælibet sicut domino suo clamat, ita & eidem perit; ergo.

Hinc qui pecuniam mutuo acceptam remittit ad Titium cum pallio sibi ab eodem commodato, subire debet damnum pecuniæ, cujus vi mutui dominus evaserat, non autem pallii, cujus dominium penes Titium perpetuo remansit.

## ARTICULUS QUARTUS.

*De causis a restitutione excusantibus.*

PER causas, quæ a restitutione excusant, intelliguntur tum eæ, quæ restituendi obligationem tollunt, tum eæ, quæ restitutionem aliud in tempus differri permittunt. A restitutione liberant præscriptio, creditoris condonatio, compensatio legitima; pleræque ex aliis permittunt tantum, ut differatur restitutio. De Præscriptione supra diximus, infra vero de compensatione.

Quæres I. an remissio creditoris restituendi obligationem tollat. R. affirmat. quia volenti non fit injuria: atqui ex hypothesi creditor est volens, quod sibi non solvatur; ergo.

Ut tamen valeat condonatio creditoris, duo requiri solent: I. ut non sit a jure impedita, & annullata. Defectu hujus conditionis non potest Canonicus, qui officio non interfuit, retinere distributiones tempori, quo absens fuit, correspondentes, etiamsi remissionem illarum obtinuerit: quia hæc remissio a Tridentino ( *Sess.* 24. *c.* 12. ) rescinditur. Pariter nulla est remissio, quæ fit a pupillo, aut furioso, quia Leges resistunt. II. ut sit vere voluntaria. Hinc remissio facta ex errore, vi, metu, vel fraude, nullius est momenti, aut saltem rescindi facile potest, ut dicam ubi de Contractibus.

Sed sufficitne ad condonationem virtualis domini voluntas? Affirmant plures, modo ex conjecturis vere probabilibus de eadem voluntate constet

unde

unde a restituendo eximunt tum filios-familias, qui aliquid non ita magni momenti furantur parentibus, quibus sunt charissimi ; tum ut plurimum famulos, & dominorum amicos, qui poculenta, & esculenta arripiunt, sibi concedenda, si postulare auderent. Hæc doctrina videtur mihi plena periculi, & in praxi admodum dubia ; certe non idem est *condonassem*, & *condono* : itaque vel petenda est condonatio, vel restituendum, nisi res tam levis sit momenti, ut ex quodam usu condonata censeatur. Profecto præsumta dominorum voluntas innumera quotidie furta parit : sic Capitanei, qui milites vix 60. habent, ex presumta Regis voluntate pro militibus centum stipendium accipiunt.

Quæres II. quid sit bonorum cessio, & an dispenset a restitutione ob creditorum condonationem, quæ intervenire solet.

R. ad 1. Cessio bonorum fieri dicitur, cum quis solvendis omnibus debitis suis impar, quod residuum habet boni creditoribus suis dimittit, ne trahatur in carcerem, aut ut inde liberetur.

R. ad 2. Is, qui bonis cessit, si quid postea acquirat, illud in creditores refundere tenetur, retentis tamen, quæ sibi, suisque ad parcam sustentationem necessaria sunt.

Prob. I. quia si debitor ad nullam amplius restitutionem teneretur, qui pro eo fidejussorem se præstitit, liber etiam videretur : atqui definitum est L. 60. ff. *De fidejuss. teneri fidejussorem* in hoc casu ; ergo. II. quia obligatio restituendi non tollitur, sed suspenditur solum per impotentiam restituendi hic & nunc ; ergo cum cessio bonorum plus privilegii vel a natura, vel a legibus non habeat, quam impotentia, tollere non potest, sed tantum suspendere restitutionis obligationem.

Quæres III. an ingressus in Religionem a restitutionis obligatione liberet.

Not. I. quod a Clementis VIII. tempore, quilibet debitores Religionem professi valide vovent ; nisi ea excipias Monasteria, in quibus protestatur Superior nomine Communitatis, se eos admittere nolle, qui postea deprchenderentur ære alieno gravati.

Not. II. debitorem, qui habet bona, teneri ante ingressum restituere, quia nullam habet differendi caussam ; & aliunde non debet omitti præceptum restituendi, ut impleatur consilium Religionis.

Not. III. licitum adhuc esse, juxta omnes, ingressum Monasterii iis, qui vident se in Monasterio perinde ac in seculo creditoribus suis esse satisfacturos ; aut se nec in seculo, nec alibi unquam pares fore solvendo. His ergo sufficit, ut bonis suis cedant.

Not. IV. eum, cujus debita sunt incerta, adeoque in pia opera expendi debent, posse Religionem ingredi, etiamsi speret futurum aliquando esse, ut in seculo manens ea debita solvere possit. Ratio est, quod ea debita sibi, ut pauperi applicare possit, & quidem pie, cum ea sibi applicet, ut Religiosus fiat.

Not. V. eum, qui biennio, vel triennio potest consuetis laboribus se eo in statu constituere, in quo debita sua totaliter, vel ex magna parte solvat, teneri suum in Religionem ingressum differre : quia creditores ejus rationabiliter conqueri possent, quod ardentiori zelo imparem se redderet debitis suis solvendis. Præcipua ergo difficultas est, an qui debita sua solvere nequit, nisi pluribus annis in seculo commoretur, imo nisi renuntiet Religioni, possit Religionem ingredi.

R. cum multis contra multos, eum, qui in seculo remanens debita sua solvere potest, inique agere, dum ingrediendo Religionem subit impotentiam restituendi.

Prob. I. ex c. *Legem* dist. 53. ubi qui *Monasterium petunt, nullo modo suscipiendi* esse dicuntur, *nisi prius a ratiociniis publicis absoluti fuerint* : ergo a pari Monasterium ingredi non debent, qui ære alieno gravati sunt ; quia in utroque casu aliis injuriam inferrent, seque, & Monasterium objicerent creditorum querelis, a quibus procul esse debent, qui divino sunt servitio mancipati. Et vero non sunt facienda mala, *ut veniant bona* : atqui conjicere se in impotentiam solvendi debita, est quid malum, legique naturali adversum.

Prob. II. Non magis debitor Religionem ingredi potest, cum remanendo in seculo creditoribus suis satisfacere potest, quam Religionem ingredi possit filius, cujus parentes ope ipsius, & auxilio indigent : atqui filius hoc in casu Religionem ingredi non potest. Minor patet, major non minus constat. Ut enim tenetur filius ex naturæ lege parenti indigenti alimenta præbere, sic & tenetur ex justitia debitor creditoribus satisfacere. Non nego filium arctiori vinculo parentibus obligari, quam creditoribus obligetur debitor, sed quid ad rem ? An ideo potest aliquid facere, quod in grave tertii præjudicium vergat ? nequaquam profecto. Esto igitur minus peccet, quam filius, qui naturæ legum immemor ab egeno parente discedit, reipsa tamen peccabit, quod sub quocunque boni prætextu nunquam licet.

Prob. III. Non potest, qui virginem sub spe matrimonii destuprarit, religionem amplecti, quia promissioni suæ satisfacere tenetur : atqui pariter debitor fructum laboris, cujus capax est, debet creditoribus, iisque ex pacto satisfacere tenetur ; ergo.

Obj. Nemo tenetur solvere debitum cum detrimento boni sui longe præstantioris : atqui homo in casu nostro solvere non potest sine detrimento boni longe majoris, nempe salutis suæ, quam exponit in mundo, qui *totus in maligno positus est*.

R. neg. min. I. quia illud hominis bonum dici non debet, quod homo nec possidet, nec possidere potest sine præjudicio tertii : porro debitor Religionem nec possidet actu, nec possidere potest sine tertii præjudicio. II. si Religio cuilibet homini etiam debitis onusto majus indubie bonum esset, graviter peccassent tum Sixtus V., qui Professionem hominis hujus aliquando irritam fecit ; tum ordines Religiosi, qui ære alieno gravatos admittere nolunt : atqui hoc nemo dicere audit ; ergo.

Fateor tamen eum, qui extra Religionem salutem suam operari non posset, posse Claustrum ingre-

di, sicut posset deserere artem animæ suæ perniciosam, etsi necessariam, ut restitueret. Ratio est, quia in his casibus creditores rationabiliter inviti esse non possunt, cum ipsi teneantur fortunæ bona pro salute proximi exponere: verum hæc nihil efficiunt contra thesim nostram, quæ de via communi intelligitur.

Duo hic addenda: I. Superiorem, qui hominem debitis gravatum scienter admittit ad Professionem, debere ex Monasterii bonis debita ejus solvere, aut saltem permittere, ut per opera statui suo convenientia creditoribus satisfaciat. II. Religiosum hunc, si quid sine Superioris licentia creditoribus solvat, furem esse, quia ex alieno restituit; *quidquid* enim *acquirit Monachus*, hoc *acquirit Monasterio*.

Quæres IV. an liber sit a restituendo, qui restituere non potest, nisi per bona superioris ordinis.

Not. triplex distinguitur bonorum naturalium ordo: supremus, medius, & infimus. In supremo ordine sunt vita, membra, virginitas, libertas; in ordine medio honor, & *bonum nomen*, quod *melius est*, *quam divitiæ multæ*; in infimo bona fortunæ.

R. I. debitor non tenetur restituere cum dispendio bonorum ordinis superioris, si hæc juxta prudentum æstimationem longe superent damnum, quod patietur creditor: si vero bona inferioris ordinis talia sint, & in tanta quantitate, ut prudenter judicentur æquivalere bonis ordinis superioris, tunc facienda est restitutio inferiorum per bona superiora.

Prob. 1. pars, quia dominus rei nec est, nec esse potest rationabiliter invitus, quod quis ei hoc in casu non restituat bona ordinis inferioris. Alioqui enim violaret istud Christi præceptum Matth. 7. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Jam vero qui aliquid velle non potest nisi charitatem violando, eo ipso non est rationabiliter invitus, quod istud non fiat.

Confirm. quia nemo credit hominem teneri, vel vitam manifesto periculo objicere, vel se ipsum vendere, ut debita sua solvat, aut restituat famam æqualibus suis: nemo etiam docet mulierem adulteram teneri crimen revelare, ne in bonorum divisione damnificentur filii legitimi, cum quibus dividet spurius; imo contrarium traditur c. 9. *De pœnit. &c.*

Prob. 2. pars: etsi enim fama sit ex genere suo majus bonum, quam divitiæ: si quis tamen, vilis præsertim homo, rapuisset magnam alienæ pecuniæ quantitatem, quæ non nisi cum dispendio famæ ipsius restitui posset, certum est, pecuniæ hujus restitutionem faciendam esse cum periculo famæ raptoris, modo nihil vitæ ipsius timendum esset. Idem est si ad restituendum necessarius sit labor, qui morbi alicujus facile sanabilis periculum inducat.

R. II. certius videri eum, qui alium læsit in bonis ordinis supremi, teneri restituere per bona ordinis infimi, cum aliter non potest. Ita Sanctus Thomas.

Prob. I. quia alioqui pejor esset conditio hominis, qui læsus est in bonis ordinis supremi, quam illius, qui in bonis inferioribus læsus fuit: prior enim plus passus esset damni, & nullatenus compensaretur; posteriori, etsi minus passo, ad æqualitatem restitueretur.

Prob. II. quia etsi bona ordinis supremi sub civile commercium non cadant, certum tamen est juxta communem hominum æstimationem: I. quod defectus formæ per divitias compensetur. II. quod ipsa libertas, quæ supremi ordinis bonum est pro pecunia vendatur. III. demum quod licet vita, & membra nunquam satis compensari possint, vitæ tamen, & membrorum damnum compensari utcunque possit. Porro justitiæ est non modo reddere justum quatenus est æquivalens, sed etiam prout est possibile; ergo bona ordinis supremi per bona generis infimi, ad arbitrium viri prudentis, compensanda sunt, seu dando pecuniam homini, quem membro truncaveris; seu, si ipsum occideris, procurando ipsi preces, nisi certum sit cum mortuum esse in statu, in quo Ecclesiæ suffragiis juvari non possit, & efficiendo, ut hæredes ejus nihil damni ex morte ejus percipiant.

Quæres V. an qui debiti immemor creditori gratis donat quantum ei debet, liber sit a restituendo.

R. negat. quia qui gratis donat, non exercet actum justitiæ, sed liberalitatis; ergo semper remanet debitor: unde & creditor debitum repetere potest, nisi ex manifestis conjecturis colligat debitorem habere voluisse pro soluto si quid deberet; & hoc intendere debent, qui in juventute fructus ignotis dominis subripuerunt; cum enim maturiores facti, egenis stipem erogant, generalem debita olim contracta resarciendi animum gerere debent.

Dices: Si debitor debiti sui meminisset, gratis non donasset; ergo. R. Neg. conseq. aliud enim est *fecissem*, aliud *feci*, præsertim in pactis, in quibus non attenditur voluntas conditionalis, sed solum actualis, quæ sola operatur.

Quæres VI. an inopia, necessitas, aut impotentia sint justa restitutionis differendæ ratio.

R. affirmat. I. quia ad impossibile nemo tenetur. II. quia generale est principium, id omne, quod facit, ut dominus, vel creditor non sit circa dilationem rationabiliter invitus, legitimam esse differendæ restitutionis causam.

Quæres VII. quænam necessitas efficiat, ut homo restitutionem differre possit.

Not. triplex est necessitas: extrema, gravis, & communis. Necessitas *extrema* est status, in quo persona usque adeo indigens est, ut nisi ei opem tuleris, periclitetur de vita; addunt aliqui vel de bono summi momenti, qualis est libertas. Necessitas *gravis* est cum persona vel tam ægre vitam ducit, ut vix eam sustentet; vel obnoxia est periculo incurrendi morbi, magnive incommodi morte minoris. Necessitas *communis* est cum persona propter inopiam difficulter victitat. Hæ definitiones ad necessitatem spiritualem transferri facile possunt. His præmissis,

R. I. Extrema necessitas tam corporea, quam spiritualis, sive nostra, sive proximi, causa est restitutionis differendæ. Ratio est, quia ex vulgari axiomate, in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Hinc si restituere nequeas, nisi adigendo filias tuas in periculum pro-

prostitutionis, aut filium in periculum latrocinii, potes, & debes restitutionem differre; graviterque peccaret creditor, nisi huicce dilationi consentiret.

R. II. Gravis necessitas, & impotentia moralis, sive debitoris, sive eorum, quos alere tenetur, est etiam sufficiens restitutionis differendæ ratio. Ratio est, quia in gravi debitoris necessitate præsumi potest dominum esse rationabiliter contentum, quod hic & nunc restitutio sibi non fiat: cum in tali casu teneatur unusquisque proximo opitulari, vel donando, vel mutuum dando.

Hinc non tenentur ad restituendum hic & nunc: I. qui ut restituerent, deberent vendere domum, vel prædium multo minoris quam valet. II. qui si damnum falso, quod condiderunt, instrumento illatum statim repararent, subirent magnæ infamiæ periculum. III. qui necessario exciderent e statu, quem juste comparaverunt. Secus si rapinis, fraudibus, usuris eo pervenissent: quia hoc non est statum suum amittere, sed dimittere alienum, & ad proprium reverti.

Etsi porro non est necessarium hic & nunc restituere, cum alioqui excidendum est a legitimo statu, æquum tamen est, ut vir ære alieno gravatus sibi de splendore, & decentia detrahat quidquid ad status conservationem absolute necessarium non est.

R. III. Etsi homo in gravi necessitate constitutus possit quoad tempus rem alienam retinere, haud tamen eam subripere potest: est enim hoc furtis portam aperire, cum unusquisque facile sibi persuadeat se gravi necessitate constringi.

Quæres VIII. an necessitas debitoris a restituendo excuset, si creditor in pari necessitate versetur.

R. I. si gravis sit debitoris, & creditoris necessitas, restituendum esse: I. quia sola extrema necessitas omnia facit communia. II. quia dominus est rationabiliter invitus, quod res sua ab alio detineatur in præsenti casu; & id adhuc evidentius est, ubi debitum ex delicto contractum est, cum ratio dictet innocenti potius, quam reo cavendum esse: quapropter si ob solutionis dilationem creditor a legitimo suo statu excidere debeat, restituere debet sine mora, etiamsi futurum sit, ut restituendo a tuo statu ipse excidas.

R. II. Si debitor, & creditor in extrema necessitate ambo constituti sint, videndum est, an creditor in hanc necessitatem conjectus fuerit ex furto rei suæ, an non ex alia causa.

Si 1. debitor tenetur ad restitutionem: I. quia in pari causa melior est conditio domini innocentis: II. quia fraus, & crimen reo patrocinarentur, si circa rem, quam furto acquisiit, legitimo hujusce rei domino anteponeretur.

Nec dicas I. in extrema necessitate omnia esse communia. II. teneri quemlibet magis ad propriæ vitæ, quam ad alienæ conservationem. III. meliorem esse conditionem possidentis.

Hæc enim vera sunt: I. cum necessitas legitimi domini non concurrit cum necessitate alterius. II. cum homo vitam suam conservare potest, absque eo quod alteri injuriam faciat. III. demum, cum dubius est, aut ignotus dominus, melior esse potest conditio possidentis; non autem cum constat de domino: jus enim domini prævalere debet iniquæ possessioni, potissimum vero in casu extremæ necessitatis.

Quod si creditor in extremam necessitatem conjectus non fuerit ex subtractione rei, quæ sibi debetur, censeo debitorem in extrema constitutum necessitate non teneri ad restituendum hic & nunc ob rationes in Objectione præcedenti allatas, quæ saltem valent cum agitur de eo, qui non est nisi causa innocens, cur alter in pari extremæ necessitatis casu constitutus sit.

Quæres IX. an privatio magni lucri, quod faceret debitor restitutionem differendo, sit sufficiens illius differendæ ratio. R. negat. quia æquum non est, ut creditor suis privetur rebus, ut alter ex iis lucrum faciat. Excipe, si debitor lucrum quærat, ut aliis satisfaciat creditoribus, quibus alioqui satisfacere non posset: tunc enim tenetur creditor ex charitate dilationem concedere, si commode possit.

Quæres X. an restituendum sit transacta necessitate, propter quam dilata fuit restitutio. R. affirmat. quia rationabiliter exigit dominus, ut res sua sibi tunc restituatur, nec intendit dominium ejus transferre in debitorem. Possent quidem homines consentire, ut quoties aliquis in extrema necessitate constitutus foret, is rem alienam absque restituendi onere, tanquam pauper in perpetuum retineret; sed in id de facto consensisse non videntur.

Quæres XI. an qui differt solvere, vel restituere id, quod debet, teneatur creditori compensare lucrum cessans, & damnum emergens.

R. I. teneri, quando debitum est ex delicto. Ratio est, quia alioqui debitor non restitueret creditorem in statum, a quo eum inique deturbavit. Et hoc verum est, etiamsi debitor sit solvendo impar, quo tempore lucrum domino cessat, aut damnum emergit: quia dum voluntarie eorum causam posuit, eorum quoque periculum subire debuit.

R. II. teneri adhuc, quando licet fuerit debitor ex contractu, fuit tamen culpabiliter in mora solvendi: quia etsi tunc ab initio non fuit debitor ex delicto, fuit tamen deinceps quasi debitor ex delicto, quatenus non restituit cum potuit, & debuit. Aliter dicendum videtur, cum quis fuit in mora, sed inculpabiliter: quia ubi mora culpabilis non est, ibi nulla est, aut esse potest damni causa injusta. Hinc ex Reg. 41. Juris in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*

## CAPUT QUARTUM.

*De Restitutione in particulari.*

Bona, in quibus aliquis injuriam pati, & restitutionem exigere potest, vel sunt bona spiritualia; vel bona corporis; vel bona honoris, & famæ; vel demum fortunæ bona. De his seorsim disputandum.

## ARTICULUS PRIMUS.

*De injuria in bonis spiritualibus, eorumque Restitutione.*

Per bona spiritualia ea præcipue hic intelliguntur, quæ immediate conducunt ad salutem, ut gratia: aut mediate, ut status Religionis. Imo hac occasione quæritur, an restituenda sint ea, quæ quis accepit sive ad faciendum bonum, ad quod jam tenebatur, sive ad abstinendum a malo, seu denique ob factum, vel faciendum actum turpem. Et hanc methodum sequemur.

### SECTIO PRIMA.

*De Restitutione ob damnum illatum in bonis ad salutem pertinentibus.*

Videndum hic an ad restituendum teneatur, qui nocuit alteri in bonis spiritualibus pertinentibus ad gratiam, seu ipsum ab operibus piis retrahendo, seu ad peccandum impellendo.

Certum est eos, qui aliis sunt petra scandali, ad restituendum teneri, eo sensu, quod precibus suis efficere debeant, ut iis, quibus scandalo fuere, Deo reconcilientur. Si enim justis dicendum sit cum Propheta: *Ab alienis parce servo tuo*; necesse est a fortiori, ut id dicant, qui alios de industria impulerunt in peccatum. Quæritur, an non ad aliquid aliud immediatius erga proximum teneantur, & quidem ex justitia. Sit

CONCLUSIO I. Qui vi, metu, vel fraude alios ad peccatum inducit, aut a bono retraxit, tenetur ex justitia ad damni hujus reparationem.

Prob. I. Qui alium bono spirituali privat per vim, aut fraudem, eidem injuriam facit, cum vis, & dolus annexam habeant injuriam: sed injuria omnis ex justitia reparari debet; argo.

Prob. II. Magis certa ad restitutionem tenetur, qui vi, &c. hominem induxit, ut sibi noceret in bonis animæ, quam qui eum vi, vel metu induxit, ut sibi noceret in bonis fortunæ: atqui iste ex omnium confesso tenetur ad restituendum; quia, ut statim dixi, vis, & fraus important injuriam, utpote quæ lædant plenam hominis libertatem, in quam unusquisque jus strictum habet; ergo.

Dices: Volenti non fit injuria: sed qui vi, aut metu fartur in peccatum, volens peccat; ergo.

R. dist. volenti plene, & libere non fit injuria, C. volenti, qui non vult, nisi quia decipitur, aut quasi cogitur, N. Porro actio illius, qui vult ex vi aut metu, etsi satis voluntaria sit, ut ille peccet, habet tamen aliquid involuntarii, ratione fraudis.

Hinc colliges: I. eum, qui incusso metu proximum in hæresi, schismate, vel errore detinet, teneri, amotis vi, & metu, eumdem pristinæ libertati restituere.

II. Hæreticum, qui alios decepit, teneri saltem detegere, seu confitendo se hæresim docuisse, seu veritatem, quam ante palam impugnavit, palam in scriptis, vel concionibus prædicando. Idem dicendum de iis, qui bona fide aliquid docuerunt, quod postea ab Ecclesia reprobatur: prout fecit, applaudente tota Christi Ecclesia, illustriss. da Salignac de la Motte-Fenelon, qui Brevi Innocentii XII. contra Librum, cui titulus *Maximes des Saints*, non solum consensit absque ulla dilatione, sed eumdem Librum suum solemni Mandato proscripsit, ubi in hæc erumpit verba: *A Dieu ne plaise qu' il soit jamais parlé de Nous, si ce n' est pour se souvenir qu' un Pasteur a cru devoir être plus docile que la derniere brebis de son troupeau, & qu' il n' a mis aucune borne a son obeissance.*

CONCLUSIO II. Qui sine vi, metu, & dolo fuit altari peccandi auctor, sub aliquo respectu ad restituendum obligatur; sub aliquo non.

Prob. in peccato prodigalitatis v. g., ad quod amicum sine dolo impuli, triplex est respectus; alter ad temporale amici bonum, cujus, me auctore, jacturam fecit; alter ad animæ ipsius sanctitatem, a qua excidit peccando; alter denique ad Deum, quem offendit: atqui horumce respectuum primus non inducit restituendi obligationem; quia potuit prodigus cedere jure suo, eoque reipsa volens, & minime deceptus cessit, ut supponimus. Ad restituendi obligationem inducere videntur respectus duo posteriores. Ideo enim non inducerent, quia peccans, utpote sciens, & libere consentiens jure suo cedit: atqui probatio hæc propius inspecta undequaque vacillat.

I. enim, etsi qui peccando animæ suæ nocet, libere operetur, nusquam tamen satis spiritualis, quam patitur, ruinæ gravitatem capit; ergo se ipsum misere decipit, eique ego ad malum inducens, deceptioni cooperor; ergo & hoc sensu dolose ago. Præterea in his, quæ ad salutem animæ spectant, non potest quis jure suo cedere; sicut nec potest cedere jure in vitam corporis sui; quia reipsa nullum habet jus in vitam suam; ergo sicut iniquus est, qui alium consentientem, imo & anixa rugantem interimit: ita & qui ad malum sollicitando, spiritualiter necat.

II. Evidentius adhuc constat, hominem, qui volens peccat, strictam Deo injustitiam inferre, quæ nulla juris humani cessione dilui potest, quæque tum a peccatore, tum a peccati suasore resarcienda venit; ergo omni, qua potetit via, lachrymis, precibus, jejuniis, eum ad meliorem frugem, tum ex chari-

charitate, ut nemo diffitetor, tum ex quadam justitia revocare tenetur: hæc autem obligatio potiorem habet locum in Superioribus, quales sunt pater respectu filii, dominus respectu famuli, &c. hic enim ex officio, specialique justitiæ, suorum saluti invigilare tenentur. Materiem hanc fusius non prosequer, quia quisquis id, quod ex charitate debet, in præsenti negotio præstabit, vix quidquam eorum omittet, ad quæ eum ex justitia obligari credo.

Quæres I. an restitutioni obnoxius sit, qui alium avocat a statu Religionis.

Certum est: I. eum bonum opus operari, qui legitimis de causis aliquem a Religionis proposito dimovet: ut I. si eum videat Religioni ineptum. II. si in Religione, quam vult ingredi, non vigeat regularis disciplina, sed e contra amor sæculi, spiritus schismatis, & erroris. III. si postulantis parentes egeant. IV. si is, qui religiosam vitam amplecti cupit, longe plus in sæculo boni operetur, quam in secessu operari possit. V. neque etiam peccat, qui alteri repræsentat vitæ communis onera, & gravem, licet aliquando feram, quæ male vocatos manet, pœnitentiam.

Certum est II. eum, qui alium a Religione retraxit, non debere vel ingredi Religionem, vel alium illius, quem ab ea induxit, loco substituere. Quia ii tantum ad Religionem admitti debent, quos Deus ad eam vocare dignatur: ex eo autem, quod quis alium evocaverit a Religione, absit ut statim existimetur ad eam vocatus fuisse. Jam

R. eum, qui vi, vel dolo candidatum, aut Novitium a Religione retraxit, teneri ad restituendum damnum inde proveniens tum candidato, tum Religioni; si vero eum non nisi precibus, consilio, & suasione retraxerit, ad nihil teneri respectu Religionis.

Prob. 1. pars: quia in casu præsenti infertur damnosa, & gravis injuria: I. ei, qui Religionem ingredi proposuerat: quia ubi vis est, aut fraus, ibi est injuria; unde debet is libertati suæ restitui, eique fraus est detegenda. Quin & efficiendum est, ut vel ad priorem statum revertatur, si possit; vel ut de præstito malis suasionibus consensu coram Deo ingemiscat. II. infertur etiam injuria Religioni, quæ jus habet, ne quis per vim, & fraudem ab ea divertatur, aut extrahatur cum ipsius præjudicio: unde si spes erat futurum, ut Communitas utilitatem temporaneam consequeretur a candidato, illa Monasterio refundi debet, attendendo tamen varias, quæ hic occurrunt, circumstantias, an v. g. Novitius professioni proximus esset; an non præ naturali inconstantia sponte sua recessurus videretur, &c.

Prob. 2. pars ratione opposita. Qui enim sine dolo, sed precibus aut consilio doli experte, a Religione quempiam avocat, Religioni injuriam non facit; quia quidquid ea boni sperare potest a Novitio, ab ejus voluntate pendet.

Et certe, si quis volenti eleemosynam Monasterio diviti erogare suadeat, ut eam potius alteri Monasterio, aut pauperibus eroget, nulli est restitutioni obnoxius, quia reipsa Monasterium ante donationem consumatam, & acceptatam jus strictum in eam non habet; ergo a pari in præsenti casu. Et hoc etiam verum est, si candidatus voto simplici se Religioni devovisset, quia Religio jus strictum non acquirit, nisi per vota solemnia.

Quæres II. quid dicendum de eo, qui professum abduxit a Religione.

R. I. eum, qui vi, vel fraude professum a Religione extraxit, debere restituere tum Religioni, tum professo, quia utrique injuriam fecit. Quapropter Religioni refundere debet omnia emolumenta, quæ Religiosus docendo, concionando, scribendo, domus negotia curando, erat ipsi procuraturus, deductis tamen expensis. Debet etiam restituere professo, tum reparando damna, quæ patitur; tum eumdem restituendo plenæ suæ libertati; tum omnimode efficiendo, ut ad priorem statum revertatur.

R. II. Si quis sine vi, & fraude professum avocaverit, censent pene omnes, illum ad nullam respectu professi restitutionem teneri, quia nulla ipsi utpote volenti inferri potuit injuria. Quoniam vero stabile est istud fundamentum, ut supra ostendimus, ad minus addendum est, seductorem hominis professi omni, qua poterit, via niti debere, ut quem ab aratro abduxit, ad aratrum reducet.

Difficultes præcipue est, an in hoc casu restituendum sit Religioni. Affirment Molina, & Vasquez, & probabilius; quia qui violat jus strictum alterius, ad faciendem ei restitutionem tenetur: sed qui etiam sine vi, & fraude professum abducit, violat jus strictum Religionis. Religio enim ratione professionis, quæ est contractus ultro citroque obligens, jus habet retinendi subditos suos tanquam membra; & ratione hujus juris, habet jus aliud in eorum laborem, qui sive stricte ab iis debitus sit, sive non, ab iis tamen certo ponendus est. Et vero si quis Religiosum hunc interficeret, teneretur ad compensationem damni, quod ex ipsius morte pateretur Religio; non secus ac injustus artificis occisor tenetur ejusdem artificis hæredibus compensare lucrum, quod ipsis ex occisi morte cessat, licet ille ad lucrum hoc faciendum ex justitia non teneretur; ergo cum non minus noceat Religioni, qui ab ea Religiosum abducit, quem qui eum occidit, cum in utroque casu Religio subdito suo privetur, consequens est, quod in utroque casu damnificator ad restituendum teneatur.

## SECTIO SECUNDA.

*De Restitutione facienda ab eo, qui propter actum debitum, vel turpem aliquid accepit.*

OPus in gratiam proximi præstandum, vel eidem debitum est ex justitia, vel ex charitate, aut alia virtute; & opus istud vel sine sumtu, aliove incommodo temporali præstari potest, ut si ad obtinendam alicui gratiam sufficiat, ut eam petas; vel non nisi difficile, cum sumtu, aut periculose præstari valet, ut si præbenda sint egeno medicamenta, si in aquam te conjicere debeas, ut hominem torrente

rente abreptum salves. De his omnibus breviter dicendum. Sit.

CONCLUSIO I. Quæ quis aceepit, ut faciat, vel omittat id, ad quod faciendum, vel omittendum tenebatur ex justitia, restitui ab eo debent.

Prob. qoia qui vendit id, quod suum non est, tenetur ad restitutionem: sed qui pretium accipit pro eo, quod alteri debet ex justitia, vendit id, quod suum non est. Quod enim Petro debeo non meum est, sed est potius res Petri; ergo. Atque hinc ad restituendum tenetur, qui ut rem inventam reddant, pretium exigunt; item Judices, Notarii, Ministri Principum, qui pro obeundis muneribus suis plus accipiunt, quam sibi legibus permissum sit.

Hæc nostra Conclusio vera est, etiamsi non accipias pretium ab eo, pro quo rem facere debes, sed ab ab alio tertio; puta ab ejus amico. Ratio est, quia nullum habes titulum, vi cujus accipias id, quod tibi datur sive a me, sive ab alio, ut v. g. reddas mihi depositum meum, vel commodatum, vel rem meam, quam invenisti, aut quam aliunde mihi debes; ergo.

Haud tamen ad restituendum teneretur ille, cui offertetur munus aliquod sponte, & per modum donationis omnino gratuitæ (etiamsi, ajunt quidam, munus eo intuitu datum esset, ut quis promtibri, & alacriori animo id faceret, ad quod aliunde tenetur), nisi leges donationem hanc reprobarent; quia licet unicuique per leges non impedito rem gratis sibi oblatam recipere.

(✠) Alexander VII. hanc damnavit thesim, & est propositio inter damnatas 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Sane inquit S. Thomas in opere de regimine Principis lib. 4. cap. 4. *Sicut enim injustus esset, qui cappam meam mihi vendere vellet, injustus est, qui justitiam, quam debet gratis ex officio facere, non vult facere nisi accepto munere.*

Non solum Judex, aliique justitiæ Ministri, qui munera accipiunt ab iis, quibus aliquid ex justitia facere, aut omittere tenentur, restitutioni sunt obnoxii: verum & illi omnes, qui aliquod donum a lege prohibente reprobatum accipiunt. Hæc diserte docet S. Augustinus ep. 54. ad Macedonium. *Sed non ideo debet*, inquit, *vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit Advocatus justum patrocinium, & Jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examina adhibentur, & isti ex una parte consistunt. Cum autem judicia, & testimonia, quæ nec justa, nec vera vendenda, iniqua, & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur: quia scelerate etiam, quamvis a volentibus, datur. Qui vero pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse .... Verumtamen si justitia sincerius consulatur, justius dicitur Advocato: Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati assuisti, judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* (✠)

CONCLUSIO II. Quæ quis accepit ad faciendum opus proximo debitum ex charitate, sunt restituenda, si opus illud sine labore, sumtu, & periculo fieri possit.

Prob. tum quia tale opus ex communi hominum judicio non est pretio æstimabile; tum quia quod datur in hoc casu, non datur voluntarie, sed coacte, & quia vereor, ne, si nihil dedero, id non facias, quod ex charitate mihi debes: unde si quid receperis, ut indicares mihi furem, qui res meas subripuit, vel locum, in quo eas deposuit, debes id mihi restituere: idem est si quid exigas, ut in gratiam mei apud Magnatem, quo familiariter uteris, verba facias.

Obj. I. Obligatio restituendi oritur solum ex violatione justitiæ: sed qui accipit aliquid propter opus ex sola charitate debitum, non violat justitiam, sed charitatem tantum, ex hypothesi; ergo

R. neg. min. ille enim violat justitiam, qui pro opere, quod ex communi hominum judicio non est pretio æstimabile, recipit aliquid reipsa sibi indebitum: atqoi homo ille recipit. aliquid reipsa sibi non debitum pro opere, quod eum sine ullo sumtu, vel labore fiat, non est pretio æstimabile; ergo.

Obj. II. Ubi valida est promissio, ibi licita est acceptatio: atqui tunc valida est promissio, ut dicam in Tract. de Contract.

R. neg. maj. si enim furi, ne mortem mihi inferat, promisi cum juramento aureos decem, stat promissio: nec tamen potest fur summam hanc acceptare.

Quod si opus ex charitate debitum non possit sine aliquo sumtu, & labore fieri, censeo cum viris gravibus eum, qui pretium recepit, dummodo moderatum, non teneri ad restitutionem; quia cum posuerit opus pretio æstimabile, ad quod neque ex officio, neque ex contractu tenebatur, non peccavit contra justitiam, sed solum contra charitatem, unde ex charitate sola tenebitur ad restituendum. Hæc autem obligatio non eodem orget modo, ac ea, quæ ex justitia rigorosa nascitur: unde aliquando expungenda esset ex Confessarii præscripto per eleemosynam restitutioni æquivalentem, puta cum melius reparari non posset charitas læsa; aliquando consuetis pœnitentiæ operibus delenda foret, ut si mortuus sit, aut ad pinguiorem fortunam reversus is, quo cum durius egisti: ubi & id notandum, quod cui debes ex charitate, ille ut plurimum debeat tibi ex gratitudine.

CONCLUSIO III. Qui recipit aliquid pro actione, vel omissione, quæ solum cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei, potest illud retinere,

Prob. quia qui aliquid recipit in præsenti casu, prudenter judicare potest illud sibi gratis, & omnino liberaliter donatum esse. Nemo enim ab alio emit actiones, aut omissiones liberas, ei soli utiles, vel Deo honorificas; qui ergo pro ipsis aliquid donat, merito censetur illud liberaliter dare, sive ad honorem Dei, sive ad proximi salutem. Unde qui ab alio aliquid recipit, ut fiat Christianus, ut in Paschate peccata deponat, illud retinere potest. Idem dic, si Judex pecuniam recipiat, ut recte judicet, ita ut non intendatur jus tertii, sed sola Judicis salus.

Quæres, an accepta ob turpem causam restitui debeant,

Not. I. Per turpem causam intelligitur omnis actio pec-

pecccaminosa, ut homicidium, testimonium mendax, & præcipue opus meretricium.

Not. II. Meretrix duplex: alia publica, quæ majoris mali vitandi gratia toleratur, ut in Italia; alia privata, quæ deprehensa punitur.

Not. III. Fatentur omnes ea, quæ accepta sunt pro opere illicito nondum perpetrato, esse restituenda: quia non potest impleri conditio, sub qua pretium promissum est; idque locum habet, etiamsi mali operis promissio juramento fuisset confirmata, quia *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, ex Reg. 50. Juris in 6.

Tota igitur difficultas est, an qui aliquid accepit pro crimine jam perpetrato, v. g. meretrix pro sui prostitutione, ad illud restituendum teneatur. Duplex est in hoc puncto Theologorum etiam saniorum opinio. Alii censent meretricem posse ut sibi debitum retinere illud, quod ex crimine percepit. Hæc opinio

Prob. I. ex L. 44. ff. *De conditione ob turpem causam*, ubi sic: *Quod meretrici datur, repeti non potest.... quia licet turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix*.

Prob. II. ex S. Thoma (2. 2. q. 32. a. 7.) qui sic loquitur: *Quod mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem; unde, quod sic illicite acquisitum est, retineri potest*: Et vero cui restitueret? an pauperibus? sed quo jure? an ei qui dedit? sed quare melior erit peccatoris conditio, quam peccatricis?

Prob. III. ratione. Si enim valeat promissio meretrici facta, patrato opere ex parte meretricis, haud dubie meretrix id, quod recepit, servare potest: atqui hæc promissio licet illicita, utpote quæ tendat ad crimen, valet tamen crimine impleto; *multa* enim *facta tenent, quæ facienda prohibentur*. Imo etsi non valeret promissio, valeret tamen datio, ut quæ nec naturali, nec positiva lege irritetur; solumque pendeat a voluntate domini, qui re sua pro nutu abuti potest.

Secunda opinio, quæ docet meretricem teneri ad restituendum id, quod ex crimine suo lucrata est, solumque id servare posse, quod ad vitæ sustentationem absolute necessarium fuerit.

Prob. I. quia opus peccati nihil meretur nisi pœnam æternam; ergo pro eo nihil pretii percipi potest.

Prob. II. Si actio meretricis aliquid mereatur pretii, vel prout spectatur in genere moris, seu ut est peccaminosa; vel prout spectatur in genere entis, seu quatenus utilis est, aut jucunda uni, alii vero damnosa, aut periculosa: atqui neutrum dici potest. Non 1. & in hoc conveniunt omnes: non 2. I. quia si res quæpiam, quia est ens, vendi potest, Sacramenta, quæ entia sunt, & quidem nobilissima, vendi poterunt. II. quia ut utilis vendi non potest actio, quæ virtutem præcipuum animæ bonum interimit. III. quia, si actio turpis vendi possit ut entitas alicui jucunda, parricidia, adulteria, sortilegia vendi poterunt, non quidem ut offensiva Dei, sed ut perpetranti periculosa, ei vero, pro quo perpetrantur, utilia, & amœna. Hæc autem quis ferat?

Prob. III. Cum res una alteri, quæ invendibilis est, necessario, & inseparabiliter cohæret, tunc neutra vendi potest, ut patet in labore ad administranda sacramenta requisito: atqui voluptas actionis malæ necessario, & inseparabiliter eidem cohæret; ergo neutra vendi potest, vel emi; ergo etsi homo rem suam pro nutu dare posse dicatur, haud tamen efficaciter eam dare potest, quandiu eam in solum criminis pretium dare volet.

Nec nocent, inquiunt, alterius opinionis momenta: unde respondent ad 1. vel hanc legem procedere in foro tantum exteriori, non in foro conscientiæ; vel meretricem aliquid retinere posse, non vi contractus, quasi aliquem inire valide possit, sed ex concessione Reipublicæ, quæ rei donatæ dominum in meretricem transfert, tum in mulctam fornicatoris, tum ut majora impediantur mala, quæ ex meretricii ablatione consequerentur. Unde sequitur: I. meretrices, quæ a Republica non tolerantur, & in quas ea proinde nihil dominii transfert, nihil ob crimen retinere posse, nisi quod necessarium est, ut victitent. II. puellas, quæ sub matrimonii promissione defloratæ sunt, ducendas esse in matrimonium, nisi quid obstet, quia id unanimi legum consensu stabilitum est.

Ad 2. fatentur cum S. Thoma, mulierem id retinere posse, quod sibi gratuito, & per modum eleemosynæ ad necessariam sustentationem donatur, si præcipue illud ipsi etiam legibus adjudicetur, ut statim dictum est: verum si meretrix *superflue ad fraudem, vel dolum extorsisset ab aliquo, teneretur eidem restituere*, ut ait S. Doctor 2. 2. q. 63. art. 5. ad 2. Addi posset S. Thomam eo tempore, vel eo in loco scripsisse, quo meretrices tolerabantur.

Ad 3. negant valere promissionem de dando meretrici pretio. Promissio enim, quæ nullius est momenti, quæ nullam habet vim, quæ pro infecta haberi debet, quæ servari non potest, hæc, inquam, promissio non valet: atqui talis est promissio de re ex turpi, juxta Leges civiles, & canonicas, quas fuse refert Comitolus (*pag.* 335.) *Pactum turpe*, ait Gregorius IX., *vel rei turpis, aut impossibilis, de jure, vel de facto nullam inducit obligationem*. Idem habetur Jure civili (*Leg. final.* De pactis) *Stipulatio interposita de iis, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omnino rescindenda*.

Confirm. Promissio hæc ante mali operis, assassinatus v. g., aut concubitus executionem, nulla erat, & invalida; quia alioqui foret vinculum iniquitatis; ergo non convalescit ex post facto: cum ex regula 18. Juris in 6. non firmetur tractu temporis, id quod ab initio non valuit.

Extra rem est, quod objiciunt aliqui de homine, qui die festa vestem, aut calceos confecit: is enim pretium retinere potest, quia vestis, & calcei pretio æstimabiles sunt per se, & qui exigit, ut hæc fiant, non temporis circumstantiam exigit, sed substantiam rei. Quod si quis diei festæ circumstantiam in pactum deducere vellet, pactum ex hac parte irritum fo-

foret, ut pote de re male.

Equidem non omnis promissio illicita simul est invalida; valet enim promissio a prodigo facta, licet illicite: at invalide est omnis promissio de re totaliter turpi, quia in re turpi nihil est, quod alio possit, quam gehennæ pretio, commutari.

Ex his colligit auctor Collat. Paris. eas meretrices, quæ non tolerantur, sed potius ejiciuntur ex urbibus, aut cerceri traduntur, ut in Gallia, teneri ad restituendum id, quod accepere, nisi eo ad tolerandem vitam ebsolute indigeant. Retio est, quia nullum habent titulum, quo bone sic eccepta retinere possint. Neque enim hoc possunt vel ratione criminis, quod pretio dignum non est, vel ratione legis, cum per ipsam non tolerentur.

Adduxi præcipua, quæ invenire potui, utriusque opinionis momenta. Fateor me in secundam propendere, licet eos, qui meretrices ad exactam restitutionem edigere nolunt, condemnare non ausim, quia id nulla satis evidenti Regni lege constitutum est.

Sed duo hic addenda credo: I. quidem eas multo melius sibi consulere peccatrices feminas, quæ ut peccate sua redimant, iniquitatis suæ fructum in eleemosynas, retento brevi necessario, insumunt. Idem & indubie magis dicendum de iis, qui ex homicidio, aliisve criminibus lucrum fecere. Ii vero videntur teneri ed restituendum ei, qui pretium dedit, nisi lex contrarium decernat; quia donetor rei quidem suæ renuntiavit, sed de facto, non autem de jure, cum per actum omnino nullum renuntievetit. Et vero nemo hactenus Judam redarguit, quod argenteos triginte, *pretium appretiati*, retulerit ed Sacerdotes.

II. Si meretrix a pecceto resipiscens ad hoc pietetis opus se sponte sue non determinet, hanc ei pro pœnitentia imponendam esse obligationem a Confessario: tum quie peccatum ejus hanc meretur pœnam, tum ne ex peccato lucrum reportet, sicque, vel ed crimen allicietur, vel ad illud, utpote boni sui originem, affectum conservet. Atque hinc colliges, ea etiam, quæ quis occasione criminis gratuito & absque prævia stipulatione recepit, vix unquam sine periculo serveri posse.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*De restitutione ob injuriam in bonis corporeis.*

TRiplici ex capite lædi possunt corporis bone: I. per homicidium. II. per mutilationem, & alia ejuidem generis. III. per stuprum, adulterium, & similia. De his seorsim dicendum.

### SECTIO PRIMA.

*De restitutione propter homicidium & mutilationem.*

NOt. I. Qui alium occidit, aut mutilet, demnum duplex eidem infert: unum neturale, quod in vitæ, aut membrorum privetione consistit; aliud temporale, cujus præcipuæ partes sunt: I. impensæ factæ in curatione ægri. II. lucrum ex morte hominis cessans. III. demna, quæ patiuntur hæredes, iive, quibus boni aliquid præstabet, eut debebat defunctus.

Not. II. eum, qui præter intentionem, eut prorsus inculpete, v. g. ob necessariam sui defensionem alium occidit, non teneri ad restituendum, quia non peccat contre justitiem: sed videndum, an non excesserit inculpatæ tutelæ moderemen; alioqui enim pro ratione excessus restituendum esset. Docent autem Nevarrus, & alii plures, eum, cujus excessus mortale peccetum est, semper teneri ad damni totius restitutionem.

Ex quo obiter colliges eos, qui in duello alium occidunt, teneri ad restitutionem, non solum quando alius alium quesi invitum ad certemen attraxit, sed etiam eum ambo æque libere in erenam descenderunt: I. quia occisor vera est, & injusta cause demnorum omnium, quæ patiuntur uxor, filii, & creditores occisi: ergo iis omnibus restituere tenetur: II. quie nullus eorum jure suo cessit, neque occisus eidem juri pro ipsis renuntiare potuit. Ut aliæ præcipuæ difficultates solvantur,

Quæres I. an immunis sit e restituendo, qui potuit, & debuit fugere, & non fugit. R. eum, qui fugere potuit, & debuit, ut Clericus, Religiosus, imo omnes, eut pene omnes Laici, teneri ed restitutionem. Ratio est, quia qui non fugit, cum posset, est injustus occisor. Cum quisquis sine necessitate alium occidit, injustus sit occisor. Porro injustus occisor tenetur ad restituendum.

Quæres II. an injustus occisor teneatur ad restitutionem damnorum realium. R. affirmat. Unusquisque enim tenetur ad resarcienda demna, quæ intulit: atqui, &c. Hinc tenetur occisor ed restituendum hæredibus, etiam opulentis: I. expensas, quæ in occisi curatione factæ sunt. II. cibos, quibus uti propter morbum coactus est, iis tamen deductis, quos alias consumsisset. III. lucrum, quod ex operis preceptutus fuisset: neque deduci potest lebor lucrando adhiberi solitus, tum quia alioqui sæpe nihil esset restituendum, dum lucrum vulgo ex labore pendet: tum quie labor operarios juvat.

Quæres III. an homicida teneetur restiutere iis omnibus, quos sustentabet defunctus. R. Homicida restituere debet iis, quos occisus necesserio alere tenebatur, & alebet ex operis, & quæstu, ut sunt peter, mater, uxor, filii. Non tenetur vero fratri, nepoti, & aliis hæredibus *non necessariis*, quos defunctus excludere potuisset; ii enim jus strictum ad hanc sustentationem non habent, unde eam ab hæredibus exigere non possunt. Si quis temen ea intentione occidisset alium, ut ii, quibus ante benefaciebat, beneficii hujus jacturam facerent, utique ad hujus damni reparationem teneretur.

Dixi, *quos alebat ex operis*: quia si alebat ex bonis, quæ extent, non tenetur occisor eos alere, tametsi de ceteris demnis teneatur.

Sed si fratres, aut nepotes ad inopiam redacti essent, an non iis restituendum foret id, quod ab occiso eccipere consueverant? R. neget. I. quia iis solum restituendum est, quorum jus strictum violatum fuit: atqui hæredes non necessarii jus strictum non

ha-

habent, ut diximus; ergo. II. quia occisor ad nihil amplius tenetur, quam teneantur hæredes, qui in bona defuncti succedunt, cum perinde ad summum se habeat, ac si universa defuncti bona sustulisset: atqui hæredes nihil stricte debent iis, quibus beneficia conferebat occisus; ergo.

Porro hæc decisio non favet homicidæ, sed tantum hæredibus necessariis, quibus occisor restituere debet tum illud, quod ipsis ex justitia debebat occisus, tum illud, quod idem occisus alias gratuito conferebat.

Quæres IV. an occisor satisfacere teneatur occisi creditoribus. R. Cum occisor non debeat hæredibus occisi id, quod dederit ejusdem creditoribus, propositam quæstionem, vel nullius esse momenti, vel ut seria sit, eo debere reduci, an creditori ante hæredem restituendum sit, an hæredi, qui ipse creditori refundat. Postremum hoc nativo rerum ordini magis congruit, præsertim cum creditor ad hæredem recurrere soleat suum ab eo debitum recepturus. Existimo tamen hic æqui, bonique habendam esse rationem: satius enim videretur egeno creditori restituere, quam hæredi ne obolum quidem resti- tuturo: interim caveat debitor, ne bis in idem conveniatur.

Quæres V. an solvi debeant impensæ funeris.

R. negat. nisi ex acceleratione mortis majores impensæ fierent, ut si vir nobilis extra patriam occisus ad prosapiæ suæ sepulcrum transvehendus fuerit; tunc enim pro illo excessu facienda erit restitutio: attamen deduci deberent expensæ, si quas in itinere facturus erat ille, qui occisus est.

Quæres VI. an etiam aliquid restitui debeat pro damno naturali.

R. I. contemtum, qui in omni alterius mutilatione reperitur, compensari debere, sive veniam petendo, si hoc patiatur conditio lædentis, seu doloris signa exhibendo, seu satisfactionem pecuniariam dando, si læsus per eam placari possit.

R. II. probabilius videri occisorem, eumve, qui alium mutilavit, pro vita, aut membro præcisis sumtis, aliquid restituere debere: I. quia damnum omne compensari debet quantum fieri potest. II. quia justum non est, ut quis ab omni prorsus restitutione eximatur, eo quod nimium debeat; de quo supra.

Ex his sequitur: I. eum, qui alapa, vel fustibus alium cædit, quive eum debilitat, aut deformat, ad pecuniariam compensationem teneri. II. æquitati valde consentaneum esse, ut occisor sacrificia, & preces offerat pro occiso; eamque obligationem non pauci strictæ justitiæ esse censent. Unde & fur, qui ablata restituere nequit, ad piam hanc restitutionis speciem obligatur.

Quæres VII. an occisor a restitutione immunis fit, si pœnas luat pro homicidio; aut si occisus testetur moriendo se ei condonare. R. negat. Ratio primæ partis est: I. quod mors in homicidam a Judice decernatur, non ut parti læsæ satisfiat, sed ut vindicetur illata Reipublicæ injuria, aliisque terror afferatur. II. Fur patibulo addictus non definit teneri ad restituenda quæ abstulit; ergo nec occisor.

Ratio secundæ partis est: I. quod condonatio simpliciter facta intelligatur quoad legem charitatis, quæ præcipit, ut diligantur inimici, non autem, ut a restitutione eximantur. II. quod in occisione alicujus duplex interveniat injuria, alia, quæ infertur patri v. g. occiso; & circa hanc, si remittatur a patre, occisor a restituendo liber fiet: alia, quæ infertur filio patris occisi; hæc autem, cum sit ipsum jus filii, non nisi a filio condonari potest.

Quæres VIII. an hæredes occisoris teneantur ad restitutionem in ejus defectum. R. affirmat., idque etiamsi occisor morte punitus fuerit: quia hæredes ut in omnia jura, sic & in onera omnia succedunt. Solent tamen occisi hominis hæredes honestiores pœna talionis contenti esse; e contra hæredes occisi, qui egeni sunt, plus damni, quod passi fuere, quam læsi honoris reparationem quæritare consueverunt.

Quæres IX. an ad restituendum teneatur, qui occidit Caium, quem invincibiliter putabat esse Lucam hostem sibi infensissimum. R. teneri: I. quia reipsa est injustus occisor. II. quia qui ædes alicujus incendere voluit, & alterius succendit, non desinit obligari ad restituendum; ergo a pari.

Quæres X. an etiam ad restituendum teneatur, qui occidit hominem brevi moriturum; aut qui brachium amputavit alicui, qui paulo post non ex vulnere, sed alio aliquo casu mortuus est.

R. ad 1. eum, qui occidit hominem paulo post moriturum ex infirmitate, vel juste a Judice occidendum, non teneri ad restituendum, nisi pro lucris cessantibus, secundum breve illud tempus, quo supervicturus erat: si vero ille ab alio injuste occidendus erat, dico eum teneri ad restitutionem totius. Ratio primæ partis est, quod occisor non fuit tunc causa nisi modici illius damni. Ratio secundæ partis est, quod damnum prout injuste illatum est, totum pendeat a tali occisore, qui non potest obligationem ejus reparandi dividere cum eo, qui alioqui occisurus fuisset; quia is de facto non fuit occisor.

R. ad 2. quod seclusa partium conventione, aut Judicis sententia, ille, qui alium mutilavit, sola, quæ ex vulnere usque ad diem mortis emerserunt, damna resarcire debeat; ut qui horum duntaxat causa extiterit: quod si jam mutilator cum mutilato de certa summa transegisset, standum esset conventioni, ut quæ in incertum peracta sit. Idem est si mutilator a Judice certam ad summam condemnatus fuerit.

Quæres XI. quomodo æstimari possint damna realia, quæ ex occisi morte consecuta sunt. R. I. spectandam esse occisi conditionem, sitne dives, an pauper; juvenis, an senex; doctus, & ad laborem vigil, an in arte sua imperitus, & segnis; sanus, an morbo ad interitum vergente oppressus. II. attendendum id, quod est in spe, et, quod in re est, non æquipollere. III. videndum etiam, an non solere

leret tantum consumere quantum lucrabatur. Si quis mutilatus artem solitam exercere nequeat, sed alio modo quæstum facere possit, erit id detrahendum.

(✠) Quæres XII. Utrum occisor, vel mutilator bonis fortunæ personalem injuriam compensare debeat? Respondet S. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 1. *Dicendum, quod in quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit quod ibi recompensetur quod possibile est. Sicut patet de honoribus, qui sunt ad Deum, & ad parentes. Et ideo quando id, quod est ablatum non est restituibile per aliud æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est; puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri* (✠).

## SECTIO SECUNDA.

### *De reparatione Stupri, & Adulterii.*

DE iis solum loquemur impudicitiæ speciebus, quæ restitutionis obligationem pariunt; eæ vero sunt præcipue stuprum, seu defloratio virginis præsertim invitæ, & adulterium, seu illicitus concubitus conjugatorum utriusque, vel alterutrius. Tripliciter porro potest quis puellæ usum obtinere: I. ipsa consentiente libere, & absolute, prout consentire censetur ea etiam, quæ cedit donis, precibusve, quæ tunc fieri consueverunt: hæc enim a muliere, si serio velit, excuti facile possunt. II. ipsa renitente, ita ut ad eam flectendam adhibeantur vis, minæ graves, falsæ persuasiones, preces admodum importunæ, quales censentur, quæ vel minis adjunctæ sunt, vel fiunt ab aliquo superiore, cui virgo præ *metu reverentiali* resistere non audet; quanquam raro evenit, ut preces a minis separatæ æquivaleant vi, puellamque vere invitam faciant. III. demum si stuprator promittat puellæ se eam in matrimonium ducturum esse; quod quidem vel ficte, vel sincere promitti potest. Jam quæritur, ad quid ii stupratores teneantur.

R. I. eum, qui sine vi, dolo, precibusve admodum importunis, aut mediis extraordinariis, sed ex libero virginis consensu, licet muneribus, blanditiis, aut precibus ordinariis, turpem corporis ejus usum obtinuit, nihil ei debere in foro conscientiæ. Ratio est, quia scienti, consentienti, & jure suo cedenti non fit injuria: porro puella jure suo cedere potest, saltem quoad reparationem damni temporalis.

Not. tamen stupratorem aliquando a Confessario cogendum esse, ut vitiatæ puellæ dotem tribuat, si nempe dives sit, & ea egena, sicque subsit periculum, ne ipsa jam vitiari facilior, de novo in crimen proruat; alias ad nihil tenetur respectu ipsius personæ corruptæ. Solet quidem stuprator in exteriori foro ad dotandam virginem condemnari, quia vulgo præsumitur seducta fuisse, sicut, præsumitur fuisse virgo, nisi contrarium probetur (*C.* 1. *&* 2. De adult.). Si tamen persona corrupta sciat interius se nec virginem fuisse, cum a Titio cognita est, nec reipsa ab eo fuisse seductam, tenetur ei refundere quidquid per Judicem sub his falsis præsumtionibus sibi adjudicatum fuit; nisi forte amasius suum, ipsiusque puellæ crimen jactando ipsam diffamaverit: quia diffamatio est damnum injuste illatum, quod resarciri debet, ut puella perinde ac antea nubere possit.

R. II. verius videri quod talis stuprator aliquid parentibus restituere teneatur: quia qui puellam sub potestate parentum, vel tutorum adhuc positam stuprat, specialem iis injuriam infert. Non desunt tamen sani etiam Theologi, qui credant stupratorem satis puellæ parentibus satisfacere, si veniam ab iis petat, aut doloris sinceri signa exhibeat. Hæc decisio admitti potest pro casu, in quo vitiata puella vel nubere non vult, vel in claram æque familiam nubit ac si corrupta non fuisset. Verum si, ut puella juxta suam conditionem nubat, dos ejus a parentibus augeri debeat, censemus strictam damni hujus resarciendi obligationem stupratori incumbere; quia stuprator injusta est causa, cur parentes damnum illud ferant.

Ceterum in usu est, ut si ex crimine secuta sit proles, mulier ipsam a partu ad triennium alat; corruptor vero ab anno tertio & deinceps, donec proles sibi providere possit; imo a partu eam alere debet stuprator, si ad id se obligaverit, aut id mulier præstare nequeat. Si infans expositus sit, & ad Xenodochium translatus, debent parentes, si satis habeant facultatum, expensas solvere; quia hospitalia egenis, non autem divitibus ædificata sunt, juxta communiorem sententiam.

R. III. eum, qui vi, fraude, aut falsis persuasionibus virginem vitiavit, teneri compensare quidquid inde puella, aut parentes ejus damni percipiunt. Imo quamvis nuptias non promiserit, tenebitur in foro externo ad eam dotandam, & ducendam (C. 1. De adulter.): ad id tamen (nisi fœdata virgo nuptias corruptoris exigat, de quo infra) non tenetur in foro conscientiæ ante sententiam Judicis, sed satis est, ut ei procuret matrimonium æque conveniens, ac si deflorata non fuisset.

Quod si puella dotem nolit, sed exigat matrimonium cum injusto defloratore, debet is consentire: I. quia etiam posito dotis augmento, non videtur redintegrari honor feminæ ablatus, nisi ea stupratori nubat, aut res sit occulta. II. quia hic pensari debet publicus contemtus, cui & ipsa, & vir, cui nubit, exponentur. III. quia vix fieri potest, ut vir alius a stupratore non vindicet in uxorem fastidia, quæ experietur, aut experiri credet, quoties sentiet, aut suspicabitur sibi probro verti, quod imminutam duxerit.

R. IV. si puella vim passa æque nupserit, ac si oppressa non fuisset, aut Religionem ingrediatur, ejus corruptor adhuc tenetur de compensatione quadam pecuniaria; quia reipsa damnum intulit, quod licet in se irreparabile sit, utcumque tamen per bonum ordinis inferioris compensari potest. Nec obstat, quod puella sortem æque bonam nacta fuerit: sicut enim qui alterius domum succendit, restituere debet, etsi alter, modo non in gratiam incendiarii, eamdem domum restauraverit; ita a pari in præsenti casu: ne-

que

que enim ex bona proprietarii domus, vel puellæ fortuna lucrum reportare debet, qui damnum reale intulit.

Quod ſpectat ad virgines, quæ ſub promiſſione matrimonii vera, vel ficta corruptæ ſunt, dico corruptores ad eas ducendas teneri. Ratio eſt: I. quia damnum omne injuſte illatum, quale eſt in præſenti, reparari debet. II. quia nemini fraus ſua, & dolus patrocinari debent: patrocinarentur autem, ſi fictus animus tolleret obligationem puellam indemnem faciendi; ergo qui ficte matrimonium promiſit, non ſatisfacit pecuniam dando, niſi puella conſentiat; aut jam non poſſit duci, puta quia corruptor aliam duxerit, aut plures deluſerit eadem ſpe. Neque huic Religionem ingredi licet, quia hoc injuſtum foret, utpote quod adverſaretur promiſſioni, quæ executioni mandari debet.

Sed quid juris, ſi is qui matrimonium promiſit, habeat votum caſtitatis, aut Religionis? R. ſi votum deflorationem ſubſecutum ſit, non deſinit ſtuprator ad matrimonium obligari; quia tale votum non plus valet, quam votum dandi pauperibus id, quod jam alteri debitum eſt ex juſtitia. Si vero votum præceſſerit deflorationem, communior opinio docet puellam adhuc ducendam eſſe, ſaltem obtenta voti diſpenſatione. Ratio eſt: I. quia ſi quis voviſſet daturum ſe pauperibus aureos centum, & poſtea grave alteri damnum inferret, quod ſine iiſdem aureis reparare non poſſet, non teneretur ad implendum votum, ſed e contra; ergo a pari. II. quia damnum illatum poteſt, & debet reparari eo meliori modo, quo poteſt: atqui ſtuprator eam, quam corrupit, ducere poteſt, obtenta ſaltem diſpenſatione; ergo vel eam obtinere debet, vel Superiori exhibere rationes, quibus ab ea petenda deterretur, ejuſque judicio acquieſcere.

(✠) Quamvis hæc, quam ſequitur Auctor, ſententia a Scriptoribus optimæ notæ propugnetur, *veriſimilior tamen eſt*, inquit Sylvius tom. 3. q. 62. art. 2., *contraria ſententia, quæ defendit ejuſmodi virum, qui votum emiſit ante virginis deflorationem, non obligari ad matrimonium, ſed votum ſuum implere debere, niſi diſpenſationem, quam petere non tenetur, obtinuerit, atque violatæ virgini ita providere*, ut *vel in matrimonio, vel in alio decenti ſtatu collocetur*.. Ratio autem eſt, quia non alias conjugium contrahi poſſet, quam votum violando contra divinarum legum ſanctionem; irrita vero obligatio eſt, quæ nonniſi ab eo impleretur, qui divinis præceptis obſiſteret.

Nec movere quempiam debent Auctoris argumenta, quæ unice probant compenſandum eſſe damnum, quod virgini ſtuprator intulit; nunquam vero evincunt irritum eſſe ob hujuſmodi promiſſionem jam emiſſum votum. (✠)

Notandum tamen eum, qui ficte nuptias promiſit, ad id non teneri: I. ſi præſumatur puellam deceptam non fuiſſe, ſed temere, & inſipienter matrimonii contrahendi ſpem concepiſſe; quod præſertim contingit, cum magna eſt conditionum diſparitas, ut ſi vir dives ſit, & nobilis, femina vilis, & inops. II. ſi puella ex nimiis exaggerationibus, inconſtantia, & ambiguitate verborum ſatis animadvertere potuerit promiſſionem fictam eſſe. III. ſi deinceps cum alio fornicetur, cum per hoc etiam ſponſalia dirimantur. IV. ſi ſe virginem mentita fuerit, & jam corrupta fuiſſe deprehendatur: hoc enim caſu non tam decepta eſt, quam deceptrix. V. ſi puella nobilem ſe, vel divitem finxerit, cum non eſſet: nam & in eo caſu injuſte decepit, & in injuriis datur compenſatio. VI. ſi prudenter timeatur, ne ex tali matrimonio ſuboriantur graves diſcordiæ inter familias, ſcandala, aliique id genus infelices exitus. VII. ſi puella jam nolit ſtupratori nubere, aut eam ipſi denegent parentes: quo in caſu cenſent multi, ſtupratorem non teneri ad dandam dotem puellæ, ſi hæc ejuſdem, aut pene æqualis ſecum conditionis ſit; quia ex Reg. 66. in 6. *cum non ſtat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet*. Excipe, ſi puella ſine novo ſui, vel familiæ ſuæ opprobrio hominem hunc ducere non poſſit.

Sed quid, ſi vir conditionis ſuperioris vere, & ex animo nuptias promiſerit?

R. eum promiſſis ſtare debere, niſi hinc graves rixæ, familiæ diffidia, vel ſcandalum grave merito timeatur. Ideo enim homo ille non teneretur promiſſis ſtare, quia ſuperioris eſt ſtatus, & fortunæ: atqui hæc ratio nulla eſt: tum quia jure ſuo cedere potuit, & reipſa ceſſit: tum quia exceſſus, quo puellam ſuperat, eidem puellæ debitus eſt ratione promiſſionis ab eo factæ, ab ipſa acceptatæ, cui accedente legum conſenſu nihil deeſt, quominus in conſcientia obliget. Et certe non minor eſt hoc in caſu injuria a viro nobili, aut locuplete illata, quam illata a plebejo; ergo non minus reſarciri debet, ſi moraliter poteſt.

Unde ſequitur I. non ſufficere, ut ille homo puellam dotet, quia ipſi inferretur injuria, utpote quæ jus habeat ad nuptias ſibi promiſſas; cui autem aliquid in una ſpecie debetur, non ſatisfit, ſi detur in alia ſpecie. II. ſi eam ob aliquod ſuperveniens impedimentum ducere non poſſit, puta quia vel aliam duxit, vel jam ſacros Ordines ſuſcipere præſumſit, non ſatis eſſe, ut ei reſtituat, quantum ſufficit, ut ea virum ejuſdem conditionis ducat, ſed quantum ejuſdem intererat ipſum habere in virum: quia puella hæc jus habet non ſolum nubendi, perinde ac ſi deflorata non eſſet, ſed nubendi viro talis conditionis; quanquam Magiſtratus moderari poſſint jus illud, ut quod ab ipſis magna ex parte dependeat.

Quæres, quid juris, cum deflorator ſuperioris ſtatus ficte promiſit nuptias. R. Vel puella noverat notabilem ſupra ſe viri exceſſum, vel non. Si 1. credendum eſt communiter, eam non fuiſſe deceptam, niſi quia decipi voluit. Si 2. cenſent multi, ſtupratorem non teneri ad eam ducendam, ſed ſatis eſſe, ſi ei provideat quantum oportet, ut tam commode nubat, ac ſi corrupta non fuiſſet. Ratio eſt, quia mulier intendebat acquirere virum ejuſdem ſecum conditionis, non multo ſuperioris, cum ſuperioritatem hanc non cognoſceret; ergo.

Ut ut ſit, (dici enim poſſet puellam eum intendiſſe, qui matrimonium ſibi promiſit, quiſquis ille fo-

ret

pet ) certum videtur: I. stupratorem teneri ad ducendam puellam, si id juraverit, nisi dispensationem juramenti obtineat; quia tale juramentum est de re licita, & possibili. II. secluso etiam juramento, posse fieri, ut stuprator, in casu proposito teneatur ad nuptias respectu unius puellæ, non respectu alterius. Si enim virgo corrupta bonæ sit indolis, nec consenserit in scelus, nisi v. g. quia a parentibus male vexatur, & in doloris æstu quæsiit vindicem; an non magis tenetur, qui ea sub ficta matrimonii promissione abusus est, ad ipsam ducendam, quam si abusus sit puella ad scelus expedita, & quæ matrimonii promissionem non exegerit, nisi quia criminis speciem, coloremque obtendere voluit?

Ex dictis colliges eum, qui viduam honestam, eamve, quæ licet jam ab alio vitiata esset, passim tamen ut virgo habebatur, sub matrimonii promissione etiam ficta corrupit, ad eam ducendam teneri, si vero vi, vel fraude, sed absque matrimonii pacto, ipsa abusus sit, ad compensationem damni cujuscunque inde nascentis obligabitur ante Judicis sententiam; quia eadem est hoc in puncto conditio ipsius, quæ virginis per fraudem, & dolum defloratæ. Nunc dicendum de reparatione adulterii.

Triplex esse potest hominis adulteri status: vel enim ex adulterio secuta non est proles, vel certo secuta est, vel demum dubitatur, an secuta sit:

Si proles secuta non sit, nulla est facienda restitutio: tum quia per adulterium præcise non infertur damnum, sed solum injuria, pro qua, si tamen publica sit, non tam debetur restitutio, quam satisfactio honoraria, quæ fit per veniæ petitionem, & signa doloris; tum quia transigere pro adulterio prohibitum est, ne videatur maritus uxoris lenocinium facere. Si tamen post peractum sine consensu mariti adulterium talis transactio fieret, censent non pauci eam valituram; quia lex eamdem prohibens nititur lenocinii præsumtione, quam in præsenti casu nullum habere locum supponimus.

Si ex adulterio proles certo moraliter secuta sit, ut si eo tempore absfuerit maritus, &c. debet: I. ali proles ubicunque, etiam in noscomio, si ibi posita fuerit. II. Adulter debet pro parte sua, & in solidum pro toto compensare damnum, quod pater, & legitimi hæredes patiuntur ex suppositione infantis spurii. Adulter enim est causa tum damni hujusce, tum suppositionis, quia prævidere potuit, & debuit eam ex actione sua secuturam.

Dixi adulterum teneri *pro parte sua* ad compensationem damni, quod patri legitimisve hæredibus illatum est. Non enim tenetur ad totum, nisi in defectum adulteræ, quia uterque est causa æque principalis totius damni.

(✠) Quod si adultera duos admisit eodem tempore, & ignoretur cujusnam sit proles, cum uterque damnorum causa sit, neuter innocens, uterque pro rata damnum compensare debet, et filium alere, quia uterque operam rei illicitæ, ac per se aptæ ad damnum inferendum dedere. (✠)

Sed quid si alter alterum ad crimen inflexerit?

R. Si adulter vi, minis, aut gravi metu etiam reverentiali, uxoris alienæ consensum extorserit, tenetur de toto, mulier vero non nisi in ejus defectum; quia adulter est tunc causa magis principalis adulterii, damnorumque inde consequentium. Si vero adulteram precibus solum induxerit in crimen, censet Sylvius adulterum de toto damno teneri, sive quia magis influxit in crimen, sive quia damni totius reparandi onus in se suscepisse videtur. Hæc opinio non videtur mihi indubia, credo tamen eum, qui aliud ad crimen induxit, ad ampliorem restitutionis portionem teneri, quia duplici nocuit titulo, moventis scilicet ad damnum, & ejusdem damni executoris.

In dubio an proles sit mariti, an adulteri, debet iste pro ratione dubii restituere: I. quia iniquum est, ut in casu dubii debeat unus, isque innocens, totum subire onus alendæ prolis, quæ forte sua non est, dum adulter pessimus nihil contribueret ad alendam camdem prolem, quæ forte sua est; ergo. II. quia ille ad damni reparationem tenetur, contra quem est ejusdem damni præsumtio: atqui contra adulterum est præsumtio damni. Ubi enim constat de actione per se sufficienter damnificativa, ibi contra actionis hujus auctorem est præsumtio, unde ut a restitutione immunis sit, probare debet damnum ex actione sua non evenisse: atqui adulter actionem de se damnificativam posuit, & non probat, ut supponimus, damnum ex hac actione sua secutum non esse; ergo restituere debet tanto plus, quanto minus probat se damni causam non esse.

Obj. I. Nemo tenetur solvere, prius quam ostendatur debitor: sed in dubio adulter non ostenditur debitor.

R. dist. maj. nemo prius tenetur solvere, quam ostendatur debitor, si alteri incumbat probatio contra eum facienda, C. si ipsi probationis faciendæ obligatio incumbat, N. Sic non teneris alteri reddere rem, quam suam esse dicit, & non probat, quamque tuam esse putas. Verum si crimen admiseris de se damnificativum, puta si facem conjeceris quo tempore combusta fuit domus, tunc tibi incumbit, ut probes ex hoc delicto nihil damni alteri creatum esse; quia postulat æquitas, ut præsumtio sit contra nocentem.

Obj. II. In dubio melior est conditio possidentis: atqui adulter bonum suum possidet, & est in dubio; ergo.

R. dist. melior est in dubio conditio possidentis, si de actu damnificativo non constet, C. si de eo constet, N. Certe hoc axioma militat contra Adversarios: nam maritus adulteræ possidet bona sua; ergo in dubio, an proles sit ipsius, non debet iisdem privari, ut prolem dubiam perinde ac certo suam alat.

Quæres I. ad quid teneatur adultera. R. eam teneri ad reparanda, quantum fieri potest, damna, quæ ex crimine suo in maritum, legitimosque filios derivantur. Hoc autem efficiet, plus ex propriis bonis, si quæ habet, legitimis filiis, quam spurio relinquendo. Si vero paraphernalia bona non possideat, caute, & prudenter persuadere conabitur patri putativo, ut legitimos filios pluribus instruat bo-

nis

nis, quam illegitimum. Item animum filii ad amplectendam Religionis statum flectere oitetur: si tamen divinæ vocationis signa præ se ferat. Denique rem domesticam majori, quam alias, diligentia tractabit, de solis sumtibus detrahat quantum permittent status, & valetudo, &c.

Quæres II. an mulier, quæ similibus modis damna hæc compensare nequit, teneatur indicare crimen suum. R. negat. generatim loquendo. Vel enim crimen revelaret marito, vel filio spurio: atqui nec marito, nec filio illud revelare tenetur: tum quia revelatio hæc fieri non potest sine magna mulieris infamia, quam subire nec tenetur, nec debet, quæ nomen bonum publice habet; tum quia eadem revelatio gravium malorum radix esse potest, ut quæ mulierem mortis periculo exponat, & maritum periculo uxoricidii, aut saltem odii perpetui: tum denique quia filius matri non credet, nec, juxta multos, credere tenetur; aut si credat, vix probabile est, quod ita perfectus sit, ut propter solum justitiæ amorem renuntiet hæreditati, quam in exteriori foro retinere tuto potest.

Confirmat. quia non est restituendi obligatio, cum ille, qui debet, est in impotentia morali; ille vero, cui debetur, non est rationabiliter invitus: sed mulier, quæ aliter satisfacere nequit, quam suum crimen detegendo, est in impotentia morali &c.

Hæc resolutio limitari solet: I. enim adultera jam ante famam suam publice perdidit, quia tunc ea ipsa sua declaratione grave non patitur incommodum. Si tamen vel gravia inde mala sibi vereretur, vel prævideret sibi non credendum, tem pandere non teneretur. II. cum mulier prudenter judicat spurium, utpote virum frugi, sibi fidem habiturum esse, (quod tamen rarissime præsumi potest); tunc enim infamia nocentis apud unum, aut alterum minus habet incommodi, quam gravissima innocentum damna. Hac de causa docent Theologi, occultum alicujus crimen posse tertio revelari, ut averraturgrave damnum, quod ipsi ab altero impendet.

Quæres III. an filius teneatur credere matri, quæ asserit eum illegitimum esse.

Respondent vulgo, filium non teneri credere matri etiam juranti, nisi manifestis argumentis id probet, ut si demonstret patrem ante, & post conceptionis tempus abfuisse. Ratio est, quod nemo unius, quamvis non suspecti, hominis testimonio credere tenetur in sui præjudicium; præsertim cum testis ille turpitudinem suam allegat. Hæc opinio tam communiter recepta est, ut ei sine scrupulo adhærendum sit.

Quæres IV. quid de ea matre sentiendum, quæ plures filios convocans, ait: Unus ex vobis illegitimus est: vultis eum a me nominari, aut innominatum cum ceteris hæreditatem partiri? R. hanc agendi rationem esse iniquam: I. quia omnibus metum gravem injuste incutit, efficitque, ut plures renuntient parti hæreditatis sibi certo debitæ. II. quia per eam proles legitima illegitimitatis suspicioni exponitur; facile enim continget, ut qui spurius non est, ob certa oris, & vultus lineamenta pro spurio habeatur.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Restitutione famæ, & honoris.*

Articulum hunc ab aliquot definitionibus auspicabimur.

Fama est bona opinio de alicujus excellentia, quæ opinio efficit, ut habeatur pro bono vel absolute, vel relative ad scientiam, artes, &c.

Honor est testificatio excellentiæ alterius, facta per externam reverentiæ exhibitionem. Hinc fama in interiori judicio posita est: honor vero in externo æstimationis signo consistit.

Detractio est alienæ famæ injusta, & occulta læsio, vel imminutio; seu denigratio famæ hominis absentis.

Contumelia est alieni honoris injusta, & aperta læsio, seu ablatio honoris hominis ipso præsente. Hinc contumelia, ut quæ coram, & in faciem fiat, peccatum est detractione gravius, ut rapina pejor est furto, ideoque in confessione exprimi debet.

Calumnia est falsi criminis, vel defectus impositio, & hæc sub detractione, ut species sub genere, continetur. Detractio enim octo modis fieri potest: I. falsum aliquid imponendo. II. amplificando illud, quod verum est. III. occultum detegendo. IV. sinistre interpretando, quod recte ab alio gestum est. V. negando aliquem quibusdam dotibus frui, rective & boni quidpiam fecisse. VI. dotes illas, aut bona imminuendo. VII. tacendo iis in circumstantiis, in quibus silentium pro vituperio habetur. VIII. adeo frigide laudando, ut facile sentiant alii eum, quem laudas, parum tibi videri laudis dignum. Hos detrahendi modos, quorum priores quatuor directi sunt, posteriores vero indirecti, exprimunt versus sequentes:

*Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,*
*Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.*

Ut plenius tractentur, quæ ad tanti momenti materiam pertinent, videndum I. an, & quale peccatum sit detractio. II. quam reparationem exigat. III. an eam exigat semper, & in omni casu. IV. quomodo, & coram quibus fama restitui debeat. V. quæ causæ a restituenda fama excusent.

## SECTIO PRIMA.

### *An, & qualis sit peccatum Detractio.*

CONCLUSIO. Detractio est peccatum ex natura sua grave, charitati simul, & justitiæ contrarium.

Prob. I. ex Scriptura. Proverb. 24. *Abominatio hominum detractor.* Rom. 1. *Detractores, & contumeliosi* dicuntur *digni morte.* & I. Corint. 6. *Neque fures ....*

*neque maledici regnum Dei possidebunt.*

Prob. II. ex Patribus. S. Hieronymus in Psalm. 100 docet detractionem fornicatione pejorem esse, *quia*, inquit, *qui fornicatur, se tantum occidit: ille autem qui detrahit, & se, & illum, qui audit, demergit.* & in Psal. 149. hæc profert, quæ utinam ab iis, qui in communi vivunt, satis ponderentur. *Non putem Monachi se debere esse securos, dicentes: Grandia crimina non facimus in Monasterio: non adulteror, non furtum facio.... grande scelus est, quando detrahis fratri tuo; lingua tua fratrem tuum interficis.* S. Bernardus Serm. 54. in Cant. *Qui detrahit, ferit charitatem lingua maledica, & quantum in se est, necat funditus, & extinguit.* Unde sic: Peccatum illud mortale est, quod grande scelus dicitur, quod qui admittunt, digni sunt morte, & regnum Dei non possidebunt: atqui talis est detractio ex textibus citatis; ergo.

Prob. III. quia detractio in fama, contumelia vero in honore proximum inique lædit, adeoque eum spoliat bonis, quæ divitiis longe præstant, juxta id Proverb. 22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*; ergo utraque charitati simul, & justitiæ adversatur.

Et hæc intelligenda sunt de ea etiam detractione, quæ ex loquacitate, & levitate animi oritur, absque intentione lædendi proximum: nam & hæc detractio est vere injusta: quia jus habet proximus, ne quis sive ex loquendi prurigine, sive ex alio motivo ea efferat, quæ nata sunt famam ejus imminuere.

Dixi detractionem esse peccatum ex natura sua mortale. Venialis tamen esse potest: I. ob defectum sufficientis advertentiæ. II. ob materiæ levitatem, ut si narretur levis alicujus imperfectio, aut peccatum; (quamquam fieri potest, ut qui plures alterius defectus licet divisim leves revelat, peccet mortaliter, quia tot revelando, graviter bonam ejus existimationem lædere potest). III. ob correctionis necessitatem: & sic excusari possunt parentes, & domini, qui erga filios, & famulos verbis quibusdam contumeliosis utuntur: iis tamen abstinere satius est, ut quæ frequenter lædant, & raro emendent.

Ad dignoscendam detractionis gravitatem hæc statui solet regula: ut detractio censeatur peccatum mortale, quoties irrationabiliter in materia gravi læditur honor proximi, quia tunc ei rationabiliter invito notabile damnum infertur: toties e contra propter oppositam rationem venialis judicetur, quoties leviter læditur proximi fama.

Hæc tamen regula suas habet exceptiones: unde docent Theologi I. exprobrationem rei levis immunem non esse a mortali, si fiat ea intentione graviter nocendi, iisve in circumstantiis, in quibus prævidetur gravem proximo dolorem concitatura. II. id, quod respectu unius personæ leve est, grave esse respectu alterius. Sic qui de puero, aut famulo vili dicit, quod vanus sit, mentiatur sæpe, plus justo bibat, potest haud peccare mortaliter; secus si hæc dixerit de Episcopo, de Superiore coram ejusdem inferioribus, de Sacerdote, aut etiam de Laico magni apud plebem nominis. Ratio est, quia talium personarum fama multum inde imminuitur, ab auctoritate sibi necessaria excidunt, ideoque ab iis non audiuntur, a quibus audiri deberent. III. ad detractionem etiam gravem satis esse, si de proximo ea dicantur, quæ licet nullam ex parte ejus culpam supponant, eum tamen aliorum contemtui exponunt. Hinc graviter peccant qui dicunt patrem alicujus triremibus fuisse damnatum; item qui occultum natalium defectum narrant, aut per convitii modum in faciem exprobrant: hæc enim quam moleste ferri soleant, nemo est, qui ignoret. IV. non eamdem esse omnibus in locis ejusdem detractionis gravitatem: unde qui occultam alicujus ebrietatem revelat, gravius detrahit in Hispania, & Italia, quam in Germania, aut Belgio. Pari de causa excusant aliqui a mortali pueros, muliereulas, ac sortis infimæ viros, qui certis conviciis apud plebejos usitatis se lacessunt; quia his non habetur fides, & honor vilium personarum non censetur hisce injuriis graviter lædi.

Eos tamen, qui hanc convitiandi consuetudinem habent, facile a Confessariis absolvendos non putem: I. quia in has contumeliæ voces erumpere non solent nisi irati. II. quia scandalum audientibus ingenerant. III. quia verba, quibus utuntur, de se famam imminuunt, & eos, ad quos diriguntur, nonnunquam gravissime exacerbant.

At peccatne mortaliter, qui de alio peccatum aliquod mortale refert, quod is a se admissum gloriatur, quodve in usu communi pro graviter infamante non habetur, puta qui narrat duellum militis?

Respondent Theologi etiam accurati, hic nullum, aut leve duntaxat peccatum occurrere; quia hæc admissi duelli narratio, habita conditionis militaris ratione, gravem injuriam inferre non potest. Sed hæc opinio difficilis mihi videtur: I. quia eadem de causa licebit varia alicujus contra castitatem peccata revelare: qui enim hæc admittunt, apud mundanos gloriam habent. II. quia viri probi duellistas ut misera diaboli mancipia habent; ac proinde suam iis famam vere aufert, qui nefaria eorum prælia revelat. III. quia qui hujusmodi peccata narrant, iisdem ut honorificis applaudere solent, & sæpe, etiam præter intentionem, eos, a quibus audiuntur, ad simile quid accendunt. Quapropter tutius est ab iis abstinere; & si propter hoc non retineantur pœnitentes, sive quia excusat bona fides, sive quia duellistæ ipsi jure suo cessisse videntur, saltem potenter exhortandi sunt a Confessariis, ut deinceps taceant, præsertim cum præteriit horumce certaminum memoria.

Ii etiam mortaliter peccant, qui licet generalibus utantur verbis, magni tamen sceleris suspicionem, & ideam in auditoribus excitant: quales ii sunt, qui dicunt se de tali homine aliquid scire, quod de eo nemo facile suspicetur, aut se de eo quædam esse revelaturos, nisi ea æterno premi silentio charitas juberet: hæc enim ambigua detrahendi ratio plus nocere solet, quam si singulares alicujus defectus exprimerentur.

Quæres, quid sentiendum de iis, qui detrahunt in communi, seu nemine in particulari designato.

R. I. peccari mortaliter, si detractio gravis in totam communitatem cadat, ut si de aliquo Ordine re-

reveles sine eeosa nullam ibi esse disciplinam, omnes, aut pene omnes ludo, & epulis incumbere; irem de pago, vel civitate, omnie ibi plena esse monopoliis, eut adulteriis. Ratio est: I. quia non magis licet totius communitatis famam euferre, quam privatorum. II. quie eblata tam genereliter communitatis fama, & ipsa privatorum fame tollitur.

R. II. non peccat graviter, qui ite dicit, esse in aliqua urbe nefarios homines, ut suspicio nec quemquam privatum, nec ipsum communitatis corpus afficiat; quia nec privati hinc læduntur graviter, oec ipsa communitas: ut enim inter Apostolos unus fuit Judas, sic in multo empliori communitete iotelligitur nefarios quosdam homines esse posse.

R. III. peccat tamen graviter, qui designato Monasterio dicit in eo esse aliquem facinorosum: tum quia sic graviter imminuitur totius Monasterii fama, præsertim apud personas simplices; tum quia majus ingeneratur scandalum audientium animis, qui licet non multum mirentur, si in aliquo pago reperientur homines quidam perditi, id tamen ægre feruut de Monasteriis.

## SECTIO SECUNDA.

*An, & quando Detrallio reparationem exigat.*

CErtum est detractorem ad famæ reperationem teneri, ut qui causaverit jacturam boni, ejusque inter alia præstantissimi. Porro hæc obligatio orget: I. quemvis quis nonnisi ex ignorantia detraxerit, puta, si occultum alterius crimen revelaverit; quie illud publicum esse putabat, eut si illud de uno dictum narratum eaistimavit de alio, ac de isto deinceps narravit. Ratio est, quod justitie obliget quemlibet ed impediendum, ne ea actioue sua etiam inculpabili alteri damnum ereetur, cum illud impedire potest. Sic qui ignoranter alienæ domoi, vel segeti ignem applicuit, eum, statim ec animadvertit, eatinguere debet: atqui infamia tanquam ignis grassatur, viresque eundo acquirit; ergo.

Hinc si diffamatus aliquid percipiat damni, postquam detractor errorem suum agnovit, is jam ad ejua restitutionem tenetur; quie qui causam damni a se positi non removet, censetur effectum ab ea prodeuntem velle: secus si damnum illud alteri contingat, antequam errorem suum agnoverit; quie tunc volunteria ejusdem ceusa censeri non potest.

Quod si, me verum crimeo dicente de aliquo, elii hoc de alio dici putent, & de isto ulterius divulgent, non teoebor ad restitutionem famæ, & damni inde obvenientis, eo quod vere damni hujus causa non sim, sed mala aliorum intelligentia, cujus occesio, non ceusa *fui*. Aliud esset, si malam hanc intelligentiam ex locutione mea secuturam prævidere potuissem; quia tunc damna inde orta in causa voluntaria forent. Quod si errorem rescivero, renebor ad avertenda damna, quæ pati potest proaimus, idque etiam ex justitie; quia hæc obligar ed efficiendum, ne ex actione mea alii damnum sine justa causa reeipiant.

II. Eedem obligatio reparandæ proximi famæ urget etiam cum propriæ famæ periculo; quia in pari periculo potior est conditio innocentis: imo orgeret cum periculo vitæ propriæ, si ex infamia immineret innocenti periculum vitæ, aut pernicies, vel grave bellum Reipublicæ; quia damne, quæ tunc pateretur infamatus, æquivalent, aut præstant damno vitæ infamatoris. Si quis temen propriam revelens malitiam non esset innocentem liberaturus, secere deberet, quia nemo tenetur ad opus inutile cum proprio gravi incommodo.

III. Urget eadem obligatio, etiamsi occultum crimen uni tantum viro probo, ac tacituro detectum sit, etiem sub secreto: *Mallem enim*, ait optime Soto, *crimen meum notum esse tribus, aut quatuor, quam uni gravissimo viro; nam pluris æstimo in bona esse æstimatione apud illum, quam apud plures alios minoris æstimationis*. Unde qui uni tantum viro probo talem detegit culpam, peccet mortaliter, nisi justa eacuset causa, ob quam excusari solent vir, & oxor, qui sibi mutuo filiorum pecceta revelant.

Non peccat tamen, nec proinde ad reperationem tenetur, qui juste de causa alterius crimen etiam occultum revelat.

Hinc I. alterius erimen etiam sub secreto sibi commissum (modo extre Confessionem, cujus sigillum etiamsi millies mori debeat, inviolatum servari debet) revelare potest, qui nisi revelet, morte plectendus est; præsertim si alter ea hac revelatione famæ duntaaat, aut bonorum jacturam pati debeat. Ratio est, quia fidelitas nun obligat, ut alterius famam, & bona cum vitæ propriæ dispcodio conserves; atque hoc scire debuit, qui criminis sui secretum tibi commisit.

Quod si ea criminis alieni revelatione ejus custori mors impendeat, potes aliquando, ut vitæ propriæ consulas, illud revelare, aliquando non. Potes quidem, si crimen illud cognoscis siee injuria illius, qui ipsum commisit. Si vero vi, fraude, aut alterius literas aperiendo sine causa hoc deteaisti, tunc revelando addis injuriam injuriæ, adeoque fraudem tuam, ejusque effectus imputare tibi debes.

II. Non peccet etiam, qui crimen alterius revelat, ut juste innocentem tueatur.

III. qui hoc facit, ut communitatis damnum avertat. Sic licet Medici, Advoceti, Confessarii ignorantias detegere. Sic etiam licitum est falsam alicujus paupertatem menifestare, ne veris pauperibus præjudicium inde creetur.

IV. qui ut euailium, & consiliom accipiant, illetæ injuriæ reperationem consequantur, &c. occultam alterius nequitiam amico suo eaponunt. Imo id non pauci licitum esse credunt, si fiat, ut quis atrocem injuriam passus solatium recipiat; cum præsertim greve sibi ea dolore nocumentum, puta morbum vereetur. Firmius tamen, & sanctius sibi providebit, qui ad eum coufugiet, *qui consolatur nas in omni tribulatione nostra*.

V. eacusatur a culpa, qui puellæ jam inutiliter admonitæ denuntiat eum, quem familiarius videt, corruptum esse.

Sed in his omnibus sedulo cevendum: I. ne leves, & infundatæ conjecturæ pro certiis mali probationibus ha-

habeantur. II. ne plus reveletur, quam ad avertendum malum necesse sit. III. ne detegatur crimen, cum alia via, v. g. correctione fraterna, damnum impediri potest. IV. ne pluribus detegatur, cum sufficit, ut aperiatur paucis.

Quæres I. an peccet, qui de defunctis detrahit.

R. affirmat. quia mortui, ut juste honorari possunt, sic & inique diffamari.

Quæres II. an crimen, quod uno in loco publicum est, liceat in alio loco, ubi occultum est, revelare; & an qui revelant, peccent etiam adversus justitiam.

Not. Crimen tribus modis publicum esse potest, scilicet ut notorium, ut manifestum, ut famosum. Notorium vel est juris, vel facti. Notorium juris est, cum reus vel de crimine damnatus est per Judicis sententiam, vel de eodem crimine a testibus convictus est in judicio, vel ibidem crimen confessus est, adeo ut illud jam nulla tergiversatione in judicio celare possit. Notorium notorietate facti est, cum crimen coram tot testibus perpetratum est, ut nulla possit tergiversatione celari, & eacusari saltem coram majori communitatis, aut viciniæ parte.

Manifestum est illud, quod cognitum est a majori communitatis, aut viciniæ parte, ita ut media pars propriis oculis viderit, & media pars ab iisdem de visu testibus factum didicerit. Unde in notorio facti omnes, quotquot scilicet ad constitnendum notorium requiruntur, per se ipsos viderunt; in manifesto autem pars una, quæ non vidit, didicit a vidente.

Famosum est illud, quod fama notum est; seu fama hæc prodierit ab uno solum teste, sed cui omnes fidem dandam esse crediderint; seu eadem fama non nisi ex suspicionibus admodum violentis orta sit; ut si quis pallido, & atro vultu, tinctus cruore, celeriter visus sit effugere e domo, in qua repertum est inimici ejus proprio sanguine innatantis cadaver.

Not. II. facile non definiri, quando res a majori communitatis, vel viciniæ parte cognita censenda sit. Expendam in Tractatu de Censuris part. 1. cap. 5. Interim pro præsenti publicum judicari potest id, quod attenta facti natura, personarum qualitate, conditione communitatis, ita egreditur limites secreti, & occulti, ut moraliter ulterius diffundi debeat. His præmissis,

Dico I. Qui juridice per sententiam publicam infamatum in uno loco infamat in alio, ubi crimen ejus ignoratur, non peccat contra justitiam, sed graviter peccare potest contra charitatem.

Prob. 1. pars, quia reus per hanc Judicis sententiam omni in famam suam jure privatur pro omni loco; Judex enim jus habet reum, quem publice condemnat, fama spoliandi, sicut & cum vita spoliare potest, ut ceteris exemplo sit, & terrori: unde nocentes coram frequenti cœtu puniri solent.

Prob. 2. pars, quia qui absque legitima causa alium infamat in loco, ubi crimen ejus moraliter loquendo ignotum mansurum erat, lædit primum charitatis principium, quod vetat ne quis alteri faciat, quod sibi factum doleret. Porro quis velit, ut sibi auferatur fama, ad quam quidem jus non habet, sed quam sine fraude possidet?

Dixi, qui infamat *absque legitima causa*. Si enim medicus v. g., vel hæreticus bono, quod alibi integrum servant, nomine utantur, ut incautos decipiant, potes, & debes ostendere eos in tali loco damnatos fuisse ob perniciem, quam inferebant ambo, iste animis, ille corporibus.

Quod si sententia adversus reum in uno loco publicata, brevi erat in alio loco publicanda, sive per Judicem, sive per communem famam, is, qui prima criminis nuntia fert, graviter contra charitatem non peccat; quia sive paulo citius, sive paulo serius fama destruatur, parvi admodum momenti est; nisi ea anticipatione illa gravia infamato damna contingant in bonis, &c.

Hic notandum eam solum sententiam proprie publicam dici, quam Judex publicam fieri intendit. Unde si sententia pro particulari aliquorum cognitione lata sit, qualis ea esse solet, quæ adversus Religiosum fertur in Communitate, peccat qui crimen extra Monasterium, vel Collegium propalat, quia reipsa Religioni nocet, & hominem infamat coram iis, ante quos jus habet, ne infametur. Et id verum est, tametsi crimen illud paulo post divulgandum esset in alio loco; quia non magis licet diffamare eum, qui paulo post injuste diffamandus est, quam occidere eum, qui statim ab alio est occidendus. Eadem de causa justitiam lædit, qui filiorum-familias, aut domesticorum peccata extra familiam divulgat.

Dico II. Si crimen sola facti, vel famæ publicitate alicubi notorium sit, & reveletur eo in loco, quo fama illud prolatura non erat, mortaliter peccatur contra charitatem, & justitiam. Ratio est, quia qui revelat crimen alterius in casu proposito, jus ejusdem violat sine causa: habet enim alter jus ad famam suam pro loco, in quo non est infamatus; nam infamia facti non tollit jus ad famam, nisi quantum exigit notorietas facti: atqui notorietas in uno loco non exigit, ut idem factum ubique divulgetur sine causa, ut hic nullam subesse supponimus. Et certe an non iniquum est, ut qui amissa in uno loco fama, in alium se transfert, ut ibi pie vivat, de crimine, quod imprudens admisit, turpiter infametur, & vel infamis, vel exul vivere cogatur?

Sed quid, si crimen in aliquo loco satis publicum, iis loci hujus incolis detegatur, quibus ignotum erat? R. Communis sententia tenet hic non esse peccatum saltem grave, etiam contra charitatem: I. quia reus amisit jus ad famam per ipsam criminis sui publicitatem; qua etiam de causa publicæ defunctorum labes sæpe literis consignantur, licet inde memoria eorum infamis efficiatur apud posteros, & pluribus in locis, quo alioqui eorum crimina non pervasissent. II. quia interest Reipublicæ, ut mali, præsertim in genere contagioso, cognoscantur. III. quia moraliter impossibile est, ut quod coram multis factum est, ad ceterorum notitiam non deveniat. Si tamen criminis alicujus publicitas e sacramentali confessione penderet, non posset alterius sine injustitia diffundi.

Dico

Dico III. Mortaliter contra charitatem, & justitiam peccat: I. qui infamatum de uno crimine, infamat de alio occulto, quod isti anteaum non est. II. qui crimen olim fama sola publicum, sed oblivione, vel conversatione sancta deletum, nescientibus narrat, alifve revocat in memoriam.

Prob. 1. pars; quia qui fama excidit quoad unum crimen publicum, eamdem conservat quoad alia, quæ occulta sunt. Hinc graviter peccat, qui scienti mulierem in adulterium cum Titio lapsam esse, narrat eamdem similis cum Caio criminis, quod occultum erat, ream se constituisse: relapsus enim multum infamiam auget. Sed si crimen aliud cum alio connexum sit, non peccatur, ut si de homine publice ebrioso dicas eum cum uxore rixari, filios non alere, &c.

Prob. 2. pars, quia vel tempore, vel piis moribus res ad eum reducitur statum, in quo erat antequam publica foret: porro antequam publica foret, peccasset qui eam revelasset sine causa.

## SECTIO TERTIA.

*Quinam obnoxii sint Restitutioni famæ, & quomodo.*

Dubium non est, quin detractor ad alienæ famæ reparationem potissimum teneatur. Quærimus, an etiam teneantur: I. detractoris hæredes. II. qui eum detrahentem audierunt. III. Superiores, qui coram se de suis, aut aliis detrahi sinunt. Sit

CONCLUSIO I. Hæres tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ab eo, cujus est hæres, illata sunt proximo per detractionem.

Prob. quia tale onus reale est: ergo cum aliis oneribus, sicut & commodis ad hæredem transire debet. Aliud est de restitutione famæ; hæc enim, utpote culpa personalis, ad hæredem non transit.

CONCLUSIO II. Qui audit detrahentem hortando, vel incitando ad detractionem, significando sermonem ejus sibi placere; item interrogando, ut stimulos addat, peccat contra charitatem, & contra justitiam, unde idem contrahit restituendi onus, quod ipse detractor.

Prob. quia tunc alium inducit ad peccandum, & ad minus iniquæ ejus actioni moraliter cooperatur; ergo non minus peccat, quam detrahens, imo *quandoque magis*; *unde Bernardus dicit: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum sit damnabilius non facile dixerim*. S. Thomas hic q. 73. a. 4.

Quod si auditor, qui alias non teneatur ex officio ad obsistendum detractori, interius de detractione gaudeat, exterius tamen non significet eam sibi placere, quod rarum est, non tenetur ad restituendum, quia non est damni causa: peccat tamen mortaliter contra charitatem, utpote qui non avertat magnum proximi damnum, quod sine suo gravi incommodo repellere potest. Eodem modo peccat, qui quam novit calumniæ falsitatem non aperit quantum potest; imo si contingat, ut silentium tuum æquivaleat tacitæ confessioni defectus, qui imponitur proximo, quod fieri potest, si v. g. de Titio tibi notissimo, coram te dicitur, eum esse spurium, aut ignobilem; peccas contra justitiam, quia tacite approbas id quod non negas.

Sed peccatne qui nec lætatur detractione, nec eam ex curiositate audit; sed mutus manet ex aliquali metu displicendi detractori? R. eum posse peccare graviter contra charitatem: I. quia se habet, sicut qui furi aliena bona subripienti, non obsistit, cum potest. II. quia ille non amat proximum sicut se ipsum, qui cum possit damnum ejus absque notabili sui incommodo avertere, illud avertere non satagit. Addit Lugo hominem quandoque teneri ad impediendam detractionem cum aliquo suo gravi incommodo, si id necesse sit ad avertendum gravissimum, & irreparabile detrimentum illius, de quo detrahitur.

Ea tamen detractoribus resistendi obligatio non obligat pro semper, sed tunc tantum, cum prudenter judicatur resistentiam utilem futuram esse; unde cavendum est, ne detractor potius inflammetur, quam coerceatur. Quod si resistere nequeas, vel discedendum est, vel sermo alio est convertendus, vel tristioris vultus specie ostendendum, te iniquitatis participem fieri nolle; nam *dissipat facies tristis linguam detrahentem* (*Proverb.* 25.).

Ceterum docet Decoq *prædictam obligationem impediendi sub peccato gravi detrahentem, tantum esse inter æquales, remissimam in inferiore respectu personæ superioris*: I. quia audiens præsumere potest publicum esse id, quod dicitur. II. quia rei, quæ dicitur, falsitas sæpe ab audiente ostendi poterit, adeoque malum reparari. III. quia periculum est, ne si detrahens statim sistatur, culpæ gravioris suspicio audientium animis ingeratur. IV. quia detrahens sæpe justam habet id, quod revelat, revelandi causam; & etiamsi non habeat, gravissime offensum se credit, si quis sibi obsistat; unde detractionis peccato, a quo etiam monitus non abstinet, aliud iræ, & odii contra monitorem adjungit. Et hæc, inquit, a scrupulosis ponderari debent.

Verum, etsi harumce rationum ponderi nihil detractum velim, persuasum tamen mihi est, detractionis vitium ita temporibus nostris esse commune, ut sicut *pauci sunt, qui huic vitio detractionis renunient*, (*Hieron. Ep. ad Octavi.*), pauci sint qui benignioetem detractoribus aurem commodando, animam suam non coinquinent. *Si cui tamen non placeat peccatum; sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter*, ait S. Thomas ubi supra.

CONCLUSIO III. Superiores, quales sunt patres, domini, Prælati Regulares, &c. si Communitatem, aut aliquod ejus membrum, vel ab extraneis, vel a subditis suis infamari videant, & non obsistent, peccant contra justitiam, & in detractoris locum restituere tenentur.

Prob. quia Prælatus tenetur ex officio, ac proinde ex justitia conservare ea saltem Communitatis, aut privatorum bona, quæ majoris sunt momenti: atqui

atqui in hoc ordine est fama ; ergo eam tueri debent etiam contra extraneos ; & id admittunt omnes, saltem quantum ad infamias , quæ graves sunt momenti .

Quæres , an licitum sit legere libellum famosum , qui crimina vera , sed occulta , sine ratione pandit .

R. Id jure naturali vetitum esse. Quis enim velit, ut tales libri contra se editi ab omnibus perlegantur ? Porro qui tales libellos conscribunt , primas tenent inter detractores , quia gravior est infamia , quæ ad plures permanat .

Ex quo sequitur , eos etiam graviter peccare contra charitatem, & justitiam, qui lecta, vel audita sine causa referunt coram iis, quos sive ex levitate, sive ex malitia probabile est iis fidem esse adhibituros. Ratio est, quia licet forte nolint ea credi, quæ referunt, inique tamen se gerunt, ut qui prævidere debeant homines sic esse affectos, ut de proximo male potius, quam bene opinentur. Idem dicendum de iis, qui hac utuntur formula: Dictum est mihi , non tamen credo , Petrum heri se inebriasse : hæ enim indiscretæ narrationes nescio quid tetræ suspicionis semper ingerunt ob summam hominis ad male judicandum proclivitatem.

CONCLUSIO IV. Fama restitui debet, quam primum , & efficaciter , & coram iis omnibus , coram quibus ablata est.

Prob. 1. pars . Bonum, quod injuste detinetur , & quod ex hac injusta detentione quotidie in deteriori statu reponitur , necessario restitui debet quam primum id fieri potest : atqui fama injuste semel ablata , injuste detineri pergit , &c.

Prob. 2. pars , quia damnum , quod inefficaciter reparatur , reipsa permanet , vel saltem secundum se totum non definit ; ergo .

Porro cum fama tollatur vel per impositionem criminis falsi, vel per revelationem occulti, & veri, aliter, & aliter in utroque casu gerere se debet detractor . In primo expresse, & aperte retractare debet id , quod dixit ; imo & adhibere juramentum , aut rem coram Notario , & testibus protestari , ut fecit aliquando fœdus S. Francisci Salesii calumniator . Ratio est, quia cum necesse sit, ut amborum, infamati nimirum , & detractoris, alterutter infamis remaneat , præstat, ut in pari jure melior sit innocentis, quam sontis conditio . Hinc Confessarius infamatori absolutionem denegare debet , donec crimen suum reparaverit , nisi moraliter constet reparationem hanc quamprimum esse faciendam .

In secundo casu, cum nempe diffamatio facta est per revelationem veri criminis, longe major est difficultas . Volunt aliqui, ut infamatus publice laudetur: sed vel laudatur in ea materia, in qua fuit infamatus, ut si quem adulterum esse dixisti, castum esse dicas, & tunc mentiris ; vel in diversa, ut si temperantem, & devotum dicas quem latronem esse dixisti, & tunc manet prior infamia, nec restituitur fama ad æqualitatem . Alii suadent , ut detractor dicat : *Male fui locutus , contempsi meliorem me , injuste proximum infamavi , mihi fides haberi non debet .* Et hic modus , etsi forte apud plebejos valere possit, an quæso valebit apud prudentiores , qui norunt, si crimen falsum sit , dicendum esse : *Mentitus sui* : Ut ut sit, diversus pro diversitate personarum, quibus, & coram quibus facienda est restitutio , restituendi modus adhiberi debet , qui si efficax esse nequit , satius est, ut condonatio ab infamato humiliter postuletur . Ex his sequitur , quam sapienter dicat Henriquez . *Quamvis universum genus humanum hoc pessimo vitio linguæ sit plenissimum , paucissimos tamen esse , qui , ut debent , illud æstiment ; pauciores , qui de illo debite conterantur ; vix ullos , qui famam restituant .*

Prob. 3. pars . Fama a detractore aufertur , vel coram iis, quibus ipse proximi crimen immediate revelat , vel coram iis , quibus primi , & immediati auditores id , quod a detractore audierunt , retulere : atqui coram iis omnibus restitui debet . Primo fatentur omnes , eam coram immediatis auditoribus esse reddendam , quia detractor coram iis damni causa fuit ; atqui hæc ratio ostendit eam quoque restitui debere coram mediatis auditoribus , saltem si detractor prævidere debuit , dictum suum ulterius divulgandum esse ; tunc enim vera est , & culpabilis causa, cur infamatus apud istos quoque bonum, quo fruebatur, nomen amiserit ; ergo .

At , inquies , impossibile est, ut detractor cognoscat, apud quos evolaverit infamatio ; ergo .

R. hinc sequi , quod detractor retractationem suam, quantum christiane fieri potest , publicam efficere debeat , ut qui crimen didicerunt , criminis reparationem non ignorent . Si tamen auditores immediati per se reparent malum , quod fecerunt, liber est detractor ab ulteriori reparatione .

CONCLUSIO V. Qui ablatam famam non nisi summa pecuniaria compensare potest, eam sic compensare tenetur , etiam ante sententiam Judicis.

Prob. quia ex dictis bona superioris ordinis , ut vita, & membra , per inferioris ordinis bona compensari debent, cum compensari aliter non possunt .

## SECTIO QUARTA.

*Quæ causæ a restituenda fama excusent .*

DIco I. Excusat impotentia physica ; quia ad impossibile nemo tenetur .

Dico II. excusat impotentia moralis ; unde qui famam alterius sine suo longe majori incommodo, & præsertim periculo vitæ reparare non potest , ad id non tenetur ; nisi tamen læsus iisdem exponatur incommodis, de quo supra .

Dico III. Excusat inutilitas . Unde a restitutione immunis est : I. qui revelavit crimen occultum , quod postea factum est notorium notorietate juris , aut facti. II. qui, licet alterius famam extinguere conatus fuerit, hoc tamen præstare non potuit, vel saltem nonnisi inefficaciter, & ad tempus præstitit : quia damnum vel illatum non est, vel non subsistit . Injuria tamen qua parte esset personalis , satisfactione reparanda esset: quia stat honorem lædi , etiam dum

fama

fama lædi non poteſt. Imo ſi, quod frequentius evenit, detractio tua in hominum mentes naturaliter malevolas dubii aliquid injecerit, tuum eſt malum hoc pro virili reparare, ſicut teneris ad reſarciendum quidquid proximus paſſus eſt damni, antequam vel Judicis ſententia, vel aliter famam ſuam recuperaret.

Dico IV. Si detractio vetus ſit, & infamia in oblivionem abiiſſe prudenter judicetur, ſatius eſt ſilentium ſervare, quam calumniam de ſe ſemper periculoſam ſuſcitare, inquirendo ſollicite, an adhuc vivat in eorum mentibus, qui eam audierunt. Quia tamen calumnia ſæpe eſt ignis ſuperpoſitus cineri doloſo, quem levior flatus excitat, ſi probabiliter conjici poſſit ejus memoriam non tam extinctam eſſe, quam ſopitam, efficiendum eſt omni vi, ut retractetur.

Dico V. Excuſat etiam conditio infamati; quia, ait S. Thomas (2. 2. q. 72. art. 3.) *Noſtri ani... erii eſt detrimentum fama noſtræ pati: niſi tamen hoc vergat in periculum aliorum:* & ideo condonare non poteſt vir publicus, ut Epiſcopus, val Parochus, qui ſi detractoris calumniæ finem, & modum imponere negligant, jam miniſterium ſuum digne, & utiliter obire non poſſunt. Addo cum S. Thoma, fieri etiam aliquando non debere detractionis condonationem, *propter bonum ejus, qui contumeliam infert; ne de cetero talia attentet, juxta illud Prov. 26. Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.*

Porro fatentur omnes, aum graviter peccare, qui ſemetipſum infamat iis in circumſtantiis, in quibus illatam ſibi ab alio injuriam repellere tenetur.

Quæres, an compenſatio locum habeat in materia reſtitutionis famæ, ita ut qui de alio detraxit, immunis ſit a reſtituendo, cum alter viciſſim de ipſo detraxit.

Certum eſt I. eum mortaliter etiam contra juſtitiam peccare, qui ut famam ſuam tueatur, falſum accuſatori ſuo crimen impingit. Unde damnata eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio: *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat.*

Certum eſt II. eum peccare etiam graviter, qui ut præciſe illatam ſibi infamiam compenſet, infamatoris ſui occultum crimen detegit: tum quia hæc agendi ratio nihil aliud eſt, quam vindicta prohibita Chriſtianis; tum quia, ut non licet domum illius, qui tuam incendit, incendere, ſic nec famam infamatoris tui auferre licitum eſt; tum denique quia recriminatio famam non reſtituit: an enim ſi accuſator tuus adulter eſt, tu ideo pro fure non habeberis?

Quia tamen quiſque jus habet propriam tuendi famam contra injuſtum invaſorem, licet ea detegere, unde teſtimonium ejus labefactari queat. Unde non peccas, ſi probes eum mendacem eſſe, aut perjurum. Si tamen vel juramento, vel ope teſtium, vel probando *alibi*, ut ajunt, purgare te poſſis, peccas contra juſtitiam revelando crimen accuſatoris tui; quia ejus honorem ſine neceſſitate lædis

Certum eſt III. duos, qui mutuo ſe denigraverint, poſſe mutuo ſibi remittere omnem reſtituendi obligationem, niſi eorum infamia in aliorum detrimentum vergat. Imo mutua hæc condonatio facile ſupponitur, cum hæc infamia fuit æqualis.

Difficultas præcipua eſt, an, cum duo in eodem gradu ſeſe infamaverunt, teneatur unus alterius famam reſtituere, ſi is æque reus tam male affectus ſit, ut idem ex parte ſua facere nolit.

R. probabilius eſſe valere hic compenſationem: I. quia *paria crimina compenſatione mutua delentur* ex c. ult. *De adult.* II. quia fama quoddam eſt bonum humanum, & temporale: atqui in rebus temporalibus ſi alter nolit tibi reddere, quod debet, nec tu, quod ei debes, præſtare teneris. III. ideo negat Lugo compenſationem habere locum in materia famæ, quia qui non reſtituit famam alterius, non ideo recuperat famam propriam: atqui hæc ratio non valet. Etſi enim in hoc caſu non recuperat quis famam ſuam formaliter, at recuperat diſpoſitive, quatenus magis ejus reſtitutionem ſpetare poteſt: quia detractor alter, ut juſtitiam obtineat, juſtitiam facere cogetur; quam e contra ſi ſemel obtinuerit, reddere non ſataget. Si tamen detractores diverſæ conditionis ſint, vel alter ut minorem a ſe infamiam averteret, alterum graviori modo læſerit, compenſatio locum non habebit; unde tunc qui plus læſit, tenatur ad reſtitutionem exceſſus a ſe poſiti; quia alioqui non reduceretur æqualitas.

## ARTICULUS QUARTUS.

### *De Furto, ejuſque reſtitutione.*

FUrtum definitur Ablatio occulta rai alienæ invito rationabiliter domino: I. quidem eſt *ablatio*, ſeu uſurpatio, & ſic diſtinguitur ab injuſta damnificatione, qualis eſt domus alienæ per incendium deſtructio. II. *occulta*: quatenus fur eam facit, aut facere intendit domino neſciente, & ſina vi. III. *rei alienæ*: qui enim rem ſuam aufert, furtum non facit, etſi aliunda aliquando peccat. Videndum tamen, an res, quam auſers, non ſit aliquo modo aliena ut eſſet, ſi tu dominium directum habares, ſed alter dominium utile. IV. *domino rationabiliter invito*, hoc eſt ſine conſenſu domini ſaltem prudenter præſumto: ſi enim dominus vel conſentira merito judicetur, vel irrationabiliter conſenſum danegct, non eſt locus furto. In dubio præſumi debet dominum eſſe invitum, quia nemo cenſeri debet velle, ut ſibi res ſua auferatur.

Rapina eſt alienæ rai uſurpatio violenta, ſeu facta præſenta domino, & invito: hinc rapina ſpecie differt a furto in genere moris, quia furto ſpecialem addit injuriam contra perſonam, cujus læditur honos, dum ei quaſi e manibus res ſua violenter aufertur; unde fieri poteſt, ut qui non peccat mortaliter in ratione furti, peccet mortaliter in ratione rapinæ, ut ſi rem levioris momenti per vim a perſona illuſtri auferat.

Furtum dividitur: I. ratione modi, in manifeſtum, cum fur deprehenditur cum re furtiva, & occultum, cum non deprehenditur. II. ratione temporis, in diurnum, & nocturnum. III. ratione rei acceptæ in ſimplex, de quo haſtenus, & qualificatum, quod ve-

vestitum est specialibus circumstantiis, quæ ipsum secundum leges maiori pœna dignum efficiunt; & dividitur in sacrilegium, plagiatum, abigeatum, & peculatum.

Sacrilegium est furtum, vel rei sacræ in loco etiam profano; vel rei non sacræ in loco sacro. Plagiatus est, cum vel mancipia a dominis, vel homines liberi subrepiuntur, aut vendendi, aut in servos retinendi; si enim fruendi causa, dicitur raptus. Abigeatus est furtum pecorum, & hoc crimen in Gallia morte plectitur non raro, ob specialem, quam habet repugnantiam cum fide publica, sub cujus præsidio animalia quædam passim in agris errare permittuntur. Peculatus est furtum rei ad Fiscum, vel erarium publicum pertinentis: quod crimen publicani, & vectigalium redemtores innumeris committunt modis: dum alii vel non omne, quod receperunt, suis in libris consignant; alii plus exigunt, quam a Principe permissum sit; alii schedulas periisse suspicantes, pluries idem repetunt; alii differunt solutionem pecuniæ jam receptæ, eamque interim dant ad usuram: unde hi omnes sedulo a Confessarus interrogandi sunt.

Rapina totuplex distingui potest, quotuplex vis personæ infertur; sive vis inferatur armis, sive intentato mortis metu. Ad rapinam etiam pertinent: I. injustæ tributorum exactiones, quæ *concussio* dicuntur. II. exactio obsequiorum quorundam, vulgo *corvées*, quæ, licet sibi indebita, viri potentes imponunt rusticis. III. sapinæ pariter sei sunt, tum ii, qui stipendio sibi publice assignato non contenti, plus aliquid exigunt; tum ii, qui alios cogunt, ut secum inæquales contsactus ineant; tum ii demum, qui operarios debito privant stipendio, &c. His positis videndum: I. an, & quale peccatum sit furtum. II. quæ sint ejus causæ. III. unde excusetur.

## SECTIO PRIMA.

*An, & quando Furtum sit peccatum mortale.*

CONCLUSIO. Furtum est ex natura sua peccatum mostale.

Prob. I. quia furtum a regno cœlorum excludit, ut patet ex his, I. Cor. 6. *Nolite errare: neque fures .... neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Zachar. 5. *Omnis fur.... judicabitur*.

Prob. II. Illud peccatum ex natura sua mortale est, quod posita sufficienti materia, mortale est: atqui tale est furtum, cum ubi sufficiens est materia, gravites pugnet contra charitatem, & justitiam. Hinc fures gravibus pœnis, & ipsa morte merito plectuntur.

Dixi furtum esse ex natura sua mortale; quia fieri potest, ut sit solum veniale, sive ex defectu cognitionis, sive ex levitate materiæ.

Quæres, quæ quantitas requiratur, ut furtum, aut quævis damnificatio in bonis fortunæ sit peccatum mortale.

Nota I. furtum rei levis posse esse mortale per accidens, & quidem I. ratione damni, quod inde emergit, lucrive, quod cessat: ut si a sartore auferas acum, cujus defectu per dies multos operas suas perdere cogatur. II. ratione doloris, quem concipit alter ex ablatione rei suæ, licet modicæ, quam affectu magno prosequitur, & tunc peccatum eo erit gravius, quo magis affectum hunc cognoveris. III. ratione scandali, ut si leve quid eripias alteri, quem nosti propter hoc blasphematurum esse. IV. ratione intentionis, ut si parvum quid furando, habueris intentionem plura furandi si potuisses, de quo interrogandi sunt pœnitentes in confessione. In his tamen casibus peccatum non tam grave esset in genere furti, quam in genere odii, aut injustæ damnificationis, aut appetitus inordinati; unde si furto gravi annexa foret excommunicatio, vel reservatio, hæc per talia furta non incurreretur.

Nota II. a Theologis satis communiter quatuor hominum genera distingui. Primum est illustrium, qui splendide vivunt; secundum eorum, qui ex reditibus suis vivunt: sed non ita splendide; tertium est artificum, qui suo se sustentant artificio: quartum pauperum, qui mendicando sibi consulunt. Hæc divisio quam sit inadæquata, nemo est, qui non sentiat. Ut enim de solis artificibus loquamus, quotum inter eos est discrimen? Quot gradibus descendendum erit, ut a divite mercatore ad miserum sutorem devenias? Prædictam ergo segulam non tradimus, ut aliquid, in quo pes certo figi possit, bene vero ut aliquid, quo utcunque dirigi possint Confessarii.

Dico igitur, nummum francicum, assibus 60. constantem, satis esse ad constituendum furtum mortale respectu omnium, etiam Regum: unde etiam mortaliter peccabunt, qui alium quemlibet in valore trium librarum damnificabunt.

Prob. summa, quæ secundum se notabilis est, & non levem parit utilitatem, etiam cum de Regibus agitur, ad peccatum mortale sufficit: atqui talis est prædicta summa, quæ omnibus segiæ dignitatis oneribus ut oportet pensatis, ad ea sustinenda non parum juvat; ex ea enim Rex potest alere dia una octo, aut decem milites, qui eum cum vitæ suæ periculo ab hoste defendent; ergo.

Et certe multi Doctores furtum assium 50. ad mortale satis esse putant. Unde sequitur: I. opinionem nostram pro rigida haberi non debere. II. eum, qui Regi nummum subriperet, excepto uno, vel altero asse, mortalis furti reum judicari debere, quia quantitas furti mathematice definiri nequit, sed tantum moraliter: in moralibus autem parum pro nihilo reputatur.

Dico II. Sufficiunt asses 40. ad mortale respectu eorum, qui ex reditibus suis vivunt non ita splendide: respectu artificum, si ars sit majoris lucri, asses 20.: si lucri minoris asses 10.: respectu pauperum, asses 5. aut 6. & sæpe minus.

Prob. quia eæ omnes summæ respective notabiles censeri debent: I. quia sunt stipendium laboris gravis, quo quis portavit pondus diei, & æstus. II. quia sufficere possunt ad victum diurnum. III. quia utilitatem magnam pariunt, & ex privatione earum

oritur

oritur incommodum non leve.

Cæterum cum merces operariorum pro dierum varietata varietur, ita ut major fit æstivo tempore, quam hyemali, sponte crediderim mercedem, quæ medio hyemem inter, & æstatem tempore datur operariis, ad furtum mortale sufficere, & requiri; licet minor summa ob circumstantias sufficere quear; ut si is, cui subrepta est, prolem numerosam habeat, &c.

Quæres II. an mortaliter peccet, qui minima furta successive adversus eumdem committit.

R. I. peccare mortaliter, si ab initio intendat per furta minuta magnam summam furari: quia intentio graviter proximo nocendi grava est peccatum.

R. II. etiam mortaliter peccare, qui absque intentione magnam summam ab initio furandi, ad eam pervenit quantitatem, quæ ad peccatum mortale sufficit. Ratio est, quia qui videt se multis vicibus summam notabilem subripuisse, incipit esse detentor iniquus alieni boni in magna quantitate; ergo peccat mortaliter; saltem ratione iniquæ detentionis. Imo videtur peccare mortaliter ratione iniquæ acceptionis; quia licet partis ultimæ acceptio in se levis sit, juncta tamen moraliter cum præcedentibus, complet ablationem rei gravis: sicut ultimæ partis retentio, licet de sa levis, prout tamen moraliter conjuncta est cum retentione aliarum partium, complet retentionem gravem, estque gravis, & mortalis retentio.

Atque hæc ratio bene ponderata ostendit quodlibet furtum leve cum præcedentibus moraliter conjunctum, & peractum postquam semel completa est materia gravis, esse peccatum mortale; quia cum semel materia gravis, & ad mortale sufficiens esse cœpit, toties ponit homo gravis injustitiæ complementum, quoties de novo furatur. Idque verum est, quamvis fur non posset actu restituere quantitatem præcedentibus furtis sublatam. Quis enim putet eum, qui furatus est alienorum fructuum quantitatem proxime sufficientem ad mortale, quam restituere nequit, non peccare mortaliter eripiendo quantum requiritur ad complendam quantitatem mortalem?

Hinc colliges, quo in statu sint famuli, & ancillæ qui per plura furta levia quantitatem, quæ ad mortale sufficiat, complent, & complere pergunt. Ii enim ax positis modo principiis, quæ communia sunt, peccant, & peccare mortaliter pergunt. Idem dicendum de liberis, qui parentibus aliquid singulis hebdomadibus subripiunt: quanquam major requiritur quantitas ut liberi mortaliter peccent, quam ut famuli; imo major ut hi peccent in poculentis, & esculentis, quæ proprios in usus adhibent, quam in iis, quæ aliis donant; quia parentes, aut domini in uno magis, quam in alio casu sunt inviti. Merito igitur damnata est hæc thesis ab Innocentio XI. *Non tenetur quis sub pæna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.*

Hic duo observanda: I. requiri ad peccatum mortale, ut furta minuta moraliter continuentur: hunc furta illius, qui ex aliena vite singulis annis aliquot racemos excerperet, non censerentur post plures annos in unum mortale coaluisse. Quotum vero tempus requiratur, ut furtum moraliter discontinuari censeatur, certo definiri nequit: unde in dubio tutius est præsumere eum mortaliter peccasse, qui per plura minuta furta ad quantitatem notabilem pervenit. II. requiri, saltem secundum multos, quantitatem paulo majorem ad peccatum mortale in furtis parvis, quæ successive post grave intervallum uni fiunt, quam si fiant simul; quia damnum divisum ex communi hominum sensu non ita nocet, nec tam ægre fertur.

Quæres III. an etiam peccet mortaliter, qui pluribus leves corradit summas, quæ junctæ in summam gravem exurgunt. R. affirmat. alioqui enim qui injustis mensuris vendunt, possent absque peccato mortali ditari, contra id Scripturæ: (*Deut.* 25.) *Non habebis in saculo diversa pondera, majus, & minus ... abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc.*

Confirm. ex censura hujus propositionis ab Innocentio XI. *Non tenetur quis sub pæna peccati mortalis, restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Et certe voluntas coacervandi, vel retinendi grandem alienæ pecuniæ summam, sina mortali peccato esse non potest: porro hanc haberet voluntatem, qui leves pluribus summas corradere intenderet. Fatentur tamen communiter Doctores, summam paulo majorem requiri ad peccatum mortale, cum quis diversis personis damnum creat, quam cum uni.

Ex his omnibus colliges, bona sic parta, sub mortali restitui debere quamprimum, quia alioqui injuste continuaretur damnum notabile. Modus autem restituendi is esse debet, ut quibus in minori pondere vendidisti, iisdem, quantum fieri potest, in majori vendas, vel cum iis descendas in pretio. Deinde, ut quod vere furatus es, si singulis restituere nequeas, vel quia ignorantur, vel quia difficilior est executio, quam res tantilla postulet, vel periculum est infamiæ; hoc sive per Parochum, qui suorum indigentiam novit, sive aliter, in pauperes loci, quem læsisti, diffundi cures, vel in alia opera eidem loco utilia insumas.

## SECTIO SECUNDA.

### *De causa efficiente Furti.*

Difficultas hic agitari solita in eo est, an peccent filii, qui parentum, uxores, quæ maritorum, famuli qui dominorum, Religiosi, qui Conventus bona sibi assumunt. Sit

CONCLUSIO I. Filii, qui parentum bona subripiunt, aut inique dilapidant, peccant mortaliter, & ad restituendum tenentur.

Prob. I. ex Prov. 28. *Qui subtrahit aliquid a patre suo, & matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidæ*: atqui particeps homicidæ moraliter peccat, & quidem contra justitiam.

Prob.

Prob. II. Peccat, & vere furatur, qui rem alienam invito domino rapit: atqui filii rem paternam rapiendo, vere rapiunt id, quod alienum est. Filii enim etsi jus habent, ut alantur a parentibus, non tamen habent jus in bona paterna, aut eorum administrationem quandiu vivunt parentes.

Hinc sequitur, filios teneri ablata parentibus restituere, si possint; ut si habeant castrensia, vel quasi castrensia. Si non possint, tenentur post patris mortem ea in partitionem deducere cum aliis fratribus, nisi constet istos tantundem paternis ex bonis expendisse, aut nisi jam pater debitum illud condonaverit, ut facile concedit rogatus. Videndum tamen, an pater remittere potuerit sine gravi aliorum liberorum damno.

Hinc etiam colliges, quam graviter contra justitiam peccant tot adolescentes, qui in ludum, & turpes excessus impendunt pecuniam sibi a parentibus ad honestos tantum, & præfinitos usus donatam, puta ut libros emant, theses defendant, &c. quique quotidie parentibus harum rerum ignaris fictitias necessitates obtrudunt. Certe juvenes non plus in pecuniam sibi a patribus missam habent juris, quam patres dare intendant: atqui parentes nullatenus intendunt pecuniam largiri filiis, ut tempus otiose terant, a fortiori ut in omni libidinum cœno se turpiter volutent; ergo.

CONCLUSIO II. Uxores etiam graviter peccant peccato furti, si sine mariti consensu notabile quid accipiant de bonis communibus, aut quorum administratio spectat ad maritum.

Prob. quia accipiunt illud, cujus maritus dominium habet, vel saltem administrationem, & usumfructum: licet enim uxor dotis totius, & mediæ partis bonorum communium proprietatem habeat, horum tamen regimen ad maritum pertinet.

Aliud est: I. si uxor quid capiat, ut faciat eleemosynam, & donationes, quæ apud similis conditionis feminas in usu sunt, nisi tamen vir sufficientes largiatur, nisi etiam ipsa excedat. II. si quid sumat, ut familiæ, aut mariti damnum avertat, vel damnum temporale, ut fecit Abigail; vel spirituale, procurando ejus conversionem per eleemosynas, & sacrificia (*I. Reg.* xx. ). III. si in honesta recreatione, & in decentem sui ornatum hoc expendat, quod facere non censetur si summam notabilem ludo exponat. IV. si maritus prodigus sit, & decoctor, poterit mulier clanculo ea subripere, quæ sibi filiisve necessaria erunt; alioqui enim maritus esset irrationabiliter invitus. V. si vir absens sit, aut amens, &c. quia tunc administratio ad uxorem devolvitur, nisi aliunde a Magistratu provisum sit. VI. si pater ejus, mater, aut proles ex anteriori matrimonio suscepta indigeant quoad vitam, vel quoad statum, poterit eis uxor de bonis communibus providere, petita semen prius, ut æquum est, a marito licentia: quam si ille renuerit, potest, & debet eis de dote sua succurrere; est enim hæc obligatio naturalis, quam impedire maritus non potest. Atque hoc alii extendunt ad casum, in quo uxoris frater, aut soror indigerent: tum quia hæc misericors agendi ratio pacem in familiis fovet; tum quia maritus fratribus suis subvenire debet.

Hic tamen duo notanda sunt: I. Confessarios non debere de facili habenas laxare mulieribus, utpote quæ ad inordinatas donationes de se satis propendeant. II. uxorem ea, quæ parentibus dedisset, debere suam in partem referre, cum ad partitionem cum hæredibus viri deveniendum erit. III. damnatam fuisse a Clero Gallicano an. 1700. hanc propositionem: *Potest uxor viro subripere pecuniam etiam ad ludendum, si mulier talis sit conditionis, ut ludus honestus pari loco cum alimentis, ac victu habeatur.*

Quod de uxore communitatis bona subripiente dictum est, idem dicendum de marito, qui etiam ad restituendum tenetur: I. si bona paraphernalia uxoris rapiat, id est, ea bona, quæ uxor nec attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia: quod quidem in Gallia consuetudinaria locum non habet. II. si dissipet dotem uxore invita, aut ad consentiendum coacta, quia dotis proprietas penes uxorem permanet.

Sed quid si maritus magnam bonorum communium quantitatem donet, aut consumat uxore viribus totis reclamante? Divisi sunt hic etiam Doctores Galli; iis adhærendum puto, qui maritum hunc ad restituendum obligant: quia licet administratio bonorum *communitatis* pertineat ad maritum, qui proinde de iis contrahere, eaque lucro & amissioni exponere potest, mediæ tamen eorum partis proprietas ad uxorem pertinet; ergo contra justitiam uxori debitam peccat maritus, qui bona hæc uxore rationabiliter invita dissipat. Hinc quoque opinor Confessarium non posse absolutionem marito huic impartiri, nisi totum, si labore, & cura majori potest, damnum resarciat: quia ad minus charitatem, & quandam legalis justitiæ speciem violavit, quam non alia via reparare posse videtur.

CONCLUSIO III. Peccant peccato furti famuli, & ancillæ, qui herorum bona diripiunt ipsi, vel ab aliis diripi sinunt. Sequitur ex dictis: si enim peccent ipsimet filii-familias, qui paterna bona tollunt, quanto plus domestici, circa quos domini magis inviti sunt.

Excusantur tamen passim ii, qui subripiunt aliquid ad edendum, quod si a domino peterent, concederetur: quia satis norunt domini res suas, eas præsertim, quæ ad gulam pertinent, non ita administrari, ut nihil adhærere soleat manibus contrectantium. Graviter tamen peccarent domestici, qui hæc caperent ad compotationes, ad vendendum, aliisve donandum: item qui iis uterentur dapibus, aut vinis, quæ herus sibi reservata esse voluit, aut quæ communiter domesticis non dimittuntur; ac ii demum qui furando se se exponerent pœnæ mortis, qua domestica furta facile in Galliis puniuntur.

CONCLUSIO IV. Peccant mortaliter Religiosi, qui sine Superiorum licentia aliquid de Communitate expendunt sive in suum, sive in aliorum usum. Idem est de iis, qui aliquid absque Superiorum licentia recipiunt, & sibi retinent.

Prob. tum quia disponunt instar dominorum de re, cujus domini non sunt; tum etiam quia peccant contra votum paupertatis. Sed de his alibi.

SE-

## SECTIO TERTIA.

*De causis a Furto excusantibus.*

QUæres I. an necessitas excuset a furto.

R. affirm. si necessitas sit extrema: secus si sit gravis (*Vid. sup. p.* 534.*col.*2.).

Prob. 1. pars: I. ex communi omnium sententia, quæ docet in extrema necessitate omnia, saltem quoad usum, fieri communia. II. quia rei dominus rationabiliter esse non potest invitus, quod homo qui aliter vitam suam conservare nequit, eam conservet utendo alienis bonis, cum non habet propria, quibus utatur. Unde si dominus durior te, dum extrema necessitate victus bonum ejus invadere cogeris, repellere vellet, posses eumdem tanquam juris tui invasorem injustum repellere.

Sed transacta extrema necessitate debetne tas ei reddi, cui subrepta fuit?

R. reddi debere: I. si adhuc extet in sua specie: sic qui ut vitæ suæ fuge consuleret, equum abstulit, eum restituere debet, statim ac evasit ex periculo. II. reddi etiam debet quod in extrema necessitate emtum est, vel mutuo acceptum: tum quia contractus juste initi servari debent; tum quia qui emere, vel mutuum accipere potest, non est simpliciter in necessitate rapiendi aliena, sed emendi, &c. III. & illud quoque reddere debes quod subripuisti, si non sis absolute pauper, ut si alibi bona habeas. Tota igitur difficultas est, an qui *re, & spe pauper est* (*Lugo*), ita debeat esse affectus, ut reddat quod rapuit, si ad pinguiorem fortunam devenerit.

R. probabilius videtur nullam esse in hoc casu restituendi obligationem, etiamsi res subrepta magni sit momenti; (nam de re levi nulla est difficultas, quia res levis censetur data per eleemosynam, quæ in tali necessitate juris est divini,& naturalis). Ratio est: I. quia res sic subrepta facta est communis, non solum quoad usum, sed etiam quoad proprietatem: Deus enim hominibus bona simpliciter, & absolute dedit ad conservationem vitæ: huic porro Dei dispositioni jus gentium, quo introducta est rerum divisio, præjudicare non potest. II. quia si dives pauperi extremam necessitatem patienti sponte daret id, quod ei saltem ex charitate debet, pauper ille a restituendo immunis remaneret; atqui non est existimandum, quod propter improbitatem divitis pauper pejoris sit conditionis, aut ipse dives melioris; alioqui is commodum ex peccato suo reporteret; ergo.

Neque hinc sequitur eum, qui ob extremam, in qua versabatur, necessitatem restitutionem distulit, transacta necessitate sua liberum esse a restituendo: quia qui restitutionem rei alicujus distulit, non possidebat eam titulo necessitatis, sed vel ex contractu, vel ex delicto, &c. porro contractus legitime initi observari debent; delicta vero non remittuntur, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.

Prob. 2. pars, nimirum quod necessitas gravis non excuset a furto: I. quia alioqui janua innumeris furtis aperta foret. Quot enim hodie homines gravi necessitate laborant? Quot facile sibi persuaderent se in ea esse constitutos? II. quia damnata fuit hæc propositio ab Innocentio XI. *Permissum est furari, non solum in extrema; sed etiam in gravi necessitate.*

Sunt tamen necessitates aliquæ tam graves; ut moraliter æquivaleant necessitati extremæ, v. g. periculum gravioris morbi, vel servitutis: quo in casu licitum est in necessitate gravi, quod & in extrema.

Quæres II. an excusetur a furto, qui rem suam sibi propria auctoritate vindicat. R. affirmat. modo res illa vera, liquido, & totaliter sua sit. Ratio est, quia tunc non rapit alienum. Quod si res non sit certo tua, tunc eam auferre non potes, quia in dubio melior est conditio possidentis.

Ut tamen rem suam sua quis auctoritate sibi vindicet, oportet: I. ut eam in judicio commode obtinere non possit. II. ut absit omne scandali periculum: sæpe enim contingit, ut qui tollit quod suum est, vel proximo quasi injusto detentori infamiam procreet,vel sibi quasi injusto raptori labem aspergat. III. ut non exponat proximum periculo rem illam iterum restituendi; non exponet autem, si quo convenientiori modo fieri poterit, ostendat sibi nihil deberi. IV. si res actu debita sit: qui enim, ut ajunt, terminum habet, acto ut debitor vexati non potest. V. si res illa sibi debita sit ex justitia; neque enim sufficeret debitum antidorale. His positis conditionibus, non peccas vel contra debitorem, cum non auferas quod ajus est, vel contra Judicem, cum supponatur eum vel nolle, vel non posse debitum tibi tuum adjudicare.

Quæres III. an excuset compensatio, puta si cum rem tuam recuperare non potes, aliam æquivalentam subripis debitori tuo.

R. I. Non licet famulis, operariis, officialibus aliquid subripere, eo prætextu quod stipendium justo minus accipiant: I. quia damnata est hæc propositio (37. *Innoc. XI.*): *Famuli, & famulæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod acceperunt.* II. quia debitum, quod hujusmodi personæ prætendunt, certum non est; cur enim ipsis potius, quam dominis fides habebitur? Cur alium herum, qui plus daret, non quæsivere? aut si invenire non potuerunt, cur pro injusto habent pretium, quod communiter pro talibus operis datur, & quod dominus augere noluisset, si eorum plus lucrandi voluntatem comperisset habuisset?

Aliud asset, ait Decoq, si servus ad quædam opera conductus, aliis insuper gravatus esset a domino, qui nihil pro eis adderet stipendii: quanquam malim, ut servus ab eo domino discedat, aut ei repræsentet laboris excessum, cui merces amplior debeatur.

R. II. cum S. Antonino (2. *p. tit.* 15. §. 1.), & aliis communiter, compensationem occultam, positis necessariis conditionibus, esse licitam. Ratio est, quia per eam nec violatur justitia commutativa, cum ii, qui compensatione utuntur, id solum accipiant, quod stricte suum est, ut supponimus; nec viola-

violatur justitia legalis, cum etiam supponamus ad Judicis auctoritatem commode recurri non posse. Et vero si pauper famulus, cui ab hero debentur aurei centum, quos obtinere nequit, præ manibus habeat aureos ejus decem, quis eum ad restituendum obligare ausit?

Porro conditiones hic requisitæ eædem sunt, quas statim requirebamus, ut aliquis rem suam tuto sibi propria manu vindicare possit; est enim uterque casus quædam compensationis species.

R. III. compensationes in jure odiosas haberi, raroque simul concurrere conditiones omnes, sine quibus eæ licitæ esse non possunt: adeoque hæc in praxi esse a Confessario observanda: I. ut nunquam suadeat compensationem. II. ut consulenti, an licita sit, respondeat, Theologos communiter affirmare eam esse licitam cum requisitis circumstantiis; sed hanc boni sui recuperandi rationem esse periculi plenam, ideoque se eam consulere non posse. III. si pœnitens ea usus sit proprio motu, perpendet prudens Director, an adfuerint conditiones requisitæ; quæ si adfuerint, non obligabit pœnitentem ad restituendum, sed eum monebit periculi, cui se se imprudens exposuit. IV. raro fidem habebit famulis, inquieto hominum generi, qui vix unquam contenti sunt.

Ex his patet sartores, qui vestium fragmenta vendunt, eo prætextu quod pretium justo minus recipiant, ad restituendum teneri, si ea, ut solet, fragmenta vendant, quæ domini abjicere non consueverunt. Qua propter Confessarii in his furtis, etiamsi nondum ad mortale pertingant, dissimulare non debent, sed præcipere ipse furibus, ut rem, ejusve pretium reddant, aut laborent vel melius, sed eodem pretio ac ante, vel si æqualiter, pretio minori.

Quæres, an qui promisit alteri se soluturum esse id, quod ipsi debet, possit usurum esse compensatione, teneatur stare contractui. R. affirmat. quia promissio de re licita, & possibili jure naturæ obligat: atqui promissio non utendi compensatione est de re licita, & possibili; utque hæc subsistat, satis est, ut promittens cedere velit jure compensationis, quo uti potuisset.

Major est difficultas, an qui juravit se soluturum esse debitum, absque eo quod expresse intenderet cedere compensationi, possit uti compensatione.

R. cum plerisque, etiam in hoc caso licitum esse uti compensatione, sive juramentum sit factum ante debitum compensandum, sive post illud. Ratio est: I. quod quisquis jurat se soluturum, semper hanc subintelligit conditionem, *Si debitum habuero solvendi*: sed posito compensationis casu, jam deest solvendi obligatio; ergo. II. quia juramentum sequitur naturam actos, cui adhæret, quoad conditiones tacitas, quas habet contractus ex jure, aut consuetudine, aut etiam mente contrahentium: atqui compensatio regulariter locum habet in omni debito; ergo etiam in jurato, præsertim cum non juratur, nisi supposita conditione, quæ non adest, ut ostendit prima ratio, quam attulimus.

# TRACTATUS
## DE
## CONTRACTIBUS.

Communem methodum secuti, Tractatum hunc, cujus notitiam Confessariis summopere necessariam esse nemo ambigit, duas in partes dividemus. Prima erit de contractibus in genere: secunda, de variis contractuum speciebus.

# PARS PRIMA.
## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Ut omnia, quæ ad contractus generice sumtos pertinent, amplectamur, videndum: I. quid, & quotuplex sit contractus. II. quinam contrahere possint. III. quis ad contrahendum requiratur consensus, & an consensui huic noceant dolus, error, aut metus. IV. quam, & quando obligationem pariat contractus.

## CAPUT PRIMUM.
### *De natura, & divisione Contractus.*

Contractus sumitur late, & stricte.

Contractus stricte sumtus definitur Actus externus inter duos, aut plures ex mutuo eorum consensu ultro citroque obligationem pariens.

Dicitur I. *actus externus*: actos enim mere interior, etsi respectu Dei cordium inspectoris in voto, v. g. sufficere potest, respectu tamen hominis non sufficit; quia ut talis nec cognosci, nec acceptari potest. Dicitur II. *inter duos, aut plures*; quia idem homo secum contrahere nequit. Dicitur III. *obligationem pariens*; obligatio enim est onus, quod mutuo sibi imponunt contrahentes, ut v. g. unus laboret, alter laboris stipendium solvat. Dicitur IV. *ex utraque parte*; & sic contractus stricte sumtus distinguitur a contractu late sumto, qui etiam *pactum* dicitur, & definitur in Jure duorum, pluriumve in idem placitum consensus, saltem in alterutro obligationem pariens. Quapropter contractus omnis est pactum; sed non omne pactum est contractus stricte sumtus; venditio v. g. est contractus stricte sumtus, quia in venditore, & emtore mutuam obligationem inducit. Promissio acceptata est pactum, quia inducit obligationem in promittente standi promissis. Promissio non acceptata nequidem est pactum, quia nullam, ne in promittente quidem, obligationem parit: sæpe tamen in Jure pactum, & contractus promiscue sumuntur.

Con-

Contractus dividitur: I. in *formalem*, seu expressum, & *virtualem*, seu implicitum. Contractus formalis est ille, quo duo, vel plures expresse de aliqua re conveniunt, cum obligatione vel mutua, si contractus stricte dictus sit, vel saltem unius erga alterum, si contractus late sumatur. Contractus virtualis ille est, qui fit tacita partium conventione: sic Judex, Medicus, Tutor, cum hæc officia suscipiunt, eo ipso virtualiter spondent operam omnem, quam adhibere solent ejusdem conditionis homines erga eos, in quorum gratiam hæc munera exercent; & u vicissim saltem implicite spondere censentur, se id retributuros, quod vi legis, aut consuetudinis sancitum est. Hæ conventiones tacitæ vocantur *quasi contractus*, & vim habent ex justitia obligandi, sicut ipsi contractus.

Dividitur II. in *nominatum*, & *innominatum*. Nominatus ille est, qui proprium nomen habet. tales sunt emtio, venditio, locatio, societas, mutuum, pignus, & alii similes, qui propria in Jure nomina habent. Contractus innominatus est ille, qui proprium non habet nomen, sed genericum duntaxat contractus, aut pacti. Quatuor sunt ejus species: nempe do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias. *Do* v. g. boves, *ut des* vinum; *do* boves, *ut facias* opus in vinea mea; *facio*, & laboro, *ut des* mihi boves; *facio* opus in agro tuo, *ut* in vinea mea idem *facias*, vel ut me artem aliquam edoceas. In contractibus innominatis sub affirmatione comprehenditur negatio: unde si Petro des bovem, ut aliquid non faciat, dicitur, do, ut facias. Quod si partim pecuniam, partim aliam rem dederis, erit contractus mixtus, qui nomen a parte excedente desumet: ut si des mille aureos & equum pro fundo, erit emtio; si mille equos, & paucos aliquot nummos, erit contractus innominatus.

Refert autem hujusmodi contractus dignoscere, eo quod in contractibus innominatis facultas resiliendi, non ei quidem, qui accepit, sed ei, qui dedit, jure permissa sit: v. g. dedi pecuniam Titio, ut Romam iret, hanc juridice repetere possum, si nondum ierit, aut præparaverit itineris impensas, nisi contractus ille *vestitus sit*, de quo statim. Aliter se res habet in contractibus nominatis, qui cum ex una parte impleti sunt, ex alia impleri debent, ita ut non nisi mutuo consensu dissolvi possint.

III. Dividitur in contractum *bonæ fidei*, & *stricti juris*. Prior ille est, in quo Judex ex æquo & bono multa moderari potest, quæ licet a contrahentibus expressa non fuerint, censentur tamen secundum bonam fidem contractui inesse: tales sunt emtio, locatio, &c. Posterior ille est, qui strictam verborum interpretationem postulat, ita ut obligatio secundum verba, & non amplius extendatur: tales sunt emphyteusis, census, mutuum, stipulatio. Hæc distinctio parum refert ad forum conscientiæ, quia omnes pene actus non tam attento verborum rigore, quam ex æquo & bono dijudicari debent.

IV. Dividitur *in nudum*, & *vestitum*. Contractus nudus est conventio mera carens omni firmamento, quo actionem civilem parere possit; sive interim obliget in conscientia, sive non: contractus vestitus est ille, qui præter conventionem aliquod habet juris adminiculum, vi cujus oritur actio civilis. Contractus vestitur multis modis: ut I. si sit contractus nominatus in suo genere perfectus. II. contractus etiam innominatus vestitur, si per scripturam fiat coram Notario; si juramento firmetur, &c.

V. Dividitur in *gratuitum*, & *onerosum*. Gratuitus, qui etiam lucrativus dicitur, ille est, in quo aliquid accipitur, & nihil rependitur, ut donatio. Onerosus ille est, in quo utrinque aliquid datur, & redditur, ut emtio.

VI. Dividitur in *purum*, cui nullum adjicitur accidens; & *non purum*, cui additur aliquod accidens; & hic quintuplex est. Primus dicitur *ad diem*: ut si dicas: Promitto tibi centum nummos, sed non solvendos ante diem Paschæ. Secundus dicitur *ad conditionem*: ut, Promitto tibi centum nummos, si tertium lauream obtinueris. Tertius, *ad modum*: ut Promitto tibi hanc summam, ut studia perficias. Quartus, *ad causam*: ut, Do tibi pecuniam, quia pauper es. Quintus, *ad demonstrationem*, cum apponitur aliquod signum ad rem, vel personam designandam, ut, Do tibi centum nummos in tali arca reconditos.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De causa efficiente Contractus.*

AD contractus valorem quatuor requiri solent: I. ut qui contrahunt, habiles sint ad contrahendum. II. ut materia, de qua contrahunt, sub contractum cadat. III. ut contrahentes consentiant. IV. ut formam, si qua sit Jure præscripta, sequantur. Nunc dicimus de personis ad contrahendum habilibus, & præcipue de iis, quæ inhabiles sunt; ex iis enim aliæ satis colligentur.

CONCLUSIO I. Illi omnes contrahere possunt, qui liberam boni sui administrationem habent.

Prob. Illi contrahere possunt, qui boni sui dominium in alios transferre possunt: sed qui boni administrationem liberam, seu Jure non impeditam habent, possunt boni sui dominium in alios transferre; cum in hac potestate præsertim consistat libera boni administratio; ergo.

Hinc amentes, furiosi, prodigi, quibus boni administratio sublata est, contrahere non possunt. Hinc etiam tutor, etsi bonorum administrationem habet, cum pupillo contrahere nequit; quia id legibus vetitum est, nisi plures sint tutores, quorum alter alteri pupillum obligari consentiat. Verum hæc expositione indigent.

Quæres itaque: I. possintne contrahere pupilli, & minores. Ut solvatur quæstio,

Not. I. hic distingui filios-familias, infantes, pupillos, puberes, minores, majores, & emancipatos.

Per filios-familias intelliguntur non solum filii legitimi, aut filiæ, sed etiam alii, qui ex iis per viam masculinam nati sunt, quamdiu sub patris, aut avi paterni potestate existunt; quod verum est, etiamsi annum 25. excesserint. Quapropter si filius tuus legitimus

tinus filios, aut filias procreaverit legitime, ii omnes in potestate tua tandiu erunt, donec filius tuus emancipatus fuerit; tunc enim filii ejus, aut filiæ sub ipsius potestate erunt. In Provinciis, ut ajunt, *consuetudinariis* filii-familias per matrimonium emancipantur, non in iis, quæ jure scripto reguntur.

Infantes ii dicuntur, quibus annus septimus nondum completus est: unde infantia a puncto nativitatis incipit, & ad septimum usque annum completum perdurat; & tunc incipit ætas impubertatis, aut pupillaris.

Impuberes, si mares sint, ii sunt, qui necdum habent completos annos 14, aut 12. si sint feminæ.

Pupilli ii dicuntur, qui cum adhuc sint impuberes, desinunt esse in potestate patris, vel per ejus mortem, vel quia ab eo emancipantur.

Pupilli vel sunt proximi infantiæ, vel proximi pubertati: infantiæ quidem, si propiores sint termino, in quo desinit infantia, quam ei, in quo incipit pubertas: pubertati vero, si e contra propinquiores sint termino, in quo incipit pubertas, quam in quo desinit infantia.

Post adeptam pubertatem filii-familias utriusque sexus dicuntur *minores*, donec pervenerint ad annum vigesimum quintum; quo completo *majores* vocantur. Filius annis viginti quinque minor extra patriam potestatem constituitur per emancipationem seu a Patre, seu a Principe concessam.

Emancipatio minorum facit, ut iidem de mobilibus suis disponere possint, immobilia locare, eorumque reditus percipere; at immobilia vendere, oppignerare, de iisve transigere non possunt, nisi de consensu curatoris, qui eis hunc in finem datur, & vocatur *Curator ad causas*.

Not. II. Jure Romano pupillis, & impuberibus dantur *tutores*, a tuendo, vel tutando dicti, minoribus vero *curatores*, qui minus juris habent, quam tutores. Verum in Gallia consuetudinaria nullum est discrimen pupillum inter, & minorem, cum ille omnis appelletur minor, qui sive impubes, sive pubes necdum attigit annos viginti quinque.

Tutores, & curatores statim ut electi sunt, pupilli bonorum inventarium conficere tenentur, deinde operam dare, ut bona immobilia fructum pariant, atque ut pecunia in annuos reditus convertatur. Usura (*L'interest ou l'interest.*) usuræ pupillo debita est: unde cavere debet tutor, ne usuræ a pecunia prodeuntes otiosæ remaneant. Res, *quæ tempore depereunt*, vendi debent, ex iis tamen quædam sunt conservandæ, ut in villis pecudes, vindemiæ instrumenta, & alia, quibus pupillus pubertati proximus prope diem indigebit. Ceterum tutores, & curatores ad tutelam coguntur: unde ad restituendum tenetur tutor, qui rejecta tutela bona pupilli non curavit, antequam ab ea cura per Judicem liber existeret. His præmissis

R. I. pupillos infantes, aut infantiæ proximos contrahere non posse in suum incommodum, posse vero in utilitatem suam, *etiam sine auctoritate tutoris*. Ita legibus sancitum est in favorem illius ætatis, ut juventuti in damnis succurreret, & in prospere gestis nihil afferret detrimenti. Fatendum tamen majorem, qui cum pupillo, aut minore contraxit, posse contractus executionem recusare, nisi pupilli, aut minores tutoris consensum, aut Judicis decretum, si opus sit, obtinuerint.

R. II. Filius-familias impubes non obligatur civiliter ex contractu etiam de bonis castrensibus, tametsi ex patris consensu contraxerit. (*Inst.* §. 9. & 10. *De inut. stipulat.*) Obligaretur tamen pupillus, si cum tutoris consensu contraxisset, quia recursum habet in tutorem, si male consensum præstet, at vero filius-familias patrem sibi obligatum non habet.

R. III. res immobiles, aut etiam mobiles, quæ servando servari possunt, ut aurum, gemmæ, ceteraque mobilia pretiosa a pupillis, aut minoribus, etiam de tutoris auctoritate, & consensu, alienari valide non possunt; nisi accedat Judicis licentia, & probatio causæ exigentis, ut hæc alienatio fiat, puta ut æs alienum solvatur. Ita præcipitur Leg. 22. Cod: *de administr. tutor. vel curat.*

Sed mobilia, quæ servando servari non possunt, id est per triennium sana custodiri; qualia sunt vinum, vestes usu detritæ &c., valide a pupillis alienantur, modo accedat auctoritas tutoris. Minor, qui curatorem non haberet, quod in jure Romano sæpe contingit, hæc per se alienare posset, quamvis si læsus fuerit, uti possit beneficio restitutionis in integrum (*Edict. an.* 673.). Sed minores, qui mercaturam exercent, majores reputantur, neque sub minoritatis prætextu restitui possunt.

Quæres II. an sint casus, in quibus pupilli sine tutoris auctoritate contrahentes civiliter obligentur.

R. esse. Primus est, si pupillus ex contractu locupletior factus sit: unde si mercator pupillo mercem tradiderit non accepto pretio, mercem suam repetere potest, si pupillus pretium solvere nolit; si vero mera vel amissa, vel absque dolo consumta fuerit, non plus in civili foro solvere compellitur pupillus, quam ditior factus est.

Secundus casus est, si res dolo pupilli perierit; tunc enim datur actio in eum, etsi non factum ditiorem. In pupillo infantiæ proximo non præsumitur dolus.

Quæres III. an sicut pupillus, & minor, qui sine tutoris auctoritate contrahunt, civiliter non obligantur, ita etiam non obligentur naturaliter, seu in foro conscientiæ. Hæc quæstio nec movetur de pupillo infantiæ proximo: nam fere omnes concedunt eum non obligari naturaliter, nec de pupillis, qui unicum tutorem habentes cum eo contraherent, nec de iis demum, qui bona immobilia, vel mobilia pretiosa sine Judicis auctoritate alienarent; utrumque enim legibus prohibetur, irritatur, ut statim dixi. Lis igitur tota est de pupillo, & minore, qui de mobilibus, quæ ad triennium servari non possunt, contrahunt sine tutoris, aut curatoris licentia. Sit

CONCLUSIO II. Pupilli, & minores, etsi civiliter non obligantur, obligantur naturaliter: hæc tamen obligatio elidi potest.

Prob. 1. pars: I. quia obligatio naturalis oritur ex consensu: atqui pupillus pubertati proximus, & minor, sufficientem consensum habent; quandoquidem se se Deo per vota obligare possunt, quorum utique gra-

vios

vior est, quam plerorumque contractuum obligatio. II. quia principali nullateons obligato, non obligatur fidejussor, ut communiter docent Jurisperiti: atqui tamen fidejussor pupilli, qui sine tutoris auctoritate contraxit, obligatur civiliter, ut constat ex Leg. 25. ff. *De fidejuss.* ergo & pupillus naturaliter obligari debet.

Prob. 2. pars: quia ea omnium confessio pupilli & minores jus habent sibi propter infirmam ætatem legibus concessum, ut naturalem, quam contrahendo susceperunt, obligationem elidant, petendo a Judice rescissionem ejus; & qui cum iis contrahunt nosse debent se in hoc casu nunquam in tuto reponi, nisi minorum consensui tutoris consensum adjungi curent.

Obj. Si pupilli naturaliter obligarentur, transferrent in accipientem verum dominium summæ, quam eidem solvunt: unusquisque enim legitime accipere potest quod alter sibi naturaliter debet: atqui pupilli dominium non transferunt in accipientem, ut constat ex §. 2. Institut. *Quibus alienare licet*.

R. dist. min. pupilli non transferunt verum dominium, si sint infantiæ proximi, C. si non sint proximi infantiæ, subdist. non transferunt quoad immobilia, vel etiam mobilia, quæ servando servari possunt, C. quoad alia, subdist. non transferunt dominium civile, quia eorum actio a legibus non approbatur, C. non transferunt naturale, quod nempe fundatur in debito naturali, N.

Inst. Ex Lege 59. ff. *de obligat. & actionib.* & aliis passim pupillus mutuam pecuniam accipiendo jure naturali non obligatur; ergo.

R. dist. pupillus juxta leges non tenetur obligatione naturali efficaci, quæ liget, & arctet simpliciter, quia eam elidere potest, si velit, ut qui non absolute teneatur stare contractui, C. nullo modo naturaliter tenetur, N. An autem, & quando obligatio, quam mutuum accipiendo contraxit pupillus, elidi possit ope Senatusconsulti Macedoniani, expendam paulo post.

Ex conclusione nostra sequitur: I. eum, qui accepit aliquid a pupillo, & minore absque auctoritate tutoris, posse illud retinere, donec pupillus beneficio restitutionis utatur. II. pupillum, & minorem non teneri solvere id, quod ludendo perdidit, aut alio contractu promisit (nisi, ait Laimann, juraverit se soluturum, de quo infra): posse vero civilis legis favore se tueri; si enim solvisset, posset uti beneficio restitutionis in integrum: atqui ex Reg. 71. Jur. in 6. *qui ad agendum admittitur, est multo magis ad excipiendum admittendus*. Quid enim hic circulo opus est, ut primo solvas, deinde id, quod solveris, repetas?

Ad quid ergo, inquies, inservit ea naturalis obligatio, quam a pupillo contrahi dicimus?

R. obligationem hanc tradere creditori verum jus accipiendi, & retinendi id, quod sibi a pupillo solvitur nulla opposita legis exceptione.

Quæres IV. an minor, qui pecuniæ summam mutuo accepit, & expendit, eamdem restituere teneatur; an vero rescissionis litteras, quibus in integrum restituatur, tuta conscientia obtinere possit.

R. facilitatem pecuniæ filiis-familias, & minoribus mutuo dandæ repressam fuisse Senatusconsulto *Macedoniano* (*L.* 1. *ff.* de Sen. Mac.). Sed quia Leges Romanæ in Gallia vim, & robur per se non habent, ideo quæstionis hujus solutio e Gallicis Auctoribus repetenda est: itaque

Dico I. filium-familias ad pecuniæ mutuo acceptæ restitutionem in conscientia non teneri, si mutuo dans prævidere potuerit eam a mutuatario turpiter, aut inutiliter esse impendendam.

Prob. I. quia Senatusconsultum Macedonianum etsi minus apud nos habet extensionis, quam apud Romanos, viget tamen in Gallia ad sensum conclusionis nostræ. II. quia mutuo dans subjecit se imposito per legem oneri, ut nempe pecunia sua privetur, si eam filiusfamilias restituere nolit. Hoc autem onus juste impositum est, ne scilicet filii debitis graventur, & ut ea solvant, parentum vitæ insidientur. III. quia postulat publica utilitas, ut irrita non sit lex sapientiæ plena, quæ mutua hæc prohibet, ne pupilli eorum spe bona sua dissipent: atqui lex ea irrita foret, si filii familias non possent in conscientia petere restitutionem in integrum: tunc enim eadem ferme facilitate invenirent viros lucri avidos, qui sibi mutuo darent; ergo.

Extenditur hæc Conclusio: I. etiamsi pater filii-familias postea e vivis excesserit: mutui enim datio in origine invalida, per patris mortem non validatur. II. etiamsi filii-familias, qui mutuo acceperunt, majores sint, modo paternæ potestati adhuc subjaceant, puta quia emancipati non sunt; quod in Provinciis Jure scripto utentibus frequens est.

Dico II. Multi tamen sunt casus, in quibus filii-familias, & minores pecuniam mutuo acceptam restituere tenentur. Ut I. si inde locupletiores facti sint. II. si mutuans mutuatarium *patrem-familias esse crediderit, non vana necessitate deceptus, nec Juris ignorantia, sed quia publice pater-familias plerisque videbatur*, Leg. 3. ibidem. III. si mutuans mutuo dederit ea mente, ut minoris bonum procuraret: tunc restituendum erit, etsi præter mutuantis opinionem bene fundatam id, quod mutuo datum erat, malos in usus expensum fuerit. Addit Comitolus pupillum, qui vel cum Indo de mercibus huc asportatis, vel cum rustico legum inscio de re aliena contraxit, teneri pactum justè pretium exsolvere, etiamsi eæ res jam perierint: quia hinc urget obligatio conscientiæ, inde vero non videtur invocari posse beneficium legis.

Quæres V. quinam adhuc sint ad contrahendum inhabiles.

R. multos esse. Ut I. qui morte per contumaciam damnati sunt, & contumaciam, ut ajunt, non purgavere. II. qui triremibus, aut exilio in perpetuum mulctati sunt. III. muti, & surdi: sed iis dantur curatores, qui eorum nomine contrahunt. Id tamen jam in testamentis locum habere nequit post constitutionem Regiam an. 1735., quæ art. 2. sic habet: *Declarons nulles toutes dispositions, qui ne feroient faites que par signes, encore qu'elles eussent été rédigées par écrit, sur le fondement desdits signes.*

Uxorum longe pauciora sunt, quam maritorum

jura

jura: I. enim Senatusconsultum *Vellejanum* vetat, ne mulieres fidejubeant, seu se se pro aliis obligent: quod tamen in plerisque Regni Provinciis abolitum est Edicto an. 1606. II. uxor contrahere, & disponere non potest de bonis familiæ, de dote, ejusve fructibus, cum maritus præsens est, & hæc bona administrare potest; quia etsi dotis totius proprietas penes uxorem est, ejus tamen administratio ad virum, ut ad familiæ caput pertinet.

Valide etiam contrahit, seque citra mariti auctoritatem obligat mulier: I. cum ea possidet bona, *quæ Græci parapherna dicunt, quæque Galli peculium appellant* (*L. 9. ff. de jur. dot.*). Atque hoc locum habet in Parlamentis omnibus, quæ Jure scripto utuntur. II. cum mulier quoad bonorum communionem a marito separata est; tunc tamen *eadem mulier nullam habet licentiam* bona hæc, etsi separata, *alienandi vivente marito, & matrimonio inter eos constituto* (*Leg. 29. cod. de jur. dot.*); quod in Galliis etiam viget: unde separatio hæc dat jus administrandi, non alienandi bona immobilia. III. si maritus uxorem speciali alicui commercio vacare patiatur; ea enim de tali commercio valide paciscetur, etiam absente, nec auctore marito; secus si mulier non aliud agat commercium, quam maritus, quia tunc non tam est mercatrix, quam institria.

## CAPUT TERTIUM.

*De Causa formali Contractus.*

CAusa formalis, seu forma contractus consistit in consensu, & in verbis consensum exprimentibus. Videndum ergo: I. quis, & qualis ad contrahendum requiratur consensus. II. an consensus ille cum errore, dolo, & metu conciliari possit.

### ARTICULUS PRIMUS.

*De consensu ad Contractum requisito.*

QUæres I. an ad valorem contractus requiratur consensus interior. R. affirmat. I. quia ad contractum requiritur duorum, vel plurium voluntatum conventio: atqui ubi deest consensus omnis, ibi nulla esse potest voluntatum conventio. Conventio enim voluntatis ejusdem actum, & assensum importat: porro non consentit voluntas, cum negative se habet, & multo minus cum positive renititur. II. quia per contractum id, quod nostrum erat, ad alios transfertur: atqui sine vero nostro consensu id, quod nostrum est, aliorum fieri nequit; sicut sine nostro consensu id, quod alienum erat, nostrum fieri non potest; ergo.

Obj. Si ad validitatem contractus requiratur consensus interior, facta venditione verbis solum externis, emtor plenum rei sibi traditæ dominium non habebit: atqui falsum consequens. Fatentur enim omnes emtorem non teneri in foro conscientiæ rem sic emtam reddere venditori se simulate vendidisse dicenti; ergo.

R. I. retorq. argumentum. Qui matrimonium contraxit cum persona, quæ simulate consensit, non tenetur eidem se ficte consensisse dicenti fidem adhibere: atqui tamen inde non colligitur quod valeat contractus matrimonialis absque interiori consensu factus; ergo a pari in proposito.

R. II. neg. maj. & dico emtorem rei sic emtæ plenum habere dominium, non propter validitatem contractus, quæ nulla est; sed vel propter præsumtionem, quæ ex verbis verum consensum exprimentibus resultat, & subsistit quandiu sufficientibus argumentis non eliditur; vel propter dispositionem Reipublicæ, quæ ut ficte consentientem puniat, aufert ab eo dominium rei, quo per solum contractum privatus non esset.

Quæres II. an consensus debeat esse voluntarius. R. consensum voluntarium esse debere sufficienti aliqua voluntate. Voluntas autem vel est *formalis*, ut cum quis expresse aliquid vult; vel *virtualis*, quæ in formali rei alterius volitione consistit, ut si equum emis, vis etiam eo uti posse; vel *debita*, seu *legitima*, cum quis debet velle, etiamsi forte non velit. Formalis sufficientissima est, & non semper requiritur: virtualis sufficit, & fere semper requiritur: debita, seu legitima aliquando sufficit, ut si quis in extrema necessitate positus panem ab homine invito accipiat; valet enim hæc acceptio, quia homo ille volens esse debet, & est irrationabiliter invitus.

Quæres III. an in contractu consensus signis exprimi debeat. R. affirmat. quia homo, qui cum altero contrahit, humano modo se se eidem obligare debet; hoc autem efficere non potest absque signis exterioribus.

Ea porro multiplicis sunt generis: I. enim aliquando sufficiunt nutus, unde surdi, & muti matrimonium contrahere possunt:

II. Aliquando verba, aut literæ solæ sine scriptura authentica, ut *in emtionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis*, Institut. Lib. 3. tit. 23., quod etiam in Gallia servatur.

III. Aliquando verba indeterminata sunt, ut in contractibus modo citatis; nonnunquam vero adeo sunt determinata, ut qui unum alterius loco usurpat, causa sua cadere possit: quod præsertim locum habet in retractu gentilitio. Retrahens enim rei, quam retrahere vult, pretium hisce verbis offerre debet: *Offre bourse, deniers, loyaux coûts, & à parfaire*, quæ tam essentialia sunt, ut propter omissum ultimum Curia Parisiensis semel, & iterum judicaverit retractui locum non esse.

IV. quidam sunt contractus, qui, *ut substantiam capiat obligatio*, rei traditionem requirunt (*Instit. ibid.*); & hi sunt mutuum, commodatum, depositum, & pignus.

V. nonnulli contractus sola scriptura perficiuntur: sic jus scripturam exigit ad contractum emphyteuti-

cum

cum de re Ecclesiastica, & ad eos etiam contractus, qui insinuatione indigent.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*An consensus ex errore, vel dolo elicitus sufficiat ad Contractum.*

CErtum est eum, qui in contractibus alium decipit, mortaliter, aut venialiter peccare, secundum naturam damni, quod alteri affert; sed quæritur, an valide contrahat. Quæ difficultas ut solvatur,

Not. I. Error est existimatio falsi: dolus vero est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, & decipiendum alterum adhibita.

Not. II. Error est vel circa substantiam rei, ut si farinam avenæ emas, ratus eam esse tritici; vel circa accidentia, ut si tritici farinam emas, sed bimam, non recentem, qualem eam esse credideras.

Error, & dolus circa accidens, seu qualitatem rei accidentalem, duplex. Alter dicitur *dans causam contractui*, alter dicitur *incidens in contractum*. Error dat causam contractui, cum is, qui contrahit, secluso errore non contraheret; ut cum quis emit equum tardum, quem velocem existimabat, tardum ceteroqui non empturus, si eum talem cognovisset. Error vero dicitur duntaxat in contractum incidens, cum est causa non quod emas simpliciter, sed quod libentius, & carius emas id, quod sublatis errore, & deceptione adhuc emeres, sed non tanti.

Ad errorem circa substantiam revocatur error, tum circa naturam contractus, ut si credas tibi donari quod tibi venditur; tum circa motivum substantiale contractus, ut si Titio promittas pecuniam, præcise quia eum tibi consanguineum esse credis; cum non sit. Ad errorem circa accidentia pertinet error circa illud omne, quod est intrinsecum contractui, sive eo cognito contractus adhuc fieret, sive non.

Not. III. Error prodire potest: I. ab altero e contrahentibus, qui decipitur. II. ab alio contrahente, qui decipit. III. a tertia persona. His positis, sit

CONCLUSIO I. Error, & dolus circa substantiam rei irritum faciunt contractum.

Prob. Quia ubi est error, & dolus circa substantiam, ibi necessario deest substantialis consensus. Qui enim v. g. vendit gemmam, quam vitrum esse putat, non consentit in alienationem gemmæ, sed vitri. Similiter qui emit vitrum ratus esse gemmam, non consentit in emtionem vitri, sed gemmæ; adeoque re comperta tenebuntur vel rescindere contractum, vel eum ad æqualitatem reducere.

Nihil autem refert sitne error *antecedens*, quo scilicet sublato contractus non iniretur; vel *concomitans*, quo etiam sublato contractus adhuc fieret: nam si volens emere vinum emas oleum, quod etiam, & forte libentius emisses, adhuc contractus non valet: quia nullus fuit consensus circa oleum, sed circa vinum.

Obj. qui Petrum absolvit, quem Joannem esse putat, valide absolvit; ergo a pari.

R. neg. conseq. quia persona, quæ absolvitur, non pertinet ad substantiam Sacramenti, & absolvens intendit, & intendere debet personam præsentem, quæcunque ea sit, absolvere; secus in contractibus.

CONCLUSIO II. Dolus incidens in contractum, etiam ab uno e contrahentibus, non irritat contractum, nec sufficit ad eum rescindendum.

Prob. Ibi verus est contractus, ubi verus est utriusque partis consensus in id, de quo contrahitur: atqui ubi est error, aut dolus solum incidens .... dolus enim, qui intervenit circa qualitatem rei, non tollit consensum hunc; tum quia necesse non est, ut qui contrahit omnes rei qualitates noscat, alioqui vix ulli forent validi contractus; tum quia deceptus, de quo nunc loquimur, non habet animum huic contractui expresse, vel tacite repugnantem; vult enim actu contrahere, & id adhuc vellet, licet minori pretio, si rei qualitatem, quam nescit, compertam haberet.

Ergo contractus, in quo emtor, etiam ex dolo venditoris ultra dimidium pretii deceptus est, rescindi nequit ad arbitrium emtoris, sed ad æqualitatem reduci debet, nisi venditor eum rescindi consentiat. Porro restituendus videtur excessus supra pretium, quod dedisset emtor, re, ut erat, cognita.

Ergo si virgini, quam Parisiensem putabas, matrimonium promiseris, quod eidem cognitæ, ut est, Lugdunensis, promissurus fuisses, non vitiatur contractus. Vitiaretur vero, si, quam liberam putabas, duxeris, etsi cognitam pro serva pariter duxisses; ibi enim intervenit lex Ecclesiastica tale matrimonium reprobans.

Limitatur assertio, si intentio actu, aut virtute conditionalis sit, ita ut nolit quis contrahere, nisi existente tali qualitate; tunc enim error ex contrahentis mente ipsam afficit substantiam.

CONCLUSIO III. Contractus, quibus error, aut dolus causam dedit, validi sunt tum positivo, tum naturali jure; infirmi tamen sunt, & ad arbitrium partis deceptæ rescindi possunt.

Prob. I. pars: ex Inst. (*L.* 4. *t.* 13. §. 1.), ubi sic: *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, palam est te jure civili obligatum esse, & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax est; sed iniquum est te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali*, &c. ergo valet Jure civili contractus ex dolo, sicut & ex metu antecedente factus; ita tamen, ut contrahenti, qui dolum passus est, competat exceptio, qua contrahentis alterius, a quo deceptus est, actionem elidere potest.

Prob. II. ex omnium confesso, satis voluntarium est, & ideo valet matrimonium, licet & ei dolus causam dederit, & sine dolo conjux nullo modo contraxisset; ergo & contractus, de quo agitur, defectu sufficientis voluntarii irritus dici non potest. Ratio ulterior hæc est, quod etiam cum dolo subsistat & cognitio rei, & consensus in eam accipiendam,

vel tradendam; differunt enim hæc duo, Contrahere noluissem, & Nolui contrahere: posterius consensum tollit, non prius; alioqui infirmi forent omnes pene contractus, cum fere semper aliquæ occurrant circumstantiæ, quæ si prævisæ fuissent, deterruissent a contrahendo.

Prob. III. Si contractus, cui error, aut dolus causam dedit, esset invalidus, vel quia in eo esset dolus simpliciter, vel quia dolus ille oriretur ab alio contrahente, cui fraus sua patrocinari non debet: atqui neutrum dici potest. Non 1. quando enim contrahens semetipsum decepit, aut a tertio deceptus est sine alterius contrahentis participatione, valet contractus, modo deceptio non sit circa substantiam rei, & tamen tunc occurrit dolus ille, de quo nunc agitur. Non secundum: I. quia alioqui intervenire deberet aliqua lex, vi cujus contractus iste in se simpliciter bonus, in tali casu irritus fieret: atqui nulla est hujusmodi lex, sed e contra, ut ex prima probatione nostra patet: II. quia non magis dolus, cum oritur ab altero contrahente, subvertit contractum, de quo nunc loquimur, quam subvertat contractum matrimonii. III. quia si injuria decipientis opponeretur valori actus, actus subsistere non posset, etiamsi vellet deceptus in eo permanere: atqui falsum consequens; decipiens enim tenetur stare contractui, si deceptus velit: cum a nemine dolus, & turpitudo in sui favorem allegari possint.

Prob. 2. pars ex citata Lege, *Datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, &c.* atqui contractus qui ad nutum alterius partis destrui possunt, sunt admodum infirmi, quatenus obligationem irrevocabilem non pariunt; ergo.

Circa hæc tamen notand. I. contractum eum solummodo rescindi posse, qui ex natura sua dissolubilis est. Hinc matrimonium, & Professio Religiosa rescindi non possunt, quia indissolubilia sunt: unde tales contractus id habent proprii, ut voluntas in eos sine omni restrictione consentiat, adeo ut tollat sibi facultatem postea resiliendi, quod ita fieri debuit, ne incerta forent matrimonia, & professiones, quæ incertitudo pugnat cum certitudine status.

Not. II. apud Gallos Judices * esse in usu, ut contractuum executionem, quantum fieri potest, urgeant, deceptoribus ad damni reparationem condemnatis.

Obj. Ille contractus non valet, qui jure naturali nullus est: atqui talis est contractus, cui error causam dedit. Contractus enim injustus jure naturali nullus est: atqui talis contractus jure naturali injustus est; cum in eo non servetur æqualitas jure naturali imperata.

R. ad 1. neg. min., ad 2. neg. maj.; non enim quidquid injustum est, eo ipso invalidum censeri debet, ut patet in excommunicatione, quæ injusta simul & valida esse potest. Ratio est, quod ut aliquid illicitum sit, aut injustum, sufficiat, ut in aliqua parte minus præcipua æquitati naturali repugnet, ut autem sit invalidum necesse est, ut defectus in ipsam substantiam cadat: porro fieri potest, ut substantia secundum se bona sit, tametsi vitiosis quibusdam qualitatibus vestiatur; hinc tritum illud, & ubique receptum axioma, *Multa prohibentur fieri, quæ facta tenent*:

## ARTICULUS TERTIUS.

### *An valeant Contractus ex metu facti.*

NOt. I. Metus est futuri, & instantis periculi causa, mentis trepidatio, seu inquietudo, ac perturbatio; eaque vel levis est, vel gravis, seu respective, seu absolute, prout dixi agendo de Actibus humanis.

Not. II. metum oriri posse vel *ab intrinseco*, ut ab infirmitate; vel *ab extrinseco*: extrinsecum vero illud, vel *necessarium* est, & *naturale*, ut naufragium, incendium; vel *liberum*, ut homo: homo autem vel *juste* metum incutit, ut Judex, qui stupratori exilium minatur, nisi eam dotet, quam corrupit; vel *injuste*, ut dum sicarius gladium intentat nisi bursam porrigas.

Not. III. Metus ab intrinseco vel incutitur ad obtinendum contractum; vel alia de causa, & in alios fines. His præmissis, sit

CONCLUSIO I. Metus gravis ab agente intrinseco, vel extrinseco naturali incussus non irritat contractus, vota, promissiones; modo, quod hic semper supponimus, rationis usum non pervertat.

Prob. quia votum in tempestate emissum, item promissio, vel donatio in morbo metu mortis pauperi, vel Ecclesiæ facta, valent: atqui tamen vota hæc, & donationes fiunt ex metu gravi; ergo.

Ratio ulterior est, quia talis metus voluntarium non tollit. Hinc Tridentinum sess. 14. c. 4. docet attritionem ex metu pœnarum exortam, plenamque terroribus non esse *dolorem coactum, sed liberum, & voluntarium*; ergo.

CONCLUSIO II. Metus gravis ab agente extrinseco libero juste incussus non irritat contractum.

Prob. quia cum metus juste incutitur, contrahens, etsi secundum quid invitus, reipsa tamen manet vere liber, neque conqueri potest, quod sibi fiat injuria; alioqui jam metus juste incussus non esset. Hinc qui sponsalia contraxit, posset ad matrimonium compelli per excommunicationis metum; sicut qui puellam corrupit, alicubi damnatus, ut vel eam ducat, vel pereat suspendio.

Dices: Cap. 4. *De his, quæ vi, &c.* dicitur ea, *quæ vi, metusve causa fiunt, carere robore*. Et Lucius III.

* *Le vice de la chose vendue, qui n'est pas apparent, & que l'acheteur ne peut pas connoître, fait resoudre certaines ventes; comme de chevaux, que le vendeur doit garantir de morve, pousse, courbature; mais en ce cas il faut agir dans les neuf jours de la tradition du cheval. Les Juges penchent toujours à faire valoir le contrat, & se contentent de donner des dommages, & intérêts, à moins qu'ils ne voient une fraude noire, ou une lésion énorme.* Argou. L. 3. c. 23.

III. cap. 17. *De sponsalibus*, loquens de muliere, quæ sponsalia jurata adimplere recusabat, dicit, *quod cum libera debeant esse matrimonia, mulier hæc potius monenda est, quam cogenda*; ergo.

R. ad 1. in eo capite agi de metu injuste incusso, ut ex sola lectione patet. Adde quod ea nonnunquam in jure dicantur carere robore, non quæ nulla sunt, sed quæ possunt rescindi vel ab eo, qui metum passus est, vel a Judice.

R. ad 2. non negat Lucius III. matrimonia ex metu facta valida esse, sed suadet, ut, quantum fieri potest, plena contrahentibus libertas relinquatur, quia ex coactione tametsi justa *difficiles exitus solent frequenter haberi*, ut ibidem loquitur Lucius, qui certe non exitus difficultatem, sed matrimonii invaliditatem allegasset, si matrimonia ex quocunque gravi metu facta vere irrita esse credidisset.

CONCLUSIO III. Metus injuste incussus, sed non ordinatus ad extorquendum consensum in contractum, non invalidat contractum hunc, saltem si non fiat cum eo, qui metum incussit.

Prob. Idem esto de ceteris contractibus judicium, ac de promissione decem aureorum, quos Titio per viam transeunti pollicitus es, ut te a sicariis liberaret: atqui promissio hæc, licet ob metum injuste incussum facta, de se valida est, eamque implere teneris: metus enim tuus non fuit contractus tui causa, sed solum occasio; neque sicarii tibi mortem minati sunt, ut Titio decem aureos promitteres, ut supponimus; ergo. Si tamen, quod in pari casu raro contingit, Titius te sine ullo labore liberasset, non posset id, quod promisisses, recipere, nisi gratis omnino dares. *Vide supra p. 538.*

Sed quid si promissio fiat ei, qui metum incussit, sed non eo animo, ut te ad contractum impelleret, puta si quis in aquam te projecerit, non ut pecuniam tibi tuam extorqueret, quam tamen ei mortis metu promittis? Sit ea de te

CONCLUSIO IV. Metus quilibet injuste incussus invalidat contractum cum injusto vexatore initum, si tantum habeat pro objecto liberationem ab injusta ejus vexatione. Ita communiter Scotistæ.

Prob. quia in contractu, qui pro objecto habet solam liberationem a vexatione injusta, venditur res invendibilis. Nam ex hypothesi venditur liberatio ab injusta vexatione: atqui liberatio hæc vendi non potest ab injusto vexatore. Quod enim mihi stricte debitum est, mihi vendi non potest: atqui liberatio & immunitas ab injusta vexatione mihi stricte debita est, jus enim strictum habeo, ut metu injusto non vexer, & qui me injuste vexat tenetur ex justitia desistere; ergo;

Hinc si furi mortem tibi inferre volenti, aut domum tuam comburere, bursam dederis, ut desistat, nulla est datio, teneturque latro id omne, quod hac via recepit, ante omnem Judicis sententiam restituere.

Obj. In contractu, de quo loquimur, sufficiens occurrit voluntarium; & quidem aliquando majus, quam in contractibus ex timore juste incusso factis; ergo talis contractus valere debet.

R. neg. conseq. non enim dicimus contractum hunc defectu libertatis invalidum esse; sed negamus in eo reperiri materiam, quæ ab alio vendi possit; adeoque eum defectu materiæ vendibilis invalidum esse contendimus.

Quæres, an contractus, in quibus aliquid utrinque datur, & accipitur, sint validi, si fiant cum injusto vexatore, qui eos extorqueat gravi metu.

R. I. non paucos esse hujusmodi contractus, qui invalidi sunt ex Legum dispositione. In hoc ordine sunt: I. matrimonium, ex cap. 15. *De sponsalibus*, & merito: quia cum matrimonium sit ex natura sua indissolubile, & vinculum mutui amoris, gravissima sequerentur incommoda ex matrimonio coacto, & tamen valido. II. Idem juxta multos dicendum de sponsalibus, quæ cum sint via ad matrimonium, perinde ac ipsum libera esse debent. Et vero si valerent sponsalia ex metu gravi inita, obligarent ad actum invalidum, nempe ad matrimonium subsequens, quod invalidum esset, utpote ex metu gravi contractum. III. Promissio dotis, aut ejus solutio, quia dos, utpote matrimonii accessoria, naturam ejus sequi debet. IV. Professio Religiosa (*Cap. 1. de his, quæ vi.*); hæc enim, utpote matrimonium quoddam spirituale, & indissolubile, non minus voluntaria esse debet, quam matrimonium carnale. V. promissio, aut traditio rerum Ecclesiæ, quod ideo sancitum fuit, ut Ecclesiis res suæ conservarentur (*Cap. 2. de juretur.*). Hac de causa alienatio rerum Ecclesiæ etiam sponte facta sine solemnitatibus, non valet: quanto minus valida esse debet ea, quæ per metum extorta est? VI. Addunt bene multi auctoritatem tutoris per metum extortam, electionem per metum factam (*L. 1. ff. de auctor. tutor.*); item & jurisdictionem coactam nullius esse validitatis.

(✠) His addi debent: I. vota ex metu ab homine incusso Deo facta. II. jurisdictio, aut prorogatio injusto metu extorta. III. absolutio ab excommunicatione (✠).

R. II. extra casus mox allatos posse saltem prædictos contractus rescindi ad arbitrium illius, cui timor incussus est: I. quia æquum non est, ut qui injuriam fecit, ullum ex ea commodum reportet. II. quia si Leges positivæ tales contractus ipso jure invalidos esse non pronuntient, ut existimant multi, præcipiunt tamen, ut ad arbitrium illius, qui metum passus est, rescindantur. Ita docet Justinianus supra p. 561.

Porro non refert: I. sitne metus gravis absolute, an respective tantum; quia quod operatur metus gravis in viro constanti, id levis facit in femina. II. nec refert, utrum qui metum incussit, reipsa malum inferre intenderet, necne; quia metus eodem modo consensum extorquet, cum malum apprehenditur ut vere, & proxime impendens: an autem malum sic apprehensum fuerit, aut apprehendi debuerit, Judicis est ex circumstantiis discernere.

Si vero metus levis sit, nec contractum irritat, nec Jure saltem positivo irritandum facit: tum quia ex Reg. 184. ff. *Vani timoris justa excusatio non est*: tum quia alias daretur locus infinitis litibus, dum quisque fe

fe metu adactum fuisse prætenderet. Si tamen certum esset, quod sublato metu etiam levi consensus datus non fuisset, exigeret jus naturale, ut contractus ad arbitrium illius, qui metum passus esset, rescinderetur; quia qui metum, etsi levem, incutit, vetam infert injuriam, quam tollere, ac resarcire tenetur, tum cum, qui ex metu egit, libertati suæ restituendo, tum lucrum omne cessans, ac damnum emergens compensando.

Quæres, quid adhuc juris ei competat, qui deceptus est ab alio, aut metum passus.

R. I. utrumque posse, deceptorem, aut vexatorem obligare ad standum contractui, utpote qui pro parte deceptoris, aut metum incutientis rescindi non potuit.

R. II. triplex est, qui per dolum, aut metum contraxit, competit actio in foro exteriori. Prima dicitur *redhibitoria*, hoc est ad rehabendum suum pretium, & rem suam alteri restituendam. Hæc durat jure communi per sex menses a die celebrati contractus. Secunda dicitur *quanto minoris*, & datur ad repetendum a venditore excessum pretii, seu tantum, quanto minoris rem illam fuisses empturus, si defectus ejus cognovisses: Hæc actio per annum durat, & idcirco intentari ab eo potest, qui actionis redhibitoriæ tempus imprudenter effluere permisisset; conceditur etiam eadem actio iis, qui decepti sunt infra dimidium justi. Tertia actio est *in id quod interest decepti non decipi*, seu est jus non solum reddendi rem, aut pretii excessum obtinendi, sed etiam habendi compensationem damnorum omnium, quæ ex contractu subsecuta sunt. ut si vendideris ovem morbidam, quæ alias infecit, teneris ad compensandum quidquid cessavit lucri, aut damni emersit.

## CAPUT QUARTUM.

*Quam, & quando Contractus obligationem pariat.*

NOT. I. Obligatio definitur vinculum, quo quis astringitur ad aliquid dandum, faciendum, aut patiendum, vel non dandum, aut non faciendum.

Not. II. Obligatio duplex. Alia *antidoralis*, quæ fundatur in convenientia, alia *naturalis*, quæ inducit debitum ex præcepto seu charitatis, aut religionis, seu justitiæ; & hæc posterior effectus est contractus.

Not. III. Obligatio ex justitia triplex est. Prima naturalis tantum, quæ obligat in conscientia, quamvis in foro externo non det actionem: secunda civilis tantum, quæ dat actionem in foro externo ob aliquam præsumtionem, quamvis in conscientia non obliget; tertia naturalis, & civilis simul, quæ obligat in foro conscientiæ, & dat actionem in foro exteriori.

Not. IV. Obligatio ratione principii quadruplex assignatur in Instit. (*Lib. 4. tit. 14.*): *Aut enim ex contractu, aut quasi ex contractu est, aut ex maleficio, aut ex quasi maleficio.* Obligatio ex contractu ea est, quam parit contractus quilibet. Obligatio ex quasi contractu ea est, quæ citra conventionem nascitur ex facto non turpi; sic cum quis negotia absentis gessit bona fide sine literis, ac mandatis, obligatus ei est rei dominus ex jure in Galliis recepto. Obligatio ex maleficio ea est, quæ oritur ex delicto doloso, veluti ex furto, & rapina. Obligatio ex quasi maleficio, seu ex quasi delicto ea est, quam contrahit quis ex actione imprudenti; ut si ex alicujus *cœnaculo dejectum, effusumve aliquid est*, quod alicui transeunti nocuit.

Certum est I. contractum omnem secundum leges initum parere obligationem in utroque foro, atque id probat vel ipsa contractus definitio.

Certum est II. contractum etiam nudum Jure positivo non irritum parere obligationem in conscientia, licet in exteriori foro actionem non tribuat, nisi juramento confirmetur. Ratio est, quia ex consensu mutuo exteriori oritur jus, quod sine injuria lædi non potest: talis porro consensus in contractu etiam simplici reperitur.

Sed triplex hic occurrit difficultas. Prima, an contractus positiva lege ita aliquando irritetur, ut nullam obligationem pariat. Secunda, an contractus in se invalidus accedente juramento obliget. Tertia, an contractus conditionalis obligationem pariat.

## ARTICULUS PRIMUS.

*An obligent contractus, quibus desunt solemnitates positivis legibus imperatæ.*

NOT. solemnitates contractuum sunt quædam conditiones, quæ ex legum præscripto in contractibus adhiberi debent, v. g. ut contractus fiat coram Notario, ut certus intersit testium numerus. Ex iis vero conditionibus quædam requiruntur ad *esse simpliciter*, quædam *ad melius esse*.

CONCLUSIO. Contractus, quibus desunt conditiones primi generis, irriti sunt etiam in foro conscientiæ: secus si desint solum conditiones secundi generis.

Prob. 1. pars: I. tam ad minus potest Princeps certas quasdam apponere contractibus conditiones, quibus sublatis illi non valeant, quam id possint privati homines in privatis, quos inter se ineunt, contractibus: atqui hujusmodi conditiones quotidie apponunt privati, quibus subsistentibus valeant contractus, non subsistentibus vero iidem irritentur; ergo.

Prob. II. quia de facto appositæ sunt variis contractibus certæ conditiones, quarum defectu iidem non valent: sic irritæ sunt etiam in foro conscientiæ quædam maritum inter, & uxorem donationes legibus contrariæ; ergo qui ex pacto per legem irrito aliquid acquirit, illud retinere non potest.

Obj. Lex, quæ contractus sine certis solemnitatibus factos irritat, fundatur in præsumtione fraudis: ergo quando certus ero nullam esse fraudem in aliquo contractu, per eum obligabor in conscientia:

R. neg. ant. lex enim contractus irritans non semper fundatur in præsumtione fraudis, quam Legislator scit aliquando reipsa non inveniri, sed fundatur in periculo fraudis, quod semper reperitur. Hinc nuptiæ clandestinæ nullum in foro conscientiæ robur habere possunt.

Prob.

Prob. 2. pars; quia molta prohibentur fieri, quæ facta teneant; ergo si contractus prohibeatur tantum propter accidentales loci, temporis, vel personæ circumstantias, non desinet valere: sic valet matrimonium tempore Adventus celebratum, sicut & valet, si contrahatur a persona, quæ simplex castitatis votom emisit.

An porro circumstantiæ, propter quas contractus lege positiva prohibetur, accidentales tantum sint, an essentiales, dignosci poterit: I. ex verbis, quibus utitur Legislator: unde invalidus erit contractus, si auctor legis decleret eum esse prorsus nullum, aut non posse ex eo debitum peti sive in Judicio, sive extra ipsum, aut si quod ex tali contractu acquisitum est, restitui præcipiat. II. si posito quod cum staret Legislatori nullam in contractu esse fraudem, v. g. in matrimonio clandestino, vellet tamen ipsum pro infecto haberi.

Hinc colliges, plurimi omniom interesse, ut Confessarii perspectes habeant leges Regni, locorumque consuetudines, cum alioqui in perpetuo versentor periculo approbandi ut validum id, qood Principes, & Magistratus ut invalidum rejiciunt.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*An contractus de se minus validi juramento confirmentur.*

NOt. I. contractus de se minus validi ii sunt, qui vel prorsus sunt invalidi seu a natura, seu a jure; vel licet validi sint, possunt tamen rescindi. Quæritur ergo, an, & quo usque supervenienti juramento confirmentur.

Not. II. aliud est juramentum esse validum, aliud contractum juramento confirmari: primum enim subsistere potest sine secundo. Ut juramentum validum sit, satis est, ut possit, & debeat servari ob honorem divini nominis, & hoc contingere potest, etiamsi ei, in cujus favorem juratum est, nullum jus acquiretur: sic si juraveris latroni te certam pecuniæ summam ei esse soluturum, solvere debes; verum tota hæc tua obligatio respicit Deum, nec jus ullum tribuit furi. Ut vero juramentum confirmet contractum aliquem, necesse est, ut eum in sua specie validum faciat, ita ut ille, quocum contraxisti, præter obligationem juramenti propriam, quæ tota est in ordine ad Deum, jus habeat justitiæ, & ex ea contractus executionem urgere possit sive contra contrahentem ipsum, sive contra ejus hæredes. Sit

CONCLUSIO I. Juramentum contractui superveniens obliget, sive contractum confirmet, sive non, quando servari potest sine peccato, aut præjudicio alterius: secus si servari non possit sine peccato gravi, aut levi jurantis.

Prob. 1. pars, quia divini nominis reverentia exigit, ne Deus in testem falsitatis adducatur: atqui Deus in testem falsitatis adduceretur &c., ergo.

Excipe, si jus contrarium statuet. Sic conjugi promissio etiam jurata, sed ex metu, non valet.

Prob. 2. pars: I. quia ex regula 58. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*. II. quia juramentum non est vinculum iniquitatis: atqui juramentum iniquitatis vinculum necessario foret, si obligeret, cum sine peccato gravi, aut levi servari non potest.

Obj. I. Si res ita sit: I. qui juravit se usuras soluturum esse, eas solvere tenetur. II. qui latroni pecuniam spopondit, tenetur promissis stare, III. qui juravit se reversorum ad carcerem, illuc revertit tenetur, etiamsi sciet se illic iniqua, & atroci morte plectendum esse: atqui hæc omnia plene absurda sunt, alioqui sceleratis sua patrocinaretur iniquitas.

R. ad 1. & 2. neg. min. sic enim statuit Alexander III. cap. 6. *de jurejur. Debitores ..... si de usurarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum*. Idem de promissa furi pecunia dicendum. Neque tamen furi, vel usurario sua patrocinetur vis, & iniquitas; quia, ut statim pergit idem Pontifex, *cum usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi*. Ratio est, quod usurarius, aut alius quilibet deprædator nullum in res meas jus acquiret ex eo, quod Deo fidelis esse velim.

R. ab 3. etiam neg. min., idque ad mentem S. Augustini, qui Epist. 125. profert exemplum Reguli, *qui ad carcerem se rediturum Carthaginensibus non per sacramenta Christi, sed per dæmonum inquinamenta juraverat, & certissimos cruciatus, & horrendi exempli mortem .... ne pejeraret, accepit*. Et vero tale juramentum est de re licita, cum licitum sit hac via exitum, & libertatem ad tempus obtinere; est quoque de re possibili, cum eo reverti possis, ubi mors certe te manet. Monet tamen Sylvius eum, qui, cum juravit, sciebat quidem carcerem esse injuriosum, sed necdum sciebat subesse periculum mortis, non videri obligatum ad revertendum; quia juramentum erat de re sub modo, & conditione, quæ jam non subsistunt. Ceterum in utroque casu peti posset, & obtineri juramenti relaxatio, nisi ex ea immineret scandalum, aut Christianæ Religionis injuria; puta si inde futurum esset, ut Hæretici existimerent nullam apud nos esse juramenti religionem, aut docere nos datam hosti fidem servandam non esse, tunc enim denegande foret dispensatio.

Obj. II. Promissio metu gravi inique extorta caret robore; ergo & juramentum eidem superadditum.

R. neg. conseq. disparitas est, quod promissio fiat homini, qui vim inferendo *meretur*, ait S. Thomas, (2. 2. q. 89. *art.* 7.) *ut ei promissum non servetur*: at vero juramentum dirigitur ad Deum, qui ipsum non extorsit, nec meretur invocari in testem falsitatis.

Inst. Accessorium sequitur naturam principalis; ergo si promissio extorta metu irrita sit, irritum erit, quod ei accessit, juramentum.

R. dist. ant. Accessorium sequitur naturam principalis, si sit ejusdem naturæ cum principali, C. si sit diversæ, semper sequitur naturam principalis N. Porro juramentum non est ejusdem speciei cum promissione homini facta: hæc enim hominem, illud Deum respicit.

CONCLUSIO II. Contractus vim, dolum, aliamve injuriam continens ex parte illius, cui juratur, non ita firmetur juramento, ut rescindi non possit.

Prob. ex variis capitibus tituli 24. *De jurejurando*, in quorum primo mandat Gregorius III. ut *creditores ad juramenta super usuris sibi solvendis præstita, relaxanda, Ecclesiastica districtione compellantur*. In secundo absolvitur a juramento Laudicen. Episcopus, *quia nefanda coactione juravit*; ergo juramenta ad confirmandos contractus extorta, non ita obligant, ut non possint ab Ecclesia rescindi. Et vero qui alii injuriam intulit, eamdem reparare tenetur; ergo jus illius non est firmum, cum & ei renuntiare debeat, & possit jurans ob acceptam injuriam petere, & obtinere juramenti relaxationem.

Quæres, an qui juravit usurario, vel furi se ei pecuniam esse daturum, seque juramenti sui relaxationem petiturum non esse, eam petere possit.

Respondet Laimann his verbis: (*L. 4. Tract. 3. c. 7.*)
,, Si aliquis juravit latroni se pecunias soluturum,
,, solvere debet; nisi juramentum ei relaxetur, sed
,, solutas in Judicio repetere potest — Si autem sol-
,, vens juravit quoque se in Judicio non repetiturum,
,, tunc obligatur quidem juramento, quominus civi-
,, lem actionem instituere possit; verumtamen de cri-
,, mine accusare non prohibetur ad publicam vindi-
,, ctam, seu punitionem. Quod si etiam non accusa-
,, turum de crimine juraverit, poterit tamen denun-
,, tiare, ut ex officio Judex procedat. Si denique ju-
,, ravit quoque non denuntiaturum se crimen, tunc
,, juramento non obligatur eo casu, quo Judici de-
,, nuntiare necessarium esse videtur ad publicam, &
,, aliis etiam perniciosam injuriam avertendam: item
,, si injuriam passus juridice postea in Judicio inter-
,, rogetur; *quamvis inde eventurum sit, ut indirecte*,
,, & consequenter *recuperet pecuniam*, quam solvit
,, cum juramento non repetendi.,, Quorum omnium hæc est ratio, quod juramentum præsertim inique extortum, stricte omnino debeat explicari. Ut hæc decisio magis confirmetur, sit

CONCLUSIO III. Qui juravit se aliquid daturum, & juramenti sui dispensationem petiturum non esse, aut se rem datam repetiturum non esse, tenetur huic juramento stare.

Prob. I. ex his Innocentii III. verbis cap. 4. *De iis quæ vi*, &c. *Mandamus, quatenus si* Titium *ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in constantem virum, non obstante prædicto juramento, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis*; ergo si Clericus ille juramento se obligasset *ad non repetendum*, jam reparare non potuisset, adeoque debuisset juramento suo stare.

Prob. II. Juramentum, de quo hic agitur, debet servari si potest; potest vero, quia in salutis dispendium non vergit. Si enim vergeret in salutis dispendium, jam esset de re illicita, adeoque fieri non posset: quis vero putet nefas esse, quod viator, ut imminens sibi letum declinet, polliceatur latroni se ei nummum unum, aut alterum certa die traditurum, nec unquam apud Judices acturum esse, ut hanc summam recuperet, sive obtenta juramenti dispensatione, sive aliter? Hæc profecto cuilibet attendenti incredibilia videbuntur; ergo.

Obj. Juramentum de non petenda dispensatione lædit Ecclesiæ potestatem; hæc enim jus habet, ut qui læsus est, opem ejus implorare possit; ergo non valet hocce juramentum.

R. I. Argumentum nimis probat: ex eo enim sequitur eum, qui jurasset se bona sua non esse recuperaturum ope judicis Ecclesiastici, non solum posse, sed etiam teneri eadem recuperare confugiendo ad Ecclesiam, ne auctoritas ejus lædatur; quod ne ab ipsis quidem adversariis admittitur.

R. II. neg. ant. Ecclesiam enim non lædit, qui ad eam non recurrit, quia jure suo vel sponte, vel secundum quid invitus cedit; bene vero qui per vim obstat, ne ad eam recurratur: unde hic peccat latro tale juramentum extorquens, non autem viator, qui illud emittit, ut vitæ suæ consulat.

(+) Audiendus hac in re est Divus Thomas, qui nodum hunc conceptis verbis 2. 2. q. 89. art. 7. ad 5. ita solvit: *In juramento, quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio tollitur per coactionem: quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ: quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit: quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum; esset enim contra justitiam publicam.* Videatur cap. *Debitores de jurejurando.* (+)

CONCLUSIO IV. Si contractus ea natura sua irritus sit, non firmatur juramento; sed validum est juramentum, si sit de re licita.

Prob. 1. pars, quia juramentum, utpote contractui extrinsecum, nihil in substantia ejus immutat; ergo id quod ex se invalidum est, validum non facit.

Prob. 2. pars, quia juramentum toties impleri debet, quoties impleri potest absque peccato, propter divinæ majestatis reverentiam. Hinc si jurando promiseris te non revocaturum esse testamentum tuum, perjurus eris si revoces; valida tamen erit revocatio, quia testamentum ex natura rei habet, ut usque ad mortem revocari possit.

CONCLUSIO V. Si contractus Jure solum positivo irritus sit, firmatur juramento, cum non est irritus nisi in gratiam boni privati; non firmatur vero, cum lex eum irritavit immediate propter bonum commune.

Prob. 1. pars I. quia unicuique licet renuntiare favori pro se directe & principaliter per Legem introducto, nisi hoc aliunde prohibeatur; hac autem posita renuntiatione, perinde est ac si non esset Jus positivum: atqui sublato Jure positivo contractus est ex se, & ex natura sua firmus, ut supponitur; adeoque ea se obligat ex justitia; ergo posito juramento quod propriam suam religionis obligationem inducit, renascitur, ut ita loquar, obligatio naturalis ex justitia, quam contractus ex se natura sua habebat; adeoque talis contractus firmatur juramento: seu, quod idem est, duplicem parit obligationem, aliam quidem ex religione, aliam vero ex justitia. Prob.

Prob. II. ex cap. 2. *De pactis* in 6. ubi sancitur, ut *pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullam ad bona paterna regressum haberet, quamvis hoc improbet lex civilis; si tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debeat*, utpote quod *non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum*; ergo actus jure civili irritus aliquandu firmaror juramento.

Prob. 2. pars, quod contractus Jure positivo in gratiam boni communis irritus non firmetur juramento. Ratio est, quia tale juramentum est de re bono publico contraria, adeoque illicita; ergo nullum parere potest effectum.

Hac de causa non valet juramentum sponsalibus ex metu contractis appositum; quia inde sequerentur odia, & lites, quæ publicæ paci adversantur. Pariter non valet juramentum, quo Clericus donationem concubinæ factam confirmare niteretur, quia hæc donatio prohibita est in favorem publicæ honestatis. Denique censent non pauci eum, qui juravit se vel soluturum, vel non repetiturum esse id, quod ludo vetito amiserit, non teneri juramentum hoc servare; sive quia noceret bono publico, quod exurgit ex bono privatorum; sive quia facilitas jurandi subverteret sapientissimas leges in gratiam boni privati constitutas: & hoc summopere a Confessariis pensandum est, a quibus idcirco consulendæ sunt locorum leges, ne plus tribuant juramento, quam ei tribuendum sit.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De Obligatione Contractus conditionati.*

NOT. I. Conditio alia est de præterito, alia de præsenti, alia de futuro, quæ sola proprie intelligitur nomine conditionis. Conditio iterum alia est *impossibilis*, ut, Promitto tibi aureos mille, si cœlum manu tetigeris: alia *necessaria*, vel *ab intrinseco*, ut si Deus existit; vel *ab extrinseco*, id est, ex suppositione decreti divini cogniti, ut si futurum sit generale Judicium: alia *contingens*, quæ vel pendet ab eo, cui imponitur, ut, Promitto tibi villam, si hoc anno non nupseris, & dicitur *potestativa*; vel non est in ejus potestate, ut, Promitto tibi equum, si Galli Germanos superent, & *casualis* dicitur: vel partim est in ejus potestate, & partim non, diciturque *mixta*, ut, Promitto tibi centum nummos, si patris tui gratiam mihi concilies. Denique conditio alia est *indifferens*, alia *honesta*, alia *turpis*, eaque vel apponitur matrimonio, & ultimis voluntatibus, vel aliis contractibus.

Not. II. Quando conditio impletur, dicitur *purificari*; & contractus conditionatus dicitur fieri *purus*, atque ex *conditionato* transire in *absolutum*. Sit

CONCLUSIO I. Contractus sub conditione de præsenti, aut præterito hic & nunc validus est, aut invalidus, prout conditio hic vel nunc posita est, vel non.

Prob. quia valor, aut nullitas hujusce contractus tantummodo pendet ab existentia actuali, aut præterita conditionis appositæ; ergo valet contractus, si conditio sit, aut fuerit; secus vero non valet.

CONCLUSIO II. Neque etiam suspenditur contractus, si conditio sit de re necessario futura.

Prob. quia conditio necessario futura æquivalet conditioni præsenti propter eventus certitudinem.

CONCLUSIO III. Si conditio sit de futuro contingenti, contractus executio suspenditur usque ad eventum illius.

Prob. quia qui promittit rem sub conditione non necessaria, non intendit eam dare nisi posita conditione, quæ forte non ponetur.

Non potest tamen promissor resilire ante conditionis tempus: I. quia sua conventione injecit sibi obligationem expectandi eventum conditionis. II. quia contrahens alter jus habet conditionatum, quo nonnisi voluntate propria privari potest. Illud autem jus aliquando transit ad hæredes, aliquando non. Non transit quidem in ultimis voluntatibus; neque etiam in contractibus inter vivos factis sub conditione potestativa, alligata ipsi personæ, & quæ proinde per ejus hæredes impleri non possit: unde qui promisit aureos centum Petro, si Titiam duceret, quam, quia mortuus est, ducere non potuit, nihil debet hæredi Petri. Transit vero in aliis contractibus, quia promissarius acquirit jus rem promissam obtinendi, statim ac adimpleta fuerit conditio; hoc autem jus, & spes ad hæredes transferuntur.

. Sed quid juris, cum legata est Petro summa, si Mariam duceret, & hæc nuptias Petri recusat?

R. legatum Petro tradendum esse, quia ex Reg. 66. juris in 6. *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Idem eadem de causa dicendum, si promittens ipse conditionis adimpletionem impediat; nisi tamen qui conditionem apposuit, circa eam liber remaneat: Si enim promiserim Titio aureos mille, si uxorem ducam, non ideo tenebor uxorem ducere, & summam dare: secus si hanc promisissem ea lege, ut mihi tale matrimonium procuraret.

CONCLUSIO IV. Statim ac posita est conditio, contractus de conditionato transit in absolutum sine novo consensu.

Prob. quia contrahentes volunt, & intendunt, ut valeat contractus, statim ac ponetur conditio, de qua conventum est; & hoc ita volunt, ut alter sine alterius consensu contrarium velle non possit.

Excipiunt aliqui contractum matrimonii, quem, si conditionate initus esset, novo indigere consensu volunt: I. quia contractus matrimonii est natura sua perpetuus, & semel valide initus rescindi nequit: atqui matrimonium sub conditione de futuro contingenti initum rescindi posset. Si quis enim ante eventum conditionis contraheret absolute per verba de præsenti cum alia, verum esset, inquiunt, secundum hoc matrimonium; ergo consensus conditionalis ad prius matrimonium datus non sufficit, adeoque purificata conditione, novo opus est consensu. II. quia ex Concilio Florent. ad matrimonium requiritur consensus de præsenti: sed consensus de futuro non est de præsenti; ergo consensus de futuro a futura con-

ditione dependens non sufficit.

Hæc opinio a multis impugnatur; fatentur tamen omnes tutius esse, & consulendum, ut qui sub conditione contraxerunt, ea impleta, novum consensum exterius de præsenti apponant, ut sic omnis scrupulus, & dubietas in materia tam gravi eliminetur. Sed de his alibi.

CONCLUSIO V. Contractus sub conditione impossibili, aut turpi initus jure naturæ invalidus est.

Prob. I. quia valor hujusmodi contractus secundum contrahentium intentionem pendet a tali conditione; ergo si ea conditio vel poni non possit, vel poni non debeat, contractus censeri debet nugatorius. II. quia conditio ad valorem contractus præscripta debet esse obligatoria: atqui nemo ad rem turpem obligari potest; ergo

Dixi, *jure naturæ*, quia jure positivo conditiones impossibiles, aut turpes pro non adjectis habentur in matrimoniis, & ultimis voluntatibus. De matrimoniis id patet ex cap. 7. *de conditionib. apposit.* ubi statuitur, ut *conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, in ejus favorem pro non adjectis habeantur.* Quod si, ut ibidem additur, *conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri, Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas; matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

Quod spectat ad ultimas voluntates, ut testamenta, conditio natura, aut Lege impossibilis, pro non apposita habetur. Ratio discriminis inter alios contractus, & testamenta hæc est, quod in aliis contractibus, qui conditionem impossibilem adjiciunt, *contrahere velle non creduntur, sed potius jocari* ( *L. 31. ff. De obligat. &c.* ) at vero *in ultimis voluntatibus conditio impossibilis adjecta, pro non scripta habetur, quia nemo de morte cogitans ludere velle censendus est.* (*L. 3. ff. De condition. & demonst.* )

Hic notandum conditionem non nubendi in ultimis voluntatibus appositam haberi pro non adjecta: unde si legaveris Mariæ aureos mille, *si non nubat*, valet legatum, etiamsi nubat; quia conditio hæc Reipublicæ nociva, & sic quodammodo turpis judicatur. Non valet tamen legatum factum viduæ ea lege, ut ad alias nuptias non transeat, si ad eas transierit; tum quia secundis nuptiis minus favetur; tum quia sæpe familiarum interest, ut vidua non nubat. Si quid alicui Legatum sit, ut nubat, tenet legatum, etiamsi non nuptias, sed Religionem amplectatur, quia inhonestum esset retrahere a statu perfectiori. Si tamen in genere legaverit quis ad procurandas puellis nuptias, legatum in Monialium dotes converti non debet, quia expressa testatoris voluntas observanda est, cum lex non obsistit.

Ad pleniorem materiæ hujusce intelligentiam quædam dicemus de contractibus non puris, quos in quinque classes divisimus supra, quique vel conditionati sunt, vel accedunt ad conditionatos

Dico itaque I. contractus *ad diem certum* statim parit obligationem, cui tamen debitor ante præfixum diem satisfacere non tenetur. Si vero tempus *incertum* sit, ut si promiseris certam summam, cum navis ex Indiis venerit, suspenditur obligatio; quia hujusmodi contractus resolvitur in conditionalem de futuro contingenti.

Dico II. Contractus *sub modo* obligat statim, & non est irritus, etiamsi modus non impleatur: unde si quis legaverit summam, ut Missæ celebrentur, hæredes legantis non possunt rei legatæ possessionem sibi vindicare eo prætextu, quod non servetur modus, sed tantum habent jus ad cogendum legatarium, ut Missas celebret, aut celebrari curet. Ratio est, quia modus non se habet, ut conditio effectum suspendens, sed ut onus dispositioni adjectum, ad quod subeundum tenetur alter stricte, & ex justitia, sed non illico sub pœna nullitatis. Si tamen legans expresse voluisset, ut donatio nulla foret modo non impleto, donatio hæc reipsa corrueret, statim ac modus non impleretur. Dixi, *si expresse voluisset*: tum quia in causis piis specialiter statutum est, ut donatio Ecclesiæ facta sub modo, eo etiam non servato, revocari non debeat, nisi in donatione fuerit expressum; tum quia in dubio donatio præsumitur principaliter facta propter Deum.

Dico III. Contractus *ad causam* non valet, si causa, quæ finalis est, non subsistat; valet vero, etsi non subsistat causa solum impulsiva.

Prob. 1. pars. Causa finalis ea est, quæ ita movet contrahentem, ut sine ea actu, & de facto contrahere, aut disponere nolit; atqui implicat valere contractum tali causa sublata, quia implicat valere contractum absque consensu ullo; ergo.

Prob. 2. pars. Causa impulsiva ea est, quæ movet quidem ad aliquid promtiori animo faciendum, sed ita tamen ut contrahens adhuc rem in se velit, etiamsi desit talis causa: atqui hujusmodi voluntas ad valorem contractus sufficit. Unde si Titio pauperi, quem parentem esse tuum putas, eleemosynam tribuas sponte magis ob cognationis affectum, valet tua donatio, etiamsi cognatus non sit, quia primario intendis pauperem, quisquis ille sit, sublevare: portro motivo principali subsistente subsistit dispositio.

In dubio præsumitur causam non fuisse finalem, sed solum impulsivam, quando disponens ei favere intendebat, in cujus gratiam disposuit; atque ita judicari solet in exteriori foro. Si tamen sciat Confessarius causam fuisse finalem, judicare debet contractum esse invalidum. Imo plerumque apud Judices habet hic locum exceptio doli, si probet hæres legantem alias legaturum non fuisse.

Quæres, an si quid dederim Titio, ut mihi negotium grave prosequenti faveat, valida sit donatio, si Titius mihi de facto non faverit.

R. non valere, si hac solum conditione dederim, ut faveret: si vero quidpiam dederim, ut animum ejus allicerem, valet donatio; non enim exegi, ut faveret, sed allicere volui: unde vel nullam donationi meæ apposui conditionem, vel solum tacitam, & generalem, cujus defectus contractum non annullat.

Dico IV. Error *in demonstratione*, si sit circa substantiam, aut personam, vitiat contractum; secus si

non

non fit nisi circa accidentia. Utraque pars probata manet ex iis, quæ superius dicta sunt de errore in contractibus. Hinc valet contractus, si dicas: Dono equum meum, quem emi Parisiis, licet non emeris, aut alibi emeris: aliud dicendum esset, si e pluribus equis, quos emissem, unum emisses Parisiis, & is jam non subsisteret.

Sed quid dicendum si quis dixerit: Lego aureos 10. quos debet mihi Petrus, & Petrus aureos 100. debeat? Omnesne aurei legati censebuntur?

Respondent. Vel demonstratio apposita est *taxate*, seu ad restringendum id, quod datur, & tunc ille solum numerus debetur, qui expressus est, quia tunc constat mentem testatoris fuisse, ut amplius non donaretur: vel apposita est *demonstrative* tantum, seu ad denotandum id, quod legatum est, & tunc debetur id totum, quod demonstratum est.

Porro hæc afferri solet regula ad dignoscendum, an taxate, an demonstrative solum apponatur demonstratio. Cum incipit dispositio a numero, vel mensura, demonstratio apponitur *taxate*: cum autem incipit dispositio a re ipsa, quæ datur, demonstratio apponitur *demonstrative*. Unde si quis dixerit: *Do centum aureos in tali arca reconditos, vel decem jugera talis prædii*, non debentur nisi aurei centum, aut jugera decem, etiamsi plus contineat arca, vel prædium: si vero dixerit: *Do pecuniam, quæ est in tali arca, & constat ex aureis centum*, vel *tale prædium, quod constat decem jugeribus*, dandum est quidquid arca nummorum habet, aut ager jugerum.

*Si in nomine legatarii testator erravit, nihilominus valet legatum, cum de persona constat*. (*Instit. lib.* 2. *tit.* 20. *n.* 29.). Idem est enim ambiguitas demonstrationis personæ tollitur ex circumstantiis: unde an. 1622. Curia Parisiensis confirmavit dispositionem his conceptam verbis: *Au residu de mes biens, j'institue mon très-cher & bien aimé fils mon heritier*: quia liberorum alter his se indiciis designatum ostendit.

# PARS SECUNDA.

## DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

Dicam primo de Contractibus onerosis, deinde de gratuitis.

## CAPUT PRIMUM.

### De Venditione, & Emtione.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### *Quid Venditio; qui, & a quo perficiatur.*

Venditio definiri potest *Pactio mercis pro pretio*; emtio vero, *Pactio pretii pro merce*. Nomine *rei*, aut *mercis* intelligitur quidquid pecunia æstimari, & compensari solet: nomine vero *pretii* intelligitur pecunia: si enim merca pro merce daretur, esset permutatio, non emtio; nisi una cum alia merce daretur pecunia, cujus valor mercis adjunctæ valorem superaret. Porro pretium debet esse determinatum, quia si res vendatur pretio indeterminato, seu quod voluerit dare emtor, non stat contractus, ex Lib. 35. ff. *de contrah. emt.*

Sed si pretium tertiæ personæ determinandum remittatur, adeo ut promittat emtor, venditore consentiente, se id soluturum, quod Titius decreverit, posita Titii æstimatione perficitur contractus. *Sin autem Titius vel noluerit, vel morte*. v. g. præventus *non potuerit pretium definire, tunc* irrita erit venditio. (*Instit. lib.* 3. *tit.* 24.). Quod si emtor justum pretium promittat nihil determinando, non valet venditio ex communi sententia propter pretii incertitudinem; nisi pretium esset lege taxatum.

Res sufficienter determinata est, etiamsi ignoretur qualis, aut quanta sit, ut cum emitur res in spe, puta lactentes agrorum spicæ, quæ multis modis perire possunt. Qua ratione emi etiam potest jactus retis in mare. Quod si piscator esset in causa, ut non caperentur pisces, teneretur emtori de *interesse*. Est tamen illud discrimen inter emtionem jactus retis, & emtionem fructuum, quod si piscator nihil ceperit, pactum pretium ei solvi debeat: non autem si ager, aut arbor nullos fructus attulerit, quia ea dispositione Juris emtor hac solum lege contraxit, *si fructus nascuntur*. (*L.* 1. *ff. De condit. &c.*)

Quærea, an venditio solo partium consensu verbis, vel signis expresso perficiatur; an non ad ejus perfectionem requiratur traditio rei, *la delivrance*.

R. venditionem aliquo sensu perfici ex sola partium consensione, alio autem non perfici complete, nisi traditione rei.

Prob. 1 pars, ex Instit. (*In prin.lib.* 3. *tit.* 24.) *Emptio & venditio contrahitur simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit*; ergo contractus venditionis substantialiter & in genere contractus solo partium consensu peragitur.

Hic tria notanda: I. si contractus venditionis a Tabellione scribi debeat, non esse obligatorius antequam ab eo scriptus fuerit, & contrahentium subscriptione munitus: imo si vocati testes necdum subscripserint, partium altera, altera invita, resilire potest. In Galliis venditiones, quæ centum libras superant, vel coram Notario fieri debent, vel privata partium signatura muniri; nec valet probatio per testes ex Edicto Molinensi an. 1566. II. quibusdam in locis contractus venditionis non censetur perfectus nisi data sit arrha, gallice *dernier-à-dieu*; tunc autem arrha perit danti, si renuat contractum perficere: non tamen ubique licet resilire, etiam cum arrhæ jactura. III. si emtor rem gustare, probare, aut videre velit, venditio, etsi de pretio conventum sit, non obligat nisi postquam res, puta vinum, degustatum fuerit.

Prob. 2. pars ex L. 9. ff. *De publ. in rem act.*, ubi definitur rem duobus *bona fide ementibus* venditam, ejus

ejus esse, *cui priori tradita est*, etiamsi alter ante eum emerit : atqui si venditio omnino perfecta esset ex partium consensu, res jam ante ab alio emta non posset esse illius, cui priori tradita est ; alias enim posteriori emtori traderetur id, quod perfecte alterius erat . De Galliæ Jurisprudentia dicam art. 5. sect. 1.

Qui vendere possint, colligitur ex iis, quæ antea diximus de caussa efficiente contractuum; superest una difficultas, quæ moram facessere possit : An scilicet possit quis cogi ad rem suam vendendam.

R. I. neminem , communiter loquendo , cogi posse ad rei suæ venditionem : tum quia contractus omnis ex libero partium consensu fieri debet ; tum quia ei fit injuria, qui rem suam alienare cogitur.

R. II. esse aliquos casus, in quibus possit aliquis cogi ad venditionem rei suæ : I. enim tempore publicæ necessitatis cogitur quis ad vendendum frumentum, aut alia ejusdem generis. II. statuitur in jure , ut si fundus privati necessarius sit ad constructionem civitatis , Ecclesiæ , fori , viæ publicæ , possit is ad fundi venditionem cogi . Imo si quis in fundo, quem cum alio communem habet, Ecclesiam ædificare velit , poterit socius cogi ad venditionem suæ partis.

Nec obstat quod Achab peccaverit volendo extorquere a Naboth vineæ ipsius venditionem . Nam I. Lex non permittebat Judæis hæreditatis paternæ alienationem , nisi cum gravi necessitate premebantur. II. Israelitarum jura hæc erant, ut hæreditatem venditam in Jubilæo recuperare possent ; at vineam suam, si in hortum regium conversa fuisset, Naboth nusquam recuperaturus erat.

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De re vendibili.*

EX dictis constat vendi posse omnia, quorum quis dominium, & liberam administrationem habet, & quæ pretio æstimari possunt ; nisi venditio ratione specialis prohibitionis invalida sit, aut illicita. Hinc vendi possunt non quidem res spirituales , aut spiritualibus annexæ, ut Beneficia, jus patronatus, olea sancta , sed res corporeæ , actiones , & bona tum præsentia, tum futura : & licet omnia donari non possint, ne quis intestatus maneat, omnia tamen vendi possunt, quia qui omnia vendit, de pretio, quod accepit, testari potest.

Quæres I. an licite vendi queant, quæ ad pravum usum inservire possunt, ut fucus feminis.

Ut solvatur hæc maximi momenti quæstio , notandum quædam esse ex se tam mala, & ad malum usum determinata, ut cadere non possint sub usum bonum , aut indifferentem, ut maleficium , libelli infamatorii, & similia. Quædam vero sunt absolute indifferentia , ut arma offensiva , chartæ lusoriæ , fucus , idola , quæ , ut ad cultum a Gentilibus , sic ad ornatum a curiosis emuntur : hæc vero , quæ absolute indifferentia sunt , non raro sunt respective mala , ut idolum respectu Gentilis . His præmissis,

Dico I. res per se malas, malumque ad usum determinatas vendi non posse sine peccato ex se mortali : quia, ut docet S. Thomas , qui hæc vendunt, præbent *directe aliis occasionem peccandi* ( 2. 2. *qu.* 169. *art.* 2. ).

Hinc graviter peccant, qui libellos famosos condunt , divulgant, aut vendunt. Idem dicendum de cantilenis adversus proximi honorem concinnatis ; idem etiam de libris magiæ, aut Hæreticorum , nisi iis vendantur, quibus concessa est eosdem perlegendi licentia , quique iis abusuri non esse dignoscuntur . Unde colliges quid sentiendum de Bibliopolis, qui libros obscœnitate plenos, aut hæresim spirantes obvio cuique divendunt.

Dico II. res indifferentes, quibus emtores possunt bene, aut male uti, non possunt sine peccato iis vendi, quos venditor verisimiliter credit iis abusuros . Ratio est, quia qui hæc vendit , alterius peccato cooperatur : unde non licet Judæo agnum ad immolandum vendere, aut idolum Gentili : hæc enim venditio, etsi de se indifferens , est tamen ad malum determinata ex circumstantiis.

An fucus mulieribus vendi possit , pendet a quæstione, an eæ vultum pingendo peccent : peccant autem secundum id S. Cypriani : *Opus Dei est omne , quod nascitur ; Diaboli quodcunque mutatur* ( *Tract. de habit. Virg.* ). Quia tamen , ut notat S. Thomas ( *Ib, ad* 2. ) , *non semper talis fucatio est cum peccato mortali, sed solum ut quando fit propter lasciviam , vel in Dei contemtum* : hinc qui fucum vendit , non peccat mortaliter , nisi iis vendat , quas cognoscere potest, eo in usum mortaliter malum usuras : peccat tamen , saltem venialiter , ut & ipsæ mulieres , quia, juxta S. Thomam, *de fucato ornatu semper est peccatum.*

Quod spectat ad venena , regia declaratione anni 1682. constitutum est : I. ut ea , quæ suam semper veneni naturam servant , a nemine vendi possint ; II. ut quæ rebus aliis mixta possunt inservire, non nisi Medicis , & aliis similibus , qui probi seu per literas , seu aliter cognoscantur , vendi queant . III. ut Medici , Chirurgi , Pharmacopolæ , &c. ipsum veneni corpus non vendant , sed solum eum iis fuerit admixtum , e quorum consortio habes ut prosit.

Quæres II. an valeat rei alienæ venditio.

R. venditionem hanc esse invalidam, & validam sub diverso respectu : I. quidem est invalida, quatenus venditor certum, & inconcussum, quod ipse non habet rei dominium, transferre in alium non potest. II. est tamen eo sensu valida , quod nec venditor pretium reddere teneatur, nec emtor illud repetere possit, nisi post rei evictionem : neque hinc damni quidquam patitur emtor, quia venditoris est probare suum esse id, quod vendidit.

Quæres III. an quæ emuntur pecunia aliena fiant ementis, an ejus, cujus est pecunia.

R. emtorem, qui suo nomine rem acquirit ex alterius pecunia, rem illam facere suam regulariter loquendo. Colligitur ex L. 48. §. fin. *de furtis* , juxta quam *nummus, qui redactus est ex pretio rei furti-*

*væ ,*

*væ, non est furtivus*. Quapropter si fur ex pretio rei furtivæ panem emat, tam pistor comparabit pecuniæ dominium, quam fur dominium panis. Tenetur tamen qui aliena pecunia emit, non modo suam alteri pecuniam, sed & quidquid ille damni hac occasione passus est, refundere.

Dixi, *regulariter*, quia quæ emuntur pecuniis Ecclesiæ, pupilli, minoris, aut militis, transeunt in dominium illius, cujus est pecunia.

Quæres IV. an Officia vendere licitum sit.

R. affirmat. quia hæc Officia secundum se pretio sunt æstimabilia, cum & honorem temporaneum, & multam lucri occasionem importent. Debent autem vendi viris probis, pretio non nimio, ne emtores ad pretii soluti compensationem populos vexent: imo taxandum est, si fieri potest, stipendium eorum, qui munia hæc exercent laboribus correspondens, ne arripiat unusquisque quantum poterit.

Bursas vero vendere non licet, quæ in Collegiis fundatæ sunt ad pauperum studentium sustentationem: unde qui exacto suo tempore, eas vendunt, vendunt id, quod suum non est, quodque gratis acceptum, gratis dimittere debent. Qui vero Bursas illas pretio comparaverunt, non ideo magis eas possunt aliis vendere, quam qui rem alienam emit, possit eam domino divendere.

## ARTICULUS TERTIUS.

### *De pretio.*

NOt. I. Pretium est pecunia valori rei commensurata. Pretium aliud est *legale*, seu *legitimum*, quod Magistratus decreto constitutum est; aliud *vulgare*, aut *naturale*, quod communi hominum æstimatione independenter a Lege positiva taxatum est, & dicitur *pretium fori*.

Pretium vulgare triplex distinguitur: *infimum*, infra quod juste descendi non potest; *medium*, ultra quod juste ascendi, & infra quod juste descendi potest; & *supremum*, seu *rigorosum*; ultra quod juste ascendi nequit. Ex hac pretii naturalis latitudine provenit, ut unus emat 10., & statim vendat 12. absque peccato, quia emit infimo, & supremo vendit.

Justi pretii latitudo facile assignari non potest, potiusque taxanda videtur prudenti hominum judicio, pensatisque omnibus, quæ concurrunt, quam certis, & fixis limitibus constituenda. Admitti tamen solet hæc regula, ut res quo erit vilior, minus habeat latitudinis in pretio, plus vero quo fuerit pretiosior. Unde si medium rei alicujus pretium sit 10., infimum erit 9., supremum 11., & erit duorum latitudo: si vero rei pretiosæ pretium sit 100., infimum erit 95., supremum 105. & sic habebit latitudinem 10.

Not. II. pretium rei non repeti solum ex physico ejus valore; alias pluris valeret mus, utpote vivens, quam margarita; non etiam ex comparatione cum usu rei; gemma enim modici est usus, & pluris tamen valet, quam ingens vini copia; neque etiam ex rei necessitate; alioqui panis unus, sine quo vitam amplius protrahere non potes, pluris tibi vendi posset, quam pretiosa quæcunque supellectilia. Prima igitur justi pretii ratio repetenda est ex comparatione pretii cum re juxta communem hominum æstimationem considerata: major autem, vel minor æstimatio peti debet ex majori, vel minori copia tum mercium, tum pecuniæ, tum etiam emtorum. Quin & modus vendendi efficit, ut res minoris æstimentur; viliori enim pretio væneunt, quæ sub hasta venduntur, quam quæ apud mercatorem; quæ (*En gros*) aversione emuntur, quam quæ minutatim: atque vetus est adagium, merces ultroneas vilescere.

Id tamen & charitati, & justitiæ plerumque adversatur: hinc enim fit, ut cum pauperibus res suas vendere coactis, non servetur æqualitas, sed afflictis addatur afflictio nova. Fatendum tamen eum non peccare emendo pretio minori, qui rem, qua non indiget, emit, ut venditori gratiam præstet, aut qui emere non potest, quin aliquid patiatur incommodi. At hic bona fide opus est, & pensandum, quod sicut venditor injuste agit, cum ob emtoris necessitatem solam pretium adauget; sic & injuste agat emtor, cum pretium præcise ob venditoris necessitatem minuit: unde merito propositionem hanc damnavit anno 1665. Facultas Paris. *Potest aliquis emere rem vilius ab eo, qui vendit necessitate compulsus, quia ex modo vendendi minuitur*. Hæc ut magis ac magis elucescant, sit

CONCLUSIO I. Si nullum sit pretium legale, res vendi debet juxta pretium naturale: qui aliter fecerit, tenetur ad restituendum.

Prob. 1. pars, quia venditio justa non est, nisi res, & pretium commensurentur: non commensurantur autem, si res non vendatur secundum pretium naturale.

Prob. 2. pars. Non servatur æqualitas, quoties pretium non commensuratur rei; ergo contrahitur restituendi obligatio.

Hinc tenentur ad restituendum: I. qui ultra justum pretium vendunt extraneis; quia cum his, sicut & cum aliis servari debet æqualitas. II. qui fraude, vel mendacio inducunt alium ad emendum majori pretio, quam alias emisset, quamvis non ultra summum pretium: quia emtor jus habet, ut dolo, & fraude non adducatur ad rem rigoroso pretio emendam; ergo venditor tunc est causa iniqua, cur lucrum cesset emtori. III. qui postquam rem pretio infimo vendiderunt, occulte accipiunt supremum, seu emtorem decipiendo in numeratione pecuniæ, seu aliquid de re subtrahendo. Ratio est, quia non licet agere contra conventionem, & contra jus alterius ex ea acquisitum. IV. qui pluris alicui rem vendunt ob majorem ejus in ipsam affectum. Ratio est, quia affectus, utilitas, & indigentia emtoris non cadunt sub dominium venditoris; ergo venditor non hinc pluris rem suam æstimare potest, quod alii sit necessaria. Communis tamen ementium affectus pretium augere potest, quia communem hominum æstimationem, unde pretium

pen-

pendet, adaugere potest.

Sed non saltem liber est a restituendo, qui ultra justum pretium vendit, eo quod sibi pretium hoc ab emtore offeratur? R. negat. quia quod ultra legitimum pretium offertur, censeri debet oblatum ex errore, qui voluntarium perimit, aut ex affectu in rem, aut ex necessitate; non autem liberaliter, nisi contrarium rationabiliter præsumatur, ut in Principibus, & aliquando in amicis.

Quæres I. an venditor pretium mercis augere possit, & quibus de causis.

R. affirmat. quia certæ sunt occasiones, propter quas res pluris valet, quam alioqui valeret. Eæ vero sunt: I. cupia pecuniæ, vel emtorum, & mercium penuria: tunc enim merces, quæ & quæruntur a pluribus, & difficilius inveniuntur, pluris æstimari consueverunt. II. impensæ in mercibus conquirendis, & conservandis adhiberi solitæ. Dico, *solitæ*: quia si unus, aut duo mercatores plures fecerint impensas, quam alii, non ideo pretium augere possunt, sicut nec minuere debent, si ordinarias impensas non fecerint: quia nec infortunium, nec felicitas venditoris unius, aut alterius, communem hominum æstimationem mutant. III. si merces minutatim vendantur: plus enim laboris subit, qui sic, quam qui simul, & in magna quantitate vendit. IV. rationabilis domini affectus in rem, quam in alterius gratiam vendit, quia tunc venditor non solum re sua se privat, sed commodo suo, & delectatione; hæc autem pretio sunt æstimabilia; hinc domus, quæ, quia avita est, pluris æstimatur, pluris vendi potest. V. lucrum quod cesset, aut damnum quod emergit ex venditione hic & nunc facta: ut si venditor rem certo reservaturus erat in aliud tempus, quo verisimiliter pluris vendenda esset; aut si quia nunc merces suas vendit, futurum sit, ut alias carius postea emere cogatur. Et hoc verum est, tametsi, pretium rei a Principe taxatum foret; quia Princeps constituit pretium super re ipsa secundum se, non habita ratione damni, aut incommodi, quod venditor rem vendendo sustinere potest.

Circa duos posteriores casus, quatuor sunt notanda: I. Venditor monere debet emtorem, cur rem pluris vendat, quam valeat secundum se: quia forse nollet emtor venditoris incommodum redimere. II. qui pluris vendit merces, quia eas aliud in tempus servaturus erat, debet deducere tum impensas, quas in iis servandis facturus erat, tum varia pericula, quibus obnoxiæ sunt merces, quæ diu servantur; alioqui non servaretur æqualitas, dum venditor plus hodie reciperet, quam post tres menses recepturus erat. III. Si venditor rem suam ultro vendendam offerat, non potest quidquam ex justitia exigere pro damno emergente; quia non tenetur emtor avertere incommodum, quod alter sponte subire vult. IV. Mercator sub prætextu particularis affectus mercem suam carius vendere nequit; quia ratione muneris sui paratus esse debeat ad res suas justo pretio alienandas: imo qui non est mercator publicus, affectum suum intra rationis, & moderationis terminos reducere debet, ne pretio enormi redimatur.

Quæres II. an res, quæ nec habent pretium vulgari æstimatione determinatum, nec constitutum Lege Principis, ut gemmæ, accipitres, eximiæ veteres picturæ, vendi possint quanti dominus volet. R. quidquid sentiant aliqui, res hujusmodi vendi debere secundum communem hominum in hisce materiis intelligentium æstimationem, alioqui incurri obligationem restitutionis. Ratio est: I. quia res quælibet eo debet pretio vendi, quod inspectis omnibus ipsi commensuratum prudenter judicatur: atqui tale est pretium, quod viri intelligentiores judicant respondere rei, quæ nec vulgari fori æstimatione, nec Principis edicto taxata est. II. quia alioqui venditor, qui rem suam 100. valere judicat, posset eam vendere 1000., si videret eam alicui placere, qui ipsam quocunque tandem pretio comparare velit: atqui hoc absurdum est; ergo perperam dicunt aliqui excessum condonari ab emtore: neque id præsumi debet, nisi res signis evidentibus constet. Hic quædam animadvertenda.

I. Facile conveniunt Theologi majorem esse pretii harumce rerum latitudinem, quam earum, de quarum valore nemo disputat. II. res quædam apud nos vilissimæ magni æstimantur apud alios, ut apud Japones specula, & vicissim: unde cum communis æstimatio pretium constituat, res illæ pretio magno vendi possunt iis in locis, ubi multi æstimantur. III. si tam emens, quam vendens rei pretium ignorent, & se ignorare scientes de eo conveniant, valet contractus, nec ulla est restituendi obligatio, etiamsi aliquis eorum in dimidio læsus sit, quia uterque sorti se commisit contrahendo, & sic se exposuit tam lucro, quam damno.

Quæres III. an res, quæ venduntur sub hasta, & *l'encant*, ut in licitationibus publicis, emi possint supra, aut infra pretium vulgare. R. affirmat. Ratio est, quia potestas publica illud pro justo pretio extraordinario hujusce fori æstimare censetur, quod in publico emtorum concursu tanquam in quodam examine approbatum fuerit.

Cavendum tamen, ut absint fraus, & dolus, quæ multis modis adesse solent: ut I. si venditor occultos rei expositæ defectus celet. II. si fictos licitatores immittat, qui se emtores simulent, ut pretium augeatur. III. si proxenetæ merces eo tempore vendendas proponant, quo paucos emtores adfuturos esse præsentiunt, ut res iis adjudicetur, quibus favere volunt. IV. si emtores inter se conspirent, ne ullus ultra tale pretium ascendat. Solet tamen excusari a culpa, qui sine vi, & dolo rogat amicum, ne plus certa quadam quantitate offerat, ut ipse justo pretio, infimo tamen, aut mediocri rem obtinere possit.

CONCLUSIO II. Si quod sit pretium legale, merces juxta illud, & non aliter vendi debent.

Prob. quia pretium legale justo Principis, aut Reipublicæ decreto constitutum esse supponitur; ergo decreto huic est obsequendum, adeo ut qui taxam constitutam non servat, graviter peccet, & ad excessus restitutionem teneatur, etiamsi lex aliam imponat pœnam.

Ceterum lex Principis semper justa præsumi debet, donec

donec de contrario constet.

Hic quædam notanda: I. pretium legale consistere in indivisibili: unde qui plus exigit, tenetur ad restitutionem excessus. Licet tamen emtori remissionem obtinere, si potest, quia taxa imponi solet, non ut emtor minus solvat, sed ne ad plus solvendum a venditore cogatur: qui tamen nulla taxati pretii obtenta remissione rem accepisset credito, postea pretium legale solvere teneretur. II. sicut res, quæ minus valet, quam sit taxa constitutum, non potest juste vendi pretio per Principem constituto, quia alioqui taxa in emtorum favorem posita in eorumdem dispendium cederet; sic etiam si res notabiliter excedat alias, quæ communiter vendi solent, potest licite vendi supra pretium legale; quia lex Principis cadit in res, ut ordinarie esse solent: verum ut a lege communi tuto recedi possit, excessus debet esse notabilis, alioqui lex inutilis redderetur, quia quilibet venditor contenderet mercem suam ordinaria meliorem esse.

Quæres I. an merces tanti vendi possint Lugduni, ubi minor est taxa, quanti Lutetiæ, ubi taxa est major, si Lutetiam deportandæ sint. R. affirmat. si vendens sumat in se periculum transvehendi merces Lutetiam, quia tunc contractus perficitur solum Lutetiæ, nisi aliter expresse conventum sit. Si vero emtor merces illas propriis sumtibus transferre debeat, palam est contractum Lugduni perfectum fuisse; ideoque venditor sequi debuit taxam Lugdunensem.

Quæres II. an mercator, qui cognoscit magnam mercium copiam paulo post esse superventuram, ob quam earumdem valor insigniter minuetur, possit merces suas pretio currente vendere. Idem quæritur de emtore, qui scit mercium pretium brevi tempore adaugendum esse, an scilicet easdem vel in usum suum, vel aliis revendendas currenti pretio, quod longe minus est, emere possit.

R. affirmat. cum S. Thoma; colligiturque ex Genes. 41. ubi Joseph, sciens futuram septem annorum sterilitatem, ob quam frumenti valor supra modum augendus erat, currenti pretio ingentem illius copiam emit, & reclusit. Ratio est: quia mercator in præsenti casu rem suam vendit legitimo pretio. Nam legitimum rei pretium illud est, quod res habet ex communi hominum æstimatione: atqui mercator tunc rem vendit eo pretio, quod habet ex æstimatione communi; neque enim privata unius, aut alterius scientia communem æstimationem mutat; ergo. Et vero se habent merces aliquanto post augendæ, sicut moneta propediem augenda: atqui moneta propediem augenda non valet hodie id, quod tunc valitura est; ergo a pari.

Objiciuntur præcipue duo: I. quod justus rerum valor sumitur ex prudenti hominum æstimatione, consideratis circumstantiis omnibus, etiam futuris: sed in prædicto casu, quod tanti æstimentur merces, non provenit ex prudenti judicio, sed ex errore, ut per se patet. II. Si sciret venditor mercem brevi corrumpendam, v. g. equum brevi moriturum, vinum brevi in acetum conversum iri, teneretur defectum exponere, aut saltem descendere in pretio, ergo a pari.

R. ad 1. neg. min. prudens enim est judicium, quod fertur, de re secundum omnes circumstantias, quas viri prudentes de ea cognoscere possunt: atqui tale est judicium, quo merces illæ tanti æstimantur.

Ad 2. neg. conseq. disparitas in eo est, quod copia, vel inopia rerum ocius, aut citius futura, sit extrinseca rebus, adeoque eas magis, aut minus bonas non faciat; sed nec eas pluris æstimari facit, cum ignota esse supponatur: at vero bonitas rerum, earumve corruptio, aut ad corruptionem dispositio rebus ipsis intrinseca est, adeoque rerum valorem intrinsecus mutat.

Obj. iterum. Ex assertione nostra sequeretur: I. posse aliquem sua quæcunque bona vendere currenti pretio, tametsi cognosceret hæc intra paucos dies ab hoste diruenda. II. Senatores, qui scirent brevi promulgandam esse legem, qua minueretur monetæ valor, aut ejusdem usus interdiceretur, posse totam, quam habent, expendere, aut permutare. III. eum, qui prænoscit Principem cum Curia sua ex hoc loco recessurum, posse domum suam inibi existentem tanti locare ad integrum annum, quanti ab ignorantibus toto anno valitura æstimatur: atqui hæc omnia sunt absurda; ergo.

Respondet Henricus a S. Ignatio, vir qui in suspicionem laxioris doctrinæ facile non veniet, neg. min. & dicit hæc nullatenus absurda esse. Et fatendum est ea ex probationibus nostris satis legitime sequi. Major quidem est controversia de Senatoribus, qui, ut tales, Edicti promulgandi notitiam habent, quia, inquiunt Molina, & Lessius, Magistratibus ex officio incumbit procurare, & conservare civium bona; ergo scientia sua cum civium detrimento uti non possunt, licet ea uti possent cives particulares, aut saltem qui, ut tales, promulgandi Edicti notitiam haberent.

Attamen citatus Henricus parem in hoc casu esse putat Senatoris, ac civis alterius conditionem: I. quia æquum non est, ut Senator, qua talis, deterioris sit conditionis, quam alii cives. II. quia nullo Jure prohibetur privata sua scientia in commodum suum uti, nec tenetur civium commoda procurare aliter, quam efficiendo, ut Leges serventur, non autem iis ita consulendo, ut sibi male consulat. Quod autem Senatoris venditio in damnum emtoris cedat, per accidens est, utpote proveniens non ex venditione, sed ex Lege superventura. Ita etiam sentiunt Covarruvias, Corduba, Lugo, & alii apud prædictum Auctorem.

Fatendum tamen, haud licitum fore Senatoribus vel Legis promulgationem ex industria differre, vel promulgationem hanc familiaribus suis præ aliis revelare, quia ex officio suo tenentur secretum servare, & efficere, ut unus præ alio non gravetur.

At, inquies, saltem vetat charitas, ne pretio currenti vendantur res brevi minus valituræ; vetat enim, ne quis cum aliorum jactura lucrum quærat.

R. neg. ant. etsi enim certo constet *abundantioris esse virtutis*, *si* talis venditor *pretium minuat*, ad id tamen sub peccato teneri non videtur, quia non vetat charitas, ne quis sibi consulat utendo jure, quod habet ex Legibus, & ex justa rerum æstimatione, ta-

tametsi alius inde aliquid per accidens capiat detrimenti.

Peccaret tamen contra charitatem, qui tantam alicui venderet copiam rerum, ut is in magnam necessitatem inde conjiceretur; quia sicut præcipit charitas, ut proximo graviter laboranti etiam cum aliqua bonórum jactura succurramus, sic a fortiori vetat, ne ex paupertate ejusdem divitias nobis comparemus.

Peccarent vero contra justitiam, qui longe vehementius solito urgerent emtorem, eumve fraudibus, & mendaciis circumvenirent, ut multo plures, quam alias merces emeret. Idem dico de iis, qui scientes brevi augendum pecuniæ valorem, magnas summas mutuo accipiunt, quas alioqui non accepissent. Ratio est: I. quia qui sic se gerunt, ex communi hominum sensu pro deceptoribus habentur. II. quia populus, a quo pendet pretium naturale, non ita consentit in pretium certo tempore pro mercibus constitutum, ut illud justum esse velit, quando grave inde sequitur emturis detrimentum, nisi bona fides venditorem excuset: magna enim bonæ hujus fidei habenda est ratio, ut patet ex casu supra adducto de venditore, qui, si sciat vinum paulo post alteratum iri, tenetur ad restituendum; secus si vinum, quale apud se erat, bona fide vendiderit.

## ARTICULUS QUARTUS.

*Ad quem pertineant fructus, & periculum rei venditæ.*

Difficultas hujus quæstionis ex eo oritur, quod inter Theologos non constet quousque perficiatur contractus venditionis per consensum partium, & ante rei traditionem. Paucis dicemus, quod hac de re fusiori, & satis ambiguo sermone alii explicant.

I. Nulla est difficultas, quin re vendita, & emtori, qui pretium solvit, tradita, fructus omnes ad eum pertineant, quia plene rei dominus constituitur. Idem docent, si fides de pretio habita sit emtori, aut ei concessa sit ad solvendum dilatio.

II. Cum emtor pretium quidem non solvit, sed obtulit, ita ut venditor sit in mora rem tradendi; docent adhuc communiter, fructus omnes esse emtoris; quia res ei debita est, adeoque & fructus, qui ex ea nascuntur: unde venditor tunc tenetur in foro conscientiæ ad omne *interesse*, tam intrinsecum, quam extrinsecum, quia mora sua culpabili causa est damni totius. Interesse *intrinsecum* sunt omnes fructus ex re percipiendi, *extrinsecum* vero sunt fructus ab industria emtoris dependentes, ut si rem alio, ubi carior fuisset, translaturus erat.

III. Major & præcipua difficultas est, an, quando pretium non est solutum, nec pro soluto habitum, sed emtor est in mora, an, inquam, fructus sint venditoris, an sint emtoris. Alii fructus venditoris esse dicunt, quia res domino suo fructificat; alii, ut Lessius, censent fructus omnes statim a peracto venditionis contractu pertinere ad emtorem, nisi expresse aliter fuerit conventum; quod si conventum fuerit, ut fructus sint venditoris, conveniri quoque debet, similiter, ut toto illo tempore periculum sit etiam venditoris.

In Gallia qui rem frugiferam emit credito, percipit quidem fructus, sed tenetur pretii interesse solvere, etiamsi res per accidens nullos fructus ferat, ut si domus vel non locetur, vel nonnisi pretio longe minori locari possit. Hæc jurisprudentia, pro qua præcipue citatur *Arestum* Curiæ Parisiensis diei 8. Octob. an. 1597. congruit tum Juri Civili, in quo statuitur usuras, seu interesse *pretii post diem traditionis* deberi ab emtore, *quia cum re emtor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere* (*L.* 13. §. 10. *ff.* De act. emt.); tum rationi: I. quia si emtor fructus perciperet, & non solveret interesse, sequeretur inæqualitas inter contrahentes, dum venditor re sua careret, ejusque fructibus, & pretio; emtor vero hæc omnia servaret sub prætextu, quod subeat periculum interitus rei, quod periculum moraliter loquendo nullum est. Quale enim est periculum prati? quale domus bene fundatæ? Et si quod sit, an non emtor illud eodem subiret modo, si pretium solvisset. II. quia alioqui emtor rem emtam aliquando facile solveret intra paucos annos ex annuis ejusdem rei redditibus.

Neque vero usuræ illæ *lucratoriæ* sunt, quas fatemur legibus prohibari; sed *compensatoriæ*, quæ ab iisdem approbantur, quæque tenent locum fructuum, quos dominus percepisset, si rem suam non vendidisset credito.

Hic duo notanda: I. venditor nihil ultra hasce usuras exigere potest pro quocunque lucro cessante, aut damno emergente; & hoc onus aliquando durissimum justificat Galliæ nostræ leges, quæ prima fronte theologicis legibus parum cohærere videntur. II. non eodem modo currunt usuræ rei mobilis, quo immobilis. Rem paucis tradit auctor Instit. ad Jus Gallica. (*Argou. L.* 3. 23.) *A l' égard des meubles, l' interest du prix n'en est dû que du jour de la demande, qui en est faite en Justice; & a l'égard des immeubles, l' interest du prix en est dû du jour que la chose vendue a été livrée, ou offerte.* Addit Ferriere v. *Interest* si venditor certum emtori tempus pro solutione facienda præscripsisset, *interesse* debitum non iri, nisi de eo expresse conventum fuisset. Jam videndum, ad quem pertineat periculum rei.

Not. I. Per periculum rei intelligitur interitus rei, vel ejus deterioratio.

Not. II. Res vendita, vel est determinata *in specie*, ut hic equus, hoc dolium vini; vel est *in genere* solum determinata, & indeterminata in specie, ut si dicatur: Vendo tibi decem oves gregis mei. Rursus res determinata potest vendi *quoad corpus*, vel *quoad mensuram*. Quoad corpus quidem, quando aliquid determinatum venditur unico pretio, ut si dicas. Vendo tibi hoc dolium vini 50. nummis: quoad mensuram vero, quando res non venditur unico pretio, sed pro unaquaque mensura pretium assignatur, ut si dicas: Vendo tibi hoc dolium unamquamque metretam tribus florenis; hoc prædium nummos 20. pro singulis jugeribus. Venditio non desineret esse quoad corpus, etsi adderetur quantitas rei, v. g. Vendo tibi

bi hoc dolium, quod continet metretas centum: quanquam exigeret æquitas, ut pretium augeretur, vel minueretur, si postea detegeretur error in quantitate, nisi aliter convenerint contrahentes.

· Non loquimur hic nisi de venditione ita perfecta, ut licitum non sit partibus resilire. Non loquimus etiam de re tradita; eam enim emtori perire nemo negat. Quæstio igitur procedit de re pereunte ante traditionem: sit

CONCLUSIO I. Res vendita etiam ante traditionem perit emtori, si sit determinata in individuo, seu in specie, ut hæc domus, aut si quoad corpus vendita sit; modo tamen perfecta & absoluta sit venditio, nec venditor sit in culpa, vel mora.

Prob. ex Instit. Lib. 3. tit. 24. §. 3. *Cum emtio, & venditio contracta est, quod effici diximus simul atque de pretio convenerit.... periculum rei venditæ statim ad emtorem pertinet, tametsi adhuc ea res emtori tradita non sit*; ergo licet venditio ante traditionem non transferat inconcussum rei dominium in emtorem, transfert tamen in eum ex Legis dispositione rei periculum, sicut & ejus commoda; qui autem commodum sentit, & onus sentire debet. Atque hanc legem in Galliis etiam servari debere contendit J. Ferriere in citatum Justiniani locum, contra alios quosdam Juris Gallici interpretes.

Hinc colligit Pontas, vinum, quod aliquod vitium contraxit, emtori deperiisse, ut statuitur L. *Si vinum.* ff. *De peric. & commodo rei vend.* Notand. tamen cum Cujacio & Ferriere ibid. quod *vino vendito perfecta venditio non censetur ante degustationem; quia non solet vinum emi nisi sub conditione degustandi*: unde degustatio hæc est conditio venditionem suspendens.

Dixi I. in Conclusione, *modo venditio perfecta sit, & absoluta*; quia conditio suspendit contractum, ut alibi diximus.

Dixi II. *modo etiam venditor non sit in culpa vel mora.* Venditor enim rem custodire tenetur donec tradiderit: quapropter si res pereat, aut fiat deterior, ejus culpa gravi, vel levi, ipse de damno tenebitur; secus si culpa ejus levissima fuerit, ut patet ex iis, quæ alibi diximus de Contractu, qui cedit in utilitatem utriusque contrahentis. Sed major est venditoris obligatio, si sit in mora; tunc enim tenetur etiam de casu fortuito. Si solus emtor sit in mora, periculum ad ipsum pertinet. Si alter post alterum sit in mora, periculum est illius, qui posterior est in mora, nisi tamen mora prioris sit causa moræ posterioris. Si vero uterque simul fuerit in mora, damnum in solum emtorem cadit ex L. 51. ff. *De action. emti*, &c.

CONCLUSIO II. Res indeterminata, vel determinata quidem, sed vendita quoad mensuram, & non quoad corpus, perit venditori, quandiu non est mensurata: idem dicendum de re nondum numerata, aut ponderata.

Prob. quia hujusmodi venditiones fiunt ex dispositione Juris sub hac tacita conditione, *Si res per traditorem fiat determinata*: aut, *Si res mensuretur coram emtore, aut alio, qui vices ejus gerit*: atqui periculum rei venditæ sub conditione pendenti pertinet ad venditorem; tandiu autem pendet conditio, donec res mensurata, aut ponderata fuerit; ergo.

Hinc si emeris decem oves ex grege; & totidem mortuæ sint, non tibi perierunt, sed venditori. Ratio est; quia emtor retinet jus in genus: *genus autem perire non potest*, ex recepto axiomate.

Sed quid, si grex totus perierit?

R. venditor numerum, quem indeterminate vendidit, aliunde præbere debet: quod si in pactum deduxisset se numerum hunc ex tali grege esse desumturum, & is sine domini sui culpa periisset, sufficeret, ut acceptum pretium redderet, & ad id teneretur ex Sylvio, & aliis, quibus adjungimur.

Obj. ex Leg. 34. ff. *De contrahenda emt. Si emtio ita facta fuerit: Esto mihi emtus Stichus, aut Pamphilus, in potestate est venditoris, quem velit, dare.... sed uno mortuo, qui superest dandus est: & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emtorem pertinet. Sed & si pariter decesserunt, pretium debebitur: unus enim utique periculo emtoris vixit. Idem dicendum est etiam si emtoris fuit arbitrium, quem vellet habere*: atqui ea Lex manifeste pugnat contra decisionem nostram. Qui enim emit e grege Petri decem pecora, emit disjunctim decem hæc, vel illa; ergo ceteris pereuntibus, decem hæc quæ supersunt debentur emtori, ut eidem debetur Stichus, si mortuus sit Pamphilus; ergo si decem hæc postrema pereant, perire debent emtori, cui per aliorum mortem quodammodo determinata sunt; sicut si post Pamphilum moriatur Stichus, is emtori perit.

R. cum Lugo neg. paritatem. Ratio est, quod quando disjunctim emitur unus servus ex duobus, is absolute emitur: quare qui ultimus manet, absolute, & jam determinate emtus est. At vero cum res ad mensuram, vel numerum emitur, declarant expresse Leges eam non emi absolute, sed sub hac conditione, si numeretur &c. ergo quandiu numerata non est, soli venditori perire debet.

Hic tamen notandum est, quod licet periculum rei indeterminatæ, vel venditæ ad mensuram, pertineat ad venditorem quoad substantiam rei, periculum tamen valoris rei spectat ad emtorem, quapropter si res interim melior fiat, aut deterior absque venditoris culpa, incommodum, sicut & commodum in emtorem cadet.

## ARTICULUS QUINTUS.

### *De obligationibus Venditoris, & Emtoris.*

PRæcipuæ emtoris obligationes sunt: I. ut pretium integrum solvat tempore constituto. II. ut restituat quanto minoris rem emit. III. ut si venditor rei pretium ignoret, hunc moneat, vel generaliter dicendo rem pluris valere, vel etiam specialites si opus fuerit, assignando justum pretium, licet infimum assignare possit, quia infimo emere potest: unde ad restitutionem tenetur qui ab hebete rustico gemmam emit multo minoris, quam sciat eam valere; quod verum est, etiamsi rusticus eam offerat pretio viliori. Quod si quis emeret gemmam, cujus ipse solus miram aliquam virtutem cognosceret; aut her-

herbarum fasciculum, in quo laterent herbæ pretiosæ, statim nisi emantur, a venditore tradendæ animalibus in pabulum, sufficeret, ut eam emeret pretio communi: quia privata sua cogitatio ei nocere non debet.

Obligationes venditoris sunt: I. ut rei venditæ dominium tradat, prout conventum est. II. ut quandiu eam servat, servet quasi suam. III. ut rescindat venditionem vi, metu, vel dolo factam, aut emtoris damnum rite compenset. IV. ut emtorem de occultis rei defectibus admoneat. V. ut evictionis lege teneatur. Ex his obligationibus prima, quarta, & quinta specialius sunt investigandæ.

## SECTIO PRIMA.

### *De traditione, & evictione rei.*

CONCLUSIO I. Res multis successive vendita, & nulli tradita, ei est tradenda, qui prior emit.

Prob. quia prior emtor plus in rem emtam juris habet; tum quia qui prior est tempore, est etiam potior in jure; tum quia res priori vendita non potuit sine ejus injuria vendi posteriori; ergo, ut hæc injuria reparetur, res ei, qui prius emit, est tradenda; quod verum est, etiamsi uterque emtor asserat rem sibi fuisse traditam: quia seclusa traditione evidenti, jus prioris potius est, ideoque ei in dubio favendum. Si tamen posterior pretium solvisset, non prior, huic ille præferendus esset, quia legitime præsumeretur traditionem posteriori factam esse.

CONCLUSIO II. Ejus est res vendita, cui tradita est, sive sit prior, sive posterior.

Prob. I. quia ex L. 15. Cod. *de rei vind. Quoties duobus .... prædium distrahitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorem;* ergo qui secundo loco emit, fit dominus rei; idque merito constitutum est, ne ex inscripto ante diem (*Antidate*) contractu eludantur legitimi emtoris jura. II. quia ea alibi dictis, per venditionem solam non acquiritur nisi jus ad rem, per traditionem vero acquiritur jus in re.

Hæc juris Romani dispositio respicit bona immobilia, perinde ac mobilia. Eadem dispositio viget in Gallis quoad bona mobilia, imo & quoad bona immobilia: licet multum disputetur qua opus sit traditione, an ea, quæ gallice vocatur *nantissement*, an ea solum ficta traditione, quæ per ipsum venditionis contractum fieri censetur: unde in his casibus explorandi erunt locorum usus, & praxis.

Quod de venditione, idem dicendum de promissione, donatione, imo locatione: licet enim ille, cui domus locata est, non acquirat per traditionem verum ejus dominium, acquirit tamen jus detentionis, quo tueri se potest contra alium conductorem etiam tempore priorem; huic vero non competit, nisi actio personalis in locatorem.

Porro Conclusio nostra limitatur: I. cum primus emtor jus habet ea privilegio acquirendi dominium sine traditione, ut loca pia, & civitates, ea L. fin. Cod. *de sacrosanctis Eccl.* Unde in locis, ubi prædicta lex viget, secundus emtor, aut donatarius rei etiam traditæ dominium non acquirit, quia resistit privilegium loci pii, &c. II. cum secundus emtor etiam privilegiatus rem emit mala fide, seu conscius prioris venditionis. Quin etiam evinci potest res uni, etiam privilegiato, & primæ venditionis nescio tradita, si priori res debita sit ea titulo oneroso, posteriori vero gratis donata sit. Non tenetur tamen donatarius bonæ fidei restituere creditoribus, antequam petant, quia neque ratione rei acceptæ; neque ratione injustæ acceptionis tenetur.

Nunc paucis dicendum de evictione. Est autem evictio rei, quam quis emit, aut dono accepit, ab eodem abductio per Judicis sententiam. *Evicta res ex emto, actio non ad pretium dumtaxat recipiendum, sed ad id quod interest competit* emtori, ea l. 70. ff. *De evict.* Porro ad id obligatur venditor in conscientia, etiam ante sententiam Judicis, cum rem, quam vendidit, sciebat esse alienam: si vero id ignoraverit, non tenetur reddere emtori interesse, vel damna; at eidem pretium restituere debet, aut saltem id, quo ditior factus est. Si emtor sciens, & volens rem alienam emerit, venditor ad nihil tenetur respectu ipsius, quia scienti, & consentienti non fit injuria; sed tenebitur erga verum rei dominum, posito quod emtor aut nolit, aut non possit damna ejus compensare.

Evictio locum habet non solum in venditione, sed in quolibet alio contractu oneroso; item & in usufructu, quia est quasi pars rei venditæ.

Si res vendita in eodem sit statu cum evincitur, ac cum vendita fuit, sufficiet, ut venditor restituat & solvat: I. pretium acceptum. II. impensas contractus. III. quod ad rem obtinendam solvendum fuit, ut jura censualia, *les lods, & ventes.*

Si rei valor imminutus sit vel ab extrinseco, quia nunc minoris venduntur res ejusdem naturæ, quam tempore contractus, vel ab intrinseco, puta quia *ex mille jugeribus traditis ducenta flumen abstulit*, non tenebitur venditor bonæ fidei nisi valorem præsentem refundere emtori; in hoc enim solum valore consistit damnum, quod patitur. Si e contra rei valor creverit, venditor incrementum hoc emtori refundere tenetur; quia emtor damnum hoc ea evictione patitur. Quæ vero sit venditoris obligatio erga dominum, cui res evicta reddetur, colligendum est ex iis, quæ dicta sunt ubi de Possessore bonæ, & malæ fidei.

Venditor de evictione non tenetur: I. si emtor non denuntiet motam esse litem super illa re, ut videat, an eam defendere velit. II. si expressum fuerit in contractu, ut venditor bonæ fidei de evictione non teneretur, aut si venditore absente emtor non appellaverit.

SECTIO

## SECTIO SECUNDA.

*An teneatur Venditor rei defectus aperire.*

Vitium rei vel manifestum est, vel occultum: utrumque vero potest facere rem emtori vel periculosam, vel noxiam; periculosam, cum emtor vel nullatenus, vel sine periculo ea uti non potest, noxiam vero, cum res, quæ, quia vitiosa est, minoris valet, tanti venditur ac si nullum haberet defectum, ut si quis vendat vinum aqua mixtum. Sit

CONCLUSIO I. Vitium occultum debet a venditore etiam non rogatu manifestari, si rem emtori periculosam faciat, aut noxiam, aut inutilem ad effectum, propter quem emitur.

Prob. quia ex S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 2. *dare alicui occasionem periculi, vel damni semper est illicitum*: atqui *venditor ex hoc ipso dat emtori damni, vel periculi occasionem, quod rem vitiosam offert, si ex ejus vitio damnum, vel periculum incurrere possit*; ergo *si hujusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita, & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem*.

Obj. I. Non tenetur puella, quæ occulto amissæ virginitatis vitio laborat, illud aperire amasio volenti eam ducere; ergo a pari.

R. neg. conseq. quia puella se diffamaret, ad quod regulariter loquendo nemo tenetur: venditor vero mercis suæ vitium detegens seipsum non infamat, sed potius probitatem suam exerit.

Obj. II. Non magis tenetur venditor ignotum rei suæ vitium detegere emturi, quam emtor ignotam venditori rei ipsius bonitatem aperire teneatur: atqui emtor non tenetur &c.: potest enim quis emere agrum, in quo thesaurum esse novit, & dominum non monere; item emere fasciculum herbarum, in quo detegit herbam pretiosissimam.

R. ad I. neg. min. ob rationes supra allatas,

Ad 2. neg. conseq. Ideo enim licite emitur ager, in quo latet thesaurus, quia thesaurus non est pars fundi, nec magis pertinet ad dominum fundi, donec eum invenerit, quam ad eum, qui emere vult, & cui privata sua scientia non debet obstare, quominus rem, quæ nullius est, acquirat. At vero defectus, de quibus nunc agitur, sunt pars intrinseca rei, sicut & bonitas ejus; ergo emtor de iis moneri debet, etsi dominus fundi de thesauro hic latente moneri non debeat. Nota, aliud esset de venis metallicis, aut mineralibus: eæ enim sunt partes, vel fructus fundi; ac proinde de iis moneri deberet venditor, saltem in locis, ubi eædem venæ ad Principem non pertinent.

Quod spectat ad fasciculum herbarum, eadem est disparitas, quia fasciculus ille non venditur nisi secundum rationem pabuli animalium, sub quo respectu herba pretiosa non pluris valet, quam aliæ: e contra equus venalis v. g. venditur, ut ex eo capiantur usus omnes, ad quos equi inservire solent; quod fieri nequit, si occulti, quos habet, defectus eum ad hujusmodi usus inhabilem, aut periculosum præstent.

Ex conclusione nostra colliges, quid de iis dicendum sit: I. qui in aures equi, aut aselli pigri mercurii guttam infundunt, ut generosi appareant. II. qui in sacci summitate triticum melius collocant, aut in extremitate dolii pisces meliores reponunt, ut deceptus emtor ex iis, quæ apparent, judicet de iis, quæ inferius posita non videntur. III. qui tenebras quærunt, ut vitium mercis celent. IV. qui rei suæ defectus tam confuse declarant, ut potius insinuent rem suam omni carere defectu, quales sunt, qui postquam dixerunt se nolle de ullo rei suæ vitio teneri, addunt v. g. se vendere equum, sive cæcus sit, sive calcitro, aut mordax, involvendo eum defectu, quo laborat, plures alios, quos evidenter non habet, ut in iis aperte mentiendo putentur in aliis mentiri. V. qui pannum adustum vendunt pro durabili, domum ruinosam pro firma, aromata evanida pro recentibus, ovem morbidam, quæ gregi morbum inferat. VI. qui aliquo artificio augent pondus, aut volumen mercis, ut lanii, qui parum e carnibus detrahunt sanguinis, rustici, qui avenam perfundunt aqua, aut lanam in locis humidioribus reponunt: perinde enim est sive circa quantitatem fallas, sive circa qualitatem.

CONCLUSIO II. Si vitium rei non reddat rem noxiam, nec periculosam, nec notabiliter minus utilem, quam emtor rationabiliter exoptet, non tenetur venditor vitium ejus etiam occultum aperire, nisi interrogetur: debet tamen minuere pretium pro ratione vitii. Ita S. Thomas quodlib. 2. art. 2. & alii communiter, juxta quos Conclusio etiam vera est, cum venditor probe scit rem ab emtore emtum non iri, si nollet rei vitium.

Prob. quia alioqui mercatores negotiationi valedicere deberent, si quælibet mercium vitia deberent semper non interrogantibus aperire, nec stare possent commercia, sine quibus Respublica subsistere nequit: mercatores enim omnis generis, & qualitatis merces emere coguntur, emtas non possunt semper conservare, ut vellent, ipsi sæpe decipiuntur, dum merces aliunde accersunt: si ergo nonnisi merces indefectuosas vendere cogerentur, funditus a fortuna caderent, quia vel emtores ab emendo deterrerentur, vel pretium justo minus offerrent.

Hinc patet eos excusari posse, qui merces defectuosas offerunt iis, quos prævident minus pretium oblaturos esse; aut qui vinum minus exquisitum iis offerunt, qui magis exquisitum vellent, modo descendant in pretio, & non sit notabile discrimen in ordine ad societatem humanam. Si quis tamen vinum nobile, & purissimum quæreret ad medicinam, qui ei lymphatum vinum venderet, teneretur de damno secuto. Pariter si vinum, quod conservari nequit, vendideris ei, qui non emit, nisi ut conservet, vel monere eum debes de vini tui qualitate, vel de damno inde secuto teneris. Debes etiam monere, cum vides, nisi monueris, rem ab emtore tanti esse revendendam, ac si omni careret defectu.

Sed quid si vino aqua misceatur?

R. I. est restituendi obligatio, si mixtio vel noxia sit, vel vinum reddat inutile, aut si tanti veneat, ac si mixtum non esset.

R. II, si vinum maneat utile, & pretium minua-

tur, ac demom emtori indifferens sit, ut hoc, vel illud vinum habeat, non videtur venditor adversus particulatem emturem peccare, sed justitiam legalem violat, & peccat adversus Rempublicam, quæ hujusmodi mixtiones odit. Unde Facultas Parisiensis an. 1665. propositionem hanc, *Licitum est tabernariis vinum aqua miscere, & agricolis triticum paleis*, aut tritico secale, *& communi pretio vendere, dummodo deteriora non reddantur eis, quibus communiter venduntur*, damnavit ut falsam, ac bonæ fidei, & publicæ justitiæ contrariam.

CONCLUSIO III. Si vitium rei manifestum sit, & facile animadverti queat, venditor, si non interrogetur, non tenetor ad ejus manifestationem, maxime dum emtor scientiæ suæ fidens, nihilque de rei qualitate interrogans, ex mercibus sibi oblatis eam eligit, quæ sibi placuerit magis.

Prob. ex S. Thoma, cujus doctrina ab omnibus recipitur in præsenti. *Si vitium*, ait S. Doctor hic q. 77. art. 3. *sit manifestum, puta cum equus est monocolus .... & si venditor propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei; quia forte propter hujusmodi vitium emtor vellet plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum: unde potest licite venditor indemnitati suæ consulere vitium rei reticendo.*

Confirm. quia tunc venditor non decipit emtorem vel ex parte pretii, ut supponitur, vel ex parte vitii, de quo non loquitur, quia non tenetur emtoris partes agere, ostendendo ea, quæ per se parent, quæque ipse dignoscere potest, si debita utatur diligentia, aut in casu dubii interroget.

Quod si venditor animadvertat emtorem non percipere vitium etiam apertum, ob ingenii hebetudinem, debilitatem visus, &c. tunc eum monere debet, sicut monere deberet de vitio occulto. Ratio est, quia hoc vitium licet in se manifestum, est tamen respectu hominis hujus occultum.

Etsi vero non est contra justitiam non monere emtorem, dum jodicio suo fidit, potest tamen id esse peccatum etiam grave contra charitatem; ut si videat venditor emturem ex simplicitate decipi, remque, quam amit, ei inutilem fore, licet aliis inutilis futura non esset. Imo non desunt, qui hic aliquid justitiæ contrarium subesse putent, præsertim si res emta non inutilis tantum, sed & ementi noxia esse debeat.

CONCLUSIO IV. Si venditor bona fide vendat ut integram rem, cujus vitium ignorat, non peccat; debet tamen re cognita rescindere contractum, vel emtori excessum pretii refundere.

Prob. 1. pars quia hujusmodi venditor supponitur laborare ignorantia, quæ excusat a peccato; & hinc est, quod non teneatur compensare damna, si quæ inde provenerint.

Prob. 2. pars, quia venditor alioqui fieret malæ fidei possessor, utpote qui retineret excessum pretii, quem cognovit suum non esse.

Quod si venditor dicat se rem vendere sicuti est, nec in se ullatenus suscipere velle periculum vitii occulti, si quod habeat, modo venditor reipsa nullum io re sua vitium cognoscat, tunc censetur emtor aam periculo suo emere; & si quid in ipsa vitii detegat in posterum, nullam adversus venditorem actionem habere potest: debet tamen venditor in pretio descendere, quia imponit emtori onus subeundi periculi, quod est pretio æstimabile.

## ARTICULUS SEXTUS.

*De divisione Emtionis, & Venditionis, & præcipuis ejusdem speciebus.*

VEnditio moltipliciter dividitor: I. ratione rei, alia est rei mobilis, ut librorum; alia rei immobilis, ut fundi; alia rei se moventis, ut equi.

II. ratione modi, quo perficiuntur contractus, alia est absoluta, alia conditionalis, alia cum pacto retrovendendi, addictionis in diem, &c.

III. ex parte loci, & modi, quo ad executionem reducitur, alia est, quæ fit sub hasta, voce præconis, alia quæ non fit palam. Item vel fit mercibus minotatim, vel in cumulo venditis.

IV. ex parte finis: vel enim emitur res, ut revendatur, sive mutata per artem, & industriam, sive nullatenus mutata, & est negotiatio; vel non fit ob hunc finem, & est communis venditio.

V. ratione pretii, alia fit credito, alia fit numerata in præsenti pecunia; alia denique fit anticipata solutione.

VI. ratione personæ, alia est, quam venditor per se facit, alia quam facit per proxeneras.

VII. alia fit taxato ad nutum venditoris pretio, & dicitur monopolium; alia fit simpliciter.

Cum autem variæ illæ venditionom species multa in praxi, cui potissimum insistimus, scitu difficilia, & necessaria includant, ideo de iis, quas noadum attigimus, specialius disserendum. Sit itaque

## SECTIO PRIMA.

*De Venditione, & Emtione cum pacto factis.*

VEnditio, & emtio fieri potest cum triplici pacto: I. retrovenditionis, vel redemtionis. II. legis commissoriæ. III. addictionis in diem, quibus adjungam contractum Mohatra, & retractum gentilitium.

Venditio cum pacto de retrovendendo, gallice, *Contrat à grace, ou avec la faculte de rémeré ou de rachat*, tripliciter fieri potest: I. in gratiam solius venditoris, cum nempe res aliqua venditur ea * condi-

tiona

* *Conditio hæc his pene exprimitur verbis in Gallia*: Et toutefois a été convenu, que le vendeor, ses hoirs & ayant cause, peurront, si bon leur semble, retirer ledit heritage dans *tel tems*, en remboursant le prix qui a été touché par ledit vendeur, les frais & loyaux cousts. *Elapso tempore, de quo partes convenerant, opus est sententia judicis, qua venditor suo redimendi jure privetur: alioqui enim servabit idem jus per annos* 30. *nisi agatur de contractu matrimoniali*. Vide Ferriere v. *Rémeré*.

ctione, ut si venditori placuerit, emtor hanc illi revendere teneatur. ( Et hoc quidem pactum multis modis fieri potest: I. ita ut possit venditor redimere quandocumque voluerit. II. ut non possit ante certum tempus. III. ut non possit post certum tempus. IV. ut possit certa anni parte v. g. in fine cujuscunque anni, non autem alio quovis tempore ). II. in gratiam solius emtoris, cum venditor tenetur rem suam redimere, & recipere statim ac emtori placuerit. III. in favorem utriusque, cum contrahentes inter se conveniunt, ut quoties emtor reddiderit venditori rem emtam, reddatur ei pretium. Quæritur, an ii contractus liciti sint; qua de re sit

CONCLUSIO I. Contractus cum pacto retrovenditionis in favorem solius venditoris licitus est, si adsint conditiones necessariæ.

Prob. I. Licitus est ille contractus, qui approbatur in Scriptura, nec prohibetur Jure civili, vel canonico: atqui talis est contractus cum pacto retrovenditionis, de quo loquimur: I. enim approbatur, imo & quasi præcipitur cap. 25. Levit. v. 24. *Cuncta regio possessionis vestræ sub redemtionis conditione vendetur*. & v. 29. *Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus*. Verum quidem est, quod juxta Moysis legem fructus interim ea possessione percepti in pretii partem computari deberent; at id ea rei natura necessarium non est, ut mox patebit. II. is venditionis modus nedum Jure civili reprobetur, imo ab eo auctoritatem habet, ut patet ex L. 2. Cod. De *pactis inter emtorem & vendit*. &c. III. Eadem venditio satis evidenter approbatur in Jure canonico: ibi enim approbantur census redimibiles, de quibus infra: atqui ii census semper annexum habent pactum redimendi in gratiam venditoris; ergo a fortiori idem pactum in aliarum rerum venditione fieri poterit.

Prob. II. Dominus rei ita est illius arbiter, ut possit emtori imponere omne onus, quod voluerit, modo & in pretio juxta ejusdem oneris gravitatem descendat, & nihil faciat contra Leges; ergo sicut posset domum vendere ea lege, ut emtor eam nunquam alienare posset, sic & eam vendere potest hoc pacto, ut emtor eam non semper retineat, sed vel sibi, vel alii retrovendat certo tempore.

Obj. Usurarius est ex communi sententia contractus pignoratitius, per quem homo, qui pecuniam mutuo dat alteri, recipit in pignus fundum fructiferum, & fructus perceptos non computat in partem sortis: atqui contractus venditionis cum pacto retrovenditionis similis est contractui pignoratitio; in hoc enim sicut in illo emtor accipit fructus rei emtæ, & nihilominus totam sortem, seu omne, quod dedit, pretium recipit; ergo.

R. neg. min. in contractu enim pignoratitio est mutuum saltem virtuale; adeoque & usura statim ac aliquid, fructus nempe, accipitur supra sortem: at in contractu cum facultate *redimendi* nihil est, quod mutuum sapiat. Nam I. ubi est mutuum, potest mutuans post certum tempus sortem suam repetere, invito etiam mutuatario: sed ubi est solum pactum retrovenditionis, emtor pretium recuperare non potest, si venditor nolit. II. in mutuo tenetur mutuatarius sortem reddere, etiamsi pignus, quod mutuanti dedit, perierit, modo perierit sine istius culpa: atqui in casu contractus sub retrovenditionis pacto facti, res emta emtori perit, nec tenetur venditor pretium reddere, nisi res, quam vendidit, reddatur sibi..

Dixi in Conclusione, *si adsint conditiones necessariæ*. Eæ vero sunt: I. ut contrahentes veram habeant intentionem emendi, & vendendi; si enim malint mutuum exercere, quam vendere, & emere, non carent usura. II. ut hæreditatis venditæ dominium pertineat ad emtorem, qui fructus percipiat ut suos, & subeat rei periculum, prout res unaquæque domino perit. III. ut servetur identitas rei venditæ, ut si vendatur vacua, vacua revendatur; si cum fructibus, cum fructibus redimatur. IV. ut non vendatur pretio nimis vili, quod reprobatur in jure. Debet tamen res cum pacto retrovenditionis vendita minus vendi, quam valeat secundum se, quia gravamen, quo rem non possides incommutabiliter, sed aliquando eam revendere cogeris, debet pretium ejus minuere, ad arbitrium viri prudentis, ita ut habeatur præsertim ratio termini ad rem retrovendendam præfixi. V. nec addi debet pactum, quod res minoris revendatur, cum possit pluris valere, cum revendetur, quam cum emta est. Imo res hæc generatim pluris revendi debet, quam emta fuerit; quia emtori datur cum gravamine; cum autem revenditur ab emtore, tanti valet, quanti secundum se æstimatur, quia tunc nullo gravata onere revenditur.

CONCLUSIO II. Contractus venditionis cum pacto redimendi in favorem solius emtoris, in praxi tutus non est; sed procul amandari debet.

Prob. Contractus ille sic fit: Petrus emit a me vineam, vel pratum mille aureis, quos dat cum pacto, ut cum ipse voluerit, ego hæc redimere tenear: colligit ipse fructus vineæ, vel prati, & postea vult, ut ea, quæ vendidi, mille aureis redimam: atqui hic contrahendi modus usuram sapit. Quid enim est hoc aliud, quam mihi mille aureos mutuo dare, & fructus vineæ meæ instar lucri supra sortem percipere?

Nec dicas in hoc contracto veram esse emtionem, ut ex eo patet, quod si res pereat, emtori pereat; unde is pretium suum recuperare non poterit in casu, quo res actu, & de facto periisset.

Nam I. hæc probant fieri quidem posse, ut in rigore, & metaphysice hujusmodi contractus usuram non includat; sed non probant eum non esse periculi plenum. II. quale subit periculum, qui pratum emit, aut alia id genus? III. qui hujusmodi contractum omnino non condemnant, varias requirunt conditiones, quæ fere nunquam apponuntur ab hominibus lucri avidis: ut v. g. fructus percepti in partem pretii computentur, aut saltem ut emtor majori pretio rem emat, propter onus ab ipso impositum venditori rei redimendæ; eamque venditor redimat pretio minori, utpote qui eam redimendo nullum emtori onus imponat.

Ex his colliges, contractum cum pacto retrovenditionis in favorem utriusque, licet minus habeat periculi, satis tamen habere mali, ut permitti non de-

beat; præsertim cum facilius sit emtori rem reddere perceptis ejusdem fructibus, quam venditori reddere pecuniam: solent enim qui bona sua sic vendunt, vel vendere simulant, io magnis augustiis esse.

Ut explicetur, an legitima sit venditio cum aliis pactis facta:

Quæres I. an licitum sit pactum *legis commissoriæ*.

Not. pactum illud fit, cum quis ea lege vendit, ut nisi emtor intra certum tempus pretium solvat, res sit inemta, & contractus irritus, nisi tamen venditor, in cujus solius arbitrio est legem commissoriam exercere, ei renuntiare malit, & contractui stare. Est & alia pacti legis commissoriæ acceptio, de qua infra cap. 3. art. 4. sect. 2.

R. pactum illud licitum esse: I. quia approbatur in Jure civili. II. quia nemini facit injuriam.

Quæres III. quid sit venditio cum pacto *addictionis in diem*.

R. eam esse, qua aliquid venditor ea conditione, ut si alius intra tempus definitum meliorem offerat conditionem, sive aliquid addendo pretio, sive solvendo loco, & tempore opportuniori, sive aliter, res maneat inemta. Et hæc venditio iisdem de causis justa est, & licita, propter quas licitam esse diximus venditionem cum pacto legis commissoriæ, modo absit fraus, & dolus, puta si venditor, quem pœniteret contractus, fictum emtorem induceret, qui majus pretium offerre simularet.

Sed ad quem dissoluto contractu pertinebunt fructus medio tempore percepti.

R. quæstiooem hanc pendere ex modo, quo venditio celebrata fuit: si enim venditor usus sit verbis directis, diserte exprimentibus contractum ipso facto nullum fore, ac si venditio celebrata non esset, tunc fructus intermedio tempore percepti ad venditorem pertinere debent, prout ad eum pertinerent, si venditio nunquam celebrata fuisset. Ratio est, quia venditio hæc non fuit absoluta, sed sub conditione si pretium solveretur, aut meliorem conditionem alius non offerret; unde contractus remansit in suspenso, & sic fructus domini esse debent pro illo tempore, quo conditio perfecta non fuit. Si vero venditor usus sit verbis obliquis, & indirectis, quibus exprimeret contractum esse rescindendum in posterum, vel rem redituram esse ad venditorem, tunc fructus medii temporis ad emtorem pertinent, quia tunc contractus absolutus fuit, & solum dissolvitur ex tempore, quo conditio melior offertur, vel pretium non solvitur. Caute tamen monet Lessius, in his non tam inspiciendam esse formam verborum, quæ sæpe ambigua est, quam mentem contrahentium, quando res in foro conscientiæ agitur.

Quæres IV. quid sit contractus, quem Hispani vocant *Mohatra*, vel *Barata*, & an sit licitus.

R. I. Contractus Mohatra is est, quo homo pecunia indigens emit *credito* a mercatore merces pretio majori, easque statim ipsi vendit viliori pretio, & hoc præcipue invenitur in aurificibus, qui vasa aurea vel argentea vendunt rigoroso pretio habita ratione operum, & artificii (*La façon*), & ea statim emunt non habita ratione operis; unde vas quod centum valet ratione materiæ, & operis, centum vendunt *credito*, & postea numerata pecunia emunt 80. non considerando nisi pondus auri, & argenti.

R. II. contractum hunc, si fiat ex pacto, illicitum esse; unde peccat contra justitiam, qui summo, vel medio pretio merces vendit cum pacto, ut sibi revendantur pretio infimo, & numerata pecunia:

Prob. I. quia Innoc. XI. hanc damnavit propositionem: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri*.

Prob. II. quia contractus Mohatra mutuum usurarium continet. Ibi enim est mutuum usurarium, ubi quis virtualiter dat mutuo octoginta, ut accipiat centum: atqui sic se res habet in præsenti contractu, ut patet ex casu aurificum, quem statim retulimus; ergo.

An autem contractus (✠) ille secluso omni pacto, & scandalo licitus sit, controvertitur. Negat S. Antoninus; affirmant alii communiter. Si enim rem, quam summo pretio emi, possim statim alii vendere pretio infimo, cur eandem non possim eodem pretio vendere ei, a quo ipsam emi, cum hanc ipse bona fide vendidit, & nec explicite, nec virtualiter exegit a me, ut eam ipsi retrovenderem? Certe fatentur omnes eadem vasa, quæ mercator pluris vendidit, posse in alia occasione ab eodem minori pretio redimi, quia secundum communem æstimationem vasa argentea non tanti valent in manibus privati hominis, quanti in manibus aurificis.

(✠) Animadvertendum est, quod si mercator certo sciat ab emtore iterum merces ei revendendas esse, vel quia nobilis est, & alteri revendere erubescit, vel necessitate pecuniæ compulsus viliori pretio eidem est revenditurus, licet nullum habeat animum mohatricum ineundi contractum, illum reipsa exercet; quapropter prudens Confessarius contractum istum in hisce circumstantiis etiam omni secluso pacto tum implicito, tum explicito, permittere haudquaquam debet. (✠)

Quæres II. quid sit retractus gentilitius, & an licitus.

R. esse jus concessum proximo venditoris consanguineo intra certum tempus rescindendi contractum venditionis, & ad se revocandi rem immobilem, idem reddendo pretium, quo res illa ab extraneo, vel a remotiore consanguineo emta fuerat. Porro retractum hunc, licet vi ejus res immobilis eodem debeat pretio retrovendi, quo emta est, omnino licitum esse, hinc patet, quod multarum nationum moribus, Principum, & Legum auctoritate, populorum, qui sub eo pacto vendunt, & emunt consensu, & aliquali res avitas in familiis conservandi necessitate introductus sit. Definitionem ejus explicabimus per partes, ut varios, qui ad hanc materiam pertinent casus, resolvere facilius possint juniores Confessarii.

Dicitur 1. *jus*: ac proinde peccat contra justitiam, qui fraude, & dolo v. g. simulando se pluris emisse, impedit, ne venditoris consanguineus rem a proxi-

mo

mo suo parente venditam retrahat,

Dicitur II. jus concessum *proximo parenti*: hinc generatim loquendo peccant contra justitiam: I. qui rem retractam reddere nolunt parenti viciniori, qui jure suo uti vult. Sed hic videndæ locorum consuetudines: quædam enim, ut consuetudo Parisiensis, & aliæ non paucæ, propinquiori, qui lentior est in retrahendo præferunt diligentiorem: quædam vero propinquiorem præferri decernunt: si plures in eodem gradu positi jus suum exercere velint, præfertur diligentior. II. qui rem retrahunt vel in favorem amici, vel ut majori pretio vendant. Alia est conditio domini feudalis: is enim jus suum retractus (*Retrait féodal*) *feudalis*, seu *censualis*, potest alteri cedere, vendere, & omni modo transferre. Quod docet Caballutius, jus retractus feudalis excludere ipsos quoque agnatos emere, aut retrahere volentes, falsum est in Galliis, ut docent Jurisconsulti * nostri.

Dicitur III. *intra certum tempus*; elapso enim anno, & die, tollitur facultas retractus: is vero annus currit contra majores, & minores, absentes, & præsentes, absque ulla spe restitutionis. Retractus feudalis intra 40. dies exerceri debet juxta consuetudinem Parisiensem.

Dicitur IV. *rem immobilem*: quia mobilia, etsi pretiosa, census consignativi (secus de prædiariis, *rentes foncieres*), officia, & ususfructus retrahi non possunt.

Quæres, an non possit pauper consanguineus rem retrahere, ut eam majori pretio revendat, seque ab inopia liberet. R. non posse, quia jus retractus non est licitum nisi in casu per leges expresso: porro leges non permittunt retractum, nisi ut bona a majoribus relicta, in familiis perseverent, non autem ut consanguinei ab inopia se relevent. Quapropter qui retrahit sinceram habere debet voluntatem boni, quod retrahit, conservandi, eo ferme modo, quo qui Beneficii possessionem init, debet velle illud servare, licet fieri possit, ut aliqua in posterum superveniente causa ab eo recedat.

* *Le retrait conventionel (qui produit l'action de réméré) est preferé au lignager, & le lignager est preferé au féodal.* Ferriere v. Retrait. *Le Retrait lignager est tellement preferable au retrait féodal, qu'un parent de la ligne peut exercer le retrait lignager contre le Seigneur, qui a retiré par retrait féodal un fief qui étoit propre..... Le retrait n'est point comme une seconde vente, & le retrayant ne doit point de droits Seigneuriaux de son chef, si ce n'est qu'il retire sur le Seigneur mesme qui avoit acquis ou retenu par puissance de fief.* Argou. Liv. 3. chap. 8. p. 214. & 220., Livonieres Liv. 5. chap. 5. n. 19.

# SECTIO SECUNDA.

## *De Negotiatione.*

NEgotiatio proprie dicta est actus, quo quis rem aliquam comparat eo animo, ut integram, & non mutatam vendendo lucretur; unde differt ab artificio, quo quis emit v. g. ferrum, ut inde clavos conficiat, & vendat carius. Quæritur, an negotiatio per se licita sit.

CONCLUSIO. Negotiatio per se nec mala est, nec prohibita.

Prob. I. ex S. Augustino Psalm. 70. *Negotiatio hominem non facit malum, sed iniquitas, & mendacium.*

Prob. II. quia negotiatio ex omni parte bona esse potest, etiam ratione finis, de quo major est difficultas; potest enim quis lucrum labori suo respondens intendere; tum ut familiam suam sustentet, tum ut patriam juvet rebus necessariis, cum non omnis ferat omnia tellus.

Obj. Cap. 11. dist. 88. sic habetur: *Nullus Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de Ecclesia.*

R. I. cum Sylvio in qu. 77. ar. 4. verba illa desumta esse non ex Chrysostomo, sed ex Opere imperfecto in Matthæum; *quod non pauca habet a fide aliena.*

R. II. dist. mercator vix, aut nunquam, id est difficile potest Deo placere, C. non potest absolute, N. Itaque vix potest negotiator placere Deo, quia sæpius in lucro finem ultimum constituit, aut utitur *mendacio*, *& perjurio*, ut dicitur cit. c. 11., unde fatendum negotiationem adeo plerisque hominibus esse periculosam, ut ejus exercitium nemini facile persuadendum sit; quo facit id Eccli. 26. *Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians a negligentia*, salutis nempe, ut intelligunt Doctores, & efficacius probat experientia; *& non justificabitur caupo*, sive venditor, *a peccatis labiorum*. Quia tamen peccata hæc cum Dei gratia vitari absolute possunt, merito dicimus *aliquando licitum esse negotiari*.

Quæres quibus in casibus negotiatio sit illicita.

R. negotiationem posse illicitam fieri. I. ratione finis, ut si fiat propter solum lucrum, & tunc est peccatum saltem veniale; si vero ita fiat ut in lucro constituatur finis ultimus, tunc erit, ut loquitur Sylvius, execrabile vitium, etiamsi absque alia quavis injustitia exerceatur. Censetur vero mercator ultimum finem suum in lucro reponere, quando plus lucrum diligit, quam Deum, paratus scilicet Dei, & Ecclesiæ præcepta potius transgredi, quam lucri acquirendi occasionem prætermittere. II. ratione materiæ, ut si vendatur res non vendibilis, ut chrisma, vel res, quæ licet ex se vendi possit, prohibetur tamen vendi justa lege, puta si vendantur Infidelibus arma, ferrum, aut vasa sacra integra: secus si hæc fracta sint, quia tunc sanctitatem amiserunt. III. ratione temporis: unde peccant qui diebus fe-

ctis vendunt, qui tempore Quadragesimæ carnes distribuunt sive Catholicis, sive Hæreticis, qui non ægrotant: ii enim Ecclesiæ legibus ratione Baptismatis subditi sunt. IV. ratione loci, ut si venditio fiat in cœmeterio, vel locis divino cultui mancipatis. Est quidem alicubi consuetudo, quod cerei, & Sanctorum imagines in templo vendantur, sed abusive, nisi rationabilis excuset necessitas. V. negotiatio illicita est aliquando ratione personæ: sic in Gallia prohibitum est, ne viri nobiles, aut Justitiæ Officiarii mercaturam exerceant (*En detail.*) minutatim, sic etiam Clericis negotiari non licet, de quo alibi.

## SECTIO TERTIA.

*De Venditione facta credito, vel anticipata solutione; item de emtione chirographorum.*

TRiplex hic difficultas discutienda. Prima, possintne res carius vendi credito, seu ob dilatam solutionem, quam præsente pecunia. Secunda, possintne vilios emi, anticipata solutione, seu cum prius solvitur pretium, quam tradantur merces. Tertia, liceatne chirographa minoris emere, quam continent. Sit

CONCLUSIO I. Non licet credito vendere supra latitudinem pretii naturalis, aut legalis. Ita Theologi omnes cum S. Thoma 2. 2. qu. 78. ar. 2. ad 7.

Prob. Illud licitum non est, quod mera est usura: atqui carius vendere ob concessam solutionis dilationem mera est usura; idem enim est, ac pecuniam, ex qua solvendum erat pretium, mutuam dare emtori, & pro ea majorem accipere pecuniæ summam.

(✠) Ad hæc Urbanus III. cap. 6. & 10. *De usur.* hæc habet „ Consuluit nos tua devotio, an .. quasi „ usurarios debeat judicari .. Negotiator, qui merces suas longe majori pretio distrahit, si ad faciendam solutionem prolixioris temporis dilatio „ prorogetur, quam si ei in continenti pretium persolvatur. Verum quid in his casibus tenendum sit, „ ex Evangelio Lucæ manifeste dignoscitur, in quo „ dicitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Videatur S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. (✠).

Dixi, *supra latitudinem pretii*: quia fatentur omnes eum, qui credito vendit, vendere posse summo pretio, sicut qui anticipata solutione emit, infimo pretio emere potest, quia hæc pretia in se ipsis justa sunt.

Fatentur etiam omnes licitum esse carius vendere credito: I. ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, sed debet venditor emtorem monere se ob illud lucri cessantis incommodum pluris et vendere, quam res mereatur, ut meliorem, si possit, alibi fortunam quærat. Addit Bannez, attente observandam esse a Confessariis, an non fictus sit ille lucri cessantis titulus, ut esse solet, sive quia mercatores tantam habent pecuniæ copiam, ut eam totam in negotiationibus impensuri non sint; sive quia tot merces habent, ut partim eas oporteat vendere numerata pecunia, partim credito: unde dum credito vendunt, & rigoroso pretio, tam lucrantur, quia multas merces distrahunt, quam lucrarentur, si præsente pecunia venderent, quia & minus mercium distraherent, & eas minori vendere pretio cogerentur.

II. cum venditor pretium suum obtinere non poterit sine expensis, quia expensæ faciendæ locum habent damni emergentis, ut si emtor absens esse debeat, aut si non soleat solvere nisi post multa venditoris ad eum itinera, &c.

Quæres, an venditor, qui credebat se vendere numerata pecunia, & cui tamen emtor non vult statim solvere, possit, eo quod credito vendat, majus pretium accipere. R. Vel venditio perfecta est, vel non: si 1. non potest quidquam exigere supra pretium conventum; si 2. potest intra justam latitudinem pretium augere, quia supponitur venditio nondum peracta esse.

CONCLUSIO II. Non licet infra pretium vel legitimum, vel naturale emere propter anticipatam solutionem.

Prob. quia, ut loquitur S. Thomas, *ista anticipatio solutionis pecuniæ habet rationem mutui* ab emtore dati, *cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei emtæ*; ergo.

Quæres, an sumi debeat pretium a tempore, quo res traditur, an ab eo, quo venditur.

R. Sumendum esse a tempore, quo res traditur. Ratio est, quia res aliquot post venditionem mensibus tradendæ non emuntur prout sunt actu, cum venditio fit, sed prout erunt cum tradentur: ergo, ut justum sit pretium, debet constitui secundum æstimationem, quam habebunt eo tempore, quo tradentur; ergo iterum, si quid de eo pretio detrahatur, detrahitur ob anticipatam solutionem, quod est usurarium.

Favet admodum caput finale *De usuris*, in quo tria notant Theologi: I. in dubio an merces tempore traditionis *plus vel minus* valituræ sint, possunt vendi juxta pretium, quod habent tempore contractus, & solutionis anticipatæ; quia in hoc casu æqualis est sors vendentis, & ementis. II. si vendens statuerit merces servare usque ad tempus, quo pluris verisimiliter vendentur, idque declaraverit emtori, potest absque injustitia propter lucrum cessans eo pretio merces vendere, quo vendendæ erant eo tempore, ad quod illas servaturus esset, deductis tamen expensis, quas ad earum conservationem facturus erat, & computata frumenti v. g. & olei diminutione. III. si certum sit e contrario merces pluris valituras tempore traditionis, injustus, & usurarius censeri debet, qui ob anticipatam solutionem eas viliori pretio emit.

Quod spectat ad tertiam difficultatem de chirographis, an minori pretio emi possint, sensus quæstionis est, an si Petrus dederit mihi chirographum, quo obligatur ad solvendum mihi 100. nummos post tres menses, possit quis facta mihi in præsenti solutione, hocce chirographum 90. tantum nummis emere

re. Huic quæstioni alia conjungitur, an liceat annuum censum ex *contractu consignativo* emere minori pretio, quam creatus sit. Quam quæstionem Galli auctores his verbis proponere solent: *Est-il permis d'acheter un contrat de constitution pour une somme moindre que la somme principale; pour la quelle la rente a été créée; comme d'acheter dix-huit mille livres, une rente de mille livres, dont le prix de la constitution, qu'on appelle le fort principal, est de vingt-mille livres?*

R. vel chirographa, quæ emuntur, sunt liquida, certa, facilis solutionis; vel sunt litigiosa, solutionis incertæ, & quæ non sine difficultate, & molestiis exigi possint. Si primum, non licet hæc minoris emere, quam contineant. Ratio fundamentalis sic proponi potest: Iniquus est contractus, in quo non servatur æqualitas pretii cum re emta: atqui in contractu, quo chirographa certa, & facilia emuntur minoris, quam contineant, non servatur æqualitas pretii cum re emta. Ut enim tunc non servetur æqualitas pretii cum re emta, unum sufficit, nempe ut nummi centum post sex menses solvendi tanti valeant, quam nummi centum actu præsentes: atqui secluso lucri cessantis, aut damni emergentis periculo, centum nummi post quatuor, aut sex menses solvendi tanti valent, quanti nummi centum præsentes: quandoquidem valor eorum ob solam solutionis dilationem minui non potest; alioqui licita esset usura, quæ ob solutionis dilationem aliquid accipit supra sortem; ergo.

Et vero qui chirographum centum nummorum post sex menses solvendorum emit nummis 90. præsentibus, idem facit, ac si nummos 90. actu mutuo daret ea conditione, ut post sex menses centum reciperet: atqui hoc mera est usura.

(✠) Extat propositio inter damnatas ab Innocentio XI. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit enumeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* (✠).

Obj. ex regula 204. ff. *minus est habere actionem quam rem:* atqui cum emitur chirographum, non emitur pecunia, sed actio ad illam.

R. dist. ant. minus est habere actionem, si res, ad quam datur actio, obtineri non possit sine periculo, labore, & expensis, C. si sine his difficultatibus res obtinenda sit, ut sæpe fieri potest, N.

Ex his principiis colligit Habert non licere contractum census consignativi minori emere pretio, quam quo creatus est. Et vero extat apud Pontas, v. *Achat.* cas. 15. resolutio anno 1673. a multis Sorbonæ Doctoribus emissa, qua usuraria declaratur emtio census consignativi minori pretio facta, quam idem census valeat secundum se, & ratione principalis. Huic sententiæ ut tutiori, & probabiliori regulariter adhærendum est.

Quod si chirographi, aut census solutio difficilis sit, & incerta, fatentur omnes licitum esse hæc minori pretio emere: sicut enim, quod tantum est in spe, minoris valet, quam quod est in actu, ita quod dubium est, minoris æstimatur, quam quod est certum. Non potest tamen census redimi a vendente, nisi eo, quo constitutus est, pretio.

Sed quid si debitum in se arduum, & difficile, possit facile, & absque expensis recuperari ab emtore, cine licebit emere pretio viliori?

R. affirm. tum quia valor rei non sumitur ex utilitate privata ementis, sed ex communi hominum æstimatione, quæ profecto dubium chirographum longe minori loco haberet, quam certum, si uterque venalis exponeretur: tum quia major utilitas, quæ tunc emtori accrescit, non ex ipsa re proficiscitur, sed tota oritur ex industria, vel fortuna emtoris; ergo utilitas hæc proprium est emtoris bonum, quod ei proinde vendi non potest ab eo, qui chirographum vendit; venderetur autem, si magis ab eo, quam a ceteris omnibus pretium exigeret. Et vero merces magno pretio vendi possunt ab eo, relative ad quem eædem merces non jam tanti sunt pretii, eo quod noverit magnam prope diem earundem copiam in eum, ubi vendit, locum adventuram esse; ergo a pari.

## SECTIO QUARTA.

### *De Venditione per proxenetas; & ea, quæ fit accepta arrha.*

NOt. I. Per proxenetas, seu factores ii intelliguntur, quibus aliquid committitur vendendum, aut emendum nomine committentis.

Not. II. Certum est proxenetas, qui rem supra justum pretium vendunt, teneri ad restituendum excessum non domino, sed emtori, cum huic, non illi injustitiam fecerint.

Not. III. quod si rem vendendam industria sua melioraverint; ideoque majori vendiderint pretio, possint aliquid sumere, quod industriæ suæ respondeat. Idem dicendum si ad rem majori pretio vendendam extraordinaria usi sint diligentia, & qualis nec debetur domino, nec ab eo exigi solet: ut si factori commissa sit res Parisiis vendenda, & is non nisi viginti in ejus pretium reperiens, eam alio transtulerit, ubi triginta, intra justi pretii latitudinem vendita fuit.

Not. IV. certum adhuc esse, quod si expresse, vel tacite cum domino convenerit proxeneta, ut retineat id, in quo excedet pretium sibi præfixum, possit illud servare. *Expressa* est conventio, si dicat dominus, tanti rem vende, quod ultra erit, tuum esto: *tacita* vero, si dominus ei, qui nec famulus suus est, nec ita amicus, ut operam ejus gratuitam fore merito præsumat, si inquam, ei dominus venditionem committit, nihil ei assignando stipendii pro labore, & industria; merito enim præsumitur in stipendium assignare, quod ultra præfixum pretium invenerit, nisi diligentiam excedat, & laborem. Cavendum tamen, ne occultæ compensationi janua temere aperiatur. His præcisis casibus,

Quæritur I. an proxeneta, qui vendit supra, vel emit infra constitutum sibi pretium, possit id, quod supra, vel infra est, sibi retinere. R. neg. quia nullo ex titulo tale incrementum assumere sibi potest. Non ratione rei, quæ sua non est; non ratione laboris,

quia stipendium pro eo recipit, seu particulariter, seu generaliter, si sit famulus, qui quotannis certa mercede donatur; non etiam si se sponte obtulerit, ut tanquam amicus aliquid emeret, aut venderet; non denique quia dominos ei pretium hoc expresse, aut tacite assignaverit, quod hic non supponimus; ergo.

Quæritur. II. an si rei dominus dixerit proxenetæ: Vende librum hunc libris gallicis decem, aut novem, quæ sunt pretium medium, & infimum, possit proxenata rem pretio illo sibi emare, & sic factam suam aliis summo pretio revendera, incrementom sibi servando. R. id licitum esse, utpote quod nullum afferat damnum, seu domino, cui datur pretium, quod ipse præfixit, seu alns, quibus venditur in summo pretio, quia summo pretio vendere licet, cum sit intra latitudinem justi.

Ad hanc tamen commercii speciem necessum est, ut proxeneta rei sic emtæ pericolum in se suscipiat, & statuat taxatum a domino pretium solvere, etiamsi aontingat, ut rem tanti vendere non possit, quanti ipsemet amit. Et hæc conditio tam necessaria est, quam rara in praxi.

Hinc colliges, non nisi caute, & vix unquam permittendum asse, ut sartores, architriclini, &c. aliquid a mercatoribus, apud quos emunt, accipiant; quia quod iis cedit, a domino, pro quo fit, emtio solvi solet.

Si tamen sartores, & alii jam completo contractu aliquid accipiant a mercatoribus, qui hac gratitudine eos ad officinas suas pertrahera utuntur, id reprehendi non potest; imo nec essent culpandi, si quid ante perfectum contractum acciperent, modo aliuode eorum, pro quibus emunt, negotium fideliter peragant, quod quia vix unquam evenit in praxi, vix unquam tolerandum est. Urique constat venditores plaroſque mentiri, cum dicunt sartoribus, sa in eorum duntaxat gratiam diminuere pretium mercis; quandoquidam sæpius sic affectus est mercator, ut alteri cuilibet eodem venderet pretio, quo sartori vendit. Quapropter hæc multum pendent a circumstanciis; atqui hic satins est stringi, quam laxari habeeas.

Ex his solvi potest casus magni momenti nobis non ita pridem propositus io hunc modum. Michael pinguem a Rage consecutus Abbatiam, ejusdem locandæ curam committit Joanni rerum suarum præposito. Invisit Andræas Joannem, eique decem libellarom millia promittit, ex conditione, ut se ceteris conductoribus, qui quantumcunque volent pretium spondebunt, præponere dignetur. Annuit Joannes, & postquam increvit licitatio, quousque increscere potuit, Abbatiam locat Andrææ, qui in animi bene memoris signum pactam pecuniam, (Gallice *pot de vin*) tradit Joanni. Quæsitum est; an Joannes summam hanc sibi posset asservare.

Negavimus: I. quia licet non ignorent domini præpositos rerum suarum solitos esse in hisce occasionibus aliquid accipera pretii, adeoque in id consentire censeantur, haud tamen censentur consentire in lucrum immensum, quale illud est, de quo agitur in casu proposito; præsertim cum hæc lucri species non famulis, sed dominis cedere consueverit. II. & hæc ratio capitalis est, quia revera jacturam hanc patitur Michael. Certum enim est Andræam magno tractandæ Abbatiæ desiderio captum fuissa, cum tantam, ut aliis præponeretur, summam obtulerit; ergo si certus non fuissat, se ob initum cum Joanne pactum cæteris licitatoribus præferandum esse, eosdem majoris pretii oblatione superasset, & forsitan ab iisdam tandem fuisset superatus, ut quotidia contingit; ergo iterum Joannes in causa fuit, cur Abbatia minori locaretur pretio, ac proinde male gessit rem heri sui, cui idcirco ad minus restituere debet id, quod percepit.

Quod spectat ad arrhans, ea describitur Species quædam pignoris, quod ab emtore venditori datur, sive ut ostendat se venditionem habere pro perfecta, sive ut rei emtæ pretium solvere incipiat, seu demum in mulctam, si forte contractui stara nolit. Hinc arrhæ suum, prout facta est conventio, affectum habent, quia *licet regulariter arrhæ sint perfectæ emtionis, & venditionis argumentum, aliquando sunt argumentum emtionis, & venditionis contrahendæ*, ut ex variis, quas citat, Legibus colligit Ferriere in Inst. Lib. 3. tit. 24. tom. 5. Quod si nulla circa arrhas facta sit conventio, sequenda est legum dispositio. Jore communi *is, qui recusat adimplere contractum, si quidem est emtor, perdit quod dedit; si vere venditor, duplum restituere compellitur* (*Instit. Ibid.*).

## SECTIO QUINTA.

### *De Monopolio.*

MOnopolium definitur Conspiratio, qua pauci, aut plures mercatores conveniunt, ut vel soli, vel certo, quod ipsi præfixerint, pretio merces aliquam vendant. Imo qui secum statueret rem certo quodam pretio vendere, is monopola diceretur.

Fatentur omnes licitum esse monopolium, si fiat auctoritate publica, puta cum unus, vel pauci a Principe obtinent facultatem, ut ipsi soli certas merces vendant, quas ab uno, vel paucis vendi expedit, sive ob utilitatem quam inde capit Respublica, sive quia ut certæ quædam merces comparentur, & expoliantur, tot necassarii sunt sumtus, ut ob damni periculum nemo eos in se suspicere vellet, nisi haberet privilegium, ut solus venderet.

Sed cum monopolium tripliciter adhuc fieri possit: I. dum aliqui variis stratagematibus efficiunt, ut aliæ merces in urbem non introducantur, sicque majori pretio suam venundent. II. dum plures mercatores conveniunt de non vendendis, aut emendis mercibus, nisi certo, quod ipsi assignaverunt, pretio. III. demum dum unus, aut pauci merces omnes, aut majorem earum partem coemunt, ut eas, quo voluerint pretio, distrahant; idcirco de iis nobis est differendum. Sit itaque

CONCLUSIO I. Peccant contra justitiam, qui vi, vel fraude impediunt, ne alii merces suas in civitatem invehant; unde tenentur ad restituendum, tum civibus, qui carius emere coacti sunt, ob majorem mer-

mercium inopiam; tum mercatoribus, quos ab introducandis mercibus suis prohibuerunt.

Prob. quia causa sunt injusta damni, quod patiuntur tum cives, tum alii mercatores; utriqua enim jus habent, ne vel sibi mercium abuodantia per vim, & dolum auferatur, vel mercaturam suam axarcera prohibeantur. Hinc patat, quam graviter peccent urbium Præfecti, qui ut carius res suas vendant, alieni frumenti, ant vini ingrassum prohibeut.

Si tamen alienarum marcium adventus causa foret, cur cives, aut vicini marces suas legitimo pratio vendera non possent, liceret extraneos mercatores axcludere: tum quia postulat commune bonum, ut loci incolæ extraneis præferantur, tum quia Reipublicæ interest, ut pecnnia sua axtra Provinciam non asportetur. Pariter si quis precibus solum efficeret, ne mercinm copia in civitatem inveheretor, ut ipse suas commodius venderet, posset neqnidem contra charitatem peccare, si nempe josta ex causa lucrum snum intra pretii latitudinem intenderet.

CONCLUSIO II. Peccaot contra justitiam mercatoras, qui conveniunt de oon vendendo nisi supra pretium rigorosum, aut noo uisi pretio rigoroso.

Prob. 1. pars: quia namini supra pretium rigorosum vendere licet. Hinc mercator, qui monopolii particaps uon esset, vendera tuta conscientia non posset eo pretio, quod alii monopolæ snpra rigorosum constituissent. Idam servata proportione diceodum de emtoribus, qui conveniunt, ut non uisi insra pretium infimum emant. Ratio est, quia pretium illud reipsa injustum est. Si tamen merces ob monopolium raræ factæ essent, posset is etiam, qui monopolii particaps non esset, eas ploris vendare, quia merces raræ pluris in rei veritate valent, quam communes.

Prob. 2. pars: quia Cives jus habent, ne cogantur emera summo pretio, aut vendare infimo; hioc juxta Leges forum rerum venialium liberum essa debet ad contrahendum intra justi pretii latitudinem.

Obj. Ante conventionem venditores jus habebaot veudendi summo pretio mercas suas, modo tameo intra latitudinem justi: atqui jus illud per conventionem inter se factam non amittunt, & nihil aliud post eam conventionam faciunt, quam ut mercea suas sommo, & tamen justo pratio distrahant.

R. neg. min. & dico venditores facto monopolio non solum vandera pretio rigoroso, quod licet, sed alios cogera, ot emant pratio rigoroso, quod non licet, quia non licet suam ementibus libertatem auferre.

Inst. I. Si quis amico suo consulat, ut vendat pratio rigoroso, oon paccat; ergo nec monopolæ, qui idem inter se faciunt.

R. neg. conseq. monopolæ enim non tantum sibi invicem consulunt, sed etiam inito contractu, uno noonunquam juramento se ad certo pretio vendendum obligant: ex hac vero ipsorum obligatione, quam simplex consilium non pareret, sequitur in emtoribus necessitas rigoroso pretio ea, quæ sibi necassaria sint, comparandi; per hoc autem justitiam lædi contendimus.

Inst. II. Qui violant justitiam, tenentur ad restituendum: atqui ii monopolæ ad id non tenentur; tum quia non nisi justo pratio vendidera, tum quia quid restitnare debeant, assignari non potest.

R. neg. min. & dico eos tenari ad restituendum, non propter excessum pretii, sed propter injuste ablatam civibus libertatem emendi intra summum, aut vendendi supra infimum: hæc autem restitutio ex prudentis viri arbitrio facienda ast, attendendo præsertim spem majorem, aut minorem, qoam habere poteraot cives amendi viliori pretio, aut vendendi majori. Censent aliqui contractum reduci debere ad pretium medium; & id satis justum videtur, quia sic reponitur æqualitas.

Fatendum tamen axcusari emtores, qui statuerent infimo solum pretio amere, ubi venditores summo tantum pratio vendere statuissent; quia, ut clavum clavo pellere, sic monopolium monopolio abigare licat, quo ad æqualitatem deveniatur. Si tamen unu pars a monopolio suo desisteret, teneretur & alia desistera a suo.

CONCLUSIO III. Quando unus, vel pauci mercas omoes congerunt, ut eas aucto pretio vendant, peccant contra justitiam, & restituere tenentur.

Prob. quia mercatores, de quibus loquimur, pretio nimio vendunt: venduot enim quasi rarum, & deficiens id, quod reipsa abundat.

Et carre frumentum in horreo unius hominis .inique collectum noo pluris valet, quam si apud multos esset divisum: atqui tameo noo venditur ab uno, uti venderetur a pluribus; ergo.

CONCLUSIO IV. Qui merces suas supprimunt, ut inde earom pratium augeatur, peccant contra justitiam.

Prob. quia causa sunt, ent rebus non raris pretium imponatur, ac si raræ forent, adeoque ut nimio emantur pratio: atqui hæc agendi ratio non charitati tantum, sed & justitiæ adversatur.

Neque tamen injustitiæ accusandi sunt, qui merces suas in illud servant tempus, quo eas cariores fore præsumitur, modo caritatam hac arta non inducant, quia tunc nulli injuriam inferunt.

Ad monopolium injustum referuntur alia quædam illicita: ut I. si artifices inter sa conveniant, vel ut suos solum filios, aut nepotes artem suam edoceant, non autam extraneos, nisi forte pretio injusto; vel ut opos ab uno inchoatum ab altero non perficiatur, val ut operas suas non nisi certo pretio locent. II. si mercatores falsum dissaminent rumorem naves v. g. mercibus onustas submersas esse, vineas vel oliveta gelu decocta, monetæ valorem immutatum iri, &c. ut interim eo, quo voluerint, pretio veodant, aut emant. III. si fictos apponaot licitatores, qui plus offarant, ut alii ascendant in pratio.

## CAPUT SECUNDUM.

### *De mutuo.*

MUtuum aliquando sumitur pro ipsa re, quæ mutuo datur, ut cum dicitur dari, vel reddi *mutuum*; aliqoando & sæpius pro *contractu*, quo aa res alteri datur, atque hæc motui acceptio præsentis est instituti; motuom vero sic sumtum definiri potest Contractus, quo res nomero, pondere, vel mensura constans, usuque consumtibilis, transfertur in alterius dominium, cum obligatione aliam ejusdem speciei, & bonitatis post temporis lapsum restituendi.

Dicitur I. *contractus*, quæ vox tenet locum generis: sic enim mutoum com aliis contractibus convenit.

Dicitur II. *quo res in alterius dominium transfertur*, & sic distinguitur tum ab iis cootractibus, quibus dominium non transfertur, quales sunt depositum, cooductio, locatio; tom ab iis, qui utcunque verbis perficiuntur, ut emtio, & venditio.

Dicitur III. *quo res numero, pondere, vel mensura constans*, &c. mutuom enim versator circa res, qoarum aliæ io numero dantur, ut pecunia, oves, fructus, aliæ in *pondere*, ut panis, caro, argentum; aliæ in *mensura*, ut oleum, aliaque liquida, vel arida: hinc ut metreta vini, sic ovis una mutuo dari potest. Hinc etiam quia liber, equus, & similia noo solent tradi ad pondus, numerum, aut mensuram, non reputantur esse hujusce contractus materia, sed commodati, gallice, *prest à usage*.

Dicitur IV. *usu consumtibilis*, quia mutuum in iis rebus esse solet, quarum usus principalis adjunctam habet rei consumtionem, seu *physicam*, qualis est consumtio rerum, quibus ad victum utimur, seu *moralem*, quæ in alienatioue, aut permutatiooe consistit, qualis est consumtio pecuniæ, quæ licet oon pareat physice, dicitur moraliter coasumi, quia ite desinit esse alienantis, ac si in rerum natura non esset.

Dicitur V. *cum obligatione reddendi aliam ejusdem speciei & bonitatis*. Motuum qoatenus habet annexam obligationem *reddendi*, differt a certis contractibus gratuitis, v. g. a donatione, in qoa nullum est onus reddendi: quateous res reddenda debet *alia* esse, differt a commodato, locato, & conducto, in quibus res eadem reddi debet: quatenus vero res hæc reddenda, licet alia io individuo, *eadem est specie*, differt mutuum a permutatione, quæ rebus potissimum diversæ speciei perficitor.

Porro res io eadem specie morali reddi debet, id est, ejosdem esse bonitatis cum ea tradita a mutuante: unde licet vinum nobile, & deterius ejusdem speciei physicæ sint, haud tamen per deterioris vini restitutionem mutuatarius satisfaceret, si a mutuante generosios vinum accepisset: res enim reddita ejusdem cum accepta valoris esse debet, ut servetur æqualitas: ejusdem, inquam, valoris, non extrinseci, qui pro temporom varietate variatur; sed intrinseci. Hine poteit quis satisfacere restituendo in tempore constituto frumenti modium ei, quem acceperat, non imparem, tametsi frumenti valor multum imminutus sit.

Dicitur V. *post temporis lapsum*; sicque motuom differt a cambio, in quo data re una statim altera redditur, puta nummus aureus pro argenteo. Ex mutuo exurgit in mutuante obligatio non repetendi statim mutuum, sed tempore præfixo: quod si nullum præfixum fuerit, id ex arbitrio viri boni, vel Judicis decreto determinandum est, inspectis natura rei, persona, & usu, ad quem mutuum accipitur. Qui mutuom statim, & sine causa repetens grave mutuatario damnum afferret, graviter peccaret contra charitatem, qoin & contra justitiam, quia violaret contractum: cum sit de natura contractus *mutui*, ut res non repetatur nisi post tempus seu determinatum, seu indeterminatum, ad quod res illa concessa fuit. Etsi vero mutuans rem mutuo datam non possit pro noto repetere, eam tamen ad nutum mutuatarii recipere tenetur. Quod si mutuatarius fuerit in mora culpabili, debet damnum mutuaoti exortum compensare.

Ex hac definitiooe colliges: I. Quod si *Petrus* a Paulo 50. nummos mutuatus statim a furibus expolietur, damnum mutuatarii est: ipse enim, utpote dominus, de casu etiam fortuitu tenetur. II. Quod si Titius Joanni mutuos dederit aureos decem, singulum quemque viginti libellarum, quorum valor creverit ante tempus restitotioni præfixum, noo poterit idem Titius nisi docentas libellas exigere, quia non amplius mutuo dedit, sicut posita aureorum dimioutione eamdem nihilominus summam merito repeteret. Posset tamen eamdem mooetam exigere, si de hoc pacto quopiam justo cum mutuatario convenisset: ut I. si mutuans pecuoiam suam servaturus erat usque in illud tempus, nec mutuo dare voluerit, nisi cum onere restituendi sibi paris conditionis nummos, aureos pro aureis &c. II. si de futuro pecuoiæ valore, & gradu incertus ad se pertinere vellet & emolumeotum augumenti, & diminutionis periculum.

Etsi vero sufficit reddere valorem, quem mutoi tempore habuit pecunia, non tamen sufficit reddere valorem, quem motui tempore habebant frumentum, vinum, & similia, sed hæc secundum substantiam eadem reddi debent mensura, qua recepta sunt. Ratio est, quia in pecunia non consideratur entitas physica, sed valor ab extrinseca Principis æstimatione dependens: in frumeotis vero ex usu communi attenditur bonitas intrinseca, & physica rerum substantia. Quapropter si frumenta, & vina pecunia æstimentur, æstimari debent pretio, quo tempore solutionis veneunt; hoc enim ex iis pretium compararet motuans, si hæc restituta sibi io eadem specie vendere vellet.

Nota, quod si certum, aut probabilius esset rem pluris valituram, quo tempore facienda erit restitutio, noo posset mutuans sine injustitia tot v. g. exigere vel nummos, vel modios frumenti, quot dedisset, quia tunc plus reciperat, quam dedisset, si non materialiter, saltem formaliter. Hinc, ut ootat Sylvius, usuram committit, qui *mutuat frumentum vetus, ut reddatur novum eo tempore, quo verisimile est illud pluris valiturum.* Idem a contrario sensu dicendum de mutuatario.

Ve-

Verissimum tamen est, quod in his mutui, & usuræ casibus *conscientia aut excusat, aut accusat* (*Opusc.* 74.): unde quod uni vacat a culpa, hoc alius sine usuræ peccato non facit. Ponderanda igitur est plurimum intentio mutuantis, & dicendum, quod *quandocumque in mutuo, vel ex mutuo intenditur spes lucri, tunc non caret vitio usuræ... Potest autem excludi spes lucri ab intentione dantis mutuo... & sic intendens in mutuando excusatur ab omni vitio usuræ.* Unde colligit Pontas: I. eum, qui alteri mutuo dat frumenti modios decem medio mense Octobri, quo tempore venit quisque modius assibus triginta, pacisci cum eo posse, ut sibi totidem modios reddat ineunte mense Junio, quo tempore communiter venduntur modii singuli 45. assibus. II. posse aliquem mense Martio, vel Aprili certam frumenti mensuram mutuo dare eo pacto, ut eadem mensura cum dimidio sibi reddatur mense Augusto, vel Septembri; si constet, aut probabilissimum sit id, quod a mutuatario reddetur, non pluris tunc valiturum, quam valeat id, quod a mutuante accepit. Ratio est, quia *aliud est vitare damnum, & aliud sperare lucrum.... quicunque enim ex mutuo sperat lucrum, peccat usuræ vitio... sed non sic, qui ex mutuo vitat damnum.* Porro qui exigit, ut frumentum, quod usque ad mensem Junium servaturus erat, sibi solvatur juxta pretium, quod eo tempore habet, damnum vitat, lucrum vero non facit.

Variæ porro assignantur notæ, quibus rectane sit mutuantis intentio dijudicari possit. Prima est, ut mutuans *omni tempore paratus sit rem mutuatam accipere, etiam ante illud tempus determinatum, quo res verisimiliter debent esse cariores. Hoc modo spes lucri, nisi per accidens intendatur, non tamen per se, quia non tollit rationem gratuiti a mutuo.*

II. Quod attinet ad casus de frumentis alio tempore, quo cariora erunt, restituendis, debet mutuans velle frumentum suum, nisi mutuo dedisset, servare in illud tempus, quo pluris venibit.

III. Non potest exigere, ut rem, quam mutuo dat, v. g. frumentum, sibi reddatur tempore, quo frumentum carius futurum est, nisi propter solam damni proprii vitationem, puta ne frumento carens teneatur alibi emere pretio majori, & sic reportet *damnum de gratia mutui facta proximo.* Ita idem auctor Opusc. 63.

## CAPUT TERTIUM.

### *De Usura.*

VIdendum hic: I. quid, & quotuplex sit usura, & quo jure prohibita. II. quibus ex titulis aliquid supra sortem accidere licitum sit. III. an vitiosa sint pacta quædam, quæ mutuo addi solent, ut pactum renovandi. IV. discutiendum quinam ad restituendum ratione lucri usurarii teneantur. V. explicandæ sunt usurariorum pœnæ. VI. & id videndum, an liceat mutuum accipere sub usura. VII. paucis agendum est de Montibus pietatis.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *Quid sit Usura, quotuplex, an vetita.*

USura dupliciter sumitur: I. pro actu, vi cujus aliquid supra sortem recipitur. II. pro objecto hujus actus, seu pro lucro, quod ex mutuo nascitur. Usura priori sensu definitur Contractus mutui cum obligatione reddendi sortem, & aliquid supra sortem præcise vi mutui.

Dicitur I. *contractus mutui*: usura enim necessario præsupponit mutuum, seu *expressum*, de quo explicite convenitur, vel *implicitum*, seu *tacitum*, quod fit, quando sub titulo alterius contractus vere fit mutuatio.

Dicitur II. *cum obligatione*, civili nempe, & stricta, sive expressa sit, sive tacita, de qua paulo post.

Dicitur III. *reddendi.... aliquid supra sortem*, quod *alii accessionem ad capitale*, alii *lucrum dicunt*. Hujus autem lucri nomine intelligitur omnis, & sola res pretio æstimabilis, cujus generis sunt non ea solum, quæ in foro venduntur, sed & quodlibet munus, onus, aut civilis obligatio: hinc usurarius est, qui intentionem habet mutuatarium obligandi, ut Beneficium sibi conferat; licet enim Beneficii collatio utpote spiritualis, pretio æstimari nequeat, ipsa tamen conferendi obligatio pretio æstimabilis est.

Dixi, *omnis, & sola res*: hinc quia amicitia, licet pluris æstimetur, quam pecunia, reipsa tamen auro, & argento non æstimatur, usurarius non est, qui ex mutuo alicujus amicitiam intendit, de quo infra.

Dicitur IV. *præcise vi mutui*: nam usurarius non est, qui lucrum aliunde, quam a mutuo, percipit etiam illicite, ut eum aliquid supra legitimum pretium vendidit: unde talis venditor non incurrit pœnas usurariorum.

Quia vero usuræ patroni notionem ejus invertunt, ut aliquid supra sortem absque injustitia percipi posse ostendant, ideo sit

CONCLUSIO. Legitima est allata usuræ definitio.

Prob. Legitima est ea definitio, quæ eruitur ex Scriptura, & ex Patribus, nec aliunde peccat contra Logicæ regulas: atqui talis est allata usuræ definitio.

I. quidem fundamentum habet in Scripturis; cum in eis usura explicetur per exigentiam incrementi sortis, per acceptionem majoris, quam quod datum est, pretii, ac denique per superabundantiam, & excessum supra rem mutuo datam; ut patet ex Levit. 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus... ne accipias usuras ab eo*: ecce præceptum: *nec amplius quam dedisti*: ecce præcepti explicatio. Et statim ibid. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges*: Unde S. Ambrosius post relatum eumdem Levitici textum pergit: *Generaliter hæc sententia Dei omne sortis excludit augmentum.*

Idem colligitur ex Ezech. cap. 18. *Si genuerit vir filium ... ad usuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet? non vivet.* Et statim: *Quod si genuerit filium qui ... usuram, & superabundantiam non acceperit, hic non morietur.* Ibi usuræ confusus est, qui amplius

... redundantiam accipit; ergo ea eo loco ... non recte definiri potest usura: Acceptis ad ... mutuo percepta; quæ definitio ab ea, quam ... non differt.

II. ... definitio fundatur, vel potius continetur ... in Patribus. Usura est, ait Tertullianus l. 4. contra Marcion. mutui redundantia. Usura est, ait Augustinus, in Psal. 36. si plus, quam dedisti, expectes accipere. Usura est, ait Basilius, in Psalm. 14. si plus quam fortem acceperis.

III. Demum eadem definitio nullis Logicæ regulis adversatur: est enim brevis, clara, genereque, & differentia constat; ergo.

Hinc apparet, quam vitiosa, quam verbo Dei contraria sit hæc usuræ definitio a politicis quibusdam confista: Usura est lucrum ex mutuo pauperibus, aut indigentibus dato exactum, aut speratum. Quasi vero Scriptura, & Patres usurarium lucrum restrinxerint ad mutuum, quod pauperibus datur.

Usura dividitur a Jurisconsultis in lucratoriam, compensatoriam, & punitoriam. Prima ea est, qua percipitur lucrum ex mutuo. Secunda, quæ exigitur aliquid supra sortem propter compensandum creditoris damnum. Tertia, qua imponitur pœna mutuatario in reddenda sorte moroso.

Usura lucratoria, de qua solum agimus, dividitur: I. in realem, & mentalem. Realis est, cum vel aperte lucrum in pactum deducitur, ut si quis dicat: Do tibi centum ea lege, ut exacto anno reddas centum & quinque; vel saltem exterius insinuatur mutuum non dari, nisi sub spe, & voluntate aliquid recipiendi supra sortem, ut si dixerit fœnerator: Nosti morem meum in mutuando, vel: Spero futurum, ut hæc pecunia a te non revertatur vacua. Mentalis ea est, quæ lucrum ex mutuo intenditur, & de facto percipitur, sed absque pacto quocunque exteriori. Hinc patet usuram non dici mentalem, ut pleraque peccata dicuntur mentalia, quia scilicet in sola mente consummantur, sed sicut simonia, quæ licet exterius perficiatur, dicitur mentalis, quandiu fit absque pacto.

Dividitur II. in formalem, seu apertam, & virtualem, quæ etiam palliata dicitur. Formalis ea est, qua ex mutuo formali, & simpliciter percipitur lucrum: virtualis vero, quæ sub specie alterius contractus exercetur, & in eo quasi imbibitur, ut eum carius vendis præcise ob dilatam solutionem.

Dividitur III. in pactionalem, quandiu solum est in pacto, & nondum recipitur, & exactionalem, cum recipitur de facto.

Dividitur IV. in usuram sortis, qua datur lucrum pro pecunia accepta, & usuram usuræ, qua pro interesse non soluto lucrum detur, quatenus nempe ex usura non soluta novum conficitur capitale, quod ad primum capitale accedit, & parit etiam interesse.

Dividitur V. ab usuræ patronis in legitimam, quæ modum a Legibus definitum servet, & non legitimam, quæ in justis finibus non sistit. Ut appareat, an genuina sit hæc divisio, videndum, an usura exerceri aliquando possit. Variæ porro ea de re prodierunt opiniones.

Prima Judæorum est, & Græcorum schismaticorum, qui usuram quamlibet sive a pauperibus, sive a divitibus exigatur, licitam, & utilem societati existimant. Nituntur priores Lege Mosaica; posteriores nonnullis Imperatorum legibus, quæ labente jam Imperio usuram non tam probaverunt, quam toleraverunt.

Secunda est Pseudo-Reformatorum, qui post exprobratam toties Ecclesiæ Romanæ in doctrina laxitatem, usuram aliis aliis rationibus ducti comprobarunt. Dux, ac magister erroris incedit Calvinus, qui usuram docet licitam duplici hac conditione: I. ut a pauperibus non exigatur. II. ut, quæ exigitur a divitibus, non nimia exigatur, sed modum legibus definitum servet.

Eidem prope systemati stabiliendo allaboraverunt Catholici quidam, quos inter Auctor libelli De la pratique des Billets, juxta quem duplex est mutui genus: unum, quo res ad consumtionem datur, quod plerumque fit respectu indigentium; alterum, quo datur ad negotiationem, ut fieri solet cum mercatoribus, qui ex mutuo res suas amplificant. In primo casu usuram esse fatetur, quidquid exigitur ultra sortem; verum a fœnoris labe excusat quidquid in secundo casu percipitur lucri ultra capitale.

Verum cæteris hoc in puncto palmam præripiunt Jansenistæ in Bataviam profugi. Hi scilicet variis scriptis, sed eo potissimum, cui titulus: Défense des contrats de rentes rachetables des deux costés, docent imprimis usuram naturali jure non prohiberi. II. eamdem lege divina vetari quoad pauperes, qui pecuniam usu consumunt, non quoad divites, qui ope commercii aliquid pecuniæ æquivalens acquirunt. III. & hanc fuisse Ecclesiæ totius per duodecim sæcula opinionem, quam duce Scoto see exciter abhinc sæculis temere, & imperite oppugnaverint Scholastici.

Tertia opinio, vel potius sententia, est omnium sincere Catholicorum, quibuscum sit

CONCLUSIO I. Usura jure divino tam novo, quam veteri prohibita est.

Prob. ex Deuter. 23. Non fœnerabis fratri ad usuram, sed alieno: fratri autem tuo, quidquid indiget, absque usura commodabis. Unde sic: Ut eo loco usura qualibet prohiberi intelligatur, tria sufficiunt: I. ut ea generatim erga omnes prohibeatur. II. ut non prohibeatur, nisi quatenus mala. III. ut ex eo quod erga alienigenas permittatur, nihil possit adversum nos concludi: atqui hæc tria constant.

Primo usura erga omnes generatim prohibetur. Hæc enim verba, Fratri tuo commodabis quidquid indiget, textum hunc ad pauperes restringere non possunt: tum quia competunt cuilibet mutuanti etiam minime egeno; cum is duntaxat mutuum petet, qui apud se non habet, quod petit, adeoque eo indiget, etsi nec extrema, nec gravi necessitate laboret: tum quia eadem verba, id quo indiget, neque in textu hebraico, neque in Versione Septuaginta Interpretum, neque in Versione syriaca, neque denum in ulla alia leguntur: tum denique quia ex hoc loco conclusere Patres, nullum ex pecunia etiam ne-go-

gotiatoribus tradita posse percipi emolumentum, cujuscunque tandem sit generis. *Plerique*, inquit S. Ambrosius (*l. 4. de Tobia c. 14.*) post relatum hunc textum, *refugientes præcepta Regis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usurarum emolumenta percipiunt .... Fraus ista & circumscriptio Legis est, non custodia; & putas te pie facere, quia a negotiatore velut munus suscipis .... Quodcunque sorti accedit, usura est; quod velis nomen ei imponas, usura est.* Ubi S. Doctor non legit cum Vulgata, *id quo indiget*, & usuram vocat quidquid ultra sortem percipitur; ergo usuras etiam moderatas Deuteronomio prohiberi putat, etiam cum a negotiatoribus, sive in pecunia, sive in aliis rebus postulantur.

Confirm. I. quia Judæi, etsi quæstus cupidissimi, etsi sine sede, sine Lege, & palabundi vivunt, ab omni tamen usura erga fratres etiam negotiatores abstinent; ergo cogente evidentia textum Deuteronomii eodem ac nos sensu interpretantur. II. quia Lex prorsus vetabat, ne Judæi usuram a fratribus exigerent: sed inter Judæos multi divites erant negotiatores; ergo.

Secundo eodem textu prohibetur usura ut per se mala; allatus enim textus potius ad mentem Patrum, quam Calvini, Molinæi, ceterorumque id genus explicari debet: atqui ex Ambrosio prohibetur ibi usura, ut Legis fraus, & violatio, ut aliquid non pie factum, & reipsa illicitum; ergo.

Tertio denique, licet ibi usura erga alienigenas non vetaretur, nihil inde contra nos concludi posset, ut infra ostendemus, solvendo adversariorum momenta.

Prob. II. ex Psalmo 14. ubi sic legere est: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? .... qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quibus verbis consonat id Ezech. 18. *Si genuerit vir filium...abominationem facientem, ad usuram dantem, nunquid vivet? non vivet.* Unde sic cum S. Ambrosio (*Ibid. c. 15.*): *David benedictum æstimavit, & dignum habitatione cœlesti, qui pecuniam non dedit ad usuram: si ergo qui non dedit, benedictus; sine dubio maledictus, qui ad usuram dedit.* Concinit Hieronymus in Psalm. 14. his verbis: *David Evangelicum describens virum, & eum, qui habitaturus sit in monte sancto Dei .... in cunctis generaliter fœnus fieri vetavit:* Porro quod generaliter vetitum est homini Christiano, illud sive paulo moderatius fiat, sive non; seu erga pauperes, seu erga divites, prohibitum dici debet.

Ex quo etiam colligere est, factam in veteri Testamento usuræ prohibitionem non ad præcepta judicialia, seu politica, sed ad moralia referri debere, cum Ambrosius, & ceteri Patres Lege Mosaica, & Prophetis utantur, ut probent usuram, quia turpem, & injustam, Christianis hominibus esse illicitam.

Prob. III. ex his Christi verbis Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes; & erit merces vestra multa.* Unde sic: Qui præcipit, ut mutuum detur sine ulla lucri spe, ille usuram prohibet: atqui Christus in textu citato vere præcipit, ut mutuum detur sine spe lucri. Ea enim verba præcepti, non autem puri consilii loco haberi debent, in quibus præceptum tota agnovit antiquitas: atqui in his verbis, *Mutuum date nihil inde sperantes*, verum præceptum tota agnovit antiquitas. Minor absque eo quod adducatur longa auctoritas Patrum catena, satis probabitur e Salmasio non ignobili moderati fœnoris defensore. Sic ille Lib. de usuris cap. 20. *Hæc Domini verba jugulum usuræ petere, non nemo ex veteribus Patribus, & ex recentioribus Theologis existimavit. Tertullianus inter antiquiores, ne alios nominem, &c. Basilius inter Græcos, &c.*

Negat quidem recens Auctor libelli, cui titulus: *Suite de la defense des Contrats*, veteres Patres usuram inter divites prohibuisse; idque Scholasticæ gentis figmentum esse contendit. At in eo se & malæ fidei, & imprudentem esse demonstrat: malæ fidei, utqui negare velit id, quod fateri antea coacti sunt doctissimi fœnoris defensores: imprudentem, ut qui non animadvertat tantam in practica fœnoris materia mutationem a Scholasticis invehi non potuisse. An non enim statim undecunque reclamassent, & Clerici, & tot alii, qui hactenus usuram erga divites inculpate exerceri posse crediderant? an non novum sibi contra Patrum traditionem jugum imponi conquesti fuissent? præsertim cum innovatio eo tempore contigisse supponatur, quo tot hominum millia & avaritiæ, & ipsi etiam simoniæ studebant. Sane si in ipso Hollandiæ sinu, ubi Jansenianorum interest arctis saltem tolerantiæ nexibus conjungi, alii alios circa usuram tam acriter impugnant, quid in reliquo Orbe futurum erat?

CONCLUSIO II. Usura prohibita est jure Canonico, Cæsareo, & Gallico.

Prob. 1. pars ex Concilio generali Viennensi, quod omnium instar erit: hæc vero ejus sunt verba: *Si quis in istum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum esse puniendum.* Idem variis in Conventibus, aut Synodis sanxere Gallicani Præsules: ita in primis Conventus Melodunensis anno 1579., Concilium Remense anni 1583., Burdigalense anni ejusdem, Tolosanum anni 1590., Narbonense anni 1606. Hæc sunt Remensis Concilii verba: *Quisquis præter sortem principuam ex mutuo aliquid amplius exegerit, vel acceperit, cujuscunque generis illud sit, modo pecunia æstimari possit, usurarius esse censeatur.*

(✠) Benedictus XIV. in sua Pastorali Encyclica ad Episcopos Italiæ directa dat. Romæ an. 1745. die 1. Novembris, cujus initium est: *Vix pervenit*, hactenus ab Auctore probata confirmat, roboratque hortando Episcopos, *ut gravissimis verbis ostendant iis, qui indulgentes adeo, remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existiment: suis privatis opinionibus ne nimium adhæreant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent.* Ibid. n. 2. vel ut clarius se se explicat in altera Encyclica data Romæ 26. Junii 1749. *Evolvant non unum, sed plures libros,*

inter

*inter iſtos conſulant præſtantiores*, *poſtea illam ſententiam amplectantur*, *cui magis ſuffragari rationem*, *& auctoritatem favere cognoverint*. Idipſum egregie, ac diſerte oſtendit Sanctiſſimus Pontifex in aureo ſuo Opere *de Synodo Diœceſana* lib. 7. cap. 47., ubi ait:
,, quod *omne lucrum ex mutuo*, *præciſe ratione mutui*,
,, uti loquuntur Theologi, hoc eſt lucri ceſſantis,
,, damni emergentis, aliove extrinſeco titulo remo-
,, to, uſurarium; atque omni jure, naturali ſcili-
,, cet, Divino, & Eccleſiaſtico illicitum eſſe perpe-
,, tua fuit, & eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina,
,, omnium Conciliorum, Patrum, & Theologorum
,, unanimi conſenſione firmata; hinc n. 9. obſervat,
,, quod jure, ac merito Auctores permittentes mo-
,, deratum lucrum ex mutuo a divite, & negotia-
,, tore exigere, veluti adverſantes communi, &
,, perpetuæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinæ, inclama-
,, runt, & validiſſimis argumentis confutarunt ......
,, Verum, ſubjungit num. 10., quoniam tot Docto-
,, rum auctoritate, & argumentis minime perterri-
,, ti, *prædictam exoticam opinionem nonnulli iterum*
,, *refricare non dubitarunt*, propterea Nos ad Petri
,, Cathedram evecti, ne Catholicæ doctrinæ puri-
,, tas, cujus depoſitum Nobis eſt a Chriſto concre-
,, ditum, hac erroris labe fœdaretur, datis ad Ita-
,, liæ Epiſcopos Encyclicis literis ſub die prima No-
,, vembris 1745., hæc inter cetera declaravimus:
,, Primo omne lucrum ex mutuo ratione mutui,
,, uſurarium, & illicitum eſſe: Secundo ad uſuræ
,, labem purgandam nullum arceſſiri poſſe ſubſidium,
,, vel ex eo, quod id lucrum non exceſſivum, &
,, nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exi-
,, guum ſit: vel ex eo, quod is, a quo id lucrum,
,, ſolius cauſſa mutui, depoſcitur, non pauper, ſed
,, dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam reli-
,, cturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplifican-
,, das, vel novis emendis prædiis, vel quæſtuoſis
,, agitandis negotiis, utiliſſime ſit impenſurus: tertio
,, quanquam una cum mutui contractu poſſint quan-
,, doque alii tituli, ut ajunt, forte concurrere,
,, ipſi mutuo extrinſeci, e quibus juſta oriatur cau-
,, ſa, aliquid ultra ſortem ex mutuo debitam exi-
,, gendi, attamen falſo, & temere affirmari diximus,
,, ejuſmodi titulos ſemper reperiri, ac ubique præ-
,, ſto eſſe, itaut illorum ratione, quotieſcunque pe-
,, cunia, frumentum, aliudve id generis, alteri
,, cuicunque creditur, toties ſemper liceat auctarium
,, moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque re-
,, cipere. Hactenus Doctiſſimus Pontifex.

Tanti Pontificis veſtigia perſequens Eminentiſſimus Delle-Lanze, Cardinalis omni doctrina, & virtute ornatiſſimus, in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus c. 24. §. 2. Confeſſariis præcipit, ut quidquid in laudata Bened. XIV. Epiſtola continetur, *memoriæ ſimul, & praxi demandent*. Quamobrem, inquit §. 3. omnem
,, adhibeant diligentiam Confeſſarii, ut ejus generis
,, pactiones detegant, improbent, condemnent,
,, atque illorum auctores impune abire non ſinant,
,, ſed ad reſtitutionem adſtringant. Quæ ſi præſtare
,, neglexerint, ſciant, ac pro certo habeant ſibi non
,, ſolum faciendæ pro uſurariis reſtitutionis onus im-
,, poſitum eſſe, verum etiam graviſſimum divinæ
,, juſtitiæ judicium imminere. ,, Videatur hæc Synodus celebrata anno 1752. ubi plura ſunt ad Eccleſiaſticam inſtaurandam diſciplinam, pravoſque mores emendandos ſapientiſſima ex antiquis Eccleſiæ Canonibus ſancita. (✠)

Prob. II. pars, quia etſi Conſtantinus Magnus, aliique Imperatores non pauci uſuras non abrogaverint, certum tamen eſt, eaſdem ab iis nunquam approbatas fuiſſe, ſed majoris mali vitandi gratia toleratas: atque hoc evidenter colligitur ex Novella 83. Imperatoris Leonis, qui in eo ipſo decreto, quo uſuras permittere videtur, agnoſcit eas juri divino adverſari, nec mirum, quod ita de uſuris ſenſerint Principes Chriſtiani, cum vel ipſi Ethnici uſuræ iniquitatem agnoverint: unde veteres Romani majori odio fœneratorem, quam furem proſequebantur, *& in legibus poſuerunt furem dupli condemnari*, *fœneratorem quadrupli oportere*. Verba ſunt Marci Catonis lib. de Repub. in proœm.

Probari poſſet tertia pars longa ſerie Edictorum, quæ a Principibus Francis prodiere: pauca quædam referemus. Carolus magnus in Capitularibus Lib. 1. cap. 25. *Uſura eſt ubi amplius requiritur*, *quam datur*, *v. g. ſi dederis ſolidum*, *& amplius requiſieris*. Lib. 5. cap. 36. *Uſuram non ſolum Clerici*, *ſed nec Laici Chriſtiani exigere debent*, & Lib. 6. cap. 201. *Venerandi Canones*, *& divina prohibet auctoritas uſuras accipere*. Non acriter minus in uſurarios ſive Judæos, ſive Chriſtianos exarſit S. Ludovicus ſuo anni 1254. Edicto, eaſdem prohibuit Philippus IV. Regia ſua Conſtitutione an. 1312. qua uſuras etiam leviores ſevere coercet: *Voulons*, *& commandons celles uſures*, *meſme de menue quantité...: être corrigees*, *& punies*. Jam vero Leges iſtas mere pœnales eſſe, nec obligare in conſcientia, merum eſt hominis iniqua dicere edocti commentum; cum iis prohibeatur uſura, ut Canonibus, auctoritati divinæ, reguliſque omnibus contraria, ut ex ſola earum lectione inſpici poteſt.

(✠) Non ſolum ex jure Gallorum prohibita eſt uſura; univerſum jus civile uſuram omni ex parte inſectatur. Triplex ex Doctoribus juris civilis eſt uſura, *Lucratoria*, qua aliquis ex mero mutuo contra naturam contractus lucrum facit, ſeu ex mutuo, cujus natura eſt, ut ſit gratuitum, lucrum percipit; Ita Jo. Voet. Comment. ad Pandec. lib. 22. tit. 1. num. 4. *Punitoria*, qua aliquid exigitur ob culpabilem non ſolventium moram; ibid. *Compenſatoria*, quæ creditori præſtatur ratione ejus, quod creditoris juſte intereſt ſua pecunia caruiſſe. *Punitoriam*, *& compenſatoriam* ſecundum illas, quæ ſupra expoſitæ ſunt, conditiones, permittit jus civile; *Lucratoriam* vero, ut illicitam damnat; nam, ut egregie obſervat Andreas Gaill. lib. 2. Obſervat. practic. obſerv. 5. num. 14. *quia mutui contractus licitus eſt*, *inutilis ſtipulatio*, *puta uſurarum*, *rejicitur*, *& pro non adjecta habetur*. *Et ſic ſors ſalva manet*, *quæ etiam cum legitimo intereſſe*, *a tempore moræ ſolvi debet*; *nam licet uſuræ in mutuo ſint prohibitæ eo quod gratuitum eſſe debeat*, *nec recontrahatur obligatio*, *niſi quatenus datum ſit*: *tamen ſi mutuans ſit in mora reſtituendi pecuniam*, *poteſt licite*

con-

*conveniri tam ad interesse lucri cessantis*, *quam damni emergentis*. Vide-sis laudatum Auctorem loco citatu. (+)

CONCLUSIO III. Usura jure etiam naturali prohibita est. Communis est, & certa.

Prob. I. Jus naturale prohibet illud omne, quod æqualitatem tollit: atqui usura æqualitatem tollit. Ibi enim tollitur æqualitas, ubi plus exigitur, quam datum fuerit: sed omnis usurarius plus exigit, quam ab eo datum est: *Recompensatur enim secundum æqualitatem*, ait S. Thomas (2. 2. q. 78. *art.* 1. *ad* 5.) *si tantum reddatur ei quantum mutuavit*; ergo cum recipit centum quos mutuo dedit, recipit id omne quod dedit; ac proinde si recipiat centum viginti, plus recipit quam dederit, adeoque æqualitatem lædit simul & justitiam.

Prob. II. Jure naturali vetitum est, ne quis domino rem suam vendat; sed usurarius domino rei rem suam vendit. Vendit enim mutuatario usum ipsius rei mutuo datæ: sed usus ille mutuatarii est, sicut & ipsa res mutuo data; ad quem enim pertinet res, ad eum pertinet usus rei, præsertim cum res non datur nisi propter usum; ergo.

Prob. III. Si posset mutuans aliquid accipere supra sortem, vel propter fructum quem ex mutuo percipit mutuatarius, vel propter dilationem solutionis: atqui neutrum dici potest. Non primum; res enim fructificat domino suo: sed mutuatarius rei dominus est; ergo si mutuator fructum accipere velit, exiget fructum rei ad se non pertinentis: nec minus inique aget, quam si rem alicui carius vendat, eo quod is ex ipsa plurimum utilitatis industria sua percepturus sit; ergo.

Non secundum: Si enim liceret mutuanti aliquid supra sortem accipere ob dilationem quam concedit, vel quia simpliciter concederetur dilatio, vel quia concederetur talis dilatio: atqui neutrum dici potest. Non 1. mutuum enim prout a precario differt, hoc essentialiter habet ut statim repeti non possit: alioqui nullus mutui usus foret. Non 2. quia talis dilatio præcise, & per se æstimabilis non est; tum quia ea est novum quoddam mutuum virtuale, pro quo nihil magis, quam pro primo mutuo exigi potest, tum quia vi dilationis præcise nihil perdit mutuans, quod ultra sortem recuperare debeat. Dilatio enim præcise sumta seclusa est a damno emergente, & lucro cessante; ergo vi solius dilationis, quæ ex hypothesi a mutuante citra ullum ejus incommodum conceditur, nihil a mutuatario exigi potest.

Ceteros aliquid supra sortem exigendi titulos, qui plus habent difficultatis, discutiam articulo sequenti.

Obj. I. contra primam Conclusionem: Illud non non prohibetur jure divino, ut per se malum, quod expresse approbatur in Scriptura: atqui usura ......... Prob. minor. ex Deuter. 23. *Non fænerabis fratri tuo ad usuram ...... sed alieno*. ibid. cap. 28. *Fænerabis gentibus multis*; *& ipse a nullo fænus accipies*, & Exod. c. 21. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi*, *qui habitat tecum*, *non urgebis eum quasi exactor*, *nec usuris opprimes*; ubi usura non nisi erga pauperes prohibetur. Denique Christus ipse usuram approbat Matth. 25. ubi de servo pigro conqueritur his verbis: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis*, *& veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura*.

R. ad 1. neg. min. & ut objectos textus sigillatim solvam,

R. ad 1. e capite 22. Deuter. tripliciter: I. nego min. hæc enim verba, *Fænerabis alieno*, nec præcipiunt, nec permittunt usuram respectu alieni, sed hunc, ut ipse notat Molinæus usuræ defensor, sensum habent: Si quem usuris opprimas, jam non tractas ut fratrem, sed pro extraneo habes, ac pro hoste. Ex iis vero sic intellectis, nihil in usuræ patrocinium colligi potest.

R. 2. cum S. Thoma, (2. 2. *q.* 78. *a.* 1.) *Quod ab extraneis usuram acciperent Judæi*, *non fuit eis concessum tanquam licitum*, *sed permissum ad majus malum vitandum*; eo ferme modo, quo certis in locis toleratur meretricium, quod absit ut a Christianis permissum censeatur.

Adde, quod ex eo textu, quantumvis rigorose accipiatur, id unum sequi possit, licitum fore Christianis usuram exercere erga alienigenas, infideles scilicet, Turcas, aut Idolatras, non autem erga Christianos, ut nec Judæis erga Judæos fœnerari licitum erat: imo, ut profunde ratiocinatur S. Thomas, (*Ibid.*) neque id erga quemquam licebit Christianis, qui debent *omnem hominem habere quasi proximum*, *& fratrem*, *præsertim in statu Evangelii*, *ad quod omnes vocantur*; ergo ex data Judæis licentia; quæcunque ea fuerit, nihil colligere possunt Christiani.

R. III. dist. Judæis licitum erat usuras exercere, Deo jus concedente Judæis in alienigenarum bona sicut iis aliquando licentiam dedit Ægyptios spoliandi, C. secus, N. Solutio est S. Ambrosii. Lib. de Tobia c. 15. *Quis*, inquit, *erat tunc alienigena*, *nisi Amalec*, *nisi Amorrhæus*, *nisi hostes? .... Ab hoc usuram exige*, *quem non sit crimen occidere .... ergo ubi jus belli*, *ibi etiam jus usuræ*.

R. ad 2. e cap. 28. Deuter. fœnus ibi accipi pro mutuo, non pro usura: *Promittitur* enim Judæis ait S. Thomas, *abundantia divitiarum*, *ex qua contingit*, *quod aliis mutuare possint*. Sic Eccli. 29. dicitur: *Qui facit misericordiam fæneratur proximo suo*: ubi fœnerari idem est, ac misericorditer mutuare.

R. ad 3. negando usuram in veteri Lege erga solos pauperes prohiberi: contrarium patet ex supra adductis Scripturæ textibus. Neque vis eorum elidi potest ex objecto Exodi textu, aliisve similibus: quia hæc verba, *populo meo pauperi*, non continent restrictionem; alioqui & hæc verba, *qui habitat tecum*, restrictionem quoque continerent; ita ut Judæi exigere potuissent usuras etiam a fratribus suis egenis, modo in eadem cum ipsis civitate non habitassent, quod ne adversarii quidem admittunt. Ergo, ait Grotius, hæc verba *populo meo pauperi*, non restringunt legem, sed exempli causa posita sunt, quia plerumque contingit ut pauperes magis, quam divites egeant opis alienæ.

R. ad 4. in parabolis spectandum esse finem, cetera

tera vero non debere urgeri ad vivum. Ecquis enim villicum iniquitatis imitari hinc ausit, quod de domini sui bonis amicos sibi prudenter fecisse dicatur? Quis fratri in extremis posito negandam opem credat, quia ad exemplum proponuntur virgines prudentes, quæ fatuis oleum negaverunt? Soli igitur inhærendum parabolæ scopo, qui is est, ait S. Thom. ibid., ut *in bonis a Deo acceptis semper proficiamus*; ex quo utique nihil in gratiam usuræ colligi potest.

Obj. II. contra secundam Conclusionem: I. usura multis Digestorum, & Codicis textibus approbatur. II. eam approbant ipsa Cleri Gallicani Comitia, quæ an. 1650. 1657., & sæpius deinceps præceperunt, ut quæstori suo ob anticipatam necessariæ pecuniæ solutionem decem pro centum solverentur.

R. ad 1. usuras, de quibus loquitur Jus Civile, vel non approbatas fuisse, sed majoris mali vitandi gratia toleratas; vel id, in quo ex hac parte deficiebat Jus Civile, correctum fuisse Jure Canonico, quod usurariorum fautores Hæreticis annumerat, & usurarios gravibus subjicit pœnis.

R. ad 2. Galliæ Præsules non magis usuræ accusari posse, dum alicui decem pro centum solvunt, quam usuræ accusari possit, qui pecunia indigens adit Judæum, eique aliquid supra capitale solvendum pollicetur, quia non patitur rerum suarum status ut aliter agat. Adde quod Præsules nostri id, quod supra sortem concedunt, per modum compensationis largiantur, quia ingentes, quibus egent summæ, sine magnis sumtibus coacervari non possunt.

Obj. III. contra tertiam Conclusionem. Jus naturale permittit, ut homo pretium accipiat pro eo, quod non tenetur facere: sed plerumque qui dat mutuo ad id faciendum non tenetur.

R. neg. maj. qui enim vendit vinum, aut aliquid aliud, facit id, ad quod non tenetur; nec tamen potest aliquid exigere seorsum a pretio vini, & supra ejus valorem; ergo a pari, qui dat mutuo, &c. Ratio est, quod sicut libera vini venditio non est æstimabilis seorsum a vino, quia nec prodest emtori, nec venditori incommodum affert, nisi ratione vini, quod venditur; ita gratuita pecuniæ mutuatio non est æstimabilis seorsum a pecunia: unde non potes aliud pro mutuo ipso, aliud pro gratia, quam facis mutuando, pretium exigere; sed dum reddetur tibi id, quod dedisti mutuo, sufficienter recompensatus eris, ut loquitur S. Thomas.

Obj. IV. Pecunia numerata, seu præsens pretiosior est numeranda, & absente, cum possit quis per primam negotiari, non per secundam; ergo 90. aurei præsentes æquivalent aureis centum post annum numerandis, adeoque centum accipere post annum non est accipere supra sortem, nec proinde usurarium esse.

R. damnatam esse ab Innocentio XI. propositionem istam: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Et reipsa aurei centum per se, & secluso omni, quod ex iis fieri possit, lucro, non pluris hodie valent, quam post annum. Quod si mutuans ex iis certo moraliter lucrum facturus erat, haud dubium est, quin aliquid ratione lucri hujus sibi cessantis possit supra sortem exigere; verum ratione pecuniæ ipsius nihil exigere potest; alioqui cum in omni mutuo essentialiter detur pecunia præsens nonnisi in futurum reddenda, nullum esset mutuum, ex quo non posset aliquid recipi supra sortem, quod Scripturæ, Patribus, & rationi esse contrarium supra probavimus.

Inst. I. Tam licitum est aliquid recipere pro usu pecuniæ mutuo datæ, quam pro usu domus locatæ: atqui licitum est aliquid recipere pro usu domus, &c.

R. neg. maj. ideo enim aliquid ratione domus locatæ recipi potest, tum quia non transfertur dominium domus, tum quia principalis domi usus non est ipsa ejus consumtio, ut per se patet: at pecuniæ mutuo datæ dominium ex rei natura transfertur, eaque consumi non potest, quin moraliter destruatur, ergo longa est inter hæc disparitas.

Inst. II. Pecunia consumitur quidem in manu pauperis, qui ex ea res ad victum necessarias comparat: at non consumitur moraliter in manu negotiatoris, qui ex ea aliquid æquivalens, & multo melius acquirit; ergo.

R. achilleam hanc adversariorum probationem omni ex parte nutare: I. enim non aliter plerumque consumitur pecunia in manibus pauperis rustici, qui ex ea vaccam v. g., vel frumentum seminale emit, quam in manibus negotiatoris, & tamen necdum asserere ausi sunt adversarii licitum esse pauperi mutuum dare ad usuram. II. sæpius quoque evenit, ut rebus in contrarium versis non modo nihil lucretur mercator, sed, quidquid acceperat mutui, deperdat. III. cum lucratur, de eo, quod suum evasit, lucratur; ergo nihil hinc rependere tenetur.

Obj. V. Lucrum, quod facit mutuatarius partim ex ejus industria, partim ex mutuantis pecunia proficiscitur; ergo iniquum non est, quod lucrum illud mutuantem inter, & mutuatarium dividatur, ut in societate.

R. dist. conseq. iniquum non est, ut lucrum dividatur, si pecunia remaneat in dominio creditoris, seu mutuantis, ut accidit in vera societate, C. si pecunia transeat in dominium mutuatarii, ejusque periculum ad ipsum pertineat, N. Porro pecunia per mutuum transit in dominium debitoris, seu mutuatarii, qui ejus periculum subit, quocunque modo pereat; ergo totum lucrum ejus esse debet. Contra vero *ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere tanquam de re sua,* Ita S. Thomas ibid. a. 2. ad 5.

AR.

## ARTICULUS SECUNDUS.

*Quibus ex titulis possit aliquid exigi supra sortem.*

EX iis, qui usuram per se malam esse fatentur, plures usurariis incogitanter favere, dum tot admiserunt aliquid supra sortem recipiendi titulos, ut si ii vere sufficiant, nemo nisi hebes usuræ reus esse possit. Eæ porro in medium adductæ sunt aliquid supra sortem recipiendi radices, nempe labor in pecunia numeranda, carentia gaudii, quod parit pecuniæ suæ visus, obligatio non repetendi pecuniam usque ad certum tempus, difficultas recuperandæ sortis, ejusque amittendæ periculum, lucrum cessans, & damnum emergens, de quibus sigillatim est disserendum. Sit

CONCLUSIO I. Labor in numeranda pecunia non est sufficiens titulus aliquid supra sortem recipiendi.

Prob. quia labor ille in omni mutuo reperitur, cum non detur mutuum v. g. pecuniarium, nisi numerata pecunia; ergo leges, quæ prohibent, ne in mutuo accipiatur aliquid supra sortem, nullam laboris hujus rationem haberi voluerunt; alioqui una subverterent manu, quod altera ædificare conarentur, dum mutuum gratuitum esse juberent, & simul permitterent, ut quid exigeretur pro labore, sine quo mutuum dari non potest.

Adde, quod si, rigorose loquendo, possit quis exigere stipendium diei, quam in numeranda pecunia insumsit, stipendium illud non majus esse debeat, si multo majorem summam mutuo det, quam si minorem, cum minus insumsit temporis in numeranda majori, quæ v. g. solis aureis constat, quam in numeranda minori, quæ ex minutiori moneta consistit. Deinde stipendium hoc singulis annis iterari non posset, quia pecunia mutuo data semel tantum numeratur. Quæro autem, an ita agant usurarii?

CONCLUSIO II. Carentia pecuniæ non est ratio sufficiens ad exigendum aliquid supra capitale.

Prob. quia carentia illa mutuo essentialis est, cum fieri nequeat, ut quis & pecuniam det mutuo, & eam simul retineat; ergo cum propter ipsum mutuum non liceat aliquid supra sortem recipere, nec id quoque propter carentiam ejus licitum esse potest.

CONCLUSIO III. Obligatio non repetendi sortem ante certum tempus, non est legitimus aliquid supra eamdem sortem recipiendi titulus.

Prob. I. quia propositionem hanc: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem recipere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*, reprobavit Alexander VII., eamque verbo Dei contrariam declaravit Conventus Cleri Gallicani anni 1700.

Prob. II. Non licet exigere aliquid pro eo, quod est de intrinseca ratione mutui, cum id sit accipere ultra sortem vi mutui: atqui obligatio non repetendi sortem ante certum tempus etiamsi longum, &c. De ratione enim mutui, prout a precario distinguitur, est, quod repeti nequeat ad nutum mutuantis, sed post tempus determinatum, vel ipsomet mutui contractu, vel per circumstantias necessitatis ad finem mutui; ergo tempus illud, seu longum sit, seu breve, est de ratione mutui in ordine ad finem ejus; proinde nihil pro eo accipi potest.

Prob. III. Sicut obligatio non repetendi capitale ante mensem, seclusis aliis titulis, sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendum illud post mensem, & subeundum toto hoc mense periculum ipsius; sic obligatio non repetendi capitale ante annum sufficienter compensatur obligatione mutuatarii ad reddendum illud post annum, & subeundum toto anno ejus periculum.

Obj. I. In contractu mutui servari debet plena mutuantem inter, & mutuatarium æqualitas: atqui si non compensatur obligatio non repetendi sortem, jam non servabitur æqualitas ex parte mutuatarii: mutuatarius enim redditione mutui compensabit quidem mutuum, at non compensabit obligationem non repetendi, quæ civilis est, & pretio æstimabilis.

Confirm. Tam potest, qui dat centum nummos mutuo, aliquid exigere pro obligatione eos non repetendi, quam id possit pro obligatione eosdem mutuo dandi: atqui ex omnium confessio potest quis aliquid accipere, ut paratus sit toto v. g. anno mutuum dare, si id exigatur; ergo a pari.

R. ad 1. neg. min. si enim tenetur mutuans expectare tempus præfixum, ut repetat pecuniam mutuo datam, tenetur mutuatarius: I. toto hoc tempore subire periculum rei. II. paratus esse ex gratitudine ad remutuandum, & expectare rei a se mutuandæ refusionem. III. si agatur de merce, puta de tritico, tenetur ipsum sanum, & deterius non factum reddere, quod non fit sine certis sumtibus, a quibus immunem se facit mutuans: atqui hæc omnia mutuatarii onera satis compensant obligationem non repetendæ sortis, quam contraxit mutuans; ergo.

Ad confirm. neg. maj. onus enim, quod in se suscipit aliquis, ut semper ad mutuo dandum paratus sit, præcedit ipsum mutuum (& quidem cum dispendio mutuaturi, qui solus rei suæ, si pereat, damnum feret), & sine eo consistere potest; adeoque distinctam habet æstimabilitatem ab ipso mutuo, quæ consequenter sola mutui (si forte exigatur) refusione compensari non potest: atqui obligatio sortis non repetendæ mutuo ipsi intrinseca est, & aliunde satis compensatur per periculum rei, quod subit mutuatarius; ergo non est par utrobique ratio.

Inst. Eadem in praxi sequuntur incommoda, si liceat ultra sortem accipere pro obligatione mutuo dandi; dicet enim mutuans: Ego pro mutuo nihil ultra sortem volo, sed gratis ad mensem mutuo, & obligo me ad mutuum per alios menses 12. prorogandum, & pro hac obligatione aureum unum volo.

R. neg. maj. obligatio enim ad remutuandum virtualiter singulis mensibus idem est in rei veritate cum obligatione ad non repetendum mutuum per totum annum; ideoque verum est mutuum, quod pro anno uno datur; ergo pro eo exigere aliquid palliata est usura.

Cum enumerati hactenus tituli ab omnibus pene

Theologis ad aliquid supra sortem eaigendum insufficientes judicentur, idcirco leviori eos calamo attigisse satis fuit: sed cum de alus, qui sequuntur, major sit disceptatio, eos specialius indagare op··s est. Sic igitur:

## SECTIO PRIMA.

*Utrum ratione periculi liceat aliquid supra sortem accipere.*

NOT. I. distinguunt non pauci duplex periculum in mutuo: unum generale, quod idcirco *intrinsecum* dicunt, aliud particulare, seu *extrinsecum*. Periculum *generale* illud est, quod reperitur in omni mutuo, vel *secundum se spectato*, ut quod bona illius, cui datur mutuum, perire possint incendio, aliisve casibus fortuitis; vel *spectato secundum finem*, ad quem mutuum ordinatum fuit a Deo, ut quod mutuatarius sit pauper, fidejussorem obtinere non possit, &c. Certum est enim ex Scripturis, mutuum in gratiam, & levamen pauperis præsertim institutum fuisse; ut cui per eleemosynam succurrere teneremur, ei per mutuum aliquando opem feramus. Periculum *particulare* illud est, inquiunt, quod a mutuo hic & nunc separari potest, ut si pecunia detur homini nullius conscientiæ, prodigo, merces per hostium castra, aut vias latronibus obsitas deferenti; quique cum pignus, vel sponsorem dare possit, quo tollatur periculum, neutrum dare vult; & cui tamen, quia ferox est, & ad vindictam alacer, mutuum negare non audes.

Not. II. Mutuantem posse vel suscipere in se periculum sortis, adeo ut hac pereunte sine mutuatarii culpa, mutuans nihil repetere possit præter pretium sibi pro assecuratione sua promissum: vel periculum illud mutuatario relinquere, ita ut mutuatarius rem restituere debeat, quocunque modo perierit. Sit jam

CONCLUSIO I. Non licet aliquid supra sortem accipere ratione periculi, quod in omni mutuo secundum se spectato reperitur.

Prob. I. Non licet aliquid recipere supra sortem pro eo, quod est de ratione intrinseca mutui; atqui periculum generale est de intrinseca ratione mutui, ut ex ipsa periculi hujus definitione patet; ergo.

Prob. II. Mutuantis conditio melior esse non debet conditione mutuatarii; plena enim esse debet in omni contractu æqualitas: atqui longe melior esset mutuantis, quam mutuatarii conditio, si posset mutuans aliquid supra sortem exigere ratione periculi intrinseci; quia & pretium mutui reciperet, & interim immunis esset a periculo, cui obnoxius erat servando apud se rem suam, quæ ibi, sicut & apud mutuatarium innumeris casibus fortuitis absorberi potest; ergo.

CONCLUSIO II. Non licet etiam aliquid ultra sortem recipere propter periculum, quod reperitur in mutuo spectato secundum finem, ad quem fuit a Deo ordinatum.

Prob. I. quia præcepit Deus, ut mutuum gratis pauperi daretur: atqui mutuum nunquam gratis dabitur, si liceat aliquid recipere ultra sortem propter periculum paupertati, si ita loqui fas est, annexum, cum tale periculum a tali mutuo moraliter inseparabile sit; ergo prohibitum est jure non solum divino, sed & naturali aliquid accipere propter periculum tali mutuo annexum.

Nec dicas periculum illud auferri posse per fidejussorem, aut pignus, ac proinde illud re ipsa extrinsecum esse mutuo. Qui enim ob inopiam mutuum accipere coguntur, moraliter, & ordinarie non possunt fidejussorem, aut pignus mutuo æquivalens præbere; cum igitur erga hujusmodi homines servari illud debeat: *Mutuum date, nihil inde sperantes*, sequitur nihil ab eis supra sortem recipi posse.

Prob. II. quia opinio, quæ propter periculum paupertati annexum permittit, ut quid supra sortem accipiatur, manifeste cedit in oppressionem eorum, qui pauperiores erunt. Si enim pro periculo quidpiam accipere licet, plus aliquid pro majori periculo accipere licebit: atqui majus esse solet periculum, prout pauperiores sunt ii, quibus mutuo datur; ergo magis opprimi poterunt.

CONCLUSIO III. Si mutuans in se sortis periculum recipiat, potest eo titulo aliquid supra sortem recipere.

Prob. quia præter contractum mutui reperitur in hoc casu contractus assecurationis: atqui pro ista assecuratione potest mutuans aliquid accipere, sicut & quilibet alius, qui sortem assecuraret; ergo.

Dices: Si mutuans constitueret se fidejussorem, nihil accipere posset; ergo nihil etiam accipere potest, si assecuratorem se constituat.

R. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quod mutuans se fidejussorem constituendo non aliud subiret periculum, quam dando mutuum simpliciter: tam enim posita sua fidejussione actionem habet in mutuatarium, quam si nulla intervenisset fidejussio; at vi contractus assecurationis mutuans excidit a jure repetendi mutui; quia res assecurata assecuranti perit, ac proinde mutuans illud rei suæ, si fortuito pereat, non repetendæ onus subiens potest aliquid ultra sortem accipere, sicut & quivis alius assecurator.

Superest una, eaque gravis difficultas, an propter periculum probabile, & extrinsecum possit aliquid supra sortem exigi. Pro affirmativa stant Theologi plures magni nominis, & e quibus alii de Ecclesia bene meriti sunt, ut Lugo, Fagnan., Cabassut.: alii licet in multis peccaverint, ut Ethica, nusquam tamen laxitatis accusati fuere.

Probant autem: I. ex decisione Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quam approbavit Innocentius X., quæque typis Romæ edita est an. 1645. His autem verbis interrogata fuerat S. Congregatio: *In Sinarum Regno stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quæritur, utrum Sinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, prædictam pro centum triginta Regni lege taxatam quantitatem accipere. Et causa dubitandi est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet quod, qui accipit*

mu-

*mutuatum, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi*. Sacra Congregatio usuras triginta pro centum reprobavit; sed simul *Sinenses*, si aliquid *recipiant* non ratione *mutui immediate, & præcise*, sed *ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio probabilitatis periculi, & qualitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id, quod accipitur*. Et Innocentius X. præcepit omnibus Missionariis sub excommunicatione latæ sententiæ, ut omnia responsa hujus Decreti observarent, & illis uterentur, donec Sua Sanctitas, vel Sedes Apostolica aliud statuerit: atqui mira esset, & inaudita hæc agendi ratio, si Congregationi, & Pontifici Romano persuasum fuisset eos criminis usuræ reos esse, qui aliquid propter periculum sortis in casu proposito acciperent; ergo.

Probant II. quia pro eo exigi aliquid potest, quod potest haberi tanquam damnum quoddam emergens, sicut & jactura lucri probabiliter futuri: atqui incursio periculi sortis haberi potest tanquam damnum emergens, cum minoris valeat pecunia probabiliter non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda, quam pecunia absque periculo, & difficultate præsens, ut ex eo constat, quod minoris emitur pretium periculosum, quam si periculo careret: quia qui illud emit, exponit se periculo debitum illud non recipiendi, tametsi aliquando contingat illud absque difficultate recipi; ergo mutuator summæ in mutuatarii manu periculosæ licite potest amplius exigere, quam si eam committeret manui non periculosæ, pro eo quod se exponit periculo eam non recipiendi, licet postea contingat eam facile recipi.

Prob. III. Licitum est ex auctore Opusc. 73. de usura cap. 7. carius vendere supra latitudinem pretii currentis, propter *periculum futuræ difficultatis*, quam venditor probabiliter timet *in sorte recipienda*; ergo a pari in proposito. Prob. conseq. Ideo in hypothesi allata carius justo vendere licet, quia plus valet pecunia præsens, & ab omni periculo immunis, quam pecunia non sine magnis difficultatibus recipienda: atqui pariter sors præsens, & ab omni periculo immunis pluris valet, quam sors non recipienda, vel non nisi difficulter recipienda; ergo par utrobique ratio.

Etsi momenta hæc non sunt contemnenda, opposita tamen opinio præferenda est in praxi. Sit itaque

CONCLUSIO IV. Non licet sub prætextu periculi cujuscunque aliquid supra sortem accipere.

Prob. I. quia ipsi oppositæ sententiæ defensores varias requirunt conditiones, quas vix unquam in praxi servari fatentur: I. enim, inquiunt, necesse est, ut absit intentio lucrandi ex mutuo: quia alias, etiam secluso pacto, erit usura mentalis. II. periculum debet esse verum, probabilibusque fundatum conjecturis, non autem fictum, prout facile fingitur ab iis, qui lucrari amant. III. mutuatario liberum esse debet fidejussorem, aut pignus pro assecuratione sortis mutuanti præstare. IV. mutuans non plus pro illo periculo exigere potest, quam vel ipse, vel mutuatarius alteri dare vellent pro hujusce periculi assecuratione. V. ita servandæ sunt justitiæ leges, ut non violentur leges charitatis: atqui conditiones illas pauci eorum norunt, qui mutuo dant, pauciores ad praxim redigunt; ita enim plerique lucro inhiant, ut seclusa ejus spe mutuum non darent: cum probabile periculum sentiunt, mutuo non dant: inter periculi qualitatem non distinguunt, sed ab omnibus æqualiter exigunt: fidejussores, aut pignora recusant, ut quocunque tandem modo aliquid supra sortem recipiant, &c. ergo ratum est, ut in eorum agendi rationem non irrepat usuræ fuligo.

Prob. II. solvendo præcipuum contrariæ opinionis fundamentum. Si quid supra sortem accipere liceat pro periculo, utique pro periculo extrinseco: atqui supponunt adversarii, non autem probant, dari periculum mutuo extrinsecum. De ceteris enim idem sit judicium, ac de mutuo, quod datur homini prodigo, litium amanti, aut qui in mari procelloso navigat: atqui periculum huic mutuo annexum est quidem extrinsecum mutuo ut sic, sed non minus huic, vel illi mutuo intrinsecum est, quam intrinsecum sit periculum annexum mutuo, quod datur pauperi.

Nec dicas, periculum hoc dato pignore, vel sponsore auferri posse. Nam I. vix contingit, ut qui eget pecunia, & pignus dare potest, non det. II. minus adhuc contingit, ut mercator pecuniam suam, neglecta justa securitate, in manum decoctoris, aut imprudentis projiciat. III. denique si res ita esset, periculum tali mutuo intrinsecum esset, utpote quod positis mutuatarii conditionibus non posset ab eo separari, sicque vel denegandum esset mutuum, vel sequenda mutui conditio.

Nec dicas iterum, eum, qui aliquid supra sortem exigit propter damnum emergens, nihilominus sequi naturam mutui, quam proinde sequi etiam possit, qui propter periculum, aliud supra sortem postulat.

Ideo enim quis propter damnum emergens aliquid licite recipit, quia nisi recipiat, vere, & de facto perdit; nihil autem vere, & de facto perdit, qui quidpiam exigit ob periculum. Non nego fieri posse, ut perdat, sed non ideo magis aliquid supra sortem exigere potest, qui mutuat pauperi, & qui etiam potest totum perdere: atque hinc corruunt quarta, & quinta probatio, quæ si quid, certe contra pauperes probant.

Confirm. quia periculum circa sortem non affert aliud damnum, quam ipsius sortis: at vero damnum emergens affert damnum a damno sortis plane diversum: ergo ex eo, quod licitum sit aliquid exigere propter damnum emergens, non sequitur licitum esse aliquid propter sortis periculum exigere.

Quod spectat ad S. Congregationis decisionem, dico I. judicium hoc, saltem prout ab Innocentio X. confirmatum est, non esse difinitivum, sed emissum, *donec sua Sanctitas aliud statuerit*; ergo aliud statuere potest, ac proinde opinionem hanc in eodem, ac antea erat, statu relinquit. II. non satis constat, quomodo res se habeant in regno Sinensi, ut quidpiam inde generaliter colligi possit: certe una circumstantia naturam rerum penitus mutat. Sciendum ergo esset id omne, quo S. Congregatio determinari potuit;

hoc autem vulgo ignoratur: unde prout a Romanis Theologis didici, ægre fert eadem Congregatio, ut decisiones suæ publici juris fiant, quia edi solet decisio, non editis motivis. III. potuerunt Theologi Congregationis opinionem huic nostræ oppositam judicare probabiliorem, prout a tot aliis Theologis judicatur. IV. demum exigebat forte Sinensis Ecclesiæ status, ut populi in bona fide relinquerentur, idque majoris mali vitandi gratia: sic aliquando Lugduni vetitum est, ne cambium ibi exerceri solitum impugnetur.

(+) Accedit, quod hujusmodi Responsum tanquam authenticum producitur ab Auctore dubiæ omnino fidei: quapropter merito revocari potest in dubium, an obreptitium, vel subreptitium fuerit; præsertim quia directe opponitur cap. *Naviganti* Decretali scilicet Gregorii IX. ad S. Raymundum directæ anni 1306, in qua legitur *Naviganti, vel eunti ad Nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*. Ceterum licet obreptitium, vel subreptitium non supponatur præfatum S.C. responsum nullius amplius est roboris post damnatam ab Innocentio XI. propositionem *Cum numerata pecunia &c.* ut supra, quandoquidem illud datum supponitur an. 1645., hæc autem proscripta fuit anno 1679. (+).

## SECTIO SECUNDA.

### *An aliquid supra sortem accipi possit ratione lucri cessantis, damni emergentis, &c.*

NOt. Tunc dicitur alicui lucrum cessare, quando non acquirit lucrum aliquod temporale, quod probabiliter acquisiturus erat, si mutuum non dedisset: ut si pecunia, quam mutuo dedit, usurus erat in emtionem vineæ, vel ad negotiationem. Tunc vero dicitur damnum emergere, cum quis ob mutuum aliquid suis in rebus patitur detrimenti: ut si carius debeat emere triticum, si agrum colere nequeat, &c. Quæritur an iis de causis liceat aliquid ultra sortem exigere. Sit

CONCLUSIO. Licet mutuanti aliquid ultra sortem exigere, tum propter damnum emergens, tum propter lucrum cessans, modo serventur aliquæ conditiones.

Prob. 1. pars: I. quia non teneor damnum pati, ut alteri benefaciam: atqui paterer damnum ex beneficio alteri collato, si jacturæ, quam propter mutuum feci, compensationem exigere non possem; ergo.

II. Si quis exigat a mutuatario impensas in transmittendo ad eum mutuo factas, non peccat, quia hoc unum agit, ut indemnem se præstet; ergo a pari in proposito.

Prob. 2. pars: I. quia ut aliquid titulo lucri cessantis recipere liceat, satis est, ut pecunia negotiationi, aut alii lucro certo, vel probabili destinata, & per hoc fructifera pluris valeat, quam ipsa eadem secundum se præcise spectata: atqui pecunia sic destinata pluris valet. Valet enim præter se ipsam id, quod valet spes lucri probabilis: atqui spes lucri probabilis per se pretio æstimabilis est, cum constet spem probabilem capturæ piscium justo pretio vendi posse, ut non semel diximus; ergo.

II. Licet ex communi sententia aliquid ultra sortem recipere propter damnum emergens: atqui lucrum cessans est damnum aliquod emergens, quia non solus ille damnum patitur, qui perdit aureos centum, quos habet de facto, sed & is etiam, qui ab eorum, quos habiturus erat, consecutione impeditur, quique sicut jus suum, & spem alii vendere poterat, sic & ei vendere potest, cui mutuum donat; ergo.

Prob. 3. pars enumeratione conditionum, quæ a sanioribus Theologis exigi solent, ut juste exigatur aliquid supra sortem in casibus propositis.

Prima conditio est, ut lucrum cesset, aut damnum emergat ex mutuo vere, non fictitie, vel ex culpa mutuantis: porro non censetur lucrum cessare ratione mutui, nisi eum mutuans dat pecuniam vere, & certo negotiationi destinatam. Unde si mutuans apud se pecunias otiosas habeat, aut si amicus ipsi mutuum offerat, non censetur ei lucrum cessasse ob mutuum; quia etiam post mutuum idem potest percipere lucrum, quod antea. Idem dicendum, si mutuans alea perdat: tunc enim, si quid damni patitur, illud non mutuo, sed insaniæ ejus agendi rationi tribuendum est.

Secunda conditio est, ut lucrum sit certo, aut verisimiliter, & quidem justo titulo percipiendum, si facta non fuisset mutuatio. Hinc I. qui per mutuum impeditur a consecutione lucri injusti, non ideo potest aliquid supra sortem recipere. II. qui pecuniam suam experiendi gratia commissurus erat commercio alicui plane dubio, nihil etiam supra sortem exigere posset, lucrum enim mere possibile non censetur cessare, sed requiritur probabilis ejus futuritio, quia possibilium ratio non habetur.

Tertia est, ut mutuator non exigat integrum, quod sperat lucrum, sed quanti spes æstimatur. Ratio est: I. quia *id quod est in spe, non æquipollet ei, quod est in re*. II. quia minus æstimatur lucrum periculo, & expensis subjectum, quam si ab iis immune fuerit.

An vero deducenda sit æstimatio laboris in tali lucro comparando, controvertitur. Negant multi, & nos, cum ipsis; alioqui cum labor lucro acquirendo plerumque æquivaleat, ut cernere est in agricolis, & mercatoribus, vix unquam aliquid supra sortem ratione lucri cessantis posset accipi. Si tamen labore ad aliud converso mutuans lucrum futuro lucro par reportet, nihil est, quod exigat: si mediam solum partem, debet hanc deducere.

Quarta est, ut mutuans moneat mutuatarium de lucro cessante: quia forte nollet mutuatarius cum hoc onere mutuari, sed meliorem alibi fortunam quæreret. Unde si mutuator compensationem lucri cessantis in pactum non deduxerit, mutuatarius ad eam non tenetur. Non enim tenebitur ea contractu mutui, cum vi mutui ad solam sortis restitutionem teneatur

teneatur: non etiam ratione injustæ damnificationis, quia supponitur non fuisse causa damni per culpabilem restituendi moram: nec demum ratione rei acceptæ, quia mutuum reddendo penitus se liberat.

Quinta est, ut compensatio lucri cessantis non exigatur eo ipso tempore, quo datur mutuum, neque ex mutuatis pecuniis extrahatur: si quis enim mutuo det centum nummos, & statim pro lucro cessaturo retrahat decem, jam reipsa non mutuat centum, sed nonaginta; adeoque injuste tantum exigit, ac si reipsa centum mutuo dedisset. Existimant tamen aliqui eum nihil acturum mali, qui ab initio acciperet aliquid a mutuatario in alio genere, quam in quo mutuum dedisset, adeo ut si mutuet centum aureos, possit ab initio recipere triticum valens decem pro compensatione lucri cessantis, modo tamen nihil inde mutuatarius subeat incommodi, quia alias bis idem solveret.

Sexta est, ut mercator malit negotiari; si enim mallet mutuare, mutuum daret spe lucri, contra illud, *Mutuum date, nihil inde sperantes*.

Quæres I. an si mercator ultro subtrahat negotiationi pecuniam suam, ut eam det mutuo, possit aliquid supra sortem accipere. R. negat. Ratio est, quia hæc pecunia, utpote quæ negotiationi destinata non sit, non pluris valet, quam per se æstimetur: porro plus accipere, quam per se valeat pecunia, usurarium est; secus si pecunia negotiationi vere destinata esset: tunc enim esset semen lucri distincti ab eo, quod ex mutuo præcise nascitur.

Sed quid si mercator intra se dicat: Vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent? R. mercatorem hunc in eo etiam casu nihil posse supra sortem recipere. Ratio est, quia reipsa tali homini lucrum non cessat, cum, ut supponimus, reipsa nolit negotiari. Nec refert, quod vellet negotiari, quia primario intendit mutuum dare, si possit, non vero negotiari, nisi in hypothesi, quod nemo occurrat, qui pecuniam ejus mutuo accipere velit; quod non facit, ut ei reipsa lucrum cesset.

Hinc sequitur mutuantibus serio esse inculcandum, ut mutuent animo charitatis, non ut lucrum majus, aut certius referant; alias convincuntur auctarium quærere non tam ratione lucri cessantis, quam ratione mutui: tale vero motivum efficit, ut saltem mentaliter usurarii sint.

Quæres II. an si mutuatarius auctarium promiserit pro damno probabiliter emersuro, quod tamen de facto non evenerit, teneatur auctarium illud solvere. R. negat. Quia mutuans auctarium exigere non potest nisi ad suam indemnitatem: porro cum damnum de facto non contingit, nulla opus est indemnitate. Aliud est, si mutuatarius pacisci velit cum mutuante de certa pecuniæ summa, vi cujus quasi redimere velit periculum probabile, non autem eventum expectare. Tunc enim mutuans, etsi nullum postea damnum ferat, poterit tamen auctarium exigere ratione periculi, cui fuit subjectus, quod quidem periculum pretio est æstimabile. Et vero legitimi sunt contractus, in quibus contrahentes commodo, & damno se exponunt: atqui mutuans, de quo hic major est difficultas, ut commodo, sic & damno se exponit; ut enim lucrari, sic & perdere potest; quia si multum damni patiatur, nihil ultra pactam pecuniam exigere poterit; ergo. Tunc autem pacta pecunia minor esse debet, quia damnum probabile non tanti est, quanti reale.

Duo hic supersunt expendenda: I. an donatio sufficiens sit titulus ad accipiendum supra sortem. II. an mutuans possit non computare in sortem fructus rei sibi in pignus datæ.

Ad 1. ubique constat, licitum esse mutuanti id accipere, quod sibi gratis, & liberaliter a mutuatario donatur: tum quia lex mutui legi gratitudinis contraria non est; tum quia mutuans pejoris non est conditionis, quia mutuum dedit, quam si non dedisset, imo melioris, cum beneficium gratificatione dignum sit. Tota igitur quæstionis hujus difficultas in eo est, ut dignoscatur, an mutuatarii donatio gratuita sit, & omni carens vitio: quod examen, etsi Confessarii prudentiæ committi solet, a nobis quoque faciendum est.

Et quidem: I. in hac, sicut & alia qualibet donatione attendendum est ad circumstantias, puta ad quantitatem rei datæ, ad conditionem dantis, si sit amicus, dives, talia largiri solitus iis saltem, qui de ipso bene merentur.

II. Præsumi non debet donatio mere gratuita, si mutuans eam a se intendi signo quopiam insinuaverit; item si mutuatarius mutuum petat, ut inopiæ suæ medeatur; ac demum si munus ante sortis solutionem offeratur, quia præsumendum est illud dari, ut terminus solutionis prorogetur. Ceterum si quædam sint utrinque signa, quæ dubiam faciant donationis libertatem, iis adhærendum est, quæ aliis vere fortiora sunt, quia ex Jure *præsumtio præsumtione recunditur*.

III. Abesse debet scandalum: si enim hæc conditio etiam sola desit, peccabitur, non quidem contra justitiam, sed contra charitatem, aliasve virtutes.

Quæres, an usuraria sit intentio illius, qui lucrum sperat ex mutuatarii liberalitate.

R. I. usuram esse, si quis vi mutui aliquid supra sortem exigat etiam solo titulo gratitudinis: I. quia damnata est ab Innocentio XI. propositio hæc (n. 42.): *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tanquam ex justitia debitum*. II. quia quod ex gratitudine datur, spontanee prorsus, & liberaliter rependi debet: quod autem exigitur, eo ipso coacte datur: datur enim vi pacti, quod de se necessitatem inducit. III. quia alias insignes usurarii ea subtilitate se purgarent: quid enim eorum interest, an auctarium recipiant quasi ex justitia, aut alio titulo debitum, modo ipsum vere recipiant?

R. II. si mutuans speret tantummodo lucrum, ut ex gratitudine dandum, & plenam relinquat mutuatario libertatem, eum non ideo censeri debere usurarium. Non enim est usura id sperare, quod non est usura accipere: atqui ex dictis usura non est, si quis

quid accipiat sibi gratuito donatum. Porro mutuans judicatur ex sola gratitudine sperare auctarium, cum ita affectus est, ut nollet retinere quidquid sibi a mutuatario non libenter donaretur.

Jam de fructibus pignoris: porro nomine pignoris gallice, *gage*, intelligitur res mobilis tradita creditori in assecurationem debiti; si enim res sit immobilis, dicitur gallice, *engagement*. Si ergo Petrus a Titio receperit equum, vel domum in assecurationem summæ, quam eidem Titio dedit mutuam, quæritur, an fructus e domus locatione, aut equi conductione prodeuntes possint a mutuante sine usura percipi, donec mutuatarius solvat. Hujusmodi contractus alio nomine vocatur Antichresis, id est, usus contrarius, quia creditor loco pecuniæ suæ rebus alienis fruitur.

R. Contractum hunc esse prorsus usurarium. Nam contractus, in quo vi mutui aliquid accipitur supra sortem, usurarius est: atqui talis est contractus Antichresis; in eo enim accipiuntur reditus, qui vere alieni sunt, cum res qualibet domino suo fructificet; ergo ut contractus ille ab usura immunis reddatur, fructus percepti in sortis diminutionem computari debent, deductis tamen expensis tam necessariis, quam utilibus in rei conservatione, & cultura a mutuante factis.

Porro deduci in sortem debent: I. fructus percepti a mutuante, etiamsi a mutuatario percepti non fuissent. II. ii etiam, qui propter latam mutuantis culpam percepti non fuerunt, ut si ea ejus negligentia vitis remanserit inculta.

Excipiuntur a regula communi: I. Feudum in pignus domino directo datum: quia ea Juris dispositione ea est feudi natura, ut si domino in pignus detur, possit is ejus fructus interim percipere, modo feudatarius eo tempore liber sit a servitio præstando; modo etiam fructus non sint debito servitio longe majores, quia gravis excessus retineri non posset (*Cap.* 1. *De feudis*). II. Fundus, qui loco dotis in pignus datur, ex cap. 16. *De usuris*, quia fructus ejus tenent locum dotis, & necessarii sunt ad sustinenda matrimonii onera. Quod si gener onera matrimonii non sustineat, tenebitur fructus pignoris dotalis in sortem dotis computare.

## ARTICULUS QUARTUS.

*De pactis, quæ mutuo addita Usuram parere possunt.*

NOtand. I. Generale est S. Thomæ principium, toties usuram committi, quoties pro mutuo ea pacto tacito, vel expresso, ac proinde ut stricte debitum accipitur quodcumque munus, vel imponitur onus pretio æstimabile, quia illud omne pro pecunia habetur, cujus pretium pecunia potest mensurari.

Not. II. tria præsertim esse pacta, quæ mutuo adjungi solent, & ut onera mutuatario imponi. Primum est amicitiæ, vel injuriæ condonandæ. Secundum est remutuandi. Tertium est pœnæ conventionalis.

Amicitiam in pactum deduci posse pro mutuo nemo ambigit, utpote quæ ex iis non sit bonis, quæ pecunia æstimantur. Idem est de iis amicitiæ, urbanitatisque signis, quæ absque mutuatarii molestia, & incommodo exhiberi possunt. Tota igitur difficultas est de tribus aliis pactis, & ante omnia quidem de pacto condonationis; cujus occasione et generalia, quæ variis difficultatibus occurrere possint, stabiliantur principia.

Dico I. Quidquid alias ex justitia debitum erat, potest a mutuante ex pacto exigi ratione mutui.

Prob. id, quod tunc a mutuante exigitur, non est lucrum indebitum, sed propriæ vexationis redemtio, quæ jam debita erat. Quapropter si mutuans solum exigat, ut mutuatarius privatam vindictam non exerceat, vel ut ab iniqua exactione cesset, vel ut debita sibi summa refundatur, non est quod usuræ labem vereatur.

Dico II. Probabilius est mutuantem stipulari posse, ut mutuatarius vel alteri, vel ipsi mutuanti reddat ea, quæ iis solum debita sunt ex charitate, religione, aut alia simili virtute distincta a justitia, v. g. ut mutuatarius faciat aliquam eleemosynam, ad quam ex voto tenetur; ut si dives sit, pauperi graviter egenti succurrat, quod ex charitate debebat; ut si Medicus sit, mutuanti ægro stipendium datoro ferat opem, quam is ab alio habere non potest.

Prob. I. quia obligatio civilis, quæ obligationi alterius virtutis superadditur, non potest haberi ut onus verum, & pretio æstimabile; quia non tam cedit in utilitatem mutuantis, quam ipsius mutuatarii, quem obligat, ut officio suo non desit. II. quia fatentur omnes mutuantem a mutuatario exigere posse, ut desistat ab injuria, quam mutuanti, vel alteri inferre nitebatur: sed quando petit, ut adimpleat ea, ad quæ jam tenetur ex charitate, vel voto, &c. exigit tantum, ut desistat ab injuria, quam Deo, vel ejus charitati inferret, ea non implendo; ergo.

Quod si quis a Medico alias non obligato exigeret, ut mederetur etiam accepto stipendio; ab Advocato, ut defenderet, usuram committeret.

Dico III. Qui exigit, ut mutuatarius condonet reparationem injuriæ, ad quam mutuans, vel alius jam a Judice condemnatus est, vel condemnati debet, quamque mutuatarius nec ea justitia, nec ex charitate remittere tenetur, usuram committit.

Prob. 1. pars: quia hoc nihil est aliud, quam debitum pecuniarium, & quidem legitimum extinguere velle vi mutui, quod est velle pecuniam supra sortem ea mutuo.

Prob. 2. pars: quia impedire ne quis reparationem, ad quam jus legitimum habet, juridice obtineat, est eidem imponere onus pretio æstimabile, seu efficere, ut juri suo renuntiet, quod usurarium est. Si quis tamen vi mutui intendat alterius amicitiam, ut ex ea perveniat ad injuriæ condonationem, non peccat; quia si tunc remittatur injuria, non ex pacto, sed libere, & libenter condonabitur. Ut solvantur aliæ difficultates,

Quæres I. an immunis sit ab usura, qui mutuum dando exigit, ut mutuatarius ipse remutuet, quoties mutuans indiguerit, vel ut justo pretio emat apud mutuantem, in molendino ejus molat, domum ejus locet, &c.

R.

R. negat. quia obligatio remutoandi est pretio æstimabilis: unde qui acciperet pretium pro obligatione mutuum dandi, quoties id alius exigeret, non committeret injustitiam; ergo talem obligationem ex mutuo exigere ut debitam, est lucrum ex mutuo reportare. Idem dicendum de obligatione molendi apud aliom, aot emendæ apud eum mereis, quia licet non sit gravamen ratione pretii, quod justum esse supponitur, est tamen gravamen ratione libertatis, quæ etiam pretio æstimabilis est.

Dices I. Ex supra concessis potest mutuans exigere a mutuatario id, quod iste debebat ex charitate, vel religione; ergo com mutuatarius ex gratitudine remutuare teneatur, poterit mutuans remutuationem hanc exigere.

R. neg. conseq. Disparitas est, quod obligatio pacti supra obligationem gravem ex charitate, aut alia simili virture graviter urgente, pro nihilo reputetur in materia mutui, magisque vergat in commodum mutuatarii, qui sic a peccato contra charitatem, aut religionem abstinere compellitur: at vero obligatio supra debitom puræ gratitudinis addita, magni momenti esse censetor; quia gratitudo leviter obligat, viaque sub veniali, & aliunde ei innumeris modis satisfieri potest: secus de pacto, quod stricte, & in certo quodam genere arctat, ut satis patet.

Dices II. Ubi est usura, ibi est injustitia; ubi autem est injustitia, ibi est restituendi obligatio: atqui in prædicto casu nulla est obligatio restituendi; quid enim ei restitues, cui non nisi justo pretio vendidisti?

R. restituendam esse dupliciter: I. relaxando obligationem injuste impositam. II. aliquam dando ex viri prudentis arbitrio compensationem pro tempore, quo mutoans alium injuste ligatum tenuit; atque etiam refundendo quidquid is hac de causa damni passus esset.

Sed quid si Titio mutuam pecuniam postulanti dixero: Dabo quod vis, modo hic, & nunc mutues mihi vinom, quo indigeo? R. cum Sylvio hinc non subesse usuram, quia ab eo, qui a me officium amicitiæ postulat, possum vicissim idem officiom petere; eumque si id præstare nolit, ut ingratum repellere. Id tamen usurarium, aut saltem injustum foret, si Titius vinum, quod mutuum peto, non posset mihi præbere sine majori suo incommodo, secus si utriusque par sit incommodum, quia tunc plena erit æqualitas.

Quæres II. an mutoans paeisci possit, ut mutoatarius præfiao tempore sua culpa non restituens, aliquid ultra sortem solvat in pœnam, etiam secluso lucro cessante, aut damno emergente: (Quæ pœna dicitur *conventionalis*, quia ex consensu contrahentium constituitur: unde differt a pœna tum *judiciali*, quæ a Judice contra mutuatarium decernitur, nisi tempore constituto satisfaciat; tum *legali*, quæ lege, vel statuto imposita est, qualis ea est, quæ tutori imponitur, ut solvat quinque pro centom, si pecunias pupilli sua negligentia steriles, & otiosas relinquat.)

R. pœnam conventionalem absque usura mutuo apponi posse, si adsint necessariæ conditiones.

Prob. quia pœna hæc apponitur ex contrahentium consensu, & ob finem legitimum, nempe ut contractuum firmitati consulator, & puniatur negligentia, vel iniquitas mutuatarii, qui mutuum invito benefactore suo retinet: atqui in iis omnibus nihil est iniqui; ergo.

Pœnam vero, quæ sic imposita fuerit, ante sententiam Judicis solvere tenebitur in conscientia is, qui fuerit culpabiliter in mora: quia justa conventio jure naturali independenter a sententia Judicis obligat, licet pœnæ judiciales punitivæ, & involuntariæ Judicis sententiam prærequirant.

Dixi, *si adsint conditiones requisitæ*, eæ vero sunt: I. ut recta sit mutuantis intentio: ita ut sincere intendat rem mutuatam condicto sibi tempore restitui, non vero ut magis cupiat mutuatarium esse in mora, ut auctarium solvere cogatur; nec stipuletur de pœna pro tempore, quo prævidet mutuatarium solvendo imparem fore; nec tempus illud de industria breve præfigat, ut mutuatarius solvere non possit.

II. ut pœnæ solutio non exigatur integra, si pars sortis reddita jam fuerit; quia æquum non est, ut pro toto puniatur, qui non nisi in parte deliquit.

III. ut pœna non exigatur nisi propter moram culpabilem; quia iniqua esset conventio, sicut & lex, quæ pœnam etiam innocentibus decerneret.

IV. ut mora sit utcunque notabilis, & habita rei qualitate reputari non possit quasi nulla. Hinc mora diei unius, imo, & hebdomadæ, non sufficit communiter loquendo, nisi inde damnum emergat mutuanti, aut eidem lucrum cesset.

V. ut pœna non sit nimia, qualis esset si sors dupliciter assignaretur in pœnam, aut si conventum esset, ut mutuans suum faceret pignus acceptum.

VI. ut absit scandalum.

Ergo, inquies, licitum erit in contractu mutui pactum *legis commissoriæ*, per quod pignus a mutuante retinetur in pœnam moræ mutuatarii.

R. pactum hoc saltem ob usuræ præsumtionem prohibitum esse cap. 7. *De pignoribus*. Et vero cum pignus regulariter superet debitum, in cujus securitatem datur, non posset a mutuante retineri, saltem absque eo quod pœna eum inter, & mutuatarium conventa, immoderata esset, quod pugnat contra quintam conditionem, quam omnes necessariam esse agnoscunt ad hoc, ut pœna conventionalis legitima sit. Quod si pignus non excedat notabiliter debitum & ita censeri possit esse pœna moderata, neque mens creditoris sit, quod alter pœnam incurrat, nisi sua culpa non solverit ad præfixum diem, pactum erit validum. Monet tamen Pontas (v. *usure cas.* 34.) pleraque Galliarum, Parlamenta has conventionales pœnas non approbare, ut quæ via alio fine, quam usuræ palliandæ apponi consueverint.

(✠) Fructus autem dati pignoris in assecurationem sortis mutuantis non sunt, sed mutuatarii, penes quem pignoris dominium manet. Ita communiter Theologi post S. Thomam, qui 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 6. hæc docet: *Si quis pro pecunia sibi mutuata obliget*

*rem aliquam, cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit: alioquin si usum illius rei quasi gratis sibi superaddi velit, idem est, ac si pecuniam acciperet pro mutuo, quod est usurarium; nisi forte esset talis res, cujus usus sine pretio solet concedi inter amicos; sicut patet de libro accommodato.* (✠)

Quæres, an ob legum dispositionem creditor, qui nullum reipsa ex dilata solutione damnum sustinet, possit usuras percipere.

R. cum Sambovio creditorem posse *interesse* sibi a Judice assignatum percipere, etiamsi nihil passus sit damni, modo tamen debitor sit in mora culpabili: Ratio est: I. quia pœna supponit quidem culpam, sed adversus eam absque alio ullo titulo decerni potest. II. quia, ut statim dixi, potest mutuans pacisci de pœna pro mora mutuatarii, secluso alio quocunque lucri cessantis, aut damni emergentis titulo. III. quia leges, quæ debitorem morosum ad usuras condemnant, non innituntur præsumtioni damni creditoris, quæ sæpius falsa esset; sed existimatione, quod debitor culpabiliter morosus mulctari mereatur, quod semper verum est. Hic tamen valde cavendum, ne mutuans usurariam intentionem gerat, ut ii gerunt, qui mutuo dantes peroptant, ut mutuatarius præfixo tempore mutuum reddere nequeat, ac proinde ut ab eo usuras obtineant.

## ARTICULUS QUINTUS.

### *De iis, qui ratione lucri usurarii ad restituendum tenentur.*

QUæstio esse potest: I. de usurario reali. II. de usurario mentali. III. de eo, qui ex contractu, quem usurarium nesciebat, percepit auctarium, quod hic, & nunc alio titulo legitimo percepturus fuisset. IV. de tutore, qui pupilli pecuniam ad usuram dedit. V. de hæredibus usurarii. VI. demum de iis, qui usuræ cooperati sunt: sit

CONCLUSIO I. Usurarius realis tenetur restituere. Ita passim habetur toto titulo *De usuris*.

Prob. quia usurarius alienum habet domino rationabiliter invito: atqui id ad inducendam restitutionis obligationem sufficit. II. quia mutuatarius vel non intendit quidpiam juris in usurarium transferre; vel si id intendat, nihil operatur ob resistentiam juris, & nullitatem contractus.

Hinc colliges: I. quod si res data usurario apud eundem crescat, valor ille pertineat ad mutuatarium: quamvis si decrescat, aut pereat, pereat ipsi usurario, utpote qui malæ fidei possessor sit. II. creditorem, quem usurarius pro summa pecuniæ remittit ad mutuatarium, non posse hanc ab isto exigere; quia cum usurarius ad eam nullum jus habeat, nec ullum creditori suo tradere potest.

CONCLUSIO II. Usurarius mentalis, seu, ut hic intelligimus, qui sine ullo pacto, etiam implicito aliquid supra sortem recipit, tenetur ad restituendum.

Prob. tum ex cap. 10. *De usuris*; tum quia usurarius etiam mentalis injusta via recipit id, quod per usuram recipit; ergo tam usurarius est, quam qui recipit ex pacto, adeoque sicut & ille restituere tenetur.

Quæres quid facto opus sit: I. si mutuatarius sponte aliquid, & ex liberalitata offerat, quod mutuans animo usurario recipiat. II. si mutuatarius aliquid animo usurario, nempe ut solutionem debiti tradat, & id mutuans sibi ex mera liberalitare tradi putet.

R. in primo casu mutuans tenetur ad restituendum ratione conscientiæ erroneæ, nisi eam prudenter deponat comperta rei veritate: sicut qui pallium rapit, quod alienum putat, cum tamen sit suum, tenetur illud restituere, donec sibi constiterit illud suum esse. In secundo casu mutuans comperta rei veritate, rem & extantes rei fructus mutuatario reddere debet: quia talis donatio nulla est, & ne quidem dominium transiens confert. Quod si mutuans rationabiliter dubitet, quo animo mutuatarius rem aliquam sibi donet, an gratis, an ut lucrum ex mutuo, restituere tenetur; etiamsi alter in rei veritate, sed non comperta, gratis donaverit. Ratio est, quia qui dubitat, num res sit aliena, non potest possessionem inchoare; quia exponit se periculo alienum invadendi. (*Sup. p. 518. col. 2.*)

CONCLUSIO III. Qui bona fide contractum usurarium fecit, alium etiam magis lucrativum facturus si prioris injustitiam cognovisset, tenetur ad restitutionem auctarii percepti.

Prob. I. quia qui bona etiam fide contractum usurarium fecit, auctarii dominium acquirere non potuit. Non enim potuit vel ratione contractus, utpote invalidi; vel ratione bonæ fidei; quia bonæ fidei possessor ad restituendum tenetur; ut alibi diximus; ergo.

Prob. II. Si quis ob bonam fidem auctarium in casu prædicto retinere posset, qui bona fide emit infra justum pretium, vel supra justum vendidit, posset etiam cognita veritate excessum retinere, dicendo se alium contractum cum eodem, vel cum alio facturum fuisse, si illius, quem actu fecit, injustitiam cognovisset: atqui falsum consequens ex omnium sententia.

Prob. III. quia contrahens iste, etsi habitualem habeat animum modo alio contrahendi, si iste justus non sit, reipsa tamen non habet actualem animum alio modo contrahendi; nec ipse, vel ille quicum contrahit, alium de facto consensum actualem habet: atqui tamen contractus ab actuali, non autem ab habituali tantum intentione pendet; ergo.

Si tamen contractus, quem facis, non sit necessario usurarius, sed sub aliquo respectu justus, immunis eris ab usura, si *virtualiter*, & *implicite* justum aliquem titulum intendas, volendo v. g. eo contrahere modo, quo viri pii, & artis periti contrahunt; aut non aliud reportare lucrum, quam quod mercatores juste reportant: at hic cave non esse confundenda hæc duo. *Volo sic contrahere*; &, *Voluissem sic contrahere, si cogitassem*: quanquam enim prius sufficere potest, non tamen posterius.

CON-

CONCLUSIO IV. Tutores reſtituere debent id, quod ex pupillorum denariis uſuratie comparaverunt.

Prob. quia ex dictis uſura per ſe mala eſt, & illicita; urgo non magis in pupillorum, quam iu aliorum gratiam exercert poteſt, præſastim in hoc Regno, in quo divinæ legi accedit Principis auctoritas. Sic generaliter Henricus III. in Comitiis Bleſenſibus: *Défendons à toutes perſonnes de quelque qualitè & condition qu' elles ſoient d' exercer uſure.* Bouchel in Bibliotheca ſua ſic habet: *Cette prohibiton d' uſure portée pur la loi de France eſt genèrale, & ne reçoit limitation pou la ſuveur des pupilles, ou autres perſonnes.* Refart etiam auctor Collationum Diœceſis Lucionenſis (*Tom. 2. Collat. 35. q. 3.*), deciſionem a celebribus octo Pariſienſis Curiæ Advocatis emiſſam, quæ ſic habet: „ *Le Parlement de Puris n' autoriſe point les preſts qui ſe font par les tuteurs des deniers de leurs pupilles u intereſt... d' autant que la muxime du Parlement eſt, que la ſtipulation d' intereſt, eſt uſuraire, lorſque c' eſt un pur preſt: & cela n' eſt permis que quand il y a alienation du ſort principal par un contrat de conſtitution, ou contrat equipollent.* Et ioſra: *Si le tuteur ruportoit des preuve, comme il n' u pu trouver u colloquer les deniers du pupille, il pourroit en connoiſſance de cauſe eſtre deschargè des intèreſts.*

Quæres, cujos damno reſtitutio hæc fieri debeat, an tutoris, an pupilli. R. Si res uſuraria eatet in ſpecie apud pupillum, tenetur eam mutuatario reſtituere: at ſempar recurſum habet in tutorem, ac proinde quomodocumque ſe res habeat, totum, quod hic eſſe poteſt, damuum in tutorem cadit. Si tamen tutor pecunias pupilli ſui bona fide mutuo dediſſet, v. g. ſecundum Provineiæ conſuetudinem, cui neminem repugnare audiiſſet, non teoeretur ad reſtituendas uſuras, quas eadem bona fide io pupilli commodum convertiſſet, etiamſi poſtea moneretur contractum hunc uſurarium eſſe, pront docet Habert; ſed non video, cur pupillus ipſe, ſi hinc ditior factus eſſet, a reſtituendo liberaretor.

CONCLUSIO V. Hæres uſurarii reſtitoere tenetur.

Prob. quia hæres repræſentat perſonam defuncti.

Quæres, an hæredes uſurarii, vel cujuslibet alterius debitoris teneantur reſtituere in ſolidum.

Ut ſolvatur hæc quæſtio, revocandum eſt in mentem, debita, quibus teneri quis potuit mortis ſuæ temporu, alia eſſe *ex contractu*, aut *quaſi contractu*; ulia *ex delicto*, *aut quaſi delicto* (*Sup. p. 526. col. 2.*, ut uſuras, & ſurta: quæ autem ſuot ea contractu, vel hypothecaria eſſe, vel mere perſonalia. His præmiſſis, quæ alibi expoſuimus, ſit

CONCLUSIO VI. Hæredes tenentur in ſolidum ad reſtitutionem debitorum, quæ ex contractu proveniunt, ſi ſint hypothecaria: non tenentor vero niſi pro parte, ſi ſint perſonalia. Unde in hoc eaſu, ſi Petrus aureos mille moriendo debebat, & ea quatuor filiis ejus tres ſint qui nolint, vel non poſſint ſolvere, ſufficit, ut quartus partem ſuam ſolvat, ſecundum menſuram hæreditatis, quæ ad eum pervenit, non vero tenetur in aliorum defectum ſolvere.

Prob. Debita hypothecaria debitis mere perſonalibus ut in foro exteriori, ſic & in foro conſcientiæ præſerri debent: atqui non præferrentur, ſi debita perſonalia deberent in ſolidum ſolvi ab hæredibus; ergo. Major patet tum ea diſpoſitione Legum, quibus obediendum eſt, tum quia alioqui ſi non prorſus, at præcipua ſui parte inutiles forent hypothecæ, quandoquidem nullom præferentiæ jus tribuerent in foro conſcientiæ, quo præſertim homines dirigi debeot. Minor non minus conſtat. Ideo enim præferuntur debita hypothecaria perſonalibus, quia hypotheca, utpotu quæ non dividatur, & tota ſit in qualibet boni parte, dat creditori facultatem jus ſuum totum inſequendi, ubicumque poteſt: atqui pariter creditor perſonalis jus ſuum totum in quamlibet boni partem exerceret, ſi hæredes in ſolidum reſtituere deberent; tunc enim ceteris deficientibus, ab uno ſolo exigere poſſet id omne, quod ſibi debitum eſt; ergo.

Obj. I. Debitor fato functus perſonalem debita ſua ſolvendi obligationem contraxerat: atqui obligatio perſonalis ad omnia bona extenditur; ergo omnia defuncti bona, etiam cum ad hæredes tranſierunt, creditori obligata manent: unda & ö in ſolidum ſolvere tenentur.

R. diſt. min. obligatio perſooalis ad omnia bona extenditur, & iis diviſis ſimul dividitur, C. & totu in unoquoque manet, ita ut unus pro aliis ſolvere teneatur, N. Itaque tota obligatio in hæredum totalitate reperitur, ſed diviſim; quia diviſa defuncti perſona in hæredes, diviſa quoque proportionaliter tranſire debet obligatio, quæ realis non eſt, ſed perſonalis.

Inſt. Ergo creditor poſt debitoris mortem pejoris eſt conditionis, quam ante.

R. neg. antec. imo creditoris jus augetur, quia tranſit in omnia ſingulorum hæredum bona, ea etiam, quæ alionde habuerunt: unde etiam in conſcientia ultra vires hæreditatis reſtituere tenentur, niſi inventarium conſecerint.

Obj. II. Hæreditas ad hæredes non pertioet niſi poſt ſolutionem debitorum; ergo antequam quatuor hæredes quidquam hæreditatis capere poſſint, debitum totum expungere teneotur.

R. hinc ſequi nullum in particulari hæredem jus habere ad portionem ſubſtantiæ, quæ ipſum contingit, niſi partem debiti ei, quam percepit, hæreditatis parti adæquatam ſolverit; ſed nihil inde contra nos.

CONCLUSIO VII. Com debita ex delicto prodeunt, ut uſuræ, hæredes ad eorum ſolutionem in ſolidum non tenentur, niſi vel delicto cooperati ſint, vel a parte læſa facta ſit contra defunctum litis conteſtatio ante mortem ejus.

Prob. I. ut hæredes hominis uſurarii in ſolidum teneantur ad reſtitutionem, oportet, ut creditor, qui damnum paſſus eſt, expreſſam, vel tacitam habeat hypothecam in bona illius: atqui creditor uſurarii nec expreſſam, nec tacitam habet hypothecam in bona illius. Non *expreſſam*; hæc enim non niſi expreſſo contrahentium conſenſu comparatur; non *tacitam*; ea enim non niſi legis beneficio conceditur, atqui nulla eſt lex, nullum Regis edictum, quo qui ab uſurario mutuum recepere, hanc in ejuſdem uſurarii bona hy-

pothecam

pothecam acquirant; ergo.

Prob. II. quia opinio opposita, quam olim post Glossam secuti sunt Canonistæ, nullo satis firmo Juris Canonici textu nititur; nam caput 9. *De usuris*, nullam obligationem solidariam indicat.

Duo hic addenda: I. Si consuetudine alicubi receptum esset, prout in Normannia receptum esse dicunt, ut creditor usurarii hypothecam haberet in ejus bona, tunc hæredes in solidum restituere tenerentur. II. hæredem, aut legatarium, &c., ad quem res ipsa per usuram parta devenisset, teneri ad eam restituendam seu mutuatario, qui dederat, seu, quod in tota hac materia locum habet, ejusdem hæredi, seu in utriusque defectum pauperibus, aut Ecclesiæ.

CONCLUSIO VIII. Qui cooperantur ad usuras, ad restituendum tenentur, sicut & ii, qui furto cooperantur. De hoc conveniunt omnes; sed dubium est, quis proxime satis, & efficaciter cooperetur. Qua de re

Dico I. Domini temporales, Judices, Advocati, qui causa sunt, ut vel solvantur usuræ, vel solutæ non restituantur, peccant contra justitiam, & tenentur in solidum restituere: quod extendi solet ad eos etiam, qui cum possint, usurarios suis e locis non eliminant. Ratio eadem est, quæ superioris casus. Damnari tamen non potest Princeps, qui ob gravem Reipublicæ necessitatem usuras tolerat: at seclusa ea necessitatè excommunicatur ipso facto, Clement. unic. *De usur.*

Dico II. Notarii etiam eidem obnoxii sunt restitutioni, si instrumenta conficiant, vi quorum solvendæ sint usuræ: item ministri principales usurariorum, ut proxenetæ, factores, correspondentes. De Notariis hæc expresse sanxit Ludovicus XII. *Defendons à tous Notaires de recevoir aucun contrat usuraire, sur peine d'estre privés de leur Etat, & d'amende arbitraire.* De proxenetis, & mediatoribus eodem, imo acriori modo loquuntur Comitia Blesis habita. Proxenetæ vero ii sunt, qui quærunt eos, qui pecunia indigent, adducuntque ad usurarios, & eorum partes agunt: si enim mutuatarii partes agant, ei beneficium potius, quam injuriam præstant, nec causa sunt, cur mutuum gratis non detur. Famulos etiam, qui ad usurarum solutionem compellunt, ad restituendum teneri credimus, quia ad actionem injustam proxime concurrunt.

Qui non nisi remote concurrunt, quales sunt ii, qui recipiunt pignora, eaque custodiunt, qui pecuniam numerant, & omnia in rationum librum referunt, plerisque Theologis a restituendo immunes videntur; quia nimis remote cooperantur, vixque aliud faciunt, quam manus suas denigrare.

Porro restitutio iis facienda est, qui usuras solverunt inviti: secus, ajunt plures, si de iis sermo sit, qui lucri majoris avidi sine necessitate pecuniam sub usura receperunt; ii enim pecunia, quam sponte obtulerunt, privari merentur, sicut simoniaci. Quia tamen non est privatorum inducere pœnas, & res domino etiam injusto clamat; nec arguere ausim, qui mutuatario restitueret, nec secluso locorum usu exigere, ut alii restituat.

## ARTICULUS SEXTUS.

*De pœnis Usurariorum, &c.*

USurarii alii *publici* sunt, seu *notorii*; alii *occulti*. Publici tales sunt vel *notorietate juris*, vel *notorietate facti*, de quibus supra.

Publici usurarii sunt: I. infames, ac proinde irregulares, & inhabiles ad officia, & Beneficia. (*Can.* a. III. q. 7.) II. *Nullus* publicos usurarios *ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem.* Cap. 2. *De usuris* in 6. III. *Testamenta manifestorum usurariorum* sine satisfactione, vel cautione *facta, non valent, sed sunt irrita ipso jure.* Ibid. IV. Sanxit Concilium Lateranense III. ut *nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in peccato suo decesserint, accipiant sepulturam.* Cap. 3. *De Usur.*

Circa hunc Canonem duo notanda: I. non excluduntur usurarii ab Officio divino, quia ea toto excommunicati non sunt jure communi, licet particularibus locorum statutis sæpe excommunicentur, ut indicat hæc formula: *Pro excommunicatis denuntiamus fortiarios, publicos usurarios, &c.*

II. quia non omnis notorietas facti sufficit in Gallia, Parochi, cum de neganda usurariis, aliisque peccatoribus publicis nondum juridice condemnatis sepultura agitur, ad Episcopum recurrere debent. Nam male agit, Juxta Pontas, (V. Sepulture. *cas.* 1.) Parochus qui hominem in ebrietate notoria, & habituali blasphemia mortuum, inconsulto Episcopo christiana privat sepultura, quam & et solemnites dare debet, si Episcopi responsa recipere nequeat: cujus rationem hanc affert, quod ad negandam alicui sepulturam, præcedere debeat in Galliis Ecclesiastici Judicis sententia.

Ceterum hanc in conscientiæ foro erga usurarios agendi rationem servare debet Confessarius: I. publicam *pro modo culpæ* publico peccatori *pœnitentiam injungere debet* (*Trid. Sess.* 24. *c.* 8.), ut scandalum reparetur. II. usurariis impendi non debet absolutionis beneficium, antequam publica eorum appareat emendatio per condignam satisfactionem. III. cautionem dare debent de satisfaciendo: quod si non possint, satis est, ut jurent se non posse, & se omni ope facturos, ut restituant. IV. ait S. Thomas, (*Opusc.* 70. c. 16.) *Usurarii* etiam occulti *sic compellendi sunt ad restitutionem, ut beneficium absolutionis eis denegetur, nisi restitutionem faciant plenam, quantum potuerint, aut dilationem petierint ab his, quibus restituere tenentur*, si actu restituendo impares sint. Et hæc severitas tunc præsertim adhibenda est, cum in præcedenti Confessione moniti promissam restitutionem executioni non mandaverunt.

Quæres, an peccet qui mutuum accipit sub usuris.

R. cum S. Thoma, hic q. 78. a. 4. *quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris: licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum,*

*quod*

*quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius: sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones manifestare bona, quæ habet; ( quæ latrones peccant diripiendo ) ad hoc quod non occidatur.*

Hinc I. colligunt Theologi unanimiter licitum esse ei, qui pecunia indigat, hanc ab eo postulare, qui ad usuram dare *paratus est*: quia nampe licet ab alio patere id, quod licita præstara potest, quamvis ex malitia sua non sit licita præstiturus, modo tamen adsit justa peccatum ajus non impediendi causa, qualis hic intervenit, cum mutuatarius non tenaatur sub gravi suo damno malitiam mutuantis impedire.

Colligunt II. bene multi, peccare mutuatarium etiam in extrema necessitata positum, qui alium inducit ad sibi sub usuris mutuandum, dicendo absolute: *Da mihi mutuum, & tot solvam pro usuris*. Tum quia qui sic petit, alium inducit ad malum, quod sina pacato fieri non potest; tum quia absoluta patere non licet id, quod ab alio absoluta fieri non potest.

Hinc liquat, quod aliud sit aecipere mutuum sub usuris, aliud petare sub usuris. In primo casu mutuatarius significat dumtaxat animum patiendi, ex hypothesi quod alter a prava dispositiona non racedat: in sacundo directe ad malum inducit, quod non licat. Quod si mutuatarii propositio hæc, aut alia æquivalens foret: Da mutuum saltem sub usuris, si, ut dabes, gratis dare nolis, docat Sylvius eam a peccato liberam fore.

Colligunt III. eum atiam mortalitar peccare, qui sine necessitata mutuum petit ab eo, quem scit non daturum asse nisi sub usuris: quia tanetur unusquisqua lege charitatis spirituale proximi damnum avertere, saltam cum id sine suo incommodo potest.

Quæres quænam hic necessitas a peccato excusat. R. mutuum sub usura non posse recipi sine peccato, nisi ob urgentem, aut notabilem necessitatam ( *Collat. And. t. 2. p.* 338. ); id est in iis solum casibus, in quibus homo notabiliter damnificaratur, vel notabilem penuriam pateratur, si non acciperet ad usuram. Unde *mercatoras* mutuum sub usura accipientas, *ut honorabilius vivant, & majores mercationes faciant*, & alii ejusdem, aut similis prope generis, non sunt in ea positi necessitate, *quæ sufficiat ad excusandum prædictum* usuræ *peccatum*, ut docet Sanctus Thomas Opusc. 67. *De emt., & vendit.*. Quapropter hæc usurariu mutui exigentia non solum continat aliquam salutis proximi nostri neglegentiam, sad & verius judicatur esse peccatum mortale, quia mortalitar contra charitatem peccat, qui mortala proximi peccatum non impedit, cum illud absque notabili incommodo impedire potest.

# APPENDIX

## De Montibus Pietatis.

Montes pietatis sunt notabilis cumulus pecuniæ, alteriusve rei mutuabilis, ut farinæ, &c. collectus, ut indigentium necessitati per mutuum subveniatur, ne opprimantur usuris.

Ea porro, quæ horumce Montium ministri mutuo dant, sub certis dantur conditionibus: I. non debent dari nisi pauperibus. II. non nisi ad certum tempus, v. g. ad annum. III. debet iisdem ministris dari pignus, vendandum si sors præfixo tempora non restituatur, ita ut residuum pretii mutuatariis reddatur, distracto capitalis valore. IV. siva vendatur pignus, siva reddatur capitale, tribuendum est Montium ministris aliquid supra sortem, tum pro eorum sustentatione, domus reparationa, &c. tum pro solutione censuum, sicubi iis Montas gravantur. Ob hanc ultimam conditionam disputari solet, an Montea pietatis ab usura immunes sint; aliæ enim conditiones nihil habent, quod in maximum pauperum juvamen non cedat. Sit

CONCLUSIO. Montes piatatis sub assignatis conditionibus facti, liciti sunt.

Prob. I. quia approbati sunt tum a Concilio Lataranensi, ubi prohibetur sub pœna axcommunicationis, ne quis contra disputare ausit, tum a Concilio Trid. quod Sess. 22. de reformat. c. 8. Montas pietatis recensat intar *pia loca*, quæ ab Episcopo visitari debent.

Prob. II. ab intrinseco. Idao tantum culpari possant Montes pietatis, quia in iis aliquid supra sortem racipitur: atqui non ideo culpari possunt. Ad id enim satis est, ut legitima suppatat ratio aliquid supra sortem recipiandi; atqui res ita se habet. Certa enim debet assignari mercas Montium ministris, cum ea marcede digni sint: tum quia pecunias sarvant, omnique cura sempar pararas habere satagunt, quæ cura, utpota mutuum antecedans, pretio æstimabilis est: tum quia non sine magno laboie pignora custodiunt, axcutiunt, & alia ajusdem generis multa in gratiam mutuatariorum præstant: atqui iis assignari nequit merces condigna, nisi aliquid supra sortam racipiant, aut aliquid pereat Montibus, quibus id periret, quod in stipendium ministris daretur; argo.

Confirm. Si amicus unius diai intervallo hinc distans mutuum a me petat, quod ad eum mittere cogar per hominem conductum, dubio procul & sortem, & hominis a me missi impensas exigere possum; ergo a pari Montium custodes pro impensis, quas necessario faciunt, aliquid ultra sortam exigera possunt.

Tempus ast, ut loquamur de aliis contractibus, qui ad mutuum magis accedunt, & sæpe ad usuram, quales sunt contractus societatis, cambii, & census.

CAPUT

## CAPUT QUARTUM.

### *De Contractu Societatis*,

Contractus societatis definitur duorum, vel plurium conventio contribuendi ad commune lucrum, & damnum, secundum proportionem rerum contributarum.

Dicitur I. *conventio*, honesta nempe, & quæ si facta non esset, non posset qui alium pecunia, aut industria adjuvit, in lucri, vel damni partem venire, sed ad summum stipendium labori suo debitum petere; & tunc esset contractus locationis, vel conductionis, non societatis.

Dicitur II. *contribuendi ad commune lucrum*; ut I. si alius pecuniam, animalia, naves conferat, alius industriam, & laborem, II. si ambo partim pecuniam conferant, partim industriam.

Dicitur III. *secundum proportionem &c.* quia finita societate, qui in eam æqualiter contulerunt, æqualiter dividere debent; qui inæqualiter, nonnisi inæqualem in lucro partem prætendere possunt: & idem est de damno, quod vel æqualiter, vel proportionaliter est dividendum.

Sed quæritur I. an si finita societate nullum sit lucrum, tantumque restet pecunia ab uno sociorum collata, ea dividi debeat ipsum inter, & alium, qui operas pecuniæ æquivalentes contulit.

R. negat. I. quia tantum perdit qui negotiationi vulgo proficuæ subjecit pecuniam suam, eamque sterilem recipit, quam qui nihil ex industria sua percepit emolumenti. II. quia qui pecuniam confert in societatem, majori semper obnoxius est periculo, quam qui solam confert industriam: prior enim duplici semper subjacet periculo, amittendi nempe pecuniam, & lucrum: posterior vero non nisi lucri amittendi periculo obnoxius est. III. quia, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. qu. 78. art. 2. ad 5. *qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniæ suæ in illum, sed remanet ejus, ita quod periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur.* Ergo si pecunia pereat, perire illi debet, qui pecuniam contulit; & si superfit, eidem reddenda est, ut qui sentit onus, sentiat & commodum. Sicubi tamen vigeret consuetudo, aut inter partes convenisset, ut capitale una cum lucro, vel sine lucro dividetetur inter socios, iis etiam in divisione comprehensis, qui solam operam contulissent, illa divisio fortis licita esset. Atque hoc sæpissime usu venit in societate de animalibus inita, qua finita, dividuntur plerumque animalia, quæ societatis capitale constituebant.

Quæritur II. quis solvere debeat impensas, quæ pro bono societatis fiunt ab eo, qui operas ponit?

R. eas solvi debere ab omnibus sociis, nisi aliter constitutum sit, vel privata sociorum conventione, vel loci consuetudine: unde impensæ itinerum, solutionis vectigalium, morbi, expoliationis a furibus, in quorum manus inciderit, qui societatis causa peregrinabatur, & alia id genus damna, quæ quis proxime ob datam rebus societatis operam passus est, ab omnibus fieri debent; atque sumtus illi prius deducendi sunt, quam lucri rationes computentur: lucrum enim non æstimatur, nisi deducto ære alieno.

At socii non tenentur de damnis, quorum societas nonnisi causa remota est, aut quæ, qui operas ponit, sua solum culpa passus est. Hinc si socius iter conficit, & interim res ejus domesticæ dilabantur, aut propter ejus absentiam, *eum hæredem quis instituere desiisset, aut legatum prætermisisset, aut patrimonium suum negligentius administrasset* (*L. 60. ff. pro socio*), damnum illud solus pati debet, *quia id non in societatem, quamvis ejus occasione impensum est*. Ceterum ex alibi dictis patet eum, qui societatis negotia curat, teneri de culpa lata & levi, non de levissima.

Quæritur III. an licitus sit societatis contractus, in quo exigitur pignus pro securitate capitalis, si forte alterius culpa pereat. R. affirm. Ratio est, quia qui pecuniam suam in societatem tradit, hanc ea conditione tradere potest, ut alter socius ex ea non negotietur nisi tali loco, tali tempore, & talibus circumstantiis, adeo ut si hæc ab altero non serventur, pecunia ei pereat; ergo pro pecuniæ hujus securitate pignus accipere potest, illudque servare, si pecunia perierit ex culpa socii alterius.

Hactenes dicta Theologis omnibus probantur, sed duo sunt contractus, de quibus serio disputant: alter spectat societatem, quæ fit in educandis animalium, ut ovium, & vaccarum, gregibus: alter spectat societatem, cui annectitur assecuratio pro capitali, & venditio lucri incerti pro certo, de quibus seorsim est dicendum. A posteriori initium disputationis ducemus.

## ARTICULUS PRIMUS,

### *De tribus Contractibus*.

Tres contractus sic fiunt. Petrus init contractum societatis cum Paulo negotiatore, apud quem aureos centum deponit, ut uno industriam, altero pecuniam conferente, uterque lucretur. Petrus sperat se ex hoc contractu circiter triginta aureos esse lucraturum supra capitale, sed veritus ne capitale suum pereat, init cum eodem Paulo contractum alium assecurationis, eique ut suam sibi pecuniam assecuret, aureos decem promittit. Rursumque existimans melius sibi fore, si lucrum habeat certum cum Paulo tertium contractum init, eique lucrum majus, quod speras, & quod incertum est, vendit pro decem, v. g. aut duodecim aureis sibi donandis, sive negotiatio bene, aut male succedat; & sic salvo, & extra periculum constituto capitali propter triplicem hunc contractum, *societatis* nempe, *assecurationis* pecuniæ, & *venditionis* lucri majoris incerti pro lucro certo minore, contingit, ut Petrus certo recipiat decem

decem, aut duodecim supra sortem. Quæritur, an is contractuum circulus ab omni usuræ vitio immunis sit, sive fiat semel, vel successive inter eos, qui societatem inierunt, sive fiat cum aliis personis extra societatem constitutis. Sit.

CONCLUSIO I. Tres contractus inter socios facti simul, aut successive, prorsus sunt illiciti.

Prob. I. ex Bulla *Detestabilis*, quam ann. 1586. emisit Sixtus V. ubi sic: „ Damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, & conventiones, & pactiones post hæc ineundos, aut ineundas, per quos, seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum a socio recipiente restituatur, sive ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur: statuimusque ejusmodi contractus, conventiones, & pactiones usurarios, & illicitos post hæc censeri debere; atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci, & concordare.

His conformiter propositio hæc: *Si contractui societatis adjungatur contractus assecurationis capitalis, ac venditionis lucri incerti pro certo, virtute trium horum contractuum licitum est exigere lucrum certum, cum assecuratione capitalis*, damnata est anno 1644. a Facultate Parisiensi, ut *falsa, scandalosa, inducens ad usuras committendas, variasque aperiens artes eas palliandi, justitiam, & charitatem violandi, &c.*

(✠) Benedictus XIV. in suo Opere *de Synodo Diœcesan.* lib. 7. cap. 50., aperte declarat contractum trinum a Sixto V. tanquam usurarium fuisse damnatum. Expositis enim num. 2. exortis inter Dominicum Sotum, & Martinum Navarrum hac de re controversiis: *Causa*, inquit, *delata est ad Sixtum V. Pontificem Maximum, qui diligenter quæstione discussa, duplicis securitatis pactionem societati adjectam, usurariam pronuntiavit, eamque deinceps fieri prohibuit sua Constitutione 68., quæ incipit*: Detestabilis (✠)

Reponunt adversarii: I. tres contractus non reprobari per Sixtinam ut jure naturali illicitos, cum Pontifex solum dicat eos *posthac in futurum censeri debere illicitos*. II. Addunt eam solum a Sixto V. prohibitam fuisse societatis speciem, in qua periculum summæ capitalis, & lucri in alium socium rejicitur vi solius contractus sociatatis, non autem vi duorum, qui ei superadderentur contractuum, assecurationis nempe, & venditionis fructuum; prout testatur Comitolus Lib. 3. q. 12. Casuista non laxus.

Refellitur prima responsio. Contractus enim, de cujus justitia, vel injustitia a Navarro interrogatus fuerat Romanus Pontifex, reprobatur; quia per eum *irrepit versute, & callide humani generis hostis ...... ut incautos homines .... in usurarum voraginem ,...: fade immergat*. Addit Sixtus, *se nuper cum magno dolore* audivisse *hoc malum in quasdam Provincias irrepsisse contra æquitatem, & societatis justitiam*. Quæro, an ii sint caracteres contractus in se liciti, & justitiæ legibus consentanei?

Refellitur secunda responsio. Damnat enim Sixtina *contractus omnes, per quos cavebitur personis pecunias societatis nomine tradentibus, ut etiamsi fortuito casu .... amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit*: prout Navarrum inter, & Soto controvertebatur; atqui hanc Navarri cum Soto controversiam, de qua tantum consultus fuerat Pontifex, ne quidem attigisset, nedum diremisset, si non loqueretur de assecuratione sortis, prout fit in tribus contractibus; ergo.

Quod refert Comitolus, dixisse Toletum, eos solum a Sixto prohibitos fuisse contractus, qui ante prohibitionem justi non erant, nihil facit contra nos, qui contendimus tres contractus in se malos esse, & semper fuisse; licet post Sixti definitionem magis adhuc *in futurum* illiciti censeri debeant.

(✠) Subjungit Sanctissimus Pontifex loco mox citato num. 5. „ quod cum tempore Clementis VIII. compilandus esset liber septimus Decretalium, fuit dubitatum, an illi inserenda foret prædicta Sixtina Constitutio, atque in Congregatione habita die 12. Novembris 1593. deliberatum, non esse inserendam, eo quod nihil novi in ea decernatur, sed contractus reprobetur *in se FŒNERATITIUS*, jam a jure communi proscriptus, sicuti colligitur ex Actis Congregationum ea super re habitarum, quæ asservantur in Archivio Arcis Sancti Angeli. „ (✠)

Adde quod ex dicendis evidens futurum sit, capitale non nisi vi ipsius societatis assecurari in tribus contractibus, si proprie loqui velis: cum reipsa qui pecunias suas in prædictam societatem confert, nihil pro hac assecuratione rependat assecuranti, nisi lucrum, quod forte non erit: unde facile contingit, ut qui assecurat, perdat simul & industriam suam, & capitale, quod assecurat, & hujus assecurationis pretium, quod nullum erit, si nullum sit lucrum.

Prob. II. Ibi est usura, ubi aliquid ultra sortem accipitur vi mutui: atqui in *triplici*, seu, ut alii dicunt, in *trino contractu*, aliquid supra sortem accipitur, ut patet, nec accipitur nisi vi mutui. Ad id enim sufficit, ut ex tribus contractibus simul unitis verum exurgat mutuum: atqui res ita se habet. Ibi enim est mutuum, ubi verum rei dominium in alium socium transfertur: atqui vi trium contractuum dominium rei in alium socium transfertur. In eum enim transfertur dominium rei, cui res perit, quique non magis a libera ejus dispositione potest impediri, quam quilibet alius mutuatarius: atqui per triplicem contractum fit, ut res alteri socio pereat, & ut is non magis, quam quilibet alius mutuatarius, a libera ejus dispositione impediri possit, quia quocumque tandem modo de ea disponat, nihil ad alium spectat, cui satis esse debet, si capitale suum, & aliquid ultra, prout conventum est, recipiat, ut statim dicemus in responsione ad secundam objectionem.

Prob.

Prob. III. Ea contractuum conjunctio illegitima est, quæ societatem destruit, aut non efficit nisi societatem leoninam: atqui talis est trium contractuum conjunctio. Ad essentiam enim societatis requiritur essentialiter damni, lucrique communio, & æqualitas; atqui communio hæc plane tollitur per novam trium contractuum subtilitatem. Qui enim tradit mille sub spe lucrandi 150., & ex isto lucro cedit centum, tum pro assecuratione capitalis, tum pro venditione lucri incerti, quid aliud facit, nisi quod per circulos, & ambages tradit mille, ut quidquid contingat, recipiat mille, & quinquaginta? Hoc autem non est tradere mille in societatem, sed in mutuum cum auctario restituendum.

Prob. IV. ideo potius licitum est lucrari ex societate, quam ex mutuo, quia mutuans nec industriam ullam negotiationi mutuatarii impendit, nec ullum rei mutuo datæ periculum subit: atqui idem contingit positis tribus contractibus; ergo ex iis, (sive desinant in mutuum, sive non) non magis, quam ex mutuo ullum potest lucrum percipi; videtur enim plena & adæquata esse paritas. Datur pecunia in tribus contractibus, datur & in mutuo; ex parte eam dantis nullus est labor, nulla opera in mutuo; idem est in tribus contractibus: assecuratur sors in mutuo a mutuatario, assecuratur & in istis a recipiente.

At datur, inquies, in tribus contractibus, ut ex ea fiat negotiatio. Sed contra: ad negotiationem non sufficiunt verba hæc, *Negotiari volo*; sed requiritur realitas, & sinceritas: an vero is sincere negotiari vult, qui seu bene, seu male succedat negotiatio, vult lucrum percipere?

Obj. I. Non reprobantur tres contractus, nisi quia supponuntur degenerare in mutuum usurarium: atqui falsum est, quod degenerent.... In mutuo enim periculum rei pertinet ex natura rei ad mutuatarium: atqui periculum in tribus contractibus non pertinet ad alterum socium ex natura rei. Assecuratio enim capitalis, quam præstat tibi, non acquiritur a te, nisi vi pecuniæ, de qua cum eo pacisceris, ut rem tuam assecuret tibi; ergo.

R. I. tres contractus adhuc injustos fore, etiamsi in mutuum non degenerarent, ut docet ultima nostra probatio.

R. II. ad 1. neg. min. ad 2. dist. periculum non pertinet ad alterum socium ex natura rei, id est vi contractus societatis, C. vi contractus assecurationis simul, & venditionis fructuum, qui superadduntur, N. Quod autem ex utroque resultet mutuum implicitum, patet ex dictis, & ex modo dicendis patebit.

Ad 3. dist. assecuratio, quam alter socius præstat, comparatur per pecuniam, quam alter reipsa non solvit, sed ad summum solvere fingit, C. per pecuniam, quam alter de facto solvit, N. Si enim in negotiatione exposueris libellas mille, quas tibi ut alter assecuret, polliceris libellas quadraginta; ita ut pro ducentis incerti lucri libris, quas speras, non nisi centum certi lucri percepturus sis, palam est te mutuo dare mille libellas, ut, quidquid tandem eveniat, percipias sexaginta: quas ergo dare videris libellas quadraginta, reipsa non tradis, quia statim restituuntur tibi, cum & de capitali tuo, & certa supra sortem summa percipienda paciscaris.

Hinc vere dici posset, in triplici contractu totum periculum in alium socium refundi ex natura contractus, prout est talis, & sic ex natura rei: unde ulterius sequitur contractum hunc esse usurarium. Si enim Petrus diceret rotunde Joanni: Do tibi libellas mille hac duplici conditione: I. ut si pereant etiam fortuito, tibi pereant. II. ut post annum reddas mihi mille & quinquaginta, vera esset usura, ut fatentur omnes, secluso, ut supponimus, titulo lucri cessantis: atqui idem dicitur in tribus contractibus, hoc uno discrimine, quod in primo casu dicatur nitide & formaliter, in secundo vero casu per circuitus, & ambages.

Obj. II. De essentia mutui est translatio dominii a mutuante in mutuatarium: sed pecunia socio uni per alterum assecurata non transit in dominium assecurantis. Si enim in ejus dominium transiret, utique quia ipsi periret, eamque, quidquid eveniat, restituere teneretur: atqui hæc ratio nulla est. Quandoquidem res perit cuilibet assecuranti, tametsi quilibet assecurans rei dominus non sit; unde universaliter verum non est illud: *Res domino suo perit*; cum depositum sæpe pereat depositario, qui tamen ejusdem dominus non est.

R. I. Sive triplex contractus desinat in mutuum, sive non, non major est titulus lucrandi ex societate sic inita, quam ex mutuo; quia ex S. Thoma, ut socius sit lucri particeps, requiritur, ut tale habeat dominium, vi cujus ipsa rei periculum subeat; quod non contingit in triplici contractu. (*q.* 78. *ar.* 1. *ad* 5.)

R. II. ad 1. neg. min. ad 2. nego maj. Non dico pecuniam transire in dominium alterius socii præcise quia ipsi perit; sed quia reipsa ei ut domino perit: perit autem ei ut domino, quia non nisi per injustitiam a libero ejus usu impediri potest; porro non nisi injuste a libero rei usu impediri potest, quia jam nihil alterius socii interest, quos in usus hæc impendatur pecunia, modo & sortem, & supra sortem aliquid recipiat. Male igitur exigitur a socio, ut pecuniam hanc in tali negotiatione insumat; quia cum mercator ille non teneatur rem illam individualiter restituere, sed valorem ejus, non potest impediri, quominus ea pro nutu utatur, nisi forte, cum esset solvendo impar, interdiceretur ei, certo commercii genere admodum periculoso, quod & in alio quovis mutuo fieri posset, absque eo quod hæc mutuantis lex probaret eum vel rei mutuo datæ dominum manere, vel aliquid supra sortem posse stipulari. Longe aliter se res habent in vectoribus, qui v. g. vinum assecurant; ipsi enim tenentur rem eamdem in individuo restituere, negotiator vero solum in specie: ipsi re illa uti non possunt, nisi salva ejus substantia, nec proinde ad placitum; secus mercator ille.

At, inquies, homo ille non vult pecuniam suam

mutuo dare: Dist. non vult verbo tenus, & in speciem, C. reipsa, N. Vult enim mutuo dare, qui vult lucrum referre, non vi præcise societatis, & negotiationis: atqui sic se habet homo ille; alioqui sublata, vel non succedente negotiatione, nihil exigere deberet.

Obj. III. Tam contractus assecurationis contractui societatis addi potest, quam deposito, locato, &c. atqui his sæpe adjicitur; ergo.

R. neg. maj. assecuratio enim est quidem præter, sed non contra natura depositi, quæ in eo sita est, ut res alicujus alteri custodienda committatur, quod optime subsistit, etiamsi res illa assecuretur: at vero assecuratio prout fit in tribus contractibus, ipsam evertit societatis naturam, quæ æquam lucri, damnique communionem importat, & subsistere nequit, si rei in societatem adductæ dominium in alium transferatur, ut in triplici contractu transferri probavimus.

Obj. IV. Tres contractus juste fieri possunt cum diversis personis, modo servetur æqualitas; ergo & juste cum eadem persona fieri possunt, modo eadem servetur æqualitas: justitia enim in hac æqualitate consistit, non in habitudine ad personas.

R. neg. conseq. Ratio disparitatis multiplex est, eaque evidens. Nam I. societas requirit quidem lucri, & damni communionem, sed inter socios: an enim desinet societas mea cum Titio, si pater meus ut mihi animos addat, capitale meum assecurare velit. II. assecuratio per alium facta societati plane extrinseca est, nec de ea queri potest vel socius meus, quem hæc assecuratio nullatenus respicit; vel ille, qui rem meam assecurat, cum ei plane indifferens sit, an res, quam assecurat sit in societate posita, vel non, modo ea non plus in societate periclitetur, quam extra, aut si periclitetur magis, majus etiam pro assecuratione pretium impendam. III. vi trium contractuum societas in mutuum degenerat, quatenus socius sine injustitia a libera rei dispositione impediri non potest: atqui si capitale meum per tertium assecuretur, jam hæc mutui ratio non subsistit, quia socius non plus circa rem meam libertatis habet, quam si hæc assecurata non fuisset; ergo.

CONCLUSIO II. Licitus est contractus societatis cum assecuratione capitalis, si lucrum non vendatur; vel cum venditione lucri, si non assecuretur capitale.

Prob. I. Ille contractus jure saltem naturali licitus est (cum enim ob usuræ periculum jure positivo reprobari posse non diffitemur), qui nihil eorum habet vitiorum, quæ in tribus contractibus redarguuntur: atqui *duplex contractus*, quem mox descripsi, nihil eorum habet vitiorum, quæ in tribus contractibus redarguuntur. Hoc enim in iis præcipue redarguitur, quod degenerent in mutuum: atqui duplex contractus in mutuum non vertitur. Ibi enim ne mutui quidem umbra esse potest, ubi socius alter pecuniæ in societatem adductæ dominus non efficitur: atqui socius pecuniam assecurans, ejus dominus non efficitur: cum vere teneatur hanc impendere in negotiationem, de qua inter ambos conventum est, ut nempe, qui pecuniam dedit, ex ea recipiat fructus, si qui proveniant; ergo.

Quod si lucrum vendatur, multo minus alter pecuniæ dominus erit, cum si pereat, ei sit periturn, qui eam in societatem contulit; ergo.

Prob. II. Ideo contractus, de quo agitur licitus non esset, quia is, cui res sua assecuraretur nullum subiret periculum: atqui falsum consequens. Ut enim æquale sit utrimque periculum, satis est: I. ut summa, quam unus tradit ad obtinendam rei suæ assecurationem, plane æquivaleat periculo, quod alter subit. II. ut summa hæc vere solvatur assecuranti, non ficte, prout in triplici contractu fieri diximus: atqui ita res est: I. enim, ut supponimus, qui rem suam sibi assecurari curat, justum pro hac assecuratione pretium solvie. II. pretium illud non ficte, sed vere solvitur, etiamsi nihil ex societate percipiatur lucri, adeoque eo sensu perditur. III. si nullum ex societate percipiatur lucrum, unusquisque sociorum suam damni hujus partem sentit. Porro nihil horum in tribus contractibus reperitur; ergo.

Obj. I. Concilium Burdigalense an. 1583. ab Apostolica Sede in omnibus approbatum, & Conventus Melodunensis an. 1578. Sic loquuntur: *In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur custodienda, sive ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus, qui dederit, nisi accipientis, & custodientis dolo, aut magna negligentia damnum accidisse contigerit. Non fiat pactio, ut sors semper sit salva, etiam ex primis fœtibus.* Addunt eadem Concilia, quod *si animalia dentur æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit*; ergo contractui societatis ne addi quidem potest contractus solus de assecuratione sortis.

R. I. ex allatis textibus ad summum sequi, contractum duplicem positivo jure reprobari, ut qui periculo non careat, & palliandis usuris inservire possit.

R. II. dist. antec. non debet fieri pactio, ut sors salva sit gratis, & vi societatis solius, C. non debet fieri pactio, etiamsi justum pro assecuratione pretium solvatur, subdist. non debet, id est, qui pecuniam in societatem confert, exigere non potest, ut alter socius suum sibi capitale assecuret, etiam pro certa mercede, si ejus periculum in se sumere nolit, quia circa hoc omnino liber esse debet, C. non debet, etiamsi socius alter sponte assecurare velit, aut ad id etiam socium alterum invitet. N. Hanc enim assecurationem si sponte fiat, & legitimo pretio, nihil per se habere mali, probant ea, quæ statim adduximus argumenta.

Obj. II. Assecuratio capitalis societatem evertit funditus. Præcipua enim societatis conditio est ex S. Thoma, ut pecunia collata subjaceat periculo conferentis, vel saltem alterius socii periculo non subsit: atqui res ita non erit, si socius alter sortem assecuret; ergo.

R. ad 1. dist. ant. assecuratio capitalis vi ipsius societatis facta, societatem evertit, C. assecuratio legitime facta, prout eam explicuimus, & supponimus,

mus, N. Hæc enim assecuratio a socio facta non magis societati nocet, quam si fieret a tertio; hæc autem ex dictis non nocet societati.

(✠) Animadvertendum est hanc Auctoris sententiam in praxi periculi plenam esse, præsertim si hæc sortis assecuratio non sit de hoc, vel illo periculo extrinsecus adveniente, ut de periculo itinerum, navigationis &c. Revera pretium pro assecuratione ab hoc, vel illo extrinsecus occurrente periculo usus platearum jam introduait, nullibi tamen taxatum fuit pretium a capitalista socio sortem assecuranti solvendum. Hinc in Concilio Mediolanensi primo sub S. Carolo Borromeo tit. *de usuris prohibetur, ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes, nec ultra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam conferatur, neque fiat pactio, ut sors salva sit, fructus vero communiter dividatur*. (✠)

## ARTICULUS SECUNDUS.

### *De Societate animalium.*

CONtractus societatis animalium, qui gallice dicitur *Redbestir*, id est reditio bestiæ; vel *Chatel*, seu *Capitale*, quia animalia in hoc contractu locum teneot fundi, seu capitalis, definiri potest. *Conventio duorum, vel plurium, quorum alii certum quemdam animalium numerum in societatem conferunt; alii vero hæc animalia servant & pascunt, at ex fructibus lucrum percipiant.* Qui dat animalia, ut oves, vaccas, &c. apud nos dicitur *le bailleur*; qui eadem custodienda, & pascenda recipit, dicitur *le preneur*.

Quæres I. an ille contractus licitus sit,

R. affirmat. quia tam licet animalia in societatem committere villico, quam pecuniam mercatori.

Ad id autem tres requiruntur conditiones. Prima est, ut si animalia sine *accipientis* dolo, vel culpa pereunt, non ipsi pereant, sed *tradenti*. Ratio est, quia res unaquæque domino suo perit: atqui tradens remanet dominus, nec alio quam dominii hujus titulo lucri particeps esse potest; ergo. Et certe, sublata communione in damno, nulla esse potest communio, seu societas in lucro.

Secunda conditio est, ut accipiens, villicus v. g. animalia pascat, & accuratam lucri totius rationem reddat; hoc enim solo accuratæ custodiæ titulo suam sibi in lucro partem vindicare potest.

Tertia conditio est, ut in proventuum, seu lucri divisione servetur æqualitas, ita ut *tradens* commensuratam capitali suo, seu bestiis; *accipiens* vero adæquatam labori, & industriæ partem recipiat.

Ex hisce principiis aliquot solvam conscientiæ casus in hac materia proponi solitos, ut aliorum, qui hic proponi non possunt, haberi solutio facilius possit.

I. Titius dat Petro oves ducentas, & vaccas viginti post factam earum æstimationem, iis conditionibus: I. ut singulis mensibus certa lactis, casei, aut lanæ quantitas a Petro reddatur. II. ut exacto contractus tempore, vel pretium, quo animalia hæc æstimata fuerunt, reddatur a Petro, vel alia ejusdem valoris animalia. III. ut interim a Petro pascantur, custodiantur, &c. Valetne is contractus?

R. Negat. quia nulla est hic societas, cum Petrus totum subeat rei sibi datæ periculum, utpote qui eam secundum factam illius æstimationem reddere teneatur; ergo Titius nullam in lucro partem prætendere potest. Et certe talis contractus vel est mutuum, vel venditio: si mutuum, usura est manifesta ex eo lucrum percipere; si venditio, quam æstimatione fieri dicunt Leges, venditor nihil ultra æstimationem percipere debet.

II. Sed quid, si Petrus assecuret quidem capitale Titio, sed vicissim Titius majorem lucri futuri partem concedat Petro, ut eum ab hujosce assecurationis pretio indemnem faciat?

R. hoc nihil esse aliud, quam tres contractus. Nam I. Petrus subit periculum gregis pro parte lucri, quam forte non percipiet, quia forte nullum erit lucrum. II. Petrus de hoc grege pro nutu disponere potest, absque eo quod legitime conqueri possit Titius, cui satis est si tempore præfixo, & sortem, & lucrum ultra sortem recipiat. Porro tres hosce contractus plane iniquos esse patet ex dictis. Aliud esset juxta nos, si Titius certum, & reale pretium pro assecuratione Petro consentienti solveret; tunc enim si quid esset lucri, partem ejus exigere posset, si nihil, nihil exigeret.

III. Lucius vaccas 40. Paulo dedit ad sex annos, sub his conditionibus: I. ut Paulus eas pascere, ac servare teneatur, & tres, aut quatuor frumenti modios Lucio singulis annis retribuere debeat. II. ut Paulus unoquoque anno duodecimam capitalis partem acquirat. III. ut exacto sex annorum circulo, Lucium inter & Paulum ex æquo dividantur capitale, & fructus, *le fonds, & le croit*. Peccatne hic contractus?

R, in hoc contractu, qui alicubi vocatur *Gazaille*, nihil esse mali, modo: I. id, quod perit, & needum acquisitum est ab *accipiente*, pereat danti, seu *socio*. II. modo etiam id, quod Paulus recipit singulis annis, aut in fine contractus recipiet, sit industriæ ejus commensuratum, &c. Ratio est, quia in tali contractu, qui præter societatem continet & venditionem, plena est æqualitas.

Ceterum hi societatis contractus multiplici modo iniri possunt. Fieri enim potest, ut *accipiens* mediam capitalis partem solvat, sive ea novis fœtibus, sive ea pecunia sua, & tunc dicitur *Chetel affranchi*, vel ut hæc non solvat, tuncque dicitur *Chetel non affranchi*. In secundo casu *dans* totum capitale recipit, nisi casu fortuito perierit; in primo, & capitale, utpote quod commune factum sit, & lucrum ex æquo dividuntur.

Quæres, an villico dicenti oves fortuito casu periisse, habenda sit fides; an vero in conscientia cogi possit ad earum solutionem, si probare non possit eas sine culpa sua periisse.

Respondet Coquille eximius Consuetudinis Nivernensis Interpres, his verbis: *Pour ce que le preneur, par exprès est chargé de la garde du bestial, je crois*

qu'

*qu'en cas de perte ou de mort, il est tenu de prouver qu'il n'y a rien de sa faute.* Idem tenet Mauduit in consuet. Bituric. *Qui enim excipit, probare debet id, quod excipitur.* L. 2. ff. *De probat.*

---

## CAPUT QUINTUM.

### *De Cambio.*

CAmbium, quod generatim idem est, ac permutatio unius cum alio, quodcunque illud sit, strictius hic sumitur pro permutatione pecuniæ cum pecunia: qui recipit pecuniam, dicitur *campsarius*; qui dat, dicitur *campsor*, *collybista*, *bancarius*, *nummularius*.

Cambium definitur *Contractus, quo pecunia pro pecunia commutatur cum lucro campsoris.* Differt a venditione, in qua pecunia commutatur cum merce; a deposito, in quo eadem numero res reddi debet; a mutuo, quod ex lucri intentione fieri nequit, cum e contra campsor possit lucrum intendere, de quo statim.

Cambium dividitur in fictum, & reale. *Fictum*, quod & *siccum* appellatur, illud est, quo pecunia non permutatur reipsa, sed permutari fingitur; ut cum datur pecunia recipienda non eo loco, quo fingitur, sed eo loco, quo datur, quamvis alio tempore. *Reale* est illud, quod non fingitur, sed vere fit, & triplex est: *Manuale*, seu minutum, quo præsens pecunia de manu ad manum pro alia diversæ speciei mutatur, ut aurea pro argentea, gallica pro hispanica. *Locale*, seu cambium per literas, quod est permutatio pecuniæ præsentis cum distanti; ut si hic des pecuniam campsori, ut eam per literas cambii amico tuo Romæ restituendam curet. *Temporale*, quo hodie v. g. datur pecunia, puta centum nummi, ut post tres, aut quatuor menses reddatur eadem pecunia cum duobus nummis supra centum: atque illud est celebre cambium, quod alii Lugdunense vocant, quasi Lugduni in usu positum, alii Nannerense, & Francofurtanse, eadem de causa. Quæritur, an varia hæc Cambia licita sint. Sit

CONCLUSIO I. Cambium per se licitum est, servatis servandis.

Prob. quia cambium & Reipublicæ utile est, & nihil habet mali: I. quidem Reipublicæ utile est, imo & necessarium, cum cambii ope multorum damna & incommoda vitentur: multi enim indigent pecunia minuta: multi pecuniis, quæ in aliis, quo peregrinaturi sunt, Regnis currunt: multi suas sine magno latronum metu deportare non possunt; his vero incommodis per cambium subvenitur. II. Cambium nihil habet mali. Si quid enim in eo redargui posset, hoc utique, quod vi cambii aliquid supra summam a campsore datam recipiatur: atqui hoc culpari non potest; quia justo fit titulo, impensarum scilicet, sine quibus non potest campsor omnis generis monetas colligere, ut satisfaciat cuilibet indigenti, correspondentes habere, ministros, domum, aliaque id genus huic commercio necessaria conducere; ergo.

Obj. I. Non plus valent centum nummi in auro, quam in argento; ergo qui pro eorum commutatione aliquid recipit, non servat æqualitatem.

R. dist. ant. non plus valent ratione sui, & simpliciter, C. ratione impensarum, quas campsor facere tenetur, N. Cum autem impensæ illæ, sine quibus cambium subsistere nequit, pretio sint æstimabiles, nihil mirum si pro ipsis possint campsores aliquid accipere; alioqui frustra ponerent *operam, & sudorem suum in re licita ad utilitatem aliorum.* Opusc. 73.

Obj. II. Ex dictis alibi; res non est carior, quia utilior est emtori; ergo.

R. non vendi a campsore utilitatem, quæ se teneat ex parte ipsius emtoris, sed eam, quæ se tenet ex parte rei venditæ, & quam campsor sine multis impensis procurare non potest emtori; has vero impensas campsor pati non debet.

Inst. Ergo campsor nihil recipere poterit, cum cambium in ipsius utilitatem cedit; ut cum ei utilius est habere pecuniam Parisiis, quam Lugduni.

R. neg. ant. I. quia cum etiam longe utilius esset campsori pecuniam hic, quam alibi habere, nihil ultra constitutum Legibus pretium recipere potest. II. quia utilitas, quam tunc percipit campsor, bonæ ejus fortunæ, & arti imputari debet, quam artem sine multis sumtibus exercere non potest.

CONCLUSIO II. Cambium siccum illicitum est.

Prob. quia cambium illud verum est mutuum, ex quo lucrum sine alio titulo percipitur; quod usurarium est, ut per se patet. Tale cambium est, si quis mercatorem adeat Lutetiæ, a quo mille nummos mutuos accipiat, quos quidem mercator mutuos dare nolit, sed ad cambium duntaxat cum obligatione eosdem restituendi Lugduni, quamvis sciat campsarium iis non indigere Lugduni, sed Parisiis, neque eos alibi, quam Parisiis esse restituturum: unde hoc cambii genus reprobavit S. Pius V. Bulla *In eam*. an. 1571.

CONCLUSIO III. Cambium temporale, sive Lugduni, sive alibi exerceatur, est usurarium.

Prob. quia in hoc cambio datur hodie pecunia cum obligatione eamdem reddendi cum auctario, post aliquot, tres v. g. menses; & hoc auctarium Lugduni majus, aut minus exigitur, prout pecunia plus, aut minus valuit per tres elapsos proxime menses, qui singulas inter nundinas currunt: quod si post illud tempus non solvatur promissionis valor, renovatur promissio, & auctarium, quod jam debitum esse supponitur, capitali additur, ita ut solvi debeat usura usuræ, quod quidem tunc & male vocatur *recambium*: atqui contractus ille videtur plenus iniquitatis: I. quia auctarium non exigitur nisi pro carentia pecuniæ ad certum tempus, & pro solutionis dilatione; unde quo major est dilatio, majus exigitur auctarium: atqui pro carentia pecuniæ, aut dilatione solutionis, aliquid supra sortem exigere mera est usura, ut alibi dictum est. II. quia ne quidem negotiatoribus licitum est usuras usurarum exigere: atqui eas vi cambii hujus exigi dicuntur: ergo duplex hic intervenit iniquitas.

Frustra respondent cambium illud Principis auctoritate firmatum esse. Nam I. id diserte negant, qui de cambiis licitis, & illicitis plenius, & doctius scripsere. Ita inter alios vir eruditus Marechal, *L'espece du change entre Marchands trafiquans ès foires de Lyon, est seulement tolérée.* II. Si cambium Lugdunense ap-

probatum fuisse dicatur, dicendum simul suppositum fuisse mercatores, qui pecuniam dant, aliquid supra sortem recipere titulo lucri cessantis; si enim res ita sit, haud dubium est, quin ab usura excusentur: verum præterquam nullam habere debent intentionem lucrandi vi mutui, quia, ut docet S. Antoninus (3. p. tit. 6.) *intentio lucri ex mutuo facit usurarium*, necessum est, ut auctarium recepturi pecuniam suam vere subtrahant negotiationi, eamque campsariis nonnisi rogati, & quasi inviti concedant. Quæro autem, an ea sit conditio eorum, qui in Platea Lugdunensi pecuniam præparatam habent, & de alio ineundo commercio ne inter dormiendum quidem somniant.

Ceterum illud solum impugno cambii genus, quod descripsi: si enim aliter exerceatur cambium Lugdunense, ut aliqui loci hujus incolæ me præsente dixerunt, de eo penes alios esto judicium.

## CAPUT SEXTUM.

### *De Censibus.*

Census, gallice *rente*, prout præsentis est instituti definitur Jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius utili, vel fructifera.

Dicitur I. *jus*, seu facultas exigendi pensionem, quam qui debet, dicitur *censuarius*, *& venditor*, quia pro certa, quam mutuo recipit, pecuniæ summa, aut alia re æquivalenti vendit alteri jus certam certo tempore pensionem recipiendi: is vero, cui ea debetur, dicitur *creditor*, *censualista*, & *emtor*, quia jus illud pecunia sua emit.

Dicitur II. ex *re*, *vel personâ alterius*; quia jus hujus pensionis non tantum potest fundari in re, v. g. domo, vel agris, sed etiam in persona, modo aliquid, sive ex officio, sive labore, & industria lucrari possit.

Census dividitur in reservativum, & consignativum. *Reservativus* est jus percipiendi certam pensionem, quam quis sibi reservat in re fructifera, cujus plenum alteri dominium tradit. Ad hanc speciem pertinent census dominicales, *cens, ou redevances seigneuriales*, qui dominis competunt, eo quod translata in aliquos particulares fundorum quorumdam proprietate aliquam sibi ex iis pensionem reservaverint, quasi in recognitionem. Census vero *consignativus* (*Rente constituèe* ou *volante*), de quo hic sermo, est jus, quod quis dato, & constituto alteri personæ pretio ab eadem emit, ut certam quotannis pensionem recipiat, juxta taxam Principis, & leges locorum.

Census consignativus subdividitur: I. ex parte rei, super qua constituitur, in realem, personalem, & mixtum. II. ex parte pensionis in pecuniarium, & fructuarium. III. ex parte temporis, quo durat, in temporalem, vitalitium, & perpetuum. IV. ex parte modi, quo creatur, in redimibilem, & irredimibilem.

Census *realis* ille est, qui constituitur super re fructifera, ut domo, eamque perpetuo comitatur; adeo ut ad quemcunque res illa transit, simul & transeat annexum ei pensionis onus, donec legitime redimatur.

Census *personalis* ille est, qui immediate constitutus est super ipsa persona, quæ sibi, vel suis etiam hæredibus obligationem imponit solvendi ex labore suo, vel etiam ex bonis, si quæ habeat, certam pensionem. Hic census non transit in realem, quamvis pro ejus assecuratione detur hypotheca: quia res hypothecata primo loco non obligatur, sed duntaxat in defectum personæ.

*Mixtus* est ille, qui tam super re, quam persona constitutus est, & tales esse solent census hodierni.

*Pecuniarius* est ille, qui solvendus est in pecunia: *fructuarius*, qui in fructibus, ut vino.

*Temporalis* est, qui ad certum tempus, ut ad annos viginti constituitur: *vitalitius*, qui ad vitam hominis: *perpetuus*, qui in perpetuum constitutus est, ita ut per se nunquam expiret.

*Redimibilis* ille est, qui redimi potest ad nutum, vel censuarii, vel censualistæ, vel utriusque: *irredimibilis*, qui non potest redimi. His præmissis, quæritur, an, & qua conditione prædicti census liciti esse possint.

Extra controversiam est, census reservativos omnino licitos esse: tum quia eos adhibuit Joseph, cum Ægyptiorum bona pro tritico in Pharaonis dominium alteria, postmodum Ægyptiis restituit, annua super his pensione Pharaoni reservata: tum quia æquum est, ut qui rei suæ alteri, vassallo, vel non, proprietatem confert, aliquam in ea pensionem reservare possit. Hic tamen multiplici modo peccari potest, ut dixi in Tractat. de statuum Obligat. Jam quæritur, an licita sit emtio reditus pecuniarii, saltem novi, sive perpetui, sive temporalis. Qua de re sit

CONCLUSIO I. Census realis est licitus: licitus quoque est census personalis in locis, in quibus non viget S. Pii V. Constitutio.

Prob. 1. pars: I. ex unanimi hodie Ecclesiarum, Monasteriorum, Fidelium, imo Nationum omnium consuetudine, a quibus census prædicti approbantur, & exercentur. Adde SS. Pontifices Martin. V., Calixtum III., Nicolaum V., & alios, re ponderata, prædictos census ab omni malo immunes judicasse.

Prob. II. quia tota, quæ in his censibus redargui potest inæqualitas, hic petitur, quod emtor census certam singulis annis pensionem recipiendo, post temporis lapsum plus recipiat quam dedit: atqui hæc ratio non probat ullam hic esse inæqualitatem. Qui enim fundum fructiferum emit, pretium suum post aliquot annos recuperat, & temporum lapsu summam ea, quam venditori dederat, majorem consequitur, nec tamen illius injustitiæ accusatur. Ratio utriusque hæc est: quod ex communi hominum sensu, summa per multas partes divisa, nec recipienda nisi successive, & sic variis incommodis, & periculis exposita non tanti valet, quanti illarum partium collectio simul possessa, quæ & nullis pene obnoxia est incommodis, & ad quodlibet lucri, negotiationisque genus longe utilior est, & commodior.

Prob. 2. pars de censu personali: I. quia potest quis alteri gratis concedere jus annuæ pensionis super

per-

perſona ſua; ergo & vendere, quia pretio æſtimabile eſt, adeoque & vendibile. II. quia perſona non minus per artem ſuam poteſt eſſe fructifera, quam ager & domus; ſicut vendi poteſt penſio ſuper agris aut prædiis, ſic & vendi poteſt penſio percipienda ex lucro, quod perſona ſuo ſibi labore acquiret. III. idem probat uſus totius Galliarum Regni; in quo cenſus perſonales vigent, & nunquam a ſupremis Curiis, Præſulibusve noſtris reprobati fuere; haud dubio reprobandi, ſi vel uſuram, vel ullam injuſtitiæ labem continerent.

Dixi, *in locis, in quibus non viget Pii V. Conſtitutio*: nam Summus ille Pontifex, ut uſuris cenſus nomine palliatis occurreret, Bullam *Cum onus*, an. 1569. emiſit, qua ſtatuitur, *cenſum conſtitui nullo modo poſſe niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera*; adeo ut *re in totum, vel pro parte peremta, aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, cenſus ad ratam perire debeat*. Sed illæ conditiones nec in Gallia, nec in Hiſpania, aut Belgio, imo nec Romæ obſervantur, cum ibi cenſus perſonales in uſu ſint, & vix ullibi ita creentur ut ſequi debeant conditionem rei, ſuper qua conſtituti ſunt; unde ea ex toto pereunte, illi nequidem ex parte pereunt.

(✠) *Superfluum* eſt, inquit Bened. XIV. in jam citato libro 7. c. 48. num. 5., cenſum perſonalem
,, novis argumentis inſectari, quem jam proſcripſit
,, S. Pius V. in laudata Conſtit. *cum onus*, ubi ad
,, cenſus honeſtatem inter ceteras conditiones hanc
,, quoque requirit, ut cenſus conſtituatur in re fru-
,, ctifera, non *qualicunque*, ſed *immobili*, certa, ac
,, nominatim deſignata. Quapropter etiam Auctores,
,, qui cenſum perſonalem ejus natura perſpecta, ab
,, uſuræ ſuſpicione vindicant, ingenue tamen faten-
,, tur, eum licite fieri non poſſe, ubi præfata Pii V.
,, conſtitutio eſt recepta.... verum, quanquam nos
,, ſciamus eumdem Summum Pontificem ſupplicante
,, Catholico Rege Philippo II. indulſiſſe Hiſpanis, ne
,, ad ſuæ Conſtitutionis, quoad eas conditiones, quæ
,, juris naturalis, aut divini non ſunt, exactam ob-
,, ſervationem adſtringerentur.... vehementer tamen
,, ſuſpicamur in cenſu mere perſonali, præſertim
,, utrinque redimibili eas deſiderari conditiones, quas
,, non ſolum Pontificia Conſtitutio, verum etiam ip-
,, ſum jus naturale, & divinum expoſcunt, ne ſit
,, larvatus contractus mutui, & propterea coram
,, Deo uſurarius. (✠)

Obj. Cenſus minoris emitur, quam valeant omnes penſiones ſperatæ; ergo emtio illius eſt illicita, quia centum aurei, v. g. per partes ſolvendi, idem valent ac ſimultanea eorum collectio: alioqui mutuans cum pacto non repetendi ſortem, niſi per partes, poſſet aliquid ultra ſortem exigere pro hujuſmodi mutuo, quod tamen uſurarium foret; ergo.

R. ad 1. neg. conſeq. & iterum dico, ex communi hominum æſtimatione id, quod ſolvitur per partes longo intervallo a ſe diſſitas, multo minoris valere, quam ſimultaneam illarum partium collectionem; alioqui nunquam ſatis ſolvi poſſent prædia, ex quibus reditus ſucceſſivi quidem, ſed perpetui colliguntur.

Nec nocet, quod ex pecunia mutuo data, & per partes reſtituenda, nihil ultra ſortem recipi poſſit: magna enim eſt cenſum inter, & mutuum diſparitas: I. quia pecunia mutuo data, communiter loquendo, poſt tempus ſatis breve repeti poteſt, ſecus pecunia ad cenſum data. II. quia mutuans paciſci poteſt, ut ſi pecunia ſua graviſſime indigeat, eamdem & citius, & totaliter repetat; non ſic cenſualiſta, qui nec penſionum collectionem, nec pecuniam mutuo datam repetere poteſt, quibuſcunque ſit in anguſtiis. III. quia in mutuo nihil emitur, ut bine patet, quod pecunia non tranſeat in dominium mutuatarii, niſi cum onere eamdem reſtituendi priori domino; at in cenſu emitur jus ad penſionem, & pecunia pro pretio data tam plene & abſolute transfertur in dominium cenſuarii, ſeu venditoris, ut poſſit eam nunquam reſtituere.

Quæres I. quænam ſint in Galliis cenſus conſtituendi conditiones.

R. tres eſſe præcipuas. Prima eſt, ut emtor, ſeu cenſualiſta ſortem in perpetuum alienet, nec unquam cogere poſſit debitorem, a quo ſolvitur cenſus, ut eam reſtituat emtori. Secunda, ut venditor poſſit ſe liberare cum volet, ſeu cenſum redimere, refundendo emtori pecuniam ſuam. Paſſim tamen in uſu eſt, ut venditor, qui redditione pretii cenſum extinguere volet, id *per bimeſtre ante* denuntiare debeat emtori; quia quiſque libertate ſua rationabiliter uti debet, nec æquitati conſonum ſatis videtur, ut pridie ante monetæ diminutionem ſua emtori pecunia refundatur. Tertia demum conditio eſt, ut reditus ſeu penſio ſolvatur ſecundum taxam Principis, *au denier, au taux de l' Ordonnance*.

Quæres II. an non igitur conſtitui poſſit cenſus irredimibilis: an non cenſus redimibilis aliquid includat mali. Ut ſolvantur eæ quæſtiones, revocandum in memoriam pactum de redimendo fieri poſſe, vel in gratiam ſolius venditoris, vel in gratiam ſolius emtoris, vel demum in favorem utriuſque. Sit

CONCLUSIO II. Cenſus perpetuus ſive irredimibilis licitus eſt jure naturali. Ita vulgo Theologi.

Prob. quia idem ſentiendum eſt de emtione cenſus, ac de alia quavis emtione: ſed emtio qualibet ita fieri poteſt, & ſolet, ut venditor nullum habeat jus rem ſemel venditam ab emtore retrahendi; ergo & cenſus emtio ita fieri poteſt, ut venditor jus redimendi nullum habeat.

Obj. In cenſu, qui ex parte cenſuarii irredimibilis eſt, plus gravatur debitor, quam ſi ab uſurario mutuum accepiſſet; in hoc enim liberare ſe poſſet ſorte reddita, in illo vero non poteſt; ergo.

R. neg. ant. gravamen enim uſuræ prorſus iniquum eſt, gravamen vero in cenſu impoſitum juſtum eſt, cum fundetur in venditione, quæ ſolet eſſe perpetua. Et certe ſi valeret objectio, iniqua foret, & injuſte gravamini conjuncta venditio, vi cujus emtor fructus perpetuo recipit, adeo ut venditor iis nunquam frui poſſit, etiamſi ſortem reddere velit; hoc autem eſt contra communem omnium ſenſum.

Ceterum, cenſus irredimibilis poſitivo hujus Regni jure non approbatur, ut patet ex ſecunda conditione, quam in Gallia requiſitam eſſe diximus ad cenſus conſtitutionem. Idem in Belgio locum habet ex

Lege Caroli V. an 1728. Bruxellis edita.

CONCLUSIO III. Census redimibilis ad nutum venditoris, prout in Gallia constituitur, est licitus.

Prob. quia venditio census redimibilis nihil est aliud, quam venditio rei cum pacto de retrovendendo in favorem venditoris: atqui talis venditio licita est, ut dixi sup. a p. 513. ad 514.

De censu ad nutum emtoris redimibili quid sentiendum sit, colliges ex iis, quæ ibidem diximus.

---

## CAPUT SEPTIMUM.

### *De Locatione, Conductione, Deposito, &c.*

LOcatio & conductio sunt unus idemque contractus, qui ex parte locantis *locatio*, & ex parte locatarii *conductio* appellatur.

Locatio est contractus, quo usus, vel fructus rei, aut personæ ad certum tempus pro pretio traditur: conductio est contractus, quo accipitur ille usus, vel fructus. Suæ sunt locatori, & conductori obligationes.

I. Locator efficere debet, ut conductor re uti, vel frui libere possit. Non tenetur tamen de vi majori: ut si Princeps domum locatam usurpet, si ea pereat incendio.

II. Locator occultum rei locatæ vitium aperire debet, ut si domus ruinosa sit; si spiritibus vexata, aut vexari dicta; si equus onera abjicere, & calcitrare consueverit: unde tenetur de damno, si scienter vitium celaverit. Si res inutilis sit, locator nihil accipere potest; si utilis quidem, sed minus quam pactus est locatarius, minuenda est pensio. Et hæc in foro conscientiæ vera sunt, sive defectus evidens sit, sive non, modo eum sciverit, aut scire potuerit locator.

III. Debet & locator impensas in re factas, necessarias nempe, & utiles, solvere, nisi aliter conventum sit.

IV. Rem ante tempus constitutum repetere non potest, nisi id exigant necessitas reficiendæ domus, mali conductoris mores, solutionis defectus, &c. item si locator domo sua vere indigeat, &c.

Conductoris, seu locatarii varia sunt onera: I. re conducta uti non debet, nisi in usum, pro quo conduxit; sic equo ad vehendum onus uti non potest, qui eum ad ferendum hominem conduxit; nec majus onus imponere, qui de minori pactus est. II. tenetur de dolo, culpa lata, & levi, non sua tantum, sed & sublocatariorum, aut famulorum. III. *culpæ locatarii & illud adnumeratur, si propter inimicitias ejus vicinus arbores succiderit* (*L.* 25. *ff.* Locati). Propter inimicitias, inquam, ex conductoris culpa procreatas: si quis enim alterius odium incurrerit, quia contra eum testimonium dixit, haud æquum est, ut id sibi in damnum imputetur.

Aliæ conditiones, ut quod pensio conventa solvi debeat, res locata constituto tempore restitui, ut ante id temporis res sine causa non deseratur, parum difficultatis habent. Pensio solvenda est, etiamsi ea parte conductoris, licet absque ejus culpa contingat, ut re locata, v. g. equo uti non possit; secus si equus morbo afficiatur, aut domus corruat, vel ob bellum inhabitari non possit. Idem dicendum de eo, *qui operas suas locavit: is enim totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quominus operas præstaret:* (*L.* 28. *ff.* Locati). Qui male, aut segniter laborant, ad restituendum tenentur, prout majoris, aut minoris damni causa fuere.

Superest una difficultas, cui nempe res locari possit.

R. rem ei locare non posse, qui prævidetur ea abusurus: unde peccas: I. si arma cuipiam locaveris, quem iis usurum putas ad occisionem. II. si meretrici loces domum, etsi eam nemini locare possis, imo etsi locationis pretium tibi, ut subsistas, necessarium sit. Ratio est: I. quia non licet alteri procurare occasionem, & commoditatem peccandi. II. quia ea S. Carolo Borrom. absolvi non possunt, qui aleæ, *& ejusmodi lusibus indulgent, vel qui domum in hunc finem præparatam aperiunt*: atqui minus est illius peccatum, qui academiam tenet, quam qui meretrici domum locat; ergo, ut verbis S. Hieronymi utar, *melius est, ut emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrificare, causam habeas ruinarum.*

Limitat hanc responsionem Sylvius, si & mulieres illæ sunt ad meretricandum resolutæ, & a Republica tolerentur in ea civitatis parte, in qua ipsis elocatur domus, & peccatum displiceat elocatoribus: tunc enim elocatores illud peccatum impedire non tenentur. Ita & Pontas.

Ut autem domum meretrici locare non licet, sic nec eam pati quis potest in domo sua, quam sceleris puram crediderat, & postmodum meretricem esse comperit.

Nec dicas domus locationem ad peccatum non inducere; nam neque etiam locatio gladii ad occisionem inducit, & tamen occidere volenti gladium locare non licet. Domus ergo per se non inducit, sed peccandi commoditatem præbet, quam præbere illicitum est.

Depositum, commodatum, &c. hic sumuntur pro contractu, tametsi sæpe sumuntur pro re deposita, commodata, &c.

Depositum est contractus, quo res custodienda traditur alteri, ab eoque suscipitur, ut reddatur eadem, non solum specie, sed etiam numero, saltem ut plurimum. Ad depositum requiritur susceptio ex parte depositarii, qui alioqui non tenetur de deposito.

Depositum duplex: aliud judiciale, aliud privatum. Judiciale, quod etiam dicitur *sequestrum*, est contractus, quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, ut ei restituatur, cui adjudicata fuerit. Privatum, quod scilicet fit privata partium auctoritate, aliud est voluntarium, quando quis nullo cogente rem suam committit alteri; aliud necessarium, cum cogente incendio, ruina, seditione, aut alio simili, sua quis alienæ fidei concredit.

Quæres I. qui possint esse depositarii: R. quemlibet ratione utentem, seu pupillus sit, femina, vel etiam religiosus, nisi privata Ordinis, aut locorum lex resistat. Monasterium tamen rei hujus, etiamsi Religiosi dolo pereat, periculum in se suscipere non censetur

tur

tur, nisi Conventus suam in fidem, atque custodiam recepisset depositum; nisi item res depositarii dolo in Conventus utilitatem fuisset impensa: tunc enim Monasterium teneretur id restituere, quo ditius evasisset, ne locupletaretur cum alterius injuria: quæ quidem regula ex iis limitanda est, quæ dicta sunt, ubi de Possessore bonæ fidei, & ex natura impensarum, quas fecisset depositarius.

Quæres II. quæ sint depositarii obligationes.

R. Debet I. depositum ea cura, & fide servare, qua res proprias; unde si suas viliores salvet cum jactura depositi, tenetur de ejus damno. II. non potest uti re deposita sine domini consensu expresso, aut tacito, vel saltem prudenter præsumto; quia usus rei concessus ei non fuit, sed tantum custodia. Hinc tenetur ad restituendum, si usus sit re, ut equo, veste, cujus usus pretio æstimabilis sit. Quod si depositarius utatur vino, aut tritico apud se depositis, certo sciens se res ejusdem pretii, & valoris habiturum, quo tempore depositum repeti debet, tunc deponentis negotia utiliter gerit, quia si res istæ casu fortuito perirent, damnum pertineret ad deponentem.

Censent etiam multi, depositarium uti posse pecunia, quæ sibi traditur sacculo nec clauso, nec obsignato, modo certus sit se eam soluturum cum exigetur; modo etiam non consistat in veteri moneta, quæ curiositatis magis, quam usus gratia conservetur: verum & hic opus est legitime præsumta deponentis voluntate, ut colligitur ex lege 29. ff. *Depositi*.

Quæres III. an possit quis depositum retinere titulo compensationis. R. negat. est enim depositum res adeo sacra, ut leges cum canonicæ, tum civiles in eo noluerint esse locum compensationi; prout ea cap. 2. *De deposito*, & leg. 11. *Cod. Depositi*. Sunt tamen qui rem depositam pro expensis in ea factis retineri posse doceant, nisi lex aliqua locorum obstet.

Quæres IV. an depositum semper reddendum sit ei, qui dedit, aut ad beneplacitum ejus. R. negat. sic reddi non debent ensis furioso, pecunia ei, quem designaverit alienigena in hoc Regno decedens, et quæ ad Regem pertineat jure albinatus; ac demum peculium Religioso, nisi sit spes futurum, ut hoc ipse Monasterio restituat.

Duo hic annotanda: I. depositum, si forte in mutuum transeat, puta quia deponens illud eum plena utendi facultate suscipit, perire depositario. II. Deponentem in recuperanda re sua præferri ceteris creditoribus, quoties eadem res subsistit in specie; secus si vel mutuata fuerit, vel apud alium exstat.

Commodatum est contractus, quo res alteri gratuito conceditur ad certum usum pro tempore determinato, ante quod repeti non potest.

Differt I. a locatione, in qua pro rei usu pretium exigitur. II. a mutuo, in quo non usus tantum, sed & proprietas transfertur. III. a deposito, in quo ne usus quidem ordinarie conceditur. IV. a precario, quod ad nutum revocari potest, cum commodatum repeti non possit, nisi elapso tempore, ad quod datum est: quia ex cap. unic. *De commodat. non oportet nos beneficio decipi, sed juvari*. Unde si quis ante præfinitum tempus rem commodatam retrahat, tenetur de damno, quod inde patitur commodatarius. Si tamen aliquod commodanti damnum ex rei suæ carentia inopinato immineret, posset illam repetere; etsi commodatario idem incumberet damnum, quia nemo intendit contractum mere gratuitum cum tanto sui incommodo subsistere.

Tenetur commodans aperire vitium rei commodatæ, si sit periculosum; alioqui tenebitur de damno, cujus causa erit: debet etiam extraordinarias impensas facere (*L.* 17. *ff. Commodat.*). Commodatarius vero tenetur ad modicas, & ordinarias, v. g. ad nutriendum equum: non tamen ad impensas morbi gravis, quo equus absque culpa illius laboraverit. Non potest etiam commodatarius uti re in alium usum, quam cujus gratia sibi data est.

Precarium non differt a commodato, nisi quia usus rei precario datæ ad nutum concedentis revocari potest.

Mandatum non active, ut nomen sonat, sed passive sumitur, estque obligatio aliquid agendi in alterius commodum gratis suscepta: si enim pretio suscipiatur, est *locatio operæ*, potius quam mandatum.

Mandatarius negotium susceptum conficere tenetur: voluntatis est enim suscipere mandatum, necessitatis consummare. Non potest mandati fines excedere, puta pluris emere, quam sibi præceptum sit. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, aut ex circumstantiis judicari possit executionem rei non gerendam esse gratis, & stricto mandati titulo, sed potius titulo locati, & conducti: prout de iis præsumi debet, qui non gratis, sed pro mercede obsequium præstare solent. Et id a Confessariis maxime est ponderandum, ut aditum præcludant occultis compensationibus, quæ in hac præsertim materia plenæ sunt periculi. Ceterum spes remunerationis, quæ mandatarium aliquando accendit, jus eidem strictum non largitur, solumque ex gratitudine mandantem obligat.

Qua ex culpa teneantur depositarius, commodatarius, & mandatarius, dictum est pag. 514. col. 1.

---

## CAPUT OCTAVUM

### *De Fidejussione, Assecuratione, Pignore, Hypotheca, Transactione.*

Fidejussio, gallice *Caution*, est contractus, quo quis in se suscipit obligationem solvendi debitum alterius, si debitor ipse non solverit.

Fidejussio vel est judiciaria, quæ decernitur a Judice: vel est conventionalis, quæ fit ex libero partium consensu; & de ista loquimur.

Variæ sunt conventionalis fidejussionis conditiones: I. enim non obligatur fidejussor, si invalida sit ob dolum v. g., aut jam extincta condonatione, compensatione, &c. debitoris principalis obligatio; quia non intendit se obligare pro eo, qui revera non debet

bet. Hinc si equus, pro cujus commodato te sponsorem fecisti, casu fortuito pereat, ad nihil teneris, nisi commodatarius fuerit in mora reddendi: tunc enim in ejus defectum poteris conveniri. Quod si forsitan te præstitisses fidejussorem pupilli, vel minoris, qui se in integrum restitui fecisset, tunc de debito ejus non desineres teneri, ut qui hoc prævidere potueris.

II. quia *plus in accessione esse non debet, quam in principali* (*Instit. L. 3. tit. 21. §. 5.*), fidejussor non potest ad plus obligari, quem principalis debitor: *ad plus*, inquem, ratione quantitatis, loci, & temporis; nam major esse potest ejus obligatio ratione vinculi, ut si eam juramento confirmet, si hypothecam præbeat, &c.

III. Fidejussor tunc solum conveniri potest e creditore, cum creditor jam petiit debitum a principali debitore, qui solvere non possit, nisi tamen vel debitor procul absit, vel fidejussor renuntiaverit juri, quod habet, ne ante debitorem conveniatur, &c.

IV. Fidejussoris obligatio transit ad hæredem, eumque *obligatum relinquit, cum rei locum obtineat*, L. 4. ff. & 23. Cod. *De fidejussoribus*.

V. Tenetur solvere ante sententiam Judicis, sicut & ipse debitor, cujus in locum succedit.

VI. Si multi sint fidejussores, quorum unus solvendo non sit, ceteri in solidum teneantur: omnes tamen e creditore conveniri oportet, nisi huic *divisionis* beneficio renuntiaverint. Quod si unus, aliis inconsultis, solverit, non in alios, sed in solum debitorem jus, & actionem habet, nisi se creditoris juri subrogari curaverit.

Præcipua fidejussoris jura hæc sunt: I. agere potest contra debitorem, ut restituet sibi tum illud omne, quod solvit, tum damna, quæ passus est: debitor enim vi contractus fidejussorem debet indemnem servare, modo is non solverit ante terminum debitori concessum a creditore. II. cogere potest creditorem, ut sibi cedat omnem actionem cum personalem, tum hypothecariam, quam in debitorem habet: imo apud nos jura hæc habet ea neru ra rei. III. non manet obligatus, si creditor vel novum cum debitore ineat contractum circa rem fidejussam, v. g. domum denuo seu expressa, seu tacite reconductione locando, quod quidem novatio dicitur; vel debiti petitionem suo tempore specifice expresso neglexerit.

Quæres I. an liceat pro fidejussione pretium a debitore exigere. R. Censent multi id non esse illicitum, nisi pro fidejussione, quæ a periculo, & molestia immunis sit. Ratio eorum est, quod nemo teneatur gratis assumere onus pretio æstimabile: atqui onus fidejussoris est pretio æstimabile. Onus enim illud est obligatio solvendi in futurum, seu quasi mutuo dandi post certum tempus; item satagendi, ut debitor non fiat solvendo impar, &c.: atqui onus illud adeo pretio æstimabile est, ut mutuans illud sine usura a mutuatariis exigere non possit, sicut nec exigere potest, ut mutuatarius se sui, vel alterius fidejussorem facere teneatur.

Si dices illud onus fetis compensatum iri, cum sua fidejussori pecunia restituetur ab eo, cujus in locum solverit. Reponunt id falsum esse: nam ei quidem reddetur forte quidquid in defectum debitoris coactus est solvere creditori; at nihil reddetur, quo compensetur grave, quod subiit onus, paratam aliquando per quatuor annos habendi pecuniam, ea qua creditori satisfaciat, si eidem debitor præstituto tempore satisfacere non possit. Quidni ergo, inquiunt, fidejussor pro onere illo, quod mutuum præcedit, & ab eo distinctum est, aliquid exigere possit; sicut exigere posset, si eum alter rogaret, ut certo tempore paratus sit pecuniam mutuo dare? Et vero quid aliud egit fidejussor, quam quod spondet se pecuniam, si opus erit, certo tempore mutuam daturum esse?

Confirm. Si illicitum sit de pretio pro fidejussione pacisci, utique quia pactio hæc degeneraret in mutuum virtuale, quatenus fidejussor quasi dare censetur alicui pecuniam, quam ei procurat, dum ejus fidejussorem se constituit: atqui hæc ratio nulla est; tum quia in mutuo etiam virtuali reperitur vera traditio, quæ non occurrit in fidejussione; tum quia fidejussor nihil exigit pro solvenda in locum debitoris pecunia, quod usuram involveret; sed pro eo quod obligationem hujus debiti solvendi suscipiat. Id tamen, ait Habert, quod pro fidejussione exigetur, moderatum esse debet. Imo ob periculum usuræ, quæ facile irrepit, tutius est, & proborum praxi magis accommodatum, ut fidejussor nihil unquam exigat, nisi de aliquo propter periculum damni emergenti pretio convenerit. Ceterum potest mutuans pretium alicui dare, ut se in ipsius mutuantis gratiam fidejussorem constituat: posset quoque idem mutuans aliquid accipere a fidejussore, quo eum liberaret ab obligatione sua, si debitor solvendo impar futurus esse judicaretur.

Quæres II. qui fidejussores esse possint. R. possunt omnes, & soli, qui liberam rerum suarum administrationem habentes, se suaque obligare possunt, nec a natura, vel jure prohibentur. Prohibentur a natura furiosi, infantes, aliique rationis usu destituti. Prohibentur a jure: I. milites, saltem tempore expeditionis, nisi in rem suam fidejubeant. II. pupilli, aut minores curatorem habentes, si sine ejus auctoritate fidejubeant. III. filii-familias, nisi castrensi, aut quasi castrensi peculio fruantur, &c. Verum hæc, quæ pro locorum varietate varia sunt, & ad Jurisperitos se ipsis pertinent, fusius prosequi superfluum fuerit.

Assecuratio est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit obligando se vel gratis, vel pacto pretio; ad eam, si perierit, compensandam. Negant aliqui contractum hunc esse licitum, si assecurans nullam ad rei assecuratæ conservationem sit operam adhibiturus. Sed male: I. quia in hoc contractu utraque pars æqualiter exponitur lucro, & damno. Dominus enim rei rem quidem suam recipiet, etsi perierit; sed simul exponitur damno pretium pro assecuratione datum perdendi: pariter assecurans potest lucrari pretium sine labore; sed

nbno-

obnoxius est periculo solvendi valorem rei, si perierit.

II. Si contractus ille illicitus esset vel ratione periculi, quod suscipitur, vel ratione pretii, quod etiam sine labore exigitur. Neutrum dici potest. Non 1. alias illicita foret fidejussio, quæ simul periculo obnoxia est: non 2. quia susceptio talis periculi ex omnium judicio pretio est æstimabilis; cum nemo sit, qui libens aliquid non conferat, ut sibi assecuretur sua res variis periculis objecta.

Requiruntur autem conditiones aliquæ. Prima, ut pretium respondeat quantitati periculi. Secunda, ut periculum subsit probabiliter, vel saltem subesse ab utroque judicetur: hinc peccaret contra justitiam, qui assecuraret navim, quam cognovisset jam ad portum pervenisse; aut qui sciens rem suam jam periisse, de ejus assecuratione cum aliquo pacisceretur. Tertia, ut ille, cui merces assecurantur, servet conditiones, de quibus juste conveniri potuit, v. g. ut navis talem viam teneat, si fieri possit, aliis oneribus non gravetur, &c. Quarta, ut assecurans habeat, vel habere possit unde solvat: alias insignis est nebulo, qui perdere non valens, agit ut lucretur; & restituere debet, si quid receperit, etiamsi res incolumis ad metam deveniat.

Pignus est contractus, quo res *mobilis* a debitore *traditur* creditori ad debiti securitatem, ut ex ea possit peti solutio, si debitor non solverit.

Hypotheca est contractus, quo res *immobilis obligatur* creditori, ut ex ea pariter peti possit solutio. Pignus, & hypotheca in jure non raro confunduntur.

Pignus dividitur in *prætorium*, quod Judicis statuto; *conventionale*, quod ex partium consensu; & *legitimum*, quod ipsa Legis dispositione constitutum est: sic bona tutoris sunt hypothecata pupillo. Hypotheca alia est universalis, per quam bona omnia cum præsentia, tum futura obligantur: alia particularis, id est unius, vel plurium rerum in specie; & hæc rem afficit, & sequitur quocunque transeat, donec expungatur debitum.

Obligationes illius, qui aliquid in hypothecam assignat, eæ sunt: I. ut rem, quæ pro multis debitis non sufficit, pro iis omnibus in hypothecam non det; quia alioqui debitores omnes ex ea solutionem capere non possunt. Quod si posteriores creditores priorem aliorum hypothecam cognoverint, iis utpote volentibus non fit injuria. II. debet refundere creditori impensas, quas iste in pignoris conservatione fecerit, quia alioqui creditoris conditio deterior fieret ex pignore. III. non potest rem hypothecatam vendere, nisi prius emtorem monuerit; quia cum hypotheca sit onus rem afficiens, deciperetur emtor, si rem emeret onere gravatam, quam liberam putat.

Obligationes vero illius, qui pignus accipit, aut hypothecam, sunt: I. ut ea diligenter servet, & curet, ne pereant; tenetur enim de culpa lata, & levi. Potest autem creditor ipsum pignus oppignerare ex Leg. 1. Cod. *Si pignus pignori datum sit*. II. ut statim restituat pignus, debito integre soluto. III. ut ipsum non vendat, nisi debitor sit in mora solvendi, & eo prius monito: quod si pluris vendat, quam debitum sit, excessum debet restituere debitori.

Transactio definiri solet Pactio inter plures utrimque onerosa de re dubia, & lite incerta.

Dicitur *pactio onerosa*: si enim gratuita foret, non tam esset transactio, quam condonatio. II. *de re dubia*: si enim jus alterutrius clarum esset, ei, si ad transigendum cogeretur, fieret injuria, quia juri suo renuntiare compelleretur. Ubi facta est transactio, vix datur locus restitutioni in integrum, quia ut in ludo, aliisque sortis contractibus, ita & in transactione paciscentes incerto eventui se sponte, & reciproce committunt, adeoque queri de læsione non possunt, nisi ea tam enormis sit, ut dolus præsumi queat.

---

## CAPUT NONUM.

### *De Ludo, Sponsione, & Loteria.*

LUdus, jocus, & lusus differunt, quia *ludus* proprie dicitur in factis; *jocus* in verbis, & *lusus* magis fit voluptatis causa, quam spe lucri.

Ludus generatim est jucundum aliquod dictum, vel factum ad animi relaxationem. Ut licitus sit ludus, hæc requiri solent: I. ut sit in materia, quæ nihil habeat illiciti, & obscœni. II. ut nec sæpius, nec diutius ludatur, quam exigit necessitas reficiendi vires animi. *Parum de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*; ait Aristoteles apud S. Thomam. III. ut serventur circumstantiæ omnes ratione loci, temporis, & personæ; *nam in talibus aliquid decet unum, quod non decet alium*, ait idem S. Doctor. Hinc vetat Concilium Senonense, ne Clerici in publico pila, aliisque ludis ludant, maxime cum Laicis.

Ludus sumtus pro contractu, est certamen ad animi relaxationem institutum, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori res aliqua quasi premii loco cedat.

Triplex est ludorum genus: alii mere pendent ab industria, nihil, aut fere nihil a fortuna, ut ludus pilæ; alii mere pendent a fortuna, ut ludi taxillorum, multi chartarum ludi, aliique quotquot dicuntur (*Jeux de hazard*) alea: alii demum mixti sunt, & partim a fortuna, partim ab industria pendent, ut plures etiam chartarum ludi.

Dicimus porro ex hisce ludis nullum esse, qui *ex natura rei* prohibitus sit, modo serventur *conditiones requisitæ*, quas sæpius violari contingit.

Prob. 1. pars: I. quia sicut potest quisque rem suam alteri simpliciter, & absolute donare, sic & eam potest in alium transferre sub aliqua conditione, sive a fortuna solum, sive etiam ab industria pendeat.

II. quia si quis ludus ex natura rei prohibitus esset, maxime alea: atqui fieri potest, ut omni prorsus peccato careat, præsertim in Laicis, si temperate fiat, absque prava circumstantia, & ut expedit ad officia sua alacrius prosequenda. Leges enim, quæ

contra hujusmodi ludos citantur, damnant duntaxat aleatores, seu aleæ deservientes, aleator autem dici non potest, qui raro, moderate, & recreationis causa alea ludit. ( *ff. L.* XI. *tit.* 5.) Adde quod permittant modicam exponi pecuniam, qualis in convivio vescendi causa ponitur.

Dixi *ex natura rei*; quia aleæ ludus saltem frequens, Jure civili, & ecclesiastico, etiam Laicis interdictus est. De lege civili patet ex toto titulo *De aleatorib.* ff. & Cod. De Jure ecclesiastico patet tum ex Concilio Illiberit. can. 79. *Si quis fidelis*, inquit, *alea luserit, post annum poterit communione reconciliari*; tum ex Synodo Quinisexta can. 10. *Qui alea luserit excommunicetur*.

Suas etiam circa ludum leges tulere Reges Christianissimi; & inter alios Carolus Magnus, S. Ludovicus, & Lodovicus XIII. Constitutione an. 1611., cujus hæc sunt verba: *Nous defendons, & interdisons a tous nos sujets, de recevoir en leurs maisons les assemblées pour le jeu, qu'on appelle Academies, ou Berlans. Déclarons dès à present tous ceux qui y contreviendront, ou qui se prostitueront à un si pernicieux exercice, infames, intestables, & incapables de tenir jamais Offices Royaux. Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, & toutes obligations, & promesses faites pour jeu, quelque deguisées qu'elles soient, nulles & de nul effet, & dechargées de toutes obligations civiles, & naturelles*.

Hinc colliges cum S. Raymundo de Pennafort l. 2. Sum. tit. 2., *quod peccatum eorum, qui aleæ deserviunt, sit mortale, cum tales pœnæ*, quas decernunt citatæ leges, *non sint imponendæ pro levi crimine*. Idem docet S. Antoninus 2. p. tit. 1., juxta quem tamen *ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate, non videtur esse mortale*: quæ exceptio regulam graviter confirmat. Et vero, ait S. Bonaventura, in ludo *multa committuntur peccata, scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter*; unde *ludus satis videtur habere rationem peccati mortalis*.

Nec dicas Leges superius adductas contraria consuetudine abrogatas fuisse. Nam I. consuetudo contraria non præscribit contra legem, cum lex ea a saniori multitudinis parte servari pergit: atqui sapientiores, præsertim e Clero ab aleis prorsus abstinent. II. consuetudo contra legem non præscribit, cum Legislator reclamat: atqui ab ipsis Ecclesiæ incunabulis nova semper contra aleatores, præsertim Clericos, prodierunt statuta: quin & Trid. Sess. 22. cap. 1. *De reform.* confirmat antiquos Canones, quibus alea prohibetur: huic autem Decreto hactenus paruisse Gallicanos Præsules, testantur Rituales libri singularum Diœceseon, & Statuta Synodalia; ergo.

Prob. 2. pars, quæ spectat conditiones servari debitas. Præter eas vero, quas jam retulimus, eæ in contractu ludi necessariæ sunt: I. ut ludentes liberam habeant dispositionem boni, quod exponunt, & id perdere possint, absque eo quod suis desint officiis, ut eleemosynæ in pauperes, debitorum solutioni, &c. Hinc qui lucratur a filio-familias non habente castrensia, &c. ab uxore non habente paraphernalia; a Religioso, &c. peccat, & tenetur ad restituendum, nisi hi, quibuscum lusit, eorum, a quibus pendent, sufficientem consensum obtinuerint, aut nisi id, quod ab iis perditum est, *sit quid modicum, de quo præsumi possit quod patres, tutores, & hujusmodi non curarent*. Ita S. Antonin.

II. ut summa, quæ ludo exponitur sit modica, secundum uniuscujusque facultatem, & non major, quam opus sit ad animi delectationem, & ne ludus langueat: qui enim majores summas exponunt, præter multa, quibus se exponunt, peccandi pericula, lucrum avide, & principaliter intendunt, quod aliqui mortale peccatum censent, ut Vega; alii vero plures nonnisi peccatum veniale esse volunt, ut Navarrus.

III. ut absit omnis fraus: unde qui decipiunt in numero calculorum, qui cartas abscondunt, easve speciali, quo distingui possint signo notant, peccant graviter, & ad restituendum tenentur, tum lucrum hac arte acquisitum, quia inique acquisitum est, tum id, quod alter certo, aut probabiliter acquisiturus erat. Quod si dubium sit, an alter lucraturus fuisset, censeo restituendum esse quanti valebat spes victoriæ in eo, qui deceptus est.

IV. ut inter lusores sufficiens sit æqualitas: cujus conditionis defectu tenetur ad restituendum, tum qui certo sciens se alium peritia notabiliter excedere, excessum illum silet; tum qui nihil amittere potest æquale ei, quod alter exponit.

V. ut absit coactio, & alter alterum ad ludum vel incipiendum, vel continuandum non pertrahat per injurias, fraudes, convitia, imo per preces ita importunas, ut malles rem tuam periclitari, quam tantis affici molestiis. Porro qui sic alium pertrahit, aut qui minatur se id, quod jam perdidit, non soluturum, nisi alter in ludo persistat, ad restituendum tenetur; quia qui me invitum, aut quasi invitum ad ludum traxit, est iniqua damni mei causa: si vero ipse perdiderit, non teneor restituere, quia vere & absque cujusquam injuria lucratus sum. Sic restituere debet, qui decipit in punctorum numeratione, non qui decipitur.

Quæres, an lucrum ex alea servatis ludi conditionibus percipi possit.

R. cum Haberto, & aliis quibusdam, in hoc Galliæ Regno distingui debere inter lucrum actu perceptum, & fidem solvendi datam. Lucrum perceptum ex ludo etiam prohibito, tuta conscientia retineri posse videtur: I. quia, ut docet S. Thomas, non ideo semper acquisitio est invalida, quia id, ex quo acquiritur, est illicitum ( 2. 2. q. 32. a. 7.). II. quia nullum prodiit a Regibus nostris Edictum, quo aleatores ante Judicis sententiam restituere teneantur.

Lucrum vero, quod necdum solutum est, sed promissum duntaxat, non debet in conscientia solvi, quia citata Ludovici XIII. Constitutione hæc solvendi promissio nullam prorsus obligationem parit. *Déclarons toutes dettes contractées pour le jeu, & toutes obligations, & promesses faites pour jeu, quelque deguisées qu'elles soient, nulles, & de nul effet, & dechar-*

*gées*

*tes de toutes obligations civiles, & naturelles*. Idem Princeps aliud an. 1629. emisit Edictum, quo patribus, & matribus, avis, & tutoribus sit facultas repetendi id, quod filii, aut minores perdiderint; eas vero Leges etiamnum vigere ex variis Senatus Parisiensis Declarationibus probat Pontas v. *Jeu* cas. 3.

Si temen summa, quam quis alea amisit, levis momenti foret, eamdem solvendam esse crederem, quia id exigit usus apud viros frugi receptus. Ceterum ea est Parlementorum consuetudo, ut in litibus occasione ludi commotis, majorem summæ partem nosocomiis, nihil vero ludenti adjudicent.

Sponsio, gallice *Gageure*, est contractus, quo plures de veritete, vel eventu rei contendentes, sibi invicem aliquid spondent, ut ejus fit, qui verum dixerit.

Hic contractus, si adsint conditiones requisitæ, licitus est; tum quia nullo jure prohibetur; tum quia quidem est fortunæ contractus, quo uterque contendens pari jacturæ, & lucri periculo expositus est.

Conditiones eæ sunt: I. ut res, de que agitur eodem intelligetur sensu a contendentibus; alioqui enim non consentirent in idem, nec proinde contrehberent. II. ut res, de qua contenditur, sit utrique incerta; quia jam non esset æqualitas in spe, & periculo, quæ ad sponsionis justitiam requiritur.

Sed quid si de eventu certus, alii notitiam meam manifestem, & is nihilominus velit contendere?

R. I. Consentiunt omues eum, qui a principio certus eret de veritate rei, quam sustinet, sed altero pertinaciter contradicente incipit dubitere, puta quia advertit alias contigisse non semel, ut iis etiam, quæ certa sibi videbantur, deceptus fuerit, consentiunt, inquam, eum posse licite lucreri, ob periculum, quod tunc imaginetur.

R. II. Si certus sis ab initio, & certus esse pergas, non potes e sponsione lucrari: quia in contractibus onerosis, qualis est sponsio, attendi debet justitia, & æqualitas cum proportione ad contrectum venditionis, & emtionis, quem alii contractus imitantur: sicut ergo venditio vitri pro gemma invalide est, etiamsi emens monitus rem, quæ venditur gemmam non esse, sed vitrum, credere noluerit; ita a pari venditio juris ad lucrum, & spei ejusdem luceri, in qua consistit tota sponsionis natura, reipsa nulla est, si jus illud seu spes, etsi ab alio magni fiat propter ejus errorem, in se tamen non subsistit.

*Loteria*, vel, ut alii dicunt, *ludus ollæ*, est pactum multorum aliquid in commone ponentium, unde jus habent sortiendi, quis pro pecunia, quem intulit, multum accipiet, quis parum, quis nihil. Non convenit inter Theologos, an loteriæ vacent e peccato. Negent alii, ut Sambovius: affirmant alii, ut Sylvius, Nat. Alexander, Besombes, & hæc opinio verior epperet: I. quia nunc pene unanimi etiem timoratorum consensu confirmate videtur.

II. quia loterie spectari potest ut ludus, quo ludentes exponunt aliquid iis cessurum, quibus aliquæ schedulæ sorte obvenerint: porro talis ludus nihil ex natura sua habet mali. Sors enim divisoria, quam hic occurrere conqueritur Sambovius, *non videtur habere, nisi forte vitium vanitatis*, cum e fortune expectatur: prout docet S. Thomes: unde si subsit rationabilis causa, per quem vitium illud vanitatis tollatur, nihil supererit mali.

III. Loterie spectari potest ut contractus emtionis, quo plures certa pecunia emunt jus sortiendi, & acquirendi illud, quod sorte contigerit: porro emtio rei incertæ non est illicita.

IV. demum spectari potest ut donatio conditionalis, quam omnes, qui ad loteriam pecunia sue concurrerunt, faciunt in gratiam eorum, qui felicem schedulam obtinuerint: & hæc quoque donatio nihil habet vitiosi.

Sed & hic variæ requiruntur conditiones: I. ut qui loteriam suum in commodum instituit, non plus notebiliter ea via lucretur, quam lucraretur, si alio quovis contractu licito merces suas distraheret: in iis autem magni momenti loteriis, quæ Principis auctoritate creantur, potest excedi in lucro ad arbitrium prudentium. II. debent undequeque abesse fraus, & dolus. III. cavendum est, quod multi non cavent, ne solo avaritiæ, & cupiditatis impulsu pecunia in loteriam conferator. Itaque hoc intendi debet, ut promoveatur bonum opus, in cujus gratiam loteria instituta est, placide expectando, an hac occasione velit Deus nos aliquid acquirere.

## CAPUT DECIMUM.

### *De Promissione.*

Dicendum nunc de contractibus gratuitis, seu lucrativis, quo nomine intelliguntur promissiones, donationes, & ultimæ voluntates.

Est autem promissio Libera, & spontanea fidei datio de re licita, & possibili, quæ, si fiat sub certa verborum formula, que unus rogat, & alter promittit, dicitur stipulatio; v. g. *Spondes te hoc facturum? spondeo*.

Dicitur I. *datio fidei*; & sic distinguitur a *donatione*, in qua non est fidei datio, sed rei. Est autem hic fides, non simplex voluntas faciendi, sed obligatio ad faciendum: unde qui dicit, *promitto*, si merum propositum significare velit, non censetur stricte promittens, nec ut talis obligatur: & sic intelligendi sunt pœnitentes cum promittunt Deo se nunquam esse peccaturos.

Dicitur II. *libera*: si enim fraude, vel metu extorta sit, nihil aut parum valet, nisi juramentum accesserit, de quo vide, quæ dixi cap. 3. & 4.

Dicitur III. *spontanea*, id est gratuita, vel liberalis, quia nullum imponit onus promissario: & sic differt a promissionibus utrinque onerosis, in quibus tam promittens, quam promissarius ad aliquid se obligant.

Dicitur IV. *de re possibili, & licita*; quia nulla contrahi potest obligatio de re vel mala, vel impossibili

ſibili. Quod ſi res promiſſa partim licita ſit, partim illicita, quod licitum eſt fieri debet, quod illicitum omitti; quia *utile non debet per inutile vitiari* ( *Reg.* 37. *in* 6.). Si promiſſio majoris boni impeditiva ſit non deſinit obligare, modo ſit de re bona, quia minus bonum plus aliquando homini placet, quam majus; & ſic differt promiſſio a voto, quod non obligat niſi fuerit de bono meliori. Ut ſolvantur, quæ ad promiſſionem pertinent,

Quæres I., an promiſſio etiam gratuita in materia gravi obliget, & qua ex virtute.

R. promiſſionem hanc ſi acceptata ſit obligare ſub mortali, idque ex juſtitia; ſi vero acceptata non ſit obligare ſolum ex veracitate.

Prob. 1. pars, quam tenent multi contra multos. Omnis contractus parit obligationem ex juſtitia: atqui promiſſio acceptata eſt contractus quidam jure gentium inſtitutus; ergo ejus obligatio in gravi materia gravis eſſe debet.

Prob. II. Obligatio juſtitiæ ea eſt, quæ parit jus exigendi aliquid: atqui promiſſio etiam gratuita jus illud parit. Promittere enim non eſt ſolum affirmare ſe aliquid facturum, ſed inſuper ſe ad id faciendum alteri obligare, ideoque jus ei dare exigendi, quod ipſi promiſſum eſt: hinc queri ſolent homines illatam eſſe ſibi injuriam, quoties quis datam, & acceptatam fidem frangit. Et vero qui nude affirmat ſe aliquid facturum, ad id tenetur ex veracitate; ergo qui promittit, magis obligatur.

Prob. III. Fatentur ipſi adverſarii, promiſſionem parere obligationem ſtrictam, ſi fiat coram Notario, teſtibus, aut in ſcriptis: & reipſa hujuſmodi promiſſio dat actionem in foro exteriori: atqui extrinſecæ illæ formalitates novam promiſſioni obligationem non addunt, ſed ſupponunt. Vis enim promiſſionis a mente tota pendet, non a verborum ſono, ſigniſve exterioribus; ergo merito dixit Auguſtinus: *Omnis fidei violator iniquus eſt* ( *L.* 1. De doctr. chriſt. c. 36.)

Fatendum tamen I. gravitatem obligationis, quæ ex promiſſione naſcitur, pendere ab intentione promittentis; quia promiſſio eſt quaſi lex privata, quam ſibi quiſque prout vult imponit. II. quantitatem, quæ in furto ſufficit ad mortale, hic non ſufficere, ſed majorem requiri; quam aliqui ſtatuunt quadruplo ampliorem.

Prob. 2. pars, ſcilicet quod promiſſio non acceptata, quæ potius vocatur *pollicitatio*, non obliget ex juſtitia: I. quia obligatio juſtitiæ ex parte promittentis importat jus ſtrictum ex parte promiſſarii: porro jus illud non habetur niſi a conſentiente. Et vero qui jus illud acquirit, tenetur ad gratitudinem, *cum beneficium acceptare ſit libertatem vendere*, ex communi adagio: atqui nemo ad gratitudinem ſe obligat niſi volens. II. quia qui promittit non videtur habere animum ſe obligandi ſaltem ſtricte, donec alter acceptet; ergo quandiu conditio hæc impleta non eſt, non obligatur ſtricte, ſed ex veracitate ſolum, quatenus quilibet dictum ſuum verificare tenetur, niſi adſit rationabilis mutandi cauſa. Hæc autem obligatio levis eſt, & non obligat ſub gravi, ut communiter docent Theologi, niſi inde oriretur grave proximi damnum, ut ſi Medicus promiſerit ſe ſubventurum ægro graviter periclitanti, qui ſpe fruſtratus notabiliter læſus ſit.

Ex hac promiſſionis obligatione colliguntur aliæ ejus conditiones, quæ in ipſius definitione minus expreſſe continentur. Debet enim eſſe deliberata, & ea quidem deliberatione, quæ ad peccatum mortale ſufficit; hoc enim tantæ obligationis onus ſine pleno conſenſu, & advertentia impoſitum non cenſetur. Debet eſſe immunis a dolo, & errore circa ſubſtantiam, vel cauſam finalem, ne deſit conſenſus ſubſtantialis, &c.

Quæres II. an omnis promiſſio, ut obliget, debeat acceptari, & quomodo.

R. I. multos eſſe, qui certas quaſdam pollicitationes independenter ab acceptatione obligare putant, quales eæ ſunt, quæ fiunt Univerſitati, Eccleſiæ, Hoſpitali, vel Civitati ad inſtaurandas ejus ruinas. At id de jure Gallico falſum videtur, cum juxta illud ne quidem valeat donatio pari in caſu, niſi acceptetur. ( *Vide Cap. ſequens.* )

R. II. acceptationem ſic fieri debere, ut promiſſori, vel donatori innoteſcat: unde ſi promiſſarius, vel donatarius promiſſioni, aut donationi præſens ſit, verbis, aut ſignis exprimere debet eam ſibi acceptam eſſe, ut ſic duorum voluntates in unam concurrant: porro ut promiſſio non oneroſa cenſeatur acceptari, regulariter ſufficit taciturnitas illius, cui ſit, juxta hanc Juris regulam: *Qui tacet, conſentire videtur* ( *Reg.* 43. *in* 6. ), quæ cum ex leg. 8. ff. *De procurat.* locum non habeat, ubi de præjudicio tacentis agitur, locum habere debet, cum agitur de tacentis beneficio. Ita illi; ſed in Galliis quoad donationes non ſufficit ſilentium, de quo infra.

Quod ſi abſit promittens, aut donator, debet per literas, aut nuntium promiſſarium de promiſſione certiorem facere; nec ſufficeret quod alius tertius promiſſionis conſcius eam proprio motu referret promiſſario, ſicut nec ſatis eſſet, ſi promiſſarius acceptationem faceret coram aliis, qui promittentem non repræſentarent. Hinc facile colliges, mortuo donatario, aut promiſſario, nullam eſſe promiſſionem. An vero ab hæredibus acceptari poſſit, diſputatur. Negant multi, quia hæredes ſuccedunt ſolum in juribus defuncti quæſitis & realibus: & vero quæ amico gratis promittuntur, plerumque hæredi nec pro pretio darentur.

Quæres III. quandonam promiſſio, vel donatio valida, & acceptata revocari poſſit.

Certum eſt, quaſdam eſſe promiſſiones pleno jure irritas: ſic promiſſio Beneficii eccleſiaſtici nondum vacantis, quovis modo facta, eſt illicita, & nulla ex Concillio Lateran. III., etiamſi nullum in particulari promittatur, quia ſic *mortis alienæ votum ingeritur*. ( *Cap.* 2. De conceſſ. præb. *in* 6.): Sed hic loquimur de promiſſione valida.

R. Deſinit obligatio promiſſionis humanæ: I. cum res promiſſa ſit inutilis, aut noxia promiſſario, impoſſibiliſve, aut illicita promittenti: quia tunc ceſſat materia promiſſionis. II. cum promiſſarius obligationem remittit; quia tunc cedit jure ſuo. III. cum promiſſio facta eſt ob cauſam, quæ non fuit, aut non eſt; ut ſi promiſeris tabellam ei, quem errore facti credideras de te bene meritum eſſe; aut dotem egenæ

var-

virgini, cui ampla contigit hæreditas. IV. cum duo sibi vicissim promiserunt, & prior promissis stare non vult: tum quia frangenti fidem non est servanda fides: tum quia cum paria sint utriusque partis jura, locum hic habet compensatio. V. cum res ita mutatæ sunt, ut prudenter judicetur promittentem noluisse hunc casum comprehendere: tum quia vir prudens non censetur voluisse se in omnem eventum obligare; unde hæc fuit promissionis ejus conditio tacita, *nisi quid eveniat, aut detegatur, quod virum prudentem a promissione retraheret*: tum etiam quia sicut ex reg. 18. Juris in 6. *in generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, si in specie peterentur; ita nec ii in promissione comprehensi sunt eventus, qui si menti occurrerent, deterrerent a promittendo; ergo in hisce casibus desiit, aut potius nulla est promissionis obligatio.

Hinc non tenetur stare promissis: I. qui rem promissam, quam vilioris esse pretii crediderat, multo majoris esse deprehendit, præsertim si tanta promissio vires ejus superet. II. qui promisit se tali die cultorum esse proximi sui vineam, & uxoris, quæ gravi torquetur morbo, curam gerere debet. III. qui puellæ, quam virginem existimabat, nuptias promisit, haud promissurus si nosset esse corruptam. IV. qui pollicitus erat se pecuniam mutuo daturum, & ea ob improvisam necessitatem indiget, &c. Atque hoc extendunt, etiamsi promissio fuerit jurata; quia juramentum promissionem non firmat nisi eo sensu, quo facta est: unde si promissio tacitam habeat conditionem, sive ex mente promittentis, sive ex natura rei, aut dispositione Juris, juramentum eam non tollit, sed solum secundum eam promissionem confirmat.

## CAPUT UNDECIMUM.

### *De Donatione.*

DOnatio est liberalis rei alicujus collatio, id est traditio realis pariens dominium, & jus in re. Donatio dividitur I. in absolutam, & conditionatam. Hæc conditionem annexam habet, illa non.

Dividitur II. in donationem *inter vivos*, & donationem *causa mortis*. Prima ea est, qua quis sic donat, ut velit rei donatæ dominium, se vivente, in donatarium transferri. Secunda est, qua quis actualiter quidem donat, sed tantum vult, se mortuo, dominium transferri: ut cum quis dicit: Do tibi centum nummos post mortem, vel cum moriar.

Inter utramque donationem hæc sunt discrimina: I. donatio causa mortis, licet ab homine sano fieri possit, mortis tamen intuitu fieri debet cum ejusdem mortis mentione; secus donatio inter vivos. II. donatio inter vivos de se irrevocabilis est, nisi certis in casibus, de quibus infra; donatio vero causa mortis essentialiter revocabilis est. Hinc tritum illud a Jurisconsultis nostris: *Les donations entre vifs saisissent & sont irrevocables, les donations à cause de mort sont revocables, & ne saisissent point.* Hinc etiam donator inter vivos juridice cogi potest ad traditionem rei, non donator causa mortis. Quod si donator sibi reservare voluerit facultatem de re inter vivos donata pro nutu disponendi; aut si donationis instrumentum penes se reservaverit, invalida est donatio, juxta hanc sententiam apud nos celebrem: *Donner & retenir ne vaut.*

An donationes causa mortis differant a dispositionibus testamentariis, graviter & diu controverterunt Jurisperiti nostri. Verum litem hanc diremit Ludovicus XV. Constitutione an. 1731. postquam enim dixit art. 1. „*Tous actes portant donation entre vifs seront passés pardevant Notaires, & il en restera minute, à peine de nullité.* Sic pergit art. 3. *Toutes donations à cause de mort, à l'exception de celles qui se feront par contrat de mariage, ne pourront dorenavant avoir aucun effet, dans les pays même ou elles sont expressement autorisées par les Loix, ou par les Coutumes, que lorsqu'elles auront été faites dans la même forme que les testamens ou les codicilles; en sorte qu'il n'y ait à l'avenir dans nos Etats que deux formes de disposer de ses biens à titre gratuit, dont l'une sera celle des donations entre vifs, & l'autre celle des testamens ou des codicilles.* Ibid. art. 4. Alia quæstio hactenus ambigua his solvitur verbis: *Toute donation entre vifs qui ne seroit valable en cette qualité, ne pourra valoir comme donation ou disposition à cause de mort, ou testamentaire de quelque formalité qu'elle soit revêtue.*

Hac occasione quæritur, an donatio manualis, & actualis traditione consummata, si fiat in ultimo, unde quis decedit, morbo, sit valida. Ratio dubitandi est, quia ex Articulo 277. Consuetudinis Parisiensis, donationes omnes, etiam inter vivos conceptæ seu expressæ, si fiant in ultimo morbo, reputantur causa mortis factæ, & testamentariæ; ergo ex citato Regis Edicto, non valent, nisi factæ sint cum solemnitatibus ad testamenta requisitis, porro donatio brevi manu hisce solemnitatibus vestita non est.

R. donationem hanc de se esse validam, si fiat bona fide, & non cedat in injuriam alterius: I. quia citatus Consuetudinis articulus eas solum respicit donationes, quæ scriptis exprimuntur, seu de quibus instrumenta fiunt, *dont on dresse des actes*. Patet hoc ex iis ejus verbis, *toutes donations encore qu'elles soient conçues entre vifs*: in his vero materiis, quæ licet ex una parte favorabiles sint, ex alia tamen sunt plurimum odiosæ, quatenus justæ voluntatis executionem sæpe sæpius impediunt, verba stricte sunt intelligenda, aut saltem ultra tenorem non extendenda. II. quia donatio, causa mortis, irrevocabilis est, & inter vivos facta reputatur, cum eam actualis traditio obsequitur: unde donatio Bibliothecæ a Religioso ægrotante, & inde mortuo facta, confirmata est per sententiam Curiæ Paris. an. 1587. III. quia ita responderunt periti Magistratus, & Jurisconsulti, quorum sententiam per amicos interrogavi. Quia tamen decisionem hanc ab uno eximiæ notæ viro, nunc dignissimo Præsule, acriter impugnatam vidi, eam non nisi ut opinionem probabilem propono; iisque, qui in hoc versabuntur casu, auctor sum, ut peritiores locosum

eam Magistratus, eut Jurisperitos consulant, quia quod alicubi permittitor, alibi expresse rejici potest.

Quæres I. quænam ad donationis validitatem requirantur conditiones.

R. quatuor requiri : prima est, ut donator sit ad donandum habilis : unde generaliter loquendo ii soli inter vivos donare possunt, qui liberam habent de re sua disponendi facultatem. Ad id autem quædam adhuc requiruntur conditiones, quarum defectu donatio nulla est : ex iis vero aliæ se tenent ex perte corporis, aliæ ex parte animi, aliæ demum necessariæ sunt ab extrinseco, quia Legibus præscribuntur.

Hinc valide donare non possunt : I. qui a natura muti sunt, & surdi simul, ita ut nec scriptura, nec vuce voluntatem suam certo exprimere possint.

II. *Furiosi, quia mente carent. Item prodigus, cui bonorum suorum administratio* a Judice *interdicta est.* (*Instit. lib.* 2. *tit.* 11.) Imo ligatur prodigus statim ac parentes ejus contra eum agere cœperunt.

III. Filii-familias jure Romano non possunt, quandiu sunt sub patris potestate, disponere inter vivos nisi de bonis, quæ ita ad eos pertinent, ut pater nequidem eorum usumfructum habeat.

IV. Pleræque Galliarumo, Consuetudines, ed hoc ut quis inter vivos de bonis immobilibus disponere possit, requirunt annos 25. Major est diversitas circa ætatem, qua quis valide testari possit : quædam enim Consuetudines annos 25. requirunt, aliæ 15. duntaxat. His Consuetudinibus obsequi debent etiam Novitii in Religione, qui nisi ætatem Consuetudinibus locorum, in quibus degunt, requisitam adepti sint, valide non testantur, ut sæpius judicatum est.

V. Qui civiliter mortui sunt, sive morte *infami*, ut qui triremibus & exilio in perpetuum condemnati sunt; sive morte *heroica*, ut Religiosi professi, nec donare, nec quidquam sibi in particulari accipere possunt. Alia est ratio Patrum Oratorii, & Presbyterorum Missionis, qui omnes e Clero sunt seculari, succeduntque parentibus, & iis parentes.

(✠) Clemens VIII. constitutione proprie an. 1594. omnes Religiosorum claustralium donationes, quæ in Capitulo generali unanimi consensu, atque superiorum permissu probatæ non fuerint, irritas fecit. Idem Summus P. alia Constit. an. 1604. Clementinam Constitutionem confirmavit. Videatur *disciplina Apostolica Monastica, & defensio Decretorum Concilii Tridentini* P. Danielis Concina. (✠)

VI. Filii illegitimi in universo pene Galliæ Regno disponere possunt de bonis suis, tam inter vivos, quam causa mortis. Iidem etiam donationis accipiendæ capaces sunt, modo ea universalis non sit. Quod si ea adulterio, aut incestu nati sunt, nihil ultra alimenta recipere possunt.

VII. Multæ sunt Consuetudines, quibus prohibetur, ne durante matrimonio maritus quidquam directe, aut indirecte, sive donatione inter vivos, sive alio quovis modo uxori donet, aut uxor marito, excepta ea specie doni, quod mutuum dicitur *, & quo ambo paciscuntur, ut qui alteri superstes vivet, usumfructum mediæ partis bonorum Communitatis percipiat, iisdem bonis quoad dominium directe penes hæredes defuncti, qui prolem non reliquit, remanentibus. Aliæ permittunt, ut maritus donet uxori, non uxor marito. Ex Consuetudines a Confessarius necessario consulendæ sunt, ne præ imperitia eas approbent donationes, quæ reprobantur locorum legibus, quibus unusquisque in conscientia obsequi tenetur.

(✠) Donationes inter Conjuges mere liberales jure communi invalidæ sunt *ff. de donat. inter virum, & uxor. L. cum hic Status*. Verum si Maritus nec implicite per divortium, nec explicite donationem revocet, imo usque ad mortem in donandi voluntate persistat, morte donantis donatio validatur, & confirmatur ea lege 3. de donat. *inter virum, & uxorem*, §. *Sciendum* 10., *&* in lege 10. *Cod. eod. tit.* Uxor pariter donare nequit res dotales etiam consentiente Marito, quia illarum administrationem non habet, & quia res dotalis indemnis servanda est L. 21. Cod. de donat., & toto titulo de fundo dotali ff. & Cod. Observat tamen Henricus a S. Ignatio lib. 9. cap. 44. de donat. n. 510., quod si uxor donationem notabilem faciat Marito, ut assequatur aliquam dignitatem, puta consiliarii donationem hanc validam esse. Similiter donationes a parentibus filiis nondum emancipatis factæ nullæ sunt *L. cum de bonis C. de donat.* Validæ tamen sunt : I. dum pater donat filio pro constitutione dotis *L. Pomponius philadelphus*. II. dum Pater e res mobiles donat filio ad bellum proficiscenti *L. Filius-familias* C. III. dum Pater usumfructum adventitiorum filio remittit. IV. si donatio patris morte, vel filii emancipatione validetur. (✠)

Hac occasione quæres, an sponsus de futuro possit quidpiam futuræ suæ conjugi dare brevi manu; an item possit in instrumento matrimoniali agnoscere sibi allatam esse dotem majorem ea, quæ revera allata est.

Respondent ad 1. Pontasius, ante contractum licere partium uni id alteri dare, de quo secundum leges disponere valet; inito autem jam contractu coram Notario, neutram partem quidquam alteri dare posse sine consensu parentum, qui contractui interfuerint; idque verum est, etiamsi necdum matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum sit. Primum caput non ab omnibus omnino admitti, sed a *pluribus* docet Livoniere p. 307. & id quidem cum grano salis intelligendum est, ut statim patebit.

R.

* *Il ne faut pas confondre le don mutuel qui se fait entre conjoints apres leur mariage, & la donation mutuelle qui se fait entre futurs conjoints par le contrat de mariage. Le don mutuel ne peut etre fait que des acquets & autres biens qui tombent en communaute, & ne peut etre stipulè sans retour, c'est a dire en proprietè pour le donataire, mais seulement pour la jouissance; enquel cas le donataire est obligè de donner bonne & suffisante caution. Au contraire la donation mutuelle faite par contrat de mariage, peut etre faite des acquets & des propres, & peut etre stipulèe sans retour, & en proprietè pour le donataire,* Ferriere v. *Don.*

R. ad 2. hanc dandi rationem illicitam esse, & sæpe injustam I. quia Notarius sine mendacio, quod apud eum perjurium est, testari nequit sponsum id attulisse in dotem quod reipsa non attulit, & quod nequidem cum auxilio futuri conjugis, qui sæpe plura pollicetur, quam præstare queat, afferre posset. II. quia sponsi his plerumque circuitibus utuntur, ut plus xenasie dotent, quam lege permissum sit. III. & præcipue quia secundus articulus Edicti a Francisco II. emissi mense Jun. an. 1560. de secundis nuptiis, sic habet: *Au regard des biens à icelles veuves acquis par dons & liberalités de leurs defunts maris, elles n'en peuvent faire aucune part à leurs nouveaux maris: ainsi elles seront tenues de les réserver aux enfans communs d'entre elles, & leurs maris, de la liberalité desquels iceux biens leurs seront avenus*. Jam vero definitio hæc facile eluditur, quoties maritus agnovit se in dotalem fundum recepisse, quod reipsa non recepit: ejus enim uxor, quæ ut suam repetet dotem totam, quam a se receptam fuisse agnoscit maritus, de ea in præjudicium prolis a priori marito susceptæ disponet, quoties sibi libuerit. IV. quia in Parlamentis quibusdam, quæ Jure scripto utuntur, potest uxor dotem suam repetere, antequam debitum suum repetant creditores etiam matrimonio anteriores, quod quidem eadem uxor non potest quoad pura dona; ergo maritus dotem allata majorem recognoscens, relative ad tempus mortis suæ, creditoribus suis injuste nocet. Unde colliges quidquid pars parti relative ad futurum matrimonium donat, publice donandum esse, ut injustitiis occurratur; & sic temperanda videtur præcedens Pontasii decisio. Ipse tamen nuper de secundo casu consultus, censuit uxorem dotem falso recognitam a conjuge retinere sibi posse; quia deerant & filii & creditores, qui fraudari possent, & aliunde non plus datum erat, quam lege permissum esset.

(✠) Addit his debet annulum a sponso datum sponsæ in Matrimonii celebratione, nisi fuerit eidem donatus ante, lege communi non censeri donatum, sicuti, & vestes pretiosas, quia cadant hæc sub lege donationem vetante. E contrario sponsalitia largitas, quæ consistit in dono, quod ante matrimonium sponsi ex propriis bonis sibi invicem faciunt; sicuti & *Arrha*, quæ est donatio sponsæ facta in remunerationem dotis, nobilitatis, virginitatis &c. secuto matrimonio sponsæ adquiruntur, neque a lege irritantur: quod si matrimonium non sequatur, amittuntur ab eo, qui injuste resilit. (✠)

Secunda conditio est, ut donatarius recipere non prohibeatur. Hinc donatarii esse non possunt, qui certam in alios auctoritatem habent; sicque nullæ sunt donationes in vivis, vel testamento factæ: I. a pupillis, &c. in gratiam tutorum, curatorum, eorumque uxorum, nisi jam tutores rationes suas reddiderint. II. a Novitiis tam erga domum, quam erga ceteras domos Ordinis, in quo profiteri debent. Item a pœnitentibus in gratiam seu Confessarii, seu Ordinis, cujus ille membrum est. Si tamen donatio justæ gratitudinis limites non excederet, censent alii qui eam a Judicibus reprobandam non esse. III. ex eadem suspicione nimii in donatoris animum imperii cautum est, ne medici, chirurgi, & alii id genus; advocati quoque, & procuratores quidquam ab iis recipiant, quorum negotia gerunt: nisi tamen medici, & similes aliquid a testatore recipiant titulo, vel consanguinitatis, vel necessitudinis antiquæ, &c. IV. neque etiam donatarii esse possunt incestuosi, adulteri, & quibusdam in locis concubinarii. An autem idem dicendum, si crimina hæc remanserint occulta, dubitatur. Negarunt Sorbonici quidam Doctores ea de re consulti: idque vix improbare ausim; tum quia lex civilis pœnalis stricte interpretanda est; tum quia dubium est, an occulta crimina punire intendat. Ut ut est, potest adulter publicus adulteræ suæ, incestuosus incestuosæ, &c. providere de alimentis.

Tertia conditio est, ut res, quæ datur, dari permittatur; eo saltem modo, quo datur. Hinc non valet: I. donatio in fraudem creditorum facta, sed pleno jure nulla est ex Edicto Henrici IV. an. 1609. II. Donatio omnium bonorum inter vivos Jure Romano licita, in quibusdam Consuetudinibus illicita est, in aliis vero licita, nisi donator prolem habeat, cui legitima debeatur. Etsi autem inter vivos licita sit hæc omnium donatio, non tamen valet, si fiat causa mortis; Donatio inter vivos, quæ futura perinde, ac præsentia bona comprehendit, ne quidem quoad præsentia valet; ea solum excepta donatione, quæ in conjugum, aut futuræ eorum prolis favorem fieret in contractu matrimoniali. Ita fert Constitutio Regia an. 1731. art. 15. & 17.

Quarta conditio necessaria ad validitatem donationis est, ut hæc certis vestiatur formalitatibus. Eæ vero tres jure nostro numerantur, acceptatio scilicet traditio, & insinuatio.

I. Necessaria est *acceptatio*, quia, ut habet reg. 69. ff. *invito beneficium non datur*. Acceptatio in Galliis debet esse expressa, etiamsi agatur de donationibus, quæ fiunt Ecclesiæ, & minoribus. Minores viginti quinque annis valide non acceptant sine curatorum consensu, sicut nec uxores absque mariti auctoritate: valet tamen donatio utrique conjugi facta, etsi a marito solo acceptetur.

II. Necessaria est *traditio*. Traditio autem duplex, realis, & ficta. *Realis*, cum donator rei dominium directum, & utile in donatarium actu, & absolute transfert: *ficta* vero, cum donator ita rei proprietatem transfert in donatarium, ut ejus usumfructum sibi retineat, &c. Traditio ficta plerisque in Consuetudinibus sufficit, sed non sufficit in iis Consuetudinibus, quæ expresse requirunt, ut donator re sua penitus se exuat, ut donatarium ea quasi induat. *Coutumes de vest, & devest, saisine, & dessaisine.*

III. Demum requiritur absolute *insinuatio*, qua nempe donationes in Acta publica referuntur; quia donationes ignotas non esse, omnium interest, præsertim creditorum, quibus ex donationibus præjudicium creari posset. Circa insinuationem hæc notanda.

I. insinuari debent tum donatio, tum acceptatio: insinuatio solius donationis irritam eam faceret: II. insinuationi obnoxiæ sunt donationes tum inter vivos, tum causa mortis. III. ea insinuatio minoribus necess-

necessaria est, etiamsi curatores eorum, qoi eam incuria sua omisere solvendo pares non sint. Necessaria est quoque in donationibus, quæ fiunt Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Communitatibus: legatum tamen summæ mobilis semel solvendæ Ecclesiis, Communitati, &c. si trecentas libellas non excedat, iosinuationem noo exigit. Ita sanxit Ludovicus Magnos an. 1707. & 1708. IV. donatio summæ pecuniariæ de manu ad manum facta non indiget insinuatione. Ratio est, quod nulla lex generatim prohibeat eam donationem, quæ ab homine vivente fit brevi manu; sed certis duntaxat personis, puta marito, uxori, &c.

(✠) Jure civili donatio excedens quingentos solidos, quoad excessum invalida est, nisi insinuetur, L. 36. Cod. *de Donat.*, nomine donationis venit etiam remissio debiti liquidi; hac in re tamen servandæ sunt Leges, & consuetudines locorum. Sic in ditionibus Invictissimi Sardiniæ Regis, ut constat ex Cod. *Victoriano* Lib. 5. tit. 13. §. 1. *Tutte le donazioni, che si faranno fra' vivi tanto condizionali, che altre saranno insinuate, e registrate avanti il Giudice Ordinario del Donatore*. Item §. 2. *Dovranno altresì oltre l'essere insinuate, pubblicarsi con Decreto Giudiziale all' Albo Pretorio del Domicilio del Donante, e di quello del Luogo, dove esisteranno i beni donati*. (✠)

Quæres II. an, & quibus de causis donatio inter vivos possit revocari.

R. posse quatuor de causis. Prima est ingratitudo donatarii: ne vero causam hanc levius, & facilius quisquam obtrudat, juta varios enumerant casus, in quibus locum habere censetur. Itaque si donatarius in donatorem *injurias atroces effundat, vel manus impias inferat, vel jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat; vel vitæ periculum aliquod ei intulerit, vel quasdam conventiones sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spopondit, minime implere voluerit. Ex his tantummodo causis, si fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, donationes everti concedimus*. ( *L. 10. Codic. de revocan. donat.* ). Ad injuriam revocari potest, si donatarius donanti alimenta deneget. Si donans antequam ingratitudinis actionem intenderit, moriatur, eadem actio ab hæredibus ejus intendi non poterit.

Secunda revocandæ donationis causa est, cum filii absque parentum consensu, aut obtento, aut saltem requisito, ad nuptias convolant. Atque hæc causa ad præcedentem revocari potest, cum gravior parentibus injuria inferri nequeat, quam si ipsis inconsultis eligatur status tanti momenti.

III. Revocatur donatio quævis, etiam mutua, aut remuneratoria per nativitatem prolis, etiam posthumæ, aut per legitimationem ejus, modo hæc legitimatio fiat ope matrimonii subsequentis. Constitut. ann. 1731. art. 39. Si tamen donator rei donatæ fructibus post ortum pueri, ejusve legitimationem frui perrexerit, non tenebitur ad fructuum restitutionem, nisi a die notificatæ sibi hujus nativitatis, vel legitimationis. Ibidem art. 51. Mortua prole non reviviscit donatio; unde si donator idem quod prius dare volet, nova opus erit dispositione. Ibidem art. 43. Legatur, & pluries, eadem Constitutio.

IV. Revocatur etiam donatio, cum facta est contra officium pietatis parentibus, aut liberis debitæ; ut cum per eam filii *legitima* sua privantur.

(✠) Ex Jure civili irrita etiam est dooatio omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum, si facta sit inter vivos, quia per talem donationem homo privat se testandi potestate contra bonum Reipublicæ ordinem, L. 61. ff. *de verb. obligat.* Valet tamen si fiat caussa mortis; sed requiritur jure communi subscriptio quinque Testium sicuti in Codicillis, ita *Lex ultima* Cod. de dooat. *mortis causa*. (✠)

---

## CAPUT ULTIMUM.

### *De ultimis voluntatibus.*

NOmine ultimæ voluntatis intelligitur Actus, quo quis legitime statuit quid de rebus suis post mortem suam fieri velit. Hujus species, aut quasi species sunt testamentum, codicillus, legatum, fideicommissum, & donatio mortis causa. De hac egimus; de aliis restat paucis dicendum.

Testamentum est ultimæ voluntatis dispositio solemniter facta cum institutione hæredis.

Dicitur I. *ultimæ voluntatis dispositio*, per quod convenit cum aliis ultimis voluotatibus.

Dicitur II. *solemniter facta*, quia cum Reipublicæ multi intersit, ut qui de rebus suis disponunt, id libere faciant, & non ex aliena suggestione, certæ quædam Jure civili, & municipali institutæ sunt formalitates, quarum defectu testamenta non valent.

Dicitur III. *cum hæredis institutione*: est autem hæredis institutio nominatio successoris in universum jus testatoris; eaque institutio tam necessaria est in locis, quæ Jure Romano reguntur, ut sine ea stare non possint testamenta.

Testamentum jure communi dividitur in *solemne*, in quo servantur omnes solemnitates a Jure præscriptæ; & *privilegiatum*, quod valet, etsi non omnes eæ formalitates serventur: tale est testamentum vel a milite, vel ab alio tempore pestis confectum. Formalitates ad hæc testamenta hodie requisitas præscribit Regia Constitutio an. 1731. ab art. 27. ad art. 37. qui omnino sunt consulendi.

Dividitur II. in *scriptum*, seu *clausum*, & *nuncupativum*. Clausum est illud, in quo testator *scripto* disponit de bonis suis coram testibus, quibus tamen non indicat quomodo de iisdem bonis disposuerit, sed solum declarat tali scripto ultimam suam voluntatem contineri: curatque, ut Notarius, & septem testes a se invitati involucrum ipsius subscriptione quisque sua, suoque sigillo confirment. Septem porro testes in testamentis illis necessarii debent, juxta Ferriere v. *Testament*, esse mares, puberes, & ( *Capables de recevoir par testament* ) capaces donationis testamentanæ,

tiæ. *Nuncupativum* est illud, quod viva voce, & sine ulla scriptura fit coram septem etiam testibus, ejusdemque conditionis. Hoc testamenti genus per art. 1. Regiæ Constitutionis anni 1735., etiamsi de minima agatur summa, in toto Regno abolitum est; unde nunc testamentum quodcunque seu a testatore, seu ab alio scriptum esse debet.

Dividitur III. in *olographum*, quod propria testatoris manu scribitur; & *non olographum*, seu *solemne*, quod a testatore dictatum est, & a publica persona acceptum. Testamentum olographum non viget in locis, quæ Jus scriptum sequuntur, iis exceptis, quæ a Curia Parisiensi Jus petunt: viget vero in Provinciis consuetudinariis, & merito, cum ea testamenti species extra suspicionem maxime posita sit. Ad hocce testamentum nulla requiritur solemnitas, nisi ut totum a testatore scriptum sit, sine additionibus, aut interlineis ab extranea manu appositis: debent etiam exprimi locus, & tempus, mensis, & dies, juxta art. 38. Constit. anni 1735., idque sub pœna nullitatis necessarium videtur. Subscriptio a testatore in dubio apposita testamento aliena manu exarato non sufficeret.

Formalitates ad testamentum solemne in Gallia consuetudinaria requisitas recensere non possumus, quia pro locorum varietate variæ sunt, tam circa eorum, qui testamenta recipiunt, quam circa testium qualitatem. Varias illas formalitates suis singulis in locis nosse debent, & tenentur Parochi, aut qui eorum loco deserviunt Parochiæ: cum enim infirmorum voluntates ex proprio officio exscribere soleant, & in foro exteriori irrita declarentur testamenta, quæ debita solemnitate carent, eorum ignorantia grave populis præjudicium, & damnum procrearet. Forma testamenti in Ritualibus haberi debet. Per art. 25. Constitutionis an. 1735. nec Vicarii, nec alii quicunque Presbyteri præter Parochum, aut deservientem testamenta exscribere possunt, præterquam tempore pestis, de quo vide art. 33. citatæ Regiæ Constitutionis.

(✠) I. Formalitates ad testamentum necessariæ diversæ sunt pro testamenti qualitate. *Ad nuncupativum* jure communi requiruntur septem testes masculi, puberes, liberi, qui testatoris voluntatem audiant: ad illius tamen substantiam non pertinet Testium subscriptio. Ad valorem testamenti *scripti*, & *clausi* requiritur declaratio Testatoris coram septem testibus qua declarat signatum testamentum esse suum. Omnes testes subscribere debent, atque ab horum numero excluduntur pater hæredis, feminæ, surdi, muti, cœci, amentes, prodigi, jure infames, Legatarius, & communiter ii omnes, qui aliquam ex testamento utilitatem adquirunt. Hæc de jure communi. Sed Jure Regio in ditione Sardiniæ Regis cautum est Cod. Victoriano lib. 5. tit. 22. cap. 6. §. 1. „ Saranno „ sottoposti all' Insinuazione tutti gl' Instrumenti, e si „ faranno per Instrumento tutt' i contratti fra vivi „ di qualunque sorta si siano, e *tutte le disposizioni di* „ *ultima volontà*; altrimenti saranno nulle.

II. Omnes, qui usu rationis pollent de bonis propriis testari possunt, nisi aliter a Lege determinatum fuerit: sic lex prohibet testari Religiosos, apud quos nullum amplius est ob paupertatis votum dominium, Episcopos de redditibus Ecclesiasticis, servos, stultos, & ægrotos delirantes. Vid. L. *discretis* 10. Cod. *Qui testamenta facere possint*.

III. Qui autem ob delictum testari prohibentur, neque hæreditatem ex testamento accipere valent. Glossa in l. is, cui ff. *Qui testam. facere* Similiter illi omnes, qui ex jure naturali, vel positivo bonorum temporalium dominium adquirere non possunt. Quapropter ex jure naturæ, aut gentium hæredes institui nequeunt perpetuo amentes, Religiosi paupertatis voto omni dominio illos privante jam obstricti, testatoris mancipia non a se manumissa. Ex jure positivo hæredes institui nequeunt filii spurii, quia Jus civile copulam illam ut deformem, atque illicitam punire voluit Novell. 89. cap. ult., quamvis institui possiat a parentibus collateralibus eadem Novell. c. 15.; Apostatæ, Hæretici, eorumque Fautores post latam sententiam Authent. *credentes* c. de Hæret.; Civitas hostium, Communitas Judæorum, Damnatus vel ad mortem naturalem, vel civilem, utpote incapax dominii l. 17. ff. *de pœnis.*; Hæres, aut Legatarius testatori ingratus, vel quia illum occidisse, vel ad illius mulierem accessisse convincitur. Servus adulterio maculatus non potest institui hæres Dominæ, quæ rea sit ejusdem criminis postulata, Inst. lib. 2. tit. 14. princip. Qui scripserunt testamentum, tutores tandem pupillorum, Medicus sui ægroti, Judex sui Clientis, Magister sui discipuli, Concubina sui Amasii, Communitas Religiosa sui Novitii, jure communi hæredes institui nequeunt.

Benedictus XIV. Constit. 35. tom. 1., quæ incipit *Satis vobis*, dat. Romæ an. 1741. docet: I. Filios ex matrimoniis occultis natos fraudari non posse bonis paternis, & avitis. II. Filios natos ex soluto, & soluta legitimari per subseq. matrimonium ex Constitut. 113., quæ incipit: *Redditæ*. III. Filios natos ex adulterio, & constanti matrimonio non legitimari per subseq. matrimonium; si vero sint nati post mortem legitimæ uxoris, in hoc casu Pontifex non aliter disponeret, quam secundum sententiam in Tribunalibus, & Curia illius Regionis receptam, in qua esset pronunciandum. Et in dubio proli favendum esse censet. Tandem filios natos ex incestu legitimari, accedente dispensatione *in radice Matrimonii*, dummodo proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, & impedimentum sit a jure Ecclesiastico.

IV. Triplex est hæredum genus, alii necessarii, quorum si nulla in Testamento fit mentio, communi jure irritum est. Isti sunt filii legitimi, qui in ea bonorum portione, quæ vocatur *legitima*, necessario parentibus succedunt. Legitima hæc, si filii non excedant num. 4. est tertiæ bonorum partis inter illos ex æquo dividendæ portio: si plures sint, quam quatuor, semissis hæreditatis in æquales partes dividendæ portio, erit singulorum legitima. Authent. de trient. & semiss. §. 1. 2. Hic autem ordo in successione servandus est. Viventibus stipite propinquioribus, non succedunt remotiores; sic viventibus filiis,

non

non succedunt nepotes, sed inter filios *per capita* hæreditas dividitur. Descendentibus autem, qui carent successoribus, ascendentes cum hoc ordine succedunt: Primi sunt proximiores in gradu, ita uterque parens, vel alteruter si vivat; defuncto utroque parente succedunt avi tum paterni, cum materni; hisce deficientibus succedunt proavi. Sublatis vero descendentibus, & ascendentibus, fratres, & sorores, sicut & ceteri consanguinei hæredes necessarii non sunt, & succedunt solum bonis ab ascendentibus gravatis. Hæc secundum jus commune.

Alii dicuntur ab intestato, qui succedunt ubi nullum est validum testamentum, ratione propinquitatis sanguinis. Primi sunt descendentes legitimi, servato propinquitatis ordine, ut filii, nepotes, &c. exclusis ascendentibus, & transversalibus. Filii succedunt per capita, nepotes per stirpem. Sublatis descendentibus succedunt ascendentes, exclusis collateralibus. Sublatis descendentibus simul & ascendentibus, succedunt consanguinei collaterales, ac primo agnati, idest ex parte virorum, & inter hos primum habent locum fratres utrinque conjuncti, deinde semifratres, qui non succedunt per capita, sed per stirpem; & ex hisce uterini consanguineis præferuntur; post agnatos sunt cognati, consanguinei scilicet ea parte feminarum. Hi omnes jure communi succedunt usque ad decimum gradum civilem inclusive. Alii tandem sunt hæredes extranei, qui libere a testatore instituuntur.

V. Hæredes omnia defuncti testatoris debita, nisi superent hæreditatem, solvere tenentur. Dixi, *nisi superent hæreditatem*, quia concessum ipsis est privilegium inventarii instituendi, quo dignoscere valeant, an sibi expediat hæreditatem acceptare, nec ne, C. de jure delib. l. ult. §. *sin autem* 2. Quod si hæres intra terminum a lege præscriptum inventarium negligit, nec repudiat hæreditatem; tenetur omnia testatoris debita solvere, etiamsi superent hæreditatem, d. l. ult. §. 14., & Authent. *de hered.*, & Falcid. coll. 1. Solutis autem debitis, si supersunt hæreditatis bona aliquo vinculo non gravata, legata adimplere debet, atque hæc, spectato conscientiæ onere, statim solvere debet; atque si hæres dissolutionem differat, cum solvere possit, peccat.

VI. Executores Testamentarii alii dicuntur *universales*, qui eliguntur in testamento, in quo facta non est hæredis institutio, ut omnia testatoris debita solvant, & bona omnia distribuant; hinc vendere omnia defuncti bona valent, quia jure communi considerantur ut hæredes, & omnia executioni demandare debent, quæ in testamento disponuntur. Alii dicuntur *particulares* a testatore electi, ut validum testamentum a se conditum exequantur. Quilibet potest esse testamenti executor, sive vir, sive femina, sive Clericus, sive Laicus, sive ipsemet hæres. At de his plusquam satis ad Tyronis captum. (✠)

Quæres, an testamentum ad piam causam sine requisitis solemnitatibus confectum in foro interiori nullum sit, ita ut hæredes, etsi cognitam habeant testatoris voluntatem, non teneantur illud exequi.

R. his verbis art. 78. Regiæ Constitutionis ann. 1735. *Toutes les dispositions de la présente Ordonnanance, soit sur la forme, ou sur le fond des testamens, codicilles, & autres actes de derniere volonté, seront executées, encore que les dites dispositions de quelque espéce qu'elles soient, eussent la cause pie pour objet.* Quod spectat ad loca, in quibus, utpote Regi minime subjectis, prædicta sanctio locum non habet, facile crediderim eum Van-Roy ad legati pii validitatem satis esse, ut de voluntate defuncti indubie constet.

Quæres, an si Ecclesia rem sibi cum onere legatam acceptare nolit, possint hæredes eam sibi retinere.

R. posse si testator expresserit suæ esse intentionis, ut legatum ad hæredes suos redeat, si non acceptetur. Si vero nihil tale expressum sit, legatum ad aliam Ecclesiam deferendum est, si hæc illud cum onere suo acceptare velit: alioqui minuenda sunt onera legati; idque fiet secundum mentem legantis, qui præsumitur voluisse de Ecclesia bene mereri, & ex errore solum, vel inadvertentia nimium onus ipsi imposuisse.

Hic duo notanda: I. si Ecclesia rem legatam prorsus acceptare noluerit, eam alios in usus pios impendendam esse. II. si testator quidpiam alicui recipere prohibito legaverit, ea conditione, ut nisi legatarius re fruatur, hæc ad Ecclesiam, aut hospitale deferenda sit, legatum etiam ex parte hospitalis caducum esse, ut cui non directe, sed quasi in pœnam hæredis favere intenderit testator: & ita judicatum fuit a Curia Paris. an. 1676.

Ex dictis sequitur, a fortiori irritum esse in aliis quibuscunque casibus pro utroque foro testamentum, cui desunt formalitates a Legibus sub pœna nullitatis requisitæ. Et vero ut tale testamentum irritum censeri debeat, duo sufficiunt: I. ut qui Reipublicæ præsunt, illud irritare possint. II. ut illud de facto irritaverint: atqui utrunque certum est: I. enim, qui auctoritatem habent, possunt hominem reddere ad testandum inhabilem, nisi cum tali solemnitate testetur; tum quia id necessarium esse potest, ut vitentur doli, & lites; tum quia si contractus matrimoniales ex quarundam formalitatum defectu irritari potuere, multo magis & testamenta. II. testamenta absque debitis formalitatibus facta, a Principibus, iisve, qui Reipublicæ administrationem habent, de facto irritata fuisse, patet ex omnium locorum Legibus, quæ testamenta contra loci consuetudinem facta nullius esse roboris decernunt: Quod autem eæ Leges non fundentur in præsumtione fraudis actualis, inde patet, quod testamenta rescindantur a Magistratibus etiam cum certo iisdem constat nullam de facto fraudem intervenisse.

At, inquies, iniquum est, ut quis absque culpa sua privetur facultate de re sua disponendi: *Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati*, ait Justinianus, *quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.*

R. id iniquum non esse, cum hoc postulat publica utilitas; sic valet præscriptio, etsi homo per eam

rebus

rebus suis absque culpa privetur. Quod dicit Justinianus, intelligi debet de voluntate, cui Jura non resistunt: sic impediunt Leges ne homo clandestine corporis sui dominium transferat.

## ARTICULUS UNICUS.

### *De Codicillis, Legatis, & Fideicommissis.*

CODicillus est ultimæ voluntatis dispositio circa ea, quæ quis vult post mortem suam fieri, absque hæredis institutione. In Gallia consuetudinaria, ubi locum non habet hæredis institutio, eo solum differunt codicilli a testamentis, quod codicilli habeantur ut supplementa quibus testamentis adjicitur, aut detrahitur: unde formalitates, quæ ad testamentorum valorem requiruntur a Consuetudinibus, ab iisdem requiruntur ad validitatem codicillorum.

Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, qua testator aliquid alicui donat, eidem ab hærede præstandum. Aliquando sumitur pro re ipsa dono relicta. Fideicommissum non differt a legato, nisi quod in fideicommisso verba diriguntur ad hæredem, ut aliquid donet tertio, v. g. *Volo hæredem meum solvere centum nummos Titio*: at in legato verba ad ipsum legatarium diriguntur, ut, *Lego centum nummos Titio.*

Legatum, sicut & fideicommissum, duplex, particulare, & universale. *Particulare*, cum alicui designatum aliquod bonum legatur, ut summa pecuniæ, villa; *universale*, cum aliquis bona omnia sua legat, aut omnium bonorum partem, ut mediam, & quartam, &c., aut hæc hæredis fidei committit alteri tradenda. Quia porro contingebat ut hæredes legatis, aut fideicommissis gravati, nihil ex hæreditate perciperent, sanxerunt Romanæ leges, ut ad eos pars quarta bonorum testatoris semper deveniret; & hæc quarta pars cum e legatis detrahitur, *Falcidia*, cum vero e fideicommissis *Trebelliana* nuncupatur. Etsi vero Falcidia, & Trebelliana locum non habeat in Gallia consuetudinaria, in ea tamen non possunt universa bona legari, aut, fidei committi, sed ut plurimum, bona mobilia, bona soli parta, *acquests & conquests*, & certa pars patrimonii seu *propriorum*, quæ varia est pro varietate Consuetudinum.

Quæres quid sentiendum in foro conscientiæ de fideicommisso in favorem illius, qui per leges legatarius, aut hæres institui nequit.

R. I. testator, & qui talis dispositionis executionem promittit, mortaliter peccant, quia justæ legis ordinationi resistunt. II. Legatum illud sive a fideicommissario, sive ab iis, in quorum favorem relictum est, legitimis hæredibus restitui debet, quia nec pertinet ad fideicommissarium, cui donatum non fuit; nec ad uxorem defuncti, v. g., aut filium spurium, in iis Consuetudinibus, quæ hujusmodi personas ad hæc legata inhabiles esse decernunt.

Sed quid si testator certam pecuniæ summam legaverit Titio, absolute, & simpliciter, cum intentione, quam tamen non expressit, sed de qua ex circumstantiis moraliter certus est Titius, ut eamdem summam uxori, vel filio defuncti redderet?

Respondet Habert, re cum gravibus Theologis, & primariis Parisiensis Curiæ Magistratibus diligenter expensa, legatum hoc posse acceptari a Titio, qui de eo pro nutu disponet, sive in proprium commodum, sive in gratiam eorum, quibus defunctus legasset, nisi leges restitissent. Ratio est, quia si tale legatum non valeret, utique ob spem, & intentionem legantis, qui intendit illud in uxorem suam v. g. transferri a Titio: atqui hæc intentio, & fiducia non irritant tale legatum; donatio enim absoluta, neque rescinditur ob intentionem donantis, neque ob donatarii infidelitatem. Unde si quid absolute dederis Petro, intendens ut in pauperes beneficus foret, subsistit donatio, etiamsi is spem tuam fallat: alioqui, ut supra dictum est, vix ulli subsisterent contractus, cum innumera quotidie eveniant, quæ si prævisa fuissent, deterruissent a contrahendo.

Nec dicas legatum hoc esse in fraudem legis, & contra legislatoris mentem.

Nulla enim lex vetat ne homo certam boni sui partem leget extraneo, qui de ea pro nutu suo disponat, etiam in favorem illius, cui testator legare prohibebatur. Neque sic fallitur mens legislatoris: tum quia legislator non prohibuit donationem extraneo factam absolute; tum quia supponimus legatarium id, quod accepit, donaturum non esse uxori v. g. vel filiis defuncti, si nulla suppetat legitima ratio id faciendi, sed iis solum in casibus, in quibus uxor non haberet unde commode sustentaretur, aut marito diu, & graviter ægrotanti, multa præstitit obsequia, &c. Hactenus, & iisdem fere verbis citatus Theologus. Huic decisioni ut subscribam, necesse est ut indicia, ex quibus legatarius intentionem legantis cognovit, non includant virtuale pactum, quo legatarius tacite se obligaverit ad reddendum testatoris uxori legatum.

Hic operæ pretium fuerit annotare legatum non viva voce, sed solum in scriptis revocari; neque hic valeret probatio per testes.

Explicit Tomus primus Institutionum Theologicarum Petri Collet hujus primæ Taurinensis Editionis.

*Tu mandasti mandata tua custodiri nimis* Ps. 118. v. 4.

R r

# INDEX
## RERUM NOTABILIUM.

Litera *a* indicat Colomnam primam, *b* ſecundam.



do

Si-

AUGUSTÆ TAURINORUM MDCCLVII.

EXCUDEBAT CAROLUS FRANCISCUS GILARDONUS.
*SUPERIORUM PERMISSU.*